BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
G
7
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

JAC. AUGUSTI

THUANI

HISTORIARUM

SUI TEMPORIS

TOMUS SECUNDUS.

LIB. XXV.	—	XLVIII.
CIϽIϽLX.	—	CIϽIϽLXX.
FRAN. II.	—	CAR. IX.




LONDINI

Excudi curavit Samuel Buckley

MDCCXXXIII.

Digitized by Google



JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER VIGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

TUMULTU ſedato datae ad curias et praefectos toto regno et ad Navarrum ipſum regis literae. Res in majus exaggerata in ſenatu Pariſienſi, et conſervatoris patriae elogium Guiſio tributum. Datae et ad Germaniae principes regis ea de re literae. II. *Colinii jam ſuſpecti ex aula diſcedunt.* III. *Edictum Romorantinum; quo decernitur, ut cognitio de ſectariorum crimine penes epiſcopos maneat, omni ejus juriſdictione curiis regni adempta; pro qua ante quinquennium ſenatus tam pertinaciter pugnaverat, eedente Hoſpitalio, et eum rectum curſum tenere non poſſet, velifieationem mutante, ne ad inquiſitionis Hiſpanieae, quae tunc urgebatur, ſeopulos reipublicae navem illideret. Severae eodem edicto ſanctiones contra conciliabula et eoitiones illicitas et ſeditioſas de religione diſſertationes eontinebantur; delatoribus praemio propoſito: et ne calumniis anſa praeberi videretur, addito, ut ealumniatores talione plecterentur. Jubebantur item paſtores ad gregis ſibi commiſſi curam attendere. Indictus ex* [a] *Hoſpitalii conſilio principum ac procerum ad Fontem-Blaudi conventus.* IV. *Nova ſimultatum inter Guiſianos et Momorantium jacta ſemina, ex occaſione litis de Dammartini eomitatu inter Bullinvillerios et Ramburios fratres uterinos exortae; cum Momorantius jus ab alteris, ab alteris Guiſius pariter jus emptione*

NOT. [a] Guiſianorum. *Put.* cardinalis Lotaringi. *Put. L.*

emptione in ſe tranſtuliſſet. Senatus in eo judicio prudentia et aequitas. Tandem ſecundum Bullinvillerios, a quibus jus Momorantius habebat, pronunciatum. Fr. Vindocini e nobilitate Gallica viri primarii alienus a Guiſianis animus. V. *Rex Caeſarodunum Turonum accedit, et ridiculae in ejus ingreſſu pompae.* VI. *Catharina Guiſianorum pertaeſa, Proteſtantium partibus ſe benigniorem praebet. Scriptum Theophili nomine ad Catharinam pro eorum innocentia oblatum a Fr. Camuſio pellionis domeſtici filio, ſummae ſimplicitatis et miri candoris juvene; quem ſenem poſtea vidi, et a quo multa his de rebus didici, quae pari fide, qua acceperam, tradidi. Is totam vitam peregrinationibus variis in orientem triverat, et ſaepius in Aegyptum cum uxore profectus familiareis cum Joanne Meletio patriarcha Alexandrino ſermones habuerat; tantaque fide mercaturam ſuam exercebat, ut in aliis rebus fidem quoque mereri videretur.* VII. *Liber Tigridis titulo in Guiſianos vulgatus, ejuſque vulgator (nam de auctore nihil vel per exquiſita tormenta reſciri potuit) in furcam actus.* VIII. *Condaeus aulam relinquit, et Neracum in Labretanis ad Navarrum fratrem tendit.* IX. *Plancius hujus hiſtoriae praecipuus ſcriptor in arcanum a Catharina ſeducitur, et de horum motuum cauſis interrogatus audacter ac libere reſpondet, Guiſianos in ordinem cogendos, et regii ſanguinis principibus praerogativae locum, unde dejecti ſunt, et dignitatem reſtituendam.* X. *Ad Fontem-Blaudi celebratus ſolemnis conventus, in quo Gaſpar Colinius pro libertate religionis ſupplicem libellum obtulit.* XI. *Joanniss Monlucii epiſcopi Valentini et Caroli Marillaci archiepiſcopi Viennenſis graves orationes habitae, et ad concilium oecumenicum parare ſe juſſi epiſcopi; quod ſi a pontifice obtineri non poſſit, rex conſulto facturus pronunciatur, ſi quam primum de nationali celebrando cogitet, et interea poenae contra ſectarios decretae intermittantur; foedae item nundinationes ex eccleſia tollantur: alioqui futurum, quod B. Bernardus praedixit, ut Chriſtus de coelo deſcendat, & reſumpto flagro ſacerdotes, ut olim mercatores, e templo ſuo probroſe expellat.* XII. *Inde indicta regni comitia, et copiae militares per provincias Guiſianorum arbitrio diſtributae.* XIII. *Saga multorum literis ad Navarrum Bonvallio prodente comprehenſus.* XIV. *Franc. Vindocinus in Baſtiliam ſub cuſtodia conjectus.* XV. *Irritus de Lugduno intercipiendo conatus. Cardinalis Borbonius deceptus fratres in errorem inducit. Franc. Barbanſonus Canius, Robertus Haius comprehenſi.* XVI. *In Allobrogibus Proteſtantium pullulat doctrina.* XVII. *Valentia capitur à L. Maugirono et diripitur.* XVIII. *Carolus Monbrunius arma capit, et in Venaſcinenſi comitatu turbas excitat, reque male geſta ad Helvetios confugit.* XIX. *Antonius et Paulus Moventii fratres ob religionem in Provincià itidem arma ſumunt. Antonius Draguiniani excita ſeditione crudeliter necatur. Paulus Genevam confugit, qui annis ſequentibus bellicae virtutis laude inter ſuos multum claruit.* XX. *Motus ob religionem in* [a] *Armoricano tractu.*

EX AUCTORIBUS,

Jo. Placio C. Vectig. PP. Lud. Renerio Plancio, Jo. Serrano, Franciſci Camuſii relationibus, Th. B. H. E. Joannis Huralti Boetallerii commentariis.

NOT. [a] Neuſtria. *Put.*

LIBER

LIBER VIGESIMUS QUINTUS.

AMBOSIANO tumultu [a] ſedato literae ad A. [a] Mo- CIƆIƆLX. FRANCISCUS II.
morantium [b] Cantiliae degentem a rege afferuntur, cum in eo eſſet, ut in [c] Pictones et Aremoricos proficiſceretur, quo Joannam filiam Ludovici [d] Tremollii uxorem, [e] Briandi-caſtrum, et alias poſſeſſiones ſuas inviſeret: iis jubebatur in ſenatum venire, et quid [f] Amboſiae actum eſſet, regis nomine exponere. Igitur ille in ſenatum v Kal. Apr. venit, et mandata regis expoſuit, laudatis Guiſio et cardinali fratribus, qui egregiam operam in eo negotio navaſſent. Hoc officio parum ſincera fide defunctus Guiſianis viſus eſt Annas: cum diceret, vix quenquam paſſurum fuiſſe, ſi ad injuriam uni ex amicis aut familiaribus inferendam in aedeis ſuas vis fieret; multo minus regem pati potuiſſe, ſeditioſorum manum ad praecipuos ex ſuis oppugnandos coiiſſe, et Amboſianum caſtrum, in quo erat, circumſediſſe. Nam Guiſiani ab omnibus dici et credi cupiebant, contra regem, Catharinam parentem ac regis fratres conjurationem initam eſſe ab hominibus, qui primam, quam Deo debebant, fidem irritam feciſſent: qua ſemel violata minime dubitaverint regem ipſum petere, quo regnum everterent, et confuſis ordinibus in reipublicae formam, Helvetiorum exemplo redigerent. In ſenatu cuncta in majus celebrata, prono hominum ad obſequium paratorum favore, qui cum ad regem reſcriberent, addita praeter morem ac dignitatem ad Guiſium epiſtola, conſervatoris patriae ei nomen foeda adulatione tribuere. Regiarum literarum exemplum ad omneis provinciarum praefectos miſſum, pridie Kal. Apr. admonitique ut operam darent ne qui motus ex ea occaſione excitarentur. Quibus literis, quod multa in Proteſtanteis dicerentur, tanquam rebellionis exſtimulatores, reſponſum eſt a quibuſdam; et facti invidia in Guiſianos rejecta, quos in publicis ordinum regni comitiis adminiſtrationis ſuae rationem reddere debere contendebant. Quod reſponſum per incognitas perſonas Lutetiam et [g] Rotomagum miſſum eſt, et ad utriuſque civitatis ſenatum perlatum: et Pariſienſis quidem re neglecta ſcriptum per accenſum ad cardinalem miſit: Rotomagenſis cum ex ſuo ordine delegatos ad regem miſiſſet, qui ſcriptum perferrent, veriti Guiſiani, ne res evulgata et curioſius agitata majorem ipſis invidiam crearet, eos a regis conſpectu excluſerunt, et domum redire coegerunt. Rex deinde ad Navarrum [h] Aquitaniae praeſidem accurate ſuper eadem re ſcripſit v Eid. Apr. et Dei cura ac benignitate factum dicit, ut detecta perduellium conjuratione ſervatus ſit, totiuſque rei ſeriem enarrat, quam aliter, atque haberet, plerique malignis ſermonibus interpretarentur. Nam ſibi diligenti inquiſitione conſtare, quoſdam capitalis criminis reos, damnatoſve, aut metu poenae attonitos, ſui, Catharinae matris, uxoris fratrumque opprimendorum conſilium cepiſſe, et rabie omnia miſcendi incitatos, novam rerum faciem inducere tentaſſe; quod cum palam non poſſent, nec populo, cujus certa fides ſemper erga regem extitiſſet, armato res procederet, in partem ſceleris quoſdam novae religionis miniſtros adſciviſſe; homines turbarum cupidos, qui pietatis obtentu pleroſque minus cordatos in facinus immane impulerint, ut ſe a rege ſuo tot praejudiciis damnatae religionis

VAR. LECT. [a] ita ſedato. *P. D. o.*

INTERPR. [a] *le Conneſtable de Montmorency.* [b] *Chantilly.* [c] *Poictou & Bretagne.* [d] *de la Tremoille.* [e] *Château Briand.* [f] *Amboiſe.* [g] *Rouen.* [h] *Guienne.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

religionis gratiam ſumptis armis impetraturos confiderent: quod ſi noo ſuccederet, regiam opprimi poſſe perſuaſum haberent. Haec verbis ad aſperitatem compoſitis ſcripta, oulla Guiſianorum ſacta mentiooe, quo facti invidiam in regem rejectam illi a ſe amolirentur. Addita de Condaeo multa etſi honorifica oratione, quae tamen excuſando eum notarent; nempe conſilii adverſus majeſtatem regiam initi a conſciis graviter accuſatum, quod tamen criminoſe ab accuſatoribus confictum cogooverit. Proinde laetari ſe agnati cariſſimi innocentiam gravioribus auctoribus ſublevatam. Tum utrumque rogat, ut coojuoctis ſtudiis rempublicam capeſſant. Ipſum vero Navarrum inanibus promiſſis ineſcari facilem hortatur, ut peſtiferae conjurationis reliquias, cujus incentores quoſdam deſignat [a] Bonormam et Davidem excucullatum modo harum, modo illarum partium hominem, ferro perſequatur: quod et ille non ſegniter exſecutus eſt; et poſt caeſas tumultuarias in agro [b] Aginnenſi copias, ſumma ſeveritate in ſuſpectos animadvertit, eoſque tota fere [c] Aquitania exegit. Scriptae et tunc ad principes externos regis oomine literae; et quooiam coojurati Germaniae priocipes clam ſollicitaſſe dicebantur, nec obſcura ſama erat eos conſiliis ſtudioque ſocios juviſſe, miſſus ad Fridericum Palatinum ſeptemvirum, Philippum Heſſum, et Chriſtophorum Wirtembergicum Bernardinus [d] Bocatellus, poſt Redonum epiſcopus, ſpecie firmandae cum ipſis amicitiae, qoi repetita pareotis erga ipſos reccoti meritorum memoria, rei [e] Amboſiae geſtae ordinem enarratet. Additum mandatis, quoſdam per tormenta interrogatos de ipſis, quaſi cooſilii participes fuiſſcot, multa confeſſos, quae tameo rex falſa ac vana credat: nam nullis minus quam Germaniae principibus, vicinorum imperiorum mutationes uſui eſſe: proinde regis amicitiam, quam nuper adeo utilem experti eſſent, intemeratam ſervarent, ac vetera novis et quieta turbatis Gallorum temporibus anteponerent. Ad ea Germaniae principes, de amicitia regis et antiquo cum Gallis foedere multa magnifice, de ſe cum decore ac modeſtia pauca reſpoodent: nullis ſe unquam ſeditioſorum cooſiliis miſcuiſſe: ſibi ſacroſanctam ſemper regum ac magiſtratuum poteſtatem fuiſſe: ſed regem etiam atque etiam videre debere, ne quibuſdam indulgentiorem ſe praebeat, qui proprio odio ac libidine magis quam ex uſu praeſenti accenſi, in homines nullius flagitii ante compertos ſaeviant: itaque orare regem, ut innocentum ſuppliciis temperet, et quando idem cum ipſis de religione ſentiant, crudeleis ac praecipites a ſociis poenas deprecari: hanc optimam quietis in Gallia conſtituendae rationem videri, ſi quod Germaniae ante aliquot annos feliciter ceſſit, pax mentibus ac conſcientiis coocedatur.

II. EODEM tempore Colinii fratres aula diſcedunt Guiſianorum potentiam veriti, quibus ſe infeſtum libere nimis G. [a] Colinius io privatis cum Catharina colloquiis oſtenderat. Cum vero ille a Catharina commeatum peteret, juſſus eſt in [f] Neuſtriam proficiſci, et motibus in ea provincia ſedandis operam dare, deque ſeditionis cauſis cognoſcere ac diligenter ad ſe perſcribere; quod et ſedulo fecit, et motuum cauſa in Guiſianorum ambitiooem rejecta, rurſus Catharinam monet, ſi regem ac regnum ſalvum cupit, edicta in Proteſtantium gratiam ſacta religioſe obſervari curet, et inoocentum poenas intermitti imperet. Secundum haec qui [g] Bloeſis captivi tenebantur, poſtquam repetitis vicibus interrogati ſunt, quidam etiam tormentis ſobjecti, funibus clam comparatis et clauſtris refractis evaſere: mox et illi, qui [h] Caeſaroduoi erant, in iiſque Robertus Stuartus et Anſelmus [i] Subſellius, qui [k] Vicennarum caſtro adducti fuerant. Praefectus [l] fani Aniani, cum inter elabendum concidiſſet, contuſis membris aufugere non potuit, rurſuſque

VAR. LECT [a] Caſtellionaeus. P. D. o.

INTERPR [a] *Bon-Normand & David.* [b] *l'Agenois.* [c] *Guienne.* [d] *Bouchetel evêque de Rennes.* [e] *Amboiſe.* [f] *Normandie.* [g] *Blois.* [h] *Tours.* [i] *Soubſelles.* [k] *Vincennes.* [l] *St. Aignan.*

que in carcerem truſus eſt. Illi vero poſt fugam literas ludibrio ſcriptas ad cardinalem Lotaringum perferendas curaverunt; ſed quae ſerio ejus animum pupugerunt: iis ſe ex [a] Bloeſianorum captivorum fuga magnum dolorem cepiſſe teſtabantur, quod rem ei moleſtam fore credant; itaque quamprimum fugam et ipſos arripuiſſe, ut fugitivos aſſequerentur; quod ſe facturos ſperent, et brevi ad ipſum majore comitatu reducturos. Ad haec homo natura timidus, qui vereretur, ne novi motus exinde orirentur, publici edicti proponendi auctor fuit; quo rex praefabatur, nolle regni ſui prima tempora ſuorum ſuppliciis ac calamitatibus publicis inſigniri; ſed coeleſtis patris exemplo potius miſerorum ſanguini parcere, eorum ſaluti conſulere, et ſi poſſet in viam reducere; pluſque in miſericordia quam in legum ſeveritate praeſidii ponere: proinde omnium criminum religionis ergo patratorum veniam indulgere iis, qui ad eccleſiae Romanae cultum reverterentur.

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

III. Dein menſe Maio [b] Romorantinum edictum, quod ita a loco vocant, factum; quo rex duo inprimis ſibi curae eſſe teſtatur, pietatem et tranquillitatem publicam: et primo capite decernit, ut cognitio de Sectariorum crimine penes epiſcopos maneat, omni ejus rei juriſdictione curiis regni adempta; pro qua adeo pertinaciter ſenatum Pariſienſem pugnaſſe ante quinquennium meminimus. Quod tamen ſumma prudentia ab [c] Hoſpitalio factum memorant illius aevi ſcriptores, qui cum violenta Guiſianorum aura abreptus in civili adminiſtratione rectum curſum tenere non poſſet, mutata velificatione id ſaltem adſecutus eſt, ne ad inquiſitionis Hiſpanicae ſcopulos, de qua jam ſaepius Henrico II rege actum fuerat, et quam tunc ardentibus ſtudiis Guiſiani urgebant, magnum in ea ad firmandas res ſuas momentum repoſitum rati, navem illideret, ſed eos ſinus ſine certo reipublicae damno praeterveheretur. Quod vero ad alteram edicti partem attinet, ne quis per conciliabula ac coitiones illicitas de religione ſeditioſe diſſereret, armatoſve cogeret; praefectis item juridicis et inferioribus judicibus, a quibus provocandi jus non eſſet, mandabatur, ut in ſonteis diligenter inquirerent, publicatis damnatorum bonis: etiam propoſita eodem edicto delatoribus praemia: ſed ne qua calumniis anſa praeberi videretur, additum fuit, ut calumniatores talione plecterentur. Inſuper jubebantur paſtores ad gregis ſibi commiſſi curam ſedulo attendere, et fluctuanteis ſuorum animos praeſentia, exemplo, moribus et verbi divini praedicatione firmare. Ab eo tempore ſeu metu ſive aſtu cardinalis ſe placatiorem erga ſuſpectos exhibuit, et ipſis adeo miniſtris faciles aditus praebuit, colloquium eorum haud quaquam aſpernatus, quos etiam de controverſis religionis capitibus differenteis ſaepius audivit; quoque majorem ſpem pacatioris in poſterum ſtatus faceret, et querelis multorum regni comitia ingerentium ſatisfaceret, auctor fuit Catharinae, ut ad [d] Bellaqueum fontem principum ac praecipuorum conſiliariorum et equitum conventum haberet, ibique quid e publica regni utilitate eſſet, in commune conſultaretur.

IV. Haud multo poſt nova ſimultatum inter Momorantium et Guiſianos ſemina jacta ſunt, honorifici adeo nuper in ſenatu a Momorantio navati officii haud perinde aequam gratiam rependentibus Guiſianis. Nam cum lis inter Philippum [e] Bullinvillerium et Odardum [f] Ramburium uterinos fratres de [*] [g] Damartino comitatu, quem uterque ſibi a communi matre donatum contendebat, orta eſſet,

et

VAR. LECT. [*] Dammartino. *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Blois.* [b] *de Romorantin.* [c] *le Chancelier de l'Hoſpital.* [d] *Fontainebleau.* [e] *de Boulainvilliers.* [f] *de Rambures.* [g] *Dammartin.*

et Bullinvillerii jus Momorantius emiſſet, Guiſius, qui quodvis potius vadimonium, quam ullam exagitandi aemuli occaſionem deſeruiſſet, Ramburii jus aliquanto tempore poſt, denunciatione prius Momorantio facta, ingenti pretio comparat, ſollicitato etiam Bullinvillerio, ut reſciſſa cum Momorantio [α] facta venditione jus ſuum in cardinalem fratrem tanquam bene meritum donationis titulo transferret. Verum aſtus non proceſſit. Impetrata ab utroque regia diplomata; quibus Momorantius quidem in Bullinvillerii, Guiſius in Ramburii jus et locum ſubrogabatur. Sed ſenatus, qui videret jam amicos undique in urbem coire, et accenſis partium ſtudiis periculum impendere, ne partes ad arma devenirent, ſumma prudentia decrevit, nulla diplomatum habita ratione, ut ſub Bullinvillerii & Ramburii nominibus lis coepta inſtrueretur, ac terminaretur. Momorantii injuria, vix dici poteſt, quantum plerique procerum irritati; non tam ejus cauſa, quam quod jacenti inſultare indignum ducerent, et exemplum ad ſe pertinere quiſque exiſtimaret. Sane [a] Carnutum vicedominus non mediocriter commotus dicitur, habitoque cum Gabriele [b] Momorantio Monbrunio Annae filio Lutetiae colloquio Guiſianorum inſolentiam non ultra ferendam pronunciaſſe: jam ſatis tentatam regum et nobilitatis patientiam ſub Franciſco abductis in [c] Alſatiam copiis a Claudio horum parente, Philippum [d] Cabotium etiam vivum ſpirantemque Burgundiae praefectura ſpoliare auſo; et a Franciſco hoc paternis veſtigiis inſiſtente, ablata [1] Laurentio Maugirono [e] Delphinatus provincia. Nuper vero, inquit, cum de Lutheranis, quos vocant, coercendis ageretur, ab Antonio [f] Aſtaco Grammontano regulo ipſius ſororio ſe initium facturum Guiſius dixit, quippe Vaſcone, et in quo periculi minus ſit, verbis ad contemptum compoſitis: atqui Grammontanum Aſtenſi perilluſtri in [g] Bigerronibus familia prognatum, et a cardinali Grammontano in familiam et inſignia, ducta fratris filia, adoptatum, inter Vaſcones, quos ille deſpectim nominat, principem locum tenere, nec ſi opus ſit, minores clientelas, quam Lotaringos ſecum trahere: [h] Ferrerios item Malinios Aloiſiae [i] Vindocinae ſororis filios ultro et calumnioſe ob eandem cauſam ab ipſis petitos: proinde decreviſſe, quando Guiſianorum potentia ad regni perniciem et nobilitatis Gallicae, in qua praecipuum locum tenet, manifeſtum exitium vergat, opes ſuas ac vim legitimam cum regii ſanguinis principibus ac nobilitate ſuperborum hominum dominationi opponere, quos in ordinem cogi nullo negotio poſſe procul dubio ſit: cum quippe, (hoc additum, ut Vaſconici nominis contemptum pari verborum contumelia revinceret) qui Lotaringos minorum gentium principes vere ac ſuo pondere et pretio aeſtimaverit, illorum utique non aliam, quam ſignorum in principatus Chriſtiani coelo rationem habiturum eſſe. Haec non ita in ſecreto dicta, quin ad Guiſianorum aureis pervenerint, Vicedomino, [β] ut pleriſque perſuaſum fuit, exitium [γ] maturaverunt.

V. INTEREA rex [k] Amboſia diſceſſurus, antequam Turonibus excederet, ex Guiſianorum conſilio [l] Caeſarodunum ſolemni pompa ingredi voluit: quod in ſpeciem urbi magnificum, non ita tamen a pleriſque acceptum eſt, aſtu factum interpretantibus, ut urbem merito ſuſpectam, et quae tumultus tempore nutare viſa eſſet, rex praeſentia ſua firmaret, et conſcios, ſi qui reperirentur, debita poena afficeret.

VAR. LECT. [α] acta. P. D. o f. [β] ut pleriſque perſuaſum fuit *deſunt*. P. [γ] maturaverunt, ut poſtea videbimus. P.

INTERPR. [a] *Chartres.* [b] *Sr de Montberon.* [c] *Alſace.* [d] *de Chabot.* [e] *Dauphiné.* [f] *d'Aſté de Grammont.* [g] *Bigorre.* [h] *de Ferrieres Maligny.* [i] *de Vendoſme.* [k] *Amboiſe.* [l] *Tours.*

NOT. [1] *Leg.* Antonio Claromontio Talario; en la place duquel fut mis le Sr de la Mothe-Gondrin. Le Sr de Maugiron eut ſeulement quelque commiſſion au Valentinois. *Put.*

afficeret. Praemiſſus [*] [a] Richelius cum ſcloppetariis equitibus plane ſui [**] ſimilibus. Is motus excitandi, ex eoque urbis diripiendae occaſionem circumſpiciens, cum nullo injuriae genere ſibi temperaſſet, praeter ſpem tamen civeis obfirmato ad patientiam contra adſectatas injurias et irritamenta animo expertus eſt; quippe qui de conſilio ejus cognoviſſent, et regis adventum ſine offenſione opperiri ſtatuiſſent. Quo vero die rex urbem ingreſſus eſt, quiddam ridiculum caſu, ut cives aiebant, ſed arte, ut credo, factum accidit, quod Guiſianorum ſuſpicaces animos valde exulceravit. Piſtor puerum filium viſendi regis cupidum ad pompam ſic inſtruit: aſinum molendinarium ſupparo uxoris inſternit, eique puerum imponit oculis faſcia obvolutis cum galea lignea, cui avicula capite rubro pſittaci inſtar inſededat, et crebris morſicationibus criſtam ejus roſtro depaſcebatur: tum duo juvenes Aethiopum cultu, facie atramento illita et peregrino habitu, aſinum prenſis hinc inde habenis deducebant. Hoc ſpectaculo regni ſtatum oculis ſubjici interpretabantur omnes, quod a puero rege aetate et miniſtrorum arte caeco teneretur, et ab hominibus externis adminiſtraretur. Id tamen excuſavere aediles, quaſi ab homine omnino ignaro factum. Eodem, quo rex acceſſit, die ad [b] Majus monaſterium trans flumen conceſſit. Richelius, qui nullo operae pretio facto inde diſcedere, unde opimae praedae ſpes affulſerat, aegre ferebat, ad finem hoc commento uſus eſt, ut oppidanos aut in fraudem traheret, aut fraudis alienae reos faceret. Pſalmis vernaculis alta voce, ut paſſim exaudiretur, decantandis intentus cum profunda jam nocte per urbem diu diſcurriſſet, nec ullus, quod ille ſperaverat, ad eum ſe aggregaret, tandem ad cantiones ludicras et injurioſos in regem, Catharinam ac Guiſianos verſus, pulſatis per laſciviam obviis, et feneſtris lapidum ictibus confractis, noctem cum ſuis exegit: quod tanquam a ſeditioſis, quos ille tumultus Amboſiani reliquias vocabat, factum, poſtridie ad regem ac Catharinam detulit; eo conſilio, ut regem ad poenas de [c] Caeſarodunenſibus jam ſibi ſuſpectis ſumendas praecipiti ira accenderet, et antequam de veritate conſtaret, urbs ſibi ac militi in praedam permitteretur. Et ſane urbs prope a periculo abfuit, exulcerato regis animo; vixque praetor et aediles apud eum precibus pervicerunt, ut inquiſitione diligenti facta rei veritas indagaretur. Tandem pudendae calumniae probrum in auctores recidit, et civium innocentia regi approbata eſt. Tantum cardinalis Lotaringus, ut oppidanos minime extra culpam eſſe oſtenderet, eis coram rege exprobravit, quod Davidem, de quo ſupra demonſtravimus, deſectorem et pravae doctrinae diſſeminatorem publice concionantem tuliſſent. Is Navarri uxori a ſacris concionibus erat, qui poſtea a Lotaringo ſpe opimioris conditionis ad ſuas parteis pertractus, ut Navarri familiae ſecreta indicaret, tandem ab eo deluſus hoc fluxae fidei praemium tulit, ut merito utriſque ſuſpectus a neutro gratiam iniverit, et poſtremo in miſera egeſtate deceſſerit. CIƆIƆLX. FRANCISCUS II.

VI. Eas Guiſianorum arteis averſata Catharina ſibi cautius in poſterum cum iis agendum exiſtimavit; et ſive violentiae illorum pertaeſa ſive ut Proteſtantium arcana rimaretur, per [d] Caſtelluſium, qui ipſi a libellis ſupplicibus erat, afflictorum hominum ſibi benevolentiam conciliat; ab iiſque obtinet, ut Antonius [a] [e] Chandeus, juvenis nobili loco natus et egregie theologicis ſtudiis inſtructus, quem illa Lutetiae docere intellexerat, ad ſe mitteretur, ejus colloquium ſummopere

P. [*] *Antonius Pleſſius Richelius homo perditae vitae,*
P. [**] *ſimilibus, ad cuſtodiam regis, ſicuti diximus, deſtinatis.*
VAR. LECT. [a] Rupichandeus. *P. D.* o. f. ubique.
INTERPR. [a] *du Pleſſis de Richelieu.* [b] *Abbaie de Marmouſtier.* [c] *ceux de Tours.* [d] *de Chaſtelut.* [e] *de Chandieu.*

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

ſummopere expetere prae ſe ferens, ac futurum ſperare propter nataleis et perſpectam ex communi fama hominis ſinceritatem ac doctrinam, ut ex eo veras motuum cauſas et eorum idonea remedia cognoſcere queat. [a] Caſtellusius re cum Hermanno [b] Tafinio ex nobilibus Catharinae domeſticis, qui non alienus erat a Proteſtantium doctrina, communicata, [c] Caeſarodunum proficiſcitur, ut ibi de [d] Chandeo, ubi locorum eſſet, cognoſceret. Verum is Lutetia atque adeo toto regno aberat: et Carolus [e] Albiacus Pleſſius in ea civitate miniſter, qui in aulam Chandei loco venire rogabatur, ſubleſtam Catharinae fidem ac periculum cauſatus, ire detrectabat. Itaque placuit, ut per ſcriptum Catharinae deſiderio ſatisfieret. Ejus ſumma haec erat. » Tumultu Amboſiano arma non contra regem aut ipſam Catharinam aut regiae ſtirpis principes, ſed adverſus eos ſumpta, qui contra regni leges publicam adminiſtrationem uſurpaſſent, . et impotenti dominatu non ſolum corpora vexare, ſed menteis ac conſcientias hominum in miſeram ſervitutem redigere conarentur. Eorum videlicet ambitione factum, ut edictorum in Proteſtantium gratiam, et eorum, qui pro patria libertate arma ſumpſiſſent, factorum beneficio uti minime licuerit: ut regni curiae multa contra regis mentem, in eorum promulgatione tacito S. C. ut fraus lateret, appoſuerint: ut Nemoroſius, qui incolumitatem foederatis nomine regis pollicitus fuerat, fide data ſe ſolutum exiſtimaverit; et in eorum cauſa Conſtantienſis conciliabuli decretum renovatum ſit, quo ſcitum eſt, Sectariis fidem minime ſervari debere: ut denique regis aures obturentur ad ſupplicum ac miſerorum preces de Guiſianorum crudelitate et avaritia quiritantium, qui ſanguine ſcilicet innocentium ante xxxv annos ruſticorum bello lactati, et ſemper ab eo tempore cruori aſſueti, nunc Gallorum ſanguinem ſitire non deſinant: eorundem aſtu factum, ut Concilii toties promiſſi ſpes interverſa ſit, ita perperam ejus celebrandi ratione inſtituta, ut penes eos, qui malo cauſam dederint, hoc eſt, praeſules ſummum arbitrium ſit; rex vero, qui praeeſſe debeat, et curare, ut ex verbo Dei controverſiae decidantur, ſecundas obtineat: his malis duo omnino remedia ſuppetere; ſi liberi ordinum conventus habeantur, et ex eorum auctoritate juxta regni leges legitima adminiſtratio conſtituatur; nam melius pace conſtituta religioni conſultum iri, quam ſi turbatis rebus negotium inchoetur: interea a poenis temperandum, et libertatem conſcientiis relinquendam, quas ad traditiones humanas et cultus ex cujuſque voluntate, non ex Dei mandato inſtitutos, neceſſario recipiendos, illaqueari quis ferre queat? publicam item religionis profeſſionem permittendam eſſe, dum ex legitimi Concilii ſententia controverſiae dirimantur, et pax eccleſiae reſtituatur; quo in Concilio quin futura ſit cauſa ipſorum ſuperior, ſi audiantur, minime dubitandum eſſe. Hoc breviculum Theophili nomine ſubſcriptum Franciſco [f] Camuſio pellionis Catharinae filio ad Caſtelluſium perferendum datur: quem cum ille in aula non reperiſſet, quippe paulo ante ad Margaritam Sabaudi uxorem profectum, ex [g] Paſſi Fuquerii et Claudiae [h] Belnenſis, quae Catharinae intima erat, conſilio, ſcriptum in Catharinae manus tradere ſtatuit, eamque [i] Lochiis in [k] Bellilocenſi coenobio, dum loco anguſto et obſcuro commearet nactus, ſcriptum et eodem faſciculo alligatam fidei confeſſionem nuper Lutetiae factam porrigit, moxque ſe ab ejus conſpectu ſubducit. Catharinam pone ſequebatur regina nurus, quae avunculorum monitu curioſe ipſam obſervabat; cui Catharina, cum res latere non poſſet, ſcriptum, ut illud cum Guiſianis communicaret, tradit: ſtatimque Camuſius evocatur, et dum interrogatur

INTERPR. [a] *de Chaſtelus.* [b] *Tafin.* [c] *Tours.* [d] *de Chandieu.* [e] *Albiac du Pleſſis.* [f] *Camus.* [g] *de Pas St de Feuquieres.* [h] *de Beaune.* [i] *Loches.* [k] *Abbaie de Beaulieu.*

interrogatur de Theophilo, cujas eſſet, ſuperveniente rege cum Guiſianis rurſus de Amboſiani tumultus duce, an non ſciret eum regiae ſtirpis principem fuiſſe, a cardinali anquiritur: cumque nihil fateretur, ad [a] Hoſpitalium remittitur, qui reum coram Carolo [b] Marillaco archiepiſcopo Vienenſi, et Joanne [c] Morvillerio Aurelianenſi epiſcopo denuo interrogat de ſcripti auctore, quem ille Theophilum [d] Bordenavam gente Vaſconem nominabat, a quo illud ad Catharinam deferendum nuper [e] Caeſaroduni accepiſſet. Ita inde gratiae ſpe, hinc ſupplicii metu, ſententia etiam ſuppoſititia, quaſi ad mortem damnatus eſſet, palam, ut fit, recitata diſtractus [f] Camuſius, cum aliud nihil fateretur, in taetrum carcerem [g] Lochiis conjicitur; unde mox [h] Romorantinum, poſtquam rex eo venit, translatus eſt: ibique qua oris figura, ſtatura ac ſpecie, tum ubi locorum eſſet is, quem Theophilum nominabat, indicare coactus, ad ſingula non incommode reſpondet: ceterum cum Genevam medio tempore migraſſe non veriſimiliter dixit, ea ſpe, ut ſi illo ad hominem indicandum duceretur, elaberetur. Sed ſororum Camuſii, quae Caeſaroduni erant, garrulitate re detecta, cum Theophili nomen ſuppoſitum eſſe conſtaret, ille ſociorum periculum veritus, ne dum auctor in incerto eſſet, omnes in diſcrimen vocarentur, ſcriptum ſibi a Claudio [i] Servino, quem a periculo longe abeſſe cognoverat, datum fatetur: rurſuſque de [k] Garaenio tumultus Amboſiani conſcio ac complice, cum quo aliquanto tempore commune hoſpitium habuerat, ac foederatis interrogatus, rara Dei benignitate juvenis innocens, quem poſtea variis peregrinationibus exercitatum familiariter novimus, eo uſque ſub cuſtodia habitus eſt, donec mortuo [l] Aureliani Franciſco, edicti quo Carolus novi regni auſpiciis gratiam praeteritorum cunctis faciebat, et ob religionem vinctos dimitti imperabat, beneficio liberatus eſt carcere.

VII. Evulgatus et iiſdem diebus libellus, ſed incerto nomine in Guiſianos ſcriptus, cui ob id [m] Tigridi titulus praefixus erat, quo eorum crudelitates ſumma acerbitate exagitabantur. Ne id impune eſſet, captus pauperculus librarius, nomine Martinus [n] Lometius, qui tormentis ſubjectus, ut quis libri, cum quo deprehenſus fuerat, auctor, et a quo illum accepiſſet, indicaret, cum nihil fateretur, ad furcam damnatus eſt. Cum ad ſupplicium duceretur, [o] Rotomagenſis quidam inſtitor, qui adhuc ocreatus ex via erat, populum concitatum cernens et vix furcae deſtinato homine manus abſtinentem, circumſtanteis admonet, ut irae moderarentur; brevi eorum deſiderio ſatisfactum iri carnificis manibus; ſuas ne miſeri hominis ſanguine commacularent. Quibus verbis, plebis iram a cruciario in ſe convertit, vixque furorem ruentium evaſit, a lictoribus, qui aderant, comprehenſus, et in carcerem truſus; ac mox in eadem [p] Mauberti platea, in qua Lometius ſuſpenſus fuerat, ſupplicio affectus, quaſi facti conſcius et criminis ſocius; non ſine [q] Leontii ſenatoris invidia, qui in Guiſianorum gratiam, hominem inſontem, cui populi furor pepercerat, ad mortem praepoſtera ſeveritate damnaſſet.

VIII. Eodem tempore Condaeus aula, ut periculo praeverteret, ex occaſione diſceſſerat, et cum in via eſſet, ad Navarrum fratrem literas dederat, quibus eum de Guiſianorum male erga ſe animatorum conſiliis certiorem faciebat: nam in ſecretiore regis conſeſſu de ſe capiendo conſultatum eſſe, auctore cardinali Lotaringo, et repugnaſſe quidem Guiſium fratrem; ſed id aſtu factum, ut conſultantium menteis ac voluntates periclitaretur: proinde decreviſſe, ut ſuae ſaluti conſulat,

INTERPR. [a] *le Chancelier de l'Hoſpital.* [b] *de Marillac Archev. de Vienne.* [c] *de Morvilliers Eveque d'Orleans.* [d] *Bordenave.* [e] *Tours.* [f] *Camus.* [g] *Loches.* [h] *Romorantin.* [i] *Servin.* [k] *Garaye.* [l] *Orleans.* [m] *le Tygre.* [n] *l'Hommet.* [o] *de Rouen.* [p] *Place Maubert.* [q] *du Lion.*

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II. conſulat, [a] Benearnum ad ipſum ſe recipere. Quod ubi per emiſſarios, quos etiam intra penitiſſimos Condaei penateis habebant, illi reſcivere, continuo ad Condaeum literas ſcribunt amoris ac benevolentiae plenas, ſed ambiguas, quibus amicitiam ſuam ſalva regis ac reipublicae incolumitate ultro deferebant, ut eum ab inſtituto itinere remorarentur; quarum literarum exemplum Condaeus ſtatim ad fratrem miſit. Et Navarrus quidem Condaei conſilia probabat: et ipſum videndi deſiderio ardere ſe dicebat, ſed exiſtimationis ipſius intereſſe addebat, ut antequam profectionem adornaret, in aulam rediret, ac praeſentia ſua jam certam de ejus innocentia opinionem magis ac magis confirmaret. Verum nec Guiſianorum aſtus proceſſit, nec fratris monitis acquieſcendum exiſtimavit Condaeus: ſed cum in mora periculum ſubeſſe provideret, quamprimum in [b] Aquitaniam proficiſci ſtatuit. Cumque per diſpoſitos equos in viam ſe dediſſet, Henricum [c] Danvillam Momorantii filium ad [α] [d] Lerici-montem obvium habuit, cum eoque horae quadrantem collocutus inſtitutum iter perſequitur. Danvilla inde [e] Caſtellodunum venit, quo jam rex [f] Amboſia Lutetiam petens venerat. Cauſa Danvillae adventus in aulam erat, ut regem rogaret, ne Guiſiani, qui inimicum erga parentem et omnem ejus familiam animum declaraſſent, in poſterum [β] ſuis ſuorumve rebus ſe immiſcerent. Verum inopinata Condaei in Aquitaniam profectio, ſecretum cum Danvilla colloquium, et inſolita ipſius Danvillae poſtulata Catharinae ac Guiſianis metum injecerunt, ne Condaeus novam motibus materiam quaereret. Auxit ſuſpicionem, quod dum Catharina cum Thoma Perrenoto [g] Cantoneto [h] Granvellani cardinalis fratre, tunc Philippi apud regem oratore, ſermones ſereret, et tumultus Amboſiani mentio incidiſſet, Cantonetus non aliam pacandae Galliae rationem videre ſe dixit, quam ſi Guiſiani ad tempus aula ſecederent, et regiae ſtirpis principibus ac Momorantio equitum magiſtro priſtina auctoritas reſtitueretur. Quod eo conſilio faciebat homo turbarum cupidus, ut levem juxta et ambitioſam foeminam cum Guiſianis committeret, et jam turbatas res eo magis miſceret. Guiſiani tamen ſecus interpretabantur; quaſi a Cantoneto in Momorantii gratiam ea dicerentur Philippi mandatu, qui et Momorantio faveret, et pleroſque ex illius gentilibus circa ſe haberet.

IX. AT Catharina, quae ne novi motus renaſcerentur, metuebat, quanquam eorum cauſam minime ignoraret, Ludovicum [i] Renerium Plancium Joannis [k] Tilii ſororis filium Momorantii filii familiarem accerſendum curat, cum rex jam ad [l] Leodegarii fanum in Monfortiana ſilva veniſſet, cumque ut rerum peritum et variis negotiis exercitatum rogat, quam motibus Gallicis veram cauſam ſubeſſe credat, et qua ratione iis obviam iri poſſit libere ediſſerat. Ille, qui Guiſianorum aſtu id agi ſuſpicaretur, ut ſpecie petendi conſilii arcana ipſius rimarentur, initio ſe excuſare, et tantae molis negotii, quod cum potentiorum offenſione conjunctum ſit, invidiam deprecari. Contra inſtare Catharina; boni quippe viri officium eſſe, et regis ac reipublicae amantis, ut quae in publicum conducere exiſtimet, libere eloquatur; praeſertim cum in diſſimulatione ac ſilentio non mediocre ſit periculum. His rationibus expugnata Plancii pertinacia, ſtatim ſcena inſtruitur; in qua dum cardinalis Lotaringus poſt aulaea lateret, ille coram Catharina tanquam ſola, prius petita venia, orditur, ac duo genera eorum eſſe dicit, qui novis in Gallia motibus cauſam praebere arguantur, et Hugonoti vulgo appellentur: nam alios ad religionem tantum reſpicere, alios religionis quidem cauſam

VAR. LECT. [α] Lerium montem. P. [β] ſui. P.

INTERPR. [a] *Bearn.* [b] *Guienne.* [c] *de Montmorency Sr de Damville.* [d] *Montlebery.* [e] *Chaſteaudun.* [f] *Amboiſe.* [g] *Sr de Chantonet.* [h] *de Granvelle.* [i] *Renier de la Planche.* [k] *Du Tillet* [l] *St. Leger en la foreſt de Montfort.*

cauſam obtendere, ſed reipublicae ſtatum praecipue ſpectare; [a] Renaudium hominem magni animi hos et illos ſibi conciliaſſe, et ut libelli regi offerendi praetextu arma ſumerent utriſque auctorem fuiſſe: ceterum id privata injuria irritatum feciſſe, nempe ut mortem [α] [1] Roberti [b] Heuii Buhii patritii [c] Metenſis arctiſſima ſibi adfinitate conjuncti ulciſceretur: ſiquidem ille unam ex [d] Rognaci filiabus uxorem duxerat: Renaudius autem eum propter religionem aut potius famoſum judicium exſul ſolum vertiſſet, ac Lauſannae eſſet, alteram ſibi matrimonio junxerant. Heuius vero, eum Germania rediens Proteſtantium principum literas ad Navarrum afferret, captus et in Navarri caput a Michaele [e] Vialario praetore Pariſienſi interrogatus, cum nihil fateretur, poſtremo cruciatibus excarnificatus inter tormenta in [f] Vicennarum caſtro exſpiraverat. Igitur Renaudium utriuſque generis Hugonotos facile ſibi conciliaſſe; et illos quidem, quod vexationes ac ſupplicia, quibus ubique per Galliam exagitabantur, amplius pati non poſſent; hos vero, quod publicam regni adminiſtrationem ad externos, ſpretis regiae ſtirpis principibus, tranſlatum impatienter ferrent: verum illis ſatisfieri poſſe, ſi theologorum conventus habeatur, in quo religionis controverſiae proponantur, et remota omni altercandi libidine ex Dei verbo decidantur; interea mitigata judiciorum ſeveritate vexationibus ac ſuppliciis miſerorum hominum deinceps temperetur, et edicta regia ſerventur: in his plus negotii fore; quos nunquam quieturos ſpes ſit, niſi ex ordinum decreto aut alia occaſione Guiſiani publica adminiſtratione ſummoveantur, et ea principibus regis agnatis reſtituatur; qui licet, ut vere ſunt miti ac generoſo ingenio, facile flecti et ad regum nutus voluntates ſuas accommodare videantur, dignitatis tamen ſuae praerogativam aliis communicari non mediocriter dolerent: et ante omnia quidem conſtare, principis nomen nuſquam in Gallia tributum, niſi iis, qui per mares a regibus noſtris originem repetunt, qui nunc tantum a beatae memoriae Ludovico IX numerantur: nam [g] Curtinaeos et Droecenſeis, quamvis a Ludovico Craſſo genus ducenteis hodie inter eos minime recenſeri. Itaque Petrum [h] Lizetum curiae principem, dum publice jus diceret, patrono Guiſianorum, qui principes eos nominabat, palam alta voce dixiſſe, actis publicis principis nomen non niſi regiae proſapiae principibus tribui moris eſſe. Famam inſuper conſtantem eſſe, Franciſcum Borbonium [i] Fani Pauli comitem, cum Guiſium ſe ipſum principem appellantem indignabundus cerneret, ad aſtanteis jocoſe reſpondiſſe, Guiſium Germanice lingua Gallica loqui. Gallos vero nunquam externorum dominationem pati potuiſſe, et eos qui contra regni leges eam uſurparent male multatos ac temeritatis ſuae plerunque poenas luiſſe, exemplis domeſticis liquere. Nam [2] Carolum [k] Cerdam Alfonſi X regis Caſtellae pronepotem, qui Caroli [l] Bloeſenſis, cui ſenatus principatum Armoricanum adjudicavit, filiam uxorem duxerat, et a [3] Philippo Valeſio magiſter equitum creatus fuerat, nobilitatis Gallicae conſpiratione, quod regni adminiſtrationem ſibi vindicaret, [m] Aquilae in Aulercis occiſum eſſe: Stephanum item Bajoarum Iſabellae Caroli VI conjugis fratrem, eandem ob cauſam [n] Villanovae ad Sequanam in arce ſua captum, eaque direpta regno

VAR. LECT. [α] Roberti *deeſt.* *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *la Renaudie.* [b] *de Heu Sr de Buy.* [c] *de Mets.* [d] *de Rognac.* [e] *Vialar.* [f] *Vincennes.* [g] *ceux de Courtenay & de Dreux.* [h] *Lizet.* [i] *St. Paul.* [k] *la Cerda.* [l] *de Blois.* [m] *l'Aigle vers Alençon.* [n] *Villeneuve S. Georges.*

NOT. [1] Forte loco *Roberti* legendum *Gaſparis* ſelon l'Hiſtoire de François II, p. 398. *Put.*

[2] *Carolum Cerdam*] Charles d'Eſpagne ne fut point fait Conneſtable par Philippe de Valois, mais par Jean II ſon fils, & ce par la mort de Raoul II Comte d'Eu & de Guines Conneſtable de France. Charles Roi de Navarre fit aſſaſſiner ce Charles d'Eſpagne Conneſtable à l'Aigle en Normandie au mois de Janvier 1353, regnant le Roy Jean. *Put.*

[3] Leg. *Joanne rege Philippi Valeſii filio.* *Put. L.*

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

regno ejectum: denique Renatum, ut propria magis attingantur, ipſorum Guiſianorum avum, et qui ſe Siciliae regem ambitioſe appellabat, Carolo VIII rege, a Ludovico [a] Maleto Gravilla maris praefecto aula pulſum. Itaque ipſius eſſe diligenter videre, ne honores ac tituli, qui ſoli regiae familiae debeantur, aliis temere ac promiſcue communicati vileſcant, et ita regiorum liberorum, quos plureis habeat, dignitati tractu temporis praejudicetur. Mature ambitioſorum hominum audaciae obviam eundum, eoſque intra modeſtiae ſepta coercendos, qui per haec praeludia nobilitatis atque adeo vere principum patientiam periclitentur. Ad haec de ipſorum majoribus addita quaedam, de Godofredo [b] Bononiae comite, qui Hieroſolymorum rex fuerit, et poſt eum Balduinus frater, praeterea duos fratres reliquerit, quorum majoris Catharina heres, a minore Lotaringi, qui hodie ſint, deſcendant. Heic interſata regina minime invidendum eſſe dixit, ſi Guiſiani optime de regno meriti publicae adminiſtrationi admoverentur; neque mirandum, ſi quos vir ſuus ac dominus unice dilexerit, et ipſa amice complectatur. Regium nomen obtendi a ſeditioſis, qui regem nuper ac ſeipſam, non tantum Guiſianos nefario auſu [c] Amboſiae aggreſſi ſint. Contra [d] Plancio replicante, Guiſianos ipſos regium nomen obtendere, qui ſciant, regiae ſtirpis principes, quippe legibus ſolutos, niſi in caput regis conjuraſſe convincantur, in crimen trahi non poſſe, ſolvitur colloquium et poſt prandium rejicitur. Servatus interea Plancius, qui redeunte ad idem ſecretum Catharina cum Monpenſerii uxore ſibi perſamiliari, latente ut prius poſt aulaea cardinali, rurſus acceſſitur. Tum regina ſermone rurſus de Lotaringis, ut optime de regno meritis, injecto, non abſurdum fore dixit, ſi poſt primarium regiae ſtirpis principem, primarius illius familiae incederet, et ſecundus ordine ſecundum ſequeretur, atque ita deinceps; neque eſſe, cur propterea tanta mole in eos inſurgatur: aliam nimirum ſubeſſe cauſam, quam Plancius, ſi velit, edere queat, quippe harum rerum gnarus et Renaudii conſiliorum particeps, qui ob eam cauſam nuper Michaeli [e] Scurco in Angliam proficiſcenti comitem ſe adjungere voluerit; proinde quidquid id eſſet, ne ſe celaret, et in [f] Malinio fuga, ac [g] Subſellio carcere elapſis comprehendendis operam commodaret; grande pretium, ſi pareret, ſin recuſaret, dignas pertinacia poenas laturus. Ad quae Plancius, gratias ſe Deo immortaleis habere reſpondit, quod nemini praeterquam ipſi Catharinae obnoxius eſſet: itaque neque ſpe neque metu prohiberi potuiſſe, quominus in reipublicae cauſa verum eloqueretur, et conſilium, quod expedire exiſtimet, rogatus expromſerit. Nam ſi motus religionis cauſa excitati formidabiles ſint, non minus eos, qui ob rempublicam exorientur, prudentiſſimum quemque extimeſcere debere; quibus non aliud remedium in praeſentiarum videat, quam ſi Guiſiani in ordinem cogantur, et ſua vere principibus dignitas et auctoritas ſervetur. Se vero harum rerum, quae ipſa ſcite deſideret, omnino ignarum, et abunde purgatum apud ipſam conſiliorum cum [h] Renaudio habitorum ſuſpicione exiſtimare, ſi in memoriam revocet moleſtam litem, quae Renaudio cum Joanne [i] Tilio avunculo ſuo interceſſerit, ac judicium inde ſecutum; cujus ratione turbidus juvenis patriam relinquere coactus ſit. Proinde rogare, ut de cetero ſe excuſatum habeat, quippe non in ea vitae conditione natum, ut judicis et exploratoris aut denique ſuccincti quaeſitoris vicem fungi poſſit. Nihilominus additae a Catharina minae; quibus cum nihil terreretur, rurſus carceri mancipatur, unde poſt quatriduum Catharinae juſſu emiſſus eſt. Interea cum rex in [k] Rambulieta arce eſſet,

INTERPR. [a] *Malet Sr de Graville.* [b] *Bouillon.* [c] *Amboiſe.* [d] *la Plancke.* [e] *de Seure.* [f] *de Ferrieres Maligny.* [g] *Soubſelles.* [h] *la Renaudie.* [i] *du Tillet.* [k] *Rambouillet.*

eſſet, Carolus [a] Coſſaeus Briſſacus e [b] Subalpina provincia, cui diu ſumma cum CIↃIↃLX.
laude praefuerat, ad eum venit, Imberto [c] Plateria Bordillonio in ejus locum poſt FRANCISCUS II.
reſtitutam fere univerſam Sabaudo regionem miſſo; et praefectura Picardiae, cujus repulſam Condaeus injurioſe paſſus fuerat, Guiſianorum commendatione cohoneſtatur; quo virum alioqui de nomine Gallico optime meritum tanto beneficio, quod Condaeo denegatum eſſet, ſibi devincirent et, ſciſſo factionibus regno, ad parteis ſuas pertraherent. Inde [d] Hoſpitalius III Non. Quintil. ſtipatus Carolo [e] Marillaco Viennenſi archiepiſcopo, Joanne [f] Avanſonio et pleriſque libellorum ſupplicum magiſtris Lutetiam venit, ut ſenatum, in quo permultos annos conſenuerat, magiſtratus ſui auſpiciis ſalutaret. Ibi magna ſenatorum frequentia orditur, ſe conſpectu ac praeſentia eorum, quos tamdiu collegas habuiſſet, recreari; quippe animum ſubire anteactae in eo ordine vitae recordationem: cujus ad auctoritatem et amplitudinem augendam, quidquid opis et induſtriae in ſe fuerit, libenter ſit collaturus. Haec grata univerſis oratione praefatus, cum multa adprobatio ſecuta eſſet, capto rurſus initio tria ſe a rege habere dixit, de quibus cum ipſis ageret; de regis rebus et ad omnium ſalutem in genere pertinentibus; de Lutetiae, quae ſit regni metropolis, ſtatu; et de curiae ipſius dignitate. Quod ad primum, graviſſimas regis curas pluribus egere adminiculis, ac debere hoc praeſertim tempore a ſenatu in partem ſublevari: ſcire omneis, ita aes grande alienum a Franciſco et Henrico contractum, ut illud vix per decennium regiae pecuniae, ſi eo cunctae conferantur, exſolvere queant: ſpecioſam quidem et opulentam a patre et avo hereditatem accepiſſe; ſed ita damnoſam, ita domeſticis diſcordiis perturbatam, ut cuncta reputantibus plus inde incommodi quam emolumenti ad ipſum redeat. Nam profuſis belli ſumptibus ac regni neceſſitatibus largitionibuſque tantum effuſum eſſe, ut, quod ad externos emanare nolit, quadragies decies centena millia librarum et amplius in credito ſint. His addi debere annuas nobilium penſiones, magiſtratuum militumque ſtipendia multis abhinc annis non perſoluta: quo fiat, ut plerique aut rerum ignari aut iniqui, dum privatas ſpes publicis neceſſitatibus anteponunt, potentiorum fraude interverſas regis pecunias clamitent, modumque impenſis ab his exigant; ſed tantum abeſſe, ut eorum aut votis aut querelis ſatisfieri poſſit, ut contra quo egeſtati plebis ſubveniretur, e re viſum fuerit, pleraque vectigalia omnino abolere, reliqua magnam partem imminuere; quin et exſtinctum LCIↃ peditum tributum, quod urbes pendebant. Verum non tam de aere alieno exſolvendo regem, quam de componendis ſuorum animis et ad officium reducendis, laborare; quippe qui corruptos omnium ordinum mores ac diſciplinam videat. Nam primum omnium conſtare, praevalida eccleſiaſticorum vitia gravibus offenſionibus cauſam praebere; et inde fieri, ut plerique novas ſibi religiones licentioſe finxerint, pars judicio, nonnulli ex libidine: nobilitatem ex ſtipendiorum defectu impune in miſeram plebem graſſandi occaſionem ſumere: ſupremum tribunal inferiorum judicum errata diſſimulare, nec ipſum ſine culpa eſſe: compluteis denique ex judicibus cuivis potius quam regi, ſpe honorum adipiſcendorum, ſervire; ambitioni quoque avaritiam ac ſordeis admiſtas: plebem denique corruptis moribus per urbeis, in agris malis documentis inſtructam degere; quippe quum plebani ac decuriones potius de exſolvendis decimis et oblationibus, quam de animarum ſalute commonefaciant. Itaque nemini mirum videri debere, ſi

INTERPR. [a] *de Coſſé Mareſchal de Briſſac.* [b] *Piedmont.* [c] *de la Platiere Sr de Bourdillon.* [d] *le Chancelier de l'Hoſpital.* [e] *de Marillac.* [f] *d'Avanſon.*

CIƆIƆLX. ſi exhauſto aerario labefactatis regni viribus, pleriſque malo ſacerdotum exemplo
FRANCISCUS II. offenſis, aliis egeſtate ac conſcientia exſtimulatis, judiciorum integritate ſuſpecta, corruptis plebis moribus, accedente ad haec militari licentia, exitioſi motus in Gallia exorti ſint: et incommoda quidem propalam, remedia in obſcuro eſſe. Sperandum tamen, ſuppleto parſimonia et diuturna pace aerario aes illud grande aliquando diſſolutum iri. In religionis cauſa plus fore negotii: neque enim aliunde remedium quaeri poſſe, quam a Dei ope et concilii celebratione. Armis et vi rem hactenus ſed infeliciter tentatam, et ſuperiores reges feciſſe, quod non imperiti medici vulgo faciunt, qui cognitum morbum habent, cauſam ejus plerumque ignorant. Nunc exemplo et experientia omneis edoctos, vim remedium intempeſtivum eſſe: nam quas non leges ſancitas? quas non poenas indictas, ſenatoribus ipſis exitioſas? in Germania vero, Anglia, et Scotia quid armis profectum, niſi ut antiqua religio in periculum vocaretur, nova ſtabiliretur? non ut corporis, ſic animi morbos curari debere; quos ratione et verborum lenitate potius, quam aſperitate, ad ſanitatem reduci uſu compertum ſit. Proinde dum concilium celebrari poſſit, edicto regem juſſiſſe, ut praeſules exemplo ac praeſentia gregibus ſuis praelucerent, eoſque purioris doctrinae pabulo inſtruerent. Qua in re ſi quid addi, explanari, aut denique detrahi placeat, conſulto facturos, ſi coeptam deliberationem quam primum abſolvant: nam regem benigne auditurum eorum rationes, et ſi quid mutari debeat, libenter facturum. Interea ſeditionibus, quae publicam quietem et ipſius auctoritatem non mediocriter labefactent, obviam iri debuiſſe. Itaque praeſidibus provinciarum ac eorum vicariis mandatum fuiſſe, ut diligenter in ſonteis animadverterent, et per tribunorum equitum praefectos coitiones illicitas coerceri curarent. Nec vero cuiquam novum videri debere, quod ademptum ſit provocationis beneficium: nam in ſeditionibus opus eſſe celeritate et exemplo; crimina vero hujuſmodi plerunque appellationum protelationibus evaneſcere, de judicum amputato per mortem numero; non eſſe cur apud eos multa verba faciat, nam edicti hujus aequitatem et utilitatem ſatis per ſe manifeſtam eſſe; viluiſſe hactenus numero ampliſſimum ordinem, qui quanto contractior, tanto honoratior ſit futurus: ſiquidem inde dignitatem augeri, et aerarium ſimul levari, quod cum exiguis ſtipendiis exſolvendis vix par ſit, contracto numero vel duplicatis abunde ſufficiet. De Pariſienſi civitate jubere regem, ut ſoliciti ſint; quippe cujus exemplum ad univerſi regni, cujus illa caput eſt, tranquillitatem pertineat, ſcire regem: jam multa in eam rem a curia prudenter decreta eſſe; ſed multa in Gallia inchoari, quae minime perficiantur. Proinde videndum, qui homines in populoſam urbem ingrediantur, et cujus rei cauſa veniant, et ubi divertant, ut conventicula impediri poſſint. De regni curiis crebras ad regem querelas delatas, quod in parteis ſciſſae ſint, ac praecipue de Toloſana et Burdigalenſi; quas tamen querelas rex falſas ac vanas malit: gaudere, quod puritas huic ſua et dignitas conſtet, quippe quae in aperto ſit, et vicinioribus majeſtatis regiae radiis illuſtretur. Regem tamen haud aequis auribus accepiſſe, principum ac procerum factionibus diviſum ſenatum, et quoſdam his, quoſdam illis favere: quorum opera illi (ſit venia, inquit, minus honeſtae comparationi) perinde ac publicis ſcortis, quae pretio accepto copiam ſui faciunt, uti ſe probroſe jactitent: plureis alienorum negotiorum geſtores, quam judices eſſe; turpiſſimum judicibus eſſe, eorum libidini, quorum vitam ac fortunas in poteſtate habeant, proſtituto pudore ſerviliter ancillari: ad haec diſcordias in ea frequenteis: atqui concordiam Chriſtianos maxime decere; inter quos ſenatum, ad hoc ordinatum, ut privatorum diſſidia

componat

componat aut dirimat, in concordia alenda ceteris exemplo ſuo praeire debere; eum tanquam in theatro expoſitum, et ejus mala ac bona exemplo ad omneis pertinere. Perlatum et ad regem ſenſim ſordeis gliſcere, et augeri in dies honoraria, judicia paribus judicum ſententiis diffindi: quod non eo dicat, ut ſenatum inſimulet, aut ſibi quidquam ipſis praeſcribendi auctoritatem arroget, quorum cenſurae ipſum ſe ſummittere libenter ſit paratus; verum quod ipſorum intereſſe exiſtimet ſcire, quid de ampliſſimo ordine homines ſentiant, et cujus rei invidia apud regem onerentur. His ſubdidit, quamvis minime exemplis judicandum cenſeret, non poſſe probare eorum ſententiam, qui veterum S. C. auctoritati minus aequo tribuant, plus juſto fiduciae in ſuis ingeniis reponentes. Tum omneis admonet, ut litium ambages reſecarent, et modum protelationibus et impenſis facerent, levia et quae minore cognitione indigerent negotia de plano auditis cognitoribus interdum ſine decreto explicantes, laudato Chriſtophoro [a] Harlaeo praeſide, quem cum adhuc ſenator eſſet, ea ratione minoris momenti liteis amputare ſolitum meminiſſet. Ad extremum operam ſuam ac ſtudium univerſae curiae ac ſingulis ultro pollicetur. Heic a ſenatu mentio injecta de controverſia inter [b] Santandreanum et Thuanum praeſides ſummis ſtudiis utrinque agitata in Ludovici [c] Fabri cauſa, de qua ſupra diximus, cujus cognitionem rex curiae ademptam poſtremo eidem curiae dijudicandam reliquerat: ex cujus occaſione [d] Hoſpitalius rurſus ſenatores, ut concordiam inter ſe tuerentur, admonuit, nec conſenſu mutuo florentis olim ordinis dignationem exortis partibus conſeneſcere, et diſſenſionibus paulatim dilabi paterentur. Secundum haec promulgantur edicta, et ſenatus antiqua ſeveritate cenſuit, ut epiſcopi ac curiones officio ſuo fungerentur, et in ſua quiſque ſtatione vigiles excubarent; addita poena contra abnuenteis, qui pigneratis rebus praediariis ac univerſa ſupellectile urbe et aula excedere atque ad ſua ſe recipere jubentur. Jam Condaeus [e] Burdigalam pervenerat, et [f] Neracum in Labretanis ad Navarrum profectus, quid Guiſiani contra ſe ac totam familiam machinarentur, edocuerat, ne ſibi ac ſuis tam neceſſario tempore deeſſet, hortatus. Venerant eodem ex primaria nobilitate permulti, quibus Guiſianorum potentia inviſa erat: et ex Borboniorum concordia ſpes recuperandae libertatis, quam ſub externis dominis oppreſſam moerebant, affulgebat. Sed Navarrus ad omnia ſecurus fatali cunctatione conſilia generoſa corrumpebat. Inde Condaeus ad Helionoram [g] Rojam uxorem et A. Momorantium avunculum ejus mittit Jacobum [h] Sagam nobilem Vaſconem, qui eos de adventu in [i] Aquitaniam ſuo certiores faceret, deque illorum rebus viciſſim cognoſceret, et pecuniam in ſumptus quotidianos neceſſariam ab uxore acciperet. Nam ſub id tempus Roia [k] Germinium nobile in Roienſi agro praedium x CIƆ aureorum pretio Momorantio oppigneraverat.

X. ANTEQUAM rediret Saga, literas a rege Navarrus ac Condaeus accepere, quibus conventui ad [l] Bellaqueum-fontem indicto intereſſe jubebantur: quod Guiſianorum conſilio factum, qui quid in Aquitania strueretur, per Franciſcum [m] Scarſium Navarri familiarem ab ipſis, ut rumor erat, corruptum reſciverant. Verum illi, cum conventus eventum e longinquo ſpeculari tutius ducerent, brevitatem temporis et alia incommoda cauſati, per literas ſe excuſant; remiſſo in aulam Saga, qui quid in eo conventu ageretur, per literas eos certiores redderet. Navarro jam ab initio conſilium dederat Momorantius, ut in aulam veniret, et praeſentia ſua confirmatis nobilitatis animis conſilia Guiſianorum impediret.

Verum

INTERPR. [a] *de Harlay.* [b] *les preſidents de St. André & de Thou.* [c] *du Faur.* [d] *le Chancelier de l'Hoſpital.* [e] *Bourdeaux.* [f] *Nerac au pays d'Albret.* [g] *de Roye.* [h] *la Sague.* [i] *Guienne.* [k] *Germigny.* [l] *Fontainebleau.* [m] *d'Eſcars.*

CIƆIƆLX. FRANCISCUS II.

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

Verum ille averſo a negotiis animo ſeceſſum malebat, et innata lentitudine amicorum preces ac vota fruſtrabatur. Momorantius vero et ipſe evocatus in aulam venit, et cum eo [a] Villarius comes ſororius, tres Collnii fratres cum amicis, magno et inſolito comitatu; plures enim IↃCCC equites in eo numerati ſunt, ut potentiam ſuam quamvis favore dejectus Guiſianis aemulis oſtentaret. Rari obviam profecti, nec pro dignitate; veteres amici, Claudius [b] Guſerius Boſius, [c] Ringravius, [d] Sanſacus, et aliquot torquati equites. Interim praefectis provinciarum mandatum, ut regni delectus cogerent, qui tempore ac loco, quo juberentur, praeſto eſſent. Conſtituto conventus die, qui fuit XII Kal. Sept. hora pomeridiana; in Catharinae cubiculum venit rex, Catharina ipſa, regina regis uxor, fratreſque: ſecundum hos ſedebant ordine Borbonius, Lotaringus, et Guiſianus cardinales, Guiſius et Aumalius duces, Momorantius magiſter equitum, [e] Hoſpitalius, [f] Colinius; [g] Santandreanus, Briſſacus equitum tribuni; Andreas [h] Guillarius Mortarius, Joannes [i] Morvillerius epiſcopus Aurelianenſis, C. [k] Marillacus Viennenſis archiepiſcopus, et Joannes [l] Monlucius Valentiae epiſcopus: poſt hos extra ordinem in imis ſubſelliis ſedebant torquati equites. Heic rex, qua de cauſa eos advocaverit, brevi oratione aperit, hortaturque ut quod e re publica eſſe videatur, libere citra odium et affectum ullum edifſerant, cetera de Hoſpitalio, de Guiſio ac cardinali Lotaringo avunculis audituri. In eandem fere ſententiam Catharina verba fecit, aſtanteis rogans, ut prudentiſſimis conſiliis ſuis regi filio ſceptrum ſervarent, ſimulque populi levamento, ſi fieri poſſet, et nobilitati ab officio alienatae proſpicerent. Tum Hoſpitalius longa medici et aegroti morbo laborantis, cujus cauſa ignoratur, comparatione et exemplo uſus, multa de afflictis regni opibus, de nobilitate, magiſtratibus corruptiſque omnium ordinum moribus praefatur: ad haec infenſos erga regem ac praecipuos regis miniſtros ſubditorum animos eſſe ait, ſed cauſam latere, ideoque difficiliorem eſſe remedii adhibendi rationem: nam pleroſque taedio praeſentium et imminentium metu, quoſdam religionis cauſa, plureis ambitione et cuncta miſcendi libidine rempublicam turbaſſe: in eo cunctis elaborandum eſſe, ut cognita morbi origine aptis remediis male ſano reipublicae corpori ſubveniatur: cupere ac velle regem, ut ſanis eorum conſiliis levato populo, priſtina regno quies, cunctis ordinibus ſecuritas, ſalva ſibi ſuiſque auctoritas remaneat. Poſt cancellarium Guiſius rei militaris, cardinalis Lotaringus frater aerarii ſibi commiſſi publicaeque adminiſtrationis, cui ambo praepoſiti erant, ſtudioſe rationem reddunt. Additum a cardinali, onera regni vicies [a] quinque centenis millibus librarum regia vectigalia excedere. Nihil ultra eo die actum. In perendinum dilato concilio, rurſus eodem ordine convenitur: cumque rex juſſiſſet, ut ſacri conſiſtorii ſenatores, qui aderant, ordine ſententiam dicerent, et Valentinus epiſcopus tanquam poſtremus ad dicendum ſe compararet, ſurrexit Colinius, genuque bis humiliter flexo ad regem accedens duos libellos porrigit, quos dum nuper in [m] Neuſtria eſſet rebus ad bellum Scoticum parandis intentus, ſibi a magna cujuſque conditionis hominum multitudine datos affirmavit: quibus operam ſuam enixe petentibus, ſui in regem animi fiducia et anteactae vitae innocentia fretus denegare non potuerit. Ii palam ab [n] Albaſpinaeo perlecti: quorum ſumma erat, ſe conventus occaſione uſos, ut preces has nomine eorum, qui

VAR. LECT. [a] quinquies. P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *de Villars.* [b] *de Gouffier Sr de Boiſy.* [c] *le Reingrave.* [d] *de Sanſac* [e] *le Chancelier de l'Hoſpital.* [f] *l'Amiral de Coligny.* [g] *les Mareſchaux de St André, & de Briſſac.* [h] *de Guillart Sr de Mortier.* [i] *de Morvilliers Evêque d'Orleans.* [k] *de Marillac.* [l] *de Monluc Evêque de Valence.* [m] *Normandie.* [n] *de l'Aubeſpine.*

qui ſe Chriſtianos fideleis vocant per univerſum regnum diſperſi, regi offerrent, CIƆIƆLX.
rogantes atque obteſtantes, ut ſe tandem benigne reſpiciat, qui in hunc uſque diem ea tantum de cauſa male mulctati ſint, quod ex purioris doctrinae ac germanae veritatis praeſcripto vivere cupiant: nihil prius in votis habere, quam ut ipſorum doctrina ad verbi divini normam examinetur; et ita cunctis manifeſtum fiat, quantum ipſi a peſtiferis ac ſeditioſis Sectariorum opinionibus abhorreant, qui vitia impunita et cuncta licere volunt: tantum poenarum crudelitatem deprecari, dum legitime de tota cauſa cognoſcatur; ac petere, ut ſibi religionis publice ac libere profitendae facultas detur, templis in hunc uſum conceſſis, ne ipſorum coetus, ſi privatim et in occultò fiant, ullam de ſe ſiniſtram apud regem ſuſpicionem excitent. Poſtremo Deum ac regiam majeſtatem conteſtabantur, nihil hactenus adverſus ipſum auſos, aut vero nunc moliri, aut porro contra obedientiam, quam ei debeant, molituros: ſed pro ipſius incolumitate ac regni tranquillitate aſſiduas ad Deum preces ſemper feciſſe, et nunc atque in poſterum facere paratos. Rex laudata [a] Colinii pietate ſuiſque in regnum ac reges meritis, ceteros ut ad inſtitutam conſultationem pergerent, monuit.

FRANCISCUS II.

XI. TUM [a] Valentinus, vir eloquens et rerum uſu ac literarum ſacrarum ſcientia clarus, orditur: omnium ordinum ſummam confuſionem ac perturbationem eſſe: inde exortos motus, qui non niſi pace mentibus reddita componi poſſint. Initiis quidem rara Catharinae ac Guiſianorum prudentia ac diligentia obviam itum ſeditioſis utili exemplo caſtigatis; ſed remanere cauſam, quae quo altiores in animis hominum radices egerit, eo difficilius evelli poſſit. Nam religionem motibus obtendi, qua vel falſa vel depravata nullum potentiorem ad animos convellendos affectum eſſe; eo vero malum latius ſerpere, et quotidie irritari magis, quo major negligentia ab iis, quos oportuit, in eo curando adhibita eſt. Nam pontifices in eo tantum videri omnem curam poſuiſſe, ut inter principes bellum ex bello sererent, ex eaque occaſione parteis foverent: principes autem religione motos, varias poenas ac ſupplicia ad coercendum malum ſtatuiſſe; ſed infelici, ut apparet, ſucceſſu: juris denique adminiſtros nullum in iis modum tenuiſſe, dum alii ſeveritate in ſaevitiam degenerante abutuntur, alii avaritia corrupti in eo negotio calumnioſe innocenteis oppugnant: nec extra culpam eſſe epiſcopos, qui abjecta gregis cura in id tantum jam a multis annis incumbunt, ut reditus amplificent, luxurioſe ac licentioſe vivant; adeo ut aliquando, quod relatu pudendum et horrendum, Lutetiae XL viſi ſint in otio ac delitiis putreſcentes: et vero curam eam infantibus atque indignis quotidie committi; atque ita eccleſiarum oculos, hoc eſt, epiſcopos, excaecatos, et Dominicae domus columnas in terram ſenſim afflictas ac profligatas: curiones itidem ab illis ordinatos praeſulum exemplo avare, imperite, negligenter in ſuo munere verſari. Quae cum ita ſint, minime mirandum, ſi plebs ac pleraque nobilitas male in religione a teneris imbuta, ad pravas opiniones et inde ad turbas inclinet. Praecipuum mali remedium a Deo petendum: convocandos ex univerſo regno pios viros, qui de eccleſiaſticorum vitiis et eorum exſtirpandorum ratione conſulant: regi imprimis providendum, qui ſuis exemplo eſſe debeat, ne ſacroſanctum Dei nomen polluatur, ut ſacrae ſcripturae pure ac citra fucum ac vanitatem explanentur; in regiis aedibus quotidie conciones, ſi fieri poſſit, habeantur. Tum ſumpta occaſione converſo ad Catharinam ac reginam nurum ſermone eas obſecrat,

VAR. LECT. [a] Caſtellionaei. *P. D. o.*

INTERPR. [a] *l'Evêque de Valence.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

obſecrat, ut profanis et impudicis cantionibus, quibus aulica conclavia ubique perſtrepant, faceſſere juſſis, pſalmos vernaculos et hymnos ſacros omni loco et tempore concinant: id Deo gratum; cui nullus coetus gratus eſſe poſſit, in quo non ipſe laudetur ac celebretur. Multaque in eam rem ſubjecit, quibus demonſtrabat, a vera pietate diſſentanea dicere eos, qui Davidicarum cantionum vernacula lingua uſu foeminis interdicunt: quarum ſi interpretatio, quae circumfertur, minime probetur, errores notari, non autem totum opus rejici debere: inde non modicam calumniandi anſam praebitam adverſariis ex eo colligentibus, non cum hominibus, ſed cum Deo bellum geri, cum cantionum ad Dei laudem et piorum ſolatium inſtitutatum publice ac privatim uſus prohibetur. Alterum remedium eſſe concilium generale, ad diſſenſiones hujuſmodi componendas a patribus ſemper uſurpatum: neque vero ſe videre, qui pontificis conſcientia vel ad horae momentum quieſcere poſſit, qui tot animas quotidie perire videat, quas ab ipſo proculdubio Deus tandem ſit repoſciturus: quod ſi concilium generale obtineri non poſſit, tum regem, quod ſui officii ſit, facturum, et Caroli Magni et Ludovici Pii exemplo concilium nationale coacturum: cui et intereſſe jubebit, qui inter Sectarios doctores habentur; ut cum illis de controverſis religionis capitibus diſceptatio inſtituatur. Sic a Theodoſio in Conſtantinopolitana ſynodo factitatum contra Arianos et Macedonianos, quamvis eorum error jam a Nicaeno concilio et aliis legitime damnatus eſſet. Ceterum utrinque graviter peccari: a Sectariis quidem primum, qui religionis praetextu armis ſumptis publicam tranquillitatem turbent, contra apoſtoli mandatum, qui pro regibus orare, iiſque etiam difficilibus et importunis obſequi praecipit: unde factum, ut ex illis adeo celebratis eccleſiae perſecutionibus, quibus tot fidelium animae conſumptae ſunt, ne unus quidem repertus ſit, qui cauſam ſuam quamvis juſtam armis defendendam exiſtimaverit; ſed potius patientia et conſtantia carnificum ictus ſuſtinuiſſe, ac poſtremo viciſſe: itaque coetus ſeditioſorum ſemper vetitos; regemque edictis ſuis hac in parte ſatis ſuperque providiſſe. Verum non minus peccari ab iis, qui in illos, qui ſolo pietatis ſtudio ducuntur, proque ea fortiter ad mortem pergunt, et jacturam ſuorum ac fortunarum contemnunt, plus aequo ſaeviunt: nam irritari plerumque ſpectantium animos, et in confeſſo eſſe, id in multorum animis excitaſſe ſtudium cognoſcendi de ea doctrina, quam in mediis flammis homines minime mali tam conſtanter profiterentur, ac poſtremo ipſos eam ſuſcepiſſe. Longe aliam antiquorum patrum rationem fuiſſe: nam nec CCCXVIII in Nicaena ſynodo priore, IↃCXXX in Chalcedonenſi, CL in [1] Conſtantinopolitana epiſcopos, aliis armis quam Dei verbo contra Arianos, Macedonianos, ac Neſtorianos uſos eſſe; nec Conſtantinum, Valentinianum, Theodoſium, Marcianum pios maxime principes, quidquam gravius in Sectarios quam exilium ſtatuiſſe: itaque a ſuppliciis ac poenis temperandum videri: quod ſi neceſſitas ferat, ut magiſtratu opus ſit, id ſaltem ſervandum in ſumendis ſuppliciis, ut loci, temporis, perſonarum, voluntatum, et qua de cauſa coetus coactus ſit, ratio habeatur. Poſt eum [a] Viennenſis longiore et acriore oratione uſus, duo eſſe Gallici atque adeo cujuſque regni firmamenta dixit, pietatis rectum cultum, et ſubditorum erga principem benevolentiam; quorum utrumque, ut ſalva reſpublica retineatur, convenienti ratione ſarciendum eſſe: verum per licentiam et corruptos omnium ordinum mores eo rem deductam, ut citra periculum eo loco, quo ſint, diutius conſiſtere non poſſint. Quod ad religionem ſpectat, probare quidem remedium

NOT. [1] Leg. *Conſtantinopolitana, CC in Epheſina, epiſcopos aliis*; ſic Serranus, unde deſumptus locus. *Put.*
INTERPR. [a] *l'Archevêque de Vienne.*

remedium quod ab oecumenico concilio petitur: ſed illud hujuſmodi eſſe, ut hodie potius optari quam ſperari debeat, ob difficultates jam ante perſpectas et quae in tali negotio exoriri amant. Neminem non ſcire, quantos labores Carolus v in concilio procurando ſuſceperit, et quibus ludificationibus uſi ſint pontifices, ut cum ſpe laudabili, quam animo pius princeps conceperat, fruſtrarentur. Morbum item, cui remedium quaeratur, adeo acutum eſſe, ut minime expectandum ſit, dum medicus e longinquo accerſatur, magna adventus incertitudine. Igitur ad nationale concilium recurrendum eſſe, quod et rex publicis literis pollicitus ſit, et propter neceſſitates et anguſtias, in quas eccleſia paſtorum negligentia conjecta ſit, amplius differri non poſſit. Nec vero id ab eccleſiae inſtituto aut a regni hujus conſuetudine alienum eſſe: quippe cum ex ſacris decretis conſtet; ſingulis quinquenniis concilia cogi moris fuiſſe, et a Clodoveo ad Caroli magni tempora, et inde uſque ad Carolum VII ſemper in Gallia concilia celebrata ſint; modo in univerſo regno, modo in parte, aliquando in ſingulis provinciis. Itaque quando malum urgeat, nequaquam amplius cunctandum, nullamve impedimentorum, quae a pontifice afferantur, habendam rationem. Interim dum coetus ſeu colloquium inſtituatur, ſtatuendum eſſe, ut praeſules in ſua quiſque dioeceſi ad gregis ſui curam attendant, ſine ulla exceptione, nec in ea re cuiquam gratia fiat. Minime vero ferendum, ut Itali, qui tertiam regni ſacerdotiorum partem occupant, noſque tanquam hirudines exſugunt, abſentes ex iis fructus percipiant, contumelioſi erga Deum, in regem injurioſi: quippe quorum culpa fiat, ut populus paſtoribus deſtitutus ad novas opiniones plerumque erroneas tranſverſus feratur, et pernicioſi motus, ut nuper accidit, in regno exoriantur. Dandam praeterea operam, initio inde emendationis facto, ne quid pecunia vel mercede in eccleſia geratur; ut immanis illa Babylonica beſtia, hoc eſt, avaritia, quae tot mala totque corruptelas in Dei domum invexit, tandem aliquando concidat, et quae gratuito ſacerdotes accepere, gratis reddant, ſublatis foedis nundinationibus et turpi omni mercimonio. Nam ſimoniam, ſi quam rem aliam, vel ejus omnem ſuſpicionem maxime a puritate alienam eſſe: ideoque Ancyrano concilio conſtitutum fuiſſe, ne, qui eleemoſynas erogabant, ſacramentorum tempore id facerent, ne viderentur propter illorum perceptionem quidquam contuliſſe. Ob id B. Ludovicum decreviſſe, ut epiſcopi in ſua quiſque dioeceſi commorarentur, nec pecuniae quidquam Romam deferretur. Nuper vero Paulum III aſſiduis Proteſtantium principum querelis incitatum, ſeu coactum, dum concilium in longos annos extrahitur, cardinaleis quoſdam delegiſſe, nimirum Gaſparem Contarenum, Theatinum, qui poſtea ſedem tenuit, et Paulus IV dictus eſt, Jacobum Sadoletum, et Reginaldum Polum, viros pietate et doctrina inſigneis, qui concordia ſumma decreverunt, in clavium uſu, id eſt, in eccleſiaſtica functione, nihil poſſe nec debere pecunia geri; ſed nec Paulum III id poſtea ſenſiſſe, multo minus Paulum IV ad pompas et bellum potius intentum, quamvis dum adhuc cardinalis eſſet, id aequum ac neceſſarium cenſuiſſet. Id vero hactenus neglectum niſi nunc obtineatur, procul dubio, quod Bernardus olim praedixit, fore, ut Chriſtus de coelo deſcendat, et reſumpto flagro ſacerdotes, ut olim mercatores, e templo ſuo probroſe expellat. Adhibenda inſuper ſacerdotum arma, publicas preces, jejunia ac lachrimas; ſumendum in manus Dei gladium, hoc eſt, ipſius verbum, cujus vix vagum nomen hodie eccleſia retineat: nec enim tiaras, peda, mitras, pileos et veſteis, qui externus cultus ad interiorem, qui in via vitae et doctrina conſiſtit, oſtendendum inſtitutus fuit; eos a populi contemptu vindicare poſſe, ſi larvae et inanis perſonae oſtentatione contenti

de

CIↃIↃLX.

FRANCISCUS II.

CIϽIϽLX.
FRANCISCUS II.

de cetero quae ſui ſunt muneris negligant. Jam enim ad omnium aureis, ut officii ſui admoneantur, ſententiam horribilem illam, de ſecuri ad radicem poſita, emanare debuiſſe. Interea ne remedia humana negligantur, e re videri, ut ſeditioſi legibus coerceantur, illudque ratum ac fixum in omnium mentibus ſtabiliatur, nulla de cauſa ſubditis ſine principis mandatu ac venia, qui armorum moderator eſt, arma ſumere licere. Quod ad alterum regni firmamentum attinet, quod in ſubditorum erga regem benevolentia conſiſtat, non aliud remedium alienatis nunc ab officio animis ad eam conciliandam praeſentius videri, quam ſi more Gallis uſurpato conventus regni cogantur: hoc enim tribunal eſſe, in quo ſolo univerſi regni querelae audiri et commode componi poſſint; ceteris magiſtratibus ad hoc inſtitutis, ut privatorum querelas, diſſidia, liteis audiant, componant, dirimant: in comitiis vero publicis ſubditos quaſi in colloquium cum principe venire, et moderata libertate querelas expromere; viciſſim et principis in contrarium rationes plerunque illorum querelis aequiores ab univerſis regni ordinibus intelligi: ſic fieri, ut cuncti majore aequitate ac patientia jugum non regis, ſed multis oneribus gravari imperii ſine murmure ac ſalva principi debita obedientia in poſterum ferant. In eam rem multa vehementi oratione a Viennenſi addita; quibus haud dubie Guiſianorum animos pupugit vir recti propoſiti retinens et ab omni aſſentatione alienus, ideoque minus aulicis acceptus. Poſtridie Colinius ſententiam dixit; pauca de libellis a ſe oblatis praefatus, quos ſubſcribi ab iis, a quibus acceperat, cum peteret, reſpondiſſe illos, ſi opus eſſet, LCIϽ homines iis ſubſcripturos; ſermonem de ſubditorum erga regem benevolentia perſequitur, nihilque perniciosius accidere poſſe ait, quam ſi princeps a ſuis metuar, et viciſſim ab illis timeatur: male adeo conſultum videri, adoleſcentem regem in eo metu inter excubias et formidoloſam ſtipatorum cohortem educari; nam hoc ſpectaculo paulatim in animis hominum benevolentiam exſtingui, et odium loco illius ſuccedere: potius regem a proximorum conſiliis id diſcere debere, nullum ſatis validum ac diuturnum imperium, quod metu et odio retineatur; et vaneſcere ſenſim obſequium, ſi aliunde quam ab antiquis regni legibus ſubſidium petatur. Tandem cenſuit, errores e domo Dei quam poterit commodiſſima via tollendos: inſuper circumdatam regi cuſtodiam amovendam, ordinumque conventus quamprimum convocandos. Guiſius, cui ſuſpectum erat Colinii ingenium, nominatim illius ſententiae inſolentiam corripit; regem ſapientiſſimae parentis ſtudio ita educatum, ut ejus juventa non metu et odio, ſed optimis ſapientiae praeceptis inſtructa magnam de ſe ſpem excitaverit: verum huc decidiſſe cuncta ſceleratorum quorundam machinationibus, ut militari ſtiparu regis vitam adverſus rebellium conatus muniri oportuerit: contra regiam majeſtatem, non contra ejus miniſtros, uti vulgo maligne jactatur, initam nuper conjurationem ambigi non poſſe. Ad religionem quod ſpectat, ſe doctiorum judicio ſtare: ceterum hoc proteſtari, nulla unquam concilia tanti apud ſe fore, ut ab antiquo majorum cultu ulla in re ac praecipue in ſacroſancti myſterii quaeſtione deflectat. De ordinum convocatione, regis voluntatem omnino amplecti. Ultimus cardinalis Lotaringus in libellos illos, quamvis ad modeſtiam α in ſpeciem compoſitos, acriter invectus, pro ſuperbiſſimis accipiendos dixit, eoſque, qui illos fabricaverint, hactenus obedienteis fore, ſi rex pravis ipſorum opinionibus aſſentiretur. Nam quo alio pertinere, conventuros LCIϽ homines, ut iis ſubſcribant? ſi vero templa illis concedantur, ecquid aliud eſſe, quam damnatam eorum doctrinam β approbari? perſpicuum porro eſſe, quo pernicioſa

eorum

VAR. LECT. α *in ſpeciem* deſunt. *P. D. o. ſ. d.* β approbare. *P. D. o. ſ.*

eorum conſilia tendant, vel ex famoſis libellis, quos ubique diſſeminent; ex quorum immenſo numero aliquot penes ſe habeat, quos ſtudioſe magno decoris ſui teſtimonio ſervet; quippe qui ab impuris nebulonibus male audire et maledictis proſcindi laudi ducat. Nihil fallacius eſſe, quam pravam religionem; ab his evangelii et fidei Chriſtianae nomen in turbarum ac ſeditionum occaſionem ſumi: itaque in eos ſevere animadvertendum. Sic autem cenſere, mitigandam poenarum acerbitatem erga eos, qui ſine armis ſola conſcientia ducti religionis cauſa coeunt, qui potius admonitione ad officium reduci, quam vi cogi debere videantur: in eam rem ſi quid proficere poſſit, ſe vitam libenter profuſurum. Epiſcopos ac curiones in id incumbere debere, ut praeſentia ſua praeteriti temporis jacturam in poſterum ſarciant. Praefectos item provinciarum ad munia ſua exſequenda adigendos. Cum vero tantum de diſciplina ac corruptis moribus agatur, minime videri neceſſarium, ut concilium univerſum aut nationale congregetur: ſi tamen eo opus fuerit, epiſcopis ac curionibus mandandum, ut notatis erroribus, qui corrigi debeant, regem intra duorum menſium ſpatium moneant. De cetero in ſententiam de regni ordinibus convocandis conſentire. Poſtero equites torquati quaſi agminatim in cardinalis ſententiam pedibus iere. Tum rex et Catharina, gratiis univerſo conſeſſui actis, eorum ſe conſilium ſequi paratos oſtendunt.

XII. Tandem confectum decretum VII Kal. Sept. ut ante IV Eid. Dec. in [a] Meldorum civitate conventus regni haberentur: ſi concilium univerſum cogi tam cito non poſſet, nationale convocaretur: et quoniam de eo ſpes a pontifice facta ſit, IV Eid. Jan. epiſcopi, quo rex juberet, convenirent; ut ſi nimia cunctatione pontifex concilii univerſalis ſpem praecideret, de nationalis celebrandi ratione in commune deliberarent: interea ad ſua quiſque ſe reciperent, inde, cum opus eſſet, inſtructiores ad opus redituri: ſupplicia religionis nomine in praeſens differrentur; in eos tamen qui plebem ſeditionibus, Galliam armis turbaſſent, regis ac magiſtratuum auctoritas ſalva eſſet. Ita paulatim occulto etiam adverſariorum conſenſu inviſa prius Proteſtantium religio apud nos adoleſcere ac confirmari coepit. Tum paſſim per Galliam miſſi equites, et per praefecturas ita diſtributi, ut ſuſpecti ſingulares ſere ſpargerentur, et iis alii majore numero, ne quid moliri poſſent, adjungerentur: Monpenſerius per [b] Turones, quibus praeerat; eique attributae, praeter ſuam, [c] Gonnotii ac [d] Vaſſaei alae, cum Scotorum turma: [e] Rupiſurionius [f] Aurelianum, cujus praefectus erat, adjunctis ad ſuam Aurelianenſis ducis, [g] Tremolii et [h] Carnutum vicedomini alis. Nivernius Campaniae ac Briae praeſes [α] [i] Auguſtobonam Triecaſſium profectus eſt cum ſua, [k] Condaei, Franciſci [l] Ateſtini, [m] Rupimanii, et [n] Bellovaſii equitum alis. [o] Momorantius equitum tribunus cum ſua et paterna ala in Franciae peninſula, cui praeerat, et in qua nihil movere poterat, Guiſianis Lutetiae rerum potientibus, remanere juſſus. [p] Santandreapus [q] Molinium in Boïis abiit; cui attributae [r] Danvillae, [ſ] Burdillonii, [s] Faietae, [t] Villarii comitis, et [u] Monlucii alae. Briſſaeo Picardiae praeſidi additae ad ſuam [v] Senarpontii, [w] Morvillerii, [x] Humerii, [y] Caunii, et [z] Hangeſti Genlii alae: [aa] Thermus [bb] Lochias in Turonibus,

VAR. LECT. [α] Tricaſſium Auguſtam. P. D. o.

INTERPR. [a] *Meaux.* [b] *Touraine.* [c] *de Coſſé ſieur de Gonnor.* [d] *de Vaſſé.* [e] *prince de la Roche ſur Yon.* [f] *Orleans.* [g] *de la Tremoille.* [h] *le vidame de Chartres.* [i] *Troies.* [k] *prince de Condé.* [l] *d'Eſte.* [m] *de la Roche du Maine.* [n] *de Beauvais.* [o] *François de Montmorency fils ainé du conneſtable.* [p] *le mareſchal de St André.* [q] *Moulins en Bourbonnois.* [r] *Henry de Montmorency ſieur de Damville.* [ſ] *de Bourdillon.* [s] *de la Fayette.* [t] *de Villars.* [u] *de Montluc.* [v] *de Senarpont.* [w] *de Morvilliers.* [x] *de Humieres.* [y] *ſieur de Chaulnes.* [z] *d'Hangeſt ſieur de Genlis.* [aa] *le mareſchal de Thermes.* [bb] *Loches en Touraine.*

CIↃIↃLX. nibus, ut Monpenſerium, ſicuti jactabatur, obſervaret; cui ad ſuam adjunctae
FRANCISCUS II. Navarrae principis, Sanſaci, Rupiſuleaudii comitis, Randani fratris, [a] Chabotii Charnii comitis, [a] Dallonii Ludenſis, et [b] Scarſii Valliguidonii alae. [c] Villabonio in inferiori Neuſtria attributae praeter ſuam marchionis [d] Ellebovii, [e] Annebaldi, et Millaregii alae. [f] Vetus-villa denique Rotomagi ſubſiſtere juſſus cum Colinii maris praefecti et Eſtraei alis.

XIII. [g] SAGA is, de quo modo locuti ſumus, paulo ante Guiſianorum juſſu cum diverſorum ad Navarrum literis comprehenſus fuerat, quod maturandi Condaeo exitium paene occaſionem praebuit. Cum enim ad Fontembellaqueum veniſſet, [h] Bannam quendam alias Bonvallium dictum, commilitonem ſuum, qui [i] Caſalii in Monſerratenſi agro primarii centurionis officio functus fuerat, nactus, ſibi a [k] Rupio praetoriae Subalpini peditatus cohortis ſignifero, cum Aureliani eſſet, narratum refert, ipſum male a Guiſianis habitum et propenſa erga Navarrum voluntate eſſe, ac futurum confidere, ut cum ſecum in Aquitaniam adduceret. Cum annuere videretur Bonvallius, Saga ſecretos cum eo ſermones magna fiducia confert, cunctaque quae a Borboniis audierat conjectaveratque ediſſerit, addens, eos de injuria ſibi a Guiſianis facta crebro conqueri et ultionem parare: ita vero proviſa in eam rem omnia, ut imminens periculum nec regis nec propriis opibus, etiam ſi de re omni certiores eſſent, effugere poſſent. Quae omnia Bonvallius Briſſaco, ſub quo militaverat, renunciat; et inde Guiſium adire juſſus ab eo monetur, ut ſecretum cum Saga coleret, et eum [l] Croco reginae pincernae noſcitandum propinaret. Quo facto Crocus abeuntem per diſpoſitos equos Sagam inſecutus poſtremo [m] Stampis adſecutus eſt, et captum ad Guiſianos adduxit, cum omnibus, quas ad Navarrum et Condaeum habebat, literis; in primis Momorantiorum, quorum apud regem traducendorum occaſionem offerri jampridem illi optabant, et tunc oblatam gaudebant. Verum ſpe ſua falſi ſunt: nam in literis verba tantum erant honeſtare quaeſita, et quae vel apud maxime ſuſpicaces deterius interpretandi anſam praebere non poſſent.

XIV. PLUS vanae formidinis attulere [n] Vindocini Carnutum vicedomini ad Condaeum literae: nam ſic ſcriptae erant, ut ſive ad eum perveniſſent, a conſciis intelligerentur; ſive interceptae, fallerent ignaros et interpretationem admitterent. Iis vicedominus operam ſuam Condaeo, ſi quid in regis uſum moliretur, pollicebatur. Quibus a Guiſio perlectis, mox Franciſco [o] Raffinio Potoni Aginnenſium praefecto et cuſtodiae regiae duci a rege imperatur, ut aſſumpto ſecum hoſpitii praefecto Lutetiam proficiſceretur, et re cum Chriſtophoro Thuano praeſide, ad quem a rege literas attulit, communicata, vicedominum comprehenderet: quod et factum eſt, iſque VI Kal. Sept. in [p] Baſtiliam ſub cuſtodia conjectus fuit. Tum Saga et Banna, cum diverſi prius interrogati fuiſſent, nec congruentia reſponderent, inter ſe poſtremo committuntur. Sed cum objecta denegare perſeveraret Saga, particeps conſiliorum creditus, tandem ad quaeſtionem damnatur. Tormentorum aſpectum non tulit homo talium inſolens, ſed minis ſolis terrefactus cognita conjectataque aperit, conſiliis Navarri et Condaei detectis; eos nimirum cum magna militum manu ad viſendum regem profectionem in aulam adornare, et ſpecie tranſitus, [q] Pictavium, [r] Caeſarodunum, [s] Aurelianum fidas ſibi urbeis et loco munitas occupaturos: Momorantium vero magiſtrum equitum caput rerum Lutetiam, cui filius praeſit; Picardiam per Senarpontium

VAR. LECT. [a] Caboti. P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *de Daillon Comte du Lude.* [b] *d'Eſcars de la Vauguion.* [c] *de Villebon.* [d] *d'Elbeuf* [e] *d'Annebaud & la Meilleraie.* [f] *de Vielle-ville.* [g] *la Sague.* [h] *Banne* dit *Bonval.* [i] *Caſale.* [k] *la Roche.* [l] *du Croc.* [m] *Eſtampes.* [n] *de Vendoſme vidame de Chartres.* [o] *de Raffins* dit *Poton, ſeneſchal d'Agenois.* [p] *la Baſtille.* [q] *Poictiers.* [r] *Tours.* [s] *Orleans.*

[a] Senarpontium et Buchavanium, [b] Armoricam per Joannem [c] Broſſium Stampenſem, [d] Provinciam denique per Claudium [e] Sabaudum Tendae comitem ſororium, ceteraſque regni provincias et urbeis per clientes amicoſve ſuos recepturum; eo conſilio, ut Guiſianis ſede dejectis publicam libertatem aſſerant, ac regnum firment: quos, niſi loco cedant, nobileis item non eadem ſecum ſentienteis vi armiſque coacturi ſint. Mandata etiam ambigua adjiciebat, et quae tentare ſingulorum animos ad res novas viderentur. Delectum ad id in belli arcem ac ſubſidium Aurelianum. Haec tum Saga confeſſus eſt. Ceterum [f] Bonvallius facti ultionem metuens, cum perfugium in Gallia nullum videret, quo ſe quaſi extra regnum in tuto collocaret, aſtu et inſigni perfidia Guiſio ſimul illuſit, et Garignium commilitonem ſuum circumſcripſit. Is [g] Verſolii caſtri in [h] Saluciano principatu praefectus erat, inter [i] Carmaniolam et [k] Ceniſium montem ſiti, quod exiguo praeſidio tenebatur, et propter arctam, quae ipſi cum Bonvallio intercedebat, amicitiam, ei, cui plurimum fidebat, chirographum vacuum crediderat, ut pecuniam pro ſtipendio ſibi debitam acciperet: quod Bonvallius in longe alium uſum convertit: nam ſpatium purum literis quaſi [l] Garignii manu ad Guiſium ſcriptis implevit; quibus ille ſignificabat, habere ſe in animo praefectura, quam tenebat, Bonvallio contubernali olim ſuo cedere; et Guiſium rogabat, ut Bonvallio ea de re diploma a rege impetraret. His acceptis a Bonvallio literis, Guiſius, qui cuperet importunum flagitatorem a conſpectu ſuo removere, diploma praefecturae ei tradit; quo ille fretus ſtatim in [m] Subalpinam provinciam citatis equis contendit, et clam coacta manu, quod ſui contra inimicos tegendi ſpecie excuſabat, Verſolium proficiſcitur, captata occaſione, dum Garignius abeſſet, inibique ab uxore ejus ſimplice foemina exceptus pulſo praeſidio locum occupat: et quamvis poſtea fraude ejus ac ſcelerata audacia retecta, rem tamen Guiſius diſſimulandam exiſtimavit, et Garignium promiſſis oneratum ad tempus ſilere juſſit: neque tamen propterea Bonvallius ſecuritati ſuae ſatis proſpexit, mox [n] Rabellii ab incognitis hominibus ſive a Condaeo, uti tunc vulgo jactabatur, ſive a Garignio ipſo injuriam privatam perſequente, quod vero ſimilius ſit, ſummiſſis interfectus; et ita dum prioris facti vindictam vitat, novo ſcelere exitium ſibi maturavit. Sed haec poſtea acciderunt.

XV. Quatriduo poſt captum Sagam de irrito Lugdunum intercipiendi conatu cognitum eſt per [o] Achonii Savignii coenobii praeſulis literas, qui [p] Santandreani ſororis filius urbi per avunculi abſentiam praeerat. [q] Ferrerius Malinius junior, de quo ſupra demonſtravimus, aula elapſus in Provinciam fugerat, ibique conſcripto milite et intromiſſis aliquot e ſuis, reque cum pleriſque, qui in urbe erant, communicata, ita cuncta ordinaverat, ut certa [r] Lugduni potiundi ſpe foveretur: verum inter haec a Navarro mandatum venit, ne quid ulterius tentaretur. Quod Navarrus fecit monitus a Momorantio, enixe obteſtante ut veniret in aulam, ceterum ab urbium occupatione abſtineret: nam rem mali exempli eſſe, neque populo approbaturum conſilia ſua, qui eum de injuſta regni et contra leges uſurpata adminiſtratione querelam inſtituat, regnum ipſe invadat, et publicam tranquillitatem conturbet. Itaque remiſſius ab eo tempore Malinius egit, et amicos meliorum in futurum ſpe paſcere ac militem paratum habere contentus, nihil moliebatur, cum caſus fortuitus rei tentandae quaſi neceſſitatem impoſuit. Nam dum noctu arma e ſingulis ſociorum domibus in aedeis ad id deſtinatas comportantur,

INTERPR. [a] *de Senarpont & de Bouchavanes.* [b] *Bretagne.* [c] *de Broſſe duc d'Eſtampes* [d] *Provence.* [e] *de Savoie comte de Tende.* [f] *Baune* dit *Bonval.* [g] *Verſol.* [h] *marquiſat de Saluces.* [i] *Carmagnole.* [k] *mont Cenis.* [l] *Guarigue.* [m] *Piedmont.* [o] *Ravel.* [o] *d'Apchon Savigny.* [p] *le mareſchal de St. André.* [q] *de Ferrieres Maligny.* [r] *Lyon.*

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

comportantur, per gerulos ipſos re detecta, Protius urbis tribunus, cum ccc ſcloppetariis [a] Achonii juſſu aedeis circunſidet, in quibus xxx circiter delecti erant. Ad tumultum jam nocte concubia Malinius, qui in proximis aedibus habitabat, excitatur, et ad ſuos confeſtim accurrit; qui non ſolum urbanorum impetum fortiter ſuſtinuere, verum vulneratis pleriſque ac repulſis, et occupato cum LX nec amplius militibus ponte, qui Arari impoſitus eſt, urbe intra [b] Rhodanum et Ararim diu potitus eſt, fruſtra opperiens dum ſocii, qui in civitate erant, arma ſumerent, et ſe ad ipſum applicarent. Sed cum nemo egrederetur, et Achonius de eventu veritus urbem opulentam certaminis aleae committere nollet, [c] Malinio exitum circunſpicienti portas aperiri jubet. Elapſo cum ſuis Malinio, capti quidam et tormentis ſubjecti; alii plus petitis faſſi ſunt, alii conſtantiam retinuerunt. Accerſiti mox ab Achonio [d] Gondrinius et [e] Maugironus in urbem cum ſuis advolaverunt. Ipſe poſtea ſive ob rem bene geſtam, ſive avunculi commendatione, epiſcopatu [f] Arelatenſi, cui jam diu inhiabat, a rege donatus eſt. [g] Santandreanus vero, homo rapax et ad omnem alieni invadendi occaſionem intentus, cum Catharina et Guiſianis agit, et ſpem facit, ſi Lugdunum mittatur, detegendae conjurationis a Borboniis fratribus initae: quod conſilium iis facile approbavit, ſtatimque eo profectus cum fruſtra minis et compoſitis ad fallendum verbis a civibus c aureorum millia emungere tentaſſet, ad rapinas poſtremo verſus per delegatos judices ac ſubornatos teſteis, permultos etiam innocenteis vexavit, et in iis [1] Sancaumontios fratres, quorum opulenta bona jam ſpe devoraverat, et [h] [2] Bordinum fidum Condaci miniſtrum, a quo exquiſitis cruciatibus torto nihil extorquere valuit, quod hero ſuo periculum creare poſſet. Tum diploma a rege impetrat, quo poteſtas ei fiebat rebelleis per [i] Septimaniam, [k] Provinciam, et Delfinatum perſequendi. Eadem facultas data [l] Aumalio Guiſii fratri, [m] Briſſaco et Thermo equitum tribunis. Interea crebreſcente paſſim de novis motibus rumore, Catharina, quo regis ac ſuae ſecuritati conſuleret, [n] Fontebellaqueo [o] Germani-fanum, locum, uti rebatur, tutiorem, venit. Ibi cardinalis [p] Caſtellionaeus et maris praefectus, fratres, a Catharina impetrant, ut ſibi cum bona ipſius venia liceret [q] Roiae uſufructuariam ſororem Condaci ſocrum per literas certiorem facere de criminibus genero objectis, quorum cauſa rex Antonium [r] Cruſſolii comitem ad Navarrum legaverat, et ut Condacum fratrem ſecum in aulam adduceret, mandaverat, fide data, nihil ei damni inde obventurum: ipſam ſiquidem falſa credere, quorum inſimuletur; ſed ſua intereſſe et ad Condaci exiſtimationem pertinere, ut eorum vanitas, et rei veritas cunctis innoteſceret. Colinii fratres itidem Catharinae receperant, ſe ad Roienſem ſcripturos, ut illa generum, ſi quidem eum innocentem crederet, et regi approbare vellet, moneret, ut ſe quam primum coram ipſo ſiſteret. Quod cum feciſſent, a Roienſi reſcriptum eſt, minime ſe de Condaci innocentia dubitare, ſed valde durum videri, ut Condaeus eo nudus veniret, ubi Guiſiani capitales inimici cum ſuis rerum potirentur. Quibus literis Catharinae oſtenſis Colinii commeatu petito aula diſceſſere. Eodem tempore Catharina cum per [s] Moncellenſeis aedeis ſuas iter faceret, literas a Roienſi accepit, quibus illa venturum quidem

INTERPR. [a] *d'Apchon.* [b] *le Rhône & la Saone.* [c] *de Ferrieres Maligny.* [d] *la Motte Gondrin.* [e] *de Maugiron* [f] *d'Arles.* [g] *mareſchal de St. André.* [h] *la Borde.* [i] *Languedoc.* [k] *Provence & Dauphiné.* [l] *duc d'Aumale.* [m] *mareſchaux de Briſſac & de Thermes.* [n] *Fontainebleau* [o] *St. Germain.* [p] *de Chaſtillon.* [q] *de Roye.* [r] *de Cruſſol.* [s] *Monceaux.*

NOT. [1] Dele *Sancaumontios fratres, quorum opulenta bona jam ſpe devoraverat, et.* Les freres de St. Chaumont ne furent pas pris; mais pluſtoſt les Changys freres, par le ſieur de St. Chaumont leur couſin germain. Cette hiſtoire eſt recitée en ſon lieu ſans erreur vers la fin de ce livre, conformément aux hiſtoriens du temps. *Put.*
[2] Leg. *Bordium. Put*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

quidem Condaeum dicebat, ſi juberetur; quippe ad regis obſequium ſemper paratum: ſed non moleſtum ipſi aut inſolens videri debere, ſi, quando eo venturus eſſet, ubi cuncta penes Guiſianos ſibi infeſtos eſſent, majore comitatu accederet. Quibus literis offenſa Catharina reſpondit, neminem majore quam proprio comitatu ad regem accedere debere: ceterum ſi numeroſiore veniret Condaeus, majore multo inſtructum regem reperturum. Interim Robertus [a] Haius ſenator Pariſienſis juſſu regis ab hoſpitii praefecto comprehenſus, tanquam rerum Condaei gnarus, et Germani-ſanum ductus eſt. Captus et paulo ante fuerat Franciſcus [b] Barbanſonus Canius in [c] Varanenſi arce ſua ad [α] [d] Eſiam juxta [e] Noviodunum, in ſuſpicionem adductus, quod magnam armorum vim occultatam habere diceretur; etſi praeter uſui ſuo deſtinata vix, veſtigata omni domo, duobus hominibus idonea arma reperta ſint: tamen ille captus, et F. [f] Hangeſto Genlio, qui ſe pro eo vadem conſtituit, in cuſtodiam traditus eſt. Conditum item edictum, ne quis vel princeps vel alius cujuſtibet conditionis et ordinis milites, pecuniam, arma, equos cogeret: qui hoc facere compertus eſſet, laeſae majeſtatis reus haberetur. Tum miſſus poſt [g] Cruſſollum cardinalis Borbonius Navarri et Condaei frater, eoque ad fallendum accommodatior, qui eos in aulam adduceret, fide data, nihil gravius a rege paſſuros. Decretae et ſupplicationes ac preces publicae factae pro regis incolumitate ac regni tranquillitate, concilii item proximi, uti ſperabatur, fauſta celebratione. Ordinum conventus [h] Meldis, ubi indicti fuerant, [i] Aurelianum tranſlati: et [k] Thermus cum CC cataphractis equitibus [l] Pictavium miſſus, qui, ſi quid Navarrus in tranſitu moliretur, ad omneis caſus praeſto eſſet. Inter haec [m] Saga, ſive impunitate promiſſa corruptus, ſive quod nullum ex ſilentio emolumentum ſperaret, Guiſianos VII [1] Eid. Oct. monet, involucrum chartaceum, quo literae vicedomini interceptae continebantur, aqua mergerent; tum mandata ſibi a [n] Firmino [β] Dardoſio Vaſcone A. Momorantii amanuenſi et Navarri cliente ad Condaeum data et omnem rei ordinem particulatim cogituros. Igitur involucrum ab [o] Albaſpineo forte conſervatum repraeſentatur; quo aqua abluto, atrocia in Guiſianos conſilia patuere: ſiquidem ſcriptum erat Dardoſii manu, Momorantium in propoſito perſeverare, ut Guiſiani de medio tollerentur; quod citra vim ex ordinum proxime convocandorum decreto, etiam invitis rege ac Catharina, fieri poſſe confideret; venirent modo, ſuoſque praeſentia firmarent. Additum erat a Dardoſio, pleriſque intutum et incertum videri Momorantii conſilium; fortiuſque facturos, ſi ubi in aulam venerint, Guiſianos armis per ſuos aggrediantur: nam procul dubio complureis rei novae famam ſecuturos, dum ipſi cum proceribus, qui cauſae faverent, adeſſent: nec id ingratum Momorantio ac ſuis fore dubiis in rebus ultionem auſuris, qui militum acerrimos penes ſe haberent. Interea [p] vicedominus Carnutum ſevere admodum habebatur; ut ad eum etiam Joannae [q] Eſtiſſacae uxori aditus non eſſet, quamvis una cum ipſo ſe carcere includere paratam oſtenderet. Interrogatus quid ſibi vellet in literis, quibus Condaeo operam ſuam, ſi quid in rem regis moliretur, prolixe pollicebatur, reſpondit, literas illas nullius conſilii, quod non in rem regis ſuſciperetur, ſuſpicionem probare poſſe: ſe quidem cognatum et amicum Guiſianorum eſſe, ceterum regiae ſtirpis principes prae illis,

VAR. LECT. [α] Iſaram. *P.* [β] Dardoo. *P.*

INTERPR. [a] *de la Haie.* [b] *Barbançon de Cany.* [c] *Varanne.* [d] *l'Oyſe r.* [e] *Noyon.* [f] *d'Hangeſt ſieur de Genlis.* [g] *comte de Craſſol.* [h] *Meaux.* [i] *Orleans.* [k] *le mareſchal de Thermes.* [l] *Poictiers.* [m] *la Sague.* [n] *Fremin d'Ardois.* [o] *de l'Aubeſpine.* [p] *le vidame de Chartres.* [q] *Eſtiſſac.*

NOT. [1] Leg. *Kal. Oct.* *Pat.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

illis, ut debeat, colere: atque adeo ſi quid Guiſio cum Navarro aut Condaeo contentionis ac diſſidii ſit, paratum pro iis contra ipſum vitam ac ſanguinem profundere. [1] Eidibus dein Oct. quae diem B. Michaeli ſacrum proxime antecedunt, quo torquati ordinis ſolemnia celebrantur, vicedominus cum vereretur, ne multa ab adoleſcente licenter acta ſe nunc virum premerent, ab amicis monitus libellum collegio equitum offert, quo judicii moras, adverſam valetudinem, quae eam longitudinem minime ferret, et ordinis praerogativam cauſatus petebat, ut de cauſa ſua a collegis cognoſceretur, ſi quid forte, propter quod ordine removeri deberet, in regiam majeſtatem admiſiſſet. Libello a cardinali Lotaringo ordinis cancellario palam recitato, Momorantius tanquam ordinis princeps ſententiam primus dixit; et eam gratiam illuſtris familiae decori, quae adfinitate regiae ſtirpis principes, ſe autem proxima cognatione attingeret, ac privilegio ordinis tribuendum cenſuit; oblique ſugillata judicii in vicedominum inſtituti forma. Haec magnis contentionibus nec citra verborum acerbitatem acta, cum cardinalis injecta de forma judiciali verba in ſe dicta interpretatus ultra modum excandeſceret, donec a Guiſio fratre moderationis laudem in ea re affectante repreſſus eſt. Poſtremo vicit ea pars, quae ordinis decus ac privilegia tuebatur. Poſtridie XVIII equites in collegium allecti ex Guiſianorum fere amicis et clientibus, ſicuti ſuperiore anno factum fuerat; nequicquam indignante Momorantio illuſtriſſimum ordinem ambitioſe profanari. Quem enim ultra honorem principibus et virture bellica claris ducibus habitum iri, ſi, quod raro et non niſi principibus familiis aut ingentibus meritis tribuebatur, nunc promiſcue [α] ac dominantium libidine conceditur? In iis erat Cornelius Bentivolius ceteroqui bello Etruſco clarus, non tamen ſine occulta Borboniorum injuria; quorum fratrem [β] [2] Jo. [a] Borbonium Angianum demiſſa Guiſii et Santandreani juſſu arca ad [b] Guidonis rupem poſt ludicrum certamen necaſſe dicebatur: ſic enim tunc palam ad invidiam ab infeſtis jactabatur: verum id ille quaſi per laſciviam ab imprudentibus factum apud Navarrum excuſaverat.

XVI. AUGEBATUR [γ] interim Proteſtantium in dies per Galliam numerus, et coetus ubique frequentes habebantur, creſcente cum numero ſociorum audacia. Nam [c] Valentiae [δ] Segalaunorum in Allobrogibus Petrus [d] Bruleus in [e] Mediomatricibus natus jamdudum docuerat: cui in munere ſucceſſit Aegidius [f] Santalius Monpeſſulanus; ſub quo mirum in modum illa doctrina adolevit, adeo ut per ſcholas publicas noctu conciones haberentur. Santalium excepit [g] Lancilotus nobili genere in Andibus natus; ſub quo rurſus facta magna acceſſio: ſed gliſcente petulantia, a priſtina modeſtia, quam legum metus alebat, homines eo ſoluti paulatim diſceſſere, et jam audaciores aſcita juventute, quae juris ſcientiae, cujus in ea civitate celebris ſchola eſt, operam dabat, non tam pietatis ſtudio quam rei novitate accenſa Franciſcanorum templum vi occupant, et in eo ad conciones publice conveniunt, [h] Mirabello, et [3] Quintello bellis Subalpinis noto centurione et Mirabello inſeparabili neceſſitudinis ſocietate conjuncto, atque aliis e nobilitate ducibus. Eadem licentia uſi [i] Montelaemarienſes haud occulto [k] Buriaci praefecti favore, cui ſe adjunxere e nobilitate [l] [4] Conipius, Carolus [m] Podienſis Monbrunius, Albertus

VAR. LECT. [α] ex. P. [β] Jo. Borbonium deſunt. P. D. o. f. d. [γ] interim deeſt. P. D. o. f. [δ] Cavarum. P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *de Bourbon comte d'Enguyen.* [b] *la Rocheguyon.* [c] *Valence en Dauphiné.* [d] *Bruſlé.* [e] *Mets.* [f] *Santlas de Montpellier.* Beze Hiſt. Eccl. ſous François II l'appelle *Solas.* [g] *Lancelot Angevin.* [h] *Mirabel, & de Quint.* Beze l'appelle *Quintel.* [i] *ceux de Montelimar.* [k] *Bourjac, ſeneſchal de Valentinois.* [l] *ſieur de Comps.* [m] *ſieur du Puy Montbrun.*

NOT. [1] Leg IV *Kal.* *Put.* [2] *Franciſcum.* *Put.* [3] *Quintio.* *Put.* [4] *Compſius.* *Put.*

Albertus [a] Papa Sanralbanus, de quo ſupra bello Senenſi facta mentio, [b] Caritacus, [c] Condorcetus, [d] Nocazius, [α] [e] Suzetus, alii ordinum ductores. Conciones palam habitae a monacho quodam, cui [f] Tempeſtati nomen, qui priore amictu minime relicto antiquam religionem deſeruerat; et a Franciſco [g] Sanpaulo magni inter Proteſtanteis nominis theologo. Idem Romanii ſactitatum [h] Changiotum opera, et conventum publice ad majus templum in editiore urbis loco, ubique armata manu, nec ſine Catholicorum injuria. Dum in eo ſunt, miſſum ad Buriacum Valentini comitatus juridicum praefectum, a rege poſt Amboſianum tumultum ſedatum, diploma, quo praeteritorum gratia fiebat, modo omnes ad majorum religionem redirent: adjunctae et Joannis Monlucii urbis epiſcopi literae. Eo palam Valentiae convocatis urbis ordinibus recitato, Buriacus, cum affectata oratione regis clementiam laudaſſet, et cunctos ad obedientiam et faciendas pro principis incolumitare preces hortatus eſſet, ad circunſtanteis verſus ab iis quaeſivit, an edicti beneficio uti vellent: tum Mirabellus ſocios nihil niſi prius invocato Dei nomine facere ſolitos praefatus, Buriaco conſentiente, [i] Sallanio cuidam ex ſuis, uti vocant, diacono innuit; eoque preces concipiente, omnes fere qui aderant periculum veriti in genua procidunt, et Sallanium praeeuntem ſequuntur; exceptis ſolis eccleſiaſticis, qui plebis ludibrio expoſiti, non ſine metu interim ſtabant. Peractis precibus ſocii reſpondent, ſibi praecipuum ſemper regis obſequium fore; quod ad gratiam regis diplomate comprehenſam attineret, neque in ipſum conſpiraſſe, neque adverſus rempublicam quidquam molitos eſſe; conſcientiae tantum libertatem quaeſiviſſe, eamque ut tuerentur, coetus legitimos inſtituiſſe; de cetero publicae tranquillitati ſemper ſtuduiſſe, et pro rege preces in coetibus ſuis feciſſe; privatae tutelae cauſa, non nt quietem publicam turbarent, arma ſumpſiſſe; proinde gratia nihil ſibi opus eſſe. Ita Guiſio illuſum, et publicus quaſi magiſtratus auctoritate novae religionis uſus in Delfinatu paſſim conſtitutus. Qua re non mediocriter irritatus Guiſius provinciae praeſes, cum Antonium [k] Claramontium Talarium ipſius legatum, moderati ingenii et pacis ſtudioſum, ſegnius quam vellet in eo negotio verſari doleret, Laurentio [l] Maugitono homini aulico et in omne ſervile obſequium projecto negotium dat, ut provinciae ſecuritati ac regis in ea dignitati conſuleret. Is per [m] Vinacum rem exſequitur, hominem vafrum, qui liberaliter a teneris inſtitutus, nec mediocribus literis imbutus, poſtea in voluptates immodice proſuſus, et ob morum ſimilitudinem Maugirono acceptior, ultro citroque ad Proteſtanteis commeabat, eoſque ſpe meliorum implebat.

XVII. Maugitonus ergo ab eo quid illi molirentur edoctus, Viennae manum tumultuariam cogit, et [n] Lugduno perditae vitae homines ſed manu promptos evocat, ac ſecundo [o] Rhodano [p] Valentiam devehi curat: quod tamen non tanto ſilentio peractum eſt, ut ſocii de Maugironi conſilio ignari opprimi potuerint; qui ad B. Franciſci, ducibus [q] Mirabello et Quintello contracti, ſe ad certamen parant. Maugironus cum ſuis ab urbis conſulibus et ſacerdotali ordine ex compacto exceptus fuerat rebus egregie paratis, ſi ejus conſilia fallere potuiſſent: nam Vinacus omneis machinas bellicas, pulverem tormentarium, ac reliquum apparatum ad [r] Apollinaris-fanum contraxerat. Sed cum res periculo non carere videretur, placuit, ut a vi abſtineretur: petitoque colloquio Maugironus cum

VAR. LECT. [α] Sozetus. *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Pape de St. Auban.* [b] *la Charité.* [c] *Condorcet.* [d] *Nocaze.* [e] *Suzet.* Beze Hiſt. Eccl. l'appelle *Sezet.* [f] *Cordelier* nommé *Tempeſte.* [g] *de St. Paul.* [h] *ſieurs de Changy.* [i] *de Saillans.* [k] *de Clermont Tallart, lieutenant du roy en ſon abſence.* [l] *de Maugiron.* [m] *Vinay.* [n] *Lyon.* [o] *le Rhône.* [p] *Valence.* [q] *Mirabel, & de Quint.* [r] *St. Apollinaire.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

cum aliquot e ſuis Mirabellum adit, et, ſi religionis tantum cauſa convenerint, ut arma deponant hortatur; nam propter Amboſianum tumultum ea merito regi ſuſpecta eſſe; de cetero fidem nomine regis interponit, nulli religionis publicam profeſſionem fraudi fore, ſic enim velle ac jubere regem: tum ut majorem fidem faceret, et benevolum erga ipſos animum oſtenderet, multa in pontificem contumelioſa blateraт; atque ita tenuit, ut, qui ex circumpoſita regione armati in orbem venerant, huc illuc dilaberentur, hortante ac ſuadente Vinaco, quem illi doctrinae ſuae favere arbitrabantur: jamque ſoli, qui juri operam dabant, juvenes ſuperabant; qui in domos quiſque ſuas eum diſceſſiſſent, Maugironus urbis portas occupat, et ſuis per plateas diſpoſitis ad praedas vertitur. Capti quidam ac pretio redempti, hoſtiliterque patrata multa, quaſi vi capta urbe; continuoque, nam ita Guiſius mandaverat, ex [a] Subalpina regione veteranorum XVII ſigna advolant, et Gaſpar [b] [α] Saulius Tavanius cum ſua et Claromontii ipſius, ac principis [c] Salernitani equitum cataphractorum ala in provinciam deſcendit: ad quorum adventum Joannes [d] Truchius ſenatus illius princeps cum [e] Rinardo, [f] Pontio, [g] Albaſpineo, [h] Vacca, [i] Roſtanio, [k] Bellevreo conſiliariis et N. [l] Burello Ponſenario fiſci patrono Valentiam venit. Dum per [m] Romanium iter faceret, capti in eo Vinaci opera fere ad LX et in carcerem conjecti. Interea [n] Montelium Adaemari iverat Maugironus, ubi cum oppidanos in armis obvios habuiſſet, rem potius aſtu quam vi tentandam ratus, amicum ſe veniſſe multis verbis oſtendit, eoſque ut arma deponant hortatur; nam regem nolle ulli propter religionem periculum creari. Ita admiſſus et loco potitus, ad praedas, uti Valentiae fecerat, vertitur, et opulentiores domos diripit. Truchius vir prudenti ac moderato ingenio, cum rem exemplo indigere, et licentiam in armis conveniendi refraenandam exiſtimaret, ad haec, ut Maugirono et ejus ſequacibus occaſionem urbeis diripiendi praeriperet, celeritatem adhibet. Rei peracti duo miniſtri tanquam ſeditionis ac rebellionis auctores (is titulus crimini praefixus eſt); cenſuitque Albaſpineus, quo populum adloquendi facultas iis adimeretur, ut obſtructis oribus ad ſupplicium traherentur. [o] [‡] Marquetus, [p] Soioni praefectus juridicus, [q] Blancerius, III item alii ad mortem damnati. Haec Valentiae acta, antequam alterum a rege diploma veniſſet, Monlucio epiſcopo procurante impetratum, quo gratia omnibus fiebat, exceptis iis, qui in tumultum Amboſianum nomen dediſſent. Romanii item morte affecti ſunt [r] Robertus, et Matthaeus [ſ] Reburtius; gerulus unus flagris caeſus et ad triremeis damnatus eſt: ceteri dimiſſi haud occulta Ponſenatii infamia, quem egentem et luxu perditum per rapinas ac fordeis rei domeſticae lacunas ſarcire fama erat. A Proteſtantibus cuncta in rem ſuam interpretantibus notatum, quod Albaſpineus, qui oris miniſtris obſtruendi auctor fuerat, paulo poſt inſano cujuſdam foeminae amore correptus, ex eoque furore contracto, accedente ad haec pediculari morbo, inter graviſſimos cruciatus exſpiraverit; fraeno ab amicis in os injecto, ut cibum reciperet, quem, ob doloris impatientiam cum fame mori decreviſſet, homo rabie efferatus reſpuebat. Ponſenatius vero grandi aere obrutus, cum patrimonium omne ſuum et uxoris dotem heluaſſet, ex male actae vitae conſcientia in furorem conſimiliter

VER. LECT. [α] Salſius. P. D. o.

INTERPR. [a] *Piedmont.* [b] *de Saulx ſieur de Tavanes.* [c] *de Salerno.* [d] *Truchon, premier preſident de Grenoble.* [e] *Rinard.* [f] *Ponce.* [g] *l'Aubeſpine.* [h] *du Vache.* [i] *Roſtain.* [k] *Bellievre.* [l] *du Bourrel* dit *Ponſenas.* [m] *Romans.* [n] *Montelimar.* [o] *Marquet, procureur de Valence.* [p] *le Chaſtelain de Soyon.* [q] *Blanchier.* [r] *Roberté.* [ſ] *Rebours.*

NOT. [‡] Beze Hiſt. Eccl. p. 352. dit, qu'on y fit decapiter deux miniſtres, & pendre trois des principaux de la ville, ſçavoir Marquet, le Chaſtelain de Soyon, & Blanchier. *C.*

ſimiliter inciderit, ex quo de ſalute aeterna deſperans a ſuis vinctus inter ejulatus ac diros laniatus in ſumma inopia vitam finiverit. CIƆIƆLX. FRANCISCUS II.

XVIII. Motus in [a] Allobrogibus utcunque compoſitos [b] Monbrunius mox renovavit, dum ob religionem impune in armis conveniri poſſe arbitratur; et crebri ex nobilitate ad eum ut virum dignitate inter ipſos praecipuum ſe aggregant. Is cum ob id a ſenatu in ſe inquiri intellexiſſet, ad Joannem [c] Avanſonium veterem amicum, qui nuper [d] Gratianopolim a Guiſio miſſus fuerat, dat literas, et legum ſeveritatem deprecatur: quippe ſe religionis ac tutelae cauſa armatum incedere, neque praeterea quidquam in regem molitum eſſe. Miſſus nihilominus [e] Marinus Boverius tribunorum equitum ſuccinctus quaeſitor, qui Monbrunium cum ſuis comprehenderet. Verum is cum [f] Rullanetum exiguum oppidum veniſſet haud longe a [g] Monbrunio, a quo Carolo [h] Podienſi nomen, capto uno ex illius domeſticis conſilium praecipitavit, ac ſe praematurius prodidit. Itaque Monbrunius vocatis amicis ad Boverium mittit et ſervum captum repoſcit, petitoque cum Boverio colloquio, a verbis incaleſcente rixa ad manus ventum eſt, et quaeſita occaſione Boverius male acceptus ipſe comprehenditur. Quo facto Monbrunius Rullanetum ingreſſus, Boverii lictores capto duce attonitos et huc illuc palanteis capit, ablato iis ſenatus decreto, et Monbrunium captivos ſecum ducit: dimiſſi poſtea lictores, Boverio ſolo retento: quod in illud tempus incidit, quo Guiſius [i] Claromontii ut ſegniter nimis in eo negotio ſe gerentis pertaeſus, alioqui Momorantianorum partibus addicti, et [k] Valentinae, quam in Catharinae gratiam exagitandam ſuſceperat, cognati, [l] Gondrinium bellica virtute ſpectatum ducem ſibi fidum in Delfinatu legatum conſtituit; fremente initio nobilitate, et contra provinciae jura ac privilegia fieri dictitante, ut homo externus in ea regis legatus eſſet: tamen diploma a rege miſſum, et pro tempore promulgatum eſt. Is ergo ubi magiſtratum ingreſſus eſt, auctore ſenatu ad Monbrunium ſcribit, et, ut liberato Boverio ſe in ſenatu ad cauſam dicendam ſiſtat, jubet: ni pareat, armis et vi aperta, quando conatus ii ad rebellionem ſpectent, cum eo ſe acturum, et effecturum, ut ipſum tandem temeritatis ſuae poeniteat. Nutantem et jam regii nominis ac magiſtratus formidine copias dimittere parantem Monbrunium rurſus in ſpem erexit Alexandri [m] Guillotini juriſconſulti Vaureaco in Venaſcinenſi principatu nati adventus, qui Proteſtantium inibi ſub pontificio dominatu, ut aiebat, gementium nomine eum oravit, ut ſecum vireis in communi cauſa conjungere vellet: addebat, inter Venaſcinenſeis, qui puriori religioni ſtuderent, agitatum fuiſſe, an ſalva conſcientia contra pontificem, ſupremum eorum magiſtratum, arma ſumi poſſent; et poſt varias diſputationes ſumi poſſe placuiſſe dicebat, cum pontifex pro ſummo magiſtratu minime cenſeri debeat, ut qui Venaſcinenſem comitatum non jure ſed vi Raimundo Toloſano olim ablatum poſſideat; nec vero pontificem ulla ratione magiſtratum aut principatum extra poteſtatem eccleſiaſticam in homines exercere poſſe; cum Chriſtus ſuis edixerit, reges terrae ſubditis dominari, non autem ſic ſuos imperaturos, quorum maximum inter ipſos minimum cenſeri velit. His rationibus inductos Venaſcinenſeis aiebat Guillotinus, ut ſe ad Monbrunium legarent, et ei ſummum imperium deferrent, quod id ſalva conſcientia fieri poſſe exiſtiment. Monbrunius, qui tunc ccc circiter delectos circa ſe haberet, et aegre faceret, ut eos dimitteret, hanc belli a ditione regia in pontificiam transferendi occaſionem ſibi oblatam avide

INTERPR. [a] *Dauphiné.* [b] *de Montbrun* [c] *d'Avanſon.* [d] *Grenoble.* [e] *Marin de Bouver, prevoſt des mareſchaux.* [f] *Raillanete.* [g] *Château de Montbrun.* [h] *du Puy.* [i] *de Clermont Tallart.* [k] *ducheſſe de Valentinois.* [l] *la Motte Gondrin.* [m] *Guillotin, natif de Vaureas au comté Venaiſſin.*

CIↃIↃLX.

FRANCISCUS II.

avide arripuit, et conditionem accepit; viſiſque [a] Guillotini ampliſſimis mandatis, tandem conventum, ut [b] [1] Vezuvium Guillotinus ſitu munitum locum, Monbrunius [c] Maloſſenam, haud longe a [2] Vezuvio, in qua machinae bellicae et reliquum armamentarium repoſitum erat, eodem tempore occuparent. Dicta dies [3] Non. Sextil. verum cum ultro citroque commeante Guillotino oppidani in ſuſpicionem veniſſent occulti facinoris, eo majore cura ſtationibus duplicatis ſecuritati ſuae proſpiciunt, quod conjuratorum conatus turbavit. Ipſe Guillotinus ſub id tempus gravi morbo oppreſſus apud Monbrunium ſe excuſavit. Verum Monbrunius, qui illum defici animo potius quam febre infeſtari crederet, et capta Maloſſena ſe Vezuvio facile potiturum ſperaret, condicta die Maloſſenam occupat cum IↃ CCC; et inde recta Vezuvium copiolas ſuas ducit: quo ad eum, quamvis adhuc valetudine infirma, Guillotinus cum CC armatis venit. [d] Avenione erat Jacobus Maria [e] Sala Vivarienſis epiſcopus Alexandri Farneſii cardinalis vicarius, qui mox [f] Cadaruſſam et Albinianum, cum [g] [a] Bertono Grillonio et [h] Novezano ac tumultuaria manu eo mittit, quae lento gradu poſt eos incedebat, ut quid vellet Monbrunius ſciſcitarentur, et conatus ejus impedirent. Nihil actum eo colloquio. Nam cum Vivarienſis quoſdam e Monbrunianis, dum ſui colloquuntur, intercepiſſet, Monbrunius viciſſim legatos quaſi fide violata ſiſtit, donec ſui remitterentur: quibus remiſſis retentus tamen Guillotinus, quod tempore colloquii Vezuvium ingreſſus oppidanorum fidem ſolicitaſſet. Ita ad arma ventum, quorum ſucceſſum veritus Vivarienſis ex levibus aliquot proeliis periculo facto [i] Gondrinii opem ac fidem implorat, et, ut Monbrunium ab armis diſcedere jubeat, rogat; quoque magis eum ſtimularet, XII CIↃ aureorum numerari imperat. Mox et allatae ad Gondrinium a rege literae XVI Kal. Sept. ſcriptae, quibus jubebatur copias ad perſequendum Monbrunium conſcribere. Dum igitur ſe ad bellum parat Gondrinius, rurſus ad Monbrunium dat literas, et, ſi quidem ſit fidelis regi ſubditus, a pontificia ditione arma abſtinere jubet, parenti gratiam et cuncta ſecunda a rege pollicitus. Ad quas Monbrunius reſpondit, et ſe fidelem regi ſubditum et arma non contra ipſum aut ipſius miniſtros ſumpta; quinimo, ut eam invidiam a ſe amoliretur, nuper regia ditione exceſſiſſe: ſed rogatum a Venaſcinenſibus pro eorum tutela copias coegiſſe; et quando juſſus ſit Gallia excedere, non alio potuiſſe aut debuiſſe meliore jure migrare, quam in ejus terras, cujus ſaevitia et ambitione effectum ſit, ut Chriſtiani principes ad exterminandos Dei filios quaſi facta conjuratione arma ſociaverint. Interea Gondrinius [k] Gratianopoli tormenta advehi curat, et delectus ac legionarios provinciae cogi jubet, cumque ſua, principis Salernitani et Claromontii cataphractorum equitum alis [l] Bolenam tendit VII a Maloſſena leucis. Ei ſe [m] vicarii copiae mox junxere ducibus [n] Sanjallio et Roſſeto, qui caedibus ac latrociniis infames, metu poenae ſolum verterant, et in pontificis ditionem confugerant. Copiae univerſae circiter IV CIↃ peditum, IↃ equites efficiebant. Ibi levibus aliquot proeliis proluſum; ſed deteriore pontificiorum conditione. Sub id tempus cardinalis [o] Turnonius Roma rediens cum [p] Maſſiliam appuliſſet, et adverſo [q] Rhodano cum [r] Polinio Lugdunum tenderet, de his motibus certior factus, et vicem

Monbrunii

VAR. LECT. [a] Britone Gillinio. *P. D. σ.*

INTERPR. [a] *Guillotin.* [b] *Vaiſon.* [c] *Maloſſene.* [d] *Avignon.* [e] *Sala, eveſque de Viviers, vicelegat d'Avignon.* [f] *Caderrouſſe, & Aubignan.* [g] *de Berton, ſieur de Grillon.* [h] *Novezan.* [i] *la Motte Gondrin.* [k] *Grenoble.* [l] *Bolenne.* [m] *le vicelegat.* [n] *St. Jaille, & Roſſet.* [o] *de Tournon.* [p] *Marſeille.* [q] *le Rhône.* [r] *baron de la Garde dit le capitaine Polin.*

NOT. [1] *Vaſionem Vocontiorum.* *Put.* [2] *Vaſione.* *Put.* [3] Beze dit que c'eſtoit le 6 d'Aouſt, Hiſt. Eccl. p. 359. *Lege* VIII *Eid. Sextil.* C.

Monbrunii dolens (is [a] Turnonii [1] fratris filiam in uxorem duxerat) cum per literas et nuncios hortatur, ut relictis turbidis conſiliis quietem ſectetur: quod ſi faciat, gratiam a rege, domui ſecuritatem, conſcientiae libertatem, bonorum item omnium reſtitutionem pollicetur. Nec multo poſt miſſi a [b] Gondrinio de pace legati [c] Foreſtus Blaconus, [d] Sammarianus, Portius, Rupius; qui regiis mandatis ſubnixi, et Gondrinii ac provinciae ordinum nomine cum eo agérent, et fidem pactis interponerent. Conditiones propoſitae; ut Monbruoius ab armis diſcederet, ac ſe quietus domum conferret, ritus Romanae eccleſiae ſequeretur; quod ſi nollet, Gallia excedere teneretur; quo caſu ei ac ſuis liceret omnia ſua bona intra anoum divendere: utram conditionem vellet, optaret: fides a nobilitate interpoſita, pacta conventa citra dolum ac fraudem ſervatum iri. Moobrunius alteri conditioni acquievit, eo libentius, quod de [e] Ferrerii Malinii junioris conſiliis, de quibus jam diximus, intellexiſſet, et ſuos ad eam rem deſtinatos opportune tunc temporis, ut conſilium lateret, dimitti judicaret. Pactis convenerat, ut captivi utrinque liberarentur, et Moobrunius cum ſuis domum ſe conferret, tum eos dimitteret; ſed cum eos ſingulos carpi a pontificiis ac ſpoliari contra fidem datam reſciviſſet, ad haec circa [f] Monbrunium a Goodrinio, qui et ipſe copias dimittere debebat, praeſidia [g] Vallipetrae, [h] Serrae, ac coenobio vicino impoſita aegre ferret, priſtina conſilia reſumit, et cum CC circiter e ſuis Vallipetram vi capit. Militi parcitum; ſed ſacerdotes in oppido reperti male mulctati, qood eorum fraude factum diceret, ut plures e ſuis contra fidem datam interfecti eſſent. Ea re irritatus Gondrinius, qui majorem circa ſe manum habere Moobrunium putaret, rurſus copias cum Antonio [i] Balma Suzae comite et [k] vicario jungit, obviumqoe Monbrunium prope [l] Mulantium habuit; qui impar viribus, quod numero deerat, ſolertia ſupplevit; et cum tantum CCCC pedites haberet et L equites, tribus idoneis locis inſidias ſtruit, loco fidens convallibus et aſperis mootibus, rivo et crebris torrentibus interciſo. Ita vero ſuos ordinaverat, ut invicem ſibi auxilio eſſe poſſent, tuto poſt certamen receptu; edixeratque, ut non prius impetum facerent, quam univerſi Gondriniani intra anguſtias locorum penetraſſent: ſed ardore militum, non exſpectato ducis juſſu, erumpentium conſilium praecipitatum fuit, et primi taotum capti aut occiſi; ceteros Gondrinius, qui ultimum agmeo ducebat, ſiſtit, et retro in planitie ſubjecta ad pugnam inſtruit. Nec ſegnius Moobrunius, quamvis ſuorum impatientia pulcherrimam delendi hoſtis occaſionem ſibi ereptam doleret, et ipſe ex latebris prodit, ac militem quaſi certaturus in aciem inſtruit. Verum Gondrinius veteranus dux, ſive quod cum deſperatis pugnare minime tutum exiſtimaret, ſive quod omnino debellatum nollet, quod homo avarus ex eo bello, ut alii jactabant, magnam utilitatem caperet, pontifice et ejus legatis in illud pecuniam aſſidue ſubminiſtrantibus, rem proelii aleae nequaqoam commiſit; ſed ſatis habuit eo Monbrunianos adegiſſe, ut, cum nuſquam tutum receptum haberent, ſenſim dilapſi privarae ſaluti conſulere cogerentur. Nam conſilium de Lugduno intercipiendo exitum non habuerat, et Proteſtantium res ubique per regnum inclinare nunciabantur. Itaque a ſuis deſertus Monbrunius Gallia excedere ſtatuit, atque hujus conſilii participem et ſocium qoem faceret unum deligit Matthaeum [m] Antonianum juriſconſultum; qoem et doctrinae, quam ſequebatur, favere et ſibi admodum fidum eſſe arbitrabatur. Cum eo aſſumpta ſecum uxore, quam vir obnoxius

INTERPR. [a] *de Tournon.* [b] *la Motte Gondrin.* [c] *la Foreſt Blaçons.* [d] *les capitaines Ste. Marie, le Port, & la Roche.* [e] *de Ferrieres Maligny.* [f] *Château de Montbrun.* [g] *Vaupierre.* [h] *Serre, & l'abbaye de la Grave.* [i] *la Baume, comte de Suze.* [k] *vicelegat.* [l] *Moulans.* [m] *d'Antoine avoçat de Grenoble.*

NOT. [1] Lege *ſororis.* Elle s'appelloit Juſtine ſœur du Cardinal. *Pat.* Alemande des Champs fille de Juſtine de Tournon

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

obnoxius plus aequo diligebat, in viam ſe dat: cumque Merindolium petiturus [a] [1] Buſquetum veniſſet, Antonianus ille praevalente adverſus fidem datam maligna natura, quae huc uſque latuerat, deteſtandae perfidiae conſilium capit, implorataque contra rebellium et Hugonotorum anteſignanum, ſic Monbrunium vocabat, oppidanorum ope, ipſe in eum manus injicit: qui detracta ſibi e collo aurea catena, quam nefarius praedo manu prehenderat, et ipſo in terram dejecto, per diverſorii feneſtram elapſus inde per avia aufugit, ſericea tunica cum ruſtici penula lintea, quo melius inſequenteis falleret, permutata. Uxor ejus omni mundo ſpoliata, muli item varia ſupellectile onuſti, et cetera impedimenta capta ab Antoniano, qui Gondrinii imperium obtendebat; apud quem multa aut conficta aut audita tantum ex Monbrunio de Condaei conſiliis cum diſſeruiſſet, ab eo perbenigne acceptus eſt; ea ſpe, ut contra ipſum Condaeum teſtis aliquando produceretur. Idem mox acceptis a Gondrinio aliquot militibus ad Monbrunium in Sabaudia intercipiendum miſſus, cum in eum incidiſſet, ſive fatali caecitate, ſive pudore ac conſcientia revocatus, fruſtra fuit: et ita Monbrunius omni re exutus, cum uxore fida et individua utriuſque fortunae comite, Genevam pervenit, et inde in [b] Bernatum ditionem conceſſit. [c] Guillotinus iniquiorem ſortem expertus eſt, cum in Helvetios tenderet, juxta [d] Gratianopolim captus, et ab Antoniano indicatus tanquam belli in comitatu [e] Venaſcinenſi excitati incentor: quod tamen cum ille aſſeveranter pernegaret, nec probationes ad manum eſſent, judicii ſeveritatem effugit, juſſu Guiſii ſervatus, ut cum Condaeo committeretur. Capti et tunc [f] Changii fratres, de quibus diximus, a [g] Sancaumontio propiore ſobrino, quaſi conjurationis initae conſcii, ex quorum ore Condaeum convinci poſſe ſperabatur.

XIX. Nec Provincia ſuis motibus caruit; quorum initium ab anno ſuperiore repetemus. [h] Antonius et [α] Paulus Richiendi fratres Moventii dicti, [i] Caſtellanae municipes honeſto loco nati, cum Subalpinis bellis magnam virtutis laudem adepti eſſent, Proteſtantium doctrina imbuti domi ſe continebant, accito Geneva paſtore, qui conciones in eorum aedibus noctu habebat, ad quas permulti licet aſpera admodum hieme undique confluebant. Id aegre ferentes municipes incentore Franciſcano, qui per quadrageſimae tempus apud eos publice concionabatur, arma corripiunt, et ex iis fere 10 aedeis Antonii circumſident. Ob id Paulus [k] Aquas Sextias profectus, cum apud ſenatum de injuria conqueſtus eſſet, et municipes viciſſim Moventios fratres detuliſſent, quod coetus illiciti in eorum aedibus haberentur, nihil obtineri potuit. Tandem decretum, ut in ipſos tanquam Sectarios inquireretur. Inde Paulus in aulam properat et, de Aquenſi ſenatu tanquam ſuſpecto querela inſtituta, impetrat, ut cauſae cognitio ei interdiceretur, et ad [l] Gratianopolitanam curiam remitteretur. Probationes tamen juſſu cardinalis Lotaringi ab infeſtis judicibus retentae, ita ut cauſae perſecutio neceſſario intermiſſa ſit. Nec propterea quieverunt Moventii; ſed cum aliud non poſſent, conquiſitis undique teſtibus, actis, inſtrumentis ac probationibus, de judicum Aquenſium corruptis moribus, latrociniis ac concuſſionibus accuſationem apud regem inſtituunt, quod communibus Proteſtantium ſumptibus fieri debebat. Dum in eo ſunt, Antonius ab amicis rogatus, ut cum municipibus reconciliaretur,

VAR. LECT. [α] Apollonius *ubique*. P.

INTERPR. [a] *le Buſquet.* [b] *de Berne.* [c] *Guillotin.* [d] *Grenoble.* [e] *comté Venaiſſin.* [f] *de Changy.* [g] *de St. Chaumont.* [h] *Antoine & Paul de Richiend, ſeigneurs de Mouvans.* [i] *Caſtellane.* [k] *Aix.* [l] *parlement de Grenoble.*

NOT. [1] Lege *Buxetum*. Encore que la Planche, que M. de Thou a ſuivi, appelle ce lieu Buſquet, toutefois c'eſt le Buyx, qui n'eſt qu'à une lieu de Merindol en Dauphiné. *Put.* Beze dit que c'eſt en Provence, p. 370. *C.*

CIↃIↃLX.

FRANCISCUS II.

reconciliaretur, conditionem accipit, et [a] Folioſam condicta die proficiſcitur: ubi cum negotii arbitros non reperiſſet, [b] [α] Draguinianum ſub veſperam venit. Ibi ſtatim a puerorum turba a loci ſacerdotibus, uti creditur, excitatorum circumſeſſus, cum ad eos plus III CIↃ hominum conſuſa voce ad mortem eum depoſcentium ſe aggregaſſent, tandem ſe in [c] praefecti oppidi manus ſub regii nominis tutela tradit: ſed ne ſic quidem efferatae plebis rabiem effugere potuit; quae ſurore caeca praefecti manibus ereptum immaniter interfecit, tum exenterato ventre viſcera per vicos tracta, ac poſtremo in cloacam moenibus ſubjectam projecit: cor et jecur haſtae affixa et per oppidum ferali pompa diu circumgeſtata tandem canibus tanquam genus cibi devoranda praebita ſunt; averſantibuſque ea canibus, indignati qui praebuerant, in canes tanquam Lutheranos ſaevierunt. Ea de re cum Paulus frater in ſenatu Aquenſi queſtus eſſet, miſſi ex eo ordine Draguinianum Henricus [d] Victor, [e] Spiritus Vitalis, qui non tam de caede [f] Antonii, quam de moribus ejus ac religione inquiſitione facta, cadaver defuncti a percuſſoribus ſalitum in urbem deportandum curavere. Municipes occultum ſenatus favorem experti, inde fiducia capta, in Moventii affineis et amicos, tanquam ob religionem ſuſpectos, vario injuriarum genere graſſati ſunt. Hoc in tempus Henrici mortis incidit, a quo Paulus ſemper trepidis in rebus egit, immodicos alendo militi ad privatam corporis tutelam ſumptus faciens, donec [β] [g] Caſtelnovio, qui coetui a [h] Renaudio in [i] Namnetibus habito interfuerat, in [k] Provinciam ad conſcribendum militem veniente, convocatis [l] LX [m] Merindolii, tot enim convenerant, ipſe dux ab omnibus unanimi conſenſu deligitur: nec ſeguiter mandata poteſtate ille uſus eſt, exacta copiarum inita ratione, et ducibus conſtitutis ac comparatis rebus omnibus neceſſariis. Putata diligenter ratione II CIↃ egregie armis inſtructorum hominum numerata ſunt. Quibus viribus ſubnixus opportunam ulciſcendae injuriae, et fraterni cadaveris, quod in carcere ignominioſe inſepultum aſſervabatur, recipiendi occaſionem ſibi oblatam gaudens, conſilium de Aquenſi civitate in poteſtatem redigenda cepit, ſpe a ſociis, qui in urbe erant, facta de porta prodenda. Sed cum illi re detecta animo linquerentur, et curiae literis evocatus Claudius [n] Sabaudus Tendae comes ac Provinciae praeſes propere cum [o] Polinio in urbem adveniſſet, [p] Arelatenſeſque duplicatis cuſtodiis ad rei famam ſe muniviſſent, ipſe, ne ſine ullo operae pretio ſe reciperet, in campos patenteis cum IↃ circiter effuſus per vicos et municipia imagines paſſim e templis dejicit, et aurea omnia vaſa et argentea conflat, vocatis conſulibus et locorum ſyndicis, et deſcriptione ac aeſtimatione coram illis facta. Horum acta penes ſe retinuit Paulus, tantaque militum alioqui praedae avidorum modeſtia aut in ducem amor ac reverentia fuit, ut nemo repertus ſit, qui vi quidquam e templis rapuerit. Ad hos motus praeſes delectus tota regione cogit, et cum ſua equitum cataphractorum ala ad Moventium recta tendit, qui in eo erat, ut ſocios [q] Ciſtertione ab oppidanis excluſos reſtitueret. Is ubi de praeſidiis numeroſis copiis ſubnixi, quippe qui VI CIↃ militum ſecum traheret, adventu cognovit, cum nec Ciſtertionem aggredi tam vicino exercitu, nec ſuos dimittere tutum exiſtimaret, copiis in aciem inſtructis ad [r] Andreae fanum ſitu munitum coenobium ſe

VAR. LECT. [α] Draginianum. *P. D. o. f. d.* [β] Caſtelnovo. *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Fayenſe* Beze l'appelle *Frejus.* [b] *Draguignan.* [c] *le viguier de la ville.* [d] *Victoris.* [e] *Eſprit Vitalis.* [f] *Antoine de Richiend, ſieur de Mouvans.* [g] *le capitaine Chaſteauneuf.* [h] *la Renaudie.* [i] *Nantes.* [k] *Provence.* [l] *les deputés de 60 egliſes de Provence.* [m] *Merindol.* [n] *de Savoie, comte de Tende, gouv. de Provence.* [o] *baron de la Garde,* dit *le capitaine Polin.* [p] *ceux d'Arles.* [q] *Ciſteron.* [r] *l'abbaye de St. André.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

ſe recepit, comportatoque ex propinquis locis commeatu, in eo obſidionem ſuſtinere et Renaudit mandata opperiri ſtatuit. Praemiſſus a praeſide Polinius, qui locum luſtraret, et non ſine periculo repulſus, cum homines ad defenſionem paratos vidiſſe ſe diceret, et magno conſtituram eam obſidionem confirmaret, praeſes qui a fundendo ſanguine abhorrebat, nec omnino a Proteſtantium cauſa alienus erat, Paulum ad colloquium poſcit, qui ſubito fide data ad eum venit, et cauſam excitati in Provincia motus rogatus, non aliam eſſe reſpondit, quam ob injuriam ſibi in fratris nece factam; cujus ultionem cum fruſtra apud ſenatum perſecutus eſſet, ut ſaluti ſuae conſuleret, coactum fuiſſe homines armatos circa ſe habere; nihil vero aliud quaerere, quam ut indigna fratris caedes publica magiſtratus auctoritate vindicetur, et [a] Caſtellanenſium, qui ſibi inſidias quotidie ſtruant, inſolentia cohibeatur: ſibi interim ac ſuis libera religionis, quam veram credat, profeſſio permittatur; de cetero ſe regi obedientem, ut hactenus fuerit, ſemper in poſterum fore; nec commiſſurum, ut, quam fidem Henrico patri navaverit, quiſquam a ſe rege Franciſco filio requirat: quod additum, ut Amboſiani tumultus, quamvis ejus conſcius eſſet, invidiam a ſe removeret. Igitur conventum, ut Paulus milites dimitteret, quibus incolumitas a praeſide promiſſa, ac tantundem ex iis penes ſe retineret, quantum ad privatam tutelam ſatis eſſet, libera religionis ei ac ſuis profeſſione permiſſa; ac fide data, fore, ut ei de nece fratris a ſenatu ſatisfieret. Dederant et ad eum rex ac regina literas, quibus hominem laudabant, ipſiuſque fidem ſibi perſpectam teſtabantur; ſed in occulto ſenatui mandatum fuerat, ut, ſi ipſe ac [b] Caſtelnovius comprehendi poſſent, de iis ultimum ſupplicium ſumeretur. Ita ab armis diſceſſum. Polinius inveterato contra [c] Merindolianos jam olim et Caprarienſeis odio, ad inſequendum [d] Moventium, qui L tantum armatos retinuerat, Caſtellanenſium inſtigatu contra fidem datam, praeſide ignaro ſive invito, profectus fruſtra fuit: nam Moventius de inſidiis certior factus, ultro obviam procedens, eum non ſine ludibrio repulit. Superſtitioſe a ſociis acceptum, quod cum duo ex iis, qui cum Antonio occiſi fuerant, in rivi ſubjecti ripa terrae mandati, et torrentium aquarum vi poſtea revulſi in ſicco per trimeſtre deſtituti fuiſſent, eorum tamen corpora minime corrupta ſint; cum unus ex percuſſoribus paulo poſt interfectus et in vicino loco ſepultus intra XXIV horarum ſpatium computruerit: nam id ratione ſoli accidere potuit, quod arenoſum tardius, humidum ac pingue citius cadavera corrumpit. Poſitis armis Moventius, cum ob dejectas paſſim imagines popularibus inviſus in patria tuto degere non poſſet, ultro Genevam migravit: ubi a Guiſio ob virtutis bellicae opinionem ſollicitatus quamvis prolixe omnia pollicenti minime auſcultavit.

XX. IN [1] Armoricano quoque tractu Proteſtantium numerus mirum in modum excrevit, ita ut jam publice conciones haberentur, [e] Cadomi praecipue, ad [α] [f] Laudi fanum, et [g] Dieppae in agro [h] Caletenſi; quorum aemulatione qui [i] Rotomagi erant, praevalente inconſultae juventutis adverſus ſeniorum prudentiam calore, fiduciam cepere publice concionandi. Nec deerant etiam in ſenatu, qui eorum doctrinae faverent; ſed ut in occulto eam colerent, aſſidue monebant. Inter eos unus exortus, qui in damnata Anabaptiſtarum ſchola educatus fuerat, et poſtea trium linguarum inaudita arte edocendarum opinione clarus ludum aperuerat, occaſionem ex eo modeſtiores calumniandi arripiens, quamvis

VAR. LECT. [α] Lodi. *P. D o.*

INTERPR. [a] *ceux de Caſtellane.* [b] *Chaſteauneuf.* [c] *ceux de Merindol & de Cabrieres.* [d] *de Mouvans.* [e] *Caen.* [f] *St. Lo.* [g] *Dieppe.* [h] *pays de Caux.* [i] *Rouen.*

NOT. [1] Dele *In Armoricano quoque tractu*; *lege* In Neuſtria quoque. *Pat.*

quamvis Geneva expulſus et ne cui in eccleſia muneri ſe immiſcere interdictus fuiſſet, publice in campo aperto et interdiu conciones habere coepit: confluente ad rei novitatem, ut fit, innumera multitudine, etiam eorum, qui hominis doctrinam minime probabant, et alioqui citra periculum clam coetus frequentari malebant. Ipſe ſibi a Deo mira revelari aiebat, atque hoc inprimis, Antichriſtum armorum vi de throno dejectum iri; ſe vero exercitus ducem a Deo delectum, qui cunctos nocenteis de terra exſtirparet: ſibi mandatum, ut malos principes ac magiſtratus necaret; inſuper raro Dei munere conceſſum, ut non ante moreretur, quam novum mundum condidiſſet ab omni labe ac peccato purum; proinde hortari, ſecum ac ſuis auſpiciis arma caperent: nec vero mirari quenquam debere, quod Amboſianus conatus non ſucceſſerit, quippe ad quem ipſe non fuiſſet vocatus. Cum haec palam diceret, ad ſingula verba, quaſi a numine intus agitaretur, os contorquebat, oculis occluſis rictum diducebat, pandum caput rotabat, mox cernuus in faciem procidebat, atque in terra volutabatur, pectore anhelo et ore ſpumanti verris inſtar; ita riſum permultis movebat: nec paucioribus imponebat; inter quos duo fratres ipſius cognati fuere, a quibus nimia ſimplicitate deceptus et recto exceptus, cum ab omnibus excluderetur, et favore, cum ad populum verba faceret, adjutus eſt. Tandem cum ad apertam ſeditionem ſpectaret, cardinali etiam Borbonio jurgiis laceſſito, cum forte [a] Gallione in urbem veniens, illac, qua ille concionabatur, iter haberet, Jo. [b] Tutta-villae Villabonii [c] Bullionii ducis legati juſſu a quaeſitore ſuccincto comprehenſus et intra quatriduum reus peractus flammis publice uſtulatus eſt. Gula item duobus illis fratribus fracta, qui a nefario impoſtore perſuaſi eum nunquam moriturum credebant; nec prius ab inſano errore, quem pertinaciter tuebantur, ſanati ſunt, quam ipſum igni conſumptum viderunt. Id actum magna urbis ac ſenatus, nec minore Proteſtantium laetitia, qui magna ſe invidia in ipſos tanquam ſectae ac culpae ejus affineis derivata, fanatico juxta et impio homine ſublato, levatos exiſtimabant.

INTERPR. [a] *Gaillon.* [b] *d'Eſtouteville, ſieur de Villebon.* [c] *duc de Boullon.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER VIGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

VIENNENSIS archiepiſcopi ad Monpenſeriam de occultis Guiſianorum adverſus Navarrum et Condaeum conſiliis monita, et paulo poſt ſecuta mors. II. Rex Aurelianum ad comitia indicta tendit. Audelotus aula in citeriorem Britanniam diſcedit. III. Navarrus et Condaeus diſſuadentibus plerisque ex amicis tandem in aulam veniunt. IV. Condaeus capitur, et eodem tempore Roienſis ſocrus. Hier. Grolotius Aureliani praetor in carcerem truditur. Navarrus ſub libera cuſtodia retinetur, et de eo interficiendo ſumptum conſilium. Renata Ferrarienſis ex Italia in aulam venit. V. Condaei cauſa agitatur. VI. Regis morbus ingraveſcit, ex quo paulo poſt deceſſit, an decreto jam contra Condaeum facto, incertum. Navarrus Lonviana Monpenſerii uxore et Hoſpitalio annitentibus Catharinae reconciliatur. In Guiſianos dicteria ac ludibria. Annas Momorantius magiſter equitum in aulam evocatus, ſuperſtite adhuc Franciſco II, dum cunctatur in itinere, nuncium regis mortis accipit, et iter accelerat. VII. Condaeus cuſtodia liberatur, et in Picardiam ſe confert. VIII. Exſequiae Franciſci II vili pompa celebratae, Silvanectenſi epiſcopo et Sanſaco ac Broſſio funus deducentibus, non ſine Guiſianorum invidia; in quam Tanaquilli Caſtelli in Armorica viri illuſtris Carolo VII rege memoria renovata. IX. Navarrus Catharinae reconciliatus ſic adminiſtrationem publicam cum ea partitur, ut penes ipſam regimen eſſet, ipſe praeſidis generalis per totum regnum titulos et auctoritatem ſumeret. X. Fr. Vindocini in aedibus ſuis Baſiliae vicinis ſub id ſecuta mors. XI. Hoſpitalius magiſtratum ſuum a lege aequiſſima inchoat, qua ſoeminarum ad altera vota convolantium voluntates fraenantur. XII. Memorabile S. C. Toloſae contra impoſtorem Arnoldum Tillium, qui ſe pro Martino Guerra ferebat, et uxorem ejus deceperat, latum. XIII. Pontifex novus, ut nomini Medicaeo, quod ſibi ſumpſerat, dignitatem majorem conciliaret, ſeque in eam familiam tanta gratia inſinuaret, de Coſmo rege Etruriae creando cogitat. XIV. Belgici motus ob religionem ſemina. Bartholomaeus Caranza archiepiſcopus Toletanus Sectarii mali poſtulatur, et Romam citatus in carcerem conjicitur. Oecumenici concilii petitio eluditur, et nationale impeditur. XV. In Carafas odium renudatum, et cardinalis ac Joannes Montorii comes frater in carcerem truduntur. Nec melius Petilianus ab eo habitus. XVI. Coſmus Romam venit, et fluctuanti pontifici fit auctor, nationalis a Gallis metu injecto, ut oecumenicum, quod Caeſar urgebat, perſequeretur. XVII. Tripolitana expeditio a Joanne Cerda Siciliae prorege ſuſcepta contra Dragutem qui amoto Morutaba Caruennae regnum occupaverat, et Lotophagitidem inſulam vicinam, Solimano dynaſta ejus per fraudem capto ac poſtremo in furcam acto. XVIII. Inſulae deſcriptio et incolarum mores, opes, et erga principem cultus. XIX. Inſula in noſtrorum poteſtatem venit, et Cerda tributum Philippo a dynaſta pactus

munitionem

munitionem ſtruit, eique Barahonam caſtrorum praefectum cum valido praeſidio imponit, ſpretis Joannis A. Auriae monitis, qui auxiliari Turcicae claſſi duce Piali purpurato venienti, relicta munitione in Aegaeo mari, antequam ſe cum Dragute et piraticis triremibus conjunxiſſet, occurrendum eſſe ſuadebat. XX. *Tandem adveniente hoſtili claſſe, cum de milite in naveis imponendo tumultuarie conſultaretur, Alvarus Sandaeus ultro ſe obtulit, qui munitionem, cui defendendae Barahonam imparem videbat, contra Turcos tueretur. Oppreſſus Cerda, triremibus* XIX, *et* XIV *navibus onerariis amiſſis, cum Joanne And. Auria vix effugit. Sandaeus cum in nova arce defendenda ſumma omnia feciſſet, dum per avia eruptione facta hoſtilem foſſam tentat perrumpere, et conſcenſis triremibus, quae ex clade ſupererant, in altum evadere, undique circumfuſus capitur, et ad Pialim, qui eum perhonorifice excepit, cum ſuis adducitur : qui in arce remanſerant, poſtea in miſeram captivitatem abducti.* XXI. *Sandaeus poſtea Busbequii, qui Ferdinandi oratorem ad Portam agebat, interventu, a Turcis libertati reſtitutus, nec non Sanctius Leva et Berengarius Requeſenes.* XXII. *Petrus Macchiavellus Coſmi claſſi praepoſitus, ad Aegilium a Turcicis triremibus circumventus, periclitatur.* XXIII. *Ordo equeſtris S. Stephani in memoriam proſpere pugnatae ad Marcianum pugnae a Coſmo inſtitutus.* XXIV. *Livonica ſubjiciuntur. Infeſtatis a Moſco his populis magnus Holſatiae princeps auxiliarius venit, qui eos hoſte pejus habet. Tumultuantibus Moſci interveniunt, et Livonos prope Ermas profligant, ſucceſſumque urgentes Velinum arcem, in quam ſe Willelmus Furſtembergius ejerata dignitate receperat, capiunt, ipſumque ſenem triumphabundi Moſcam longe abducunt. Revalienſes omni ope deſtituti Erico novo Sueciae regi quanquam aegre ſe ſubjiciunt.* XXV. *Guſtavi patris, regii nominis in familia ſua fundatoris, mors et elogium :* XXVI. *Andreae item Auriae, et repetita jam intermortua ejus memoria. Bellaiorum obitus et laudes ; Laelii Capilupi, Jacobi Bonſadii, Philippi Melanchthonis, Georgii Sabini, Petri Lotichii, Nicolai Gerbelii, Joannis Dryandri.*

Ex auctoribus,

Joanne Placio, Lud. Renerio Plancio, Joanne Serrano, Jo. Huralto Boetallerio, actis publicis, Jo. Baptiſta Hadriano, Uberto Folieta, Antonio Franciſco Cirnio, Davidis Chytraei Vandalia.

LIBER VIGESIMUS SEXTUS.

CIƆIƆLX. FRANCISCUS II. GERMANI-ſano rex ſub id Luteriam venit, quo jam militares copiae a Guiſianis undique ex Scotia et [a] Subalpina provincia accerſitae convenerant. Ibi ex Guiſianorum conſilio convocatis pleriſque ex ſenatoribus, rejecta Amboſiani motus in Borbonios invidia, ipſe palam metum fatetur, et trepidam ſibi vitam ac ſuſpectas inimicorum inſidias eſſe, tum armorum ac profectionis cauſas aperit. Jamque A. [b] Cruſſolius et mox cardinalis Borbonius in aulam redierant, Navarrum et cum eo Condaeum venturos affirmantes. Ea res diu inter eorum ſequaces acriter diſceptata: cum alii dicerent non debere eos temere Guiſianorum fidei ſe committere, alii parendum ſuaderent; ſic enim obſequii fidem facturos, et os inimicis neſaria conſilia illos agitare blaterantibus obſtructum iri: non temere in regiae ſtirpis principes manum mitti; fidem regis interpoſitam, qua freros nihil metuere debere: et potius eſſe, ut vel ſuo periculo regiae clementiae experimentum facerent, quam dum privatae ſecuritati conſulunt, peſſimum inobedientiae exemplum univerſis praebeant. [c] Scarſius homo duplex profectionem urgebat: et Almericus [d] Bucardus jam ante regem per literas monuerat, ut Condaeum a Navarro divideret: nam ex quo Condaeus ad eum veniſſet, turbida conſilia in ipſius domo agitari coepta, evocatos Geneva paſtores, et omnia ad turbas ac ſeditiones comparari: eaque de cauſa ipſe, ne videretur pravis conſiliis participare, [e] Joannis [α] Angeriaci fanum in Santonibus, unde ortus erat, petita a Navarro venia ſe contulerat. Maxime omnium profectionem dehortabantur [f] Roienſis et Helionora Condaei uxor, et ſi Navarrus in propoſito pertenderet, ſaltem Condaeum, qui praecipue peteretur, ſeponi et domi remanere oportere contendebant: ſic enim melius vitae Navarri conſultum iri, quem Guiſiani ultorem Condaeum veriti minime ſint aggreſſuri. Rex inde cum Catharina parente et Guiſianis CIƆ equitibus cataphractis ſtipatus in viam ſe dat, relicto in [g] Vicenarum caſtro Henrico fratre [h] Andium duce et Margarita ſorore. Ubi [i] Artenacum venit, [k] Vienneſis archiepiſcopus, qui, quo Guiſianorum conſilia tenderent, providebat, ad [l] Longvianam Monpenſerii uxorem, cui perfamiliaris erat, literas fiduciarias per hominem egregie inſtructum mittit. Mandatorum ſumma haec erat; ut ipſa fidei datae recordaretur; quam primum bona mariti ex Caroli avunculi hereditate a rege poſſeſſa recuperaſſet, daturam operam, ut Guiſianorum conatus impedirentur; tempus veniſſe, [m] Bellijocenſibus ac Dumbaribus receptis, quo fidem liberaret: nam eo ſtatu res eſſe, ut etiam ſi ſuum non recepiſſet, tamen omni ratione privata poſthabita, ſi Galliam ſalvam cupit, mature ambitioſorum hominum conſiliis obviam eundum ſit: poſtquam enim ab ipſa diſceſſerit, certo reſciviſſe, ſtatuiſſe Guiſianos Condaeum, ſi in aulam veniat, in carcerem conjicere; Navarrum vero ita ſepire, ut paulum a captivo ſit abfuturus: quo facto parum praeſidii fore in cardinali Borbonio, cujus jam opera ad fratres fallendos uſi ſint: iis autem ſublatis ſupereſſe tantum duos, ipſius videlicet maritum et [n] Rupiſurionium fratrem, per ſe parum potenteis; quorum alterum pyris, quae optima ferunt [o] Turones, alterum

VAR. LECT. [α] Angeriaci *deeſt* P. D. o. f. d.

INTERPR. [a] *Piedmont.* [b] *comte de Cruſſol* [c] *d'Eſcars.* [d] *Bouchard.* [e] *S. Jean d'Angely en Saintonge.* [f] *de Roye.* [g] *Vincennes.* [h] *Anjou.* [i] *Artenay.* [k] *Charles de Marillac, archev. de Vienne.* [l] *de Longueac.* [m] *Beaujolois & Dombes.* [n] *prince de la Roche-ſur-Yon.* [o] *Touraine*

alterum cotoneis malis, quae conſimiliter optima producit [a] Aurelianenſis ager, quaſi pueros bellariis ineſcatos per ludibrium clamitant. Meminiſſe debere, quod ab ipſa ſaepius audierit, exſtinctis regiae ſtirpis principibus, parum in Catharina jam Guiſianorum ſeu blanditiis ſeu violentia oppreſſa praeſidii fore: itaque ſolam ſpem in nobilitate ſitam; nec deſuturos [b] Potones, Vincolas, et conſimileis pro libertate duces, modo ne ipſi Borbonii ſibi deſint. Momorantium ſe pigrum ac ſegnem in eo negotio praebuiſſe, dum innocentia ſua fretus humana praeſidia negligit, et ſpem omnem in legibus reponit: ſcire tamen ipſum debere, [c] Sagam in ejus caput interrogatum et tormentorum ſeu vi ſeu metu confeſſum eſſe, profectionem ob id ipſius juſſu ad Angliae reginam ſuſceptam; itaque iterum monendum, ut periculo ſuo ſapiat; ſi cunctetur, Navarrae regem interim monendum, ut filio proſpiciat. Rogandum item Bullionium generum, ut Sedanum et Jametium accipiendis Condaci liberis et in tuto collocandis aperiat; et ſi qui ex Guiſii ipſius liberis aut ex ea omnino familia capi poterunt, qui pro Borboniorum capitibus vades ſint. Conſultum item videri, ut in Germaniam ad amicos et Gallici nominis ſtudioſos mittantur, quo eorum opibus, Guiſianorum, qui bella ex bellis, motus ex motibus ſerunt, molitiones retardentur. Non prius reſtinctum in Scotia belli incendium, quam reducto inde milite novum in Gallia ipſorum ambitione exarſerit: quod niſi mature opprimatur, optare ſe cum omnibus bonis quamprimum e vita demigrare. Lonviana acceptis literis et intellectis mandatis, nuncium ad ſe miſſum ſtatim valetudinis ſpecie [d] Tungrenſibus aquis curandae ad Bullionium et in Germaniam ablegat; qui in itinere Momorantium convenit, et inde ſuſceptam profectionem proſecutus eſt; ſed exiguo utrobique profectu, cum praevalerent jam fata conſiliis, et corruptis procerum judiciis fortuna Galliae ad exitum inclinaret. Unde Viennenſis in profundum moerorem et ex moerore in letalem morbum incidit, ex quo paulo poſt deceſſit in [e] B. Petri coenobio juxta Melodunum triduo ante Franciſci mortem, cum vix L annum exceſſiſſet. Vir judicio acer, et aulae atque aſſentationum haud accommodatus ingenio, jamque a longo tempore emendationis in eccleſia facicndae deſiderio flagrans, ob idque olim, dum in curia Pariſienſi patronum ageret, ſuſpectus: cumque ut periculo praeverteret, Joannem [f] Foreſtum ad Solimanum a Franciſco I oratorem miſſum ſecutus eſſet, mortuo Foreſto legationem magna cum laude obiiſſet; et mox Anglica et altera apud Carolum Caeſarem legatione, aliiſque pari induſtriae laude defunctus, poſtremo inter privati, quem vocant, conſeſſus conſiliarios cooptatus fuerat. Huic frater fuit major natu pietate, integritate et eloquentia cum paucis comparandus, fiſci in curia patronus, vir antiquae diſciplinae et gravis morum ſui ſaeculi cenſor, qui novennio ante deceſſerat: in [g] Arvernis ambo nati modico ſed honeſto loco, quippe quorum majores Borboniis Arvernorum regulis diu ſervierunt.

II. Artenaeo rex [h] Aurelianum poſtremo venit, non laeta, ut alias ſolitum, ſed terribili pompa cum armis urbem ingreſſus xv Kal. Nov. Eodem ante praemiſſus fuerat Philibertus [i] Marſilius Sipetra Guiſianis addictus, ut urbem praeſidio firmaret; et mox IV Eid. ejuſdem menſis itidem in urbem profectus eſt Rupifurionius, penes quem praeſidis nomen, penes Sipetram ejus legatum militum robur erat. Pleriqne militari pompa perterreſacti, et ii maxime qui a provinciis delegati ad comitia venerant. Nam diſpoſitae ubique per vicos ac plateas cohortes, et cuncta quaſi ad obſidionem ſuſtinendam parata, mirantibus pleriſque,

regem

INTERPR. [a] *Orleanois.* [b] *Potons, Vignoles.* [c] *la Sague.* [d] *eaux de Spa.* [e] *St Pierre de Melun.* [f] *la Foreſt.* [g] *Auvergne.* [h] *Orleans.* [i] *de Marcilly, ſeur de Cipierre.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

regem juvenem ſumma clementia, nulla injuria vel odio in quenquam, auxilio militari egere, quo vitam tueretur. Tum conſtitutum, ut quiſque fidei profeſſionem ederet juxta formulam a Sorbonicis theologis ante XVIII annos praeſcriptam et in ſenatu promulgatam; qui recuſarent, vita et bonis mulctarentur. [Conſiliis ſecretioribus tunc maxime inter alios participare credebantur [a] Santandreanus et] Briſſacus equitum tribuni, atque inprimis cardinalis Turnonius, qui nuper Roma venerat, quaeſitiſſimis honoribus [α] a Guiſianis ad delendam veteris injuriae memoriam cumulatus. Et fama obtinebat, cardinalem Lotaringum, quae illo conventu ſtatui volebat, compoſita oratione, quam in comitiis habiturus erat, perſcripſiſſe; xyſto ex materia tumultuario opere in foro urbis conſtructo, ubi ordinum conſeſſus celebraretur. Miſſi inter haec per univerſum regnum atque in Aquitaniam praecipue, in qua Navarrus ampliſſimas ditiones ex uxoris dote habebat, qui ſuſpectos comprehenderent; addito, ut eorum, qui reſiſtere auſi eſſent, domus et arces diruerentur: miſſae et iiſdem diebus regis ad ſenatum literae, quibus cives futuri periculi, et ut occultas in urbe inſidias nocturnoſque coetus in ipſorum perniciem erupturos praecaverent, admonebantur. Mox et percrebreſcente rumore ſcriptum [b] Franciſco Momorantio, qui urbi et peninſulae Franciae praeerat, curaret, ut urbi priſtina quies redderetur. Itaque juſſu ejus delecti, qui urbem ſcrutarentur; ſed pauci inermeſque reperti vanum pavorem arguerunt. Cum vero cuncta ad vim tenderent, et appareret, Guiſianos minis et neceſſitate a regni ordinibus expreſſuros, quod per modeſtiam vetereſque Galliae leges non obtinuerant, Andelotus ob religionem ſuſpectus militem non ut ante ad obſequium promptum, ſed quorundam artibus perſuaſum imperium detrectare cauſatus, cohortium pedeſtrium, quibus praepoſitus erat, curam omittit, et aula opportune excedit. Guiſiani attineri cum publica cuſtodia cupiebant; ſed metu, ne coepta adverſus Condaeum, qui nondum advenerat, turbarentur, conſilium in praeſens omiſſum eſt. Ille vero ut periculum anteverteret, ſecundo [c] Ligeri [d] Ancenifium navicula devectus in [e] Armoricam ad dotaleis poſſeſſiones, quas inibi ampliſſimas habebat, divertit: quippe rumor paſſim increbuerat, pleroſque indefenſos nullo non genere criminis compoſito fictoque perituros, cum facta dictaque in Guiſianos gravi violatae majeſtatis nomine appellarentur.

III. JAMQUE Navarrus ſe in viam dederat cum Condaeo fratre, dimiſſo Theodoro Beza, qui [f] Neracum ab eo evocatus venerat, et, ut decretum nuper ad [g] Fontem-bellaqueum factum executioni demandaretur, urgebat: is ergo non ſine diſcrimine noctu iter faciens ſe ad ſuos recipere coactus eſt. Obviam Navarro venienti [h] Vertolium uſque [i] Rupiſulcaudiorum praecipuum in [k] Engoliſmenſi agro domicilium proceſſit Georgius [l] Armeniacus cardinalis in ſpeciem officii, quod homo gloriae ad vanitatem cupidus [β] aſſumpto illuſtri familiae exſtinctae nomine Navarrum adfinitate contingere, et illius rerum ſtudioſus videri volebat. Plerique tamen a Guiſianis ſummiſſum dixere, ut eum, quem ab amicis monitum aut ſubſtiturum aut retro domum reverſurum credebant, ſecuritatis injecta fiducia vel haeſitantem in aulam pertraheret: quod et effecit. Nam non ſolum apud Navarrum pervicit, ut ſine mora ad regem veniret, ſed etiam ut omnem diffidentiae ſuſpicionem amitteret, et nobilium globum, quem circa ſe habebat,

P. D. o. f. d. [*quod factum ex Guiſianorum conſilio, cui participaſſe creduntur Santandreanus, et*]

VAR. LECT. [α] ab iis ad. *P. D.* o. f. d. [β] aſſumpto familiae nomine. *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *mareſchaux de S. André & de Briſſac.* [b] *le mareſchal de Montmorency, gouv. de Paris & de l'Iſle de France.* [c] *la Loire.* [d] *Ancenis.* [e] *Bretagne.* [f] *Nerac.* [g] *Fontainebleau.* [h] *Verteuil.* [i] *de la Rochefoucaud.* [k] *l'Angoumois.* [l] *d'Armagnac.*

habebat, gratiis pro tam benevolo erga ſe animo actis, domum remitteret. Ita ſolus fere et inermis Aurelianum venit; ubi poſtea cum contra Armeniaci promiſſa male acceptus eſſet, ex eoque Armeniacus magnam invidiam ſuſtineret, ut eam a ſe amoliretur, ſive affectato ſive ſpontaneo ex aula diſceſſu ſuo dolorem aut fictum aut verum teſtatus eſt; publice de Guiſianis inſtituta querela, qui ſua opera ad decipiendum Navarrum abuſi eſſent. Poſtea tamen homo levis et qui ad quamvis aulici favoris auram circumageretur, vana a Guiſianis oblata dignitate placatus eſt: quod ſuſpicionem auxit, cum ſimulato dolore ex aula diſceſſiſſe, quando in ſacrum conſiſtorium cooptatus mox in aulam rediit. Eum honorem raritas initio commendabat, qui poſtquam promiſcue multitudini patuit, frequentia ſua coepit vileſcere. Ad famam adventus Navarri, miſſus fuerat a Guiſianis Melchior [a] Prarenſis Monpeſacus Pictonum praefectus et alae equitum Guiſii legatus, qui [b] Pictavii portas adventantibus claudi juberet. Qua injuria, ut par erat, graviter offenſus Navarrus, quia regis ac Catharinae juſſa praetendebantur, [α] [c] Luſinianum digreſſus illic utriuſque mandata opperiri ſtatuit. Ibi conſultanti inter proximos pleriſque videbatur, utendum eſſe eventu, et quando per moras ab inimicis objectas poenitentiae locus eſſet, monente fortuna retro convertendum iter; nec metuendum propterea eſſe, ne mutatio haec in reprehenſionem incurrat: non enim regem, ſed Guiſianos capitaleis hoſteis caveri, qui ſuam cauſam regis cauſam fecerint, et a quibus Pictavienſes talia mandata acceperint: ſe miſſis equitum cohortibus undique circumſeſſos; an expectandum, ut inauditi et indefenſi primo rumore rapiantur? Si quid hoſtile a Guiſianis ingruat, tutius e longinquo arma oppoſituros: etiam innocenteis plerunque recenti invidiae impareis eſſe, parumque profuturam vinctis et injuſta Guiſianorum dominatione oppreſſis Catharinae ceterorumque conſcientiam. Sed repugnabat Navarrus, et omnino in aulam properandum cenſebat; quippe a ſe nihil inexpiabile admiſſum, diſcordiaſque et inimicitias in Guiſianos fortaſſe indignatione, certe non poena dignas; nec gravius quidquam timendum, quam ut aula amoti domum relegentur: ita enim inimicis abunde ſatisfactum iri, qui quibuſvis conditionibus redempturi ſint, ut ſibi ſolis rerum potiri liceat: quod ſi pedem retro ferant, bellum civile incipi, ad quod ab omnibus rebus imparati ſint; quippe nihil ante proviſum, non arma, non equites, non pedites; et clauſos ubique urbium ac pagorum aditus: quin potius innocentiae ſuae regiſque promiſſis fiderent, quam vano metu tanti criminis infamiam ſubirent. Haud magno negotio Condaeus ſui fiducia in eam ſententiam trahitur: regreſſique Pictavium, ubi jubente Catharina, quae ſe contrarium Monpeſaco imperaſſe aiebat, a Paulo Thermo honorifice accepti ſunt. Inde infauſtum iter perſequuntur, [e] Lochias uſque proſequente eos Thermo cum copiis ad latera longius incedentibus, ne jam captivi viderentur. Tandem ad III Kal. Nov. [f] Aurelianum intravere, [g] Monpenſerio et Rupiſurionio ſolummodo cum exiguo comitatu obviam progreſſis; nam cardinalis frater unius diei via [h] Bloeſas uſque praeceſſerat. Non honores ſoliti, non ſalutationes amicis ob longinquitatem itineris aut diuturnam abſentiam dari ſolitae illis tributae. Navarrus eum pro praerogativa in regis hoſpitium, quod in aedibus Hier. [i] Grolotii Aurelianenſium praetoris ſibi delegerat, in equo ingredi vellet, valvis majoribus obſeratis, quas cuſtodes reſerari non poſſe contemptim

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

VAR. LECT. [α] Luſignanum. *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *des Prez, ſieur de Montpezat, ſeneſchal de Poictou.* [b] *Poictiers.* [c] *Luſignan* [d] *mareſchal de Thermes.* [e] *Loches.* [f] *Orleans.* [g] *duc de Montpenſier, & le prince de la Roche-ſur-Yon ſon frere.* [h] *Blois.* [i] *Grolot bailli d'Orleans.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

contemptim reſponderant, prohibitus eſt, atque in pedes deſcendere coactus per oſtiolum cum fratre ingreditur; et ad regis conſpectum ambo admiſſi, alieno et ſubfrigido admodum vultu, Guiſianis, qui poſt regem erant, minime in amplexum, ut aſſolet, properantibus, ſed in veſtigio manentibus. Poſt ſalutationes rex eos in Catharinae cubiculum deduxit, nequaquam ſequentibus Guiſianis: ibi obortis ſeu veris ſeu fictis lachrimis a Catharina humaniſſime in ſpeciem excepti ſunt. Rexque ibi de criminibus Condaeo objectis pauca diſſeruit, quorum ratione cum in aulam evocaverit, ut praeſentia ſua ea dilueret.

IV. Cum contra Condaeus magna fiducia a Guiſianis ſibi infeſtis ea calumnioſe conficta, ſeque innocentia ſua fretum ad regis mandatum veniſſe reſpondiſſet, poſtremo regis juſſu a α Philippo a Mallio Brezaeo et Franciſco b Regio Chavignio cuſtodiae regiae praefectis in aedeis vicinas deducitur; in quarum angulo propugnaculum lateritium, deſuper tormentis minoribus diſpoſitis, exſtructum fuerat, quod in treis ſubjectas plateas deſpiciebat. Continuo clatris ferreis munitae illarum aedium feneſtrae, et muris majorem partem obſtructa oſtia. Cumque Navarrus fratrem cuſtodiae ſuae committi peteret, ſeque vadem pro eo offerret, fruſtra fuit. Condaeus vero cum duceretur, ſacram regis et cardinalis fratris fidem alta voce ſaepius appellavit, qui ſe et totam familiam crudelitate ſua hoſtibus prodidiſſet. Decreto rex ceterique proceres, praeeunte, uti jactabatur, Briſſaco, qui in tali diſcrimine ullam cujuſvis perſonae dignitatiſve rationem habendam negabat, necnon Hoſpitalius ipſe licet invitus ſubſcripſere, abſentibus Guiſianis, ut invidiam facti a ſe amolirentur. Navarrus quanquam majore in ſpeciem libertate, ſecreta tamen cuſtodia ſeptus eſt, ademto ei proprio ſtipatu, et circundata valida delectorum manu, ſummiſſiſque qui verba ipſius, nutus et greſſus notarent. Captus mox c Almericus β Bucardus a Vido d Chabotio Jarnaco regis juſſu, cum omnibus literis quas penes ſe habebat, et e Joannis fano perductus tanta ſolicitudine ac cura, ut cibus potuſque ejus praeguſtarentur, ne ſubita morte exſtinctus tanti criminis probationes ſubverteret. Miſſi et f Tanaquillius Venator Carrugius et g γ Balleolius δ Ranuartius cum acerbis admodum mandatis, qui Magdalenam h Malliam Roienſem Condaei ſocrum i Aniſii in Laodunenſi agro comprehenderent, foeminam ingentem animi, quae nimio in generum ſtudio liberius apud Catharinam, quam par eſſet, in Guiſianos invehi ſolita, ipſorum odium in ſe concitaverat. Capta ea cum omnibus itidem literis, et tanquam majeſtatis rea Germani fano includitur. Statim et Grolorius ipſe in urbe capitur, negligentiae et incuriae in puniendis Sectariis inſimulatus, quamvis hujus criminis antea poſtulatus S. C. abſolutus eſſet. Sub idem tempus Renata Ferrarienſis Guiſii ſocrus, quae ex Italia in Galliam ob religionis cauſam migraverat, Aurelianum regis ſalutandi gratia venit, deploratoque praeſenti rerum ſtatu generum acerbe increpuit, et ſi quidem ante captum Condaeum adveniſſet, id ſe impedituram teſtata monuit, ut ab injuria erga regiae ſtirpis principes in poſterum temperaret: nam plagam eam diu ſanguinem miſſuram; nec cuiquam unquam bene vertiſſe, qui regis conſanguineos principes prior laceſſiviſſet. Sed res integra non erat.

V. Interim ſenatu accitus a rege Chriſtophorus k Thuanus praeſes, qui l Carnutum vicedominum interrogaverat, cum Bartholomaeo m Faio et Jacobo n Viola

VAR. LECT. α Philippo deeſt. P. β Bocardus. P. D. o. f. d. γ Balleus. P. δ Renuartius. P. D. o. f.

INTERPR. a *de Maillé de Brezé.* b *le Roy, ſieur de Chauvigny.* c *Amaury Bouchard.* d *de Chabot, ſieur de Jarnac.* e *S. Jean d'Angely.* f *Tanneguy le Veneur, ſieur de Carrouges.* g *de Bailleul de Renouard.* h *de Mailly de Roye.* i *Auſſy au Laonnois.* k *de Thou.* l *Chartres.* m *de Faye.*

[a] Viola ſenatoribus, nec non Aegidio [b] Burdino cognitore regio, et Jo. [c] Tilio curiae protonotario. Cum iis [d] Hoſpitalius cancellarius Eid. Nov. Condaeum adiit, qui ut tempus duceret, et eorum juriſdictionem declinaret, cauſae ſuae cognitionem non ad ipſos, ſed ad ſenatum Pariſienſem coram rege ac regni patriciis, convocatis item totius curiae claſſibus, pertinere aiebat. Igitur provocante ad regem Condaeo, provocatio mox ad ſecretius concilium delata, ab eo nulla et inefficax declaratur. Cumque ſaepius iiſdem inhaerens veſtigiis a delegatis illis judicibus appellaſſet, toties frivola et invalida appellatio declarata eſt, donec inſtante Burdino cognitore regio decretum fuit, ut niſi coram judicibus a rege datis reſponderet Condaeus, pro convicto et peracto majeſtatis reo haberetur: interea teſtes repeterentur, et committerentur. Ita cum praecipiti Guiſianorum violentia amputatas omneis moras videret Condaei uxor, libello ſupplice a rege petit et impetrat, ut marito homines ſpectatae eruditionis ac prudentiae darentur, quorum conſilio uteretur. Nominati a rege Petrus [e] Robertus et Franciſcus [f] Matillacus celeberrimi in foro patroni. Cumque Condaeus moras nectens poſtularet, ut antequam reſponderet, ſibi cum uxore, Navarro et cardinali fratribus colloquii gratia fieret, adhibitis iis, quos rex vellet, teſtibus et arbitris, id inhumane denegatum fuit, tantumque impetratum, ut per literas cum illis agere poſſet; ademptis etiam ſervilibus miniſteriis, neminique ad ipſum adire permittebatur. Quo facto magna animorum mutatio ſecuta eſt, cum plerique Condaei vicem dolerent, quod jus cuilibet e ſenatoribus ſingulari beneficio delatum, ut cauſa rei coram univerſo ſenatu agatur, tantae dignitatis principi minime concederetur. Ita hujus miſericordia in [adverſariorum] odium poſtremo vertit; qui etſi non ignorabant, quam ſiniſtra fama diſtraherentur, id tamen homines ambitione caeci, quibus nihil inter ſumma et praecipitia medium, facile contemnebant; idque unum mente [α] agitare dicebantur, jam de Condaeo accuſationibus circumvento ſecuri, quomodo Navarrum ipſum in criminis partem traherent. Hac illi cura non mediocriter [β] angebantur, modo in ſpem erecti, aliquando adverſa reputantes: nam verſabatur ante oculos Gallicae nobilitatis in ſuos principes amor ac fides: contra ſic apud ſe diſſerebant, fluxam alioquin ſibi futuram potentiam, et quae non ſua vi nixa levi momento a ſummo ad ima impelli poſſet: quid vero profuturum Condaei ſupplicium, ſi Navarrus aliique praeſenti facinore irritati, in ſpem ultionis, haud deſutura conſciorum manu ac tot clientibus, arma ac caedeis meditentur? Itaque Navarrum opprimi placuit: quod eum propalam fieri non poſſet, conſilium initur deteſtandae atrocitatis, auctoribus, uti fertur, cardinali Lotaringo et [g] Santandreano. Ita vero inter ſe componunt, ut advocato in cubiculum Navarro rex velut recens cognita narraturus conſcientiam fraternae conjurationis propriaſque inſidias objiceret, novos inſuper terrores, quorum affatim copia erat, cumularet; tum homines ad id deſtinati aut objecta denegantem aut audacius reſpondentem ſtricto pugione invaderent, ut trucidarent. [*] Quod ubi Navarrus, cujus ſalus pleriſque curae erat, a Guiſianorum intimis cognito etiam fraudis ordine, accepit, anxius primo ac ſui incertus, cum nullum adverſus regem inimicorum aſtu incenſum, cujus ſe fidei imprudens commiſerat, ſubſidium ſibi reliquum videret, poſtremo caſum licet

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

P. [*Guiſianorum*]

P. [*] *Delectuſque ad id percuſſor dicitur Seb. Lucemburgicus Martigius; is quem nuper in Scotiam a Guiſianis miſſum meminimus.*

VAR. LECT. [α] agitabant. P. [β] angebantur animi. P.

INTERPR. [a] *Viole.* [b] *Bourdin, procureur general.* [c] *du Tillet, greffier du parlement.* [d] *de l'Hoſpital.* [e] *Robert.* [f] *de Marillac.* [g] *le mareſchal de St. André.*

CIƆIƆLX. licet indignum fortiter tolerandum ratus, conſilium ex neceſſitate capit; itaque
FRANCISCUS II. jam quam timori propior, ictus intendere, quantumque enſe et animo valeret, contra obniti ſtatuit, donec vulneribus confoſſus tanquam in pugna caderet. Tum veterem amicum ad ſe vocatum orat, ut ſi caſus ita ferat, cruentas veſteis et ſanguine reſperſas juveni filio ſervet; quarum aſpectu ille repetita longinqui doloris atroci memoria olim parentis recordetur, ſpiritumque potius, ſi ſuus eſt, quam ultionem amittat. Sic adverſus ſuprema obfirmatus in regis cubiculum perrumpit, ac per ſpeciem officii regis manum complectitur. Rex vero Navarri praeſentia revocatus, ſive animus ſeu voluntas defuerit, quod vero propius eſt, conſilium de caede omiſit, poenitentiaque ductus tantae crudelitatis invidiam effugit. Certe qui haec memoriae prodiderunt, nam ut vera ac certa minime affirmaverim, addunt, Guiſium, cum rex cubiculo egrederetur, indignabundum in haec verba prorupiſſe, O hominem timidum ac vecordem! Nec minus interea Catharina animi angebatur, quae Guiſianorum potentiam popularibus ſtudiis ſubnixam metuens, quamvis manente in ſpeciem concordia, callida tamen ac ſubdola mora ruentium impetum retinebat. Nec [a] Lonviana Catharinae perchara, ubi tempus commodum vidit, officio defuit, monitorumque [b] Marillaci memor ſuſpicaeis juxta et ambitioſae foeminae animum hinc metu hinc ſpe implebat, monebatque, ut mature vim et opes Guiſianorum caveret, non exſpectato, dum aulam Navarri et Condaei aemulorum morte vacuam audentius invaderent: nam inanem matri fore potentiam, ſi redacto ſemel in poteſtatem filio ſoli rerum potiantur; quin potius Gallicam nobilitatem in regni ſubſidium tuendae libertati ac firmandis rebus adverſus pernicioſas ipſorum factiones pararet, Momorantium magiſtrum equitum ceteroſque injuriae ſocietate fidos ſibi conjungeret, ut ſi quid a Guiſianis validius tentaretur, arma inferrent; nec, quod ultimum malorum ſuffugium erat, Germaniae principes ruenti Galliae auxilio advocare dubitaret. His ſermonibus accenſa Catharina crebra cum amicis ſecreta habere; [c] Hoſpitalium, cujus maxime conſiliis ad ſpem dominationis utebatur, advocare atque obteſtari, obviam Guiſianorum conatibus iret, regiſque juvenis auctoritatem tueretur, matri etiam dignitatem retineret. Ad haec inſtabant callidi criminatores noti odiis et ob periculi conjunctionem Catharinae gratiores, addebantque Proteſtantium in eam propalam ſtudium, quibus illa conſcientiae ſuſpicionem praebuerat, et a quibus minime averſus Hoſpitalii animus credebatur. Interea exquiſitis undique teſtibus, advectis etiam [d] Lugduno probationibus, Condaei accuſatio properabatur, Guiſianis omnem protelationem ut conſiliis ſuis inimicam ſuſpectantibus. Ubi ad rem ventum, advocatis conſiliariis a rege datis Condaeus teſtatur, afflictionem, quam modo perferat, non ob id a Deo immiſſam, quod quidquam in regiam majeſtatem molitus ſit, ſed ut hac calamitate conſtantiae ſuae ſpecimen daret: neque vero ſe, qui libero animo ac pura conſcientia perfruatur, captivum ſibi videri; multo magis captivos eos exiſtimandos, quorum animi, quamvis ſoluto corpore ſint, perpetuo ſcelerum ac flagitiorum conſcientia torquentur. Inde quaſdam notas et inſtructiones ad cauſae ſuae defenſionem conſiliariis dat, et ad uxorem literas, quibus ſive innata fiducia ſive futuri praeſagus eam bono eſſe animo jubebat; Deum quippe ſuae innocentiae, quamvis ab omnibus deſeratur, tutorem ac propugnatorem fore.

VI. DUM in eo ſunt, XVI Kal. Dec. cum rex ad venationem exiturus eſſet, ne videlicet [α] Hieronymi [e] Grolotii, uti ferebatur, damnati ſupplicio intereſſet, repentinis

VAR. LECT. [α] Hieronymi *deeſt.* *P. D. o.*

INTERPR. [a] *de Longwic, ducheſſe de Montpenſier.* [b] *de Marillac, archevêque de Vienne.* [c] *le chancelier de l'Hoſpital.* [d] *Lyon.* [e] *Grolot.*

CIↃIↃLX.

FRANCISCUS II.

repentinis morbi jam inveterati doloribus corripitur: quod et in cauſa fuit, ut Annas Momorantius, qui jampridem a rege accitus cunctabatur, et diem de die ducebar, poſtquam Lutetiam venit, nuncio hoc accepto iter acceleraverit; nam alioqui ſe et ipſum peti ſciebat (quamvis contrarium Santandreanus affirmaret) et Borboniis oppreſſis de nobilitate Gallica actum putabat. Ergo ubi tandem intellexit abſceſſum in cerebro enatum per aurem ſuppurare, et aure putrefacta ruinam minari, modicis itineribus ad aulam contendit. Cum res adhuc in incerto eſſent, Navarrus variis in diverſa curis diſtrahebatur: nam occurſus fere omneis vitare, non alloqui, non comitari; ſoli Colinii fratres Odetus cardinalis et Gaſpar maris praefectus afflictam ejus fortunam minime deſeruere, ſectatores domi, comites in publico: ſed appoſiti cuſtodes, clam facta dictaque ejus excepta auctaque, ut mos eſt, in pejus deferebant, et in iis pleraque non audita et atrocia, quae quia vera erant, etiam dicta putabantur. Jamque aderat dies Condaci morti deſtinatus, cum ecce in tanta mole curarum VI Kal. Dec. morbus graveſcere coepit. Laeti tamen initio nuncii vulgabantur, quaſi valetudo in melius iret, levique tantummodo catarrho, quo ab infantia laboraverat, affligaretur. Sed cum ſenſim aure putrefacta labi ſpiritum, nec diu duraturum regem medici confirmarent, tum vero is Guiſianis pavor ac mentis conſternatio inceſſit, ut ereptum ſibi extremum praeſidium intelligerent. Itaque verſis artibus Catharinam per blanditias aggredi, anceps periculum oſtentare, Navarri et Condaci atrox recentibus injuriis ingenium ſtatim in ipſius perniciem erupturum ſub oculos ponere, ac monere, dum rex adhuc in vivis eſſet, dum copiae ſuppeterent, Navarrum in vincula conjici, parique ac Condaeum fratrem ſorte componi juberet. Quin et ſe ſuaque firmandae illius dominationi offerebant, ut nimii nuper adverſus eam, ita rurſus intemperanter demiſſi. Igitur exterrita Catharina, quando ultima timebantur, proviſam ante ſibi Hoſpitalii induſtriam adhibet. Ille in concilium admiſſus cum flentem Catharinam inter foeminarum greges, cunctis ingenti ſilentio defixis in terram oculis et pavore conſternatis, reperiſſet, intellecto quid Guiſiani ſuaderent, gravi admodum oratione eam a poenitendo conſilio dehortatus eſt, monuitque, ne praepoſtera prudentia committeret, ut Gallica gens atrocitate facti ad belli civilis neceſſitatem compelleretur. Quid enim futurum, ſi Navarrus neque turbidis conſiliis neque Condaci criminibus connexus, inauditus atque indefenſus pereat? Nam quid illi objectum, niſi triſtem fratris fortunam? Proinde judicium ſuſtineret, nec pravis uſa conſultoribus proprioque odio incenſis, proprium ſanguinem perditum iret. Quid enim ſupereſſe, ſi injuſte Navarrus detineatur, quam ut injuſte damnetur? nam merito ultionem ab eo timeri, quem offenderis. Ratum autem prudentium principum documentum eſſe, ut iis nunquam ſerio reconcilientur, quos temere offenderint. Itaque omnes potius poſitis inimicitiis benevolentia erga regem regiſque ſubditos certarent. Huc decidiſſe cuncta, ut ſpes omnes in matre ſitae ſint, quippe agendi gnara, claro in filios amore, et cui plena regum domus certam tranquilli imperii ſpem Galliae polliceatur. Itaque in commune conſuleret, neu gravioribus remediis, quam par eſſet, quieſcenteis motus accenderet. His rationibus nutantem Catharinae animum erexit Hoſpitalius; [a] Lonviana vero omnino confirmavit, quae omnia ſecunda a Navarro ad eam deferebat. Illa impotenti adipiſcendi imperii ardore flagrans, non exſpectata Franciſci morte, cum Navarro per Franciſcum [b] Delphinum principem Lonvianae filium evocato colloquitur: iſque colloquii

INTERPR. [a] *de Longwic, ou Longvy.* [b] *Dauphin d'Auvergne, fils aîné du duc de Montpenſier.*

CIϽIϽLX. colloquii finis fuit, ut accepta utrinque fide ſe ſuaſque ſpes cum Navarro conjungeret, et ſe a Guiſianis alienam pro tempore oſtenderet. Tandem Franciſcus rex Non. Dec. mortalitatem explevit, cum XVII annos, X menſeis uno plus die vixiſſet; annum I, menſeis V, dies [1] XX regnaſſet: inter bonos maloſve principes numerari deberet, ob imperii brevitatem et aetatis infirmitatem in incerto relinquens; eoque magis, quod non ſuo, ſed Guiſianorum ingenio regeretur. In extremis agenti, cum nondum vox eum defeciſſet, ſaepius ei cardinalem Lotaringum inſinuaſſe ferunt, ut Deum oraret, ne ſibi ſua ſuorumve miniſtrorum errata imputaret; quod tanquam male a ſe ac fratre adminiſtratae reipublicae confeſſionem ab ipſius ore profectam circunſtantes accepere. Quod veneno interemptum quidam dixere, ex praeſumpta vulgi ac communi opinione hauſtum eſt: quippe cum principum ac magnorum virorum mortes nunquam veneni ſuſpicione careant, maxime turbatis temporibus, quibus ut quiſque favore aut odio in Navarrum pronior erat, eum eaſum diverſi interpretabantur: ſed adverſa ab infantia valetudo et pravus corporis habitus facile contrarium evicere. Fratre mortuo Carolus multo gratantium concurſu ad capeſſenda regni primordia egreſſus, feſtis omnium vocibus excipitur, Guiſianis quoque ſalutantium turbae immiſtis, qui jam tum prioris fortunae obliti, praeſentia ſequebantur. In eos tunc multa odio magis quam omnino vere evulgata, quod extinguendae Borboniorum familiae ac Navarri inprimis opprimendi conſilium iniiſſent: ea de cauſa cum Hiſpanis ſecreto egiſſe, ut in [a] Benearni pagum deſcenderent, quo eos [b] Thermus, qui jam in [c] Lemovicibus erat, excepturus eſſet: mandatum item datum [d] Aſpramontio Ortae vicecomiti, ut [e] Baionam belli contra Navarrum arcem in Hiſpanorum manus traderet: imperatum denique Blaſio [f] Monlucio, cui ſpes de [g] Armeniaco comitatu Navarro ſpoliato facta fuerat, ut copias cum Hiſpanis conjungeret: de [h] Coliniis etiam fratribus comprehendendis Gaſpare maris et Andeloto peditatus Gallici praefectis actum: de cardinali item [i] Caſtellionaeo ampliſſimis ſacerdotiis exuendo, ſi fidei profeſſioni, de qua diximus, ſubſcribere recuſaret: nec Annam Momorantium a periculo immunem fore, cujus Danvillam filium jam jam comprehendi juſſerant, ita ſubſtrata ad ejus ruinam via. Quae quanquam Thermi et aliorum, qui in hoc negotio immiſti erant, fides ac perſpecta in patriam pietas credere plane non ſinit; tamen ea tempora poſtea inciderunt, quae horum rumorum auctores divinaſſe potius, quam omnino vanos extitiſſe arguerunt. Decretum etiam de Condaei morte factum, ferunt, quod rex illorum inſtinctu vocatis ſeorſim principibus ac proceribus aulae, delegatis item judicibus ſubſcribi imperaverit: cui et omnes ſubſcripſerint praeter Hoſpitalium, et Ludovicum [α] [k] Buellium Sancerrae comitem, qui ſe potius mori paratum, quam ut tale quid in leges admitteret, rege hominis conſtantiam admirante, teſtatus, in Guiſianorum indignationem ob id incurrerit. Sed nihil certi compertive habeo. Propoſitum quidem decretum, ſed non ſubſcriptum crediderim: et ita longo poſt tempore narrare ſolitum parentem meum memini, veraci et ſincero ingenio virum, cui ſemper [*] praecipitatus ordo ille judicii diſplicuerat: qui et hoc addebat, ſe [Condaei clientibus pro ipſo expoſtulantibus] id

Margin: FRANCISCUS II.

P. [*] *Guiſianorum violenta conſilia et*
P. [*Condaeo per amicos*]

VAR. LECT. [α] Buelium. *P. D. o.*

INTERPR. [a] *Bearn.* [b] *mareſchal de Thermes.* [c] *le Limouſin.* [d] *d'Aſpremont, vicomte d'Ortez.* [e] *Bayonne.* [f] *de Montluc.* [g] *d'Armagnac.* [h] *de Coligny.* [i] *de Chaſtillon.* [k] *de Bueil, comte de Sancerre.*

NOT. [1] Lege XXV. François II né à Fontainebleau le 20 Janvier 1543 avant Paſques, mourut le 5 Dec. 1560, ayant regné 17 mois & 25 jours. *Put.*

id conſilii dediſſe, ut ad regem et ſenatum, hoc eſt, patriciorum curiam provocaret, [α] ſe vero ac ceteros delegatos tanquam ſuſpectos rejiceret, quo adempta delegatis judicibus cognitione res integra ad ſenatum remitteretur: [β] inſuper et cardinalem libere monuiſſe, ſi potentiam ſuam diuturnam cuperet, ut ea moderate uteretur, et in publica adminiſtratione leges regni ſervaret; alioqui fore, ut publicae invidiae impar, procerum regni ac nobilitatis concitato contra ſe familiamque ſuam odio aliquando ſuccumberet. Inde mox Catharina ad Annam Momorantium datis literis [a] Sangelaſium Lanſacum mittit, qui eum [b] Stampis nactus, ut quamprimum ad novum regem veniret, ejus nomine orat: nam ſe ipſius conſilio uti cupere, et res eo ſtatu eſſe, ut ſingulis honore ac dignitate ſua ſervata, quiſque libere in poſterum munere ſuo fungeretur. Ille evocato Momorantio filio, qui [c] Cantiliae ob adverſam uxoris valetudinem remanſerat, mox [d] Aurelianum tendit; ubi cum ſtationes ad urbis portas videret, iis praepoſitos interrogat, a quo et in quem uſum diſpoſitae eſſent; indignumque dicit, ut rex, qui ſuorum benevolentia tutus eſſe debeat, in regni meditullio urbem militari praeſidio circumſeptam teneret; proinde quamprimum faceſſerent, ni facerent, contumelioſe ſurcam minatus. Tum operam daturum recipit, ut rex ſine ſtipatoribus per univerſum regnum praevio uno accenſo ſecurum iter facere, et regiam poteſtatem exercere poſſet. Quibus dictis et dilapſo mox milite apparuit, cuſtodias non ad regis tutelam, ſed ad Guiſianorum praeſidium et terrorem de ſe cunctis inferendum appoſitas fuiſſe. Obviam venienti avunculo proceſſerat Condaei uxor, et graviter de injurioſa mariti cuſtodia apud eum conqueſta fuerat.

CIƆIƆLX.

FRANCISCUS II.

VII. CONDAEUS ipſe jam mortuo Franciſco liber, tamen cuſtodia egredi noluit, priuſquam ſciret, quo delatore et accuſatore in carcerem conjectus fuiſſet. Id regis defuncti juſſu factum reſpondebant, nec aliud praeterea addebant Guiſiani. Ita XII circiter diebus elapſis tandem Condaeus cum iiſdem cuſtodibus, ſed qui jam ei vice ſtipatorum erant, in Picardiam profectus [e] [γ] Hanam primo, dein [f] Faram ad Eſiam fraternae ditionis arces ſe contulit, ibique mandata novi regis opperiri ſtatuit.

VIII. FRANCISCI corpus [g] Sanſaco et [h] Broſſio ac Ludovico [i] Guillartio Silvanecti epiſcopo jam caeco, admodum exiguo comitatu, [k] Fanum Dionyſii deductum, atque ibi vilibus exſequiis ſine ulla pompa funeratum eſt, non ſine Guiſianorum invidia, quos ille ſummis honoribus auctos quaſi in regni conſortium aſſumpſerat. Auxit invidiam, quod tunc evulgatum fuit, eos XXXCIƆ aureorum, cum Franciſcus animam ageret, ex regia gaza in domum ſuam comportari juſſiſſe. Itaque panno ſericeo, quo feretrum involvitur, incerto auctore inſcriptum fuit, [l] UBI NUNC TANAQUILLUS CASTELLUS? Caſtellus is perilluſtri in [m] Armorica prognatus gente cubiculariorum nobilium princeps ſub Carolo VII fuerat, et quamvis optime de rege ac regno meritus, cum domum relegatus eſſet, mortuo hero ſtatim in aulam accurrit, et in funus regium ab omnibus neglectum de ſua pecunia XXXCIƆ aureorum egregio grati animi exemplo dependit. Itaque Caſtelli mentio injecta, ut ejus comparatione Guiſianorum ingratitudo notaretur. Quod ſcriptum ab omnibus palam lectum illi ſumma

patientia

VAR. LECT. [α] ſe vero tanquam ſuſpectum rejiceret, quo *P.*
[β] *Quae ſequuntur uſque ad* Inde mox *deſunt, quatuor lineis omiſſis.* *P.*
[γ] Hanam et inde Forum Veromanduorum fraternae. *P.* Hanam primo, dein Forum Veromanduorum fraternae. *D. o.*

INTERPR. [a] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [b] *Eſtampes.* [c] *Chantilly.* [d] *Orleans.* [e] *Ham.* [f] *la Fere ſur Oyſe.* [g] *de Sanſac.* [h] *la Broſſe.* [i] *Guillart, evêque de Senlis.* [k] *St. Denis.* [l] *Où eſt Tanneguy du Chaſtel? mais il eſtoit François.* [m] *Bretagne.*

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

patientia diſſimulaverunt; et ab hoc inani pietatis officio ſe excuſaverunt, alterum magis neceſſarium cauſati, ut nimirum reginae viduae aſſiderent; re vera, ut comitiis intereſſent, et eorum libertatem, utique majorem ſi abeſſent, ſi quid forte contra eos diceretur, praeſentia ſua refraenarent. Nihil interim omittebant, quo renovatis inter Catharinam et Navarrum inimicitiis ipſi ſe arbitros conſtituerent, et ita priſtinam potentiam retinerent. Cum igitur viderent comitia prono favore eo ferri, ut ſummum imperium Navarro deferretur, quamvis id ſe Catharinae ceſſurum recepiſſet, ex eo ſuſpicione ambitioſae foeminae injecta ad eam ſe adjunxerunt, et in ſuas parteis [a] Nemoroſium, Turnonium cardinalem, Santandreanum et Briſſacum pertraxere.

IX. Itaque rurſus exortis in aula factionibus obviam a Navarro itum, qui ultro, ut regni tranquillitati conſuleret, ex [b] Lonvianae conſilio regni regimen Catharinae detulit, accepto Praeſidis per univerſum regnum titulo. Tum perſcripta tractandorum in aula negotiorum formula; et a rege ex Catharinae matris, Navarri ac ceterorum regiae ſtirpis principum et aliorum conſiliariorum ſententia decretum XII Kal. Jan. ut provinciarum praeſides, arcium praefecti et alii belli duces, qui in aulam venient, cum Navarro tanquam univerſi regni praeſide agant, qui poſtea ad Catharinam referet, ex cujus ſententia, re prius in conſiſtorio agitata, quod ex uſu videbitur, decernatur: literae omnes, quae a provinciarum praeſidibus, arcium praefectis aliiſque venient, ad Catharinam deferantur; quas ipſa prior ſeorſim inſpiciet, tum ad Navarrum mittet, qui mox cum ea aget, ut deinde, quod e re videbitur, in conſiſtorio decernatur: item, ut deinceps magiſter equitum, palatii praefectus, tribuni equitum, praefectus maris aliique praefecti ſuo munere fungantur, nec alter in alterius auctoritatem invadat: negotia in conſiſtorio coram principibus ac conſiliariis tractentur; cui intererit, cum per occupationes licebit, Catharina; ſi minus poſſit, ad eam referetur; tum quid decretum fuerit, ab amanuenſi ſubſcribatur, et poſtea a cancellario ſigillo firmetur; antequam literis ullis rex ſubſcribat, ea a matre in matutino ſecretiore concilio perlegantur: curſorum praefectus literarum faſceis omneis in quatuorvirorum ab epiſtolis manus deponat, qui eas minime reſeratas ad Catharinam deferant, quas illa ſeorſim leget, tum legendas ſacri conſiſtorii ſenatoribus tradet; tuncque ad eas rex reſcribet, adjunctis Catharinae literis: ſingulis hebdomadis die Martis ac Veneris concilium habeatur, in quo ad libellos oblatos reſpondeatur, et privatorum cauſae, quam fieri poterit, expeditiſſime excutiantur: die Jovis concilium habeatur, in quo de rebus ad aerarium et ſtatum publicum pertinentibus agatur, cui praeter quatuorviros ab epiſtolis, aerarii cuſtodes et deſtinati huic rei amanuenſes tantum intererunt.

X. Triduo poſt de [c] vicedomini Carnutum morte allatum eſt, qui vir natalibus praeſignis, principibus dignatione par, opibus potens, ingens animi ſed perditi luxus, morbo, ſive ex vita intemperanter acta, ſive ex moerore rerum acciſarum contracto, accedente ad haec indigni carceris taedio, in [d] Turriculis, quo propter adverſam valetudinem tranſlatus fuerat, deceſſit, cum XXXVIII annos explevisſet. In idem tempus incidit [e] Buellii nothi Sancerrae comitis filii caedes a Renato [f] Lavallo [g] Aureliani patrata: unde magna rurſus irarum ſeges inter Guiſianos et Momorantios orta eſt, cum illi Sancerrae comiti adeſſent, hi Lavallum, uti ex Matthaei Momorantii equitum magiſtri ſtirpe profectum, tutarentur. Cauſa caedis haec fuit, quod cum Lavallus Renatae Roanae Franciſci [h] Roani

Gienſis

INTERPR. [a] *duc de Nemours.* [b] *de Longwic.* [c] *vidame de Chartres.* [d] *les Tournelles.* [e] *de Bueil.* [f] *de Laval.* [g] *Orleans.* [h] *de Rohan Gié.*

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

Gienſis viduae et Ludovici Roani [a] Guimenaci ſororis nuptias ambiret, [b] Buellius, qui earum ſpe ſe dejectum dolebat, ut impedimentum afferret, a Renata ſibi datam fidem diceret, et ut erat pugnacitatis fama arrogans, parum honeſte de illuſtri foemina loqueretur. Incendebat et Lavallum adverſus Guiſianos, quod hi a Ludovico [c] Sanmaurano Nigellae marchione avunculo ſuo, [*] Gul. [d] Balſaci Interamnatis ſuggeſtione, [e] Juniacenſem comitatum donatione extorſerant.

XI. [α] Hoc eodem anno Michael Hoſpitalius novus cancellarius, ut ab egregio gravitatis inſitae ac diligentis in re procuranda publica ſolertiae ſpecimine ſuum magiſtratum inchoaret, legem tulit menſe Quintili, qua renovata Leonis et Anthemii conſtitutione, quae apud nos antea locum non habebat, cavetur, ne mulier, procreatis ex priore matrimonio liberis, ſi ad ſecunda vota migraverit, plus [1] vitrico aut patri matrive ac liberis [2] vitrici aliiſve perſonis ſuſpectis, ex bonis mobilibus aut antiquis induſtriave ſua quaeſitis, queat relinquere, quam uni ex filiis; et lucra nuptialia ad ſe ex priore matrimonio devoluta liberis communibus reſervare teneatur, nihilque ex illis novo marito donare poſſit: quod et in bonis, quae ex liberalitate uxorum ad viros provenerint, obtineat, ita ut ea neque ſecundis uxoribus donare poſſint, et liberis prioris matrimonii ſervare compellantur. Edictum ea de re conditum in ſenatu promulgatum fuit magno applauſu Non. Sextil. cum ex facto incidiſſet Lutetiae, ut mulier opulentiſſima caeco amore capta ſecundi mariti, non ſentiens ab eo adamari et appeti bona ſua, non ſe, omnia ſua bona in eum profunderet inſtrumento dotali, liberis prioris matrimonii relicta ſola Falcidia, hoc eſt, modica portione, qua ſola eos fraudare non poterat. Id primum contra mulieres conſtitutum, poſtea ex S. C. ad viros porrectum fuit.

XII. Paulo poſt memorabile contra inſignem maxime omnium, qui nomine alieno ſe neſario negotio immiſcuerunt, impoſtorem S. C. Toloſae factum et publice pridie Eid. Sept. recitatum. Is fuit Arnoldus [f] Tillius, qui, quod arctam in adoleſcentia cum Martino [g] Guerra [h] Artigato vico in Rivenſi dioeceſi nato, dum ambo in caſtris eſſent, amicitiam coluiſſet, alioqui oris ac reliqui corporis ſpecie tam Martino ſimilis, ut nihil excepta pedis longitudine ab eo diverſus eſſet, poſt octo annorum Martini abſentiam, auſus eſt pudicitiam uxoris ejus attentare; cui poſtremo perſuaſit ſe Martinum eſſe: et cum multa, quae viro cum conjuge ſecreta intercedunt, ſive ea a Martino ipſo in contubernio militari, ſive artibus vetitis, ut jactabatur, inſtructus didicerat, vere ac ſumma vultus conſtantia proferret, non ſolum uxori, ſed et ſororibus aliiſque Martini agnatis impoſuit, et cum Bertranda [i] Rolſa, id uxori Martini nomen erat, totum triennium conſuevit; quo tempore et duos liberos ſuſcepit. Sed cum homo alienae pudicitiae raptor etiam bonis avidius inhiaret, a Petro Guerra Martini patruo in jus vocatus et ex indiciis quaſi impoſtor poſtulatus, tum Bertranda fraudem ſuſpicante, poſt litem plene inſtructam, cum probationum nutante examine etiam judicum ſententiae in incerto eſſent, Deo ita volente, qui tantum flagitium diutius inultum manere noluit, quaſi ex machina Martinus ex Hiſpania,

P. D. o. [*] *malis artibus,*

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de lege in liberorum prioris matrimonii gratiam facta, et de Martini Guerrae memorabili hiſtoria, deſunt.* P. D. o. ſ. d.

INTERPR. [a] *prince de Guimené.* [b] *de Bueil.* [c] *de Ste. Maure, marquis de Neſle.* [d] *de Balſac, ſieur d'Entragues.* [e] *comté de Joigny.* [f] *du Tilh.* [g] *Guerre.* [h] *Artigat au dioceſe de Rieux.* [i] *Rolz.*

NOT. [1] *novo marito.* Quoique *vitricus* ſe rapporte aux enfans, neanmoins il eſt mieux de mettre *novo marito,* l'ordonnance l'ayant ainſi: *leurs nouveaux maris, pere, mere, ou enfans deſdits maris,* &c. *Put.* [2] *novi mariti. Put.*

CIƆIƆLX. FRANCISCUS II. Hiſpania, ubi toto illo tempore fuerat, intervenit, et pro vero Bertrandae, ut erat, viro agnitus, omnem dubitationem ex judicum animis exemit; et Arnoldus poſt veniam a Deo, rege, juſtitia, Martino et Bertranda ignominioſe petitam, tanquam impoſtor ac falſi et ſuppoſiti nominis reus peractus, adulter, raptor, ſacrilegus, plagiarius, fur, ad ſuſpendium damnatus eſt, bonis ejus filiae ſuperſtiti, quam ex Bertranda, cum bona fide illa cum ipſo conſueſceret, habuerat, adjudicatis. Et ita quidem res apud nos erant.

XIII. ROMAE vero novus pontifex, jam tenudato animo de re publica fere ſecurus, tantum privaris commodis et charitatibus indulgebat. Et quoniam fraternae vanitaris aemularione nomen et inſignia Mediceae gentis uſurpaverat, ut quanti Coſmum familiae principem faceret, re teſtaretur, ante omnia Joannem ipſius ſecundum filium vix XIV annos egreſſum in cardinalium collegium cooptavit. Eadem cooptatione allectus Carolus [a] Borromaeus, attributa inſuper ſumma negotiorum cura, et archiepiſcopatu [b] Mediolanenſi donatus eſt, abdicante ſe in pontificis gratiam Hippolyto cardinali Ferrarienſi. Creatus item cardinalis Joannes Antonius [c] Serbellonus [d] Spoleti praeſul, et [e] Novarienſi mox epiſcopatu ornatus, abdicante ſe pariter Jo. Morono cardinali: [α] ambo ex pontificis ſororibus nepotes. Jamque Sabaudus domum cum uxore Margarita e Gallia venerat, et ſecundum pacta ditionem omnem ſuam receperat, aliquanto tempore in deſtruendis munitionibus, ſicut convenerat, inſumpto. Alfonſus denique jam dux Ferrariae e Gallia itidem conſcenſis [f] Maſſiliae rr triremibus [g] Liburnum ſub idem tempus appulit, ubi a Coſmo ſocero magnifice et peramanter exceptus Piſas venit, factoque per [h] Carſinianam vallem itinere in Ferrarienſem agrum deſcendit, Franciſco [i] Ateſtino patruo mox inde Florentiam miſſo, ut ad ſe uxorem adduceret, quae magno comitatu, deducente eam Franciſco fratre cum Ludovico [k] Toletano, Marco [l] Centurione et aliis proceribus, Ferrariam venit, magnaque pompa ac ſumptu celebratae nuptiae. Nec multo poſt urgente pontifice Coſmus magno comitatu filium nuper ſacro collegio inauguratum Romam ablegat, pueritiae moderatore ei attributo Alexandro Strozzio, ubi ſumma benevolentiae ſignificatione acceptus eſt, ad cetera amoris teſtimonia pro cumulo addita [m] Piſani archiepiſcopatus reſtitutione, qui a Paulo IV ei injurioſe ademptus fuerat, et Scipioni [n] Rebibae cardinali donatus; cui, quod obnixe contra pugnaret, vimque deprecatus de injuria conteſtaretur, [o] Troiae epiſcopatus in Apulia compenſationis titulo attributus eſt. Verum haec exigua pontificis erga Coſmum beneficia, praeut ſunt quae ille in ejus gratiam poſtea molitus eſt, quamvis irrito ſucceſſu. Nam cum Franciſcus grandior natu filius jam ea aetate eſſet, ut uxorem duceret, magnumque momentum ad firmandum novum imperium pontifex allaturam illuſtrem aliquam adfinitatem judicaret, per Terracinae epiſcopum oratorem ſuum apud Philippum egit, ut ſororem olim cum Luſitaniae principe matrimonio junctam et ſuſcepto ex eo Sebaſtiano filio, qui regnum poſt avum tenuit, viduam relictam Franciſco uxorem concedere dignaretur. Et quia verebatur, ut Philippus aegre in has nuptias tanquam diſpares aſſentiretur; quippe Caeſaris filiam et potentiſſimi toto orbe regis ſororem et in regia familia elocatam, novo principi et qui ducis tantum titulum gerebat deſponderi parum conveniens Auſtriacae familiae faſtigio ac majeſtati videbatur; nec temere commiſſurum Philippum rebantur omnes, ut rebus per pacem adeo utilem ſimul et honorificam conſtitutis, et

VAR. LECT. [α] utrique. *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Borromeo.* [b] *de Milan.* [c] *Serbellone.* [d] *Spoleto.* [e] *de Novara.* [f] *Marſeille.* [g] *Livorno.* [h] *val di Carfagnana.* [i] *de Eſte.* [k] *de Toledo.* [l] *Centorione.* [m] *da Piſa.* [n] *Rebibba.* [o] *Troia nella Puglia.*

et Francico nomine, ſic enim jactabant Hiſpani, quaſi in ordinem redacto, tam humili adfinitate [α] decus ſuum deprimeret; itaque voti nimius pontifex, ut majorem Mediceis dignitatem conciliaret, de Coſmo Etruriae rege creando, in eumque regum jure et inſignibus conferendis, ſi quidem Philippus in has nuptias conſentiret, apud eum mentionem fieri curaverat. Verum id ut Coſmo honorificum, ita apud reliquos Italiae principes invidioſum fuit; atque adeo in ipſum Philippi odium concitavit, ex eo auctum, quod ſub idem tempus per totam Italiam rumor diſſeminatus eſt de ſecreto foedere ad expellendos [a] Inſubrum imperio Hiſpanos inito, ut olim ſub Clemente VII, pontificis, utpote Mediolanenſis, et qui ex Philippi ſpoliis ſuos ditare in animo habebat, auſpiciis. Quod ſive artificioſe confictum ab aemulis, ſive ex vero aliquid trahens et a ſuſpicacibus Hiſpanis creditum, in cauſa fuit, ut ſpes de illis nuptiis a pontifice et Coſmo temere concepta, averſante eas Philippo, mox evanuerit.

CIƆIƆLX.

FRANCISCUS II.

XIV. Interea ſectarium [β] malum in Gallia ſparſum per [b] Belgium quoque non jam ſenſim et occulte, ut antea, ſed palam ac confertim graſſabatur, eique ſeu fatali ſocordia, ſeu caeco libertatis retinendae amore atque etiam occulto favore ſuffragabantur provinciae proceres et ordines: ſiquidem paulo ante Margarita gubernatrice et concilio, quod circa eam erat, inſtante obtineri non potuerat, ut provinciae ordines in tributum ad alenda externa praeſidia conferendum conſentirent: nec prius quievere illi, quam praeſidiarii, qui in Zelandia remanſerant, etiam aliunde quam ex provincia perſolutis ſtipendiis, in Hiſpaniam remitterentur; nec de tributo aliter aſſenſerunt, quam iis conditionibus, ut ab ipſis imponeretur, et militi per limitem diſpoſito, uti melius commodiuſque ordinibus videretur, non autem ex gubernatricis et concilii decreto diſtribueretur. Quae licentia eo pertinere exiſtimabatur, ut libertatem in civili regimine uſurpatam, etiam in religione retinerent; ideoque epiſcopi nuper a [1] Paulo IV quaſi inſpectatores et inquiſitores creati ab iis rejiciebantur. Nec Hiſpania ipſa ab eo malo immunis habebatur, capto ob id Bartholomaeo Carança archiepiſcopo Toletano et in carcerem conjecto, ampliſſimiſque ejus vectigalibus in fiſcum redactis; quem longo poſt tempore Romae vidimus, ubi tandem mortuus eſt; viro alias eruditione, vitae probitate, ac ſanctiſſimis moribus eo munere digniſſimo. Huic malo ut obviam iretur, omnium bonorum votis urgebatur oecumenicae ſynodi jam a multo tempore intermiſſae inſtauratio. Sed [2] pontifex [*] idem, quod alii ante eum, verebatur; nempe ne [γ] ſua potentia in ordinem cogeretur: itaque etſi exſtirpandis haereſibus hoc remedium unicum ac neceſſarium judicaret, tamen rem in longum extrahebat et, niſi vi aut praeſenti ſuo periculo cogeretur, illud non adhibiturum manifeſto apparebat.

XV. Cum vero apud ſe ſtatuiſſet jure vel injuria, fraude ſive aperta vi deſideria privata explere, et ex Caraſarum exitio, quos alioqui ſuae fortunae propitios in adipiſcenda ſuprema dignitate nuper expertus fuerat, magna commoda ſperaret, ita aſtum inſtruxit, ut ſe iis bene velle initio fingeret, eaque diſſimulatione uſus Fabritium [c] Sanguineum arcta neceſſitudine cum Caraſis conjunctum ad Philippum extra ordinem legat, eique ac Terracinae epiſcopo negotium dat, ut apud eum regem agerent, et [d] Montorii quidem comiti pro [e] Palliano a [f] Varga promiſſam in Calabria compenſationem, et cardinali fratri penſionem pactam

P. [*] *de privatis affectibus tantum ſolicitus, ad cetera ſecurus,*

VAR. LECT. [α] dignationem ſuam. *P. D.* o. f. d. [β] virus. *P. D.* o. f. [γ] ſua ſibi. *P. D.* o. f.

INTERPR. [a] *le Milanois.* [b] *Pays bas.* [c] *di Sanguine.* [d] *Montorio.* [e] *Paliano.* [f] *de Vargas.*

NOT. [1] *Joanne Petro Caraſa. Put.* [2] *Pius IV Angelus Medicinus. Put.*

CIↃIↃLX. pactam repoſcerent. Idem et per Averardum [α] [a] Medicem Coſmi oratorem FRANCISCUS II. actum. Nec Philippus, qui novo pontifici gratificari cuperet, abnuebat; [b] Tendiliaeque comiti mandaverat, ut juxta pontificis deſiderium Carafis ſatisfaceret. Cumque interregni tempore Carafis in [c] Umbria et [d] Peruſino agro ablata caſtella et a veris dominis [e] Balnei comite, Vitelliis, et Aſcanio [f] Cornea recepta ſacri collegii interventu ſequeſtrata eſſent, Antonio Carafae [g] Montem-bellum reſtitui, et contra Vitellios quaſi rebelleis jure agi juſſerat; quantumvis renitente Coſmo, qui ne amicis tam neceſſario tempore deeſſet, exiſtimationis ſuae intereſſe arbitrabatur. His actis cum famae publicae, quo ingrati crimen a ſe amoliretur, abunde datum putaret pontifex, quaſi ex nova cauſa alienum a Carafis animum deinceps prae ſe tulit. Nec quaerenti adverſus homines avunculi decrepiri ingenio et ſuo magna cum ſubditorum ſacrae ſedis vexatione diu abuſos occaſionem reperire difficile fuit, plebe ób recentem cladium memoriam et majore nobilitatis parte contra ipſos vehementer exacerbata. Igitur M. Antonii [h] Columnae et Juliani [i] Caeſarini, qui male a Paulo IV habiti fuerant, inſtigatu, cum minime de eo cogitaretur, praeter omnium opinionem, cum conſiſtorium haberetur, Carolus Carafa cardinalis et agnatus ipſius cardinalis Neapolitanus arceſſuntur; cumque in Vaticanum veniſſent, a Gabriele Serbellono comprehenſi in [k] Mauſoleum Hadriani conjiciuntur. Eodem tempore Joannes Montorii comes, qui pridie in urbem venerat, a fiſci praefecto captus in carcerem truditur. Fertur Carolus, cum duceretur, dixiſſe, merito eam gratiam Carafis rependi, qui Medicinum ad ſummum faſtigium evexiſſent. Citatus mox Antonius Montis-belli marchio, qui aberat, fraterno periculo monitus fuga ſaluti conſuluit. Interea adverſi ſere nuncii quotidie de Tripolitana expeditione afferebantur, de qua poſtea ordine dicemus; de tumultibus item Gallicis: quibus non ſolum non permovebatur pontifex, ſed genio indulgens ac privatis charitatibus id unum, quod ante pedes erat, curabat; inſigni perfidia erga Nicolaum [l] Urſinum Petiliani comitem in Coſmi gratiam ea tempeſtate uſus, hominem alioqui ob violentiam et mores meliore fortuna neutiquam dignum; quippe qui eadem impietate erga Jo. Franciſcum parentem uſus fuerat. Is [m] Soanam, tanquam antiquum patrimonium, bellis ultimis captam retinebat, quam Coſmus ut Senenſis ditionis portionem, atque ex foedere reſtitutioni obnoxiam repetebat; eaque de re per Alfonſum [n] Tornabonum cum rege ſaepius egerat: ſed nullum aliud reſponſum tulerat, quam non inique laturum regem, ſi Soanam quoquo modo recuperaret; ceterum Coſmum exigere non debere, dum ea Petiliano regis opera aut rogatu adimeretur. Sic impetrata veluti a rege licentia Coſmus contra Petilianum libere machinari coepit, corruptoque ipſius filio Alexandro de prodenda arce cum eo conſilium iniit: verum re a patré detecta et capto filio, Angeloque Fraſchino fraudis conſiliario in patibulum acto, cum aſtum non proceſſiſſe doleret Coſmus vi rem aggreditur, et Chapino Vitellio imperat, ut VI CIↃ peditum contra Petilianum duceret et Alexandrum liberaret. Deducta mox [o] Politiano tormenta et loco admota; frementibus inde Caeſaris, hinc regis oratoribus, qui Romae erant, qui, implorante ipſorum opem Petiliano, quippe cujus ditio ad imperium pertineret, et ſub Gallorum patrocinio eſſet, apud pontificem inſtabant, ut auctoritatem ſuam interponeret, et obſidionem ſolvi juberet; alioqui fore, ut a pacificatione quaſi violata diſcederetur. Ille igitur ſtatim

VAR. LECT. [a] Mediceum. P. D. o. f.

INTERPR. [a] *de Medici.* [b] *Tendilla.* [c] *la Romagna.* [d] *Terr. de Perugia.* [e] *da Bagno.* [f] *della Cornia.* [g] *Montebello* [h] *Colonna.* [i] *Ceſarini.* [k] *Caſtel St. Angelo.* [l] *Orſino, conte di Pitigliano.* [m] *Soana.* [n] *Tornabuoni.* [o] *Monte pulciano.*

ſtatim Gabrielem Serbellonum eo mittit; qui arbitri perſonam ſumens, acceptam eo nomine a Petiliano Soanam, non auditis alterius partis rationibus, ſtatim in Coſmi poteſtatem [α] tradidit, et Coſmi machinationem inſigni violatae fidei infamia cumulavit. Nec ceſſabat interim Coſmus pontificem urgendo, ut ad externa animum adpelleret, utque munita diligenter maritima ora et [a] Ilva praeſidio extra ordinem firmata, Turcorum inſelici expeditione irritatorum impetum et excurſiones prohiberet: itidem obnixe rogabat, [β] tumultuum in Gallia et Scotia excitatorum rationem haberet, nec tot animarum ob religionem periclitantium ſalutem negligeret, committeretve, ut principes aliunde quam a Romana ſede atque adeo a ſe ipſis potius mali remedium peterent, et deſperata univerſalis concilii ope ad nationale recurrerent. CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

XVI. Jam enim fama in Italia percrebuerat de [b] Hoſpitalii ſermone in conſiſtorio regis habito, quo poſt mentionem oecumenicae ſynodi factam, epiſcopos omneis, ut ſe compararent, hortatus, nationalis concilii ſpem ſecerat ſine dilatione in Gallia celebrandi, ſi oecumenicum a pontifice quamprimum impetrari non poſſet. Ad quae pontifex, cum affectata ſemper mora anxie reſponderet, ut crebras oratorum noſtrorum expoſtulationes facilius eluderet, venturum ſe [c] Bononiam propediem dicebat, atque in itinere cum Coſmo prudentiſſimo et amiciſſimo ſibi principe ac gentili de ea re atque aliis ad Italiae ſecuritatem ac publicam utilitatem ſpectantibus acturum pollicebatur. Sed cum profectionis illius ſpem fruſtra eſſe cerneret Coſmus, ipſe a pontifice invitatus Romam venire ſtatuit, ut de rebus privatis ac publicis cum eo ageret. Jam ante Philippus a Guiſianis, ut creditur, incitatus, fama de nationali concilio ſparſa, in Galliam Antonium [d] Toletanum virum rerum agendarum peritia clarum miſerat, qui regem ſuper ea re conſuleret, et ſciſſurae periculo ex eo proculdubio exoriturae propoſito, regem ac conſiſtorii regii proceres ab eo conſilio dehortaretur. Diverſa parte Ferdinandus Caeſar petebat, ut quando Germanorum cauſa praecipue concilium ab initio indictum fuiſſet, in Germania quamprimum inſtauraretur, et in eo decreta prius facta denuo retractarentur. Contra multis aequum videbatur, ut quando ad Germanorum cauſam nunc Gallorum periculum accederet, in loco utrique nationi commodo et idoneo concilium haberetur, puta [e] Conſtantiae aut, ſi Germani aſſentirentur, [f] Veſontione. Contra pontifex optabat, ut ſi illud [g] Tridenti non celebraretur, in Italiam retraheretur; [h] Vercellaſque civitatem Galliae vicinam ad eam rem deſtinabat, quanquam nondum de celebratione illius plane apud ſe certus: quippe qui Genevam potius, unde ſectarium virus in Galliam ac Belgium paſſim diſſeminari audierat, armis peti, quam religionis controverſias in patrum conventu pacifice componi mallet: ob idque Sabaudo auctor fuerat, ut [i] Valdenſibus bellum inferret; de quo poſtea ſuo loco dicemus. Fluctuanti et de alia quavis re potius quam de munere paſtorali ſolicito ſupervenit Coſmus Octobri menſe cum Joanne cardinali et Garſia filiis, perhonorificeque exceptus, ac deinde ad colloquium privatum admiſſus, rationibus ſuis pervicit, ut concilium univerſale proximi anni initio celebrandum indiceretur: nam ſic expedire reipublicae Chriſtianae, cujus univerſae pontifex Romanus tutor ac parens communis ſit, ut graſſanti paſſim malo, remedio univerſali medeatur: nec vero metuere ipſum debere, ne concilium legitime congregatum, pro poteſtate quam obtineat, gravius quidquam aut ſeverius in Romanae curiae mores et abuſus ſtatuat;

VAR. LECT. [α] fecit. *P. D. o.* [β] ut tumultuum. *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Elba.* [b] *de l'Hoſpital.* [c] *Bologna.* [d] *de Toledo.* [e] *Conſtance.* [f] *Beſançon* [g] *Trente.* [h] *Vercelli.* [i] *les Vaudois.*

CIƆIƆLX. ſtatuat; nam cum ipſum, qui legitime pontifex ſit creatus, itidem mores cor-
FRANCISCUS II. ruptos et lapſam eccleſiae Romanae diſciplinam emendatam noo poſſe non velle: igitur ſupereſſe, ut ſincera ac ſimplici fide rem procuret, nec duplici mente in eo negotio verſetur; efficiatque, ut ex cunctis orbis Chriſtiani partibus ſelecti theologi acceſſantur ac benigne audiantur: et ita eccleſiae opinionum ſeu diverſitate ſeu licentia divulſae concordia ſarciatur. Urgebat et [a]. Philippus miſſo Romam [a] Tendiliae comite, ut ſibi per pootificem liceret ex ſacri ordinis in Hiſpania vectigalibus penſionem idoneam per quinquennium corradere, quae in XX triremium inſtruendarum ſumptus ſatis eſſet, ad muniendam Italiae oram, et loca, quae in Africa tenebat, tuenda: id ut Philippo concederetur, auctor item pontifici Coſmus fuit. Quibus actis et impetrata Chapino ac Paulo Vitelliis eorum, quae ad [b] Montonem interregni tempore geſta fuerant, et quorum ratione ipſis a fiſci procuratore lis mota fuerat, gratia, Rodolfi item [c] Baleoni liberis bonorum in agro [d] Perſino reſtitutione, et Fabiano [e] Montano Balduini Julii III fratris filio libera ditionum a patruo conceſſarum poſſeſſione, quam Carafae injurioſe occupaverant, Roma tandem diſceſſit, et Senas venit. Ibi nova reipublicae adminiſtratione inſtituta, arce inſtaurata ac munita, luſtrata denique ditione, et compoſitis utcunque de finibus cum Hiſpanis, qui [f] Orbitellum et Herculis-portum tenebant, controverſiis, poſtremo Florentiam reverſus eſt. Nec multo poſt cum de Franciſci morte allatum eſſet, una quoque jactatum fuit mutatam aulae faciem obitu regis, et Catharinam patentem jam metu Guiſianorum, qui impotenti dominatu eam diu anxiam tenuerant, ſolutam adjuncto ſibi Navarro, cujus ingenium circumagebat, ſecurius agere, et erga Proteſtanteis indulgentiorem eſſe: quod noo ſolum pontificis animum, ſed aliorum principum ultra modum perculſit, et io cauſa fuit, ut coocilii negotium, quod verbis tantum huc uſque agitatum fuerat, tunc maturius feſtinaretur. Miſſi itaque ex compacto ad Catharinam oratores, a pootifice Laurentius [g] Lencius Firmi epiſcopus, a Philippo Joannes [h] Mantices, et a Coſmo [i] Angelus Guicciardinus, qui ſuper filii morte eam ſolarentur, ac booo animo eſſe in poſterum juberent; rogarentque, ut religionis, in qua nata, adulta et educata fuerat, negotium commendatum haberet, oeque pateretur, ut ſerpente liceotia ſeiſſurae porta aperiretur, aut aliunde quam a ſacra Romana eccleſia impendentibus malis remedium quaereretur: nam brevi fore, ut omnium ſuorum deſideriis abunde ſatisfiat: in eam rem indictum oecumenicum concilium: videret ipſa, ne florentiſſimum regnum ſe moderatrice a priſca majorum pietate deſciſceret, oeque interea ſalutaribus remediis, quae a legitimo coocilio exſpectentur, quidquam praejudicii fieret. Delecti tum a pontifice Hercules Gonzaga, Hier. Seripandus, Staniſlaus Hoſius cardinales, qui ejus oomine actioni Tridenti inſtitutae praeeſſent: miſſi Zacharias [1] Delfinus Zacynthi epiſcopus et Jo. Franciſcus Commendonus in Germaniam, qui principes Proteſtanteis ad concilium evocarent: miſſus et Canobius in Polooiam, cum mandatis, ut etiam ad Moſcum tranſiret, et cum quamvis eccleſiae Graecae addictum, ut ad univerſale eccleſiae Latinae coovenium et oratores ac theologos ſuos mitteret, hortaretur: ſed bellis tunc inter Poloonm et Moſcum

exortis,

VAR. LECT. [a] Philippus, poſt cladem ad Gerbenſeis inſulas acceptam, de qua deinceps dicemus, miſſo *P.*

INTERPR. [a] *Tendilla.* [b] *Montone.* [c] *Baglioni.* [d] *da Perugia.* [e] *di Monte.* [f] *Orbitello, & Porto Ercole.* [g] *Lenzi, evêque de Fermo.* [h] *Manrique.* [i] *Agnolo Guicciardini.*

NOT. [1] Lege *Delfinus Pharenſis, et Jo. Franciſcus Commendonus Zacynthi, epiſcopi, in Germaniam* C'eſtoit Commendon qui eſtoit eveſque de Zante, & Delfin eveſque de Lieſina, ſuivant l'Hiſtoire du Concile de Trente de Fra. Paolo, p. 423. de l'Edit. de Londres. *Pharenſis* vulgo *Leſina* ſub archiepiſcopo Spalatenſi in Sclavonia. *Put.*

exortis, quo minus illuc proficiſci poſſet, impeditus eſt. Nunc ad longinquiora paulo tranſeamus. CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

XVII. SUPERIORE anno inſtituta ſtatim poſt regum pacificationem Tripolitana expeditio, ſed variis de cauſis retardata, hoc demum reſumpta eſt. Joannes [a] Cerda Siciliae prorex Joannis [b] Vegae provinciae ejuſdem vicarii, qui [c] Aphrodiſium nuper in Africa Turcis eripuerat, aemulatione cum ſummopere animi diſcruciaretur, quod nullum ſuum hujuſmodi in nomen Hiſpanum eſſet promeritum, cum Joanne [d] Valeta [α] Pariſoto Hieroſolymitani ordinis principe ſaepius egerat, ut et aliquo operae pretio ambo gloriam propagarent, recepta Tripoli nuper amiſſa, et eadem opera Turcorum vireis, a quibus certa Siciliae, Sardiniae ac Melitae pernicies imminebat, iis locis infringerent. Igitur Philippo ex compacto demonſtrant, tam praeclarae occaſioni minime indormiendum eſſe: rem enim eſſe et utilitate praecipuam, nec confectu difficilem aut eventu dubiam, nondum firmatis in ea Dragutis opibus. Eorum ſuaſu Philippus expeditionem decernit, eique cum ſummo imperio Cerdam praeficit: mandatque Joanni Andreae [e] Auriae, qui legatus Andreae rei navali praeerat, ut ſe cum tota claſſe Cerdae adjungeret, [f] Guimarano ejuſdem ſacri ordinis equiti negotio dato, ut in Italia legiones a ſuarum ditionum vicariis undique in eam rem corrogaret. Sed quo minus tam laudabile inceptum maturius perageretur, multa tum obſtitere; praecipue autem Henrici mors, qua factum eſt, ut provinciarum vicarii propter inopinatum illum caſum ne res mutarent veriti, quenquam ſe de legionibus ſuis daturos negarent, donec exploratum eſſet, quorſum Gallorum conſilia, ſi quos forte motus haec mors excitaſſet, evaderent: nullumque aliud reſponſum Guimaranus a [g] Sueſſae duce Mediolanenſis principatus praeſide, et a [h] Peraſano Ribera Alcalae duce, qui tunc Neapolitano regno praeerat, ferre potuit; qui Peraſanus et hanc cauſam obtendebat, quod praepotentem Turcorum claſſem, quae jam [i] Byzantio ſolverat, Anconam petere inaudiviſſet: de quorum conſiliis antequam certius cognoſceret, regnum praeſidio nudaturum, et copias, quas penes ſe habebat, vel uno capite minururum negabat. His acceſſit et aliud incommodum, ut triremes Hiſpanae a Philippo evocatae a reliqua claſſe diſcederent, nequicquam contra obteſtante Guimarano. Ita extracta fere tota aeſtas, donec ceſſante de noſtrorum conſiliis ſuſpicione, et claſſe Turcica in Orientem renavigante, ſolutis omni metu Italiae littoribus, Alvarus [k] Sandaeus, qui paucis ante diebus Philippo ad Cerdam venerat, ut bello huic intereſſet, in [l] Galliam Ciſalpinam ad novas copias conſcribendas remittitur, quas vix tandem a Sueſſano impetravit: nec, quanquam negotio ſumma diligentia adhiberetur, Octobri citius menſe copiae omnes [m] Meſſanam convenire potuerunt. Erant peditum omnino XIV CIↃ; videlicet XXX Hiſpanorum ſigna, quibus Sandaeus Subalpino et Etruſco bello ſpectatus dux; Italorum XXXV, quibus Andreas Gonzaga; Germanorum XIV, quibus Stephanus [n] Leoparus praeerant: quibus acceſſerunt Gallorum II vexilla. Claſſis autem conſtabat XXVIII onerariis, et XIV minoribus navigiis, triremibus majoris ac minoris formae LIV, quarum IV pontifex duce Flaminio [o] Anguillara, totidem Coſmus Etruriae dux Nicolao [p] Gentili ductore, V Hieroſolymitanae militiae princeps ſubminiſtrabat, quibus [q] Texeram equitem ſummum triremium ordinis praefectum praepoſuerat, qui et idem navalibus ac terreſtribus copiis non mediocriter eam expeditionem adjuvit, delecta CCCC equeſtris ordinis virorum manu, ac

VAR. LECT. [α] Pariſoto *deeſt*. *P.*

INTERPR. [a] *de la Cerda.* [b] *di Vega.* [c] *Africa en Barbarie.* [d] *de la Valete Pariſot.* [e] *Doria* [f] *don Bernardo de Gutmaran.* [g] *Seſſa.* [h] *don Peraſan di Ribera.* [i] *Conſtantinople* [k] *di Sande.* [l] *Lombardie.* [m] *Meſſine.* [n] *Leopat.* [o] *de l'Anguillara.* [p] *Gentile.* [q] *Teſſieres.*

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

ac IↃC ſcloppetariis miſſis. Tormentorum cura Bernardo Aldanae poſt rem male in [a] Pannonia geſtam non ſolum vitae ſed honoribus reſtituto data. Cerda luſtrato exercitu, commeatuque, qui XXX CIↃ hominum in IV menſeis ſufficeret, comparato, bellicis inſtrumentis ac parte copiarum in onerarias impoſitis et praemiſſis, paulo poſt exeunte Octobri cum triremibus ac ceteris copiis [b] Meſſana ſolvit, relicto in Sicilia Ferdinando [c] Silva Fabatae marchione, qui per ſuam abſentiam res adminiſtraret; ac [d] Syracuſas appulit, in quarum portu totum Novembrem adverſa tempeſtate jactatus eo uſque manſit, nec prius, quamvis re ſaepius tentata, quam Decembri ineunte inde egredi potuit, onerariis vix tandem remulco ex portu extractis: quod infauſtae navigationis infelix et ominoſum initium fuit. Interea magnus magiſter duas celoces in Africam exploratum mittit, optimo conſilio, ſed quod ut et cetera hujus expeditionis in malum vertit; nam earum altera in Draguris manus venit, qui Tripolim tenebat: is ergo cognito ex captivis noſtrorum conſilio, oppidum munire ac valido praeſidio firmare, annonam comportare, ac cetera ad obſidionem ſuſtinendam neceſſaria expedire, tum Solimanum monere, atque ut claſſem, quae Chriſtiana ſuperior ſit, ſubſidio quamprimum mittat, orare. Hic cum ante novennium capta Tripoli, praetor toti orae vicinae a Solimano impoſitus eſſet, amoto [e] Morutaha Teſciarae regulo, poſtea cum [f] Carvennae rege, cujus ditio CCC Tripoli milliaribus diſſita eſt, magnas inimicitias exercuit, ex eo natas, ut ipſe aiebat, quod cum auxilio egeret, non ſolum regem non propitium, ſed rebus ſuis iniquum expertus eſſet. Quod ſive verum, ſive a Dragute, qui diſſidii cauſam quaereret, confictum fuit, certe ab eo tempore veteranus praedo infeſtis animis regem vicinum perſecutus eſt, cumque Turcicae potentiae opibus ſubnixus magna ditionis ſuae parte ſpoliavit. Quapropter ille fortunae ſuae metuens undique circumſpiciebat, ſi qua ſubſidii ſpes a noſtris partibus affulgeret. At Dragutes non contentus per continentem late ſui nominis terrorem ſparſiſſe, [g] Gerbim etiam inſulam propinquam in poteſtatem redigere ſtatuit. In ea rerum potiebatur dynaſta quidam Solimanus nomine, cujuſmodi regulos vulgo Xeches vocant, idque nominis Arabes iis tribuunt, quorum anguſtae ditiones regni titulo dignae non habentur. Eum cum vi expugnare non poſſet Dragutes, ſpecie amicitiae Tripolim evocatum in vincula conjicit, et ita inſulae poſſeſſionem adeptus, miſerum dynaſtam aliquanto poſt patibulo ſuffixit. Ea re homo jam toti viciniae formidabilis magnum in ſe omnium odium concitaverat, et Libyci reguli ac populi nihil magis in votis habebant, quam ut injuriarum ulciſcendarum et libertatis, quam ſub immani pirata et Turcico imperio amiſerant, recuperandae occaſio ſe offerret. Itaque non inviti fecere Carvennae rex, Tunetani regis filius, qui jam cum [h] Cerda erat, et Solimani illius nepos, qui ſe jam Gerbenſem Xechem appellabat, ut nobiſcum amicitiam jungerent, et conjunctis opibus communem peſtem Africa depellerent.

XVIII. GERBIS autem, Meninx ſeu Lotophagitis ab antiquis dicta, LX circiter paſſuum millia ambitu ſuo complectitur, ad Africam projecta, ac brevi ſpatio, quod ponte jungitur, ab ea disjuncta, humili undique vado cincta, quod ſemel hyeme, bis aeſtate, accedit et recedit, adeo ut plerumque IV CIↃ paſſuum a mari deſeratur: eaque res Garſiam [i] Toletanum Albae ducem famoſi illius ducis parentem olim feſellit, qui in inſulam pleno vado exſcenſionem fecerat, ſed mox incumbentibus Turcis recedente mari in ſicco deſtitutus, et ad certandum praeter voluntatem neceſſitate adactus, cum receptus non eſſet, magnum damnum accepit, et

INTERPR. [a] *Hongrie.* [b] *Meſſine.* [c] *Silva, marquis de Favara.* [d] *Saragouſſe.* [e] *Moratalia, ſeigneur di Teſciara.* ita Curni. *Morataya, ſeigneur di Tajora.* Marmol T. 2. p. 305. col. 3. [f] *Carvan.* [g] *Iſola delle Gerbe* ou *Zerbi, Hiſp. Gelves.* [h] *la Cerda.* [i] *de Tolede.*

et ipſe in eo certamine vitam amiſit. Tutus alioqui locus eſt acceſſu et ſtatione, cum periculum ab hoſte non impendet, neque ad inopinata evadendi neceſſitas urget, et planus fere, niſi in meditullio, quod molli paulatim collium gibbo aſſurgit: ejus ſabuloſum et aridum ſolum, quod tantum palmetis, quorum paſſim lucis conſitum eſt, olivetis, cedris, et punicis malis acerbioris quam apud nos ſaporis abundat. Sunt et vites, ex quibus inſulani uvas praeſtantiſſimas, non ad vinum exprimendum, ſed ſiccatas ad eſum colligunt, eaſque in vicinam oram et Alexandriam uſque in Aegyptum deferunt: ficus item, pyri, mala, pruni in ea inſula frequentes: ceterum pro omni annona tantum oryzam, milium, lentem, fabas, cicer et hujuſmodi legumina profert: olim Tunetano regi ſuberat; poſtea labefactato ejus imperio tres dynaſtae ea potiti ſunt, inſida dominantium ſocietate ad unum tandem redacti; qui rurſus et crebro mutavit, dum inſana regnandi libidine caeci, nec filius patri, aut pater filio, fratrive frater parcit. Hodie in inſula XXX CIↃ capitum numerantur, cum olim populoſior eſſet, propter crebras ſeditiones minuto numero. Per mapalia fere habitatur: nam praeter caſtellum dynaſtae ſedem, et IV circiter vicos domibus ac populo frequenteis, tuguria tantum huc illuc ſparſa per inſulam viſuntur. Forum apud Gerbenſeis frequens, ad quod ex continenti noſtra, item Africae ora, Graecia, Aegypto mercatores crebro commeant; adeo ut ex nundinarum teloneo ſingulis annis C aureorum CIↃ ad dynaſtam redire ab iis, qui res eas ſcripſere, memoriae proditum ſit. Cameli et aſini magno numero apud eos naſcuntur, raro equi. Capras habent praeter noſtrarum morem grandibus auriculis ac fimbriatis et albido colore: lepores item multos, et chamaeleontes, qui lacertae magnitudine pares ſunt: pecore importato utuntur. Homines ſunt candidiore, quam Afri, oris ſpecie, et tamen ſubfuſca; de cetero ſuſpicaces, curioſi, pecuniae ultra quam credi poſſit avidi, ad omnem libidinem tam viri quam foeminae projecti: adulterium tamen inter eos capitis poena punitur. Et viri, qui ſenas aut ſeptenas uxores ducere nec amplius poſſunt, ſi quas in opere deprehenderint, coram parentibus criminis convictas necant, aut deſpectas contumelioſe relinquunt. Dynaſta quot vult ducit; et, quoties ducit, ab inſulanis aliqua pecuniae ſumma muneratur: ſub ſe legatum habet et praefectum juridicum, cui pro inſigni baculum gerenti magnus honos ac reverentia habetur. Raro ibi homines litigant, dum quiſque in ſuo occupatus rei faciendae ſedulo invigilat. Lanas optimas conficiunt, et ex iis pannos ſubtiliſſimos, quibus veſtiuntur: pileos veneti coloris faſcia alba involutos ac turbinatos geſtant: palliis, quae baracanos vulgo vocant, ex illa lana opere ſerico fimbriatis viri teguntur, et gladio ex humeris dependente accincti incedunt, introrſum nudi: praecipui tamen dignatione inter eos tunicas ſubtus infra genua pendenteis habent, et cothurnis Maurorum inſtar ſuras tegunt. Palliis itidem foeminae velantur, quibus et capita obumbrantur, illiſque ante oculos dependentia in acumen deſinunt: de cetero ſubtus tunica rectae ſunt. Tenuiores farina oryzae oleo ſubacta, melle, butyro, dactylis cum aceto, et aliquando carne veſcuntur: ditiores frumenti farinam aqua delibutam ad cibum adhibent. Aqua omnes in potu utuntur; et humi propter immodicos aeſtus cubant. Sed jam in viam a diverticulo redeo.

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

XIX. CERDA igitur idoneam, ut ſibi videbatur, tempeſtatem nactus, poſtquam diu cum morbis, per quos ex ſuis multos deſideravit, cum rixis ac ſeditionibus militum, qui majorem partem ex Neapolitanis et Siculis exulibus conſtabant, conflictatus fuit; tandem e portu Syracuſano ſolvit, praemiſſis onerariis cum mandatis,

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

mandatis, ut in minorem [a] Syrtim curſum tenerent, et inde contracta ibi claſſe Tripolim plus c milliaribus diſtantem peterent: ſed vento reflante cum jam triremes [b] Pachynum ſuperaſſent, et retro compulſas in locum ex quo ſolverant onerarias aſpicerent, conſultatione habita, an et ipſae portum repeterent, ut ſe cum onerariarum claſſe conjungerent, an ad Melitam, quae proxima ſub manum erat, appellerent, pauliſper addubitatum eſt; tandemque curſu Melitam verſus directo, portum, cui [c] Marzamuſſulo nomen, tenuerunt. Saevientibus interea ventis conſumptum inutiliter tempus, quo uſque iis ponentibus ſub Decembris exitum triremes a Cerda ad alias accerſendas miſſae, quae curſum tenere non potuerant, Syracuſas redeunt, et onerarias partim portum jam egreſſas offendunt, partim ipſae remulco extrahunt, et cum earum majore parte Melitam appellunt. Ibi expoſitus in terram miles, ut nauſea maris ac ſentinae vitiis, tum etiam morbis ex inſalubri coelo contractis confectus ſe reficeret. Recenſito exercitu, cum III hominum millibus eum imminutum conſtaret, mittuntur in continentem, qui novos delectus in Neapolitano regno ac Sicilia haberent. Ex iis ſuppletae cohortes: et additi ad eas, quas habebat Hippolytus Malaſpina, IↃ pedites; [d] Carolo Ruſo item attributi IↃ, et Marcello [e] Auriae CCC. Ita totus Januarius inſequentis anni et major Februarii pars exacta. Tandem Cerda iterum ſolvit, onerariis juſſis, ſi priores Syrtim Pali tenuiſſent, ibi triremes praeſtolari. Quatriduo poſt triremes inſulam [f] Gerbim ad locum, cui [g] Rupellae nomen, appulerunt, in quo claſſes ſolent aquari: ſed veritus prorex, ne aquatio Turcorum ac Maurorum excurſionibus infeſta eſſet, cum omnibus copiis exſcenſionem facit: nec fruſtra fuit ejus conſilium: nam impetus ab hoſte circumfuſo mox factus, et proelio non incruento certatum fuit; in quo Alvarus Sandaeus, dum omnia circumſpiciens et cunctis locis accurrens in media acie verſatur, ſclopeti ictu cum aliis aliquot vulneratur. In eo litore euripus eſt, [h] Cantara vulgo dictus, qui CIↃ amplius paſſus introrſum porrigitur: in quo duabus triremibus procul ab oſtio conſpectis ſtatim ad eas capiendas nonnullae mittuntur: verum illae duas onerarias, quae in ancoris haud procul ſtabant, conſpicatae, Turcicis triremibus omiſſis, neglectoque ducum imperio ad eas capiendas praedae cupiditate certatim deflectunt, quas mercibus pretioſis onuſtas reperiunt, nemine praeterea in iis invento, ex quo ſtatus loci et hoſtium conſilia cognoſci poſſent: quippe litora circum diligenti Turcorum et incolarum cuſtodia clauſa erant, ne quis capi aut ad nos tranſire poſſet. Poſtea cum claſſis ad Syrtim deflexiſſet, ex Mahamutitis Arabibus, qui in continenti proxima habitant, gente Turcis admodum infeſta cognitum eſt, pulcherrimam occaſionem a noſtris praetermiſſam eſſe, cum relictis triremibus ad naves diripiendas diverterunt. Nam Dragutes paulo ante inſulam ingreſſus, contra Solimani illius, quem dixi, nepotem loci dynaſtam ab inſulanis vocatus, qui domini novi imperium exoſi ab eo deſciverant, conflixerat, pugnaque ſuperior evaſerat, et ſi quidem noſtri triremes incendiſſent, exitus Draguti omnino praecludebatur. Nam per pontem, quo inſula continenti jungitur, omnia firmiſſimis Arabum praeſidiis inſidebantur, et Dragute, qui ſe cum flore copiarum Tripoli eduxerat, navigiorum penuria excluſo, procul dubio erat noſtros Tripoli vacua citra certamen potituros ac bellum feliciter confecturos fuiſſe. Triremes IV a Coſmo ſubminiſtratae, quas [i] Bibonae dux conſcenderat, ſine proprio munere, tantum juvenili virtutis ardore, ut expeditioni intereſſet, eo profectus, propter adverſam tempeſtatem [k] Melitae remanſerant,

INTERPR. [a] *Pali ou ſecca di Palo.* [b] *Capo Paſſaro.* [c] *Marſa Muſcietto*, al. *Marza Muzetto.* [d] *Carlo Ruſſo.* [e] *Doria.* [f] *le Gerbe.* [g] *la Rochetta.* [h] *Bocca della Cantara.* [i] *Bibona.* [k] *Malte.*

remanſerant, quae ad [a] Lampaduſam, a [b] Gozo XXXI millibus paſſuum diſſitam, aqua ſumpta, inde Gerbim delatae ſunt: ubi veritae ne aqua deficeret, rurſus aquandi cauſa exſcenſionem fecere. Expoſiti in terram CC Hiſpani, qui aqua ſumpta dum ſecure incedentes ad ſuos pergunt, a Mauris irruentibus circumfuſi multum damni accepere: nam pars depreſſi, pars naratu vix perniciem evaſere: interfecti Hadrianus [c] Garſias, Alphonſus [d] Guſmanus, Petrus [e] Hanegas; captus Franciſcus [f] Antonianus, Petrus [g] [α] Blemudes, alii. Id incidit in XIII Kal. Mart. Inde per Mahamutitas illos [h] Cerda ad [i] Carvepnae regem dat literas, et eum adventus ſui certiorem facit, rogatque, quamprimum ad ſe veniat, ut capita de republica conferant, vireſque contra communem hoſtem conjungant. Nec multo poſt IV naves onerariae appulere, quibus Germanorum aliquot cohortes portabantur, ductore Joſepho [k] Tremarchio. Dum in ancoris ad [l] Syrtim ſtarent, bis mille ex noſtris varia peſte periere, accedente ad morbos in Sicilia et Melita contractos loci coelo corrupto et inſalubri aqua. Nam inſulae ſolum fere ſabuloſum eſt; in eoque putei fodiuntur, unde ſcaturigines emergunt aquae quidem dulcis, ſed inſalubris ſaporis: quo fiebat ut multi quotidie acervatim interirent, et eorum cadavera, miſerabili ſpectaculo, ne terrae mandata aerem magis inficerent, in mare projiciebantur. Tum ad Kal. Mart. conſultantibus quid agendum eſſet ducibus, alii expeditionem quamvis optima ratione ſuſceptam omnino omittendam cenſebant et ad novos caſus nova conſilia ſumenda; alioqui cum coelo certamen inſtitui: alii, quibus pudor erat diu manſiſſe et vacuos redire, manere ſuadebant, et tantiſper exſpectare, dum copiae novae, ad quas conſcribendas prorex miſerat, advenirent, ac tum inſtitutum iter perſequi. In mediam ſententiam conſenſere cuncti, quae expeditionem coeptam minime quidem deſerendam cenſebat, ſed [m] Lotophagitidem Syrti relicta revertendum eſſe, quae non plus quam Syrtis LXXX paſſuum millibus a Tripoli abeſſet: ibi commode a praeteritis morbis ac laboribus reſpiraturum militem, atque ubi novae copiae advenerint, idoneam tempeſtatem nactum inde Tripolim petiturum, ita tamen ut navigatio ad tempeſtatem accommodetur, et ſi venti Tripolim ferant, fortuna utantur. Igitur datum negotium loci dynaſtae, qui ſuam operam ultro proregi detulerat, ut eam continentis regionem, quae cum Gerbi ponte jungitur, muniat, nec quenquam Turcorum inſulam ingredi patiatur; eique facta ſpes ſtipendii exſolvendi. Inſtructa claſſe eodem die, nam ventus reluctabatur, quo minus Tripolim petere poſſent, Gerbim delati ſunt; in qua expoſito milite X ab oppido milliaribus caſtra metantur, Non. Mart. loco ab inſidiis tuto, ad haec ſalubri et aquatione percommodo. Solitudo in ingreſſu hoſtilis animi ſignum fuit: in qua opinione confirmatus fuit prorex, cum ſub veſperam Mauri duo a dynaſta quaſi legati, re vera exploratores, gratulandi ſpecie in caſtra venerunt, qui herum ſuum ſub Philippi tutela libenter futurum affirmarent; ſed orare, cum nulla armorum cauſa ſubeſſet, ut prorex exercitum inſula deportaret; ſimul etiam petere, ut ad [n] Rupellam accederet; nam eo dynaſtam venturum, ac de ſumma rerum ambos ibi capita collaturos; alioqui irritatos eorum adventu inſulanos vix cohiberi poſſe. Ad haec prorex, adventum excuſare; ſe enim cum Tripolim peteret, in inſulam tempeſtate compulſum, pacato, non hoſtili animo excenſionem feciſſe; in quam confecta Tripolis expeditione, nec prius, venire decreviſſet, ut Turcis expulſis dynaſtam antiquae poſſeſſioni reſtitueret: laetari interim, quando ita caſus tulerit, ut prius Gerbim, quam ſperaverat, [β] ſit delatus, quod

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

VAR. LECT. [α] Biemudes. *P. D.* o. [β] venerit, quod. *P. D.* o f. d.

INTERPR. [a] *Lampedoſa.* [b] *Gozo.* [c] *Garſia.* [d] *Guſman.* [e] *Vanegas.* [f] *di Antonio.* [g] *di Bermudez.* [h] *la Cerda.* [i] *Carvan.* [k] *Tremarchi.* [l] *Secco di Palo.* [m] *Gerbe.* [n] *la Rochetta.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

quod pacatos animos in ea invenerit; nec videre, cum jam copias expoſuerit, cur eas inde deducere debeat, antequam de conditionibus inter parteis tranſactum ſit, et ipſe quaedam ad claſſem neceſſaria comparaverit: quare ſe ad [a] Puteos, locus eſt III ab oppido milliaribus, poſtridie caſtra promoturum: petere viciſſim, ut eo veniat dynaſta, ut ſimul de republica in commune conſulant. Dimiſſis ita legatis eadem nocte duo ex captivis noſtris, qui dominos feſellerant, ad proregem veniunt, et Turcos adventu Chriſtianae claſſis cognito, oppidi poſſeſſione et inſulae imperio dynaſtae ceſſiſſe referunt: et Dragutem quidem Tripolim conceſſiſſe, atque [b] Uluzalim Calabrum nobilem piratam, de quo plura deinceps dicenda erunt, cum triremibus illis, quas diximus, cum donis ac muneribus ad Solimanum ac purpuratos perferendis Conſtantinopolim profectum, ut adventum claſſis noſtrae nunciaret, et auxilia peteret: nunc Turcos ac Mauros praeſidiarios, qui in oppido reliqui ſint, conjunctis animis proregem invadere decreviſſe. Eo factum, ut poſtero die, acie cautius inſtructa inceſſum ſit, praemiſſo Sandaeo, qui locum caſtris idoneum ad Puteos caperet. In primo agmine ſtabant Hieroſolymitani equites cum Gallis ac Germanis bis mille: medii ſequebantur Itali III CIↃ numero: aciem claudebant Hiſpani numero item III CIↃ: ad hanc ſummam redactis XIV CIↃ copiis. Ita incedens prorex in itinere in [c] Melorarem dynaſtae vicarium incidit, qui dominum excuſatum venerat, quod non obviam proceſſiſſet: ea illum de cauſa in officio ceſſaſſe, quod ſuorum voluntati ipſum retinentium obluctari non potuerit. Caſtris loco a noſtris ſumpto, dynaſta II ab iis milliaribus conſtiterat, colle tantum interpoſito, quo tegebatur: de cetero tympanorum ſonitus audiebantur, qui terni editi ſignum pugnam cientium apud eos eſſe ſolent. Tum petitum a dynaſta colloquium; verum fraudem praeſentiens prorex Melorarem ſtatim remittit, ac nunciare dynaſtae jubet, poſtero die, poſtquam militem refecerit, ad illum ſe venturum. Continuoque aciem inſtruit, Hiſpanis in primo cornu locatis, quibus praeerat Ludovicus Oſorius; in ſecundo ad mare Italis, quod [d] Kyriacus Spinola ducebat; ac mediis Hieroſolymitanis equitibus cum Gallis et Germanis: iis circumfuſi ſcloppetarii. Vix in aciem noſtri exierant, cum jam Mauri e colle prodeuntes apparere incipiunt: ibi initio a Mauris concurſum, more gentis ſublatis clamoribus horrendis acriter; ſed adveſperaſcente die circiter CL ex ſuis amiſſis retro pedem referunt. Deſiderati e noſtris tantum XXX; in quibus Bartholomaeus [e] Conſalvus, Alfonſus [f] Padilia ordinum ductores, [g] Frias Sanjacobinae triremis praefectus; et e nobilitate Gallica unus, cujus nomen non expreſſum eſt: ſauciatus graviter Gregorius [h] Ruizius, qui ex vulnere poſtea deceſſit. In eo certamine praecipue virtus enituit Ambroſii Mediolanenſis ordinum ductoris, Joannis Antonii [i] Bisballae equitis [α] Melitenſis, et Joſephi [k] Tremarchii. Interea purgati putei, quos Mauri, ut facultatem aquandi noſtris eriperent, ſaxis ac glarea compleverant. Reducto in caſtra milite, deficientibus papilionibus, qui in claſſe remanſerant, noſtri ex palmarum et olearum ramis tumultuaria opera tabernacula extruunt. Inde miſſus a Joanne Andrea [l] Auria ad fauceis euripi inſidendas [m] Sanctius Leva cum triremibus, quibus praefectus erat; cui attributi [n] Coliatius et Hercules Medices terreſtrium cohortium praefecti: iſque perſoluto Mahamutitis promiſſo ſtipendio eorum fidem de aditu ſervando denuo obſtrinxit. Cum aſtum minime procedere videret dynaſta, alioqui [β] viribus impar quotidie mittebat hominem, qui in noſtrorum conſpectu

VAR. LECT. [α] Hieroſolymitani. *P. D. o.* [β] viribus cum Philippo contendere impar *P. D. o. f.*

INTERPR. [a] *Pozzi.* [b] *Uluccialì.* [c] Les hiſtoriens Italiens le nomment *Mezuar.* [d] *Chirico Spinola.* [e] *Gonçales.* [f] *Padilla.* [g] *Friat, patron de la galere Santjago.* [h] *Ruiz.* [i] *Bisballe.* [k] *Tremarchi.* [l] *Doria.* [m] *Sancho di Leyva.* [n] *Coghazzi.*

conſpectu velo albo in terram defixo, quod pacatorum et pacem petentium ſignum eſt, epiſtolam ibi relinquebat; qua ille ſe ſub Philippi imperio eſſe velle atque in verba regis jurare, tributumque perſolvere paratum confirmabat. Verum prorex, qui non conditionibus a victo oblatis paciſci, ſed legibus a victore impoſitis cum ſubjugare mallet, tempus interea ducebat, dum commeatum, machinas bellicas et reliquum apparatum bellicum in terram expoſuiſſet: quo facto, jam Martio medio exacto movet. Infeſto animo venientem proregem dynaſta animo fractus non tulit: ſed miſſus ab eo, qui traditurum ſe ſtatim oppidum et, dum conditiones ſcriberentur, obſides daturum promitteret. Ita cum illo tranſactum, cum concilio viſum eſſet, ſatius eſſe, dedentem ſe ſub voluntarium imperium accipere, quam armis ſubactum et invitum; majoremque inſulae a clade belli integrae, quam incendiis ac ruinis vaſtatae fructum fore. Res interventu juvenis cujuſdam, cui [a] Amanſori nomen, juridici Cantabri, qui ſacra Chriſtiana deſeruerat, filii, ac dynaſtae perchari, et Baltaſaris [b] Gagi Luſitani, qui linguam callebat, confecta eſt; frementibus multum Hiſpanis, qui cupiditate praedae, quam jam ſpe devoraverant, caeci galeas et arma prae ira huc illuc projiciebant: inter quos unus repertus eſt nomine [1] [c] Ogulnius, qui bolum e faucibus eripi tam iniquo animo tulit, ut rabie incitante ſibi gulam cultello fregerit. Juſſus mox [d] Barahona caſtrorum praefectus cum Hier. Cerda et Stephano [e] Monte-regali, ad oppidum ire, et Philippi nomine poſſeſſionem ejus ſumere. Tradito oppido, ſtatim muniri illud placuit, ut eo vinculo mobilia Maurorum ingenia conſtricta tenerentur, ac defectiones, gentile Mauris ac familiare vitium, cohiberentur: tum ne inſula piratis, qui inde brevi trajectu Siciliae ac Melitae litora et Italiae oram Africae obverſam aſſiduis incurſionibus infeſtabant, deinceps receptaculum eſſet; forma munitionis ab Antonio [f] Comite ſtruendarum arcium apprime perito delineata. Coeptum opus XV Kal. Apr. oppidi regiones inter nationes diviſae: et cum IV propugnaculis firmari illud placuiſſet, aemulatione ſtudia accendente opus deproperatum eſt, et brevi ad eam amplitudinem perductum, ut oppugnationem ſuſtinere poſſet. Propugnaculi, quod ad ortum ſpectat, exſtruendi cura commiſſa Andreae Gonzagae: oppoſitum ad occaſum Hieroſolymitani equites ſibi ſumpſere: prorex ad meridiem poſitum muniendum ſuſcepit: medium inter proregem et Hieroſolymitanos equites Joanni Andreae [g] Auriae obvenit. Nam totus ille tractus, qui ab occaſu ad ſeptentrionem protenditur, terrae lingua et mari objecto; reliquus qui a ſeptentrione ad ortum excurrit, continuo muro ſed flexuoſo ſinu aliquoties curvato tegebatur. Proviſum inprimis, ut aquae dulcis copia locus abundaret: datumque negotium praeſidiariis, ut L aquae cados ſingulis diebus in arcem inferrent, duabus ciſternis ad aquam capiendam optime paratis: quod ſegniter ab iis factum, dum quaeſtui intenti olea ac lana in naveis importandis tempus terunt, praecipua amittendi oppidi cauſa fuit. Sub id tempus ſupplementum militum, quod prorex Melitae ſcribi juſſerat, appulit: quibus appulſis CIↃ delectorum praeſidio caſtellum firmatum eſt, Barahona his praepoſito, cujus legatus erat Antonius [h] Olivara; dieſque jurisjurandi dynaſtae ad III Non. [2] Maias conſtitutus. Qui dies cum veniſſet, magna ſuorum corona ſtipatus ille loco condicto, qui a caſtris CIↃ paſſuum intervallo aberat, venit, et firmandae amicitiae pignus Dragutis vexillum praſinum obtulit: tum conceptis verbis fide Philippo obſtricta et praeſcriptis conditionibus vexillum, in quo erant illins

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

INTERPR. [a] *Amanzo, fils d'un Alcayde.* [b] *Gago, Portugais.* [c] *Ordognez.* [d] *Baranna.* [e] *Monreale.* [f] *Conti.* [g] *Doria.* [h] *d'Olivera.*

NOT. [1] *Ordonius. Ind. Th.* [2] *Aprileis. Put.*

illius regis inſignia, ter ſuſtulit. Conditionibus appoſitum fuit, ut VI CIↃ aureorum tributum quotannis penderet, camelum I, ſtruthiocamelos IV, falcones IV [a] Nubienſcis, et IV gazelas. Nec multo poſt Carvennae rex, diu aeger, valetudine tandem recuperata, ut fidem ſuam proregi approbaret, in caſtra venit, exiguo admodum comitatu, adductis ſecum VIII equitibus, nam copias in continenti reliquerat; cui honorificum hoſpitium, nec non Tunetani regis filio, qui cum prorege venerat, juxta proregem aſſignatum eſt. Intento operi Cerdae et dies noctesque in opere perficiendo continuanti nuncius ab Hieroſolymitani Ordinis principe venit, pro comperto habere ſe, claſſem XL triremium Conſtantinopoli inſtructam mox ſoluturam et Tripoli ſubſidio futuram, quam ordinaria claſſis brevi ſubſecutura ſit ad eam urbem, ſi interim amiſſa ſit, recipiendam. Qui nuncius ad Auriam tunc ex morbo in lecto decumbentem perlatus mirifice eum afflixit. Sic enim apud ſe rem putabat, ad claſſem regiam XL triremium, XX piratarum triremeis ſe in itinere aggregaturas; quibus ſi XXII addantur, quas Dragutes penes ſe habeat, eam claſſem Chriſtiana ſuperiorem ad ſe invadendum proculdubio venturam. Itaque magnopere Cerdam hortabatur, ut omiſſa munitione militem in naveis imponeret, et cum claſſe tot egregiis bellatoribus inſtructa ultro obviam Turcicae proficiſceretur, et cum ea in [a] Aegaeo, antequam numero augeatur, confligeret: ſic enim fore, ut Turcici auxilii amoto metu tutius Tripolitanam expeditionem repeterent. Nihil monitis Auriae commotus prorex, qui muniri coeptum oppidum nullo pacto deſeri vellet, quantumvis periculoſum Auriae ac ceteris ducibus videretur iſtuc temporis claſſem ſeparare, vicecomitem [b] Cicadam cum XII triremibus ad commeatus accerſendos et pecunias convehendas mittit. Eodemque tempore, fama de claſſis Turcicae adventu ſparſa, a Neapolitani regni vicario Ferdinandus Zapata cum II celocibus venit, qui Hiſpanum militem veteranum in regni ſubſidium repetebant: Ordinis item magiſter ſuas revocat, quae ad eum VI Eid. Apr. remiſſae ſunt: eoque magis inſtare Auria, miſſo ſaepius [c] Thomacello, ut prorex ad profectionem ſe compararet, fide atque etiam obſidibus oblatis de pecunia in arcem inſerenda. Sed nihil quod ſalutare eſſet auribus admittere prorex: adeo perficiendi operis cupiditas, et ſpes Meningis poſſeſſionem Hiſpanienſi regiae adjiciendi ſemel concepta illius animum occupabat, ut omneis ab eo conſilio abhorrenteis rationes reſpueret. Dum Auria fruſtra inſtaret, Cicada jam e Sicilia reverſo, ante VI Eid. Maias celox Ordinis principis cum [d] Coponio equite miſſa venit. Is literas ad Auriam habebat, quibus certior fiebat, validam Turcorum claſſem XXCV triremium in [e] Gozi litoribus Non. Maii, VI ante datas literas horis Africae litora petentem apparuiſſe. Quo nuncio cohorreſcens ſubito Auria, Guimaranum, qui forte aegrotanti aſſidebat, ad proregem cum literis, quas Coponius attulerat, mittit; cumque conſilia enixis precibus miſcens obſecrat, ut omni alia re omiſſa ſtatim claſſem conſcendat, neque exſpectet, dum Turcus, niſi ante lucem evaſerint, ſub adverſo veluti flatu adempta omni elabendi ſpe univerſos capiat. Nunciis dimiſſis et concilio in praetorium vocato, cui interfuerunt Sanctius Leva Neapolitanarum, et Berengarius Requeſenes Sicularum triremium praefecti, Scipio Auria, qui triremeis ab Antonio parente acceptas ducebat, et vicecomes Cicada magni in rebus navalibus uſus ac nominis; poſt acrem contentionem placuit, ut prorex niſi copiis in naveis impoſitis et ſecum ductis non diſcederet. Affirmabant enim diſſentientes, claſſem a Turco ad Dragutem miſſam nullo modo neque poſtera neque ſequentibus diebus ad Gerbim pervenire poſſe: nam vero ſimile fieri, claſſis

VAR. LECT. [a] Nebienſeis. *P. D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *l'Archipelago.* [b] *Cigala.* [c] *Tomacello* [d] *Ugo de Copones* [e] *Gozo*

claſſis duces illum prius, ad quem miſſi ſunt, adituros et cum eo in commune CIↃIↃLX.
conſultaturos: declarare hoc iter in meridiem, ut literis ab Ordinis principe FRANCISCUS II.
perſcriptum eſt, directum, quod inſulam petentibus in africum flectendum ſuit. Contra Auria diſſerebat, ut primum conſilium eſſet Tripolis petendae et Dragutis conveniendi, non tamen Turcos tam ſupine erraturos, ut claſſem ſua inferiorem ſub adverſum ventum nacti ſine nllo negotio capiendam omitterent, ac tam pulchram occaſionem ignave deſererent; deinde ne magnetem quidem et nauticam acum certo loco deſignare poſſe, quo claſſes appulſurae ſint, cum perexiguus et vix ſenſibilis ſenſus in longo itinere ſummopere curſum variet. Tandem contra Auriae ſententiam decernitur, ut nonnullae triremes ſub orientem ſolem eveherentur; ac ſi nulla Turcorum claſſis apparuiſſet, tum per otium miles in naveis imponeretur. Secundum haec prorex ſub mediam noctem in praetorium venit, et ſibi ſententiam ſtare confirmat, non niſi abductis ſecum omnibus copiis diſcedere: nam ſe hoc illis promiſiſſe; ac neſcire, quo ore quave fronte in eorum conſpectum, ſi fidem fallat, venturus ſit. Cui Auria, Et ſi claſſem, dum animum adeo obſirmas, in manus hoſtium tradideris, quo ore in Philippi conſpectum, in Italorum et Hiſpanorum venies? tanta enim claſſis momenta eſſe non ignoras, ut conſilio illius ſervandae nihil praevertendum ſit? nam claſſe ſervata copias, quas relicturus es, et cetera omnia ſervas: enimvero nimis properum promiſſum fuit, cujus te non tam minime ſervati dedecus, quam periculi magnitudo permovere debet. Verum Auriae verba nihil apud Cerdam valuere, qui corbitis mandato dato, ut continuo diſcederent, Auriae imperat, ut duabus ante lucem horis cum tota claſſe, II tantum triremibus ſibi ad ſubita relictis, altum petat, et ſolis ortu exſpectato, ſi nullam Turcorum claſſem conſpiciat, tum vero ad militem in naveis accipiendum revertatur: ſcaphaſque ea de cauſa omneis ſibi relinqui jubet.

XX. Auria, qui ſuum probaret, alienum ſequi conſilium neceſſarium haberet, ad praeſtitutam horam ſolvit, cumque mox cetera claſſis conſequitur. Sed cum ſecundus ventus aliquandiu flaſſet, albeſcente die ſtatim in contrarium mutatus eſt, tanta violentia, ut ejus impetum non ſolum nullo remorum connixu Auria eluctari poſſet, ſed proram convertere cogeretur, vixque adhuc certa luce hoſtilem claſſem contra ſe ſub adverſo venti flatu deprehenſam plenis velis tendentem cernit. Turcicis copiis cum ſummo imperio praeerat Pialis purpuratus, et ei legatus additus erat Suel Aga, univerſae claſſis ductore Caramuſtapha. Tum Auria, Haud ignaro exitium evenit, inquit; vicit temeritas conſilium: aliena culpa periimus. Tum inopinato metu trepidi ac conſilii inopes, cum nulla effugii ſpes eſſet, triremeis partim ſcopulis illidunt, partim in litora ejiciunt. Pars major depreſſi, dum natando evadere tentarent; pauci in terram pervenere: magnus numerus capti. Scipio Auria curſu ortum verſus directo perſequentium manus effugit, fruſtra ſigno [a] Peregrinae, id erat triremi nomen, ut ſe ſequeretur, dato. Quae periculum evaſere, pars Melitam petiit, pars per Siciliae et regni Neapolitani litora diſperſae ſunt: V in canalem, quo ad munimentum itur, ingreſſae exitio ereptae ſunt; quo cum tenderet Joannes Andreas Auria, levata triremi non tamen potuit efficere, quin adhuc nimio pondere preſſa, vado altitudinem alvei non ferente, ad ſaxa illideret: itaque ſtatim rapto vexillo et corbita conſcenſa in terram juxta munimentum incolumis evaſit, praetoria relicta, qua mox potiti ſunt Turci. Amiſſae eo conflictu ſeu potius tumultu XIX triremes, et XIV naves onerariae, quibus aegroti portabantur: V CIↃ capitum circiter in captivitatem abducta; in iis epiſcopus Majoricenſis, Sanctius

Leva

INTERPR. [a] *la Pellegrina.*

CIƆIƆLX. FRANCISCUS II.

Leva cum duobus filiis, poſtquam ſe diu defendiſſet, Berengarius Requeſenes, Bernardus Aldana caſtrorum praefectus, Gaſto Cerda proregis filius adhuc puer, Joannes et Fridericus Cardonae, Raphael [a] Caldeſius eques Hieroſolymitanus: inter captos et numerantur, quoniam poſt cladem non comparuere, Galeacius Farneſius, Baltaſar [b] Meſavilla, Alfonſus [c] Palla, Antonius [d] Contius, primores duces; ordinum ductores Sarra Smaragdus, Franciſcus Henriees, Lupus Figeroa, alii. Captus et Flaminius [e] Anguillara pontificiarum triremium praefectus, cum rupta antenna curſum tenere non potuiſſet, qui poſtea ex ſeloppeti ictu inter pugnandum accepto mortuus eſt. Auriae inde cladis acceptae dolore, inde indignatione, quod monitis ſuis fides habita non eſſet, ultra modum commoto Cerda praeſto fuit; ac, Joannes Auria, inſit, quem unum hodiernae cladis inſontem Deus eſſe voluit, quique inter omneis ſapuiſti, quid mihi auctor es? Ad quem Auria, Terreſtres copiae, reſpondit, tui imperii ac conſilii ſunt: mihi, quod ad navaleis attinet; certum eſt celocem acturum conſcendere et Meſſanam petere, atque ibi cladis reliquias colligere. Quam in ſententiam, etſi conſilium primo nimis audax videretur, deſcendit prorex, qui et [f] Sandaeum ſecum ducere volebat. Verum ille, ut erat invicto contra pericula animo, cum videret omnium animos pavore conſternatos, nec Barahonam ſtrenuum quidem virum et impigrum tantae moli ſuſtinendae parem eſſe, cuique tanta hominum multitudo et ex tot nationibus collecta regenda committeretur; ad hoc tot incommoditates perferendae, et non cum hominibus ſolum, ſed cum fame ac ſiti et paene natura ipſa pugnandum, ultro operam detulit: et cum ſe cum reliquis ducibus periculo ſubſtrahere poſſet, ac nullum ſuum eſſet defendendae arcis munus, rempublicam ac regis ſui incommoda privatae ſaluti antepoſuit, ſeque ſponte in manifeſtam perniciem obtulit. Prorex viri virtutem miratus ac laudibus proſecutus ſummum ei imperium mandat, attributis v bellatorum millibus Gallis, Italis, Germanis et Hiſpanis; praeterea aliquot levis armaturae equitibus: et cum primum in Siciliam venerit claſſis, reliquiis ex nauſtagio collectis, ſpondet omnia ſumma facturum, ut ſubſidio miſſo illum obſidione et periculo eximat: idem ab Hieroſolymitani Ordinis principe poſtea per literas ac nuncios confirmatum. His actis Cerda ac Joannes Andreas, et cum iis [g] Vicarii comes, Petrus [h] Urries, Joſephus [i] Arragonius, Ludovicus Oſorius, et Scipio [k] Tolſa, qui ex clade ſuperabant, VII celocibus conſcenſis magno ſilentio ſolvunt; et cum Melitam incolumes perveniſſent, inde Syracuſas ac Meſſanam delati ſunt. Carvennae rex et regis Tunetani filius metu Turcorum mox cum V CIↃ Maurorum in continentem aufugerunt; qui aliquanto poſt, rati proregem adhuc ad [l] Gerbim eſſe, ſuo et dynaſtae inſulae nomine renunciari obſeſſis jubent, ſe abhinc IV dierum itinere abeſſe, ſed cum II CIↃ equitum, et copioſo commeatu brevi eo, ſi proregi videatur, venturos. Interea Sandaeus omni adhibita cura ac diligentia locum firmat, triremibus, quae in portu erant, confractis, et earum tabulis in munitionum extruendarum uſum aptatis; quibus impoſita circiter XL omnis generis tormenta. Mox Dragute, qui XI triremeis adduxerat, cum claſſe conjuncto, et equeſtribus copiis Tripoli et circumjacentibus Africae locis collectis, Turci Gerbim appellunt, et exſcenſione facta arcem circumſident. Tum deliberatum inter obſeſſos, quid facto opus eſſet: et multis placebat, ut improviſa eruptione in incompoſitos, dum in terram exſcenderent, impetus fieret: hanc unam eſſe ſalutis expediendae rationem, omni alia certiſſimae peſtis evitandae

via

INTERPR. [a] *Caldez.* [b] *Mezzavilla.* [c] *del Palla.* [d] *Conti.* [e] *de l'Anguillara.* [f] *di Sandé.* [g] *il conte de Vicari.* [h] *Urrues.* [i] *d'Arragona.* [k] *della Tolſa.* [l] *le Gerbe.*

Digitized by Google

CIↃIↃLX. FRANCISCUS II.

via praeciſa; neque exſpectandum, dum laboribus, ſiti ac vulneribus confecti ad extremum commeatu deficiente tandem in crudeliſſimorum hoſtium manus veniant, vel more pecudum mactandi, vel in aeternam ac morte pejorem ſervitutem abducendi. Quod conſilium quamvis audax in utrumque caſum probandum ſit: nam ſi fortuna votis reſponderit, virtute ſua ac victoria inſigni periculum, quod Philippi regnis atque adeo toti reipublicae Chriſtianae imminet, diſcuſſum iri: ſi adverſa fuerit, nihil aut parum damni inde conſequi; nihil enim aliud, quam lucis uſuram duorum menſium amitti; et damnum illud ingenti lucro penſari, ignominioſo fato aut dira ſervitute morte decora, quam nullus vir fortis unquam recuſaverit, repraeſentata. Verum [a] Sandaeo, qui eo conſilio remanſerat, ut longa oppugnatione Turcos diſtineret, tempuſque gerendarum rerum atque omnem aeſtatem illis eximeret, conceſſo interea Chriſtianis ſpatio ad ſarciendam cladem acceptam et comparanda ac munienda quae neceſſaria erant, neutiquam conſilium placuit, quod alioqui manifeſto periculo implicatum judicabat; quippe cum apertis ac patentibus campis ad hoſtem pergendum eſſet, nulla proinde fallendi ſpe: neque dubitabatur, quin Turci noſtros ad ſe venienteis e longinquo conſpicati tempus ad explicandas copias habituri eſſent, praemiſſa valida ſcloppetariorum manu, quae irruentium impetum, dum ſe expedirent, moraretur. Turcis vero ad pugnam inſtructis, quid aliud quam exiguas copias crudeliter jugulandas praeberi? neque enim plus quam III CIↃ bellatorum ſupereſſe, cum reliqua imbellis turba II CIↃ eſſent: fortuna porro rentara, ſi pugnam omittere velint, nullum eſſe ad arcem, quae III CIↃ paſſuum abſit, receptum; et deletis copiis Turcos mox arce potituros. Igitur ſuos ſolari Sandaeus, ac ſpe auxilii, quod a prorege promiſſum non deſperandum ſit, confirmare: ſupereſſe XXX triremeis Philippi, et onerariarum magnam vim, quibus ſubſidium vehi poſſit, ipſique obſidione eximi; quare reliquis cogitationibus depoſitis omnium virium conatum in arcem defendendam eſſe conferendum: ſe eandem fortunam cum ipſis paratum experiri, nec velle ut ſua, quam gregarii militis, potior ſit conditio: ſe cum milite deinceps communi menſa uſurum, buccellato, carne ſalita et aqua contentum; quae cum ad vitam tolerandam ſatis ſint, ſupereſſe, ut conſtantia ac virtus ad pericula ſuſtinenda abunde ſuppetat. Initio Mauri etiam poſt Turcorum exſcenſionem commeatum in caſtra more ſolito comportabant, et in poſterum officio minime ſe defuturos affirmabant: ſed cum fortunam mutavere; neque ulla auxilia a Carvennae rege ac inſulae dynaſta comparuere. Dum in eo ſunt, [b] Monſalvus Monſalvi Zamorenſis ordinum ductoris frater a Piali purpurato venit XII Kal. Jun. cum literis, quas Sandaeus exprobrata in os homini ignavia accipere detrectavit; ſtatimque faceſſere Monſalvum juſſit, mortem ignominioſam minatus; ſi in poſterum ſeu captivus ſive liber aut quilibet alius cum ejuſmodi mandatis ad ſe veniret. Literis illis certum, deditionis conditiones propoſitas fuiſſe. Cum ita generoſe omneis conditiones reſpueret Sandaeus, nihilominus plerique tam Italorum quam Hiſpanorum, ſeu de exitu veriti ſive obſidionis incommoda pertaeſi, quotidie ad hoſteis transfugiebant; qui pro merito ab iis habiti ſtatim in noſtrorum conſpectu vinciebantur et remo addicebantur: quo ſpectaculo minime terrebantur alii, et quantumvis diligens ductorum opera in illis retinendis eludebatur: alii ſcaphas et ſemifracta navigia ſarciebant, et ex tabulis novas fugae ſtudio infabre factas ſtruebant, quibus temere conſcenſis ſine gubernatore ſe fortunae ac maris arbitrio committebant. Sub id tempus

INTERPR. [a] *di Sandé.* [b] *Monſalvo frere du capitaine Monſalvo di Zamora.*

tempus detecta duorum Hiſpanorum conjuratio: quorum unus Tripoli captivus fuerat, et pulverem tormentarium atque annonam incendere pretium pactus Draguti receperat, qui mox in furcam actus; ac ſocius ejus, quod conſilium non revelaſſet, remo addictus eſt. Exeunte Maio Turci medio a munitione milliari caſtra promovent, adductis II tormentis; et cum Joannis Oſorii Ulloae cohorte et aliis, qui cum eo erant numero circiter CCC ac puteum ſervabant, acriter conflixere: in eoque conflictu Oſorius ipſe graviter ſauciatus, amiſſis ex ſuis XXX, et LX amplius vulneratis: puteus ab hoſte, qui et multos ex ſuis deſideravit, occupatus fuit. Nocte inſequenti IV biremes e portu ſolverunt et, obverſa in hoſtium puppeis prora, antequam illae ſe ad inſequendum converterent, per mediam Turcorum claſſem evaſere, et ᵃ Meſſanam incolumes pervenere: quinta, quae malum tempeſtive attollere non valuit, ab hoſtibus capta eſt. Poſtea VII Eid. Jun. eruptione Sandaei juſſu a CIↃ delectis facta, occiſi et vulnerati pleriqne e Turcis; ſed plus damni a noſtris acceptum: idem ſaepius impatientia moleſtae obſidionis a noſtris infeliciter tentatum, cum hoſtes non vi ſed patientia rem conficere decreviſſent, qui promota ulterius foſſa et excitato ingenti tumulo, ex quo in munitionem deſpiciebant, id agebant, ut citra certamen Chriſtianos ad deditionem ſine conditione adigerent. Tandem obſeſſi poſtquam diu cum laboribus, vigiliis, morbis et immodicis aeſtibus certaſſent, et ſuperiores evaſiſſent, acceſſit ad haec novum ſitis incommodum, ex eo auctae, quod caſeo et carnibus ſalitis tantum veſcerentur, quod poſtremo eos vicit; nam jam a longo tempore aquam militi ad exiguum modum cumque ſalſa admiſtam admetiebantur; cui penuriae ut mederentur, reperti ſunt nonnulli, qui neceſſarium ſibi alimentum ſubtraherent, rati inedia, ſi aquae hauſtu non poſſent, ſe ſitim reſtincturos; quod eos ad ſummam imbecillitatem ac ſenſim ad tabem adducebat. Igitur ad extremum aqua deficiente cum ultra durari non poſſet, Sandaeus primoribus ducibus ac militibus convocatis, qui ex tanto numero ad CIↃ bellatores redacti erant, cum alii varia peſte periiſſent, aut ad certandum inutiles eſſent, deplorata rerum iniquitate eos hortatus eſt, ut priſtinae virtutis memores ſecum animos ad mortem hoſtili ſanguine honeſtandam praepararent; et ita eos accenſos V Kal. Sextil. per noctis ſilentium educit: ſed ſuperatis duabus prioribus foſſis, cum ad tertiam, in qua purpurati tentorium erat, perveniſſet, excitatis Turcis, a ſuis deſertus retro per viam ab uno ex comitibus commonſtratam ſe ſub arcem a parte maritima recipit, conſcenſiſque triremibus, quae ex naufragio reliquae ad arcem devinctae erant, cum a ſcapharum circumfuſarum multitudine intercluſo exitu cinctus eſſet, tandem capitur, et ad Pialim adducitur; qui viri virtutem miratus, honorifice habitum aſſidere juſſit; propoſitis etiam ampliſſimis conditionibus, ſi Solimano operam ſuam addicere vellet. Capto Sandaeo, qui in arcem ſe recepere, Quintil. exeunte ſe poſtremo dedidere, in miſerabilem captivitatem omnes abducti. Tantae cladis cauſam, qua XVIII CIↃ capitum morbis, vulneribus aut ſervitute periere, amiſſae item XXVIII triremes, XIV naves onerariae, Cerdae vanitati aſſignant Itali; qui Vegae aemulatione incitatus, ſua opera aliquid Hiſpani nominis gloriae addi cum ſupra modum cuperet, recte monenti Auriae minime auſcultaverit: ſed eam Petro Velaſco ſummo claſſis curatori tribuebat Sandaeus, cujus negligentia factum eſſet, ut quae ad profectionem neceſſaria erant, in tempore proviſa non fuerint; ſicque tardius quam oportuit ad diſceſſum claſſis ſe comparaverit: idque ſe ex Sandaeo ipſo audiviſſe, an ut Cerdae parceret

INTERPR. ᵃ *Meſſine.*

parceret incertum, teſtatur Antonius Franciſcus [a] Cirnius, qui expeditioni interfuit, et eam [α] prolixe ſcriptis mandavit.

XXI. PARTA tanta victoria Turci ex inſula ſolvunt, et XVII Kal. Sept. ad [b] Gozum appulerunt; unde retro Conſtantinopolim verſus vela fecere, abducto ſecum [c] Sandaeo, qui eaſdem conditiones a Solimano oblatas cum repudiaſſet, in carcerem concluſus fuit, una cum Sanctio Leva et Berengario Requeſene. Nihil tum non actum, quo illi libertati reſtituerentur; etiam regis Chriſtianiſſimi auctoritate interpoſita, qui miſſo ad Solimanum [β] Franciſco [d] Salviato Melitenſi equite hanc gratiam ſibi fieri enixe petierat, neque impetraverat. Nam ſubirati Turci ob pacificationem nuper inter reges initam, quod rebus eorum minus opportuna eſſet, minus etiam ſe nobis aequos initio praebebant; eoque magis, quod illis perſuaſum fuerat, ſe inter primos adſcriptos eſſe, qui ejuſmodi pacis commodis fruerentur; quod ubi aliter cognoverunt, non mediocriter animi angebantur. Et ſane Solimanus ad regem ſcripſerat, ſibi quidem eam pacem probari; verum recordaretur, neque veteres amicos facile hoſteis fieri, neque veteres hoſteis amicos. Ubi Salviati legatio fruſtra fuit, Sandaeus, qui in magna ejus exſpectatione vixerat, et damnoſos ſumptus in comparandis muneribus fecerat, quibus purpuratorum animos ſibi conciliaret, in magnam adipiſcendae libertatis deſperationem incidit. Verum ea ipſa Turcorum erga nos offenſio, quam rebus ſuis officere Hiſpani in ea actione exiſtimabant, ipſorum libertati ſuffragata eſt. Nam [e] Augerius Giſlenius Busbequius, qui Ferdinandi [γ] Caeſaris oratorem iſthic agebat, cum per Halim purpuratum et Ebraimum interpretum principem hominem ſibi recenti beneficio obſtrictum reſciviſſet, ſi Ferdinandi nomine Hiſpanos repoſceret, fore, ut Solimanus gratiam ei minime denegaret; ipſe ea de re Caeſarem certiorem facit, et eorundem interventu, a quibus monitus eam gratiam a Solimano petierat, libertatem prope deſperatis Hiſpanis obtinuit: liberatique illi IV Eid. Sextil. D. Laurentii die: cum quibus, poſtea induciis factis, Busbequius Porta diſcedens Sophiam venit: unde propter implacabilia inter Levam ac Sandaeum odia, ipſe adducto ſecum Sandaeo in [f] Pannoniam profectus eſt: Leva ac Requeſenes diverſi, quaſi Venetias petituri, iter inſtitutum perſequuntur: Requeſenes vero jam ſenex, antequam Raguſium perveniret, ex incommodo et taedio carceris morbo contracto deceſſit. Verum haec biennio poſt accidere.

XXII. AD cladem Tripolitana ſeu potius Gerbenſi expeditione acceptam acceſſit et privatum Coſmi damnum, qui duarum triremium jacturam eodem tempore fecit. Nam cum Petrus [g] Machiavellius, qui triremibus praepoſitus erat, cum II e clade ſervatis et tertia nuper inſtructa rurſus vela feciſſet, ad [h] Aegilium inſulam a XIII [i] Julia Caeſarea profectis triremibus inopinato circumventus, vix ipſe cum nova illa ſibi fuga conſuluit, et [k] Centumcellas curſum tenuit: reliquae quae minus velocitate valebant Corſicam verſus fugientes, cum nulla auxilii ſpes eſſet, ad ſcopulos impegere et confractae ſunt, elapſo tamen milite, qui in iis erat. Captivi remiges a Turcis ſoluti, qui tabulis naufragii utcunque collectis potiti ſunt: demerſa tamen prius tormenta, quae poſtea recepta ſunt a Franciſco [l] Oricellario [δ] Melitenſi equite, qui noſtras olim parteis ſecutus pace facta Coſmo reconciliatus fuerat, ejuſque ſtipendiis militabat. Has cladeis ut ſarciret Coſmus claſſi inſtaurandae ſedulam operam navabat, evocato

Bacio

VAR. LECT. [α] diligenter. *P. D. o. f. d.* [γ] Caeſaris *deeſt.* *P. D. o. f.*
[β] Franciſco — Melitenſi equite *deſunt.* *P. D. o.* [δ] Hieroſolymitano. *P. D o. f.*

INTERPR. [a] *Cirni.* [b] *Gozo.* [c] *di Sandé.* [d] *Salviati.* [e] *Auger de Ghiſlin, ſeigneur de Busbecq.* [f] *Hongrie.* [g] *Macchiavelli.* [h] *il Giglio.* [i] *Alger.* [k] *Civita vecchia.* [l] *Rucellai.*

CIↃIↃLX.
FRANCISCUS II.

[a] Bacio Martellio viro rei navalis apprime perito, [*] et qui eximiae virtutis ſpecimen ſub Leone Strozzio olim dederat: cui et praecipuam harum rerum curam commiſit, dum Garſias filius adoleſceret, cui ſummam claſſis praefecturam deſtinabat.

XXIII. Atque ut in poſterum oram maritimam ab incurſionibus ſecuram praeſtaret et, cum opus eſſet, claſſem ad expeditiones contra Mahumetanos ſuſcipiendas optime non ſolum rebus neceſſariis ſed et hominibus rei maritimae gnaris inſtructam haberet, ad imitationem Hieroſolymitani Ordinis et ipſe equitum collegium inſtituit, templumque eis ac domicilium [b] Piſis attribuit, qui de B. Stephani pontificis nomine appellati ſunt, renovata victoriae ad Marcianum ante ſexennium partae [a] Eid. Sextil. memoria; qui dies B. Stephano [α] pontifici ſacer eſt: in eam rem ampliſſima deſtinata vectigalia: ipſe Coſmus ſibi ac ſucceſſoribus ſuis Etruriae ducibus principatum Ordinis ſumpſit, legibus ac ſtatutis, quae ab equitibus religioſe ſervarentur, conditis, quae poſtea publicata ſunt.

XXIV. Dum haec toto orbe agerentur, initio hujus anni Moſci [c] Torpato egreſſi turſus in Livoniam impetum fecere, et [d] Mariae-burgum dedente Gaſpare [e] Sibergo loci praefecto, [f] Adeſelum et alias arceis ceperunt. Eam ob cauſam Magnus Holſatiae dux, Chriſtiani III Daniae regis filius ac Friderici II frater, a Livonis evocatus in [g] Oſiliam Livoniae objectam inſulam mox appulit. Is Friderico fratri tertia Holſatiae parte ceſſerat, et Oſilienſem ac [h] Curonienſem dioeceſes, quas paulo ante rex a Joanne [i] Munchauſeno epiſcopo Joachimicorum aliquot millibus emerat, compenſationis loco acceperat; quibus aliquanto poſt jus in Revalienſi provincia a Ruſſis [β] uſurpatum et a Mauritio [k] Wrangelo Revaliae epiſcopo conceſſum acceſſit. Magni in Livoniam adventum optabilem fecerat, quod populares plus in eo contra Ruſſos praeſidii eſſe, quam in Livonici Ordinis magiſtro ſibi perſuaſerant: itaque undique ad eum nobiles ac ceteri Ordines gratulabundi agminatim confluxere: ſed cum ille ſuperbe et impotenter ſe gereret, magna rerum converſio in provincia ſecuta eſt, alienatis ſtatim plebis et aliorum voluntatibus, quorum initio tam propenſum ſtudium expertus fuerat: jamque res ad inteſtinum bellum ſpectabat, niſi archiepiſcopus et ejus collega Chriſtophorus [l] Megalopolenſis inſtituto Paroviae colloquio ſuas parteis interpoſuiſſent. Sed dum conventus peraguntur, Moſci captata occaſione denuo in [m] Harriam, cujus Revalia caput eſt, impreſſionem faciunt; pervagatique loca vicina ac paſſim regione direpta in [n] Lethoniam ingrediuntur, et obvium Livonum exercitum, quem Philipppus [o] Schalus Ordinis princeps ac ceteri collegii ſodales ducebant, prope [p] Ermas profligant, captoſque duces retro Moſcam ſecum abducunt: mox et exeunte Quintili [q] Vellinum arcem, quam Willelmus Furſtembergius tutum ſenectuti ſuae perfugium ſepoſuerat, oppugnant, exuſto ſubjecto oppido; tandemque tumultuantibus intus ob non ſoluta ſtipendia praeſidiariis deditione capiunt: ſed perfidiam militum, qui affectata ſeditione Furſtembergii theſauros et nobilitatis vicinae gazam ciſtis effractis diripuerant, hoſtis ultus eſt, ſpoliatis illis et magnam partem occiſis: princeps veneranda canitie ſenex in Moſcoviam captivus ducitur. Hoc ſucceſſu inflati Ruſſi inde tripartito agmine

pars

VAR. LECT. [α] pontifici *deeſt.* *P. D.* [β] occupatum. *P. D. o. f. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Baccio Martelli.* [b] *Piſa.* [c] *Dorpt.* [d] *Marienburg.* [e] *Siberg.* [f] *Adeſel.* [g] *Oſel.* [h] *de Courland.* [i] *Munckhauſen.* [k] *Weangel, eveſque de Revel.* [l] *duc de Meckelenburg.* [m] *Haruland.* [n] *Letten.* [o] *Schal.* [p] *Ermes.* [q] *Vellin.*

NOT. [a] IV *Non. Sextil.* La bataille de Marciano fut donnée le 2 Aouſt 1554. *Put.*

pars arcem [a] Witenſteinium quanquam irrito conatu obſident, pars circa [b] Wendam et Wolmariam praedas faciunt: alii denique per agrum inter Revaliam et [c] Parnoviam jacentem, qui Magno [d] Holſato tunc parebat, diſcurſant. Revalienſes, [α] ad quorum portas uſque quotidie excurſiones fierent, cum nulla auxiliorum ſpes ab imperio eſſet, in propriis vero viribus haud ſatis firmum ad tam potentem hoſtem propulſandum praeſidium eſſe cernerent, anguſtiis undique preſſi Ericum novum [e] Succiae regem miſſa legatione mutuam pecuniam poſcunt. Verum Ericus, cui pecuniae ad eam rem abunde non eſſet, et qui alioqui tam praeclaram fineis proferendi occaſionem praetermittere nollet, excuſata pecuniae penuria, ſe hac nihilominus conditione patrocinium ac defenſionem Revaliae ſuſcepturum demonſtrat, ſi ſe civitas ipſius imperio ſubjiceret. Id etſi novum ac durum initio videretur, poſtremo Revalienſes neceſſitate victi, re cum nobilitate vicina ac civibus communicata protinus ſacramento, quod ſuperiore anno Livoniae magiſtro praeſtiterant, ejerato, Succiae regi obſequium in poſterum pollicentur. Quod occaſionem dedit ſtatus Livonici mutandi, Polono, ad cujus tutelam magiſtrum Ordinis et Rigenſem archiepiſcopum confugiſſe ſupra diximus, varias in parteis Livoniam diſtrahi indignante, atque ejus patrocinium deinceps ſe ſuſcepturum negante. Verum haec ad ſequentem annum pertinent.

CIƆIƆLX.
FRANCISCUS II.

XXV. PAULO ante Guſtavus, qui ex captivo poſt infamem illam ac deteſtanda perfidia patratam a Chriſtierno II Dano [f] Stocholmiae lanienam, Lubecenſium favore liberatus et adjutus, quod adfinitate ultimum regem contingeret, in regem a Succiae et Norvegiae Ordinibus adſumptus eſt, poſtquam regnis illis ſumma prudentiae laude totos XXXVIII annos praefuit, III Kal. Oct. deceſſit, cum LXX aetatis annum attigiſſet; nonnihil tamen avaritiae ac rapacitatis labe notatus, quae inter tot magnas et ſummo faſtigio dignas virtutes ei vitio data eſt: verum apud prudentes rerum aeſtimatores excuſari meruit, ſi, cum primus imperii in ſua familia fundati conditor munimenta firmandae novae potentiae quaereret, in imponendis et exigendis vectigalibus interdum [β] moroſior fuit. Reliquit ex Catharina Magni Saxoniae ducis filia Ericum nuper memoratum, qui in regno ſucceſſit; ex Margarita vero Erici Abrahami [g] Loholmii filia Joannem, qui poſt Ericum fratrem regnavit, et Carolum Sudermaniae ducem, qui nunc ſeptentrionalibus illis regnis Sigiſmundi regis nomine praeeſt. Ante Guſtavum et Philippus citerioris Pomeraniae dux Georgii filius, Bogiſlai magni nepos, relictis V liberis deceſſit. Et in ſuperiore Saxonia Albertus comes Mansfeldius, Lutheri fautor eximius et propter religionis cauſam varia diu fortuna jactatus, tandem ex aerumnoſae hujus vitae miſeriis evocatus quietem, quam in longiſſima vita reperire non potuerat, in morte invenit, cum patriae LX annos praefuiſſet, [γ] LXX vixiſſet. Deceſſit III Non. Mart.

XXVI. ALIQUANTO poſt VII Kal. Dec. Andreas [h] Auria vir fortis et domi clariſſimus, Genuae in ſuburbanis ſuis aedibus regia magnificentia a ſe exſtructis mortalitatem exuit, cum annum XCIII attigiſſet; eo minore fama, quod effoetis animi et corporis viribus, et pariter bellicis ac civilibus muneribus obeundis inutilis, civibus ſuis jam deſpectui eſſe coeperat et, diu antequam moreretur, quodammodo in vivis eſſe deſierat. Hujus egregiae virtutes, et quamvis variis jactata aeſtibus nihilominus ad extremum inconcuſſa fortuna, totaque vita laudabiles

actiones

VAR. LECT. [α] igitur, ad P. D. o. f. [γ] LXXX. P. D. o.
[β] ſeverior. P.

INTERPR. [a] *Wittenſtein.* [b] *Wenden, & Wolmar.* [c] *Pernaw.* [d] *d'Holſtein.* [e] *la Suede.* [f] *Stockholm.* [g] *Loholm.* [h] *Doria.*

actiones profecto dignae ſunt, ut earum memoriam paulo ante obitum ipſius paene ſepultam nunc in hominum conſpectum retrahamus. Fuit eximia erga Deum pietate, quod larga bonorum in pauperès erogatione et templorum conſtructione, quod unum poterat vir militaris, abunde teſtatus eſt. Proxima ſecundum Deum ei patriae charitas fuit, cui Octaviani [a] Fulgoſii aemulatione libertatem reſtituit, et reſtitutam conſervavit: nam poſtea tempora inciderunt, quae illum a priore ſententia abducere potuerunt. Nunquam tamen, quamvis ter adverſae factionis conjuratione appetitus, vel proprio periculo adduci potuit, ut Hiſpanis de arce inſtauranda ac praeſidio urbi, hoc eſt, de jugo liberis cervicibus imponendo, aſſentiretur. Temperantia item in eo ſumma, ſive ad victum ſive ad voluptates reſpicias: nam quamvis natura a jejunio eſſet averſus, bis tantum in die cibum capiebat, nec niſi bis bibebat, et ita parce ac moderate, ut treis aquae parteis vino ſemper admetiretur: muliebribus autem voluptatibus, quibus homo firma valetudine admodum deditus fuit, ita uſus eſt, ut earum parandarum aut percipiendarum cauſa graviora nullo unquam tempore negotia intermiſerit. Sed munificentia in eo praecipua fuit; cujus indicio eſſe poteſt [b] Melfiae principatus, quo privignum ſuum donavit, non ſine occulta Caroli V offenſione, cujus liberalitate illum acceperat, inſolita illa et ſupra privatum modum clara magnificentia ſuam liberalitatem ſugillari exiſtimantis. Aedificia item ampliſſimo ſumptu exſtructa, ac praecipue aedes illae ſuburbanae, in quibus Caeſarem ac Philippum ejus filium, et Maximilianum Bohemiae regem cum Maria uxore Caeſaris filia, ſemel atque iterum lautiſſimo omnium rerum apparatu excepit. His adde triremium ſupellectilem, quadriremem denique et quinqueremem novo artificio atque inaudita ad hoc tempus induſtria fabricatas, et auro atque argento ad ſtuporem intertextas. Quinetiam B. Matthaei templum inſtauravit; et in eo odeum magnifice exſtruxit, ſub quo cellam ſibi cum ſepulchro poſuit, eamque marmoreis columnis ac picturis eximiis decoravit, ſacerdotibus, qui in ea rem divinam quotidie facerent, inſtitutis, et annuo ſumptu, unde alerentur, eis attributo. Honoros vero et amplificationem fortunae, niſi quam per leges et ſalva patriae libertate ſperare potuit, prorſus averſatus eſt; magnitudinemque animi ſummam ea in re oſtendit, cum et juſtos honores parvi faceret, et injuſtam infamiam ignominiamque contemneret, et a vulgi opinione pendere turpe, conſcientiae vero propriae diffidere, omni ignominia acerbius duceret: de cetero parcus ſui laudator neque libenter ab aliis ſe laudari patiebatur. Ut in inceſſu, ſic et in ſermone, gravitate non arte quaeſita ſed inſita, perpetuoque tenore uſus: juris et aequi, ac denique veri ita diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Decoris ac dignitatis, quam vitae ſemper in eo majus ſtudium fuit. Pro aliis fere aſſidue, pro ſe raro principum aureis fatigavit. Interdum ſtomachoſior, et ad iram promptior, ſed ita ut ſtatim placaretur. Tantas virtutes proſpera fere ſemper ac digna iis virtutibus fortuna ſecuta eſt. Nam ſexies ſub diverſis principibus ſummus navalium expeditionum atque interim terreſtrium imperator exſtitit, magnaſque eorum auſpiciis victorias reportavit; eoque ſolius virtutis ac prudentiae adminiculo ſuſtentatus aſcendit, quo plerique omnibus naturae bonis inſtructi, aut alioqui civium ſuorum favore, opibus ac factionibus ſubnixi, pervenire non potuerunt. Gladium iter faciens nunquam cinxit; et in proelio cinctum, raro fortunae ſemper victricis beneficio, nunquam fere ſtrinxit. Unum eſt, quod vitio ei et fortaſſe non immerito datur, quod longo poſt Fliſcanam conjurationem tempore et ſaepius eluſas ſumma conſtantia et animi moderatione

INTERPR. [a] *Fregoſe.* [b] *Melſi.*

ejus reliquias, erga [a] Othobonum Fliſcum Ludovici fratrem ad [b] Herculis portum CIϽIϽLX.
a [c] Meleniano captum et ſibi deditum minus clementer victoria uſus ſit; ſicuti FRANCISCUS II.
loco ſuo diximus. Parta dein patriae libertate ob ſumma merita reipublicae gratia ſummo magiſtratu honeſtatus eſt, quo jus rationum a ceteris magiſtratibus repoſcendarum håbebat: quem perpetuo ita geſſit, ut eo nunquam ad cujuſquam injuriam, parce et moderate ad diſciplinam conſervandam, ſibi utendum exiſtimaret. Tandem, cum prole careret, ſed ſero in Joannem Andream Janetini filium omnem auctoritatis ſuae ſpem repoſuit; eique [d] Turſinae civitatis ditionem gravi aere alieno obligatam reliquit: ac per Antonium [e] [1] Piſanum cubicularium ſibi fidum (nam tum, cum animam ageret, aberat) renunciari juſſit, ut in Deum ſpes ac vota omnia ſua conjiceret, Philippi auſpicia fideli obſequio coleret, et ſecundum eum patriae ſalutem ac libertatem omni ope atque ſanguine proprio ſibi tutandam proponeret. Condito teſtamento, quod eo mortuo a Joanne Figueroa et Adamo Centurione prolatum ac recitatum eſt, inter cetera cavit, ut noctu ſine ulla funeris pompa efferretur: qua in re domeſtici ei morem geſſere. Dein Joanne Andrea poſt ſextum diem in urbem reverſo Genuenſes, ampliſſimis in majore urbis templo exſequiis magna pompa celebratis, civi de republica optime merito, hoc ſaltem inſigni animi grati teſtimonio parentarunt. Aliquanto et ante fatis conceſſit Joannes cardinalis Bellaiorum familia non ſolum antiquitate et ſplendore inter ſuos, ſed meritis erga nomen Gallicum illuſtriſſima ortus, Gulielmi [f] Langaei Subalpinae olim provinciae proregis bello et pace clariſſimi viri, et Martini ſuperiore anno VII Eid. Mart. [α] [g] Glatiniaci in Cenomanis mortui, qui itidem militaribus et aliis ſummis negotiis ac legationibus tota vita functus poſtremo rerum, quas geſſerat, aut quibus interſuerat, hiſtoriam prudenter juxta et pure ſcriptam poſteris reliquit, frater, ipſe pariter pace et bello clarus. Nam a puero literis feliciter inſtitutus, ita ut et ſcite Latine ſcribere et verſus eleganteis ac generoſi ſpiritus plenos, quales hodie in manibus doctorum habentur, pangere ſciret: inde, non tam fortunae beneficio, quam merito ſuo a Franciſco maximis negotiis tractandis ſtatim adhibitus plurimas legationes ſumma cum prudentiae ac praecipuae fidei laude obivit; etiam ejuſdem commendatione in cardinalium collegium cooptatus. Poſtea aſperrimis temporibus anno hujus ſaeculi XLIV adventante Caeſaris exercitu, cum omnia in Pariſiorum civitate, cujus ille epiſcopus erat, trepida eſſent, eam tuendam ſumma cum animi praeſentia ſuſcepit; productoque vallo ac firmis propugnaculis, quae et hodie manent, incomparabili diligentia exſtructis munivit. Sed Franciſco vivis exempto, cui ob fidem cum rara animi magnitudine ac vaſta liberalitate, quod cum in omni ſua vita, tum maxime plurimis regii ſumptus aedificiis a ſe exſtructis ſatis declaravit, conjunctam, merito ſecundum cardinalem Turnonium chariſſimus et ab intimis conſiliis erat; ab invidis, qui in gratiae locum ſucceſſerant, et praecipue a cardinali Lotaringo ejus virtutis aemulo priſtinae dignitatis et gratiae loco motus, vir vel minimae quantumvis occultae injuriae impatiens, Romam ſeceſſit; ubi aetatis praerogativa epiſcopus Oſtienſis et ſacri cardinalium collegii princeps, alioqui virtute ſua majora de rege et ſacra Romana eccleſia promeritus, hoc anno in ſuis aedibus, quas ſibi juxta Diocleſiani thermas exquiſita magnificentia ſtruxerat, animam de eccleſia, cujus emendationi ſemper in

VAR. LECT. [α] Glatinii. *P. D. o. f. d.*

INTERPR. [a] *Ottobuono dal Fieſco.* [b] *Porto Ercole.* [c] *marquis de Marignan.* [d] *citta di Torſi, qui porte titre de Duché.* [e] *Piſcina.* [f] *du Bellay, ſieur de Langey, gouverneur de Piedmont.* [g] *Glatigny au Maine.*

NOT. [1] *Piſcinam. Puta*

CIↃIↃ X.
FRANCISCUS II.

in vita vere et ex animo ſtuduit, ac Gallico nomine optime meritam, Deo tradidit: cum hujus gentilis Joachimus Bellaius in diſpari fortuna, ceterum ingenio illuſtri familia digno, quod in poetica praecipue exercuit, non illi inficiandus, Kal. Jan. ejuſdem anni, annum agens XXXVII, ex ſubita nervorum reſolutione Lutetiae deceſſiſſet. [a] Triſtia, quae ille, cum in familia agnati cardinalis Romae eſſet, fecit, ludi item ruſtici, et alia ad Margaritam, quae Philiberto Sabaudiae duci nupſit, collectanea praecipue laudantur: in Latinis, quae itidem Romae fecit, minus felix fuit. Joachimo comitem addemus tertio poſt cum die in patria, cum LXII annos exegiſſet, mortuum Laelium [b] Capilupum Mantuanum [α] arctiſſima cum eo neceſſitudine conjunctum: qui tanta felicitate Maronis conterranei ſui verſibus detorta ſignificatione luſit, ut Auſonii et Probae Falconiae atque aliorum, qui in ſimili argumento ſe exercuerant, laudem prorſus obſcuraverit, in longe diverſa a Virgilii mente materia verſatus; praeter alios, uno et altero elegantiſſimo centone de monachorum origine, vita, inſtitutis, ſactorum noſtrorum ritu, et de morbo Gallico, de quibus rebus nunquam Virgilio in mentem venire potuit, concinnato. [β] Jac. [c] Bonfadius poſt cum commemorandus venit, [d] Salonae ad [e] Benacum natus, ſoluto pedeſtrique ſcribendi genere in ſua Latinaque lingua clarus. Sed tantas dotes diverſi mores corruperunt, ita ut ob rem tacendam Genuae, cujus urbis hiſtoriam aliquot annorum ſcripſerat, ſecuri percuſſus ſit, adhuc vegeta aetate et infracto mentis robore, quod ad ultimum uſque ſpiritum ſervavit, ſcripta ſub id elegantiſſima epiſtola, qua Socratis exemplo animum tranquillum et intrepidum ad mortem ſe afferre conteſtabatur. [γ] Nec debito fraudanda eſt elogio Loiſa [f] Sigaea [g] Toleti in Carpetanis nata, linguae Latinae, Graecae, Hebraicae ad miraculum in hoc ſexu perita, ob idque in aulam reginae Luſitaniae aſcita, ubi et non modicas opes ex regali munificentia ſibi paravit, et Angelam ſororem paribus ingenii dotibus excultam habuit; a Joanne Vaſaco luculento rerum Hiſpanarum ſcriptore, L. Andrea [h] Reſendio, Alvaro [i] Comecio et Fr. [k] Luiſino certatim laudata; quae cum [l] Burgis poſtea domicilium fixiſſet, a Franciſco Cueva marito ante diem, ſuperſtite ex ipſa filio, elata eſt III Eid. Oct. Ut ad alios tranſeam; Philippus Melanchthon Witembergae hoc anno obiit XIII Kal. Maias, aetatis ſuae climactericum diebus LXIII egreſſus ex hemitritaeo ſenibus fere lethali. Is [m] Bretta oppido Palatinatus Rheni natus et Heidelberga oriundus patrem habuit Georgium uſu tractandorum noſtro more armorum inſignem, ob idque Maximiliano Caeſari percharum, de cetero virum bonum et pium. Cum vero operam literis daret in ludo ad [n] Hercyniae-portam tunc celebri, ſub Jo. [o] Hungero et Georgio [p] Simlero, in Jo. [q] Reuchlini viri ſua aetate doctiſſimi familiaritatem venit; qui Philippi nomen, quod habebat ille familiae, ſignificans [r] ſolum nigrum Germanico ſono, in Graecum Melanchthonis mutavit; ſicuti ſuum a [s] fumo deminutum ab Hermolao [t] Barbaro olim in Italia in Capnionem converſum meminerat. Poſtea exortis in Germania propter religionem turbis, perpetuus M. Lutheri aſſecla; longe diverſum tamen a doctore ſuo ingenium ad eam cauſam attulit. Nam cum omni ope anniteretur, ut doctrina, quam tradebat, eſſet perſpicua, et ambigua explicarentur, in eo ſumma alioqui erat altercationum ac rixarum fuga, et maximum tranquillitatis ac quietis ſtudium, ut niſi de neceſſariis contendendum

VAR. LECT. [α] arctiſſima cum eo neceſſitudine conjunctum *deſunt.* P. [β] *Jac. Bonfadii elogium deeſt* P D o. [γ] *Loiſae Sigaeae elogium deeſt.* P D o. f. d.

INTERPR. [a] *les Regrets du ſieur du Bellay.* [b] *Capilupi.* [c] *Bonfadio.* [d] *Salo.* [e] *Lago di Garda.* [f] *Sigaea.* [g] *Toledo.* [h] *Reeſende.* [i] *Gomez.* [k] *Luiſini.* [l] *Burgos.* [m] *Bretten* [n] *Pforzheim, ville au deſſus de Spire.* [o] *Hunger.* [p] *Simler.* [q] *Reuchlin.* [r] Germ. *Schwartzerde.* [s] Germ. *rauch.* [t] *Barbaro.*

contendendum minime putaret: nam poſſe conniveri ad nonnulla, ferri denique multa debere. Qua animi moderatione et aequitate, quanquam exacerbatis tunc temporis ſummopere omnium animis, maximorum tamen virorum opinione diſſidentium amicitiam ac benevolentiam meruit. Certe Franciſcus ante XXX annos, cognito Melanchthonis [α] peculiari ad ſedandas eas, quae in eccleſiam invectae ſunt, turbas ſtudio ex Gulielmo [a] Bellaio Langaeo, protinus ad eum ſcripſit, miſſo Barnaba [b] Voraeo Foſſa, rogavitque, ut [β] quamprimum in Galliam ſe conferret, de unione doctrinarum cum ſelectis aliquot doctoribus acturus, quo pulcherrima illa ſacrae adminiſtrationis concordia ſarciri poſſet. Biennio vero poſt Jacobus Sadoletus epiſcopus [c] Carpentoractenſis, cum Romam veniſſet, et in cardinalium collegium praeter ſpem ac votum cooptatus fuiſſet, amantiſſimas literas ad eum dedit; quibus ſignificabat ardentiſſime expetere ſe, ut quamtumvis locorum ſpatiis et opinionum diſſidentia dividerentur, amore et ſtudiorum communicatione in poſterum conjungerentur. Sed qui obviam eam humanitatem in exteris ac diverſa ſentientibus probavit, longe contrariam fortunam inter ſuos et eandem doctrinam profitenteis expertus eſt. Nam [γ] ſuborta repente in Germania factio eorum, qui, ut ſe flagrantiore in religionis cauſa ſtudio verſari demonſtrarent, omnem conciliationis et concordiae ineundae mediam viam aſpernabantur, et ceteros paci ſtudenteis, quos Adiaphoriſtas et Interimiſtas nominibus ad odium compoſitis vocabant, ut deſertores et in pietatis negotio tepidos damnabant: horum anteſignani fuere Matthias Flaccius Illyricus et Nic. Gallus, quibuſcum tota vita viro tranquillitatis alioqui cupido certamen fuit: in quo proinde poſt mortem reprehenſa eſt a ſuis ea, quam dixi, rixarum et contentionum fuga; praeterea nimium philoſophiae et mathematicarum artium ſtudium, atque illius praeſertim partis, quae ex aſtrorum poſitu ac concurſu de vita ac fortunis hominum decernit. Verum de iis omnibus diligenter et ornate admodum perſcripſit Joachimus Camerarius Melanchthoni tota vita conjunctiſſimus; cujus accuratam narrationem legiſſe ut mihi jucundum fuit, ita ab iis, qui eccleſiae paci conſultum cupiunt, eam cognoſci non inutile exiſtimo. Complureis filias reliquit Melanchthon: ex quibus Anna elocata eſt Georgio [d] Sabino Brandeburgenſi, poetae inter Germanos non exigui nominis, qui a P. [e] Bembo, Gaſpare [f] Contareno cardinalibus, Baptiſta [g] Egnatio, Ludovico [h] Becatello Italis, dum viveret, magno in pretio habitus, hoc eodem anno ſocerum ſecutus [i] Francofordiae ad Viadrum, ubi larem fixerat, deceſſit Kal. Dec. aetatis ſuae LIII: cum Petrus [k] Lotichius [δ] Secundus multum eo junior, [ε] nam XXXII tantum annum attigerat, [l] Solitariis oppido ad Druſi montem ſito in Hanovia ditione natus, omnium meo quidem judicio, qui ſecundum Eobanum Heſſum in Germania poeticam attigerunt, praeſtantiſſimus, Heidelbergae Kal. Nov. ultimum vitae diem [1] clauſiſſet. Hujus poemata triennio poſt auctoris mortem a Joachimo Camerario collecta

VAR. LECT. [α] ſingulari. *P. D. o.* [β] primo quoque tempore. *P.* [γ] exorta. *P. D. o. f.* [δ] Secundus Solitarienſis *P.* [ε] quippe annos tantum XXXII natus, omnium meo quidem judicio, &c. *P.*

INTERPR. [a] *du Bellay, ſieur de Langey.* [b] *de Voré, ſieur de la Foſſe.* [c] *de Carpentras.* [d] *Sabin.* [e] *Bembo.* [f] *Contarini.* [g] *Egnatio.* [h] *Beccatelli.* [i] *Francfort ſur Oder.* [k] *Lotich.* [l] *Solitar, au comté de Hanaw.*

NOT. [1] *Clauſiſſet.* Cauſam mortis ſic narrat Melchior Adamus in ejus vita: cum ſe Bononiam ſtudiorum cauſa contuliſſet, ibi nobili quodam Bavaro canonico Monacenſi contubernali utebatur; cumque canonicus foris amaret, quod domi habebat, id hoſpita animadvertens Medea animo aegra, amore ſaevo ſaucia, permoleſte tulit, juveniſque amorem delinimento ſive philtro ſibi conciliare eſt aggreſſa; idque hoc modo: appoſuit aliquando illis duobus juſcula, ac de more gentis ſingulis

CIƆIƆLX. FRANCISCUS II.

collecta et publicata ſunt, fidem apud poſteritatem factura, quid ab illo exſpectati debuerit, ſi longiorem ei vitam Deus annuiſſet. Hos omneis praeceſſit menſe Januario mortuus Nic. Gerbelius [a] Phorcenſis, vir optimus et pariter doctrina ac ſuavitate morum excellens, decrepita aetate ſenex, et qui juris ſcientiam olim Viennae in Auſtria profeſſus ſumma ſtudiorum conſenſione cum Joanne Cuſpiniano viro ſua aetate doctiſſimo vixerat; dein [b] Argentinam, ubi vivere deſiit, ſe contulerat. Ut Gerbelius annum fere inchoavit, ita finivit Joannes Dryander [c] Wetteris in Cattorum ditione natus, medicinae et mathematicarum artium profeſſor eximius, quas et doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, et in aſtronomicis multa adinvenit, novis inſtrumentis fabricatis, aut ab aliis inventa fecit meliora, ac tandem [d] Marpurgi, ubi diu docuit, XIII Kal. Jan. ad [α] alteram vitam migravit.

VAR. LECT. [α] potiorem. *P. D. a.*

INTERPR. [a] *de Pforzheim.* [b] *Strasbourg.* [c] *Wetteren, au pays de Heſſe.* [d] *Marpurg.*

ſingulis ſingula: ibi cum Loticho pinguius, nobili macrius ſed intoxicatum praebitum eſſet, ille qui a pinguibus natura abhorrebat, ſuum jus cum alterius commutat; verum ſimulac ſorbere coepit, vim veneni ſenſit, defectuque animi concidit: mox furibundus arma rapit, ſtricto gladio contubernalem invadit. Poſt paululum ad ſe reverſus, hauſto oleo olivarum partem veneni vomitu rejecit: inde febri maligna corripitur, quae cum abiiſſet, et capillus et ungues deciderunt, animoque ac corporis habitu mutatus apparuit; ac remanſerunt mali reliquiae, dum vixit. nam quotannis ſub autumnum recruduit vis mortiferi veneni, cum quadam deliratione et febri; et ſic morbo recurrente vexatus tandem obiit. *Put. L.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

LIBER XXVII *hiſtoriarum initia Caroli* IX *habet : comitia regni ſub deceſſore indicta Aureliani magna frequentia peraguntur.* II. *Hoſpitalis oratio.* III. *Pro plebeio ordine verba facit Joannes Angelus :* IV. *Pro nobilitate Jacobus Sillius Rupiſortii comes :* V. *Pro ſacro ordine Joannes Quintinus Aeduus ; in quo quod perſtrinxiſſet G. Colinium, qui Proteſtantium nomine libellum ſupplicem regi ad Fontem-Blaudi obtulerat, varie exagitatus et libellis ac dicteriis petitus morbo inde contracto paulo poſt deceſſit, cum prius commeatum a rege petens dicta publice excuſaſſet.* VI. *His peractis, ſignificatum praeſulibus, ut ſe ad proximum concilium Tridenti inſtaurandum pararent : per praefecturas mandatum, ut vincti ob religionem ſolverentur, et bonorum annotatorum libera poſſeſſio iis relinqueretur, comitiis in Maium menſem proximum rejectis.* VII. *Infauſta Henrici Borbonii Caroli Rupiſurionii filii ex caſu mors.* VIII. *Bellum contra Convallenſeis, qui ex Valdenſium reliquiis in Alpibus regi et Sabaudiae principi ſubditis ſuperant : deſcriptio locorum ab iis inſeſſorum, religio, mores, frugalitas atque adeo paupertas.* IX. *Fraxinea vallis. Hannibalis via. Trucheſii a Pragellatenſibus clade accepta principium bello faciunt.* X. *Convallenſes porrecto per Luſernae comitem Sabaudo libello ſupplici vim conſcientiis et arma deprecantur. Trinitenſis comes in eos ducit, vario ſucceſſu. Virginis praeclarum facinus, ut pudicitiam ſervaret.* XI. *Prodigia toto orbe hoc anno viſa.* XII. *Renovatum contra Angrunios et Luſernenſeis bellum, Trinitenſi duce, qui ad Torni-pratum ingenti clade adficitur.* XIII. *Phthorae ſeu toxici venenum, et ejus affectus.* XIV. *Cavortiana cum iis pacificatio aequiſſimis conditionibus, Sabaudo jam belli contra homines alioqui innocenteis pertaeſo; qui et hanc gratiam reconciliatis populis fecit, ut a Caſtrocaro Thuſco, qui ob religionem inter eos exulabat, et armorum uſum illos docuerat, regerentur.* XV. *In Belgio ſeverae in Proteſtanteis animadverſiones. Inquiſitionis inviſum nomen et metus. Confeſſio Philippo ab iis exhibita, cum proteſtatione de obſequio quod principi debetur, de tributorum ſolutione, et ordinariis pro ejus incolumitate ad Deum precibus.* XVI. *Apud nos in regis conſiſtorio actum de ſumptibus minuendis ad populi levamentum : et jam tum inſtabant multi, ut externorum militum penſiones tollerentur. Italorum avaritia exagitata. Scotorum commendatio.* XVII. *Rex Aureliano diſcedens Fontem-Blaudi venit. Condaeus ad regem accedit, et tanquam a criminibus objectis innocens priſtinum in conſiſtorio locum ſumit, pleniore innocentiae declaratione ſenatui Pariſienſi reſervata.* XVIII. *Navarri cum regina parente ſimultates. Multa invidioſe in eos, qui Henrico* II *et Franciſco filio regibus publicam rem adminiſtraverant, propoſita.* XIX. *Danici oratoris cum Navarro de religione ſermones.* XX. *A. Momorantii alienus a Condaeo et Coliniis quamvis proximis*

ob

ob religionem animus. XXI. *Comitia Lutetiae inſtaurata.* XXII. *Momorantii cum Lotaringis Santandreano medio reconciliatio, et triumviratus aulici initium.* XXIII. *Parium Franciae origo et numerus.* XXIV. *Magni camerarii dignitas a Longavillanis fruſtra repetita.*

Ex AUCTORIBUS,

Joanne Placio vectigalium curiae primario praeſide, Joanne Serrano, Convallenſium hiſtoria, V. C. Sofredi Calignoni relationibus, actis publicis.

LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS.

CIƆIƆLX.
CAROLUS IX.

EXORIENTIBUS paſſim per Galliam turbis ac coetibus frequentibus, qui rege Franciſco minime intermiſſi, tunc vero propalam celebrabantur, non ſine plebis pleriſque locis fremitu, cum remedium quaereretur, de comitiis quamprimum habendis ſerio agi coepit. Itaque Eid. Dec. loco ad id parato vocatis Ordinibus conveniunt novus rex puer, Catharina parens, [a] Aureliani dux et Margarita ſoror, Antonius Borbonius Navarrae rex, Renata [b] Ferrarienſis, [c] Borbonius, Turnonius, Lotaringus, Caſtellionacus et Guiſius cardinales, Carolus [d] Borbonius Rupiſurionius, Franciſcus Lotaringus Guiſiae dux, [e] A. Momorantius equitum magiſter, M. [f] Hoſpitalius cancellarius, Jacobus [g] Albo Santandreanus, Carolus [h] Briſſacus equitum tribunus, Gaſpar [i] Colinius maris praefectus, ac plerique equites torquati et ſacri conſiſtorii ſenarores.

II. HEIC cancellarius compoſita oratione orditur; Deum, quam Franciſco nuper functo de celebrandis regni comiriis mentem dediſſet, eandem regi puero et Catharinae ejus matri ſervaſſe. Dei item raro beneficio effectum, ut tumultus morte regis nuper exorti praeter omnium opinionem ſopiri potius quam aucti ſint; ac veluti brumoſo die ad ſolis adventum diſcuſſis nebulis lux mundo redditur, ſic novi regis inſolito fulgore depulſis ex principum ac magnatum animis, quae inſęderant, odiis, ſuſpicionibus ac ſimultatibus, redditam regno quietem: qua in re praecipuam regis Navarrae laudem fuiſſe; qui, ut primarium regiae ſtirp[s] principem decebat, ceteris exemplo ſuo praiverit, injuriis privatis reipublicae condonatis. Ita pace foris parta et domi ſarta concordia nihil metucudum, nihil non ſperandum. Inrerim dum rex adoleſcat et ipſe per ſe regno adminiſtrando ſupereſſe poſſit, e re viſum, ut comitia regni cogerentur, et ex eorum ſententia et auctoritate publico regimini proſpiceretur: cum comitiorum uſum eſſe, ut rex cum populis imperio ſuo ſubjectis quaſi in familiare colloquium deſcendere videatur, [α] et de republica in commune conſulat, nec non privatorum querelas arque res, ut vere habent, citra fucum intelligat: quod per ſuorum fraudes ac dolos plerumque non licet. Igitur minime audiendos eſſe, qui regem infra dignitatem facere aiunt, cum conventus habet. Quid enim magis regium, quam jus ſuum cuique tribuere? aut qui fieri illud commodius poteſt, quam cum facultas datur omnibus mala ſua, incommoda, queſtus libere ac

VAR. LECT. [α] ut. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *Renée, ducheſſe de Ferrare.* [c] *cardinaux de Bourbon, de Tournon, de Lorraine, de Chaſtillon, & de Guiſe.* [d] *de Bourbon, prince de la Roche ſur Yon, frere du duc de Montpenſier.* [e] *le conneſtable de Montmorency.* [f] *de l'Hoſpital.* [g] *d'Albon, mareſchal de St. André.* [h] *mareſchal de Briſſac.* [i] *l'amiral de Coligny.*

ac publice, ubi fuco ac fraudi locus non eſt, expromendi? ſic enim fieri, ut reges officii ſui admoneantur, et populos antiquis tributis levent, nova non imponant, nimiis et damnoſis ſumptibus abſtineant, munera publica ac magiſtratus minime venaleis habeant, ad epiſcopatus ac cetera ſacerdotia non niſi dignos provehendos curent, quae hodie pravo uſu negligantur: quippe cum reges non niſi alienis oculis et auribus videant et audiant, alieno arbitrio vivant et de ſumma rerum ſtatuant, a ſuis veluti fraudulenta indagine cincti, et qui alios ducere debebant, ipſi ducantur. Nec vero metuendum eſſe, ne nimia familiaritate per comitia cum populis contracta vileſcant principes, aut a ſuis contemnantur: nam regis in ſolio aequa decernentis faſtigium ſupra contemptum poſitum eſſe, nihilque illi deeſſe, praeter ſuorum amorem, qui familiaritate illa adultus vigorem accipit, et juſtitiae opinione poſtremo coaleſcit. Exempla ad manum eſſe et, ſi annales noſtri evolvantur, compertum iri, magno ſemper regni bono comitia fuiſſe celebrata, magnumque emolumentum ex iis reges percepiſſe. Ne vetera repetantur, ultima ſub Carolo VIII habita in memoriam revocanda; quibus legitima regni adminiſtratio conſtituta, et pernicioſis tumultibus, qui imminebant, obviam itum eſt. Ea de cauſa Franciſcum nuper defunctum ad [a] Fontem-bellaqueum ex praecipuorum conſiliariorum ſententia decreviſſe, ut conventus regni haberentur, quo excitatis ob religionem ſeditionibus remedia quaererentur; interim edicta ſuper ea re facta ſervarentur, coitionibus illicitis prohibitis, et gravi poena in eos, qui ſeditionibus cauſam praebuerint, conſtituta: iis inſuper decretum fuiſſe, ut praeſules ad gregis ſui curam aſſidui eſſent, et fame laboranteis animas verbi divini praedicatione paſcerent, ac praeſentia ſua firmarent; ut praefecti viderent, ne quae ſeditiones exorirentur, [a] et ex earum occaſione publica quies detrimentum acciperet. Nunc continuata comitia, ut iis malis remedium quaeratur: eorum cauſam inprimis inquiri debere; neque ſatis eſſe, ut ſeditioſi puniantur, neque ſufficere eas leges, quae ſcelera patrata ulciſcantur, ſed eas, quae, ne patrentur, impediunt: ſicut nec medico ſatis eſt, dolorem ſedare, niſi et fomitem morbi extinguat. Seditiones autem ex iis cauſis fere oriri, cum homines aut ex contemptu, aut injuriae ſenſu vel metu indignationem concipiunt, aut propter egeſtatem atque aliquando propter nimium otium tumultuantur: nunc vero cum dignitas ſua cuique reddita ſit, non eſſe, cur propterea magnates ac ceteri conquerantur, et reſtituta regi ac magiſtratibus auctoritate, jam ab omni injuriae ſenſu ſeu metu ſecuros omneis eſſe debere: egeſtati denique proſpectum, pace foris facta, eaque domi conſtituta; minime dubium relinqui, quin aerarium ſuperioribus bellis exhauſtum, modo largitionum facto, brevi ſuppleatur, et eo ſuppleto aes alienum, quod multos obligatos tenet, ſenſim diſſolvatur, atque ita omnibus, qui ob id cum egeſtate conflictantur, ſatisfiat, et inde quoque plebs in poſterum non mediocre levamentum ſentiat: nec vero eſſe, cur otio laſcivire animi debeant, cum vix annus intercesserit, ex quo decennali bello fatigati reſpirare coepimus. Iis porro malis optimum remedium eſſe, ſi quiſque in ſe deſcendat, et ſorte a Deo conceſſa contentus ſit: ſi principes aliena imperia minime adfectent, neque vaſta ambitione ferocientes inextricabilibus negotiis ſe ac ſuos implicent: ſi ſacer Ordo potentiam, quam in animas maximam habet, ſancte et moderate exerceat; poſſeſſionibus ampliſſimis, quas regum et aliorum beneficio tenent, non ad pompam

VAR. LECT. [a] vel. *D. d.*

[a]INTERPR. [a] *Fontainebleau.*

CIƆIƆLX.
CAROLUS IX.

pompam et faſtum abutantur, ſed eas in uſum pauperum erogent; ſacra venalia non habeant; quodque gratis acceperunt, gratis dent: ſi nobilitas immunitatibus, privilegiis, honoribus ac denique familiaritate, quam regum noſtrorum benignitate cum ipſis colit, et poteſtate, quam in regis ſubditos habent, pacate et citra injuriam fruantur, nec vano natalium ſplendore ſupra alios atque adeo contra leges inſoleſcant, ſed meminerint, et reges aliquando ex ſervis, et ortos ex regibus ſervos; ſibi arma attributa, non ut illis ad libidinem utantur, ſed ut ea pro principe et patria juxta Dei praeceptum exerant: ſi denique tertius Ordo ſive plebs, eccleſiaſticis et nobilitate inferior, pure in religione inſtituta, et a nobilitate, cui fere ſubeſt, aequa ratione habita, per agros terrae cultui innocenter vacet, in urbibus et oppidis opificio, commercio ac mercatura, qua opes parantur, vitam [a] toleret. Verum enim vero ad dictas ſeditionum cauſas, novam addi, nimirum religionis diſſidium; quaſi religio bellum civile, quod malorum omnium, quae in rempublicam cadere poſſunt, peſſimum eſt, quodque mala omnia in ſe complectitur, aut excitet aut excitare debeat. Atqui non diſſenſionis, ſed pacis auctorem Deum eſſe; et ceteras religiones, utpote falſas, vi aut aſtu fundatas; ſolam Chriſtianam tanquam veram et unicam patientia, juſtitia, lachrimis, precibus ſtabilitam fuiſſe; veteres Chriſtianos occidi quam occidere maluiſſe; inde videlicet cognominatos, qui fidei ſuae teſtimonium proprio ſanguine obſignaverunt. Neque tamen negari poſſe, quin potentiſſimum in animis noſtris vel falſa religio telum ſit, affectus cunctos et charitates ſuperet, et arctiori nodo, quam cetera humanae ſocietatis vincula, mentes conſtringat: in confeſſo eſſe, regna religione non limitibus contineri; immo religione non limitibus dividi; proinde quotidie uſu venire, ut, qui religionis opinione ducuntur, principem, patriam, uxores, liberos atque hujuſmodi neceſſitudines parvi faciant; atque inde rebelliones, diſſenſiones ac defectiones oriri: in eadem domo patri cum uxore ac liberis, fratri cum fratre non convenire, ſi in religione diſſideant. Itaque ut his diſcordiis, quae ſecum civile bellum trahunt, obviam eatur, opus eſſe concilio, ſicuti nuper ad Fontem-bellaqueum decretum fuit: cujus ſpem cum faciat pontifex, minime interea committendum, ut quiſque ſibi animo, quam velit, religionem fingat, novos ritus ac nova ſacra pro libidine inducat: nam ita non ſolum turbari tranquillitatem publicam, ſed animas de ſalute aeterna periclitari. Quod ſi a pontifice et concilio remedium deficiat, operam daturum regem, ut remediis a majoribus ſuis in hoc regno uſurpatis publicae neceſſitati conſulatur. Spem eſſe, ut praeſules in poſterum majore cura officio fungantur, ut unde mali origo profecta eſt, inde remedium accerſatur. Hactenus feciſſe nos, quod belli duces imperiti ſolent, ut nudatis praeſidio munitionibus cum omnibus copiis in hoſtem ducant: contra oportere nos prius virtutibus, bonis moribus ac verbo Dei, quae ſupplicum arma ſunt huic certamini idonea, intus munire, tum foras prodire et in adverſarios ducere; quippe ejus, qui bene vivat, efficacem eſſe ad perſuadendum orationem; gladium vero contra animas nihil proficere, niſi ut eas cum corpore male perdat. Majores noſtros his armis ſectarios debellaſſe: nobis quoque eorum veſtigiis inſiſtendum, ne homines potius, quod a Chriſtiana pietate alienum eſt, quam vitia et errores odiſſe videamur. Itaque indeſinenter pro iis orandum, ut ab errore ſuo in viam reducantur, ſublatis his ab hoſte generis humani excogitatis Lutheranorum, Hugonotorum et Papanorum vocabulis, quae Guelforum et Gibellinorum antiquas factiones redolent, [b] ſpecioſo Chriſtianorum nomine retento. Sed quoniam plerique ſint, qui religionis

VAR. LECT. [a] tolerent. *D.* f. o. [b] ac ſpecioſo. *D.* f. o d

religionis quidem nomen obtendunt, re vera ambitione, avaritia et rerum novarum ſtudio aguntur, optimum factu videri, ſi, antequam vires peſtiferi illi homines colligant, omni ratione opprimantur: contra eos armis opus eſſe, et ubi nihil clementia proficitur, legum et armorum ſeveritatem ac vim in ſubſidium adhibendam. Id autem aliter fieri non poſſe, quam ſi aut potentem exercitum rex ſub ſignis aſſidue teneat, rem dubio procul populo graviſſimam, aut per urbes, ubi hujuſmodi homines fere graſſantur, acceptis a rege armis cives videant, ne qui tumultus exoriantur, ſeditioſi comprehendantur, et juxta edicta animadvertantur. Communem omnium cauſam in eo verti, et ejus periculum ad univerſos pertinere: itaque ut in locis litoralibus procul accenſis pharis vicini omnes ad communem defenſionem accurrunt, ſic nos ad commune periculum propulſandum minime ſegnes eſſe debere. Ita tranquillitate in regno conſtituta, deinceps de aerario videndum, quod x annorum aſſiduis bellis et aliis neceſſitatibus adeo exhauſtum rex accepit, ut nihil ei a patre ac fratre praeter plorare relictum videatur: ſed paratum eum, ut diſpendium illud ſarciatur, in ſumptibus qui a vobis dicetur vel mediocrem modum ſequi, proviſo, ne regia majeſtas ex eo vileſcat. His de cauſis regem reginamque ipſius parentem Ordines regni velut in conſilium advocaſſe, ac nunc per cancellarium ſuum hortari univerſos ac ſingulos, qui adſunt, ut depoſito omni privato affectu, quod conducibile reipublicae videbitur, id libere expromant: nam illorum mentem ac voluntatem eſſe, ut id liceat, et quod ex Ordinum ſententia decretum fuerit, id firmum ratumque ſit. Haec tum eo tantum die acta. Poſtridie cum ſacer Ordo ad Franciſcanorum, nobilis ad Dominicanorum, plebeius ad Carmelitarum conveniſſent, de mandatis ſuis conſultaturi, cauſantibus pleriſque ex nobilitate ac plebe regis morte mandata ſua exſpiraſſe, ac novis opus eſſe, cum id ad Navarrum perlatum eſſet, in conſiſtorio ſexto poſt die decretum fuit, ut in actione coepta cum iis, quae habebant mandatis pergerent; addita cauſa, quod lege regni vivus mortuum excipiat, et continuata poſſeſſione regnum in legitimum ſucceſſorem ſine interruptione tranſmitti videatur. Cardinalis Lotaringus, jam ante Franciſci exceſſum, de oratione nomine trium Ordinum in comitiis habenda praeter morem [α] cogitaverat: quod licet inſolens tunc videretur, pro tempore tamen dilatum magis, quam negatum omnino fuerat; quippe aſſentiente ſacro Ordine, quem ille arbitrio ſuo circumagebat. Sed mortuo Franciſco, id illi aperte a plebeio Ordine denegatum eſt, cum plerique dicerent, id non ex majorum inſtituto peti, et habere ipſos quaedam in mandatis, quae [β] contra ipſum cardinalem promere jubebantur. Itaque rurſus loco deſtinato conveniunt, eodem quo prius ordine.

III. CUMQUE tres delegati, qui trium Ordinum nomine regem alloquerentur, ſeorſim ab aliis conſediſſent, Joannes [a] Angelus in ſenatu Burdigalenſi patronus pro plebe verba fecit; qua in ſacri Ordinis corruptos mores ac diſciplinam invectus, tria inprimis inter eos vitia pullulare dixit, ignorantiam, avaritiam, ac luxum nimium, quae erroribus paſſim ſucreſcentibus et offenſioni cauſam praeberent: et ignorantiam quidem non ſolum matrem, ſed materiem errorum eſſe; cui ut remedium adhiberetur, antiquis patrum decretis ac conſtitutionibus proſpectum fuiſſe, creatis in eam rem ſcholarum magiſtris; nuper vero Gallicanae eccleſiae ſcito tertiam ſacerdotiorum partem literatis hominibus, et qui per doctrinae

VAR. LECT. [α] cogitaverat, homo oſtentandi ingenii et aurae vulgi captandae ambitioſe cupidus: verum licet id inſolitum tunc videretur *MS. Sam.* [β] quae ab iis qui ſe delegaverant contra ipſum *MS. Sam.*

INTERPR. [a] *de Lange, avocat au parlement de Bourdeaux.*

CIƆIƆLX.
Carolus IX.

doctrinae gradus ad dignitates promoti eſſent, attributam fuiſſe, decretumque inſuper, ut in unaquaque matrice eccleſia ſinguli doctores theologi conſtituerentur: nihilominus ignorantiam altiores ſemper ab eo tempore radices egiſſe, adeo ut verbi divini praedicatio, ad quam praecipue inſtituti ſunt epiſcopi, prorſus omittatur, et rem pudendam ac dignitate ſua inferiorem feciſſe ſe illi exiſtiment, ſi eo munere fungantur; eorum dein exemplo curiones ſuam functionem neglexiſſe, et per vicarios plerumque indignos res ſacras adminiſtrare, eandem ſemper cantilenam recantanteis. Nec minus pernicioſe in foedo lucri amore peccari, quem contraria peſtis luxus fere comitetur: in quo ſibi tantopere hodie antiſtites placeant, ut ſe hac ratione Dei majeſtatem tueri et in terris repraeſentare exiſtiment; quod potius ſimplicitate et ſanctitate vitae efficere deberent: qua in re ab antiquorum ſinceritate et tenuitate nimium quam degenerare, a quibus in ſynodo Carthaginienſi ſub Innocentio I celebrata conſtitutum fuit, ut epiſcopi proximas templo aediculas et illas tenui ſupellectile inſtructas haberent. Nunc contra eum invidioſa pompa regiam magnificentiam provocare contendant, nulli mirum eſſe debere, ſi multi indignatione ob pravam miniſtrorum vitam contracta a religione ipſa in dies alienentur. Petere igitur atque obteſtari tertium Ordinem, ut iis malis ſancti ac legitimi concilii celebratione propediem, accedente regia auctoritate, proſpiciatur.

IV. Postquam peroravit Angelus, nobilitatis nomine Jacobus [a] Sillius Rupiſortii comes [β] luculentam juxta et fiduciae plenam orationem habuit. Cumque multa initio de regum potentia et officio praefatus eſſet, conſilium regis laudavit, quod parentem rerum ſummae praefeciſſet, ut olim Alexander Severus Mammaeam, apud nos Carolus VIII Annam ſororem; Navarrum inſuper regiae [γ] que ſtirpis principes ac regni proceres in conſilium adhibuiſſet. Permulta quoque de nobilium Ordine ſubjecit, praecipuo regni robore; cujus puritas hac maxime ratione contaminata ſit, quod plerique minime gente et inſignibus nobiles, ſed in adminiſtratione civili verſati, aut belli periculis exercitati, vel denique artis alicujus inventione clari ſe admiſcuerint, eaque miſtura multum ejus dignitati et principis aerario decreverit, dum quiſque hac praerogativa a tributorum et vectigalium oneribus ſe immunem aſſerit. Magnum et ex eo incommodum acceſſiſſe, quod eorum majores regum aemulatione immenſis donationibus in eccleſias collatis patrimonia exhauſerint, attributa etiam juriſdictione: cujus ratione fiat, ut nunc paſſim per lites ac tricas a beneficiariis ſuis miſere vexentur: quo quid durius vel iniquius? Quid enim magis abſurdum, quam ut ſacerdotes, lux mundi et ſal terrae ſcilicet, quorum opus preces ac vota apud Deum fundere, Dei verbum praedicare, ſimplice cultu ſacra adminiſtrare, vitae ac fortunarum jus in regis ſubditos exerceant? In id igitur ante omnia regi incumbendum, ut eccleſiaſticum Ordinem emendet, Ezechiae exemplo, qui collapſam miniſtrorum templi diſciplinam inſtauravit; aſſignata iis, qui ſacrae ſcripturae lectioni attenderent, idonea penſione: id feciſſe in Gallia Carolum VII, et ante eum Ludovicum IX pragmaticis ſanctionibus editis; neque plus in Philippo Auguſto aeſtimari, quod Judaeos regno exegerit, Albigeos debellarit; in Ludovico item VI, quod Gelaſium et Paſchalem pontifices contra Henricum Caeſarem protexerit, quam quod uterque emendationi eccleſiaſticae ſtuduerit: Carolum item Magnum, et Ludovicum ejus filium, Gulielmum Normaniae ducem, non tam laudari, quod templa ſummis ſumptibus aedificaverint, eccleſias vaſtis poſſeſſionibus locupletaverint, quam quod ſacram diſciplinam, mores, concordiam

in

VAR. LECT. [a] elegantem. *D. f. o.* [β] que *deeſt.* *D. f. o.*
INTERPR. [a] *de Silly, comte de Rochefort.*

in eccleſia ſarciverint. Id autem optime fieri poſſe, ſi praeſules in ſua quiſque dioeceſi excubent, et miniſterium ſuum per ſe non per alios ſedulo exerceant, verbi divini promulgatione, ſacrorum pura diſpenſatione, bonorum, quae ampliſſima poſſident, larga in pauperes erogatione, vita denique et exemplo ſuis praeluceant. Viciſſim videndum regi, ut eruditos homines, pietate, prudentia et morum integritate conſpicuos, ad ſacras dignitates provehat: hoc enim ad regum munus pertinere; nam Deum alioqui negligentiae tam pernicioſae in ſuam contumeliam vergentis rationem repoſciturum; et, ut olim Theodoricum et Theodebertum, quod ejuſmodi beneficia per gratiam et ſordeis diſpenſarent, male mulctavit, ſic ut juſtitiae et aequitatis deſertorem miſerabili exitu ipſum caſtigaturum. Non enim ſatis eſſe principi, ſi privatis commodis ſtudeat, niſi et ſubditis ſibi populis proſit, et aequabili juris inter ſuos diſpenſatione omnium benevolentiam demereatur. Nam bona et mala principis ad populum pertinere: ſic propter Saulis defectionem triennali fame, propter Davidis flagitia peſte, propter Achabi ſcelus innumeris cladibus populum Dei afflictum fuiſſe. Juſtitia reges a tyrannis diſtingui: nam potentiae parem in utriſque rationem eſſe: hac qui per maleficia, rapinas, concuſſiones injurioſe abutuntur, plerumque, Deo ita volente, male a ſuis et merito haberi. Sic enim regno exutum a Syracuſanis Dionyſium, ab Agrigentinis Phalarim, a Macedonibus Demetrium, a Thraſybulo denique xxx tyrannos Athenis exactos. Igitur in eo praecipue regi laborandum, ut judices conſtituat viros probos, Dei timenteis, et qui non ſolum ab omni quaeſtu turpi alieni ſint, ſed avaritiam capitali odio deteſtentur. Qua in re duo ſervanda eſſe, ut et munia minime accepto pretio diſtribuantur, et judicum numerus, qui in immenſum excrevit, minuatur: nam viteſcere numero ampliſſimum Ordinem, et plebi ſimul ac principis aerario gravem eſſe: ad haec male ominoſum ſemper habitum et in Romano imperio et aliis regnis ac rebuſpublicis tot magiſtratuum immanem numerum. Poſtremo optime regno conſultum videri, ut juxta Franciſci I ſententiam nobiles inter judices allegantur, apud quos decoris et exiſtimationis praecipua ſemper cura extitit, et quos proinde gratia et pretio corrumpi vero procul eſt; ut litium ambages contrahantur, et ſecundum municipaleis leges arbitrio bonorum virorum cauſae decidantur. Aulicorum vero avaritiam refraenari poſſe, ſi ſtatuatur, ne quis reorum bona ante condemnationem a principe petere poſſit; quaeque ex damnatorum bonis provenient, ad opera pia deſtinentur. Ita religione conſtituta ac reſtituta diſciplina, nobilitati, quae ad defendendos regni fineis excubat, dignitate ſua ſervata, judiciario Ordini ad tuendam regis majeſtatem et ad jus aequabiliter inter ſubditos dicendum auctoritate reddita, populo levato, fore, ut regnum hoc, olim florentiſſimum, nunc denique et in poſterum omni bonorum ac virtutum copia exuberet: quod ut brevi contingat, nobilitatem, quam demiſſe poteſt, a rege petere; quae et illud facto revinci cupiat, quod vulgo dici ſolet, in Gallia frequentes et de rebus maximis conventus haberi, ſed nulla fere conſilia in iis capi. Quibus dictis Sillius libellum, quo templa religionis cauſa nobilium nomine petebantur, regi porrigit, qui palam lectus eſt.

V. Dein dicendi partes ſacro Ordini obvenere; pro quo Jo. [a] Quintinus Heduus locutus eſt, et verboſa ac taedioſa oratione, quam fere ex ſcripto recitavit, rege, regina principibuſque in os laudatis, tribus de cauſis comitia in Gallia inſtituta dixit; ut ſacrae diſciplinae proſpiceretur, rex ſuorum querelas audiret,

INTERPR. [a] *Quintin, d'Autun en Bourgogne.*

CIƆIƆLX.
CAROLUS IX.

audiret, ac viciſſim de regni neceſſitatibus et incommoditatibus apud ſubditos ſuos quaſi in conſilium advocatos ageret : non de eccleſia emendanda, quae errare non poteſt, quaeque nullis rugis aut maculis deformata, ſed ſemper et aeternum formoſa erit ; verum de diſciplinae ſacrae emendatione intelligendum heic agi, quam ſeneſcente priſtina ſimplicitate ſenſim collapſam ingenue fateatur. Itaque minime audiendos veterum ſectarum ſandapilarios toties damnata dogmata effodienteis, et ſi qui ſint, qui eorum nomine templorum ſeorſim a catholicis uſum libello oblato petant ; eos pro Sectariorum fautoribus atque adeo Sectariis et habendos et puniendos : nam minime aequum eos petere : id Conſtantio imperatori ab Athanaſio, Valentiniano et fruſtra juris ſui cuncta atque adeo ſacra aſſerenti ab Ambroſio, denique Gamae ſub Arcadio a Joanne Chryſoſtomo denegatum fuiſſe. Proinde regem ſuppliciter rogare, ut eorum poſtulata tanquam impietatis et impudentiae plena averſetur, potiuſque majorum ſuorum et Caroli Magni inprimis exemplo, cujus ſanctiones ad rem eccleſiaſticam pertinentes ab omnibus leguntur, omneis ditionis ſuae ſubjectos populos juxta praeſcriptam in eccleſia formulam vivere et ſentire cogat. Neque enim diutius ferendam Sectariorum petulantiam et audaciam, qui ſpreta veterum auctoritate et recepta in eccleſia doctrina, unos ſe evangelium intelligere et amplecti dictitant. Huic animorum intemperantiae ac tantum non rebellioni mature obviam eundum : quod ni fiat, periculum ſubeſſe, ne eadem audacia, qua Dei domum oppugnant, in principem ipſum excuſſo legitimi magiſtratus jugo invadant. Igitur poſtulare, ut omnia commercia illis cum catholicis interdicantur, et cum iis tanquam cum hoſtibus agatur ; nec qui religionis cauſa regno exceſſerunt, eis poſtliminio domum redeundi facultas ſit. Ad regem ſpectare, ut vindicem gladium in eos ſtringat, et capitali ſupplicio peſtiferae ſectae veneno infectos plectat : contra ſacrum Ordinem ſartum tectumque tueatur, reſtituta collegiis praeſules eligendi poteſtate, quae ipſis manifeſto reipublicae Chriſtianae detrimento erepta ſit. Nam animadverſum a ſummis viris, eodem fere anno quo ſacrarum electionum jus pontificis permiſſu in regem tranſlatum eſt, Sectarium virus ſtatim enatum eſſe, et ſe paulatim per omnia regna ſparſiſſe : tunc enim, hoc eſt, anno hujus ſeculi XVII, ortum Lutherum, quem Zuinglius, Oecolampadius, et poſtea Calvinus ſecuti ſunt. In regis poteſtate eſſe, ut hoc malum e domo Dei tollatur, neque ſacer Ordo in poſterum quaſi decimetur : ſacros hujus reditus eſſe ad opera pia deſtinatos, et qui citra ſacrilegium interverti et in alios uſus impendi non poſſint. Poſtremo immunitatem ſacro Ordini petiit, tributorum ac cenſuum onera deprecatus, additis multis adulatorie confictis, quorum aſtanteis ſuppudebat [a] ac taedebat, praecipue eos, qui Proteſtantibus favebant, qui et vehementiam, qua in eos invectus fuerat, ſupplicia intermiſſa revocari poſtulans, indigne ferebant ; eoque magis, quod meminiſſent, ipſum Quintinum olim, quod Proteſtantium doctrinae addictus crederetur, [a] Pictavio expulſum eſſe. Sane ob id mordacibus libellis ac dicteriis petitus tantum dolorem cepit, ut contracto inde morbo paulo poſt deceſſerit ; homo alioqui minime malus, ſed decretalis juris quam rerum agendarum peritia clarior, et qui ſerio de emendanda eccleſia aliquando cogitaverat. Quia vero eos, qui Proteſtantium nomine libellos regi obtuliſſent, notaverat, proque Sectariorum fautoribus atque adeo Sectariis habendos et puniendos dixerat, [b] Colinium maris praefectum deſignari rati, qui aderant, omnes in eum oculos conjecere, et ipſe Colinius ea de re apud regem queſtus

VAR. LECT. [a] ac taedebat *deeſt.* *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Poictiers.* [b] *l'amiral de Coligny.*

queſtus tanquam de gravi injuria ſibi ſatisfieri poſtulavit. Quanquam Quintinum ſatis excuſaret, quod, quae dixerat, non ex ingenio ſuo, verum ab aliena voluntate profecta [a] credebantur, et ipſe multa in eam rem privatim dixiſſet; tamen cum omni ratione ſibi publice ſatisfieri peteret [a] Colinius, convenit, ut Quintinus altera oratione, quam, cum Ordines a rege commeatum perituri eſſent, habiturus erat, publice injuriae illatae ſuſpicionem amoliretur. Exortae et tunc in Guiſianos querelae ex hac occaſione: delegati Ordinum Burgundiae et Delfinatus, quibus provinciis praeerant [b] Guiſius et Aumalius fratres, petietant, ut perinde Lotaringorum ac regiae ſtirpis principum honorifica mentio haberetur et, ut id faceret, [c] Rupifortio injungeretur. Quod cum a majore nobilitatis parte negaretur, indignati Guiſiani, eos, qui intercedebant, ſeditioſos per iram appellaverant. Qua de re e nobilitate plerique apud Catharinam queſti, pro univerſis verba faciente [d] Jo. Raguierio Sternaeo Cathalauni vicedomino, hoc tantum reſponſum retulere; Id a Guiſianis in eos dictum, qui contra regiam majeſtatem aliquid moliti eſſent: atque ita regio nomine injuriam pro tempore excuſaverunt. CIƆIƆLX. CAROLUS IX.

VI. His peractis, a rege praeſulibus ſignificatur, ut ſe ad proximi concilii, quod [e] Tridentum indictum erat, inſtruerent. Mandatum inſuper judicibus per praefecturas, ut vinctos ob religionem ſolverent, iiſque bonorum ob eandem cauſam annotatorum liberam poſſeſſionem relinquerent, poena capitis contra eos, qui ſibi invicem ob religionem male dicerent facerentve, addita. Moniti praeterea eodem decreto omnes, quod ad religionem, ut ritus hactenus in eccleſia receptos ſequerentur. Rebus ita utcunque compoſitis, reſtabant occultae ſimultates, quae per emiſſarios utrinque ex falſis rumoribus accendebantur: nam de Jacobo [f] Sabaudo Nemoroſii duce ad Navarrum perlatum, homines delectos eum clam cogere, et per ſuburbia diſtributos habere, ut ipſi Navarro inſidias ſtrueret: quod in cauſa fuit, ut A. [g] Momorantius equitum magiſter, qui declarandi erga Navarrum animi occaſionem captabat, ipſum diligentius obſervaret, coleret, et domum, quamvis haud ita longe ab aedibus regiis diverteret, quotidie duceret reduceretque: ſed rei veſtigatione juſſu Catharinae facta, cum nihil deprehenſum eſſet, Nemoroſius comitante eum Guiſio coram rege ſe purgavit. Sub id tempus commendatione Antonii [h] Cruſſolii comitis, et [i] Aloiſiae Claromontiae, quae in Catharinae gratia tunc florebat, et apud Navarrum plurimum poterat, Philippus [k] Lenoncurius Antiſſiodori epiſcopus in intimam Navarri familiaritatem ſe inſinuavit: qua fretus, Guiſio de [l] Nanrolio comitatu a Margarita [m] Broia patente iniquis, ut aiebat, conditionibus empto, litem movit. Guiſio et ſuſpecta fuit Navarri voluntas ex eo, quod tunc ipſe in Ordinum conſeſſum, qui ad B. Franciſci habebatur, venit, quamvis ex regii conſiſtorii decreto, et per [n] Hoſpitalium, qui cum eo venerat, Ordines rogavit, ut diſſolvendi aeris alieni a ſuperioribus regibus contracti ratio inter eos iniretur; hoc addito, minime recuſare regem et circa eum proceres, quin, ſi comperiatur nimiis donationibus et immenſis largitionibus exhauſtum aerarium, ad earum reſtitutionem, qui acceperunt, compellantur. Is ſermo haud leviter pupugit Guiſii et [o] Santandreani animos; qui ſe eo peti ſentiebant, cum ſubjunxiſſet Navarrus, in ipſorum ſcilicet invidiam, paratum ſe, ſi quae dona accepiſſet, quamvis extra comparationem

VAR. LECT. [a] credebantur, multaque in *D. f. o.*

INTERPR. [a] *l'amiral de Coligny.* [b] *ducs de Guiſe & d'Aumale.* [c] *comte de Rochefort.* [d] *Raguier de Sternay, vidame de Chaalons.* [e] *Trente.* [f] *de Savoie, duc de Nemours.* [g] *le conneſtable de Montmorency.* [h] *de Cruſſol.* [i] *Louiſe de Clermont.* [k] *de Lenoncourt, evêque d'Auxerre.* [l] *de Nantueil.* [m] *de Broie.* [n] *le chancelier de l'Hoſpital.* [o] *mareſchal de St. André.*

CIϽIϽLX. paratione m poſitus eſſet, ut tamen exemplo ſuo tam ſalutari decreto praeiret, ea
CAROLUS IX. reſtitueret. Inde dimiſſa ad tempus comitia, et in Maium proximum rejecta, ut omnis ſcrupulus tolleretur, qui a XI praefecturarum delegatis de mandatis morte regis extinctis propoſitus fuerat: decretumque ut duo tantum ad evitandam turbam, et ut ſumptibus parceretur, ex XIII majoribus regni provinciis delegati tempore condicto ad [a] Eſiae pontem convenirent, cum idoneis mandatis et rationibus, quibus grande aes illud alienum commode diſſolvi poſſet: additum, ut de libello a [b] Rupiſortio Proteſtantium nomine porrecto in proximis comitiis ageretur. Tandem Quintinus Ordinum nomine commeatum a rege petiit meditata oratione; qua et dicta in Colinium excuſavit, neque aliud ſe ſpectaſſe teſtatus eſt, quam ut ſalva conſcientia, quae in rem regis eſſe videbantur, ea libere et citra cujuſquam injuriam exprimeret, et nobilitati is qui debetur honos a ſe haberetur. Tunc cardinalis Lotaringus, qui de priſtina auctoritate ſua aliquid indies decidi doleret, ut abſentia dignitatem tueretur, ſpecie paſcendi gregis [c] Durocortorum Remorum conceſſit.

VII. ACCIDIT et ſub id tempus, ut Henricus [d] Borbonius Belloprati marchio Rupiſurionii filius, cum vix XV annos ageret, et jam in illa aetate egregiam de ſe omnium ſpem concitaſſet, miſerabili admodum caſu perierit, inter currendum ex equo cadente lapſus, et a robuſto Caroli Roberti [e] Marciani Molevriae comitis concitato curſu ejus veſtigiis inhaerente equo conculcatus ac protritus. Quae mors non ſolum parentibus, qui unicum filium ſibi ereptum inſolabiliter lugebant, ſed univerſae aulae luctuoſa fuit. Qui res curioſius notant, obſervabant, familiae toto terrarum orbe illuſtriſſimae primum, ac noviſſimum heredem, eodem menſe deceſſiſſe.

VIII. HOC extremo anno bellum adverſus [a] Convallenſeis ſuſceptum eſt, quod in ſequentem deſiit, de quo nunc continuata ſerie dicemus. Eorum, qui a [f] Valdo, Sperone et Arnoldo, aliiſque hujuſmodi ante CCCC annos inſtructi ac perſuaſi a pontifice Romano defecerunt, ob idque crudeliter ubique exagitati ſunt, pars in Germaniam ac [g] Sarmatiam et inde in Livoniam uſque ad extremum ſeptentrionem tranſmigravit; pars in Italiam profecta in Apulia et Calabria conſedit; pars denique in [h] Provincia noſtra locis incultis et aſperis latuit, et in vicinis Alpinarum convallium radicibus perfugium habuit. Ac de [i] Merindoliis et Caprarienſibus, qui in Provincia remanſerunt, abunde in ſuperioribus diximus; nunc nobis de Convallenſibus ſermo inſtituitur. In [k] Subalpina regione atque adeo in [l] Cottiis Alpibus [m] Veſulo monti, ex quo [n] Eridanus nobiliſſimum Italiae flumen deſcendens orientem verſus curſum intendit, vallis Luſernenſis ſubeſt, a Luſerna oppido ad ipſius fauces ſito ita vocata; cui et aliae convalles connectuntur; [o] Angrunia, a fluvio cognomine, qui eam quaſi mediam dividit, itidem appellata: tum [p] Peroſiana et Sanmartiniana valles huic contiguae, quae a XV CIϽ circiter incolarum habitantur, eandem fere, quam a Valdo olim hauſerunt, religionem in hodiernum uſque diem profitentium. In eos a noſtris ante ultimam pacificationem, cum illae regiones, quae nunc majorem partem Sabaudo parent, Gallici juris eſſent, aliquoties ſevere animadverſum eſt. Nam cum anno LV apud Angrunios ineunte Sextili evangelii praedicatio juxta ipſorum

INTERPR. [a] *Pontoiſe.* [b] *de Silly, comte de Rochefort.* [c] *Reims.* [d] *de Bourbon, marquis de Beaupreau, fils de Charles de Bourbon, prince de la Roche ſur Yon.* [e] *de la Marck, comte de Maulevrier.* [f] *Valdo, l'Eſperon, & Arnauld.* [g] *Pologne.* [h] *Provence.* [i] *ceux de Merindol & de Cabrieres.* [k] *Piedmont.* [l] *Mont Cenis.* [m] *Mont Veſule.* [n] *le Po.* [o] *Angrogne.* [p] *de la Perouſe & de St. Martin.*

NOT. [a] *Convallenſes.* Ce ſont ceux, qui habitent és vallées d'Angrogne, Perouſe, Pragelas &c tant en Dauphiné qu'en Piedmont *Put.*

Digitized by Google

ipſorum inſtitutum palam fieri coepiſſet, [α] a [a] Taurinenſi ſenatu emanavit decretum, quo publici hujuſmodi conventus capitis addita poena interdicebantur. Et memoratur quidem ab iis, qui res eas in Convallenſium gratiam ſcripſerunt, inſigne divinae ultionis exemplum; cum quidam [b] Briquerate pago Jo. Martinus [c] [1] Trombantius nomine [d] Angrunienſi paſtori naris abſciſſurum ſe aliquoties minatus eſſet, haud multo poſt a lupo rabie efferato circumvenitur, qui naſum jactabundo homini dentibus avulſum devoravit: ex quo contagioſo morſu ipſe rabie ſtatim correptus miſerabiliter periit. Addunt ad rei miraculum, ab eo tempore nuſquam auditum, lupum illum quidquam damni cuiquam intuliſſe. [e] Angrunii vero non ſolum nihil decreto illo ac minis territi ſunt, ſed eorum exemplo Luſernenſes publicam concionandi libertatem eodem tempore uſurparunt. Anno inſequenti apud Sanmartineos ineunte menſe Martio itidem publici conventus religionis cauſa haberi coepti: quam eorum contumaciam [β] non ferens ſenatus e ſuo numero [f] Amatum Sanjulianum praeſidem, cum aſſeſſore cui [g] ab eccleſia nomen, mittit, qui ſedulo in eos inquirerent, omnique ratione eniterentur, ut ipſos ab incepto revocarent. Heic a Convallenſibus ſyndicatu facto exhibita fidei confeſſio eſt; qua illi ſe doctrinam veteri ac novo foedere atque apoſtolorum ſymbolo comprehenſam amplecti declarabant: ſacramenta item a Chriſto inſtituta admittere; quibus abunde Chriſtus dona ſua, beneficia, opes ac theſauros coeleſteis illis omnibus explicuerit ac contulerit, qui ad ea vera ac viva fide accederent: item IIII univerſalium conciliorum decreta amplecti, videlicet Nicaeni, Conſtantinopolitani, Epheſini et Chalcedonenſis: ad haec decalogi praecepta, quibus regula ſancte ac pie vivendi traditur: de cetero omnem a ſe ac ſuis coetibus iniquitatem eliminare, illicitas dejerationes, perjuria, diras imprecationes, contumelias, rixas, ſeditiones, crapulas, ebrietatem, ſcortationes, divinationes, ſortilegia, incantationes, furta, uſuras, praeſtigias et id genus averſari ac toto pectore deteſtari: credere vero ſupereminenteis poteſtates a Deo inſtitutas eſſe, quibus parere Deum vere timentibus neceſſe ſit; et quorum quiſquis imperium detrectaverit, eum cum Deo bellum ſuſcipere: hanc ſe fidem a majoribus traditam profiteri; qua in re ſi vel illi olim vel ipſimet nunc hallucinentur, cupere doceri et ex Dei verbo argui; pravas de religione opiniones e veſtigio ejeraturos, eique quod rectum ſit protinus adhaeſuros, ac pro tanto beneficio ei qui illos docuerit immortaleis gratias acturos. Tum inſtituta in ſpeciem magis quam ſerio diſputatio, in qua de ſolemni ſacrificio, poenitentia ac confeſſione privata, quam auricularem vocant, de traditionibus ac ceremoniis, de precibus propitiatoriis pro mortuis, de cenſuris actum: quae illi omnia fere rejiciebant, aut cum tali temperamento admittebant, ut rejectis quae voluntario cultu aut humana adinventione inoleverant, cetera quae expreſſo Dei verbo congruerent non aſpernarentur. De quibus cum Sanjulianus [h] Taurinum reverſus ad ſenatum retuliſſet, re agitata, de eo ad regem ſcribi placuit, et ſententiam ejus exquirere. At annus fere revolutus eſt, dum reſponſum ab aula aliis negotiis occupata exſpectatur: quo accepto Sanjulianus [i] Pinarolium venit, evocatiſque Angruniis et vicanis propinquis ex unoquoque binis ſyndicis eorum confeſſionem anno ſuperiore oblatam a ſenatu ad regem miſſam affirmat; regis vero juſſu diligenter a theologis orthodoxis excuſſam, ut erroneam et a vera religione alienam consentientibus

CIↃIↃLX.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] mox a D. f. o. d. [β] ac pertinaciam non D. f. o.

INTERPR. [a] *ſenat de Turin.* [b] *Briqueras.* [c] *Trombault.* [d] *miniſtre d'Angrogue.* [e] *ceux d'Angrogue.* [f] *Aimé de St. Julian preſident.* [g] *de Eccleſia, aſſeſſeur.* [h] *Turin.* [i] *Pignerol.*

NOT. [1] *Trombantius.* C.

CIↃIↃLX.
CAROLUS IX.

conſentientibus ſuffragiis damnatam eſſe: proinde edicere regem, ut ea abjecta ſacrae Romanae eccleſiae obſequio ſe ſummittant: ni faciant, corpora ac bona fiſco addictum iri. Copiam mandatorum petiere legati; quibus editis non abſque praeſidis indignatione ſibi fidem non haberi frementis, triduum conceſſum eſt, intra quod iis parerent. Sanjulianus Luſernam inde pergit, ibique coacto concilio cum mandata regia urgeret, illi unanimi conſenſu confeſſioni ante propoſitae haerentes petunt, ut ea examinetur, et ſi quid in ea peccent, ſincere ac benigne admoneantur. Cum nihil minis, nihil blanditiis proficeret praeſes, edicit, addita capitis poena, ut paſtores ac ludimagiſtros ſuos coram ſenatu ſiſterent. Cum ne ſic quidem eos ad officium reduceret, ſenatus auctoritatem interpoſuit, decreto facto miſſoque apparitore, qui illud per eas regiones promulgaret. Ejus ſumma erat, ne quem paſtorem reciperent, niſi ab archiepiſcopo Taurinenſi miſſum, aut a ſenatu approbatum: more majorum viverent: ſi quis concionator Geneva aut aliunde profectus clam ad eos accederet, eum indicare, aut etiam comprehendere tenerentur. Praemia delatoribus propoſita. Indicta item capitis ac publicationis bonorum poena contra illos, qui non obtemperarent. Ab eo tempore, ſive quod ſeveris illis in ſpeciem decretis officio ſatisfactum exiſtimaret ſenatus, et alioqui placidos homines irritare nollet, ſive Helvetiorum et Germaniae principum Proteſtantium, qui pro iis apud regem aſſidue deprecabantur, id gratiae datum ſit, toto triennio Convalleſes nulla moleſtia affecti ſunt; donec pacificatione facta [a] Sabaudus, poſtquam earum regionum poſſeſſionem adeptus eſt, pontificis inſtigatu ac rogatu, quamvis aegre et contra animi ſententiam, bellum adverſus eos hoc anno ſuſcepit. Principium ineunte Martio a ſeveris in miſeros homines animadverſionibus factum. Captus Jo. [b] Carquinianus Mathurinus et ejus uxor; ac triduum poſt, cum confeſſionem ſuam Sabaudo miſſam, ſed non oblatam pertinaciter tuerentur, flammis uſtulati ſunt. Saevitum et in [c] Meanenſeis, Arquenſeis, Meronenſeis ac Suſionenſeis, direptis eorum bonis: pars extremo ſupplicio affecti, amplius LX ad triremeis damnati ſunt: alii ſupplicii metu ejerata quam profitebantur religione periculum evaſerunt. Tum delecti tres, Thomas [d] Jacomellus profeſſione Dominicanus, fidei ut vocant inquiſitor; [α] [e] Turbis aſſeſſor, homo vehemens; et [f] capitalium rerum praefectus; qui [g] Cariniano venere cum mandatis, ut in ſuſpectos diligenter ac ſevere inquirerent. Caroli tamen Luſernenſis comitis et [β] Angruniae aliquot nobilium interventu ac commendatione factum eſt, ut remiſſius cum iis ageretur. Nec Pinarolenſis coenobii, quod haud ita longe ab oppido abeſt, ſodales interea ceſſabant: nam cum huc et illuc commeantibus Convallenſibus ante coenobium in faucibus Alpium ſitum neceſſario tranſeundum eſſet, eos manu armata, quam ad id alebant, interceptos crudeliter divexabant.

IX. CAPTA etiam occaſione plerique ex nobilitate illarum vallium, ut res ſuas ex miſerorum direptionibus ac proſcriptionibus augerent, quaſi gratum principi ſuo facturi, in ſubditos ſaeviebant: inter quos Carolus et Bonifacius [h] Truchesii fratres ceteros immanitate ſuperabant: et Carolus quidem, cum ſuperiore anno concionatori ſubornatis hominibus manus injicere tentaſſet, excitata ob id ſeditione, a ſubditis ſuis mortis periculum adierat: quam injuriam domino ſuo, quamvis, ut ipſi aiebant, in alia graviore repellenda factam, aeſtimata lite CIↃ IↃC aureis redimere coacti fuerunt. Inde ille irritatior cum fratre

uti

VAR. LECT. [α] Curbis. *D. f.* [β] Angroniae. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *duc de Savoie.* [b] *de Carquignan Mathurin.* [c] *ceux de Meane, de l'Arche, de Merone, & de Suſe.* [d] *Jacomel, Jacobin.* [e] *Turbis. La Popelinere l'appelle le Colateral* (i. e. *l'Aſſeſſeur*) *Corbis.* [f] *prevoſt de la juſtice.* [g] *Carignan.* [h] *Truchets.*

IIII Non. Apr. explicatis ſignis et tympanis adhibitis [a] Reuclaretum vicum ſibi ſubditum nec opinato aggreditur: quo viſo vicani cum uxoribus ac [*] puerulis utriuſque ſexus in montem vicinum nivibus opertum per avia enituntur, majorem partem nudi, ubi per treis continuas noctes manere coacti frigore paene exanimati ſunt. Paſtor eorum, qui nuper ex Calabria redierat, cum Sanmartineo quodam vicano ignibus traditus eſt. Tum direptae vicanorum aedes: nec prius hinc diſceſſum, quam miſeri homines ſe Romanae eccleſiae in poſterum obedientes fore promitterent: verum inopinatus caſus eos fidei datae religione liberavit. [b] Prati-gelati vicani, qui ad regiam ditionem pertinent, et ipſi Valdi doctrinae addicti indigne ferentes Reuclaretinorum calamitatem, CCCC illuc mittunt, qui praedae intentum militem abigerent, et fugitivos aedibus ſuis reſtituerent. Illi cum Truchesianis copiis nocte intempeſta congreſſi poſt acre certamen eos fundunt, nullo ex ſuis amiſſo; Carolus vix fuga ſe periculo eripuit. Heic quando Pragelatenſium mentio primum incidit, locus poſtulat, ut de [c] Convallenſibus Gallicae rei ſubjectis aliquid dicamus. [d] Ebroduno, quae maritimarum Alpium metropolis eſt, ortum verſus tendenti, cum V leucas circiter proceſſeris, ad dextram [e] Queracenſis vallis porrigitur, ad laevam [f] Fraxinea ſubeſt, inter quas [g] Ramae olim magnae civitatis rudera viſuntur: inde ſuperato montis dorſo, per impedita et ardua loca panditur via admodum anguſta, in ſaxo humana induſtria exciſa, quae ab accolis Hannibalis via etiam hodie dicitur; ut per me quidem in poſterum quieſcere ac tacere liceat iis, qui tanta contentione inter ſe digladiantes deſudant, ut Hannibalis in Italiam iter inveſtigent, cum id eis quilibet obvius in illis locis indicare poſſit. Ab ea via [h] Brigantionem itur, cui ad laevam rurſus [i] Loiſina vallis ſubjacet, ita dicta ab [k] Loiſio XII, qui illac in Italiam tranſiens, cum magnam Valdenſium lanienam edidiſſet, poenitentia facti ductus nomen loci mutavit, et cum antea [l] Meretricia ob adulteratam religionem contumelioſe a vicinis appellaretur, de ſuo nomine deinceps eam vocari voluit. Tandem ſuperato [m] Genebra monte, [n] Ocellis et inferius [o] Suſione ad laevam relictis, ac tranſmiſſo rurſus oppoſito jugo, vallis [p] Cluſonia trans Alpeis aperitur, a [q] Cluſone fluvio, qui inter [r] Pinarolum et [ſ] Briqueratem pagum lapſus tandem in [s] Padum influit, ita appellata: in ea Pratum-gelatum vicus eſt populo frequens, unde miſſi auxiliares. In ima Cluſonia [t] Peroſia eſt Sabaudicae ditionis initium: poſtquam [u] Martini ſanum ad dextram, et rurſus [v] Joannis ſanum ulterius progredientibus occurrit in [w] Angrunia valle omnium frequentiſſima et re omni ad victum neceſſaria abundanti, quae reflexo meridiem verſus per [x] Bobiacam vallem ſinu cum Queracenſi, quae regiae ditionis eſt, tandem connectitur. Harum omnium maxime horrida et agreſtis Fraxinea, quippe cujus ſterile et incultum ſolum, ob idque egentiſſimi ſunt accolae. Iis veſtitus ex pellibus ovium, quas deſiccatas et ſalitas cum lana ſuccida viri pariter et foeminae induunt, et anterioribus pedibus fibulae vicem ad collum, poſterioribus infra ventrem ſubnectunt, exertis brachiis; eo tantum diverſo foeminarum a viris amictu, quod hi vili ſubligari inferiora, foeminae ſtola, quae paulo infra genua neque ultra protenditur, tegunt. Praeterea pro caliendro involucrum linteum habent: alioqui nullus lintei neque in veſtitu neque in lectis apud eos uſus. Nam veſtiti fere ſomnum capiunt, ſtramine ſubjecto, et pellibus ovillis tecti.

CIƆIƆLX.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [*] puerili ſexu in D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Bauclaret.* [b] *Pragelas.* [c] *ceux des vallées de Dauphiné.* [d] *Embrun.* [e] *de Queras.* [f] *de la Fraiſſinere.* [g] *Rame* [h] *Briançon.* [i] *de Loiſe.* [k] *le roy Louis XII.* [l] *Val pute.* [m] *mont Geneyre.* [n] *Exilles.* [o] *Suſe.* [p] *val Cluſon.* [q] *Chiuſon r.* [r] *Pignerol.* [ſ] *Briqueras.* [s] *le Po.* [t] *Perouſe.* [u] *St. Martin.* [v] *St. Jean.* [w] *val d'Angrogne.* [x] *val de Bobbio.*

CIↃIↃLX. Carolus IX. tecti. Septem vicis omnino habitant, et domos e ſilicibus conſtructas habent tecto plano et luto congeſto, quod imbribus corruptum aut ſolutum cylindro rurſus aequatum concinnant. In iis promiſcue homines et jumenta ſtabulantur, ſepe tantum interjecta; ſpeluncis praeterea duabus ad fortuita ſepoſitis, in quarum altera greges ac jumenta abſcondunt, cum periculum ab incurſionibus immioet, in alteram ipſi ſe recipiunt: in iis fornices fontibus manantes ſtillicidio congelato innumeras animalium et aliarum rerum figuras incredibili ludentis naturae artificio exprimunt, et lumine ab antri oſtio accepto lacubus binis inibi e ſpecu ſcatürientibus et in ſe abſorptis repraeſentatae jucunditatem ſimul et ſtuporem ſpectantibus afferunt. Lacte et ferina vivunt, pecuariam exercentes, ſcloppetarii optimi et certis ictibus dorcadas, ibices et urſos figere peritiſſimi; quorum carnibus fere impuris veſcuntur, ex earum aſſiduo eſu ac ſqualore tanta graveolentia contracta, ut e longinquo nareis feriant, vixque ab advenis ferri poſſint. His opibus beati aequali omnium paupertate nullos mendicos habent; et ſeipſis contenti raras amicitias, nullas cum aliis adfinitates colunt. In tanta tenuitate immo miſeria ac paedore degentibus, quod et horrida ac deformi ſpecie prae ſe ferunt, eſt quod mireris, quod non incultis omnino moribus ſunt: nam nemo apud eos neſcit literas, et ſcribere commode ſciunt; linguamque Gallicam callent, quatenus biblia intelligere et pſalmos canere poſſint. Nec quenquam temere inter eos puerum reperias, qui interrogatus fidei, quam profitentur, non expedite ac memoriter rationem reddat; quod illis cum ceteris Convallenſibus commune eſt. Tributum religioſe pendunt; idque ſecundum Dei cultum in ipſorum fidei confeſſione praecipuum eſt: quod ſi bellis civilibus prohibeantur, illud nihilominus coactum ſeponunt, et cum per pacem licet, coactoribus regiis ſtudioſe exſolvi curant. Ad [a] Trucheſios redeo; qui clade a [α] Pragelatenſibus illata irritati, deque injuria apud Sabaudum conqueſti, ab eo muniendae Sanmartineae arcis a noſtris ante XX annos deſtructae mandatum impetrant: in qua conſtituto praeſidio vicanos divexarent. Dum feſtinatis operibus locus munitur, illi [b] Nicaeam, quo ad principem venerunt, dum animi gratia in mare ſecundum litus excurrerent, ab actuaria [β] Turcorum nave circumventi cum aliis in miſeram ſervitutem abducuntur; ex qua poſt varios et contumelioſos cruciatus vix tandem eelata nobilitate ſe redemerunt. Incidit ſub idem tempus, ut Sabaudus ipſe graviter aegrotaret; quod oonnihil laxamenti Valdenſium rebus attulit.

X. Nec multo poſt Philippus [c] Sabaudus, Raconii comes, homo bonus et patriae quietis admodum ſtudioſus, in inferioris [γ] Angruniae partes deſcendit, et non ſine magna aſtantium admiratione concioni, quae tunc forte habebatur, interfuit. Qua benigne audita paſtores ſevocat, et pauca de principis aegritudine praefatus nequaquam iſtas perſecutionum procellas illius juſſu excitatas affirmat; rogatque eos rationem inirent, qua ipſius animus mitigari poſſet. Ad quae verba, non aliam ſe rationem videre reſpondent, quam ſi ipſi de vicanorum innocentia conſtet: ob id antea per Carolum Luſernae comitem ei libellum offerri curaſſe, quo capita ſuae confeſſionis continebantur, ſed neſcire an ad illum perlatus ſit: proiode orare ipſum oboixe, ut in miſerorum hominum gratiam eodem officio apud prioeipem perſungi dignetur; oblatiſque tribus libellis, unum principi, alterum Margaritae uxori, in cujus aequitate magnum praeſidium ponebant, tertium ſenatui tradi petunt. His acceptis et re in principis concilio agitata,

VAR. LECT. [α] Pragellenſibus *ubique*. *D.* F. O. [β] Turcorum *deeſt*. *D.* F. [γ] Angroniae *ubique*. *D.* F. O.

INTERPR. [a] *Truchets.* [b] *Nice* Ital. *Nizza.* [c] *de Savoie, comte de Raconis.*

agitata [a] Raconius Junio exeunte cum L. [b] Coſta Trinitatis comite ad Convallenſeis redit; et profeſſionem quidem eorum Romam miſſam ait, ad eamque reſponſum propediem expectari. Tum poſt levem cum paſtoribus velitationem ſyndicos rogat, num ſolemne ſacrum inter eos celebrari jubenti Sabaudo repugnaturi, et theologos, qui ad ipſos docendos ab eo mitterentur, admiſſuri et audituri eſſent, ceſſantibus interea ipſorum concionatoribus: cum ad primum negarent; ad ſecundum conditionem adjicerent, ſi Dei verbum pure exponerent; ad tertium prorſus repugnarent; illi a principe mandatum promunt, quo jubebantur vicani a ſua ditione paſtores externos quamprimum expellere, quaeſito colore, quod illi de hoſtili adverſus principem animo ſuſpecti eſſent. Cum nihil obtineri ea via potuiſſet, rurſus edicta contra Valdenſeis renovantur, et ſeverae punitiones magis ac magis recrudeſcunt. Inde miſſa [c] Germani-ſanum cohors, qui vicus eſt in [a] Peroſia valle. Captus paſtor cum multis aliis, qui lento igne cremati ſunt. Vicani bonis ſpoliati domos ſuas deſerere, et in vicinos montes ad tempus concedere coguntur. Tandem quotidianis Pinarolenſium ſodalium injuriis adacti, conſilio a paſtoribus exquiſito et venia petita, ad vim repellendam ſe comparant, moniti, ut quantum in ipſis eſſet, ſanguini parceretur. Verum ſumptis ſemel armis ab offenſis ac longa patientia exacerbatis fruſtra modum exigas. Cum igitur Angrunii in monte Germani-ſano oppoſito ſegetibus demetendis Quintili inſtante operam darent, audito ſcloppetariorum Sangermano venientium ſtrepitu, ſtatim ſigno dato arma expediunt, et per ſumma et ima montium conglobati undique accurrunt: ex quibus L circiter locorum gnari praeda onuſtos milites, qui CXX erant, magno impetu aggrediuntur et fundunt, tergis fugientium eo uſque inhaerentes, donec ad pontem [d] Cluſoni impoſitum venere; cujus aditu interclusi, pars ſe in ſubjectum flumen praecipitavit, pars ferro periit, paucis admodum elapſis: mox ad gladiorum crepitum confluentibus plus CCCC e ſuo numero, victores impetum capiunt, [e] Pinarolenſe coenobium, quod haud amplius milliari abeſt, petere, et foribus effractis ſocios, qui crudeliter illic captivi adtinebantur, cuſtodia liberare: ſed re in craſtinum dilata, interea ſoliciti paſtores advenere, quibus dehortantibus a conſilio revocati ſunt. Secundum haec [f] Foſſani praefectus XII Kal. Oct. cum aliquot e nobilitate Angruniam venit, a principe ſe miſſum dictitans; vocatiſque ſyndicis libellum principi oblatum repraeſentat; quem cum illi agnoviſſent, diſputatio inſtituitur, quae in jurgia tandem deſiit, renovata paſſim vexationum intermiſſarum invidia. Jamque exeunte Octobri conſcripti a principe in Valdenſeis ac propediem venturi exercitus fama percrebuerat, condonata ob crimen profugis ac contumacibus venia, qui ad Valdenſeis profligandos militiae nomen darent. Ad quam Luſernenſes et Angrunii paſtores cum ſyndicis coacti deliberatione habita unanimi conſenſu ita cenſuerunt, vitam non eſſe armis adverſus principem tutandam; verum aſportatis ex bonis quae commode poſſent in proximos montes ſecedendum, ibique Dei gratiam, qui ſuos nunquam deſerat, et principum ut velit corda molliat, opperiendam. Interea jejunium indicunt, et adverſus hoſtileis impetus coena Dominica ſuo more ſumpta ſe muniunt: nec quiſquam in tanto numero repertus eſt, quantumvis durum videretur lares ac charitates deſerere, qui decreto evulgato non aequo animo paruerit. Non defuere poſtea alii paſtores, qui ſententiam contrariam defenderent; nimirum licere

in

VAR. LECT. [a] Peruſia *ubique*. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *comte de Racons.* [b] *de la Coſte, comte de la Trinité.* [c] *St. Germain.* [d] *Chiuſon r.* [e] *abbaye de Pignerol.* [f] *Foſſano.*

CIƆIƆLX. CAROLUS IX.

in tanto diſcrimine ac paene deſperatis rebus hoſtium impetum armis repellere, praeſertim cum nequaquam contra principem, ſed adverſus pontificem, qui principis opibus abutatur, neque in cauſa religionis, ſed pro uxorum ac liberorum ſalute arma ſumantur. Cui tamen ſententiae minime aſſenſere miſeri homines; [a] qui a Carolo [a] Luſernenſi comite de ipſorum ſalute ſolicito moniti, ut ſe principi ſuo morigeros praeberent, et imminentibus periculis in tempore praevenirent, in propoſito conſtanter perſtitere. Demum IIII Non. Nov. principis copiae ad Luſernenſium confinia deſcendere, ductore et inſtigatore [b] Trinitenſi magni nominis illis locis imperatore, qui Caeſaris, Philippi ac Sabaudi ſigna ſemper ſecutus fuerat, cum [c] Benae comes illius frater à noſtris partibus ſtetiſſet. Levibus ibi proeliis primo certatum; ſtatimque dilapſis in montes Convallenſibus et obſeratis ab iis aditibus [d] Joannis-ſanum in [e] Angrunia veniunt, atque in [f] prato Torni dicto exercitum luſtrant, interceptis aliquot ex vicanis, qui nondum ſe ad ſuos receperant. Cum per vineta ad occupandos a tergo aditus properaret miles, vicani ex neceſſitate ad arma, quae detrectabant, tandem devenere, fundis et balliſtis fere inſtructi et exiguo admodum numero; et eum ſe variis locis oppugnari ac quodammodo circumvallari cernerent, prout hoſtes inſtabant, continuo ad ſumma ſenſim enitebantur; et ubicunque locus aut occaſio pugnae accommodata ſe offerebat, ibi pedem figebant, ſtrenue ſemper dimicantes, atque ita pugnam in noctem nullo gravi damno accepto extraxere. Trinitenſis apud [g] Turrim caſtrametatur, qui vicus in Luſernenſi valle ampliſſimus ad radices montis inter Angrunios ac ceteros loci accolas ſitus eſt, et ab hominibus ſumme Valdenſibus infeſtis habitatur: et quanquam ii ultra modum exoptarent, ut bellum illis inferretur, nimia tamen vicinia effectum eſt, ut calamitates, quas vicinis paratas gaudebant, in ſe receperint, amiſſis opibus, et ad extremam inopiam ipſi redacti. In eo vico Trinitenſis juſſu ſtatim munimentum a Gallis olim dejectum inſtauratur, ac praeſidio firmatur: [h] Villaria item, Peroſina et Sanmartinea arces a milite occupantur. Contra tot ingruentium malorum procellas Angrunii cum in viribus humanis parum praeſidii cernerent, quod unum ſuperabat, verſis ad Deum precibus auxilium ab eo implorabant et praeſtolabantur, animo obfirmati, in ea, quam profitebantur, religione ad extremum uſque ſpiritum conſtanter perſeverare, niſi erroris manifeſto divini verbi teſtimonio arguerentur; Peroſinis interea, Sanmartineis et [i] Pragelatenſibus noſtratibus ſolicitis, ut in communi cauſa vota, opes ac conſilia conjungerent. Quod ubi vidit Trinitenſis, veritus, ne deſperatio novum paene victis robur adderet, ut eorum vireis divideret, miſſo ad Angrunios puero ſpem veniae facit, ſi ſupplices poenam deprecati veniam a principe peterent; coramque eorum legatis teſtatus eſt, principem, etiamſi ſciret, pontifici ac ceteris Italiae principibus ac civitatibus firmum ac ratum eſſe, Valdenſium gentem ad internecionem delere, et ad id ab iis omni ratione incitaretur, tamen divinitus monitum cum ipſis mitius agere decreviſſe: his accedere, quod principis uxorem, cui vir multum deferat, propitiam habeant, palam dicere ſolitam, populi hujus habendam rationem, qui religionem non heri neque nudius-tertius, verum per tot jam ſaecula a majoribus traditam colant. Quibus verbis ſumma humanitatis ſignificatione prolatis perſuaſi Angrunii, cum Trinitenſis ad eos veniſſet, et ſolemne ſacrum, cui cum ſuis interfuit, in [k] Laurentii fano celebrari juſſiſſet, illi conditionem accipiunt, et ſupplicem libellum ad principem conſcribunt; cujus haec ſumma erat:

quoſdam

VAR. LECT. [a] qui nihilominus. *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Luſerne.* [b] *comte de la Trinité.* [c] *Bene.* [d] *St. Jean.* [e] *Angrogne.* [f] *Pré du Tour.* [g] *la Tour.* [h] *de Villars, Perouſe, & St. Martin.* [i] *ceux de Pragelas.* [k] *St. Laurent.*

CIƆIƆLX.
CAROLUS IX.

quoſdam e ſuo numero miſiſſe, qui promptiſſimam ei et qualem a ſubditis deceret ac demiſſam obedientiam deferrent, et pro iis, qui deploratiſſima neceſſitate et quaſi deſperatione adacti arma ſumpſiſſent, quorum occaſione offenſionem ipſius concitaſſent, veniam exorarent: de cetero vim conſcientiis ſuis deprecarentur, rogarentque, ut nullis Romanae eccleſiae traditionibus obligare ſe cogerentur, et cum bona ejus gratia liceret religionem a patribus acceptam ac conſcientiarum libertatem ſervare. Ei libello [a] Sanjoanini, Rupiplani, Sanbartholomaei ac Peroſini ſubſcripſere, qui aderant. Poſtea Luſernenſes re ad eos relata, et a ſyndicis ac paſtoribus perpenſa, aſſenſum praebuere, ac poſt eos [b] Villarienſes. Non eodem modo habiti a [c] Trinitenſi [d] Talliaretini, quod ſerius aſſenſiſſent, et alioqui Angruniorum ope, dum ultro citroque commeatur, quoſdam e ſuis male mulctaſſent: nam et tradere arma, et humi genibus poſitis poenam deprecari, ac veniam ſupplices petere juſſi ſunt. Quo facto [e] [1] Bovetios exercitus ducitur, ut eorum, qui ſubſcripturi eſſent, nomina annotarentur. Verum milites damni accepti memores facto in nec opinanteis impetu conſilium retardarunt, per triduum continuata depraedatione injuriam ulti. A Talliaretinis in Villarienſeis verſa militis rabies, quos miſere, captivis pleriſque abductis, divexavit. Id ſibi ex animo dolere prae ſe tulit Trinitenſis, quod contra pactorum fidem fieret, puellae caſum ſupra modum impatienter ferens, quae cum pudicitiae ſuae vim parantium militum ſe manibus extricaſſet, inſtantibus iiſdem praecipitem e rupe praerupta ſe poſtremo dedit, ut furentium graſſatorum libidinem morte generoſa eluderet. Nam praecipua caſtitatis cura et honos inter [f] Valdenſeis; adeo ut vicini, qui alioqui ab eorum religione alieni erant, ut filiarum ſuarum pudicitiae conſulerent, vim a licentioſo milite veriti, eas Valdenſium curae ac fidei committerent. Tum imperata XX CIƆ aureorum a Trinitenſi ad alendum militem: quam ſummam cum exſolvere non poſſent egeni homines, principis benignitate VIII CIƆ tantum exacta ſunt: [a] eamque pecuniam grandi et immodico foenore a negotiatoribus mutuo ſumpſere, vaccis ſuis oppigneratis aut venditis, cum eam aliunde conficere non poſſent; quippe anguſta anni praecedentis annona, ac rei frumentariae tanta caritate, ut tritici ſaccus vulgo VI aureis, interdum etiam VIII veniret. Exſoluta pecunia non tamen deductus miles, ut ſibi perſuaſerant Valdenſes: ſed Trinitenſis ante omnia vicanorum arma in arces a principe muniri juſſas comportari imperat; tum VIII CIƆ aureorum, quorum gratiam Sabaudus fecerat, repoſcit; ad quorum ſolutionem eos ut ſe obligarent poſtremo adegit. Addita et nova conditio, cui niſi ſatisfieret, non prius ſe finibus eorum exceſſurum pronunciat; nimirum ut paſtores expellerent. Itaque conſenſu omnium ac judicio decretum eſt, ut tantiſper illi ſecederent, dum militares copiae ſummoverentur. Emiſſi illi non ſine Convallenſium lachrimis per [g] Sanmartinei montis fauces nivibus ſolito majoribus impeditas, ut militum inſequentium rabiem effugerent. Cui conditioni, cum dubitare ſe fingeret Trinitenſis, an bona fide ſatisfactum eſſet, libertas data militi paſſim per privatorum domos ſcrutandi et ſurſum deorſum omnia verſandi; unde occaſione ſumpta, cum omnia reſerari juberent, novam praedandi commoditatem captabant. Cum Angruniis initio mitius actum ex pacto, quibus paſtorem unum retinere permiſſum eſt; quo tamen aufugere per avia tandem coacto, nova ex eo graſſandi occaſione ſumpta, milites non ſolum illius aedeis, ſed Angruniorum pleraſque diripiunt;

VAR. LECT. [a] quam pecuniam. *D. f.*

INTERPR. [a] *ceux de St. Jean, Roccapiata, St. Barthelemi, & Perouſe.* [b] *ceux de Villars.* [c] *comte de la Trinité.* [d] *ceux de Tailleret.* [e] *aux Bonnets.* [f] *les Vaudois.* [g] *col de St. Martin.*

NOT. [1] Lege *Bonetios.* *C.*

CIƆIƆLX. CAROLUS IX. diripiunt; ſyndiciſque injungunt, ut fugitivum repraeſentarent; ni facerent, ferro ac flammis [a] Angruniam vaſtatum iri ſibi perſuaderent. Poſt exuſtam paene Angruniam, corruptas molatrinas, plebem expilatam et innumera admiſſa flagitia tandem exercitus deducitur: inter quae hoc memoratur, quod a [b] Turrinis praeſidiariis patratum eſt. Hominis LX circiter annos nati manibus poſt tergum revinctis ad ſcamnum alligati umbilico ſcarabaeum teſta tectum admovent; qui fodicare ac rodere nunquam deſiit, donec in ejus alvum penetravit, et miſerum captivum truculento et inaudito mortis genere enecavit. Haec dum legati ad principem, qui [c] Vercellis erat, proficiſcerentur, acta: quo tempore tantum habitae in occulto per Angruniam conciones, ne principis animus irritaretur, neve legationis ad eum miſſae negotium diſturbaretur, militi laſcivia geſtienti oblata nocendi occaſione. Alioqui Angruniis decretum erat, ubi legati rediiſſent, ſive ex animi ſententia confecta re, ſive ſecus, palam conciones habere, neque amplius quicquam in militum alimoniam ſuppeditare, aut in poſterum pati, ut miles apud ſe hoſpitium caperet. Legati autem illi, cum ex compacto XXXX dies Vercellis detenti eſſent, tandem poſt aliquot velitationes vi, ut aiebant, fidem dare coacti, ſe denuo ſacrificium ſolemne amplexuros recipiunt. Itidem poſt impetratam pro ſumptis armis a principe veniam, [a] eandem et a pontificio oratore petere coguntur, licet initio recuſarent.

XI. CALAMITATES, tam quae huic [d] Subalpinae regioni incubuerunt, quam quae Galliam noſtram poſtea per tot annos ob religionis cauſam divexarunt, multa tunc coeli ſigna praeſagierunt. Nam et [e] Claraſci et [f] Travillae ignis in aere per trihorium viſus eſt, et in planitie, [g] Centalium juxta, maximus equitum numerus turmatim conſpectus, atque haud longe terrae motus tanquam quadrigae ſonantis auditus. [h] Aureliani quoque apud nos, dum comitia celebrarentur, cometa [β] apparuit Decembri menſe, certiſſimus regis mortis nuncius: quo eodem menſe Viennae in Auſtria terrae motus fuit, quem coruſcationes, fulmina et foedae tempeſtates ſecutae ſunt. Templum quoque B. Stephani de coelo tactum, atque coelum paſſim ardere viſum. Viſi et duo in Polonia exercitus concurrentes; quorum ſeptentrionalis victor fuit. In [i] Boruſſia etiam ſanguine pluit: et per agrum [k] Wirtembergicum in Suevia VI Kal. Jan. terra dehiſcere conſpecta eſt: ac ſequenti die ignis ampliſſimus per totam Germaniam paulo ante ſolis ortum apparuit, qui longitudine IIII ſtadia, latitudine I occupabat; ut homines crederent urbem incenſam, et ad incendium reſtinguendum undique fieret concurſus.

XII. ITA conſumpto toto Decembri, anno ſequenti ineunte Convallenſium legati ad ſuos revertuntur. Ac Luſernenſes quidem et [l] Bobiaceni, re intellecta, ſimul dolore et indignatione incitati, ad [m] Pragelatenſes ac ceteros ditionis regiae Convallenſes ſcribunt; eoſque negotii certiores factos conſilium in communi cauſa et opem poſcunt. Re conſultata foedus iniri placuit inter regis ac Sabaudi populos his legibus, ut doctrinam, quam quaſi Dei verbo congruentem profitebantur, conſtanter retinerent, ſuis principibus obedientiam ac fidem juxta Dei praeceptum ſervarent; nulli ex Valdenſium populo quicquam in religionis negotio polliceri, tranſigere, aut paciſci in poſterum citta univerſorum conſenſum et auctoritatem liceret. Venere ob id a noſtrae ditionis Valdenſibus legati Bobiacum: quorum adventu ſtatim cogitur concilium. Tum multitudine audaciores

VAR. LECT. [a] quam. *D. f. o.* [β] XXVIII apparuit. *D. f.*

INTERPR. [a] *Angrogne.* [b] *de la Tour.* [c] *Verceil.* [d] *Piedmont.* [e] *Chieraſco* ou *Queras.* [f] *Travighia.* [g] *Cental.* [h] *Orleans.* [i] *la Pruſſe* [k] *pays de Wirtemberg en Souabe.* [l] *ceux de Bobbio.* [m] *ceux de Pragelas.*

ciores facti vicani non ſolum conditionibus a principe propoſitis et a legatis promiſſis non aſſentiuntur, verum in ſententiam de foedere cum Pragelatenſibus percutiendo cuncti unanimes eunt; et ur facinore inſigni illud ſancirent, manę in Bobiaci templum ingreſſi arcubus ac balliſtis armati, quaſi concionem audituri, imagines paſſim et altaria humi dejiciunt ac confringunt. Inde habita concione [a] Villarium eodem animo et pararu contendunr; et in itinere obvios factos praeſidiarios, qui ad Bobiacenorum vicum, cui [b] vallis Guicciardi nomen, diripiendum cum impetu ruebant, non ſolum ſiſtunt, ſed fundis et lapidum imbre verberaros pellunt; er Villarium profecti, quod deſtinaverant exſequuntur, ſtatuaſque ac templorum aras demoliuntur. Qui vero Bobiacum venerant, praefectus Luſernenſis ac plerique ex nobilitare, ur conditiones a Sabaudo impoſitas executioni demandarent, et eorum, qui ſacrificium amplexuri eſſent aut contra detrectarent, nomina deſcriberent, ubi eam rerum faciem videre, animo conſternati in arcem confugiunt; in qua x dies obſeſſi ſunt: [c] Turrenſis praefectus ſuppetias obſeſſis laturus medio tempore a Valdenſibus caeſus ac fuſus eſt. Tandem aquae penuria cum laborarenr obſeſſi, non exſpectato [d] Trinirenſis auxilio dedirionem faciunt, vitam ac res ſalvas pacti; nec prius egredi auſi, quam ab iis ipſis paſtoribus, quos tantopere exagitaverant, fide accepta. Poſtea Trinirenſis IIII Non. Feb. [e] Luſernam cum exercitu venit, et [f] Joannis-fanum praeſidio firmat. Tum mutata Angruniorum paſtorum ſententia, communique conſenſu decretum, religionem in poſterum armis tuendam ac propagandam; foeduſque cum Pragelarenſibus ictum ab Angruniis confirmatum eſt. Procedente Trinitenſis exercitu juxta [g] Somelletum in Angruniorum confinibus, ad munitiones tumultuaria opera ex ſilicibus a vicanis exſtructas, ad veſperam uſque pugnatum eſt, paucis utrinque deſideraris. Quinto poſt die Trinitenſis progreſſus in Angruniam, amiſit ex ſuis pleroſque, ita ut prior receptui cani juſſerit, effuſo in domos deſertas a vicanis, qui in [h] Torni-prato perfugium habebant, furore, quas ad CIƆ amplius incenderunt. Pratum illud vallicula eſt in Angruniae confinibus, anguſta admodum, quae per duo millia paſſuum porrigitur, et CC fere caſulis habitatur; a meridie et ſeprentrione montibus praeruptis convallatur; aliis partibus ad eam aditus, ſed per ſemitas admodum anguſtas et horridas, patet; quibus et amne, etſi minime profundo, tamen circumciſis ripis cincto, clauditur. In eum locum paſcuis et ſaluberrimis fontibus de cetero commodum, vicani tanquam in tutiſſimum aſylum cum exiguo commeatu confugerunt, inſtaurato e veſtigio ad uſus neceſſarios piſtrino. Primus impetus a Trinitenſibus in [i] Roſatum factus; aliquoties repulſi tandem eo potiti ſunt, et Valdenſeis in eo repertos flamma ferroque ad internecionem deleverunt. Qui periculum evaſere, in Luſernenſem vallem ſe receperunt; ubi mulieres manu infantulos trahenres totam noctem facto itinere tandem venientibus Luſernenſibus miſerabile utique ſpectaculum occurrere. Trinitenſis inde tribus partibus in Luſernenſem vallem deſcendit, reſiſtentibus initio gnavirer, qui aditus ſervabant: ad extremum cum ſe undique circumventos viderent, paulatim pugnando retroceſſere Villatium uſque vicum ampliſſimum, ſed muris deſtitutum; quem et mox praetergreſſo in planitiem equiratu deſerere coacti ſunt; dilapſis per montium vicinorum juga invalidis et imbelli ſexu. Incenſae dein ab hoſte domus, et qui in iis reperti ſunt crudeliter omnes trucidati. Aliquanto poſt Torni-pratum tribus

INTERPR. [a] *Villars.* [b] *val Guichard* [c] *gouverneur de la Tour.* [d] *comte de la Trinité.* [e] *Luſerne.* [f] *le prieuré de St. Jean.* [g] *la Sommeillette.* [h] *Pré du Tour.* [i] *Roſà.*

CIↃIↃLXI. CAROLUS IX.

tribus partibus, qua ad orientem vergit, invaditur: inibique diu et acriter pugnatum fuit, iniquiore Trinitenſium conditione; quippe cum vicani ſe munitiones intra ſuas continerent, et cautius in hoſtem exirent. Poſtea totis viribus certatum eſt in Prati oppugnatione; quod ab ortu ac ſeptentrione Trinitenſes adorti ſunt, ſed repulſi cum damno: ac niſi ſparſus rumor eſſet, hoſtem ab alia parte perrumpere, ad unum omnes caeſi fuiſſent. Verum altera cohors, cujus ductores erant Ludovicus [a] Montelius caſtrorum praefectus, et is quem dixi Carolus [b] Truchefius jam e Turcorum manibus liberatus, cum itinere ſeptentrionem verſus facto per oppoſitas anguſtias a cuſtodibus obſideretur, converſo itinere ſummum montis adjacentis jugum occupat, inacceſſum propter nives ac glaciem vicanis ipſis creditum: inde exſcenſione facta per ſalebroſa loca ac ſentibus impedita ſaxa acerrime dimicatum eſt, ruſticis pro ſalute, aliis pro praeda certantibus: ſed Luſernenſium ſuperventu Angrunii redintegrato proelio dubiam victoriam urgent, et hoſtes cedere cogunt, Montelio ipſo ab adoleſcente XVIII annorum, nemine e ſuis protegente, in omnium conſpectu interfecto: Truchefius quoque ab homuncione ſaxo percuſſus et humi adſtictus, quem alius ſuperveniens enſe proprio ablato capite truncavit. Sed revocati a paſtoribus vicani, ſeu ſanguinis effuſi horrore, ut ipſi aiunt, ſive periculi, ſi ulterius progrederentur, metu, caedibus temperavere. Victoria haec cum ingenteis animos Valdenſibus feciſſet, [c] Trinitenſis quatriduo poſt, ut cladem temeritate ductorum acceptam ulciſceretur, rurſus tribus partibus impetum facit: pars Roſato ingreſſa, per planitiem altera, tertia [d] Talliareto; ac duae quidem priores ita facto itinere ad planitiem inter Villarium et [e] Bobiacum interjectam ſe conjunxere, quo jam multus equitatus venerat: cum illinc in [f] Combani montis juga eniterentur, qua parte nullae aut rariores cuſtodiae erant, nihil ea re territi vicani ſtatim munitionibus ſuis exeuntes accurrunt, et ſemel atque iterum irrumpenteis animoſe repellunt. Cum recedentibus ſuis Trinitenſis CIↃ IↃ ſubſidio ſummiſiſſet, ſummiſſi pariter laborantibus Valdenſibus a ſuis C, qui poſt reſtitutum certamen tandem retro cedere et munitiones ſuas deſerere coacti ſunt, haud magna ſuorum jactura facta: quo caſu inflati ſupra modum Trinitenſes ſucceſſum urgent; ſed facto ipſo comprobatum eſt, quandoque victis redire in praecordia virtutem: nam pueris et mulieribus ipſis animos viris facientibus reſtitutum ex deſperatione certamen, ac tandem hoſtes repulſi. Secundum haec paſtorum juſſu Valdenſes cuncti ad ſolemneis preces revoluti pro praeteritis gratias Deo agunt, de eventu damnoſi contra ſe ſuſcepti belli identidem ſoliciti. Qui vero adverſus [g] Talliaretinos miſſi fuerant, eadem virtute repulſi ſunt, [h] Angruniis ſuppetias mature ferentibus: quorum exemplo ſive aemulatione [i] Villarienſes et ipſi ſe ſtrenue geſſerunt, hoſtemque magno cum damno e finibus ſuis ejecerunt; adeo ut ab eo tempore nunquam Trinitenſis in vallem [k] Luſernenſem deſcenderit. Is vero tot damnis affectus cum ad exiſtimationem pertinere arbitraretur, ne dux toties de viris militaribus victor a ruſticis victus diceretur, praecipue cum numero ſuperior eſſet, nam ad VII CIↃ hominum in caſtris habebat, eos fatigando aſſiduo ac laceſſendo citra periculum debellare conſtituit. Igitur XVI Kal. Apr. bipartito agmine in [l] Angruniam deſcendit a vicanis deſertam, et inde quam proxime poteſt ad [m] Torni-pratum accedit, quod tribus ab oriente locis CXX circiter paſſibus invicem diſtantibus per praeruptas rupes itinere inſtituto aggreditur. Tria omnino propugnacula ad obſtruendos aditus vicani exſtruxerant; unum in

ſummo

INTERPR. [a] *de Monteil, meſtre de camp.* [b] *Truchets.* [c] *comte de la Trinité.* [d] *Taillaret.* [e] *Bobbio.* [f] *la Combe.* [g] *ceux de Taillaret.* [h] *ceux d'Angrogne.* [i] *ceux de Villars.* [k] *val de Luſerne.* [l] *val d'Angrogne.* [m] *Pré du Tour.*

ſummo cacumine, alterum in medio, tertium in ima valle ad montium radices: qui ultimum tuebantur, [a] Trinitenſem in ſummum enitentem conſpicati protinus illud deſerunt, et laborantibus ſuis in ſummo monte occurrunt. [α] Obviam hoſti euntibus ruſticis commodum ſupervenere ſui, ac diverſa parte Luſernenſes auxiliares, conjunctiſque viribus hoſtem montis faſtigia prenſantem cum damno deturbant, primario etiam inter eos ductore Sebaſtiano [b] Virgilio per ambas coxas glandibus transfixo. In mediam deinde munitionem impetus factus, quam ruſtici impares deſeruere, relictis ſolummodo in ea quinque propugnatoribus, qui ſumma obſtinatione reſtiterunt, et eo uſque dum a ſuperioris munitionis oppugnatione, ſcloppetis, contis et ingentium ſaxorum provolutione depulſos hoſtes cernerent. Tum vero redintegratis animis fortius pugnam capeſſunt conjuncti ſimul omnes, periculo ſuorum ac virtute confirmati; tandemque poſt longum certamen hoſtem retro pedem ferre compellunt, captis etiam munimentis ligneis, quae illi, compottata ad tegendum militem, relinquere coacti ſunt, aliis item e ceſpitibus foſſorum opera compactis: ipſe Trinitenſis mortis periculum eo die adiiſſe dicitur. Deſiderati tantum e [c] Valdenſibus duo; ex Trinitenſibus magnus et incertus numerus: pars plauſtris convecti et exportati, pars in Valdenſium poteſtate remanſere, qui mortuorum corpora [β] terrae mandarunt. Trinitenſis certe caſu perculſus palam dicebat, nunquam ſe ignaviorem militem expertum eſſe, quam ultimis iſtis cum ruſtica multitudine congreſſibus. Tot vero praecedentibus procliis ac velitationibus ex Convallenſibus tantum XIIII occiſos memorant; remque miraculo propiorem etiam ab hoſtibus habitam, ut palam in caſtris [d] Sabaudi jactaretur, jam manifeſtum eſſe, bellum, quod adverſus Valdenſeis gereretur, contra Dei voluntatem ſuſceptum. Et quidem Sebaſtiano Virgilio ad proclium cum atrocibus minis vadenti, ab hoſpita praedictum ſcribunt, eo die re experturum, Sabaudi an Valdenſium cauſa eſſet juſtior: nam ſi Sabaudi juſtior eſſet, ejus quoque fore victoriam: cum igitur vulneratus ac prope exanimis in diverſorium referretur, tunc eandem hoſpitam inclamaſſe, Valdenſium potiorem cauſam eſſe; quippe qui cum exiguo numero contra tam potentem exercitum ſuperiores extitiſſent. Qui factum elevabant, eventum loco tribuebant; quo ferme inacceſſo fretis Valdenſibus facile [γ] fuiſſe homines locorum ignaros deturbare, in plano non utique tam ſtrenue dimicaturis. Ad exaggerandum rei miraculum addunt, qui eas res ſcripſere, nullos fere ex iis, qui a Valdenſibus sauciati ſunt, mortem evaſiſſe.

XIII. Cujus rei cauſam indaganti, praeter miraculum, quod ſemper obtendi minime ferendum eſt, mihi a fide dignis narratum eſt, apud Convallenſeis in uſu eſſe, ut gladiorum acies, ſpicula, venabula, ſagittas, glandes plumbeas ac cetera miſſilia Forae vulgo apud eos dictae ſeu potius [1] phthorae ſucco, quae illis locis frequens naſcitur et vulgari toxici nomine appellatur, inficiant; quod praeſentiſſimum venenum eſſe ſciunt medici. Ejus et longe alium in re diſpari uſum inter Alpinos, quem minime reticendum putavi, mirabitur lector: Gallinas ac pullos et hujuſmodi voluceis, quarum carnes edules in diverſoriis apponuntur, cultris eo ſucco illitis ſub alas figunt; quo icti mox emiſſo ſanguine exanimantur, nullo vitio inde contracto; tantum carnes ex eo teneriores [δ] redduntur, et ſtatim hoſpitibus comedendae apponuntur. Quod rerum naturalium veſtigatoribus amplius diſcutiendum relinquo.

XIV. Ab

VAR. LECT. [α] Ita obviam. *D. f. o.* [γ] fuiſſet. *D. f. o.*
[β] mox terrae *D. f. o.* [δ] redduntur, duriores alioqui futurae, et ſtatim. *D. f.*

INTERPR. [a] *comte de la Trinité.* [b] *de Virgile.* [c] *Vaudois.* [d] *duc de Savoie.*

NOT. [1] Lege *thorae*. De Thora Valdenſium, vide Dalecampium in Herbario, T. 2. p. 1735. C'eſt une eſpece d'Aconite. *Put. L.*

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

XIV. Ab eo tempore [a] Trinitenſis cum, linquente ſuos priore ferocia, ſpe potiundae [b] Angruniae excidiſſet, per interpoſitos homines Valdenſium animos periclitari coepit, an ad pacem inclinarent. Dum ultro citroque commeatur, agitatum inter Convallenſeis, an liceret iis nocte intempeſta Trinitenſem apud Luſernenſeis intercipere, quod iis pronum, rariores excubias agente milite: rem tamen, ne conciliationis initae ratio interturbaretur, tentari non placuit; quae nihilominus caſu indigno paene everſa eſt. Nam cum [c] Raconius, cui hoc bellum diſpliceret, et quem alioqui rebus ſuis favere perſuaſum habebant Valdenſes, [d] Briqueratem quendam ad eos, nomine Franciſcum Gillium, miſiſſet, et vir ille bonus eo ipſo veſpere praeter ſyndicorum ac paſtorum ſententiam ad ſuos reverti ſtatuiſſet, quippe qui ſibi rationem profectionis ſuae illa die Raconio reddendam affirmaret, ubi ad extremam Angruniam venit, in duos vicanos ſuperioribus injuriis efferatos incidit, qui eum, nulla violatae legationis religione permoti, crudeliter interficiunt. Id factum cum ad animum, ut par erat, revocaret Raconius, omiſſo pacis negotio, mittit, qui ante omnia ſontes dedi poſceret. Capti illi, et tandem his conditionibus dediti, ut nihil agere praeter conſcientiam cogerentur, neve quid eis a recepto inter ſe cultu alienum proponeretur, inque eos quam primum legibus animadverteretur, damnati, quo ceteris exemplo ſint, ad Angruniae confinia ſupplicio afficiantur, neque ea re ullum Angruniorum libertati praejudicium factum intelligatur. Magnae id integritatis laudi tributum eſt, neque mediocriter eo Angruniorum facto Sabaudus, qui alioqui praeter animi ſententiam neque ſponte hoc bellum ſuſceperat, ac ſenatus ejus commotus eſt. Inde Trinitenſis, poſitis circa Angruniam ac [e] Luſernam praeſidiis, [f] Peroſiam [g] Sanmartineae valli propinquam tendit: ubi totum menſem commoratus eſt, interim ratus Angrunios [h] Prato, quod vi expugnari non potuerat, incluſos, ſubſtracto undique commeatu, tandem victus penuria debellari poſſe. Sed homines parvo aſſueti, tot ſuperatis difficultatibus, ei quoque ſuſtinendae pares ſe oſtenderunt. Igitur poſt menſem reverſus xv Kal. Maias, miſſis Hiſpanis cohortibus cum [i] Turrenſi praeſidio, [k] Talliaretinum montem ea via, qua ad auſtrum in Pratum deſcenditur, init, et occupato loco, viros ac mulieres cum infantibus in cubilibus deprehenſos ad internecionem delet. Miſſae et aliae duae turmae, quae per Angruniorum fineis, ſuperiore una, altera inferiore parte eodem tenderent. Hiſpanis jam ſub auroram apparentibus ſignum datum: poſt acre certamen cum damno repulſi Hiſpani, tantuſque pavor injectus militi, ut eodem die Trinitenſis [l] Cavortium, quod II milliaribus illinc abeſt, conceſſerit. Creditum eſt eo die, et ſuperiore ante menſem proelio, ſi Valdenſeis fugientium tergis inſtitiſſent, fieri potuiſſe, ut omnino debellaretur: ſed numero diffiſi, ſive vigiliis ac laboribus fracti, deficiente item pulvere tormentario, longius a munitionibus ſuis recedere minime tutum exiſtimabant. Addunt et hanc rationem, ipſos ſibi ab initio praeſcripſiſſe, ut a fundendo ſanguine, quantum poſſent, abſtinerent. Secundum haec in principis concilio decretum fuit, ut ruſticorum ſegetes, arbores ac vineta devaſtarentur, arces item duae in Angrunia exſtruerentur. Miſſus Briquerate equitatus, et [m] Joannis-fanum cum his mandatis proficiſcitur; ſed acceptis a principe contrariis literis omiſſum hoc conſilium in praeſens. Nec ceſſabant interim Valdenſes, per Raconium uno atque altero ſupplici libello Margaritae Sabaudi uxori porrecto, quo cauſae ſuae aequitatem tuebantur. Quibus reſponſum

INTERPR. [a] *comte de la Trinité.* [b] *Angrogne.* [c] *comte de Raconis.* [d] *un homme de Briqueras, nommé François de Gilles.* [e] *Luſerne.* [f] *Perouſe.* [g] *val de St. Martin.* [h] *Pré du Tour.* [i] *garniſon de la Tour.* [k] *de Taillaret.* [l] *Cavors.* [m] *St. Jean.*

reſponſum datum eſt, et reſponſo hae condiriones additae; ut ſacrificium apud ſe ritu in eccleſia Romana recepto celebrari paterentur, paſtores expellerent, nec conciones coetuſve more ſuo deinceps haberenr; caprivos ſuos a militibus pretio exſoluto redimere tenerentur; arces principi, quot et ubi vellet, in his vallibus exſtruere liberum eſſet. Et quod ad paſtores quidem, aſſentiebautur [a] Valdenſes, ut ſi qui ſuſpecti eſſent principi, dimitterentur, modo alii, antequam hi dimitterentur, in eorum locum accerſerentur, ne ipſorum eccleſiae paſtoribus deſtitutae lupis devorandae exponerentur: ſacrificii autem celebrationem minime recuſabanr, modo ne ipſi intereſſe, aut in eam rem ſumptus ſuppeditare, neve quidquam, quo ei favere aut aſſenſum praebere argui poſſent, facere cogerentur. De cetero captivorum redemprionem ſupra vireis ſuas eſſe oſtendebant; quippe direptis bonis et incenſis domibus nihil praeter ſpiritum, quo ad pacem anhelenr, ſupereſſe: itaque petebant, ut ſine pretio liberarentur, conſimiliterque, qui ob religionis cauſam ad triremeis damnati eſſenr, ſolverentur. Arcium item extructionem deprecabantur, fidum obſequium, quod hactenus ſemper praeſtitiſſenr, in poſterum polliciti, orabantque, ut quando loci ii abunde ſitu muniti eſſent, ſe in gratiam receptos arcium er moenium loco haberet. Tandem conventum, et tabulis comprehenſa haec pacta, ut praeteritorum oblivio ſanciretur, eorumque omnium, quae eo bello geſta eſſent, princeps pro clementia ſua Convallenſibus ſubditis ſuis grariam faceret; conſcientiarum libertare iis permiſſa, atque ut conciones locis deſignaris et inter praeſcriptos limites, quos tranſgredi fas non ſit, haberent, ac coetus celebrarent, extra quos nihilominus paſtores aegrotos inviſere ac conſolari, aliaque religionis ſuae munia obire, non autem concionari poſſent. Iis, ſi forte de doctrina ſua interrogentur, abſque bonorum et capitis poena liberum ſir reſpondere; univerſis praeterea, qui propter religionem domo abſunt, nihil obſtantibus promiſſis quibuſcunque aut abjuratione aliena a ſua religione anre hoc bellum praeſtita, larem repetere, et religionem a majoribus traditam amplecti, concionibus ac coetibus intereſſe modo et locis permiſſis liceat; proſcripti ob religionem, aut belli nuper ob religionem ſuſcepti cauſam, bonis reſtituantur; iiſque jus ſit pecudes ac ſupellectilem reliquam a vicinis, exceptis militibus, legum ſubſidio repetere, et quae diſtracta comperientur, eadem via, ſed reſtituto pretio, redimere; quod idem vicinis in eos populis liceat: liberratibus, immuniratibus, privilegiis, quorum fidem facere documentis tenebuntur, uti recte legitimeque conceſſa ea a majoribus acceperint, iiſque recte legitimeque uſi fuerinr, in poſterum fruantur: a principe magiſtratus univerſis ſuae dirionis Convallenſibus praeficiatur, qui jus aequabile inrer eos dicat, ita ur ſe eodem ordine apud principem, ac ceteros ipſius ſubditos, haberi et in clientelam ſuam recipi intelligant: eorum nomina, qui ob religionem exulavere, deſcribere et magiſtratibus tradere teneantur: in [b] Villariae arcis conſtructionem ſumptus facere non compellantur, niſi forte ipſis ultro ac ſponte operas principi praebere viſum fuerit; praefectus, qui arci Villarienſi imponetur, ita principi inſerviat, ut vicanorum bonis ac conſcientiis nihil moleſtiae afferat: in paſtorum, quos principi dimittere placuerit, locum alios accerſere Convallenſibus liberum ſit; a qua gratia [c] Martinus [d] Pragelatenſium paſtor excluſus intelligatur: ubicunque conciones ac coetus habere liberum erit, iiſdem locis ſacrificium celebrare ac ceteros Romanae eccleſiae ritus liceat; et ipſi Convallenſes caveant, ne qui eo conventuri ſint ulla contumelia aut damno afficiantur: viciſſim ipſi ſacrificio intereſſe,

INTERPR. [a] *Vaudois.* [b] *Villars.* [c] *Martin.* [d] *ceux de Pragelat.*

intereſſe, aut quidquam facere, quo ei favere dici poſſint, non cogantur: impenſarum omnium in hoc bellum factarum a principe gratia eis fiat: illa etiam VIII CIↃ aureorum, quae ſe exſoluturos promittere a [a] Triniteſi coacti ſint, remittantur, et earum obligationum inſtrumenta irrita ac reſciſſa cenſeantur: captivi ſoluto aequo ac pro facultatibus pretio dimittantur: qui item ob religionis cauſam triremibus conſtricti tenentur, horum pactorum beneficio ſolvantur. Haec [b] Cavortii acta Non. Jun. Subſcripſere Philippus [c] Sabaudus Raconii comes principis nomine: pro Convallenſibus Franc. [d] Valla Villarii, et Claudius [e] Bergius [f] Talliaretii paſtores; item Georgius [g] Monaſterius et Michael [h] Raimondetus [1]. Ita bellum contra Valdenſeis a Sabaudo praeter voluntatem ſuſceptum, damnoſis potius quam honorificis conditionibus compoſitum eſt. Addidit et hanc gratiam prudentiſſimus princeps, quo miſeros homines, quorum conſtantiam intra ſe tacitus admirabatur, melius de ſe ſperare in poſterum juberet, ut a viro ſtrenuo ob religionem apud eos agenti, cui [i] Caſtrocaro ab Etruriae caſtello nomen, quique eis ductor ac doctor militiae fuerat, deinceps regerentur.

XV. EODEM tempore, quo haec apud Alpinos Convallenſeis gerebantur, in [k] Belgio ſevere admodum in ſuſpectos ob religionis cauſam animadvertebatur, aedibus etiam privatorum, in quibus conciones habebantur, ad majorem terrorem inceuſis; omnem praeterea operam dante Antonio [l] Perrenoto cardinali Granvellano, ne malum, quod ex Germania vicina allatum jam in Gallia late ſparſum conſpiciebatur, ultra ſerperet. In eum finem novorum aliquot epiſcoporum, de qua diximus, creationem factam interpretabantur Proteſtantes, et ei idcirco maxime adverſabantur; ſic enim inquiſitionis, cujus vel ſolum nomen inviſum eſſet, jugum, mitigata appellatione ſeu modo, cervicibus liberis imponi aiebant; atque ut injurioſe et inique ſecum agi oſtenderent, fidei confeſſionem Philippo proponendam exhibent, petentes ut perlecta ea in poſterum a ſuppliciis in inſonteis temperaretur, neque inauditi damnarentur: iſtas turbas a duobus hominum generibus proficiſci, qui contrariis cupiditatibus incitati in idem tamen collimarent, ut ſuffragiorum libertas in judiciis labefactetur ac pervertatur: nam alios inconſiderato pietatis ardore errores in Dei domum invectos nulla admiſſa in contrarium ratione obſtinate tueri; alios vereri, ne doctrina, quam pravis ſuis ſtudiis ac cupiditatibus repugnare ſciunt, ſenſim invaleſcat: atqui arrogantiae ſummae eſſe, eos damnare, qui Dei verbo nitantur; ac veſaniae inauditae, poſtulare, ut verbum Dei hominum commentis poſthabeatur: igitur ancipiti Dei verbo, quod certa veritatis regula ſit, non gladiis et ignibus, quibus perduntur animae, non ſervantur, et franguntur potius voluntates quam ad officium flectuntur, cum iis agendum eſſe. Confeſſioni eorum prorſus cum Proteſtantium noſtrarium doctrina conſentaneae, inter alia et illud ſedulo adjectum erat, quo Philippum placatiorem haberent, et omnem rebellionis ſuſpicionem a ſe amolirentur, poteſtatibus a Deo conſtitutis parendum eſſe, iis tributa perſolvi, omnem reverentiam exhiberi, ac preces pro ipſorum incolumitate ad Deum fundi debere.

XVI. ANNI

INTERPR. [a] *comte de la Trinité.* [b] *Cavors.* [c] *de Savoie, comte de Raconis.* [d] *du Val de Villars.* [e] *Berge.* [f] *Taillaret.* [g] *Monaſtier.* [h] *Raimondet.* [i] *Caſtrocaro.* [k] *Païs bas.* [l] *Perrenot, cardinal de Granvelle.*

NOT. [1] La Popeliniere, qui rapporte ce traité au long, l. 7, p. 254; dit que les deputez des Vaudois étoient, Georges Monaſtier ſindic d'Angrogne, & ambaſſadeur des vallées; Conſtantio Dialeſtini, autrement Renbaldo, ſindic de Villaro; Pirrone Arduino envoié de la communauté de Boſſio; Michel Raimondet envoié de la communauté de Tailleret; de la Rua de Bonnet confin de la Tour; Jean Malanotte envoie des particuliers de S. Jean; Pierre Paſchal envoié de la communauté de la vallée S. Martin; & Thomas de Roman S. Germain envoié de la communauté du dit lieu & de toute la vallée de la Perouſe. C.

XVI. Anni hujus initio apud nos, quo populus tributis levaretur, de ſumptibus minuendis in regis conſiſtorio actum eſt; et decretum, ut nobiles cubicularii et alii familiae regiae domeſtici ſtipendiorum dimidia parte contenti eſſent, penſionum etiam tertia parte detracta, exceptis iis, quae externis hominibus tam in regno quam extra regnum quaſi pro alimentis liberalitate regum perſolvuntur. Inde occaſione oblata porrectus Navarro libellus, cujus ſumma erat; ſumptus, qui pacis tempore in exterorum ſtipendia ac penſiones fiunt, regno graveis et omnino inutileis eſſe; reges olim ſatis habuiſſe, corporis cuſtodiam Scotis, quibus cum Anglis perpetuo bellum erat, commiſiſſe, neque propterea ulli in Scotia penſiones attribuiſſe: poſtea cum Burgundicae domui gens Auſtriaca inſerta eſſet, eoſdem cum Helvetiis, qui optimo peditatu abundant, foedus iniiſſe; quod ut bello utile eſſe nemo inficias ierit, ita pace damnoſum eſſe negari non poſſe; quippe cum minime verendum ſit, ne Helvetii a noſtra amicitia diſcedant, quibus Auſtriacorum, quorum pleramque ditionem et ipſa majorum cunabula ac monumenta hodie occupant, potentia ſemper fuit ſuſpecta, et qui proinde patrocinio noſtro in pace perinde indigent, ut nos eorum auxiliari peditatu belli tempore: ad Germanos quod attinet, illos noſtra amicitia, quam neceſſariis adeo temporibus nuper utilem experti ſint, procul dubio indigere; nos viciſſim non debere eorum amicitiam aſpernari; ſed quam coli comiter, non emi oporteat, niſi ſi quibuſdam peditum ac equitum ductoribus modicam penſionem erogari placeat, quos ad delectus habendos, cum opus fuerit, et ad ſubita ſemper paratos habeamus; nihil vero ſtipendiorum prorſus, nullas penſiones perſolvendas; potius illos patrocinii ergo Franciciae coronae tributum pendere debere: nullum item principem tota Italia eſſe, excepta republica Veneta, in cujus amicitia comparanda rex multum elaborare debeat; illam vero per leges ſuas non ſinere, ut quiſquam e ſuo numero a principe externo penſionem accipiat: patuiſſe ſemper Italiam Gallorum potentiae, neque nunc clauſam eſſe, [a] Saluciae principatu penes regem remanente; ad haec [b] Centalio, [c] Tenda, et aliis Alpinis claustris apertis, per quae in ſubjectam regionem facile deſcenditur: nec defuturas inrer tot principes aemulationes ac diſſidia, quae regi, quoties viſum fuerit, venienti portam aperiant: nam quod ad ponrificem attinet, eum cogitare debere, ſemper tutiſſimum fuiſſe majoribus ſuis apud nos perfugium, ampliſſimumque illud patrimonium, quod nunc obtinet, regum Franciae beneficio eccleſiam Romanam poſſidere; et proinde eorundem gratia, per quos illud quaeſierint, in eo conſervando et augendo opus habere: quod ſi qui ſint deinceps, qui tantorum benefactorum immemores contra nominis Francici dignitatem aliquid moliantur, non defuturos homines animo et manu promptos, qui eorum temeritatem et ingratitudinem ulciſcantur et, [d] Nogaretii exemplum ſecuti, ipſum ponrificem in ordinem cogant: quae eo pertinebant, ut non ſolum Iralis, quorum avaritia et malae artes rerum gnaris ac futuri providis jam tum ſuſpectae erant, nullae largitiones fierent, verum ut iis tanquam exteris juxta regni leges magiſtratus ac dignitates abrogarentur; ſacra patrimonia, quae jam ampliſſima in Gallia poſſidebant, adimerentur, ac toto regno in poſterum, omni ex noſtra inſcitia faciendae rei adempta ſpe, eliminarentur. Verum Navarrus veritus, ne id tanquam in contumeliam ſuam factum interpretaretur tegina, libellum in concilio recitari noluit; tamen ut inſigni aliquo exemplo principium minuendis ſumptibus

INTERPR. [a] *marquiſat de Saluces.* [b] *Cental.* [c] *Tende.* [d] *Guillaume de Nogaret de St. Felix, gentilhomme de Languedoc, & chancelier de France, qui paſſa les Monts, & à Anagni le 7 de Sept.* 1303 *prit le pape Boniface* VIII, *qui devoit publier le lendemain une bulle, par laquelle il excommunioit le roy Philippe le Bel, diſpenſoit ſes ſujets de ſon obeiſſance, & donnoit ſon royaume au premier occupant.*

CIƆIƆLXI. CAROLUS IX.

bus faceret, auctor fuit, ut turmae equitum Scotorum dimitterentur, quantumvis eorum virtutem et egregie bellis ultimis navatam operam primores, et [a] Colinius inprimis, commendarent, et ut amicae nationis meritorum ratio haberetur, aequum ducerent. Id vero facilius eo fuit, quod illi magnam partem Proteſtantium doctrinae addicti eſſent, ac praecipue eorum praefectus Jacobus Hamiltonius [b] Araniae comes, nuper ob religionis cauſam tam male a Guiſianis mulctatus.

XVII. His actis rex [c] Aureliano Non. Feb. diſcedit, [d] Fontem-bellaqueum petiturus; quo mox Condaeus, qui [e] Faram ad Eſiam conceſſerat, venire juſſus eſt. Is igitur per diſpoſitos equos Lutetiam venit, et in urbe collectis amicis, qui eo undique confluxerant, inde magno comitatu Fontem-bellaqueum pergit; quem tamen, ut omnem ſuſpicionem amoveret, in itinere dimiſit, et ad aulam tantum Franciſco [f] Rupiſulcaudio comite et [g] Senarpontio Picardiae propraefecto ſtipatus acceſſit. Ibi ſalutato rege ac regina parente, ab iiſque perbenigne ſuſceptus, poſtridie in ſecretius conſiſtorium ex compacto admittitur, et pro ſe quaedam prolocutus Hoſpitalium cancellarium rogavit, num quas adverſus ſe probationes haberet. Eo negante, a proceribus, qui aderant, uno ore pronunciatum eſt, abunde ſibi de ejus innocentia conſtare; proinde tanquam idonee a criminibus objectis purgatus, priſtinum dignitatis locum ſuum, uti prius conſueſſet, in conſiſtorio ſumeret. Mox factum decretum, quo rex coram regente, conſanguineis principibus et ſacri conſiſtorii aſſeſſoribus declarat, ſibi de Condaei innocentia certiſſimis teſtimoniis conſtare: et licere ei dicit, ut apud ſenatum Pariſienſem, qui vulgo Parium curia vocatur, ampliorem ſuae innocentiae approbationem perſequatur. Cui interim mandatum, ut decretum illud publicari et in acta publica referri curet: quoque res cunctis innoteſcat, publicati decreti exemplaria ubique mittantur ad oratores, quos rex apud foederatos principes habet. Id actum III Eid. Mart. nec multo poſt Condaeus Lutetiam redit, ut praeſentia ſua decreti promulgationem in ſenatu urgeret.

XVIII. Subortae interea inter regentem ac Navarrum diſſenſiones aulam miſcuere; cum ille ſe a regente ſperni diceret; Lotaringos, quos rebus ſuis infeſtos ſemper expertus ſit, Henrico II et Franciſco II regibus, ſibi contumelioſe praeferri; Guiſio regii hoſpitii claveis traditas: has injurias hactenus publicae tranquillitati condonaſſe; ſed nihil aliud ea diſſimulatione profectum, quam ut inimici eo audaciores redditi petulantia non ferenda ſibi inſultarent, et patientia ſua indigne abuterentur, ut jam minime ſibi integrum ſit, ſi Lotaringi eundem dignitatis ac gratiae locum in aula retineant, in ea remanere: proinde ſibi ſententiam ſtare, niſi illi ad officium revocentur, aulam quamprimum deſerere. Ad haec regens, ſibi praecipuum ſtudium ſemper fuiſſe, et nunc eſſe, ut ipſi in rebus omnibus gratificetur: ceterum non videre, cur propterea Lotaringos, quorum propria ac neceſſaria in aula munia ſint, a rege removere debeat; immo providere ſe, futurum, ut uno conceſſo hodie, alterum cras petatur, et hoc impetrato rurſus aliud, neque querelarum modum unquam futurum; tamen ut re egregiam ſuam erga ipſum voluntatem approbet, et de palatii cuſtodia querendi occaſionem omnem praecidat, curaturam, ut quotidie claves a regii ſtipatûs praefectis in cubiculum ipſius deferantur; quanquam id proprium magiſtri palatii munus ſit, quam dignitatem nunc obtineat Guiſius; et ita in uſu fuiſſe, dum [h] Momorantius eadem dignitate in aula fungeretur. Rurſus ad haec verba indignante Navarro, et ad Momorantium hoſpitii regii claveis, non tanquam palatii

INTERPR. [a] *l'amiral de Coligny.* [b] *le comte d'Arran, fils du duc de Chaſtellerault.* [c] *Orleans.* [d] *Fontainebleau.* [e] *la Fere ſur Oyſe.* [f] *de la Rochefoucault.* [g] *Jean de Monchy, ſieur de Senarpont, lieutenant general de Picardie.* [h] *le conneſtable de Montmorency.*

palatii magiſtrum, ſed tanquam ſummum equitum praefectum, penes quem regni legibus jus armorum ſit, delatas fuiſſe dictitante, eo uſque irae exarſere, ut poſtridie Navarrus praemiſſis [a] Melodunum impedimentis ſe ad diſceſſionem ex aula compararet, ſumptis etiam ocreis; unaque cum eo regii ſanguinis principes, et ipſe Monpenſerius, quanquam aegre faceret: Momorantius denique magiſter equitum cum filiis, et [b] Colinii fratres, profecturos ſe oſtendebant, relictis ſolis in aula Lotaringis, ut eo majore invidia illos onerarent, ſparſa fama, non ultra Lutetiam perrecturos; quo loco de regni adminiſtratione in Navarrum conferenda decerneretur. Cujus rei metu anxia regina regem inſtruit, qui Momorantio per cardinalem Turnonium evocato enixe imperat, ne hoc rerum ſtatu, quo ejus ut primarii regni magiſtratus opera maxime indigeat, aula excedat. Id actum coram IIII viris a ſecretis epiſtolis, ut publico documento, ſi opus eſſet, rei fidem facerent: quod ſive re antea communicata, uti creditur, ſive Momorantio ignaro neque prius monito factum, cum a diſceſſionis conſilio revocavit. Ipſo autem in aula remanente, mutandi conſilii neceſſitas Navarro injecta eſt: nam ad ejus exiſtimationem pertinebat, ne palam omnibus fieret, res in aula ſine ipſius interventu et auctoritate adminiſtrari poſſe. Fama evulgata reginam a Navarro alienatam ad Guiſianos inclinare, qui Lutetiae conventus Pariſienſis praefecturae agebant, ut in aliis regni provinciis interea fiebat, rem, quantum in illis erat, maturabant. In iis de regni adminiſtratione actum, de quibuſdam a reipublicae clavo removendis et aliis in eorum locum ſubſtituendis, de reddendis rationibus, de regni quaeſtura Franciſco II rege atque etiam Henrico ipſius parente perperam a Guiſianis geſta, donorum immodicorum in illos, [c] Santandreanum, [d] Valentinam, ipſius generos et alios ab Henrico collatorum revocatione; ut interea, dum de iis cognoſceretur, ſacri conſiſtorii ingreſſu interdiceretur. In eadem cauſa et A. Momorantium involvebant, adjecta tamen clauſula, ſi teneretur. Et quanquam nuper [e] Aureliani comitiorum decreto cautum fuiſſet, ne in ſingularum praefecturarum conventibus de regni adminiſtratione ageretur, nihilominus in incepto pergebant, ad comitiorum cognitionem pertinere dictitantes, cui regni adminiſtratio deferri debeat: nec in regii ſanguinis principum arbitrio poſitum eſſe, eam a ſe abdicatam in alium transferre: eoque majore ſtudio qui Lutetiae convenerant rem urgebant, quod ſuo exemplo per ceteras provincias idem factum iri ſperarent. Cui malo nullum praeſentius a regina remedium excogitari potuit, quam ſi quamprimum Navarro reconciliaretur. Igitur Momorantii interventu rurſus ſarta inter eos amicitia conventum, ut Navarrus per univerſas regiae ditionis provincias prorex diceretur, regina nihil ſine ipſius conſilio et voluntate ageret. Perſcriptae et aliae conditiones, quae a quatuorviris a ſecretis epiſtolis in commentarios relatae ſunt; quibus conſanguinei principes ac Condaeus ipſe ob id Lutetia accerſitus ſubſcripſere. Inde [f] Fr. Momorantio peninſulae Franciae praeſidi datum negotium, ut curaret moderatos et idoneos homines conventibus praefecturae Pariſienſis celebrandis adhiberi, qui, quod alii in quaeſtione de regni adminiſtratione temeritate peccaverant, conſilio ac prudentia emendarent: quod ea ſolertia ab eo factum, ut dum reginae morigeratur, neutiquam propterea in Navarri ſuſpicionem incurreret.

XIX. SUB id tempus venere a regibus et aliis principibus legati, qui uſitatis inter principes officiis defuncti, poſt deploratam Franciſci mortem Carolo delatam regni

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *l'amiral de Coligny, & le ſieur d'Andelot.* [c] *le maréſchal de St. André.* [d] *la ducheſſe de Valentinois.* [e] *Orleans.* [f] *le maréſchal de Montmorency, gouverneur de l'Iſle de France.*

CIↃIↃLXI. CAROLUS IX.

regni ſucceſſionem gratularentur. In iis fuit Georgius [a] Glukus Friderici Daniae regis orator, qui multoties in Galliam miſſus ac commoratus fuerat. Ei ad prandium vocato Navarrus ab uxore ad id inductus ſpem feciſſe dicitur fore, ut, antequam annus exiret, purior Dei cultus toto regno celebraretur, rogaſſeque ut id regi ſuo confirmaret: illum vero poſt actas Deo gratias laudato Navarri conſilio viciſſim rogaſſe, diligenter videret, ne Joannis Calvini doctrinam, quam et Helvetii ſequuntur, reciperet; ſed Auguſtanam confeſſionem a Mart. Lutheri doctrina profectam introduceret: eo nomine non parvam a Daniae ac Succiae regibus ac reliquis Germaniae Proteſtantibus gratiam initurum, quorum ditio non minore terrarum ſpatio porrigatur, quam quae Romanum pontificem agnoſcit. Ad haec Navarrum reſpondiſſe, Lutherum et Calvinum in XL capitibus a pontifice diſſentire, in XXXVIII inter ſe convenire; duo tantum ſuperare, quae inter ipſos controvertuntur: ita autem cenſere, jungendas utriuſque partis opes ac copias ad communem hoſtem opprimendum; quo debellato, in duobus illis capitibus conciliandis et eccleſia Dei priſtinae puritati ac ſplendori reſtituenda minus negotii fore.

XX. REGINA vero ea vana honoris ſpecie placato utcumque Navarri animo, Proteſtantium quoque cauſae favere credi volebat. Interim Momorantium ad ſuas partes ſenſim perducit, et conſilii ſui rationes aperit; connivere ſe ad praeſens ad Proteſtantium deſideria, ut Navarri, qui, quod hodie probet, cras improbaturus ſit, conatus cedendo frangat: ceterum aulae primorum atque ipſius inprimis, qui primario regni magiſtratu fungatur, partes eſſe, ut palam ei adverſentur, et majorum religionem violari paſſim clamitent; quod eo conſilio faciebat Catharina, ut aemulo negotium per alios faceſſeret, atque ita regni proceres ab ipſo alienaret; quod ſi ipſa per ſe feciſſet, verebatur, ne Navarrus compoſitam ſemel de regni adminiſtratione controverſiam renovaret. Ab eo tempore audita non occulta A. Momorantii murmura; priſcam religionem ſperni; nova ſacra, novos ritus invehi; incognitos homines ſe divino miniſterio immiſcere; carnes propalam diebus vetitis, atque ipſo quadrageſimalis jejunii tempore proſtare; omnia denique ad priſci et hactenus recepti cultus contemptum fieri. Jam enim in aedibus privatis initio, mox et intra palatium in Condaei et Colinii maris praefecti conclavibus, quae illis honoris cauſa, ut fit, in regia attributa erant, publicae conciones habebantur. Et regina palam demonſtrabat, ſibi in animo eſſe, ut rex et aulae proceres Jo. [b] Monlucii Valentiae epiſcopi, qui Proteſtantium doctrinae non ita iniquus putabatur, concionibus in primaria palatii aula intereſſent. His vero, cum Monlucius in depravatam doctrinam ac diſciplinam ſacram acerbius inveheretur, oblique ſuggillata Romani pontificis auctoritate, forte interfuere Guiſius et Momorantius; et hic quidem epiſcopo ſubiratus, cum diceret, ſatis ſibi eſſe, quod ad ipſum ſemel audiendum temporis male impendiſſet, nec amplius eodem reverſurum, nihil aliud reſpondit Monlucius, quam ſe totis votis expetere, ut verbum Dei ubique proficeret. Is tunc praecipuum gratiae locum apud reginam obtinebat; ex eoque ſuſpicatus eſt Momorantius, quicquid illa diceret, quo diſſimulationem ſuam excuſaret, ei clam cum Navarro in religionis cauſa convenire, idque Monlucii interventu fieri. Quapropter jam ab ea alienior, cum prius ſe aſtu ejuſdem a Navarro alienaſſet, ne nullas partes in aula foveret, ad Guiſium et Santandreanum ſe adjunxit, pararia novae amicitiae [c] Valentina, quae fluxam Guiſianorum fidem, Franciſco rege, nuper experta, nihilominus cum iis in gratiam redierat, et injurias [d] Aumalii generi precibus condonaverat. Nec ceſſabat

INTERPR [a] *Gluck.* [b] *de Montluc, eveſque de Valence.* [c] *la ducheſſe de Valentinois* [d] *Claude de Lorraine, duc d'Aumale.*

ceſſabat interea [a] Magdalena Sabauda A. Momorantii uxor, quae Proteſtantium religioni ſupra modum infeſta, et alioqui occulta invidia Colinios proſequens, quod ii fratribus ſuis in dignitatibus et honoribus adipiſcendis ſemper a vito praelati eſſent, odiis ob religionem natis ſedulo facem admovebat. Nam maris praefecti aſtu factum eſſe dicebat, ut gratia, quam a regina propter Navarri cum ea reconciliationem ſperaverat, minus valeret: quippe cum reginae perſuaſiſſe, optime ſibi conſulturam, ſi Navarro novae religionis propagationem molienti favore ſuo aut ſaltem conniventia ſuffragaretur: meminiſſe illum debere, ſe illuſtriſſima in Francia familia prognatum, teſtantibus id majorum inſignibus, quibus inſcriptum etiam hodie legatur, DEUS PRIMUM CHRISTIANUM SERVET; ac proinde ad majorum religionem atque adeo Romanam eccleſiam omni ope tuendam ac conſervandam obligari. Ad haec addebat [b] Santandreanus, homo vaſro ingenio et nequitia tantum inſignis, ejuſdem maris praefecti occulta machinatione factum, ut de reddendis aerarii male adminiſtrati rationibus nuper in conventibus Pariſienſibus ſermo injiceretur; quo ſcilicet avunculo de ſe optime merito ingratus homo et nulla re minus quam ejus benevolentia dignus periculum crearet. His acceſſit et Melchior [c] Pratenſis Monpeſaeus, qui Honorato Sabaudo Villarii comiti ſocero auctor fuit, ut in aulam veniret, et ſororium Momorantium jam nutantem impelleret. Villarius Momorantii per [d] Septimaniam legatus a [e] Colinio in regis conſiſtorio accuſatus fuerat, quod nuper in ea provincia gravia multa in Proteſtanteis admiſiſſet; itaque ille ſe paulo poſt munere abdicaverat, tranſlato eo in Gulielmum [f] Jouſae [α] comitem, qui nuper epiſcopatu [g] Aletenſi ejerato [h] Mariam Renati [β] Batarnaci Buchagii comitis ac [γ] ipſius Villarii ſororis filiam in uxorem duxerat. Ea propter Colinio ſuccenſens et alioqui concepto intus livore aeſtuans nihil non agebat, ut ſororium a Coliniorum amicitia omnino divelleret. Adverſus tot inſidiantium hominum conatus, quibus tanquam plagis ne ſe extricaret cautus alioqui ſenex veluti indagine cinctus undique tenebatur, parum valida erant [i] Franciſci Momorantii filii monita, qui ut erat motum probitate et prudentia ſupra aetatem excellens, cum foedam tempeſtatem Galliae ac regni proceribus imminentem praeſagiret, tutius exiſtimabat, nullius tam neceſſario tempore vel minimi clientum aut amicorum, cujuſcunque tandem religionis illi eſſent, jacturam facere, idque modeſta ac demiſſa oratione parenti inſinuaverat; ac per interpoſitas perſonas idem perſuadere conabatur, his maxime rationibus; minime prudentis eſſe, dum conciliandis novis amicis ſtudes, veteres amittere, et incerta pro certis conſectari, cum dubia et intuta ſit plerunque reconciliatorum inimicorum fides: videre praeterea eum debere, amiſſo Condaeo, Coliniis ac [k] Rupiſulcaudio comite certiſſimis ac potentiſſimis amicis; etſi nunc Proteſtantium religionem palam profiteantur, praecipuo robore ſuo ac praeſidio illuſtriſſimam familiam nudari; et incertum eſſe, eumne propterea reginae et Navarro gratam facturus ſit: itaque ſatius videri, ut, dum Colinii et Lotaringi inter ſe digladiantur, ipſe ſpectator ac judex ſedeat, neutrique parti ſe addicat; quod ſi faciat, proculdubio fore, ut Lotaringi in illa colluctatione jam odio publico gravati cedant; tunc vero ipſum, cui pietatis et obſequii regi debiti prae-

cipua

VAR. LECT. [α] vicecomitem. *D. f. o.* [γ] ipſius Villarii *deſunt. D. f. o.*
[β] Baſtarnaei. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Magdelaine de Savoie, fille aînée de René bâtard de Savoie, comte de Villars, & d'Anne de Laſcaris, conteſſe de Tende.* [b] *le mareſchal de St. André.* [c] *des Prez, ſieur de Montpezat, qui avoit epouſé Henriette de Savoie, fille unique de Honorat de Savoie II du nom comte puis marquis de Villars, fils de René bâtard de Savoie.* [d] *Languedoc.* [e] *l'amiral de Coligny.* [f] *de Joyeuſe.* [g] *d'Aleth.* [h] *Marie, fille de René de Bataruay, comte du Bouchage, & d'Iſabelle de Savoie-Villars.* [i] *le mareſchal de Montmorency.* [k] *de la Rochefoucault.*

CIƆIƆLXI.
CAROLUS IX.

cipua cura ſemper fuerit, arbitrium in religionis cauſa jure ſuo ſumpturum, in quam, certiſſimum ſit, foediſſimos errores, qui ad Dei contumeliam ſpectent, temporis lapſu irrepſiſſe, quos nec ipſe tueri debeat; hoc proprium ejus munus eſſe, qui ſupremo in Gallia magiſtratu fungatur, et a primo Chriſtiano nomen inſignia ac genus ducat: neque vero moveri debere, quod in conventibus Pariſienſibus de ipſo mentio injecta ſit; potius optandum ei fuiſſe, ut in publicis comitiis, hoc eſt, in ampliſſimo regni theatro de ipſius ſobrietate, diligentia, labore ac fide in adminiſtranda republica cognoſceretur; nam tum omnibus conſtiturum, quantos in regni oneribus ſuſtinendis, tuenda dignitate, et ſua ac liberorum captivitate redimenda ſumptus fecerit; nec ullos fore quantumvis iniquos rerum aeſtimatores, qui non plus ei adjudicaturi ſint, quam regum benignitate conſecutus ſit: et ſi diligenter putatis [a] rationalium commentariis calculus ineatur, manifeſtum fore, vix ſeptimam profuſarum largitionum, quas gurgites illi [b] Valentina, [c] Santandreanus, ipſi Lotaringi ad privatam ingluviem explendam hauſerint, partem ad eum, cui alioqui propter merita plurimum debebatur, perveniſſe; proinde quod ad ſuam injuriam pertinere [α] arbitratur, id ad ſuum decus ac ſummam laudem redundaturum eſſe: et vero ſi adeo ſevere in comitiis rationes exigantur, ut exemplo ad refraenandam ceterorum avaritiam ac rapacitatem opus ſit, paratum de ſuo in praeſentiarum, aut cum primum olim ſucceſſiones hereditarias adierit, publico deſiderio ſatisfacere; nec tamen dubitare, pro ea, qua apud regni Ordines auctoritate pollet, quin ejus ſummae, quantacunque ea ſit, gratia ipſi ab illis fiat. Ad haec commotus ſenex nihil aliud reſpondit, quam ſe certo ſcire, mutata religione reipublicae mutationem neceſſario conſecuturam eſſe; ſe vero regi et parvulis heris ſuis, ſic regis fratres appellabat, addictiſſimum, haudquaquam vereri, cum conſcientia ſua tutus ſit, ne de dignitate ac fortunis ſibi aliquando controverſia moveatur; verum ferre non poſſe, ut Henrici optime de regno ac ſe meriti principis acta improbentur aut infirmentur: quod ad Colinios attinet, qui non cognatione magis quam neceſſitudine, accumulatis beneficiis ſibi proximi ſint, hoc unum cupere, ut bonos ac fidos veri Dei cultores, quales ſe ore praedicant, re ac factis exprimant. Mox venere ad eum [d] Odetus cardinalis, [e] Gaſpar et Franciſcus Colinii, et in privatum colloquium admiſſi, nullo ſe privato odio, ſed reipublicae tantum cauſa a Lotaringis diſſidere, Deo teſte appellato, proteſtati ſunt; proinde etiam atque etiam videret, ne deſerto tam alieno tempore Condaeo ſeipſum ac regis regnique cauſam proderet. Verum ille privata injuria irritatus, et ab uxore, Valentina et aliis Lotaringorum emiſſariis perſuaſus, cum religionis cauſam in eo negotio verti crederet, a propoſito abduci non potuit. Itaque Franciſcus ejus filius, poſtquam comitiorum Lutetiae principium fecit, Cantiliam ad uxorem aegram inviſendam relicta prae indignatione aula contendit.

XXI. SECUNDUM haec mandatum datum Chriſtophoro [f] Thuano et Petro [g] Seguierio ſenatus praeſidibus, cum aliis ex rationalium et vectigalium curiis delegatis, ut praefecturae Pariſienſis conventibus praeeſſent, ac viderent, ne quid contra [h] Aurelianenſium comitiorum decretum in iis agitaretur. Intereeſſit initio P. [i] Ruzaeus curiae patronus, homo praefracta audacia et alioqui ob religionem ſuſpectus, qui nobilitatis nomine contra morem et comitiorum libertatem fieri dixit, ut juri dicundo viri a rege ordinati conventibus habendis praeficerentur: iſque

VAR. LECT. [α] arbitraretur. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *chambre des Comptes.* [b] *Diane de Poictiers, ducheſſe de Valentinois.* [c] *le mareſchal de St. André.* [d] *Odet de Coligny, cardinal de Chaſtillon.* [e] *l'amiral de Coligny, & le ſieur d'Andelot.* [f] *de Thou.* [g] *Seguier.* [h] *eſtats d'Orleans.* [i] *Ruzé.*

iſque ob id poſtea carceri mancipatus eſt. In iis cum crebro ſententiae diſſiderent, in eo convenere omnes, ut, quo aerarium bellis ſuperioribus et largitionibus exhauſtum ſuppleretur, et plebs tributis levaretur, aeris alieni, cujus diſſolvendi cauſa potiſſimum regni Ordines convocati eſſent, onus in ſacrum Ordinem rejiceretur.

XXII. Firmabatur interea in dies magis ac magis nova Momorantii et Lotaringorum amicitia: et ipſe, celebritate Paſchali cum [a] Monpenſerio et Guiſio ad [b] Fontem-bellaqueum peracta, eodem die illos ſimul cum Henrico [c] Jonvillae principe Guiſii filio et Santandreanum ad coenam vocavit; ac poſtridie [d] Cantiliam profectus eſt, ut [e] Gulielmi Thorei filii et Helionorae Humeriae nobilitate et bonis ampliſſimae domus heredis nuptias celebraret. Paulo poſt Guiſius [f] Nantolium perrexit, quod a Cantilia haud amplius v leucis abeſt, unde uterque crebris officiis per nuncios huc illuc commeanteis novam amicitiam colebant. Qua re regina, quae optimatum diſſidia ad firmandam potentiam alebat, non minus quam feſtinata Navarri ex aula diſceſſione, perculſa animo diſcruciabatur; et undique circumſpiciebat, quorſum inter homines hactenus inimiciſſimos ſarta nuper concordia evaderet.

XXIII. Interea, ne quid ad conciliandam regi dignationem, ſub quo rerum potiebatur, deeſſet, de ipſo inaugurando cogitare coepit. Itaque Fonte-bellaqueo diſceſſum eſt; et rex [g] Moncellum reginae parentis voluptarium praetorium in [h] Bria venit, et inde itinere per Nantolium facto aſſumptoque ſecum Guiſio [i] Durocortorum Remorum tandem pervenit. Ibi de Parium numero, et ordine, quo incedere deberent, controverſia a Lotaringis excitata, id unum, ut paſſim jactabatur, agentibus, ut, quanquam regii ſanguinis principes dignatione aequare non poſſent, eorum dignitati ſemper aliquod praejudicium facerent; eaque ſenſim infracta ſuam augerent, et captata aliquando occaſione fortunae beneficio uterentur. Pares Franciae, ſive eorum originem ad Carolovingos ſive ad Capevingos referas, xii antiquitus fuere: ſacri Ordinis archiepiſcopus [k] Remenſis, epiſcopi [l] Lingonenſis et Laodunenſis duces, epiſcopi [m] Bellovacenſis, Catalaunenſis et Noviodunenſis comites; ſacris ſoluti Burgundiae, Aquitaniae, Normaniae duces, Flandriae, Campaniae ac Toloſae comites. De eccleſiaſticis nunc non loquor, qui tempore minime mutavere: ceterorum ditiones tempore partim regiae coronae accreverunt, partim perierunt; et inſtituti paulatim alii, qui juxta creationis tempus in publicis regni ſolemnitatibus ac conſeſſibus ordinis praerogativam ſervant: eorum numerus minime definitus eſt, titulis illis honorificis pro regum arbitrio praecipuis dignatione aut gratia viris ſemper attributis; ſicuti Lotaringis accidit, qui omnes ea dignitate honeſtari ſtudioſe affectarunt. Sed cum in inauguratione regum, praeter eccleſiaſticos, vi ſolummodo adhibeantur, qui veteres illos repraeſentent, id ſemper ſervatum fuit, ut inter eos creationis tempus in incedendi aut ſedendi ordine inſpiceretur: non eadem ratio in regii ſanguinis principibus habita, quippe qui abſque ullis titulis et patriciorum privilegio gaudent et patricios omneis natalium praerogativa non patriciatus ratione praecedunt; quoniam dignitatis atque adeo perſonae regiae, quae cunctas alias exſuperat, pars ipſi quodammodo cenſentur. Inter ſe vero hunc ordinem ſervant, ut tantum ſuccedendi in regnum jus ſervetur; nulla praeterea publici muneris aut alius tituli,

INTERPR. [a] *les duc de Montpenſier & de Guiſe.* [b] *Fontainebleau.* [c] *Joinville.* [d] *Chantilly.* [e] *Guillaume de Montmorency ſieur de Thoré, & Leonor fille unique de Jean ſieur d'Humieres.* [f] *Nanteuil.* [g] *Monceaux.* [h] *Brie.* [i] *Reims.* [k] *de Reims.* [l] *de Langres, & de Laon.* [m] *de Beauvais, de Chaalons, & de Noyon.*

CIↃIↃLXI. CAROLUS IX.

tituli, niſi in bello, ratione, qui ſuccedendi ordine prior eſt, poſteriorem antecedit. Quod ſumma prudentia a majoribus noſtris conſtitutum fuit, ne videlicet legitimae ſucceſſionis ordo interverteretur. Primi tunc tamen id in dubium revocarunt Lotaringi; Guiſiuſque tenuit, ut poſt Navarrum ante [a] Monpenſerium ſederet, cum praejudiciis ageret, diceretque, eundem ſe locum nuper Franciſco rege, et antea parentem ſuum in Henrici inauguratione tenuiſſe. Ea contentione effectum, ut regina, quam de Borboniis ſecura tam de liberis ſuis ſolicita, Alexandrum proximum regis fratrem, qui poſtea Henricus dictus eſt, principem locum ante Navarrum, alioqui titulis, ſi eorum ratio habita fuiſſet, potiorem, tenere voluerit; quod in Franciſci inauguratione factitatum non fuerat.

XXIV. ANTEQUAM [b] Durocortorum rex veniret, petierat per literas Jacoba [c] Roana [a] Franciſci [d] Aureliani Rotelini marchionis vidua, ut Heliogorus Aurelianus [e] Longavillae dux filius magni camerarii munere in regis inauguratione defungeretur. Eam dignitatem Carolus VII in Joannem Aurelianum naturalem Ludovici Aureliani ducis filium propter egregia in regnum merita contulerat, ut, quoniam ob natalium defectum a regni ſucceſſione excludebatur, praecipuum gratiae et auctoritatis gradum ipſe poſteritaſque ejus in aula retineret. Quam dignitatem cum majores ejus CXX amplius annos hereditario jure tenuiſſent, Lotaringi a Franciſco Helionori patruele ad ſe tranſtulerant. Igitur veritus Guiſius, ne Longavillano dignitatis, quam praeter jus ademptam ſibi querebatur, repoſcendae ac retinendae occaſio praeberetur, ſic Rotelinae reſcripſerat, ut neque ei petitam gratiam denegaret, neque ita concederet, ut ex eo ſibi jus in ea dignitate Longavillani in poſterum arrogare poſſent. Nam conditio adjecta fuit, ut Longavillanus Guiſii loco magnum cubicularium ageret: quod non ſolum ille recuſavit, verum ob id a Guiſii filiae conjugio, de quo Rotelina parens, verita ne ſibi ob religionis cauſam periculum crearetur, dum filius nuper apud hoſteis eſſet, ſpem fecerat, alienior fuit, ac poſtremo ſpes illa omnino evanuit.

VAR. LECT. [a] Franciſci Aureliani *deſunt*. *D.* f. o.
INTERPR. [a] *François de Bourbon, duc de Montpenſier.* [b] *Reims* [c] *de Rohan.* [d] *d'Orleans, marquis de Rotelin.* [e] *Longueville.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER VIGESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

CONDAEUS frequenti ſenatu abſolvitur. II. Bellovaci ob religionem tumultuatur, et aliis locis nimia loquendi libertate: edictum in id conditum, quo inter alia Papiſtae et Hugonoti vocabula inhibebantur; quod mox Julianum ſecutum eſt, frequenti ſenatu diſceptatum et promulgatum. III. Oratio Hoſpitalii, in qua nationalis concilii injecta mentio: quod Romam perlatum oecumenico maturando cauſam praebuit. IV. Guiſius, qui Caletum uſque Scotorum reginam neptem domum redeuntem comitatus fuerat, in aulam reverſus, Condaeo reconciliatur. Summa dignitate quantum ad Condaeum, nec minore gravitate quantum ad Guiſium res acta. V. Comitia ad Eſiae pontem tranſlata; et in iis recitatae ſuper regni adminiſtratione factae inter reginam et Navarrum conventiones. VI. Catharinae non ita alienam ſe a Proteſtantium partibus pro tempore ſimulantis ad pontificem literae; quibus animum ejus pupugit, multa illis innuens, quae emendationem in religione cum temperamento poſſent recipere. VII. Colloquium Poſſiacenum; quo Theodorus Beza et Petrus Martyr Vermilius venerunt. VIII. Hoſpitalii oratio a cardinali Turnonio laudata; quem Beza excepit: IX. Qui Sectarii nomen et invidiam amoliri conatus, cum ad caput de ſacramentis et de tranſubſtantiatione diſputatio deſcendit, calore contentionis ita abripitur, ut multa illi magna cum aſtantium praeſulum indignatione ac fremitu exciderint. X. Turnonii de iis ad regem expoſtulatio, et Bezae altera oratione excuſatio. XI. Nihilominus repetitum colloquium aliquot poſt diebus; in quo cardinalis Lotaringus colloquii auctor luculentam habuit orationem. XII. Tertio conveniunt, poſtquam colloquium ad pauciores contractum fuit; in quo Beza de eccleſia, ejus notis, quas in ſincera verbi praedicatione et recta ſacramentorum adminiſtratione conſiſtere aiebat, de doctrinae ac perſonarum ſucceſſione, de Scripturae dignitate, an ei praeſtet eccleſia, ac poſtremo de vocatione prolixe diſputavit. Ad quam Cl. Eſpencaeus ſummo temperamento appoſitiſſime reſpondit. Suas partes et interpoſuit Claudius Sanctius. XIII. Venerant et a principibus Germaniae, qui Auguſtanam confeſſionem ſequuntur, paſtores, inſtigante Fr. Balduino; ſed nullo fructu. Liber de officio pii viri, quod ſuppreſſo auctoris, qui erat Georgius Caſſander, nomine, a Balduino propoſitus per manus hominum volitaret, mire odio Balduini exagitatus. XIV. Dein uno et altero conſeſſu de coena quaeſtio ventilata, et propoſita a paſtoribus formula ex Cyrilli Hieroſolymitani, ut aiebant, catecheſi; cujus extremam clauſulam improbavit Eſpencaeus, et aliam ſumma moderatione ſubſtituit. Mollita et interpretatione a Beza et ſociis prior formula. XV. Solutum colloquium: et praeſulibus mandatum, ut ſe ad futurum concilium pararent. XVI. Hiſpanis fama colloquii offenſionis cauſam praebet. XVII. Arturus Deſiderius, quod libellum Catholicorum, ut aiebat, nomine in Gallia ſubſcriptum in

Hiſpaniam

Hiſpaniam perferendum ſuſcepiſſet, iguominioſa poena mulctatur. XVIII. *Tanquerellus item, quod regem ratione ſceptri pontifici ſubjacere publica diſputatione aſſeruiſſet, recantare juſſus; et damnata ea doctrina coram univerſo Sorbonico coetu.* XIX. *Concilium Tridentinum inſtauratur, Coſmo Florentiae duce inſtante. Pauli Vergerii Juſtinopolitani quondam epiſcopi ſcriptum contra pontificium diploma.* XX. *Legati pontificii ad conventum Naumburgenſem veniunt, Caeſaris adjunctis oratoribus.* XXI. *Altercantur inter ſe Proteſtantes; et varia Auguſtanae confeſſionis exemplaria proponuntur.* XXII. *Gulielmi Arauſionenſis cum Anna Mauritii Saxonis ſeptemviri filia nuptiae.* XXIII. *Livonia Polonis ſubjicitur, Gotardo Ketlero ex magiſtro Ordinis duce Curlandiae creato a Sigiſmundo Auguſto, ſicuti Sigiſmundus ejus parens Albertum Brandeburgicum ex Teutonici Ordinis magiſtro ante ....*[1] *annos Boruſſiae ducem creaverat.* XXIV. *Valachia et Moldavia a Jacobo deſpota occupatae.* XXV. *Carafae Romae a novo pontifice male mulctati. Caroli cardinalis mors vita melior: in ſuas charitates indulgentia.* XXVI. *Navagerius, et M. Ant. Amulius, antea epiſcopatu Veronenſi, cum Romae pro republica oratorem ageret, a pontifice donatus, in illa tot cardinalium cooptatione creati cardinales. Senatus de Amulii creatione apud pontificem expoſtulationes.* XXVII. *Philippus, cunctante pontifice, Antonium Toletanum ad reginam mittit, ut nationale concilium impediat; qui ad Navarrum placandum vanis eum de Sardiniae regno et matrimonio Mariae Scotae, dimiſſa Joanna, promiſſis ludificat.* XXVIII. *Hippolytus Ateſtinus Ferrarienſis in Galliam a pontifice ob id legatus. Navarrus ad triumviros relictis ſuis inclinat, annitente Vincentio Laureo, et ſpem de regno Sardiniae et Tunetano conceptam confirmante, qui poſt cardinalis Turnonii obitum Navarro operam navabat.* XXIX. *Templa multis locis a Proteſtantibus occupata, et frequentatae publicae conciones: tumultuantur ob id Divionenſes in Aeduis.* XXX. *Lutetiae ingens ſeditio ad Medardi fanum in Sammarcellino ſuburbio. De ſeditioſis ſupplicium ſumptum, et prohibiti tota urbe conventus.* XXXI. *Joannis Tarnovii, Gabrielis Faerni, Arnoldi Arlenii Peraxyli, Melchioris Wolmarii obitus.*

EX AUCTORIBUS,

Joanne Placio, Joanne Serrano, actis colloquii Poſſiaceni a Claudio Eſpencaeo ſcriptis M. S. Simone Schardio, Jo. Baptiſta Hadriano, Petro Juſtiniano, Davide Chytraeo, Rogerio Tritonio Pinarolii Abbate, actis publicis.

NOT. [1] Lege xxxvi *annos*, ut Thuanus ipſe, in lib. 21.

LIBER

LIBER VIGESIMUS OCTAVUS.

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

CONDAEUS aula tunc aberat; qui dum haec agerentur Borbonio ſtatre cardinali ſtipatus ſe curiae ſtiterat, ubi [a] univerſis claſſibus convocatis quaedam de ſua innocentia, quam calumnioſe ab adverſariis nequicquam oppugnatam et ope divina defenſam aiebat, praefatus, veniſſe ſe in ſenatum dixit, ut in auguſtiſſimo juſtitiae templo atque adeo celeberrimo orbis theatro de ea plenius cognoſceretur. Tum auditus P. [a] Robertus; qui propoſito cauſae ſtatu, quam inique ea [b] Aureliani coram cancellario ac delegatis judicibus tractata et agitata fuiſſet, perverſo etiam ordine judiciario, oſtendir: nam neque appellationes interpoſitas, et ipſo denique neque per ſe neque pet patronum audito deciſas eſſe, neque petita a reo fatalia; ac proinde irritas contra eum latas ſententias. Quod vero ad interrogata minime reſponderit, non eo factum, quod conſcientia terreretur, aut regi, cui ſemper in aliis rebus libentiſſime paruerit, obſequi detrectaret; ſed ne regii ſanguinis principibus praejudicium faceret, quibus ſingulari praerogativa jus eſt, ne de eorum capite et exiſtimatione apud alios judices, quam coram rege in patriciorum curia quaeri poſſit. Cum Robertus peroraſſet, poſt quaſdam cum [c] cognitore regio altercationes, tandem conſentiente eo decernitur, ut Condaeus in ea cauſa actoris, cognitor regius defenſoris partes ſuſtineret, facultate ſibi ſervata, ut, ſi quas probationes adverſus Condaeum nanciſceretur, actoris partes reſumeret. Conceſſo ad eas conquirendas tempore, cum nullae repraeſentarentur, et interpellati quatuorviri a ſecretis ac jurejurando coram rege ac regina adacti nullas ſe habere publico inſtrumento teſtati eſſent, tandem referentibus Roberto [d] Boetio, Claudio [e] Anjorano, Hadriano [f] Draco et Euſtochio [g] Chambono, Senatuſconſultum factum Eidibus Junii, quo Condaeus purus et innocens a criminibus objectis declaratur, integro jure ipſi adverſus inſtigatores reſervato, ut ipſi pro perſonae ſuae ratione ac dignitate ſatisfiat: decretum inſuper, ut S. C. in ſupremis regni curiis promulgaretur et in acta referretur. Poſtea S. C. publice a Renato [h] Balieto praeſide recitatur frequenti ac purpurato ſenatu, ſedentibus ad dextram Navarro, cardinali Borbonio, [i] Monpenſerio et Rupiſurionio, [k] Guiſio, [l] Nivernio et [m] Momorantio equitum magiſtro, [n] Santandreano et Momorantio equitum tribunis; ad laevam, in qua ſacri ordinis ſenatores ſedent, [o] Lotaringo, Caſtellionaeo et Guiſio cardinalibus. Eodem die ſingularia de innocentia Magdalenae [p] Malliae Roiae Condaei ſocrus, Franciſci [q] Barbanſoni Canii, et Roberti [r] Haii, qui omnes in eadem cauſa involvebantur, Franciſci item [s] Vindocini Carnutum vicedomini, quamvis jam deceſſiſſet, Senatuſconſulta publice recitata ſunt a Claudio [t] Malono rerum capitalium ſecretario, ſalvo cunctis adverſus inſtigatores jure.

II. Diſſidentibus in aula ob religionem primoribus, per provincias ob eandem cauſam crebrae diſſenſiones exoriebantur, loquendi libertate impune permiſſa; unde

VAR. LECT. [a] univerſi ſenatus claſſibus. *MS. Sam.*

INTERPR. [a] *Robert.* [b] *Orleans.* [c] *le procureur general.* [d] *Bouette.* [e] *Anjouran.* [f] *du Drac.* [g] *Chambon.* [h] *Baillet.* [i] *le duc de Montpenſier, & le prince de la Roche ſur Yon.* [k] *le duc de Guiſe.* [l] *le duc de Nevers.* [m] *le connétable de Montmorency.* [n] *les mareſchaux de St. André & de Montmorency.* [o] *les cardinaux de Lorraine, de Chaſtillon, & de Guiſe.* [p] *de Maillé de Roye.* [q] *de Barbançon, ſieur de Cany.* [r] *la Haye.* [s] *de Vendoſme, vidame de Chartres.* [t] *Malon greffier criminel.*

CIƆIƆLXI. CAROLUS IX.

unde dicteria et factioſa ad contumeliam nomina Papiſtarum et Hugonotorum ab utraque parte uſurpari coepta: tumultus etiam paſſim concionatoribus plebem inflammantibus suborti, ut Colinii citra tumultum ſe publicam novae doctrinae promulgationem per provincias inſtituturum nimis audacter ſpondentis conatus impedirentur: et [a] [α] Samarobrigae quidem et ad [b] Eſiae-pontem res ad ſeditionem devenit. [c] Bellovaci vero Caſtellionaeus cardinalis civitatis epiſcopus et alioqui plebi percharus, feriis paſchalibus ob eandem cauſam in periculo verſatus fuerat: nam cum non in matrice eccleſia B. Petro ſacra, more majorum, ſed in privato palatii ſacrario cum nonnullis civibus domeſticiſque, ſacrum peragente L. [d] Buticulario theologo, coenam dominicam ſub utraque ſpecie ſumpſiſſet, ſparſa de ea re per urbem ſama, plebeculae mentes ita exacerbatae ſunt, ut aliquot juvenes ex iis, quorum res fideſque in manibus ſitae ſunt, praecipueque ii, qui lanificio victum quaeritant, paſchalium feriarum otio ab opere vacui, per urbis vicos diſcurrentes in nonnullorum domos involatent: inter alios Hadrianum [e] Forraeum presbyterum, qui clementatias preces novae religionis ritu pueros docere vulgo credebatur, corripiunt, domoque exturbatum protrahunt, adfligunt, mactant, atque in publica platea, ubi ſontes judicio damnati plecti ſolent, comburendum ſiſtunt: ad tumultum carniſex adcurrit, et, velut interdicto cum illis agens, miſeri hominis cadaver invadit, et cum magno furentium adplauſu indemnatum ſupplicio affecit. Eo ſpectaculo accenſi plures palatium epiſcopi jampridem adverſus ſimiles civium conatus turribus moenibuſque munitiſſimum circumſiſtunt, et cardinalem flagitant: a quibus cum per feneſtras purpurato habitu conſpectus eſſet, eorum furor ſtatim poſuit, et imminente nocte in ſuas quiſque domos dilapſi ſunt; poſtridieque vicina nobilitate in urbem convocata ſeditio omnimodo conquievit. Hac de re cum ad regem allatum eſſet, Fr. Momorantius equitum tribunus peninſulae Franciae, cui Bellovacum ſubeſt, praeſes, et Odeti propior ſobrinus mittitur; iſque [f] Silvanectenſis praefecturae judices regios ſecum Bellovacum duxit, ubi [β] quaeſtio in ſeditionis incentores per aliquot dies habita; in duos tantum eſt animadverſum, alterum fabrum ferrarium, alterum carnificem illum, quod abſque juſſu magiſtratus lege agere auſus eſſet: de ceteris cum parum liqueret, nihilque publico actum conſilio compertum eſſet, [1] amplius inquitendum cenſuerunt. Ob eandem cauſam Lutetiae in carcerem conjectus fuit Joannes [g] Hanus turbulentus concionator ex eo [h] ordine, qui a [i] Franciſco Paulenſi Ludovici XI tempore inſtitutus eſt. Itaque tandem diploma ad ſingularum provinciarum praefectos, non etiam ad ſupremas regni curias, quod res praeſentiori remedio egere videretur, miſſum, cum adhuc rex ad [k] Fontem-bellaqueum eſſet; quo ſancitum, ne Hugonoti et Papiſtae vocabula contumelioſe uſurpentur; ne ſecuritas et honeſta libertas, qua unuſquiſque frui debet, ullo modo violetur; ne quis magno vel exiguo ſtipatu domos alienas ſuperiorum edictorum, quae coetus illicitos prohibent, praetextu ingrediatur: qui religionis cauſa, ante primum pro illorum libertate conditum edictum, vincti ſint, ſtatim ſolvantur: qui ob eandem cauſam regno exceſſerint a Franciſci I tempore, iis revertendi plena bonorum ac corporum [γ] libertate facultas ſit, dummodo catholice et ſine offenſione vivant; qui nolint, iis ſuas facultates diſtrahere, atque alio migrare jus ſit. Ne reſcriptum Lutetiae promulgaretur, vetuit ſenatus, et apud regem interceſſit; primum, quod contra morem factum eſſet,

VAR. LECT. [α] Ambiani. *D. f.* [β] quaeſtione. *D. f. o.* [γ] libertate conceſſa. *D. f.*

INTERPR. [a] *Amiens.* [b] *Pontoiſe.* [c] *Beauvais.* [d] *Bouteiller.* [e] *Fourré.* [f] *de Senlis* [g] *de Han.* [h] *Minime.* [i] *S. François de Paule.* [k] *Fontainebleau.*

NOT. [1] *potius* non amplius.

eſſet, ut reſcriptum ad praefectos, non ad ſupremas curias mitteretur; quippe cum legis vigorem apud praefectos habere non poſſit, niſi prius in curiis promulgatum fuerit; deinde, quod eo religionem, quam quiſque velit, amplecti libertas conceſſa videatur, cum vera tantum falſis rejectis hactenus in hoc regno admiſſa fuerit; quod item facultas redeundi jam a multo tempore ob falſam religionem exulantibus tribuatur, quod magnarum procul dubio turbarum occaſionem daturum ſit: nec obſtare clauſulam appoſitam, dummodo catholice et citra offenſionem vivant; nam uſu quotidiano repertum eſſe, pleroſque catholici nomine pernicioſe abuti: denique, quod iis, qui exulant, et catholice vivere nolint, bona vendendi et alio ſe conferendi libertas detur: non enim id niſi contra regni leges concedi poſſe; quippe quae pecunias regno et maxime ad hoſteis exportari prohibent. Utcunque promulgato edicto, quamvis non aeque ubique obſervaretur, mox liberati ſunt qui carcere retinebantur, et, qui ob religionem exulabant, ſtatim in patriam quaſi poſtliminio revertuntur; unde numerus Proteſtantium magnopere auctus, et jam frequentiores coetus haberi coepti. Ea propter cardinalis Lotaringus, dum rex adhuc [a] Durocortori Remorum eſſet, apud reginam conqueſtus fuerat, res in pejus ruere, edictis regiis pleroſque et libertate iis permiſſa ad licentiam abuti; coitionibus ac coetibus vetitis agros, vicos, ac tandem urbes perſonare; ad conciones audiendas paſſim concurſum fieri, etiam imperitos ad eas rei novitate accedere, eademque, qua illi coeant, facilitate ſeduci: frigere interea antiquarum ceremoniarum cultus, quae jam a multis irrideantur; ac quamplurimos a nobis quotidie transfugere, et in Proteſtantium numerum cooptari: aliis ſuper alia edictis promulgatis nihil aliud actum, quam ut incuria judicum alatur, et negligentiae eorum excuſatio quaeratur: itaque conſultum videri, dum colloquium ad ſedandas de religione diſſenſiones regis juſſu inſtituatur, ut nihil in ejus cauſa innovetur, eaque de re lex ſanciatur ex ſenatus conſilio religioſe in poſterum obſervanda: quod a cardinali conſulto dictum plerique interpretabantur, qui exploratis ſenatorum Pariſienſium ſententiis ac voluntatibus hoc moliebatur, ut hoc praejudicio conſilium de nationali ſynodo, quam pontifici parum probari fama erat, impediret. Itaque eo inſtante, rex cum regina ac ceteri primores regni et ſacri conſiſtorii aſſeſſores, et in iis Condaeus ipſe, paulo poſt in ſenatum venere, ut in eo pacandis rebus utile conſilium caperent.

III. Heic regis nomine praefatus [b] Hoſpitalius ſenatores monet, ut in dicendis ſententiis breviores eſſent; non enim de religione ipſa, cujus cauſa in nationali concilio propediem agitanda ſit, ſed de remediis agi, quibus obviam iri poſſit tumultibus quotidie ob religionem exorientibus, quo fiat, ut publica quies conturbetur, et obſequium majeſtati regiae debitum paulatim per licentiam evaneſcat. Tres fuere omnino ſententiae: prima, ut poenis in Proteſtanteis abſtineretur, quouſque res concilii decreto decideretur; altera, ut in eos capitis ſupplicio animadverteretur; tertia ejus rei cognitionem ad eccleſiaſticum forum remittebat, propoſita capitis poena in eos, qui coitiones aut conventus illicitos clam aut publice cum armis aut ſine armis haberent; interdicta item concionandi et ſacramenta adminiſtrandi libertate alio ritu ac modo, quam qui in Romana Eccleſia obſervatur. Haec ultima calculo a Jo. [c] Tilio inito poſt longas altercationes ceteras numero vicit; frementibus pleriſque, qui fraudem in recenſendis ſententiis factam dicebant, et eorum ſententias numeratas, qui deliberationi initio non interfuere; quod, ut contra morem ac leges factum, non ferendum eſſet.

CIↃIↃLXI.

CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Reims.* [b] *le chancelier de l'Hoſpital.* [c] *du Tillet.*

CIↃIↃLXI. CAROLUS IX.

eſſet. Tandem ſecundum hanc ſententiam adhibito temperamento edictum conditum, quod Julianum a menſe appellatum eſt, ut omnes pacate viverent, ab injuriis abſtinerent, neque ſe conviciis invicem provocarent; ne qui delectus, obſignationes, aut aliud quidquam, quod factionem, conſpirationem aut in partes diſceſſionem redoleat, in poſterum fieret; ne concionatores verbis turbulentis ac ſeditioſis ullo modo uterentur, ſed populum modeſte inſtruerent; qui ſecus feciſſent, capitis poena plecterentur; cjuſque rei cognitio penes provinciarum praefectos, et ſedcis, quas praeſidialcis vocant, eſſet: ne quae publice ſeu privatim cum armis aut ſine armis conciones haberentur, aut ſacramenta adminiſtrarentur, alio quam recepto in ecclesia catholica ritu; ad eccleſiaſticum forum haereſeos cognitione remiſſa; a quo ſi reus denique brachio ſaeculari tradatur, hoc eſt, ad judices regios remittatur, ab iis gravior quam exilii poena non irrogetur: et haec eo uſque locum habeant, dum ſynodi univerſalis aut nationalis decreto aliter ſtatuatur. Facta eodem edicto iis, qui turbas in hunc uſque diem ob religionem moviſſent, gratia, et abolita earum rerum memoria, modo catholice ac pacate in poſterum vivant: falſis item delatoribus graves poenae conſtitutae; et armis omnino interdictum, exceptis iis, quibus edicto permittitur. Eodem conſeſſu, ſed ſeparatim, decretum, uti antiſtites ad colloquium religionis cauſa indictum propediem convenirent, et Proteſtantium miniſtris ad coetum illum venturis publica fide idonee caveretur. Id actum contradicentibus pleriſque, qui de doctrina hactenus recepta compromitti et majorum religionem in diſcrimen temere vocari conquerebantur. Sed Lotaringus cardinalis oſtentandi ingenii et popularis aurae captandae ad vanitatem uſque cupidus, annitente regina, unus tenuit, ut colloquium haberetur, cum ſe patrum teſtimoniis ſectarios confutaturum palam jactaret, et ſuorum animos magnificis pollicitationibus impleret. Itaque quo triumphus ille ſpe jam certus maturaretur, ad [a] Poſſiacum oppidum, quod haud longe a [b] Germani-ſano abeſt, colloquium ad IIII Eid. Auguſti menſis indicitur. Eo cuncti ab utraque parte convenire juſſi. Aliquanto ante tempore Fr. [c] [α] Scarſius, teſtimoniis manu propria ſcriptis, ut jactabatur, convictus fuerat de occulta in Navarri perniciem cum Guiſio contracta amicitia, ob idque ex ejus familia expulſus fuerat; qui tunc demum ab ipſo revocatus eſt et priſtino loco [β] habitus. Id tulere graviter plerique, quibus ſuſpecta erat Scarſii fides; Colinioque auctores fuere, ut propere in aulam, unde, cum rex [d] Durocortorum proficiſceretur, diſceſſerat, rediret, et Navarro, quem jam adverſariorum aſtu undique circumſeſſum dolebant, ad omnia praeſto eſſet.

IV. GUISIO interea [e] Caleto, quo Mariam Scotorum reginam uſque proſecutus fuerat, in aulam reverſo, nulla potior cura fuit, quam ut Condaeo reconciliaretur; qui ob id a rege accerſitus clam amicos per literas rogat, ut ſibi praeſto ſint, ac [f] Franciſcum Momorantium Annae filium in primis; qui cum multa nobilitate, ſed ſerius, ad eum venit, jam re confecta. Ita autem inter eos tranſactum eſt, V Kal. Sept. Rex coram Navarrae rege, [g] Borbonio, Lotaringo, Caſtellionaeo, Armeniaco, Guiſio cardinalibus, [h] Monpenſerio et Rupiſutionio, [i] Nemoroſio, Nivernio, Longavillano, [k] Anna Momorantio, [l] Jo. Broſſio

VAR. LECT. [α] Scarſius, de quo diximus, homo avarus et quaeſtus faciendi ex re qualibet occaſionem captans, teſtimoniis manu MS. Sam. [β] habitus, quod homo voluptatibus deditus non alium magis ad libidinem factum et obſequentem miniſtrum reperiret. Id tulere MS. Sam.

INTERPR. [a] *Poiſſy.* [b] *St. Germain.* [c] *d'Eſcars.* [d] *Reims.* [e] *Calais.* [f] *le mareſchal de Montmorency.* [g] *les cardinaux de Bourbon, Lorraine, Chaſtillon, Armagnac, & Guiſe.* [h] *le duc de Montpenſier & le prince de la Roche ſur Yon.* [i] *les ducs de Nemours, Nevers, & Longueville.* [k] *le conneſtable de Montmorency.* [l] *Jean de Broſſe, dit de Bretagne,* IV *du nom duc d'Eſtampes.*

Broſſio Stampenſi ducibus, M. [a] Hoſpitalio cancellario, [b] Santandreano ac Briſſaco equitum tribunis, et [c] Colinio maris praefecto, aliiſque ſacri conſiſtorii aſſeſſoribus, Condaeo et Guiſio praeſentibus, converſo ad parentem ſermone, eo univerſos, qui adſint, evocaſſe dicit, ut diſſidio, quod Condaeo cum Guiſio intercedit, compoſito, ipſi reconcilientur, quod facturos illos in ſuam gratiam et propter publicam tranquillitatem confidat. Tum juſſus a rege Guiſius, ut ſe res haberet, Condaeum plenius edocere; pariturum ſe regis juſſis reſpondit, et Condaeum honorifice compellans teſtatus eſt, ſe nunquam auctorem, inſtigatorem aut conſultorem extitiſſe, ut Condaeus in carcerem conjiceretur. Ad quae verba converſus Condaeus, compellato itidem Guiſio, illum ſe pro nefario ac ſcelerato habere dixit, qui quidquam tale contra ſe ſit molitus. Dicentem rurſus excepit Guiſius, et ita quidem ſe credere ait, ceterum nihil hoc ad ſe pertinere. Quo facto rege jubente ſe mutuo amplexi, ut inter cognatos decet, firmam ac ſinceram amicitiam invicem polliciri ſunt. Ejus rei documentum publicum confectum, et a Cl. [d] Albaſpineo et Jacobo [e] Burdino a ſecretis regis mandatis ſubſcriptum eſt. Magno omnium plauſu in ſpeciem in aula id actum, publicamque laetitiam regina eodem die acceptis lautiſſimo convivio cunctis aulae primoribus teſtata eſt. Succenſuere quidam Momorantio, quod obvia illa officii oſtentatione ſe nimis Borbonii partibus addictum demonſtraſſet; excuſante factum patre, quod, cum proxima neceſſitudine Condaeum contingeret, indignum ſe illa honorifica adfinitate praebuiſſet, ſi primario principi in tempore defuiſſet. Sed plures nimis praecipitem Condaei in ea re animum accuſabant, quod providerent, poſtquam Guiſius cum eo reconciliatus eſſet, nihil impediturum, quo minus Momorantius, qui ſolius decoris et exiſtimationis ratione Condaeo ſemper antea, alioqui ab eo ob religionem alienus, praeſto fuerat, deinceps arctiſſimam cum Guiſio amicitiam coleret.

V. Coepta [f] Aureliani priore anno comitia in Maium proximum rejecta fuerant: inde rurſus propter ingruentem negotiorum molem in Sextilem dilata ſunt, et ad [g] Eſiae-pontem indicta. Eo Andreas [h] Mortarius miſſus, et mox Colinius, ut conventiones de regni adminiſtratione inter reginam ac Navarrum factae ab regni Ordinibus confirmarentur; quod niſi enixis ipſius Navarri precibus vix ab iis obtineri potuit [α]. Cum vero Ordines compilandis provinciarum poſtulatis multum jam temporis impendiſſent, pridie quam Guiſius cum Condaeo reconciliatus eſt, principium comitiis rex ad [i] Germani-fanum fecit in aula ad id deſtinata. Ibi rex in throno eminebat, ad laevam regina parente, et infra ſorore, et rurſus humiliori loco Navarro ſedentibus; ante quos ad dexteram Momorantius magiſter equitum, ad laevam Hoſpitalius erant; Guiſius cum ſcipione liliis aureis diſtincto, quod magiſtri palatii inſigne eſt, humi porrecto ad regis pedes erat. Controverſia ab aliquot cardinalibus mota, qui ſacroſancti Ordinis praerogativa regis conſanguineos principes praecedere volebant; ſic enim in aliis paſſim regnis factitari: ſed cum pro illis contra eos pronunciatum eſſet, acquievere [k] Caſtellionaeus et Armeniacus, et infra principes aſſedere; nam Borbonius cardinalis, quod aetate grandior Condaeo fratre eſſet, poſt Navarrum ſedebat:

VAR. LECT. [α] potuit, proteſtatione ſecreta prius facta, cum dicerent, ab Ludovici IX temporibus nunquam auditum in Francia aut factitatum fuiſſe, ut foeminae minoribus regibus regnum adminiſtrarent. Cum vero *MS. Sam.*

INTERPR. [a] *le chancelier de l'Hoſpital.* [b] *les mareſchaux de St. André & de Briſſac.* [c] *l'amiral de Coligny.* [d] *de l'Aubeſpine.* [e] *Bourdin.* [f] *Orleans.* [g] *Pontoiſe.* [h] *du Mortier.* [i] *St. Germain.* [k] *les cardinaux de Chaſtillon & d'Armagnac.*

CIƆIƆLXI.
Carolus IX.

ſedebat : [a] Turnonius purpuratí collegii princeps, [b] Lotaringus et Guiſius e comitiorum aula diſceſſere, non ſine manifeſto contra collegas fremitu, nec occulta Guiſii obmurmuratione, quoſdam nimirum inter cardinaleis eſſe, qui galerum ornent, quoſdam, quibus galerus ornamento ſit. Tum pauca praeſatus Hoſpitalius, cur comitia in hunc diem dilata eſſent, cunctos regis nomine admonuit, ut libere de republica ſententiam dicerent, et coeptum negotium perſequerentur. Pro [α] plebe Jacobus [c] Britannus Auguſtodunenſis praetor verba fecit, initio a gratulatione ducto, quod reginae ac Navarro optime conveniret, ex qua concordia cuncti proſpera omnia regi ac regno ominabantur. Tum in ſacri Ordinis corruptos mores et diſciplinam depravatam acerba oratione invectus eſt ; ſoedam ignorantiam inter ſacerdotes graſſari, nec ut fieri debeat commiſſos ſibi greges docere, ſuove exemplo ad puram integramque vitam praeire, ſed profligatis moribus populo offenſionem parere, et quaſi conductitios mercede omnia facere, nullaque re minus quam officio gaudere, dum ſe totos voluptatibus mancipant, et nimio otio ac luxu licenter exultant ; hanc eſſe, nec aliam malorum, quae regnum hoc olim florentiſſimum affligant, cauſam. Proinde plebis nomine petit, uti rex, cujus proprium munus eſt religionis patrocinium ſuſcipere, id ſedulo agat, et pullulantem vitiorum luxuriem reſecet, adempta omni ſacerdotibus juriſdictione, quae ipſis minime conveniat : verum, iis opibus in pios uſus diſtributis, curet, ut nationale concilium, quod eſt unicum et praeſentiſſimum his malis componendis remedium, legitime celebretur, eoque libere accedentibus fide publica caveatur. Concilio praeſit rex, illiuſve loco conſanguinei principes. Interim, dum de religionis controverſiis decernitur, publice conveniendi et conciones audiendi iis, qui Romanae eccleſiae ceremoniis, religione praepediti, intereſſe non poſſint, facultas detur : et quoniam coetus illiciti omnes prohibiti ſint, iis praefecti regii ac miniſtri provinciarum inſpectores adſint regis mandatu, et videant, ne quid inde rex aut reſpublica detrimenti capiat : non debere adverſus eos praejudicium valere jampridem uſurpatum, quemadmodum nec longa temporum praeſcriptio, quae a Romana eccleſia profertur, facere poſſit, ut mendacium veritatis loco habeatur : nam religionis cauſam non gladio aut convitiis, ſed amice et verbo Dei tranſigendam. Poſtremo inſtituit querelam de juridicis magiſtratibus, qui nundinationibus, non meritis, ad honores provehuntur ; petit, ut deinceps viri ab avaritia alieni, pietate, morum probitate, denique eruditione praediti praeſtantiſſimo huic muneri nullo pretio accepto a rege praeficiantur ; qui eligantur ea, qua in comitiis [d] Aureliani nuper rege conſentiente convenit, via ac forma. Eadem fere a . . . . , qui pro nobilitate orationem publice habuit, dicta. Qui pro ſacro Ordine locutus eſt, dilutis ſobrie, quae adverſus ſe dicta fuerant ; petit, ut rex praecipuam, uti debeat, religionis cauſam, et Ordinem univerſum commendatum habeat ; illius jura, privilegia, dignitatem, quibus reſpublica maxime in officio continetur, ſervet, ornet, augeat. Actum inibi et de aere alieno diſſolvendo, et multa in medium adducta, quibus aerarium ſuperiorum temporum ſeu bellis ſeu nimiis largitionibus exhauſtum ſuppleretur ; ut, qui regias pecunias adminiſtrarunt, rationes reddere tenerentur, et interim dum plene ſatisfieret, iis conſiſtorii ſacri aditu et muneribus publicis interdicatur ; immenſae donationes ac profuſae largitiones ac penſiones a quibuſvis perſonis, regina una excepta, repetantur ; ſacerdotiorum litigioſorum

VAR LECT. [α] plebe M. Britannus *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Tournon, deyen des cardinaux.* [b] *les cardinaux de Lorraine & de Guiſe.* [c] *la Popeliniere, Mezeray & autres l'appellent Jean de Bretagne, lieutenant general d'Autun.* [d] *Orleans.*

gioſorum fructus fiſco addicantur. Multa et ſacro Ordini detrimentoſa propoſita; ut ex ſacerdotiis, ſi IↃ nummarias libras aequarint, quarta pars, ſi CIↃ, tertia, ſi III CIↃ librarum exceſſerint, dimidia pars decidatur, et aerario applicetur: qui XII CIↃ librarum annuos reditus percipiunt, his III CIↃ relinquantur, cetera regi attribuantur. Cartuſianis item, Coeleſtinis, Mathurinis, Minimis, ac Monialibus omnes reditus, qui ipſorum alimenti modum ſuperent, adimantur. Item res ſoli omnes, exceptis praecipuis caſtellis et aedibus, in quibus epiſcopi et canonicorum collegia domicilia habeant, venundentur; ex quibus ratione diligenter inita conſtabat, CXX librarum myriadas confici poſſe, quarum tertia parte ſacerdotibus relicta, et foenori collocata, tantum emolumenti dominis, quantum ex fundis ſuis rediret; reliquae ſummae ad aes regni diſſolvendum impenderentur; ſicque aucto [a] regio aerario tandem populus tributis, quibus ultra modum gravatur, in poſterum levaretur. Poſtulatum inſuper, ut Julianum edictum nuper factum, quo coetus ad conciones audiendas prohibebantur, revocaretur; eo tamen temperamento, ut in iis libertatis praetextu nihil contumelioſum aut licenter ageretur, neque novae ſectae promiſcue admitterentur: nationale concilium convocaretur, cui rex praeeſſet: juriſdictiones omnes ſacerdoribus adimerentur, et fiſco addicerentur. Alia inſuper voce et ſcripto ab Ordinibus poſtulata; quae omnia fere in ſacri Ordinis perniciem recidebant, collabente ſenſim in regno pontificia auctoritate; et multis, ſeu pietatis ratione, ſeu novarum rerum ſtudio, Proteſtantium cauſae manifeſte faventibus et quotidie ad eos ſe aggregantibus. Itaque ſacer Ordo, ut tempeſtati imminenti praeverteret, et opum invidiam amoliretur, regi ultro IIII decimas quotannis in ſexennium pendendas bene conſultus obtulit, ſicque pacatos pro tempore aulae primores et in poſterum aequiores habuit. Sub id tempus [a] Jacoba Lonviana Monpenſerii uxor V Kal. Sept. ex tabe deceſſit, virili animo et prudentia ſupra ſexum inſignis, quae ſemper publicae tranquillitati ſtuduerat; et, ſi diutius vixiſſet, motus, qui poſtea ſecuti ſunt, impeditura credebatur. Filias V reliquit: quarum Franciſca grandior natu jampridem Henrico-Roberto [b] Marciano Bullionii duci nupſerat; altera Anna nomine, quae Elizabetham reginam in Hiſpaniam comitata fuerat, in Galliam reverſa [1] Henrico [c] Clivio Nivernio elocata eſt, quae paulo poſt fatis conceſſit: reliquae a patre ita domum ſuam magno ſe onere levaturum exiſtimante velatae et in monaſterium truſae ſunt, fremente matre, quae Carlotam [d] Longavillano duci uxorem deſtinaverat, et jam tum animadvertere ſibi videbatur, aegre filiam in monaſticam profeſſionem conſentire. Nec vanum matris augurium fuit. Nam aliquanto poſt voto ejerato in Germaniam conceſſit, a Friderico Palatino ſeptemviro perhumane excepta, et Willelmo [e] Naſſovio Arauſionenſi principi nupſit, uti ſuo loco plenius dicemus. Antequam moreretur Lonviana, Joannis [f] Malonis colloquium expetiverat, et ab eo inſtructa ſacrum etiam-viaticum enixe petierat, quod ei a Malone denegatum eſt, myſterium illud non in id inſtitutum dictirante, ut ſingulis privatim, ſicuti baptiſmus, communicaretur, ſed ut plures ſimul ei participarent; quibus tamen rationibus minime illi ſatisfieri potuit.

VI. DUM colloquio condictum tempus adventaret, regina de rebus Proteſtantium in ſpeciem ſolicita ex Jo. [g] Monlucii Valentini epiſcopi, ut creditur, conſilio

CIↃIↃLXI.

CAROLUS IX.

VAR. LECT. [a] regis *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Jacqueline de Longwic, ducheſſe de Montpenſier.* [b] *de la Marck, duc de Bouillon.* [c] *François de Cleves, II du nom duc de Nevers.* [d] *Leonor d'Orleans, duc de Longueville.* [e] *de Naſſau, prince d'Orange,* [f] *Malot.* [g] *de Montluc, evêque de Valence.*

NOT. [1] Dele *Henrico*: lege *Franciſco.* Vide Hiſt. generale de la France, Vol. 1, p. 355; Vol. 3, p. 451. *C.*

filio prolixas ad pontificem dat literas prid. Non. Sextil. quibus propoſito ante oculos regni ob religionis diſſidium periculo cum ad remedia mature adhibenda hortatur: nam multitudinem eam eſſe illorum, qui ſe ab eccleſia Romana ſeparaverint, ut jam legibus ac ferro coerceri non poſſit; eam auctoritatem complurium ex nobilitate et praecipuis magiſtratibus eſſe, ut multos exemplo ad ſuas partes trahant; eam concordiam, [α] ut vireis et incrementa toti regno formidanda in dies accipiant: neque tamen inter eos raro Dei beneficio ullos Anabaptiſtas, Libertinos et hujuſmodi monſtroſarum opinionum ſectatores reperiri; aut illos, qui XII ſymboli apoſtolici capitibus illorumve interpretationi per VII oecumenica concilia factae contradicant: proinde pleriſque unionis Catholicae ſtudioſis conſultum videri, ut licet diverſa in aliis ſentientes ad communionem eccleſiae admittantur: id citra periculum fieri poſſe, eamque optimam rationem eſſe ad eccleſiae Latinae ac Graecae ſarciendam concordiam; nec deſperare viros pios, quin, ita ſedatis contentionibus, Deus, qui ſuis ſemper praeſto eſt, veritatis genuinam lucem diſcuſſis tenebris tandem aliquando reſtituat: quod ſi minus probetur, et generalis concilii auxilium exſpectandum ſit, interea, quando neceſſitas urgeat, et in mora periculum ſit, particularia remedia expediri debere; quibus et illi, qui jam ſe ab unione diviſerunt, revocentur, et ii, qui in unione remanſerunt, ab ea non alienentur; et ad primos quidem conciliandos, conducere crebras admonitiones et doctorum ac pacis ſtudioſorum virorum frequentia ab utraque parte ac pacata colloquia; epiſcoporum item ac ceterorum miniſtrorum in verbi Dominici praedicatione diligentiam, qui populos ad charitatem ac mutuam pacem incitent, moneantque ut acerbioribus utrinque appellationibus et injurioſis contentionibus abſtineatur: quod ad eos, qui in unione remanſerunt, ſed ſcrupulis quibuſdam tenentur, offenſionum cauſas, ne ob eas tandem ſe alienent, praecidendas eſſe; imaginum ante omnia uſum a Deo vetitum et a B. Gregorio improbatum ſaltem e loco adorationis omnino tollendum; in baptiſmo exorciſmos et certas precum formulas, quae extra ejus inſtitutionem ſunt, omitti poſſe, ac ſufficere, ut aqua et verbum tantum juxta Dei praeſcriptum adhibeantur; ſputi in infantuli os injectionem non ſolum non [β] neceſſarium videri, verum etiam non carere periculo: ſacrae communionis uſum integrum, hoc eſt, ſub utraque ſpecie ſine perſonarum diſtinctione reſtitui debere; nec Conſtantienſis concilii, quod Dei mandato praeponderare minime debeat, auctoritatem, quo minus id fiat, obeſſe poſſe: offendere item multos, quod ſinguli aut pauci nec juxta Dei inſtitutum communicent, nullis adhibitis precibus, quae ab omnibus intelligantur, aut explicato tam tremendi myſterii uſu: proinde viros pios optare, ut antiquus S. Euchariſtiae uſus reſtituatur, et antiſtites primis menſium ſingulorum Dominicis diebus, vel ſaepius, ſi fuerint rogati, omneis, qui communicare velint aut debeant, convocent; tum pſalmis populari ſermone ab omnibus cantatis, fidei ac generalis peccatorum confeſſio edatur; publicae preces pro principe ceteriſque magiſtratibus eccleſiaſticis et aliis, pro aeris ſalubritate, terrae fructibus, proque afflictis concipiantur: ſecundum haec, Evangeliſtarum aut B. Pauli locus de S. Euchariſtiae uſu praelegatur et explicetur; [γ] deinde ad communionem ſub utraque ſpecie omnes, qui adſunt, recipiantur; interea recens, et nuper inventum Dominici corporis feſtum, quod multarum offenſionum cauſam praebeat, et minime neceſſarium ſit, aboleatur: nam myſterium illud ad adorationem et ſpiritualem cultum, non ad pompam et ſpectacula inſtitutum eſſe:

VAR. LECT. [α] ut per eam vireis *D. f.* [γ] et ita ad *D. f. o.*
[β] neceſſariam *D. f. o.*

eſſe: [*] in celebratione etiam externa peccari; primum, quod omnia illic peregrino et incognito ſermone recitentur, cum tamen preces non ad ſacerdotum tantum, ſed omnium audientium utilitatem fundantur; quod cum ita ſit, quis incognito ſermone reſpondeat, Amen? quod ſi Latinum idioma retineri placeat, ſaltem adhibendam interpretationem vulgari, et qui ab omnibus intelligatur, ſermone: praeterea contra inſtitutum myſterii fieri, quod unus tantum in ſacrificio communicet, populo interim nequicquam otioſe inſpectante: in ratione item colendi Dei hoc deſiderari, ut pſalmorum cantio lingua vernacula in uſum revocetur, et preces privatae communi, et qui a vulgo percipi poſſit, ſermone concipiantur: haec eſſe, quae caſtigatione egere videantur: et expetere quidem viros pios, ut nihil de auctoritate pontificia detrahatur; nihil in doctrina mutetur; et, ſi quid in miniſtris eccleſiaſticis peccatum fuerit, non ideo miniſterium tollatur, ſed illius ſemper ſarta tectaque auctoritas ſervetur: ceterum iſtis ſemel bene ſtabilitis, nihil incommodi aut abſurdi conſequi poſſe, ſi in ceteris ad emendationem eorum, quae offenſionis cauſam praebent, cum charitate et cura ſerio attendatur. His literis Gallica libertate et tempore maxime ſuſpecto, quo de concilio nationali apud nos habendo fama paſſim increbuerat, ſcriptis, immane quantum commotus eſt pontifex: quod tamen ab illo pro tempore diſſimulatum in cauſa fuiſſe creditur, ut de concilio oecumenico, cujus ſpem magis excitaverat, quam fidem praeſtare decreverat, ſerio cogitare coeperit.

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

VII. JAMQUE tempus inſtabat, quo colloquium Poſſiaci indictum celebraretur. Poſtquam venere praeſules ac theologi, deliberatione habita capita proponunt Kal. Sextilibus, de quibus in colloquio agendum eſſet: quibus tempus haud magno fructu [a] conſumptum. Nam diſputabatur inter eos de munere epiſcoporum, de eccleſiarum cathedralium dignitate, de collegiis et eorum exemptione, de curionibus et hujuſmodi ſacerdotiorum ordinatione et penſione idonea iis attribuenda, de presbyterorum numero coercendo, de monaſteriorum emendanda diſciplina, de commendis, quas vocant, et beneficiis, quae ſimul haberi non poſſunt, de litium ob ſacerdotia luxuria reſecanda, poſtremo et de cenſuris eccleſiaſticis: quibus de rebus ubi reſpondiſſent, abunde ſe laboranti eccleſiae in his turbis ſubveniſſe exiſtimabant. Ad colloquium vocati jam convenerant Auguſtinus [a] Marloratus, Franciſcus a [b] Pauli-ſano, Jo. Raimondus [c] Merlinus, Jo. [d] Malo, Franc. [e] Morellus, Nic. [f] Tobias, Theodorus [g] Beza, Claudius [h] Boſterius, Jo. [i] Boquinus, Jo. [k] Viretus, Jo. [l] Turrius, Nic. [m] Gallaſius: ad illos mox ſe aggregavit Jo. [n] Spina, qui abjurato nuper Dominicanorum Ordine tunc primum aperte Proteſtantium religionem profeſſus eſt: nec multo poſt [o] Tiguro evocatus

D. f. [*] *in ſacrificio itidem, quod ab imperitis ſacrificulis ac vitae perditae nebulonibus plerumque non ſine piorum offenſione proſtituatur ac venundetur, graviſſime peccari; multos etiam de eo ambigere, quippe qui non admittant, quod eccleſiaſtici affirmant, Chriſtum in eo offerri, nec aequo animo ferant, pluris illos ſuum illud quam Chriſti ſacrificium aeſtimare; ſed doctiores ſic cenſere, ſacrificium illud, quod a ſacerdotibus ſit, tantum eſſe veri illius ſacrificii ſemel pro nobis a Chriſto peracti ſignum ac monumentum: et perperam facere imperitos presbyteros, qui male imperitam plebem imbuant, ut eos pro Sectariis habeat, qui aliter quam ipſi ſentiunt:*

VAR. LECT. [a] conſumptum, quaſi ex iis ſarcienda eſſet diſſidiorum nuper exortorum concordia. Nam diſputabatur. *MS. Sam.*

INTERPR. [a] *Marlorat.* [b] *de St. Pol.* [c] *Merlin.* [d] *Malot.* [e] *de Morel.* [f] *Thobie.* [g] *de Beze.* [h] *de la Boiſſiere.* [i] *Bouquin.* [k] *Viret.* [l] *de la Tour.* [m] *des Gallars.* [n] *l'Eſpine.* [o] *Zurich.*

CIƆIƆLXI. CAROLUS IX.

tus [a] Petrus Martyr Vermilius, inter ſuos magni nominis theologus, in aulam venit. Ii porrecto per Auguſtinum Marloratum et Franciſcum a Pauli-ſano regi libello, ut facilior colloquio habendo via ſterneretur, quatuor petierant; ut epiſcopi ac praeſules in hac actione tanquam partes, non tanquam judices, ſederent; ut rex colloquio ſeu collationi cum ſacri conſiſtorii ſenatoribus praeeſſet; ut controverſiae omnes ex ſolo Dei verbo deciderentur; ut quicquid conventum ac decretum fuiſſet, id per notarios et amanuenſeis, de quibus partes prius conveniſſent, ſcriptis mandaretur, quibus proinde integra fides haberetur. Libello ad conſiſtorium remiſſo, cum nullum reſponſum daretur, tandem apud reginam illud urgent, quae conſentanea fere poſtulatis reſpondit, niſi quod pro notario unum e quatuorviris a ſecretis actioni [α] inſervire voluit; ita tamen ut iis liberum relinqueretur, per quem vellent, quae in colloquio agitarentur, ſeu de capite conveniretur, ſeu controverſum remaneret, ea dietim in commentarios referre. Sed cum rurſus inſtarent, ut, quandoquidem conveniret ut rex colloquio praeeſſet, ejus rei et ſibi fides ſcripto fieret, regina petiit, ut ſibi fidem haberent, neque inſtarent, ut id ſcripto comprehenderetur; nam neque ipſis expedire et, ut nunc ſunt tempora, magnum regis rebus praejudicium inde fieri. Jam ante cum Beza altercatus fuerat Lotaringus cardinalis, et ipſi coram regina in privato colloquio inter alia improperaverat, quod in ſuis libris alicubi ſcripſiſſet, Chriſtum non magis in coena quam in coeno quaerentibus repertum iri: quod olim a Philippo Melanchthone per iram Jo. Oecolampadio, cum de coenae myſterio inter ipſos certamen eſſet, exardeſcente contentione, quaſi id ex ejus ſententia ſequeretur, objectum fuiſſe legerat, et memoria lapſus Bezae affingebat. Id vero tanquam in Deum contumelioſum Beza deteſtatus nuſquam a ſe dictum, ſcriptum aut cogitatum aſſeveranter pernegavit. [β] Haec acerbius; cetera amice magis in ſpeciem et pacate inter eos privatim tranſacta ſunt. Et videbatur Lotaringus ultra modum congreſſum cum Proteſtantibus appetere, ſive oſtentandi ingenii cauſa, ſive quod a ſuis perſuaſus de iis triumphaturum ſe proculdubio ſperaret. Multi contra ex theologis intercedebant, et a regina contendebant, ne Proteſtantium miniſtri audirentur aut, ſi decreviſſet eos audire, ne rex colloquio intereſſet; nam periculum eſſe, ne tenellae ejus aures peſtifero perverſae doctrinae veneno inficerentur: quod ad ipſos, ut damnatae opinionis jampridem convictos, nequaquam audiendos eſſe. Verum ii nullum aliud a regina reſponſum retulere, quam nihil niſi ex concilii ſententia in ea re [γ] actum iri. Poſtridie, qui dies in v Non. Sept. incidit, principium actioni factum fuit, [δ] annitentibus praecipue Jo. [b] Monlucio Valentino et Petro [c] Valla Sagienſi epiſcopis, qui ad negotium accelerandum Lotaringi ingenio prudenter uſi ſunt. Rex cum regina, Alexandro fratre [d] Aureliani duce, et Margarita ſorore, conſanguineis principibus, et ſacri conſiſtorii ſenatoribus [e] Poſſiacum venit, et in majore conclavi loco parato conſedit: circiter XL praeſules aderant, cum delectis theologis; ac praeter eos [f] Borbonius, Turnonius, Caſtellionaeus, Lotaringus, Armeniacus, et Guiſius cardinales. Cum omnes aſſediſſent, facto ſilentio, rex ad id inſtructus, ſcire eos, dixit, qua de cauſa huc convocati fuerint; nimirum ut turbis, quae paſſim in ſuo regno exoriantur, ſalutare remedium ex eorum ſententia quaeratur; proinde videant, ut omni offenſionis cauſa praeciſa, quae emendatione egeant, corrigantur,

et

VAR. LECT. [α] inſerviturum dixit *D. f.* [β] Haec primo acerbius *D. f. o.* [γ] acturum iri. Ita poſtridie *D. f. o.* [δ] annuentibus *D. f.*

INTERPR. [a] *P. Martyr Vermiglio.* [b] *de Montluc, evêque de Valence.* [c] *du Val, evêque de Seez en Normandie.* [d] *Orleans.* [e] *Poiſſy.* [f] *les cardinaux de Bourbon, Tournon, Chaſtillon, Lorraine, Armagnac, & Guiſe.*

et publicae tranquillitati, quam optime fieri poterit, legitima ratione conſulatur: cupere ſe, ut non [α] prius diſcedant, quam omnem operam dederint, ut tandem aliquando compóſitis diſſidiis mutua inter majeſtati ſuae ſubditos populos concordia ac ſincera amicitia ſarciatur: quod ſi ſecerint, uti confidat, non commiſſurum, ut pattocinium, quo a majoribus ſuis olim protecti ſunt, a ſe ſuiſve magiſtratibus in poſterum poſſint requirere.

VIII. TUM cancellarius pluribus regis voluntatem aperire juſſus orditur; regem, ſi per aetatem liceat, et ardens in pietatem ac rempublicam deſiderium plenius explicaturum fuiſſe, et huic actioni frequentiorem interfuturum, uti olim fecerit Conſtantinus Auguſtus, qui concilio Nicaeno ipſe praefuit: ad id vero eos conveniſſe, ſicuti ex rege ipſo jam intellexerint, ut, quae in diſciplina ac doctrina etiam depravata ſunt, emendentur: idem votum fuiſſe Henrici II et Franciſci I; ſed morte eorum tam laudabileis conatus impeditos eſſe: nam ad hoc reges a Deo inſtitutos et ordinatos; quorum corda, hoc eſt, voluntates, conſilia, affectus in manu ſua habeat et, prout erga populos affectus ſit, moderetur, flectat, regat: eandem, quam patri et avo, mentem regi a Deo immiſſam; qua in re ſuorum antiſtitum auxilio opus habeat: ſed videndum, ne, quod imperiti medici faciunt, remediis lenientibus et ad tempus dolorem ſedantibus, non autem perfecte curantibus utantur; cauſam morbi cognoſcendam, eamque praecidendam: malum urgere; itaque neque e longinquo neque tardum remedium petendum: quod a concilio univerſali expectetur, nimis ſerum eſſe; et exteris et rerum noſtrarum ignaris hominibus ut plurimum coetus illos conſtare, quibus noſtra aegritudo minus perſpecta ſit; et tamen pontifici neceſſitatem impoſitam, ut eorum opera utatur: antiſtites, qui heic adſunt, fratres, cognatos et amicos eorum eſſe, qui curatione egeant; ac proinde charitate propiore eos proſecuturos, et majore peritia in eo negotio verſaturos: nec impedimento eſſe, quod dicatur, vix eodem tempore et concilia haberi poſſe; nam et hoc alias factitatum, nec exemplo carere: decreta ſingillatim poſſe ad pontificem mitti, ut iis ſubſcribat: id pluries uſurpatum ſub Carolo magno in provincialibus ſynodis, puta [a] Aurelianenſi, Arelatenſi et Aquenſi; et errorem ab univerſali ſeminatum a nationali plerumque exſtirpatum ac correctum; exemplo eſſe concilium Ariminenſe, in quo Arianum virus ſparſum fuit, quod clam coacto apud nos a beatae memoriae Hilario [b] Pictavienſi epiſcopo concilio damnatum et Galliis omnino eliminatum fuit: ad id opus eſſe, ut antiſtites ac theologi corde humili, et ut corpore praeſentes ſic animis concordes adſint; nemo ſe prae aliis aeſtimet aut, qui doctrina praeſtat, inferiores ſe contemnat; nec viciſſim, qui doctrina minus valeat, doctioribus maligne invideat: ſubtiles ac curioſas diſputationes rejiciendas, exemplo boni illius viri, qui cum tantum Deum cognoſceret ejuſque filium cruci affixum, philoſophorum et acute differentium errores in Nicaeno concilio [β] refutavit: nec multis libris opus eſſe; verbum Dei ſufficere, ad quod tanquam regulam doctrina appendenda et examinanda ſit: nec vero erga Proteſtanteis alieno adeo animo nos eſſe debere; quippe qui fratres ſint et eodem lavacro regenerati eundem Chriſtum nobiſcum colant; nec eos praejudicio inauditos condemnandos, ſed amplectendos, accipiendos et amice in viam reducendos ſine acerbitate et animi contumacia; nimia ſeveritate in eo graviter errari; ſic olim Alexandrum Alexandriae patriarcham ad inſaniam Arium adegiſſe, ſic Neſtorium Conſtantinopolitanum ob eandem cauſam in non minus pernicioſum errorem incidiſſe:

VAR. LECT. [α] prius hinc diſcedant *MS. Sam.* [β] caſtigavit *D. f.*

INTERPR. [a] *d'Orleans, d'Arles, & d'Aix.* [b] *de Poitiers.*

CIƆIƆLXI. CAROLUS IX.

incidiſſe: ſatis iis eſſe debere, quod judices in propria cauſa ſedeant: proinde diligenter videant, ut ſe irreprehenſibileis in jure dicundo praebeant; nam quod ex Dei praeſcripto judicaverint, ratum fore, praecluſo adverſariis ore, qui non violentia coacti ceſſiſſe, ſed amica diſceptatione inſtructi errorem agnoviſſe apud populum convincentur: ſi ſecus faxint, et ambitione aut avaritia poſthabito Dei metu judicium perverterint, illorum decreta fore irrita: immortaleis gratias Deo agere debere, quod reſipiſcendi et erroris emendandi otium tribuerit: itaque dum tempus habent, par eſſe, ut in vinea Domini excolenda ſtrenue laborent; niſi fecerint, [α] et Deum ultorem habituri, qui innumeris malis ac calamitatibus in ipſos ſit ſaeviturus. Ubi peroravit [a] Hoſpitalius, [b] Turnonius antiſtitum princeps aſſurrexit; et regi, reginae ac conſanguineis principibus gratias egit, quod huic colloquio intereſſe dignati eſſent, eaque proponere, quae docte, ſapienter, ut nihil melius, ab Hoſpitalio ad Dei gloriam et veram religionem conſtituendam dicta eſſent: ceterum a rege vocatos ad ea, quae regis mandatis continebantur, ſe paraſſe et, ut de iis reſponderent, confectis commentariis veniſſe: nunc cum alia longe maximi momenti proponantur, quibus inpraeſentiarum reſpondere non poſſit, nec vero, ſi poſſit, inconſultis collegis velit, petere, ut ea ſcripto Hoſpitalius comprehenſa tradat, ut de iis mature deliberetur. Recuſante Hoſpitalio, quod res abunde ab omnibus intellecta eſſet, [c] Lotaringus inſtabat, ut nihilominus ſcripto mandarentur; quippe ad epiſcopos, qui in dies veniant, quique actioni initio non interfuerunt, inſtruendos neceſſarium eſſe. Nihilominus excuſavit ſe Hoſpitalius; quippe cui de [β] aſtu ſuboleviſſet, et ſciret hoc fieri, ut negotium ſibi faceſſerent, et interea negotio remora injiceretur.

IX. TUM Theodorus Beza juſſus dicere in genua procumbit et, invocato Dei nomine ac fidei profeſſione facta, ad [1] Deum ſermonem convertit; et inique ſecum agi dicit, quod tanquam turbulenti, ambitioſi, ſeditioſi ac publicae tranquillitatis perturbatores in aula ac regni curiis vulgo traducantur; cum id tantum agant, ut propagata Dei gloria ſaluti conſulant; nec liberam conveniendi facultatem quaerant, ut ea ad libertatem et foeditate omni contaminatam vitam utantur; nam Libertinos, Anabaptiſtas et Sectariorum hujuſcemodi monſtra ex animo [γ] ſe deteſtari; ſed ut pacatis conſcientiis Deo et poteſtatibus a Deo conſtitutis laeti ſerviant. Deinde explicat, in quibus cum pontificiis conveniant, in quibus diſſentiant. Poſtea de ratione ſalutis conſequendae, de fide ac bonis operibus, de verbo Dei, et conciliorum ac patrum auctoritate, de ſacramentis et eorum uſu et vera interpretatione diſſerit: in quo tranſubſtantiationis et conſubſtantiationis refutatis opinionibus contentionis calore longe abripiebatur, non ſine aſtantium fremitu, ut paene diſturbaretur. Poſtremo de ordine et diſciplina eccleſiaſtica, de debita magiſtratibus obedientia agit: et porrecta regi eccleſiarum Gallicarum confeſſione, cujus capita examinari ſupplex petebat, finem fecit.

X. VIX deſierat, cum Turnonius indignatione tumens voce prae ira tremula regem compellat; et contra animi ſententiam antiſtites, qui huc adſunt, feciſſe, atque adeo ſuis conſcientiis vim attuliſſe dicit, cum in hunc congreſſum deſcenderint, et, ut novi Evangeliſtae, ſic Proteſtanteis vocabat, audirentur, conſenſerint; verum id enixae ipſius voluntati dediſſe, et de expreſſo regiae majeſtatis mandato huc veniſſe; jam antea providiſſe, fore, ut, ſi audirentur, multa indigna et in Deum contumelioſa effutirent, quae regis ipſius aureis ac piorum omnium

VAR. LECT. [α] et *deeſt* *D. f. o.* [γ] ſe *deeſt* *D. f. o.*
[β] fraude *D. f.*

INTERPR. [a] *le chancelier de l'Hoſpital.* [b] *de Tournon, doyen des cardinaux.* [c] *le cardinal de Lorraine.*

NOT. [1] *potius* Regem.

omnium offenderent; ideoque ab initio interceſſiſſe, ne rex huic coetui interesset: proinde nunc majeſtatem regiam orare, ut iis, quae modo dicta ſunt, minime fidem habeat; ſed tantiſper ſuum judicium ſuſtineat, nec falſis eorum opinionibus animum ſuum praeoccupari patiatur, donec aliter ſit ab antiſtitibus demonſtratum; tunc enim intellecturum regem univerſumque conſeſſum, quodnam ſit inter veritatem ac mendacium diſcrimen: petere igitur diem ad reſpondendum: orare interim regem, ut majorum veſtigiis in religione inſiſtat. Poſtremo ſubjecit, niſi regis atque ipſius mandatorum rationem habuiſſent, antiſtites ad horrenda et abominanda illa verba, quae modo pronunciata eſſent, fuiſſe conſurrecturos, neque paſſuros ſermonem ulterius produci. Quibus ultimis verbis perculſa regina, nihil hac in re niſi rite factum, reſpondit, ex principum et ſacri conſiſtorii atque adeo ſenatus Pariſienſis ſententia; non id agi, ut quicquam in pietate mutetur aut innovetur, ſed ut turbae propter religionis controverſias exortae componantur et, qui a majorum pietate deflexerunt, amice in viam revocentur; quod ut legitime et idonea ratione fiat, ad ipſorum prudentiam pertinere. Cum Beza in diſſertatione de coenae myſterio pergeret, eo uſque diſputationis calore provectus fuerat, ut, licet fateretur, in perceptione cunctos fideleis participare corpori et ſanguini Chriſti modo ineffabili, perinde atque ſacramenta ipſa oculis vident, manu tangunt et ori admovent, tamen affirmabat, ſi ad ſpatia locorum reſpiceretur, uti [a] neceſſe aiebat, cum de praeſentia corporis et de ipſius humanitate diſtincte conſiderata agitur, corpus Chriſti tantum a pane et vino abeſſe, quantum altiſſimum coelum a terra diſtat. Id non ſine aſtantium fremitu auditum; et ad ea verba excanduit Turnonius. Itaque Beza poſtea ad reginam ſcripſit, et dolere ſibi admodum teſtatur, quod, cum de coenae myſterio coram rege et ipſa ageret, anguſtia temporis excluſus ſententiam ſuam pluribus non explicaverit: audire ſe quoſdam id, quod ab ipſo nuper dictum ſit, ita interpretari, quaſi Chriſtum a coena abeſſe aſſeruerit; quod impium eſſet et in Deum contumelioſum; cum fateatur, tremendum hoc myſterium a Dei filio inſtitutum, ut magis ac magis participes efficiamur ſubſtantiae veri ſui corporis et veri ſui ſanguinis, atque ea ratione cum ipſo arctius uniamur et coaleſcamus in vitam aeternam: itaque, ut iis ſatisfaciat, hoc aſſerere, Deum quidem vere in coena adeſſe; ſed non propterea ejus corpus, quod in coelo ſit loco et ſpatio circumſcriptum, cum pane conjungi; ita ſentire B. Auguſtinum, cum dicit, Chriſtum, quatenus Deus eſt, ubique eſſe, quatenus homo, in coelo; et Vigilium epiſcopum Tridentinum, qui CIↃ amplius abhinc annis contra Eutychem ſcripſit, his verbis; *Unicus filius Dei, qui etiam factus eſt homo, uno loco continetur, quod ad carnis naturam attinet*; *nec ullo loco continetur, quod ad naturam Divinitatis*. Re interea utrinque inter praeſules ac theologos varie diſceptata, placuit, ut ad duo tantum capita reſponderetur, de eccleſia nimirum, et de coena; repudiata quorundam ſententia, qui cenſebant confeſſionem fidei perſcribendam et Proteſtantium paſtoribus offerendam eſſe; cui ſi ſubſcribere recuſarent, tum ſententia in ipſos tanquam haereticos ſine alia diſceptatione continuo ferretur, atque ita colloquium ſolveretur.

CIↃIↃLXI.
Carolus IX.

XI. Igitur colloquium ad XVI Kal. Oct. inſtauratur; cui rurſus eodem loco rex, regina, Navarrus ac ceteri, ſed minore turba, interfuere. Ubi Lotaringus longa et diu ante meditata oratione egit; quae ſibi ne periret, congreſſum illum adeo

VAR. LECT. [a] neceſſe eſſe aiebat *D. f.*

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

adeo contra Turnonii ac plurium theologorum ſententiam exoptaverat. In ea de obſequio, quod regi debetur, praefatus, quia a Proteſtantibus petitum fuerat ut rex colloquio praeeſſet, et ab Hoſpitalio dictum Conſtantinum Nicaeno concilio praefuiſſe, regem membrum non caput eccleſiae eſſe dicit, cujus tuendae curam praecipuam gerere debeat; ceterum in iis rebus, quae ad doctrinam pertinent, ipſi eccleſiae et ejus miniſtris ſubjacere: nam et Scripturae teſtimonio et uſu in vetere eccleſia recepto conſtare, imperatores in cauſa fidei epiſcoporum juriſdictioni, non contra epiſcopos, ſubjectos eſſe: ſe pariter et eos, quorum nomine verba faciat, ad pontificem et ſedem Romanam reſpicere, in qua verae notae ac ſigna legitimae vocationis continuata ad nos uſque ſucceſſione ſerventur. Tum caput de eccleſia aggreditur, quam non tantum electorum eſſe aſſerit, quippe in Domini area paleam cum tritico fere permiſceri; eccleſiam tamen univerſam errare non poſſe; quod ſi quaepiam ſingularis errat, ad principes recurrendum eſſe, hoc eſt, ad Romanam, et ad univerſalium ſynodorum decreta, et antiquorum patrum conſentienteis ſententias; ſed ante omnia Scripturae teſtimoniis recto eccleſiae ſenſu et interpretatione explicatis locum tribuendum: cum ordinem quod non tenuerint, Arium et ejus ſectarios in errorum inextricabileis plagas ſe induiſſe: idem praecipitium iis patere, qui, cum trabem in ſuis oculis non videant, in aliorum ſeſtucis ſunt adeo perſpicaces. Inde alterum de coena caput perſequitur, et inſanabili curioſarum quaeſtionum pruritu quantum in eo peccetur demonſtrat, quamque periculoſum ſit a recepta in eccleſia interpretatione recedere; alioqui fore, ut ex ſacroſancti hujus myſterii occaſione a Deo in id inſtituti, ut nos eo tanquam arctiori unionis vinculo ſecum conſtringeret, inſolubilibus controverſiis et nunquam deſituris diſſidiis porta aperiatur, et ex eo tandem charitatis nunquam deinceps inter nos ſarciendae ſciſſura conſequatur: nam ſi in ea ſententia permaneant Proteſtantes, ut non exiſtiment Chriſtum aliter ab aſcenſionis in coelum tempore inter nos eſſe, quam antequam carnem induiſſet, aut aliud corpus, quam viſibile, nunc habere, nec aliter in ſacramento eſſe, quam inſit in verbi praedicatione; denique res eaſdem eſſe, Chriſtum in baptiſmo inducre, et ipſius carnem ac ſanguinem in coena ſumere; ita in coelo eſſe, ut in terra non ſit, ſieque non plus in coena, quam in ſcena, aut etiam in coeno eſſe, (haec verba Latine a Lotaringo pronunciata, ne, ſi Gallice exprimerentur, ut ipſe aiebat, offenſionem audientibus parerent) nullam concordiae rationem iniri poſſe: quomodo ſi nihil aliud habeant Proteſtantes, quod reſpondeant, illis ſuas voces ſe reddere, et quam altiſſimum coelum a terra diſtat, tam ab eorum ſententia ſe abeſſe profiteri. Ubi deſiit Lotaringus, Turnonius aſſurgens cum collegis regem circumſtat, et laudata Lotaringi oratione ei ſe ſubſcribere omnium nomine declarat, in eaque fide ſe vivere et mori, et proprio, ſi opus eſſet, ſanguine paratos illam obſignare oſtendit; tum regem enixe obſecrat, ut in ea ipſe conſtanter perſeveret: de cetero non impedire, ut, qui ab ea deflexerint, ſi doctrinae modo a Lotaringo expoſitae ſubſcribere velint, ad cetera quae diſceptanda reſtant explicanda admittantur; ſed ſi contra recuſent, ab omni prorſus audientia excludendos, atque adeo tota ditione ſua expellendos eſſe. Cum peteret Beza, ut Lotaringo ex tempore reſpondendi facultas ſibi daretur, rex actionem in alium diem diſtulit, ſeu quod jam nox praecipitaret, ſive alia de cauſa. Adverſa pars id Lotaringo datum jactabat, quo pleniore gaudio homini ambitioſo de victoria citra certamen parta exultandi, et interea theologis ad alias controverſias inſtruendi ſe ſpatium concederetur. Cum longis procraſtinationibus tempus duceretur, miniſtri libellum ſupplicem regi porrigunt, quo ſe regis mandatu huc

huc veniſſe, ut amice ſedandis diſſidiis in religionis cauſa exortis cum praeſulibus conveniretur; ſed generis humani hoſtis et ejus emiſſariorum aſtu fieri, ut affectatis protelationibus tam laudabilis conatus non ſolum [α] retardetur, verum exitu tandem careat: proinde petunt, ut rex tam juſtae cauſae patrocinium, Joſiae, [β] Ezechiae et aliorum piorum principum exemplo ſuſcipiat, et ſibi coeptam in colloquio diſputationem ſeu collationem perſequi liceat. Libello amarulenta quaedam verba inſeruerant, quibus pontificis auctoritas et epiſcoporum, qui nimiam ejus potentiam aſtruere nituntur, fides perſtringebatur; quo factum eſt, ut ſerius reſponſum ſit. Tandem data colloquendi cum praeſulibus facultas, Valentini et Sagienſis epiſcoporum praecipue ſuaſu, qui quam iniquum immo turpe et in poſterum damnoſum eſſet multis verbis demonſtrabant, ſi congreſſum cum Proteſtantibus, qui a rege evocati convenerant et inſtrui petant, praepoſtera prudentia devitent.

CIƆIƆLXI.
CAROLUS IX.

XII. IGITUR VIII Kal. Oct. miniſtri evocati coram regina, nam rex aberat, rege Navarrae, regina uxore, aliis, ſiſtuntur XII numero; et inſtitutum non jam publice ſed privatim colloquium. Ibi Beza rurſus verba facit, et de eccleſia, et ejus notis, quas in verbi praedicatione et pura ſacramentorum adminiſtratione praecipue conſiſtere aiebat, de doctrinae ac perſonarum ſucceſſione, quam ſaepius interruptam dicebat, de vocatione ordinaria et extraordinaria, de eccleſia univerſali et ejus auctoritate, item de conciliis, quae errare interdum poſſe contendebat, poſtremo de Scripturae dignitate, an ei eccleſia praeſtet, aut potius eccleſia ab ea auctoritatem mutuetur, prolixe egit. Ad haec Claudius [a] Eſpencaeus vir doctus et pacis eccleſiae ſtudioſus a Lotaringo loqui juſſus, poſtquam praefatus eſt, expetiviſſe jam a multo tempore, ut colloquendi copia fieret; et interea ſemper a ſuppliciis, quibus ob religionem miſeri homines antea afficiebantur, abhorruiſſe; demirari ſe ſubinde ſaepius dixit, qua auctoritate Proteſtantes et a quo vocati et inſtituti ad miniſterium eſſent, et, cum neminem citarent, a quo manus impoſitionem ſuſcepiſſent, quomodo legitimi paſtores cenſeri poſſent: nam manifeſtum eſſe, vocatione ordinaria minime inſtituros; cum autem ad extraordinariam miraculis opus ſit, nec ea ipſi edant; neceſſario ſequi, nec ſecundum ordinem, nec extra ordinem eos in domum Dei ingreſſos eſſe: quod ad traditiones attinet, ſi quando de Scripturae interpretatione exoriatur controverſia, nec conveniri poſſit, proculdubio ad patres recurrendum eſſe, quibus auctoritas a legitima et ordinaria ſucceſſione conciliatur; nam in eos, qui legitimae eccleſiae praeſunt, Spiritus Sancti dona conferri, ſicuti de Levitis ſcriptum eſt, quorum reſponſa in dubium revocari nefas habebatur: multa traditionibus invaluiſſe et rata eſſe, quae in ſacris libris minime perſcripta ſunt, ut Patrem non genitum eſſe, Filium Patri conſubſtantialem, baptizandos eſſe infanteis, virginem Mariam etiam poſt partum virginem remanſiſſe; rata eſſe item, quae ab univerſalibus conciliis decreta ſunt, nec ea in doctrina errare poſſe; et nuſquam reperiri in iis, quae doctrinam ſpectant, ut poſteriora prioribus derogent aut ea corrigant. Inde inſtitutus de coena ſermo, et in ea Chriſti praeſentia, prolato Jo. Calvini libro, ſed ſuppreſſo ejus nomine. Heic cum interfatus eſſet Claudius Sanctius, et eadem, quae Eſpencaeus in medium propoſuerat, rurſus inculcaret, Beza [γ] quod ad vocationem legitimam reſpondit, manuum impoſitionem non neceſſariam legitimae vocationis notam eſſe; praecipuas eſſe atque adeo ſubſtantialeis, in mores

VAR. LECT. [α] retardaretur *D. f* [γ] quoad *D. f.*
[β] Ochoſiae *D. f.* o. d.

INTERPR. [a] *d'Eſpenſe.*

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

mores ac doctrinam inquiſitionem, et electionem; nec vero mirum eſſe, ſi ab iis, qui vulgo ordinarii appellantur, manuum impoſitiooem non acceperint: an enim ab illis, quorum depravatos mores, ſuperſtitionem ac falſam doctrinam improbant? aut expectandum fuit, ut ab illis approbarentur, qui veritatem oppugnant, quam ipſi tuentur? neque vero ſemper miraculis ad extraordinariam vocationem opus eſſe, idque exemplis Iſaiae, Danielis, Amoſi, Zachariae, poſtremo Pauli confirmat. Tandem Lotaringus, poſt longam ac rixae quam recte inſtitutae diſceptationi propiorem conteotionem, impoſito ſilentio quaeſtionem de coena proponit; neque ulterius progreſſuros praeſules et theologos, qui adſunt, dicit, quam de ea conveniatur: nam eam hodie totum orbem Chriſtianum male habere, et neceſſitatem hanc ſibi ab ipſis miniſtris impoſitam, ut de illa ante omnia tranſigatur: ſe proinde ſtatim initio de ea ſuam ſententiam diſertis verbis explicuiſſe; jamque de ea per totum regnum famam ſparſam eſſe, etiam evulgata, quae heic habita eſt, oratione. Tum petit ab iis, an Auguſtanae cooſeſſioni ſubſcribere parati eſſent; cum viciſſim quaereret Beza, an totius conſeſſus nomine id peteret Lotaringus, et an ipſe ei ac ceteri praeſules in ceteris capitibus ſubſcripturi eſſent, nihil reſponſum eſt. Inſtante ſemper Lotaringo, Beza, ut omnem urgendi anſam ſemel ei praeriperet, ſe veniſſe dixit, ut confeſſionem, quam exhibuiſſent, tuerentur; idque mandatum ab iis, a quibus miſſi ſunt, habere; quod proinde excedere non poſſint: ſed videri e re eſſe, ut a facilioribus diſceptationis initium ſumeretur; tum ad cetera ordine procederetur. Tandem miniſtri, ne per eos ſtare videretur, quo minus in colloquio pergeretur, aſſenſere, ut ſcriptum, cui ſubſcribi a ſe poſtularent, ſibi traderetur, ut ipſi et inter ſe de eo mature deliberarent. Tum caput de coena, quod ex Auguſtana confeſſione deſumptum dicebat Lotaringus, promitur, et eis cum delectorum Wirtebergenſium miniſtrorum conſultatiooe ſuper eadem re ante triennium facta traditur. Inde in perendinum dilatum colloquium.

XIII. INTEREA reſcitum, conſultatiooem illam a Franciſco [a] Balduino juriſconſulto Attrebate allatam eſſe; ejuſque inſtigatu factum, ut Franciſcus [b] Vetuſvilla, qui Divoduro Mediomatricum regis nomine praeerat, miniſtros aliquot Germanos Heidelberga et [c] Tubinga accerſendos curaret. Ii fuere Michael [d] Dillerus, Petrus [e] Boquinus a Friderico Palatino ſeptemviro; Jo. [f] Andreas, Jacobus [g] Buclinus et Baltazar a Chriſtophoro [h] Wirtembergico ad Navarrum miſſr, ut colloquio intereſſent: ſed cum ſerius veniſſent, Lutetiae ſubſtitere; ubi ſub finem Octobris Jacobus Buclinus contagioſa lue correptus deceſſit. Balduinus aliquandiu Genevae et poſtea Heidelbergae jus profeſſus fuerat; et inde cum Lutetiam veniſſet, pacis viam in religione quaerens, communicatis cum Geor. Caſſandro optimo viro et doctiſſimo ac puriſſimo hac aetate theologo conſiliis rem urgebat. Is ergo tunc in aulam venit allato ſecum libello, quem Caſſander latere volens ſine nomine ediderat, titulumque libro fecerat, de officio pii viri in hoc religionis diſſidio. Ex eo formam pacis conſtituendae et concordiae ineundae ſumendam dicebat Balduinus; et per Navarrum, cujus filium naturalem inſtituendum ſuſceperat, eum proponi curaverat. Verum cum liber ſine auctoris nomine venditaretur, praejudicio perſonae, quae librum extrudebat, ſtatim a Proteſtantibus damnatus, et in eum tanquam a Balduino, quem illi deſertorem et Ecebolium alterum vocabant, factum ſumma petulantia debacchati ſunt: et quidem virulento admodum ſcripto Jo. Calvinus contra eum ſcripſit; cui poſtea Balduinus aculeate

INTERPR. [a] *Baudouin d'Arras.* [b] *de Scepeaux, ſieur de Vielleville, gouverneur de Mets.* [c] *Tubingen.* [d] *Dillier.* [e] *Bouquin.* [f] *André.* [g] *Buclin, & Baltazar.* [h] *duc de Wirtemberg.*

aculeate reſpondit: et inde capta occaſione diu ſe poſtea contrariis libris proſciderunt; cujus in certaminis partem et Beza venit: ſed haec poſtea accidere.

XIV. BIDUO a poſtremo congreſſu in colloquium reditur; et Beza coram regina orationem de ſcripto habuit; in qua retractato de vocatione ſermone in eam rem multa dixit, quae magis ad exacerbandos praeſulum animos, quam gratiam conciliandam faciebant; quippe cum eorum ordinationem per nundinationes et quaſi vitio factam in dubium revocaret: quo factum eſt, ut deinceps in ceteris, cum ad caput de coena devenrum eſt, eos minus aequiores habuerit. Petebat Beza, ut, quandoquidem caput de coena propoſirum confeſſionis Auguſtanae particulam eſſe conſtabat, tota illa exhiberetur; neque enim aequum eſſe, ut de capite truncato ſuffragium ferrent: praeterea, ut Lotaringus, privato ſuo an conſeſſus univerſi nomine id proponeret, declararet: nam ſi ab univerſo Ordine proponatur, gratias ſe Deo immortaleis habere, quod de tranſubſtantiatione actum ſit, quam pariter omnes Germanicae et Helveticae eccleſiae damnant. Denique ſi opus ſit, ut ipſi ſubſcribant, poſtulabant miniſtri, ut Lotaringus iis, quae proponeret, et ipſe ſubſcriberet; ut iis, a quibus miſſi ſunt, rationem eorum, quae heic peragantur, aliquando reddere poſſint. Ad haec Lotaringus, poſtquam de contumelioſo contra praeſules et regis ipſius auctoritatem reſponſo conqueſtus eſt, rurſus inſtat, ut capiti propoſito ſubſcriberent. Tum ab [a] Eſpencaeo coeptam de coena diſputationem repetit; et ſubſtantiae nomen, quo Jo. Calvinus in hujus myſterii explicatione uſus eſt, contra eos urget; cujus nominis mollita interpretatione Vermilius eandem diſputationem poſt Eſpencaeum patrio ſermone fuſe perſecutus eſt, ſed nullo propter animorum exacerbationem fructu. Venerat huc Hiſpanus quidam e ſodalitio Jeſuitico, ab Hippolyto [b] Ateſtino Ferrarienſi cardinali, qui nuper ad regem a Pio IIII legatus fuerat, miſſus; is [α] erat [c] Jacobus Laines ab Ignatio tam late hodie ſparſi ſodalitii antiſtite primus praepoſitus generalis conſtitutus: qui interfatus, cum contumelioſa multa in Proteſtanteis effutiſſet, ſimias, vulpeis et monſtra appellans, illoſque ad concilium a pontifice indictum amandandos diceret, poſtremo reginam increpuit, quod harum rerum, quae minime ad ipſam, ſed ad pontificem, cardinaleis et epiſcopos pertinerent, cognitionem ſuſciperet: nec fas eſſe dixit, dum concilium univerſale [β] celebrarent, heic privatum colloquium reginae auctoritate inſtitui. Hominis arrogantiam tulit impatienter regina: ſed legati reverentia injuriam diſſimulavit. Ita inutilibus et interruptis diſputationibus dies extractus, et mutata colloquii ratio; delegatique ab utraque parte, qui amice de propoſita controverſia capita conferrent: ii fuere [d] Valentinus et Sagienſis epiſcopi, Jo. [e] Salignacus, Ludovicus [f] Butillerius, Cl. Eſpencaeus, viri docti omnes ac pacis ſtudioſi; quibus compoſiti [g] Vermilius, Beza, Marloratus, [h] Gallaſius et Spina. Conventum inter eos de forma colloquii, loco, tempore, et iis qui acta ſcriptis mandarent. Poſtridie illi conveniunt, et prolato exemplari Graeco Cyrilli epiſcopi Hieroſolymitani, poſt longam diſceptationem, tandem miniſtri caput de coena in haec verba conceperunt: *Fatemur Jeſum Chriſtum in coena nobis dare et vere exhibere corporis ſui et ſanguinis ſubſtantiam Spiritus Sancti efficacia, et nos recipere et edere ſpiritualiter et per fidem verum illud corpus, quod pro nobis oblatum et immolatum*

VAR. LECT. [α] erat Jacobus Laines ab Ignatio tam late hodie ſparſi ſodalitii antiſtite primus praepoſitus generalis conſtitutus: qui *deſunt* D. f. o. d. [β] celebraretur D. f. o.

INTERPR. [a] *d'Eſpenſe.* [b] *de Eſte, cardinal de Ferrare.* [c] *Diego Lainez, general des Jeſuites.* [d] *de Valence, & de Seez.* [e] *de Salignac.* [f] *Bouthillier.* [g] *P. Martyr Vermiglio.* [h] *des Gallars, & de l'Eſpine.*

CIƆIƆLXI.
CAROLUS IX.

immolatum eſt, ut ſimus oſſa de oſſibus, et caro de carne ejus; ad hoc, ut eo vivificemur, et percipiamus quaecunque ad ſalutem noſtram conducunt: et quoniam fides verbo Dei innixa res perceptas facit praeſenteis, ac per iſtam fidem recipimus re et facto ipſo verum ac naturale corpus et ſanguinem Chriſti virtute Spiritus Sancti, hac ratione fatemur et agnoſcimus corporis et ſanguinis ipſius in coena [a] *praeſentiam.* Huic ultimae clauſulae Eſpencaeus, cum praecedentia non ita improbaret, omnino ſubſcribere recuſavit; quam pariter a Catholicis in Latina et Graeca eccleſia, in Occidentali, Orientali, Africana, Aethiopica, nec non in Germania a Proteſtantibus improbatum iri aiebat: potiuſque ita concipiendam cenſebat: *Et quoniam verbum et promiſſio Dei, cui fides noſtra innititur, res promiſſas facit praeſenteis, ac virtute et efficacia verbi recipimus re et facto ipſo verum ac naturale corpus et ſanguinem Chriſti, hac ratione fatemur et agnoſcimus corporis et ſanguinis ipſius in coena praeſentiam.* Secundum haec, cum delegati cum miniſtris contuliſſent, deinceps eodem redire prohibiti ſunt: quod ubi miniſtri videre, ut interpretatione formulam priorem adjuvarent, haec inſuper ad priora illa adjecerunt; *nulla locorum diſtantia poſſe impedri, quo minus corpori et ſanguini Chriſti communicemus; quippe cum coena Domini res coeleſtis ſit, et quamvis in terra accipiamus ore panem et vinum vera corporis et ſanguinis ſigna, tamen fide et Spiritus Sancti efficacia mentes noſtras, quae hoc cibo paſcuntur, in coelum raptas corpore et ſanguine praeſenti frui; et hac ratione dici corpus vere pani conjungi, et ſanguinem vino, ſed ſacramenti modo, hoc eſt, minime ſecundum locum aut poſitum naturalem, ſed quatenus efficaciter ſignificant, Deum illa exhibere fideliter participantibus, illoſque vere per fidem ea percipere.*

XV. Ita ſolutum Poſſiacenum colloquium; quo primum libertas publice de religione diſputandi in Gallia Proteſtantibus conceſſa eſt, pravo exemplo, ut quidam aiebant, dum errores pridem damnati retractantur; aliis contra id e re publica fuiſſe dictitantibus, cum aliter imminenti tempeſtati obviam iri non potuerit: nam concepto ſemel malo opus fuiſſe laxamento, et irritatos poenarum atrocitate animos aliquatenus mitigari debuiſſe. Verum fatales Galliae motus propterea minime inhiberi potuerunt; quippe inveterata aegritudine et ſciſſa aula, jamque privatis ſimultatibus in publicam perniciem evadentibus. Multi ex iis, qui colloquium promoverunt, hunc inde fructum ſperaverant, ut Proteſtantes noſtrates Auguſtanae confeſſioni ſubſcriberent; quod regina a Joanne Monlucio inſtigata, Navarrus et Hoſpitalius unice exoptabant; eaque de cauſa miniſtros a Palatino et Wirtembergico ad ſe mitti curaverant; et Lotaringus ipſe tunc ei in pleriſque haud dubie aſſentiebatur; ſed homo ambitioſus et alioqui levis, ne popularis aurae, quam unice conſectabatur, gratiam amitteret, poſtea mutavit, hac ſe excuſatione tueri ſolitus, cum diceret, antea quidem cum Germaniae Proteſtantibus ſenſiſſe, ſed poſtquam quaeſtiones, quae controvertebantur, concilio Tridentino deciſae eſſent, illius decretis acquieviſſe. Dum de paſtorum munere et officio inter ſe diſceptarent praeſules, multa a Monlucio pie et graviter dicta ſunt, ut eos ad commiſſi gregis curam ſedulo et ex Dei praeſcripto adminiſtrandum exhortaretur;

VAR. LECT. [a] *praeſentiam.* Re a delegatis ad ſuos relata, cum initio praeſules eam formulam non rejicerent, poſtremo Sorbonici theologi omnia repudiarunt, pugnantibus contra delegatis, qui poſſe et debere recipi contendebant: unde in ſuſpicionem ſecretae cum miniſtris coitionis incurrerunt, verſibuſque jocularibus ob id traducti ſunt, jactato in vulgus dicterio, quo Valentinus et Sagienſis epiſcopi pontificios in equuleum conjeciſſe, Eſpencaeus, Salignacus, Butillerius, ut Deo ſervirent ventri, renunciaſſe, dicebantur. Certe, cum triduo cum miniſtris contuliſſent, deinceps eodem redire prohibiti ſunt: quod ubi illi videre, ut interpretatione formulam, de qua commotum erat, adjuvarent, haec inſuper ad priora illa adjecerunt, affirmantes, *nulla locorum* *MS. Sam.*

hortaretur; inprimis, ut ſuam quiſque ſtationem aſſidue tueretur. Nec vero durum aut iniquum videri debere aiebat, ſi Hoſpitalius pro neceſſitate officii id edicto ſevere ſanxerit, ignominioſa diſtractionis immobilium addita poena; nam non minus ſevere [a] ſenatum feciſſe, qui praeſules, niſi ſe ad ſua intra tempus praeſcriptum recepiſſent, non quidem publica immobilium ſubhaſtatione, ſed ignominioſa per vicos ac plateas ſupellectilis diſtractione mulctavit. Quod eo dicebat, ut Hoſpitalium, qui tanquam erga ſacrum Ordinem iniquior apud praeſules male audiebat, invidia liberaret, et ſenatum Pariſienſem, qui a cancellatio aperte diſſidebat, ſuggillaret. Tandem dimiſſi miniſtri, et honorifice inprimis Vermilius, qui reginae literis accerſitus venerat: cum per [a] Tricaſſeis domum rediret, Jo. Antonium Caraciolum [b] Jo. Sergii Melfiae principis noſtra aetate celeberrimi ducis filium, civitatis epiſcopum, virum literis non mediocriter ornatum inviſit, qui Proteſtantium religioni addictus, occulto favore, quo eos complectebatur, effecerat, ut jam libere citra ullam moleſtiam coetus haberent. Ei ſcrupulus injectus eſt de vocatione ſua, quod non eccleſiae neque populi ſuffragiis electus eſſet; itaque Proteſtantium eccleſiae ſeniores evocat, ut pie ac prudenter deſpicerent, an ſe eligere vellent, ac pro epiſcopo habere; neque quidquam gratiae darent: nam ſi minus idoneum exiſtimarent, ſe libenter loco ceſſurum. Ita re inter eos deliberata, omnium conſenſu electus et denuo ordinatus loco epiſcopi ſedit, in concionibus publice ad populum, quibus eorum doctrinam ſequebatur, habendis aſſiduus; donec praeſules exemplum veriti apud regem pervicerunt, ut dignitate moveretur. Praeſules ſoluto colloquio, in rei nummariae negotio explicando, quod ſummopere rex urgebat, aliquandiu [c] Poſſiaci commorati ſunt: quo facto, ut ſe ad concilium proxime Tridenti celebrandum praepararent, VI Kal. Dec. domum quiſque reverſi ſunt. CIↃIↃLXI. CAROLUS IX.

XVI. FAMA de colloquio Poſſiaceno per Italiam et Hiſpaniam ſparſa, cum Philippum mirum in modum commoveri intelligeret regina, Jacobum [d] Monberonium Auſentium virum et natalium ſplendore et rerum uſu ac prudentia clarum ad eum legat, ut ſe purgaret. Vix admiſſus Auſentius Eliſabethae interventu: et cum ipſe et Sebaſtianus [e] Albaſpineus Lemovicum epiſcopus et regis in ea aula aſſiduus orator longa oratione egiſſent, et neceſſitati id datum, non in Proteſtantium gratiam factum excuſaſſent, regemque ac reginam omiſſa concilii nationalis mentione quamprimum epiſcopos ac theologos [f] Tridentum mittere paratos affirmarent, Philippus acrem religionis ſenſum prae ſe ferens, poſt uſitata inter foedere recenti et adfinitate conjunctas perſonas ſolennia honeſtatis ac benevolentiae verba, legatos ad [g] Albanum, qui tunc ſummae rerum praeerat, rejecit. Is vero iis denuo auditis praefracte reſpondit, regi ſuo admodum dolere, quod in regno tam vicino et tot neceſſitudinum vinculis ſecum conjuncto religionis negotium tam tepide et diſſimulanter tractari audiat: cupere illum, ut, qua ſeveritate Henricus ſocer in Mercuriali conventu, et qua Franciſcus melius conſultus nuper [h] Amboſiae uſus eſt, eadem in Sectarios omni reſpectu poſthabito animadvertatur, neque committatur, ut malum, quod tempeſtiva reſectione per reges viros minuebatur, rege puero et foemina connivente ulterius pullulet: proinde enixe, quantum poteſt, reginam ſocrum orare, ſe regnumque ac parvos fidei ſuae commiſſos liberos reſpiciat, et malo in dies creſcenti mature medeatur; ni faciat, periculum Galliae, quod ad ſe quoque ſpectet, Philippum negligere non

VAR. LECT. [a] curiam feciſſe, quae *D. f.*

INTERPR. [a] *Troyes.* [b] *Jean Caracciol, prince de Melfi, mareſchal de France.* [c] *Poiſſy.* [d] *de Montberon, ſieur d'Auzances.* [e] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.* [f] *Trente.* [g] *duc d'Albe.* [h] *Amboiſe.*

CIↃIↃLXI. CAROLUS IX. non poſſe; ac poſt rem apud ſe et inter conſiliarios diu ac ſerio agitatam tandem ſtatuiſſe, opes univerſas ac vitam ipſam, ſi opus ſit, ad peſtem communem exſtinguendam impendere: id proceres, populos ac Catholicos regni Franciae Ordines aſſiduis querelis ab ipſo expoſcere; quorum precibus, niſi ſibi ſit defuturus, deeſſe nequeat: nec vanas criminationes vereri, quaſi in alieno cum externis viribus bellum geſturus ſit; nam in ea cauſa Hiſpanas vires cenſeri non poſſe externas, quando de majorum religione conſervanda et regno regi reginaeque ipſi aſſerendo agatur; et copiae in Galliam intromittendae non Philippi, qui miſſurus ſit eas, auſpiciis, ſed ipſius regis Galliae ductu militaturae eſſent, ejuſque nutu ac voluntate rem geſturae. Alia et mandata Auſentio data fuerant, cum commendatitiis ad Eliſabetham literis, ut de regni Navarrae reſtitutione ageret: ſed Philippus et ejus nomine Albanus Navarti in Sectariis coercendis praepoſteram prudentiam cauſati, ira adverſus eum artificioſe ſimulata, tam juſtam petitionem ludificati ſunt; eamque legem, ſi de regno avito ſibi ſatisfieri vellet, dixerunt, ut bellum adverſus Sectarios quamprimum in Gallia excitaret, et Condaeum fratrem ac Colinios addictiſſimos familiae ſuae clientes ad perniciem perſequeretur. Cum hoc ſuperbo ac illuſionis pleno reſponſo dimiſſus Auſentius ineunte Octobri: poſtquam in Galliam rediit, plenam fidem fecit conſignatam ipſius Lemovicenſis epiſcopi teſtimonio, aulae noſtrae proceres cum aulae Hiſpaniae proceribus conſilia ſociare, nec vanam fuiſſe de Arturo [a] Deſiderio factitio quaeſtionem paulo ante habitam.

XVII. Is profligati pudoris homo veſana temeritate incitatus, ex Sorbonicorum quorundam theologorum conſilio, nec inſcio, ut pleriſque perſuaſum fuit, Lotaringo cardinali, dum colloquium Poſſiacenum celebraretur, libellum ſupplicem conſcripſerat, quo ſacri Ordinis nomine contra Proteſtantium potentiam, quae ipſorum doctrina multis locis in dies invaleſcente haud ſatis validis remediis a rege puero et infirmo, ut ipſe aiebat, ac ejus conſiliariis coercebatur, Philippi Hiſpaniarum regis opem implorabat, et ejus tanquam potentiſſimi ac religioſiſſimi principis patrocinio dignitatem, vitas, fortunas, opes primarii regni Ordinis commendabat ac committebat. Cum hoc libello et mandatis ſecretis ad Philippum in Hiſpaniam tendens juxta [b] Aurelianum per Nicolaum ordinum ductorem comprehenſus eſt et ad reginam adductus. Dein cognitione rei ad ſenatum remiſſa, ac reo ſuper facto factique conſciis et complicibus interrogato, cum nec crimen peſſimi exempli inultum premi, nec de eo ac conſciis amplius quaeri tutum exiſtimaretur, ſenatus re cum regina communicata parteis ſuas interpoſuit, et Deſiderium [c] mulctam ignominioſam commiſiſſe pronunciavit; cenſuitque, ut frequenti ſenatu tribunalitio die ipſe capite ac pedibus nudis taedamque ardentem praeferens et in genua procumbens, praeeunte verba apparitore, declararet, ſe temere, maligne et malo conſilio ſcripſiſſe libellum in cauſa memoratum, eumque, quo deſtinaverat, ferre voluiſſe; id ſibi ex animo dolere, et veniam voce lamentabili a Deo, rege ac ſenatu petere: decretum inſuper, ut libellus coram eo publice concerperetur. Quo facto, reus in Carthuſianorum coenobium, ut ibi captivus detineretur, truſus eſt; ex quo poſtea evaſit. Id actum prid. Eid. Julii.

XVIII. Extremo anno et inſigne vindicatae regiae majeſtatis exemplum editum a ſenatu. Nam cum theologorum quorundam male conſultorum impulſu, Joannes

INTERPR. [a] *Deſiré.* [b] *Orleans.* [c] *amende honorable.*

[a] Joannes [a] Tanquerellus ſtudii theologici candidatus capita quaedam ad periculum induſtriae faciendum diſceptanda propoſuiſſet, intet alia iis hoc aſcripſerat; pontificem tanquam ſolum Chriſti vicarium et eccleſiae monarcham poteſtati ſpirituali et ſaeculari omneis fideleis ſubjectos continere principes, ſuiſque praeceptis rebelleis regno ac dignitatibus exuere poſſe: quod ad regem delatum, cum alieno maxime tempore dictum, et ad ſeditionem ac legitimi obſequii, quod regi ac magiſtratibus debetur, fidem labeſactandam ſpectare videretur, [b] Hoſpitalius Chriſtophorum [c] Thuanum praeſidem, Carolum [d] Dormanium, Bartholomaeum [e] Faium curiae conſiliarios diplomate delegavit, qui de facto quaererent, et ad ſenatum referrent; a quo tandem decretum fuit, ut Tanquerellus mulcta honoraria puniretur; et quoniam is aberat, apparitor facultatis theologicae, in ſchola Sorbonae coram decano et cunctis ejuſdem collegii ſodalibus doctoribus ac candidatis ob id convocatis et, niſi conveniant, privilegiorum ab rege et ejus majoribus eis conceſſorum privatione mulctandis, praeſentibus item praeſide et conſiliariis curiae delegatis, nec non cognitore regio, palam declararet, dolere Tanquerello, quod quaeſtionem modo recitatam in diſceptationem adduxiſſet, quam et temere et inconſiderate agitatam fuiſſe agnoſceret, tanquam contrarium ab ea omnino ſentiens; eoque nomine demiſſiſſime regi ſupplicaret, ut culpae gratia ei condonetur. Inhibitum item a ſenatu, ne hujuſmodi quaeſtiones in poſterum a theologis agitarentur; qui et duos e ſuo numero delegare tenerentur, regem adituros et obſecraturos, ut ipſis offenſionis, in quam ob id incurrere potuerint, gratiam faciat, et porro eos tanquam humillimos ac devotiſſimos majeſtati ſuae ſubjectos commendatos habere dignetur. Id a ſenatu decretum IIII Non. Dec. quod decimo poſt die executioni mandatum eſt: et Thuanus praeſes cum Dormanio et Faio curiae conſiliariis et Aegidio [f] Burdino cognitore regio in [g] ſcholam Sorbonicam venit, ibique coram L circiter theologis partim doctoribus partim candidatis, poſt habitam a Burdino orationem, decretum recitatum fuit; et praeeunte [h] primario curiae apparitore Petrus [i] Guſtus Tanquerelli nomine ſtans nudo capite errorem Bonifacii VIII temporibus invectum et poſt ejus mortem paſſim damnatum ignominioſa confeſſione recantavit: quo facto theologi, qui aderant, de fide et obſequio erga regem praeſati, ejus mandatis et curiae ſatisfacere ſe paratos oſtenderunt.

XIX. NUNC quid in Italia interea et Germania actum ſit, antequam ulterius progrediamur, locus eſt, ut coepto ordine dicamus. Pontifex ſemper antea veritus, ſi concilium indiceretur, ne is ejus exitus eſſet, ut ipſe in ordinem cogeretur, cum hactenus rem diſtuliſſet, tandem a Coſmo Florentinorum duce perſuaſus, accedente concilii nationalis, quod plerique apud nos urgebant, metu, ſacram oecumenicam et generalem ſynodum, quae ſub Paulo III inchoata et ſub Julio III continuata propter novos in propinquis Germaniae locis motus excitatos et exardeſcens in Gallia et Italia bellum ſuſpenſa fuerat, perſequi ſtatuit: et III Kal. Dec. anni praecedentis emiſſo diplomate ejus celebrationem in civitate Tridentina ad ſacratiſſimam reſurrectionis Dominicae diem proxime futuram indicit: vehementerque in Domino hortatur venerabileis fratres ſuos, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos ac delectos abbates caeteroſque, quibus in concilio generali ſedere et ſententiam dicere jure communi vel ex privilegio vel ex antiqua conſuetudine licet, ut intra eam diem Tridentum conveniant:

VAR. LECT. [a] quidam Joannes *D. f.*

INTERPR. [a] *Tanquerel.* [b] *le chancelier de l'Hoſpital.* [c] *de Thou.* [d] *des Dormans.* [e] *Faye.* [f] *Bourdin, procureur general.* [g] *college de Sorbonne.* [h] *premier huiſſier de la Cour.* [i] *Goux.*

CIƆIƆLXI. veniant : inſuper Romanum imperatorem electum, ceteroſque reges ac principes
Carolus IX. monet, ut, ſi ipſi intereſſe non poſſint, eo legatos ſuos mittant ; praefatus, nihil propoſitum aliud habere ſe in hoc concilio celebrando, niſi honorem Dei, diſperſarum ovium reductionem ac ſalutem, et perpetuam reipublicae Chriſtianae tranquillitatem. Contra diploma illud Paulus [a] Vergerius, Juſtinopolitanus quondam epiſcopus et magnis legationibus ſub pontificibus defunctus, qui paulo ante ab iis defecerat, cum [b] Auguſtae Vindelicorum eſſet, ſcripto edito acriter invectus eſt ; et curiae Romanae faſtum, pompas, luxum, ambitionem, ſordeis, corruptos mores, quos perſpectos ſe habere dicebat, multis et acerbis verbis deteſtatus, poſtremo addit, concilium a pontifice indictum, non ut oportuit ad ſtabiliendam Chriſti doctrinam, ſed ad firmanda infirmae carnis divinis mandatis adverſantis commenta, non ad purgandum ovile Dominicum, ſed ad diſſeminandos hominum inveteratos errores, denique non ad Chriſtianam libertatem, ſed ad miſerarum animarum ſervitutem et oppreſſionem inſtitutum eſſe : quippe in quo juxta ceremonialis Romani praeceptum, quod habetur lib. I, cap. III ſection. XIIII, epiſcopi tantum, abbates et ii omnes praeſules, qui ſecundum formam juramenti, quod praeſtant, cum ad dignitates promoventur, ad ſynodum venire tenentur, intervenire poſſint, ac ei ſubſcribere ; inferiores autem eccleſiaſtici viri ac ſaeculares principes conſulendi ac inſtruendi, non autem deliberandi et decernendi gratia interſint ; quo fieri dicit, non ſolum ut, qui ob craſſos et erga Deum contumelioſos errores ſe ab eccleſia Romana ſeparaverint, non audiantur, contra quam a Paulo III initio promiſſum fuerat ; ſed etiam ut multi ac peritiores ex illiuſmet eccleſiae gremio doctores ad ſententiam dicendam non admittantur, libertate, in qua ſpes ſarciendae concordiae reliqua erat, omnino ſublata, et aperta ad ſciſſuram nunquam ex domo Dei eliminandam feneſtra.

XX. Hanc querelam cum ad irritandos Germaniae principes, quorum cauſa ab initio concilium indictum fuerat, pertinere intelligeret pontifex, ad eos ante omnia legatos mittere decrevit. Delecti ad id Zacharias [c] Delfinus Pharenſis, et Jo. Franciſcus Comendonus [d] Zacynthi, epiſcopi ; qui, cum [e] literis fiduciariis ad reges et principes profecti, primum omnium Ferdinandum Caeſarem, qui tunc Viennae erat, adeunt ; [α] et poſtquam mandata a pontifice expoſuerant, conſilium ipſius in legatione obeunda exquirere juſſi monentur, ut e veſtigio omni mora poſtpoſita principes Auguſtanae confeſſionis ſocios, quos [f] [β] Naumburgi ad Salam in Saxonia ſimul congregatos commodum nacturi ſint, adeant, eum iiſque leniter ac modeſte agant, et, quantum fieri poterit, omnem exaſperationis et offenſionis materiam et anſam perquam diligenter declinare ſtudeant : ita facilius rem confecturos, et ab illis certum ac determinatum reſponſum potius conſecuturos, quam ſi diutius exſpectent, et ſingulos in ſua provincia circumeunteis convenire cogantur : nec enim nunc verendum eſſe, ne in accipiendo commodiore vel incommodo reſponſo ab alio ad alium remittantur : tantum celeritate utantur, ne ante ipſorum adventum conventus diſſolvatur ; ſimulque ambo eo contendant, inde poſtea commodius iter diviſuri ; et ad principes, quos quiſque eorum convenire juſſus eſt, non inventos ſeparatim profecturi. Revocatae et a prudentiſſimo imperatore in memoriam conditiones, quibus principes Proteſtantes noviſſimo imperiali conventu in concilium Tridentinum ſe conſenſuros declaraverant ; ut, ſi eas aut omneis aut pro parte rurſus in medium adduci contingat, ipſi legati re praemeditata tanto facilius, an et quid nomine pontificis replicandum

VAR. LECT. [α] et ibi poſtquam *D. f.* [β] Neoburgi *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Vergerio, evêque de Capo d'Iſtria.* [b] *Augſpurg.* [c] *Delfino, evêque de Faro Leſina.* [d] *Zante.* [e] *lettres de creance.* [f] *Naumburg ſur Saale en Miſnie.*

replicandum ſit, cogitare poſſint. Diſcedentibus oratores a Caeſare adjuncti Otho [a] Eberſtenii comes, Felix Bogiſlaus [b] Haſſenſtenii baro et Chriſtophorus Mecla regni Bohemiae vicecancellarius, qui poſtridie, quam [c] [α] Naumburgum advenerunt, in principum conſeſſu auditi, nomine Caeſaris hortati ſunt eos, ut ad ſynodum [d] Tridenti indictam et legitime celebrandam veniant, quo lamentabili religionis diſſidio et ſecutis inde Germaniae calamitatibus ſalutaris tandem finis imponatur. Iis re deliberata a principibus reſponſum, invictiſſimo Caeſari ſe pro pia ſolicitudine et amore erga rempublicam ac ipſos reverenter admodum gratias agere: ad concilium quod attinet, non recuſare liberum, Chriſtianum et univerſale, in quo non pontifex, ſed verbum Dei pro judice ſedeat, jurejurando epiſcopis remiſſo, et Auguſtanae confeſſionis Ordinibus facultate decernendi permiſſa; ſe contra animadvertere, pontificem Tridenti concilium continuandum indixiſſe, et ſuis tantum juratis epiſcopis dicendae ſententiae poteſtatem facere; quod ipſi ſemper antea in publicis imperii comitiis iniquiſſimum eſſe proteſtati ſint; hac de re reverenter Caeſarem monere inpraeſentiarum voluiſſe, integro reſponſo in aliud tempus dilato, quando ad alios Ordines hoc negotium ſpectet, et abſentium principum legati, qui Naumburgi convenerunt, nulla de mittendis Tridentum legatis ſpecialia mandata habeant: orare interim Caeſarem, ut hoc reſponſum in bonam partem accipiat, eique acquieſcat, et Paſſavienſe foedus ac pacem religioni datam conſtanter tueatur. Poſtea pontificii legati alter poſt alterum auditi, qui de Pii IIII laudibus et pia religionis ſolicitudine tum egregia erga ipſos voluntate multa ac praeclara praefati, eo conſilio inſtauratum ab ipſo concilium dicunt, ut haereſes exſtirpentur, et ſectae, ex quibus tot fere religiones, quot homines, tot evangelia, quot doctores extitiſſent, omnino [β] tollantur; in quo cuncta charitate Chriſtiana et pietate fraterna tranſactum, omneis plene ac benigne auditum iri, ſententiaſque ac ſuffragia liberrima fore pollicebantur: igitur legatos cum plenis mandatis mitterent, et ſarciendae concordiae cauſa ſuſceptum tam laudabile negotium ex parte ſua adjuvarent. Perlatae et ad ſingulos Proteſtanteis literae a pontifice, quas brevia vocant, cum hac inſcriptione, Dilecto filio nobili viro duci aut comiti: quae omnes minime reſignatae in hoſpitium legatorum mox remiſſae ſunt. Tandem poſtremo conventus die a ſeptemviris ac ceteris principibus mane ad legatos pontificis reſponſum datum; nullam ſe pontificis juriſdictionem agnoſcere; neque vero opus eſſe, ut pontifici, quid ſuae voluntatis ſit in concilii negotio, cujus indicendi aut habendi poteſtatem ipſe non habeat, aperiant: abunde id ſaepius feciſſe, et ſe clementiſſimo domino ſuo imperatori Ferdinando, quid ſui conſilii ſit, ut debebant, reverenter expoſuiſſe: porro ipſis, ut viris nobilibus et ex amiciſſima republica ortis, multa inſuper doctrina et rerum uſu ornatis, honorifica, quae poſſint, officia deferre; plura delaturi, niſi a pontifice veniſſent. Ita dimiſſi legati; qui cum Gaſpare [e] Schoneicho nobili Sileſio, quo interprete utebantur, Lubecam profecti, inde ad Fridericum Daniae regem mittunt, liberam accedendi ad eum et mandata ſua exponendi facultatem petentes: verum accepto ab eo reſponſo, nihil parenti ſuo Chriſtiano, nihil ſibi unquam cum pontifice negotii interceſſiſſe, nec proinde mandata, quae ab eo haberent, cognoſcendi cupidum eſſe, re infecta retro ad ſua reverſi ſunt. Nec benignius reſponſum Hieronymus [f] Martinengus concilii cauſa a pontifice miſſus, ab Elizabetha Angla tulit; quae venientem e [g] Belgio in inſulam trajicere prohibuit.

CIↃIↃLXI.

CAROLUS IX.

XXI. CONVENERANT

VAR. LECT. [α] Neoburgum *D: f. o. d.* [β] tollerentur *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Eberſtein.* [b] *Haſſenſtein.* [c] *Naumburg.* [d] *Trente.* [e] *Schoneich.* [f] *Martinengo.* [g] *Pays bas.*

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

XXI. CONVENERANT [α] Naumburgi XIII Kal. Feb. principes Auguſtanae confeſſioni addicti, Fridericus Palatinus, Auguſtus Saxo, ſeptemviri, Jo. Fridericus Saxo, Wolſangus Palatinus, Erneſtus et Philippus Brunſvici duces, Ulricus [a] [β] Megalopolenſis, Chriſtophorus [b] Wirtembergicus, Carolus [c] Badenſis marchio, Erneſtus princeps [d] [γ] Hennebergenſis; legati inſuper Joachimi Brandeburgici ſeptemviri, Joannis et Georgii Friderici Brandeburgicorum, Philippi Lantgravii, [e] Barnimi et Joannis Friderici Pomeraniae ducum, aliorum item: rex Daniae et Luneburgici principes tantum literas benevolentiae ac conjunctionis ſuae in ea cauſa teſteis miſerant. Ibi quia concilii indicendi jam ſama percrebuerat, et qui Auguſtanam confeſſionem profitebantur in crimen vocabantur, quaſi non confeſſionis ejuſdem ſed confuſionis ſocii eſſent, quippe tanta ſeu diverſitate ſeu repugnantia multorum licentia coorta, ut quae alii amplectantur, alii palam impugnent, de ea denuo communi ſubſcriptione renovanda et confirmanda, tum de concilio, an a principibus Proteſtantibus adiri vel recuſari deberet, actum eſt. Primum quidem placuit, ut ſeptemviri et ceteri principes confeſſionem [f] Auguſtae Vindelicorum Carolo Caeſari anno hujus ſaeculi XXX exhibitam nunc denuo confirmatam ac ſubſcriptam Ferdinando, non leviter pontificiorum criminationibus, ut ipſi aiebant, turbato, ſui purgandi cauſa mitterent, eamque in futuro concilio, quod pontificii moliebantur, [δ] certam ac ſibi conſtantem ſuarum eccleſiarum nomine proponerent, ne, ſi ſinguli ſuam ſeorſim exhiberent, majori ludibrio ejus confeſſionis ſocii exponerentur. Tum prolatae diverſae confeſſionis illius editiones et exemplaria; atque illud inprimis, quod in conventu Auguſtano, quo pax imperii ſancita eſt, Georgii [g] Spalatini et Jo. [h] Brentii manu ſcriptum. Joannes Fridericus Saxo et Wirtembergicus plane cum aliis et cum prima inprimis editione Wirtembergenſi paucis exceptis congruere dicebant: verum Palatinus et Saxo ſeptemviri recentiorem editionem, quae non rebus ipſis, ſed verborum copia tantum atque interpretationis perſpicuitate a priori differret et complurium manibus tereretur, recipi urgebant. Tandem cum alii principes et fere abſentium legati eoſdem articulos, qui Carolo Caeſari olim exhibiti fuiſſent, ſubſcribendos cenſerent, ſeptemviri ea conditione aſſenſi ſunt, ut praeſatio nova adderetur, in qua poſterior quoque illa editio confeſſionis et apologia tanquam cum priore conſentiens approbetur, et loca quaedam in priore illa ad tranſubſtantiationem alludentia, item de pompa ac circumgeſtatione ſacramenti omittenda, quia diviſio ſacramenti cum Chriſti inſtitutione non conveniat; de Miſſa item non abolita ac ſimiles controverſiae amplius explicentur: praeterea ſeptemviri etiam confeſſionis Saxonicarum eccleſiarum ac Francofurtenſis conventus mentionem in prooemio fieri volebant; ſed cum rurſus Joan. Fridericus Saxo et alii Smalcaldicos potius articulos repetendos cenſerent, nihil ex iis praefationi inſertum eſt. Praefationem a [i] Cracovio et [k] Ehemio ſeptemvirorum conſiliariis ſcriptis mandatam et coram principibus lectam plerique probarunt: alii contra ei ſubſcribere recuſarunt, et cum iis aſſenſum praebere, qui errores ac ſectas cum Dei verbo et Auguſtana confeſſione pugnanteis foverent, oblique Palatinum ſeptemvirum ſuggillantes, qui Tilemanum [l] Heſhuſium Lutheri de coenae controverſia ſententiam propugnantem nuper Heidelberga dimiſerat. Neque vero ferendum dicebat Fr. Saxo, quod in praefatione falſo nec citra fucum jactabatur, nulla eſſe in Germanicis eccleſiis diſſidia, cum omnium oculis et auribus ea ſubjecta ſint,

VAR. LECT. [α] Neoburgi *D.* f. o. d. [β] Megalopolitanus *D.* f. o. [γ] Hannebergenſis *D.* f. [δ] jam certam *D.* f.

INTERPR. [a] *le duc de Meckelenburg.* [b] *le duc de Wirtemberg.* [c] *de Baden* [d] *le comte de Henneberg.* [e] *Barnims.* [f] *Augſpurg.* [g] *de Spalatro.* [h] *Brentzen.* [i] *Cracow.* [k] *Ehem.* [l] *Heſhuſius.*

ſint, et inde Pontificiis non calumniandi tantum, ſed vanitatis ac mendacii maniſeſti ſocios convincendi anſa praebeatur: itaque confeſſionem, non anno quadrageſimo editam, quae pleriſque locis immutata eſſet, ſed novennio ante excuſam retineri, et Smalcaldicos articulos declarationis loco prooemio inſeri denuo petiit: quod cum non impetraret, ceteris, ut hunc principum conſenſum et conjunctionem ad refutandos ac coercendos communeis hoſteis neceſſariam non impediret, hortantibus, ſpatium deliberandi ſumpſit, intra quod ſententiam ſuam de re tota ſcripto comprehenſam ſenatui exhiberet, ac poſtridie, cum nihil obtineret, [a] [α] Naumburgo diſceſſit. Cum de concilio Tridenti indicto inter ſocios deliberaretur, diverſae ſententiae erant, aliis id omnino recuſandum cenſentibus, aliis placebat, legatos eo a ſingulis Ordinibus mittendos, per quos ſe ad reddendam fidei ſuae rationem in libera ac Chriſtiana ſynodo offerrent, et gravem contra pontificem et curiam Romanam accuſationem inſtituerent, coramque exceptiones uſitatas et rejectiones de ſuſpectis judicibus, perverſo juris ordine et loco incommodo, proponerent: id multum ad levandam invidiam, quam ſuſtineant, quaſi ſynodi legitimae auctoritatem defugiant, profuturum; omneiſque ex eo intellecturos, non per ſe, ſed per hoſtium ambitionem ſtare, quo minus concordiae farciendae ratio ineatur, ac proinde in poſterum minus a Germanicis eccleſiis alienos fore. Tum ad Jo. Fridericum Saxonem legatos deſtinant, qui ſignificarent, nihil magis optaſſe principes, quam ipſum ad finem conventus Naumburgi permanere: verum quando excuſationem ipſi de diſceſſu acceperint, hoc illum ſcire velle, ſubſcriptionem Auguſtanae confeſſionis, propter quam conveniſſent, a ſe decretam eſſe, atque, ut deſiderio ipſius ſatisfieret, additam in praefatione de coena Domini antitheſin: proinde petere, ut ei ſubſcribat; quod ſi nolit, ſaltem petere, ut clamores ſuorum theologorum cohibeat, et efficiat, ne [β] Naumburgenſis conventus, ut antea Francofurtenſis, acta, Samariticum Interim publice nominent, aut ſcriptis editis criminentur: alioqui ſe viciſſim et innocentiam ſuam et conventus illius originem ac progreſſum amplius explicaturos, et omnia denique facturos, quae cauſae hujus magnitudo ac neceſſitas requireret. His actis ſocii diſcedunt.

CIↃIↃLXI.

CAROLUS IX.

XXII. Nec multo poſt Auguſtus Saxo ſeptemvir Annam Mauritii fratris filiam Willelmo [b] Naſſovio Arauſionenſi deſpondet. Nuptiae magna pompa [c] Lipſiae celebratae: quas plerique principes praeſentia ſua cohoneſtarunt; et in iis Fridericus Daniae rex, quem Philippus [d] Rheni comes, qui et ipſe nuptiis interfuit, [e] Flensburgum uſque proſecutus, [γ] Caroli regis nomine, cui militabat, conchyliati Ordinis inſignibus [δ] donavit.

XXIII. Ad ttt Kal. Quintil. Erici [f] Sueciae regis coronatio indicta fuerat, quae poſtmodo vttt Kal. Sextil. magno paratu [g] Stocolmiae celebrata eſt, Baltici litoris urbium legatis eo profectis, quibus ille privilegia, quae in Suecia negotiantes harum urbium cives a majoribus tradita acceperant, abunde confirmavit. [h] Revaliam vero Livoniae urbem, quae patrocinio regis ſe nuper ſubjecerat, non eadem ſolummodo gratia, ſed pecunia inſuper ampla, commeatu, milite, tormentis omnique inſtrumento bellico liberalius, quam foedere receperat, juvit. Pacem cum Moſco a patre Guſtavo initam ac multis annis ſervatam deinceps continuari, et in ea Revalienſeis comprehendi petebat: ſed cum Moſcus Revaliae

VAR. LECT. [α] Neoburgo *D. f. o. d.* [γ] ibique Caroli *D. f.*
[β] Neoburgenſis *D. f. o. d.* [δ] Danum donavit *D. f.*

INTERPR. [a] *Naumburg.* [b] *de Naſſau, prince d'Orange.* [c] *Leipzig.* [d] *le Reingrave.* [e] *Flenſburg.* [f] *la Suede.* [g] *Stockholm* [h] *Revel.*

CIƆIƆLXI.
CAROLUS IX.

liae tutelam ab Erico acceptam, et novas conditiones a Guſtavo non petitas paci adjungi aegre ferret, vix biennii inducias ab eo impetrare potuit. Interea Revaliae Erici nomine praefectus coenobium [a] Padenſe, quod ille ad Magni [b] Holſatiae ducis dioeceſim pertinere contendebat, et ſequenti anno [c] Parnoviam et arcem [d] Witenſteniam Polono ſubjectam vi occupat. Ita Suecus Poloniae regem ac Danum, cujus frater Magnus totam [e] Oſilienſem et Revalienſem dioeceſim ſibi vindicabat, adverſus ſe concitavit; et Lubecenſeis ac ceteros negotiatores pariter ſibi inimicos reddidit, prohibita Narvica navigatione, et Revaliam, qui [f] Narvam prius ibant, petere coactis: quod diuturno adverſus ipſum ac damnoſo juxta bello poſtea occaſionem praebuit, mutandique Livoniae ſtatus cauſa exſtitit. Nam Sigiſmundus Auguſtus Poloniae rex, ad cujus patrocinium Livonici Ordinis magiſtrum et archiepiſcopum Rigenſem ac nobilitatem illis ſubjectam confugiſſe ſupra demonſtravimus, cum Livoniam lacerari atque in partes diſtrahi, et jam Revaliam ſe totam Sueco ſubjeciſſe, aliquot etiam provincias a Magno Holſato occupari cerneret, non amplius teneri ſe prioribus de defenſione pactis cauſatus, auxilia adverſus Moſcum utrique denegavit, nec aliam initi cum iis foederis denuo confirmandi rationem eſſe demonſtravit, quam ſi archiepiſcopus et Ordinis magiſter ſe cum omnibus ſubditis ſuis Poloniae regno ac Lithuaniae ſubderent, ac ſolemni ſacramento fidem obſtringerent. Illi vero cum fruſtra auxilium ab Imperio antea flagitaſſent, ab eo deſerti et extrema coacti neceſſitate, quippe ingentia Livoniae vulnera jam magnam partem a Moſco et aliis occupatae ac vaſtatae remedium praeſens depoſcebant, ut reliquas Livoniae provincias, ne in Moſci poteſtatem devenirent, nomini ac religioni Chriſtianae conſervarent, aſſenſum praebuere: miſſoque poſt aliquot menſium tractationem in Livoniam Nicolao [g] [α] Ratzevillio Palatino Vilnenſi primariae nobilitatis viro, in has conditiones tranſactum fuit; primum, ne mutatio principis Livonis apud Caeſarem aut Imperium damno ſit; confeſſionis Auguſtanae profeſſio libera permittatur; nobilium privilegia confirmentur; omnimoda juriſdictio juxta leges et conſuetudines ac mores antiquos ſervetur, ſalvo provocationis jure; penes magiſtratum Germanicum juriſdictio maneat; magiſter Ordinis dux erectur, eique ditiones novae hereditario jure attribuantur; [h] Tranſduinana provincia regi cedat; Riga item cum ejus omni territorio ac juriſdictione, prout Imperio ſuberat, in eaque Gotardus novus dux tanquam regis Poloniae [β] vicarii partes teneat. Alia item, quae ad compenſationem juris, quod Magno Holſato competebat, pertinebant, de immunitate a bello, debitis, moneta, eodem inſtrumento comprehenſa, quod Vilnae III Kal. Dec. factum eſt: triduoque interpoſito privilegia nobilitatis altero inſtrumento confirmantur. Secundum haec Sigiſmundus Auguſtus, Willelmus Brandeburgicus Rigenſis archiepiſcopus et Gotardus fidem ſolemni jurejurando interponunt: eaque de re acta publice conficiuntur; quibus et rex pollicetur, omnia illicite a Livonia alienata aut per ultimos belli tumultus a Moſcis avulſa ſe reciperaturum, in idque omneis opes ſuas inſumpturum, iiſque reciperatis bello ablata antiquis dominis reſtituturum. Patientiam ea in re archiepiſcopi non tulit Chriſtophorus [γ] [i] Megalopolenſis Brandeburgico adjutor delectus, qui alium quam Imperatorem pro ſummo magiſtratu agnoſcere recuſavit; moxque conſcenſa nave in Germaniam perrexit, ubi cum nullam a Caeſare et Imperii Ordinibus

VAR. LECT. [α] Radzevillio *D. f. o. d.* [β] legati *D. f.* [γ] Megalopolitanus *D. f.*

INTERPR. [a] *de Paden.* [b] *Holſtein.* [c] *Pernau.* [d] *Weiſſenſtein.* [e] *Oeſel.* [f] *Nerva.* [g] *Radziwil, Palatin de Vilna.* [h] *au delà de la Dune, fleuve de Ruſſie, qui ſe jette un peu au deſſous de Riga dans la Mer Baltique.* [i] *duc de Meckelenburg.*

Ordinibus liberandae Livoniae ſpem reliquam videret, ad turbida cum Sueco conſilia, ſpecie laeta, confectu periculoſa, exitu triſtia, animum adjecit. Dein III Non. Mart. ut tranſactio ab utraque parte executioni demandaretur, Gotardus coram Nic. Ratzevillio, cum quo priore anno tranſegerat, Ordinem ritu ſolemni ejerat, tradita cruce, ſigillo, literis ac diplomatis omnibus, quae Ordo Livonicus a Caeſare ac pontifice acceperat; claveis praeterea arcis Rigenſis ac portae civitatis in Ratzevillii manus conſignat, et commendatoris officium, jus cudendae monetae, vectigalia piſcium, atque alia jura regi cedit; quod extinctae militiae Teutonicae, CCCLVII poſtquam coeperat anno, triſte ſpectaculum, quicunque Germanici nominis ſtudioſi erant, non ſine lachrimis intuebantur: Poloni contra laetis ominibus et acclamationibus exceperunt; nec Sigiſmundus Auguſtus, quantumvis pius princeps, ulla religione prohiberi potuit, quin exemplo religioſiſſimi patris, qui eadem ratione olim Pruſſiam Imperio ablatam juris Polonici fecerat, abolito Livonico Ordine et archiepiſcopali juriſdictione provinciae tranquillitati ac ſecuritati ſimul et regionum ſuarum amplificationi, etiam religione mutata, conſuleret. Statim autem reſignatione facta Gotardus, uti convenerat, a Ratzevillio regiae majeſtatis nomine dux [a] Curlandiae ac [b] Semigalliae publice proclamatus eſt; et in ejus nomen tanquam hereditarii domini [α] nobilitas Curlandica ac Semigallica ſolemni juramento adacta; ac poſtridie ab eodem Ratzevillio, regis itidem nomine, ſummus regiae majeſtatis [β] vicarius ac Livoniae gubernator in Rigenſi curia renunciatur, clavibus arcis ac civitatis, quas tradiderat, ipſi redditis.

CIↃIↃLXI.

CAROLUS IX.

XXIV. EODEM hoc anno, in quo verſamur, magna inter Valachos mutatio ſecuta eſt. Nam Jacobus quidam natione Graecus, qui et Heraclidis et Baſilici nomine uſurpato ab antiquis Valachiae regulis genus ſuum repetebat, ſeque inſulae in [c] Aegaeo [d] Sami deſpotam ac [e] Pari marchionem appellabat, homo facie liberali et dignitatem ore praeferens, ad haec diſertus, et qui Graece, Latine, Gallice et Italice quam eleganter ſciret, apud Polonos proceres, in quorum familiaritatem devenerat, tantum potuit, ut corrogatis undique opibus ac complurium auxiliis, inter quos praecipui fuere Albertus [f] Laſcus, [g] [γ] Philippovius, [h] Laſſocius, in Moldaviam armata manu impetum fecerit. Huic regioni deſpotae nomine praeerat Alexander, ob inauditam immanitatem apud ſuos infamis. Cum eo Laſcus licet viribus impar XIIII Kal. Dec. congreſſus numeroſiſſimum ipſius exercitum fundit, fugat, et crudelem tyrannum regno exuit, totamque ditionem armis domitam Jacobo poſſidendam tradit; qui mox profuſa, ut fit, inter purpuratos pecunia Conſtantinopolim profectus a Solimano impetravit, ut in occupato principatu pro more confirmaretur.

XXV. CARAFARUM ſuperiore anno in carcerem conjectorum ac praeterea clientum ampliſſimae familiae, quos pleroſque per eoſdem dies vinciri imperaverat, pontifex ſub id quaeſtiones haberi voluit; omniumque quaeſtionibus relatores praefecit Hier. Fridericum epiſcopum [i] Sagonenſem urbis gubernatorem et Alexandrum [k] Palanterium fiſci procuratorem: tum quo judicium rite magis peragi videretur, quaeſtioni VIII ex collegio cardinalium praecipuae dignitatis patres delegit, qui gubernatori et fiſcali inſpectores aſſidui adeſſent. Tandem cognitio per novem jam menſeis inſtituta et agitata, interrogatis coram reis, productis contra cardinalem literis, examinatis objectis, ad pontificem relata eſt, qui de

ſingulis

VAR. LECT [α] mox nobilitas *D. f. o.* [β] legatus *D. f.* [γ] Philipponius *D. f.*

INTERPR. [a] *Courlande.* [b] *Semgallien* ou *Semigalle.* [c] *l'Archipelago.* [d] *Samos.* [e] *Paros.* [f] *Laski.* [g] *Philippowski.* [h] *Laſſoski.* [i] *de Sagone en Corſe.* [k] *Palanteri il fiſcale.*

CIↃIↃLXI. ſingulis accuſationibus ſeorſim cognoſcere voluit. Poſtremo, ut totius cauſae
Carolus IX. ſeries ab omnibus patribus [α] intelligi poſſet, pleno conſiſtorio diei ſpatio a gubernatore ea recitata eſt, non auditis poſtea patrum ea de re ſententiis. Dein Carolus Caraſa cardinalis ab ipſo pontifice majeſtatis damnatus et omnibus honorum gradibus exutus curiae, ut vocant, ſaeculari caſtigandus [β] traditur; mandatumque rerum capitalium quaeſitori, ut in eum juxta ſanctiones civileis jure ageret; cujus juſſu in [a] Hadriani mole carnificis manu nocte, quae Nonas Martias praeceſſit, ſtrangulatus eſt; ſpatio prius petito, quo VII poenitentiales pſalmos recitaret, majore, quam in vita habuiſſe credebatur, tunc ſalutis aeternae ſolicitudine. Joannes frater [b] Montorii olim comes et poſtea [c] Paliani dux, et cum eo [d] Aliſanus comes, uxoris Joannis frater, et Leonardus [e] Cardineus morti addicti, et in carcere [f] [1] Turris-Novae ſupplicio affecti, et in publico ad [g] pontem Aelium plebis ludibrio expoſiti, memorabile inſtabilis fortunae ſpectaculum praebuere, atque inſigne praeterea documentum iis, qui ſecundiori aura altius provecti ſe extra fortunae ictus collocatos exiſtimant, ut moderate ea utantur. Siquidem reputantes plerique Paliani caſum, quem nuper regio more per urbem cum ſumma poteſtate incedentem conſpexerant, nunc vero ejus corpus capite truncatum viderent, humanae inconſtantiae admonebantur, quae diu res in ſummo faſtigio conſiſtere non patitur, et quo majore mole homines in altum attollit, eo rapidiore impetu eos de ſummo culmine praecipitat. Cardinalis cadaver in vicina [h] Mariae tranſpontanae aede publico ſepulchro cohoneſtatum; mox a domeſticis ad [i] Minervae tranſlatum, [γ] et in familiari monumento conditum eſt: aliorum corpora ad damnatorum ſepulchra relata ſunt. Sed Paliani praecipua conſtantia fuit; qui paulo ante mortem amicos periculo ſuo conſternatos egregia oratione ſolatus eſt, et ad filium literas ſaluberrimis monitis plenas nihil turbato animo ſcripſit; quibus in ultimis vale dicebat, et Chriſtiano more bene precabatur. Ei ultra crimen majeſtatis, quo maxime onerabatur cardinalis frater, uxoris gravidae caedes objecta, quam adulterii falſo accuſatam, ſtimulante cardinali, per Aliſanum et Cardineum indicta cauſa ſtrangulandam curaverat: quam ob cauſam illi tanquam homicidii convicti capite luerunt. Cardinali vero objectum, quod Paulum IIII patruum per ſe iracundum falſis rumoribus exacerbatum ad arma impuliſſet, multos et maximae dignationis viros hujus belli occaſione vexaſſet, quinquennalibus induciis inter Gallos et Hiſpanos ictis violandis cauſam dediſſet, ſecreta conſilia cum Proteſtantibus Germaniae principibus atque adeo cum Turcis Chriſtiani nominis hoſtibus ſociaſſet. Non defuere tamen magni nominis eodem tempore juris-periti, qui judicium id iniquum fuiſſe conſtantiſſime aſſeverarent; quippe quo cardinalis ſine teſtibus, ex ſuis tantum literis, eorum, quae Pauli IIII juſſu ab ſe facta contendebat, redargutus damnatuſque fuiſſet; iis, quae ſibi objecta fuerant, more Romano quaeſtione ac tormentorum vi minime expreſſis; dilationibus item, quas petebat, non conceſſis; patronis denique ejus raro auditis. Sane pontifex videri voluit, eos non eo conſilio in carcerem truſiſſe, ut morti addiceret: at in quaeſtionibus habendis cum cardinalis reſponſis exaſperatus magnitudinem rei demum intellexiſſet, annitentibus pleriſque, et cardinalem animi excelſi et intrepidi, ſi dimitteretur, in ipſius gentem aliquando injuriam ulturum dictitantibus,

VAR. LECT. [α] cognoſci *D.* f. mandatumque *D.* f. o.
[β] traditur. Is poſtea ad mortem eſt damnatus; [γ] ibique in *D.* f.

INTERPR. [a] *Château de S. Ange.* [b] *Montorio* [c] *Paliano.* [d] *d'Aliſé.* [e] *de Cardinas.* [f] *Tour None.* [g] *Pont S. Ange.* [h] *S. Maria Tranſtevere.* [i] *la Minerva.*

NOT. [1] turris Nonae *Pot.*

tibus, ob id cum de medio tolli juſſit, in ceteros majore clementia uſurus, ni CIƆIƆLXI.
calamitoſae cauſae conjunctio inſlammatum ſemel meticuloſi ſenis animum ad CAROLUS IX.
ſeveritatem impuliſſet, ut eos perdi, quam cardinalem ſervari, tutius exiſtimaret. Mitius cum Alfonſo cardinali actum, homine manſuetae continentiſque naturae: is tamen, in caedem Paliani uxoris conſenſiſſe, et quaedam e pontificis cubiculo paulo ante ipſius obitum ſubripuiſſe accuſatus, c aureorum CIↃ et Apoſtolicae camerae praefectura mulctatus eſt. Secundum haec, ut bellum, a Paulo IIII contra Carolum Caeſarem et Philippum filium motum Carafarum inſtinctu injuſtum approbaret pontifex, utrumque innocentem eſſe pronunciavit, et cunctis, quae Philippo a Paulo IIII objecta fuerant, abſolvit, et M. Antonio [a] Columnae [b] Palianum reſtituit. Capti mox et in [c] Mauſoleum Hadriani conjecti, Scipio [d] Rebiba cardinalis tanquam arcanorum Carafarum conſcius, et Innocentius [e] Montanus ſumma ampliſſimi Ordinis infamia a Julio III in collegium cardinalium cooptatus, qui majore infamia vitam poſtea exegit, accuſatus proximi interregni tempore patrem et filium caupones, ut illius uxore potiretur, interfeciſſe: ſed poſt annum uterque dimiſſus; et ille quidem Conſtantinopolitano patriarchatu cohoneſtatus, ut injuriam ſibi factam vanae dignitatis titulo placatus obliviſceretur; hic vero opimorum ſacerdotiorum abdicatione ſe meritae poenae exemit, ne egeſtate quidem a contaminata vita ad ſaniorem mentem revocatus, in qua, quamdiu ſuperſtes fuit, magno curiae Romanae dedecore perſeveravit.

XXVI. INTEREA pontifex more deceſſorum jam recepto ſororum filios ac filias ad ſe evocatos matrimoniis ditiſſimis ac dignitatibus auctos ad ſummos honores evexit, et Carolum [f] Borromaeum et Marcum [g] Siticum Altempſium in cardinalium collegium legit; et Borromaeum quidem vitae ſanctimonia poſtea clariſſimum tractandis eccleſiae negotiis praefecit; Fridericum ejus fratrem, qui Guidobaldi Urbini ducis filiam uxorem duxit, eccleſiae gubernatorem creavit, eique etiam Camertium principatum tradere in animum induxit: Borromaei ſororum alteram Fabritio M. Antonii Columnae filio puerulo, alteram Fabritio [h] Geſualdo Ludovici [i] Conſani comitis filio, tertiam alterius ſororis filiam Hannibali Altempſio deſpondit. [*] Nec minus profuſa indulgentia creati una vice XVIII cardinales, quod raro aut nuſquam antea factum; et in iis duo ex nobilitate Veneta, M. Antonius [k] Amulius, qui tunc adhuc oratoris munere pro sereniſſima republica Romae fungebatur, et Bernardus [l] Navagerius: et pro Navagerio quidem gratias egit ſenatus; pro Amulio gravem apud pontificem expoſtulationem inſtituit, nova, ut aiebat, injuria provocatus; ſiquidem cum paulo ante pontifex Amulium Veronenſi epiſcopatu donaſſet, ſenatus ea re exacerbatus ex legatione cum ſtatim domum revocaverat, Hieronymo [m] Superantio ipſi ſuffecto, et Joannem [n] Frumentum reipublicae a ſecretis Romam miſerat, qui Amulii ex legatione revocationem publico decreto factam apud pontificem multis verbis eaque praecipue ratione excuſaret, quod ille in leges commiſiſſet, quibus cautum, ne quis, quam diu Romae oratorem agit, ullum ſacrum aliudve uſquam beneficium conſequi poſſit. Pontifex contra, qui ignominioſam Amulii revocationem ad ſummam injuriam pertinere arbitraretur, inſtare, ut ſenatus decretum contra Amulium factum revocaretur; nullam quippe ſubeſſe Amulii culpam, in quem
inſcium

VAR. LECT. [*] *Tota haec de* XVIII *(quorum duo ex nobilitate Veneta) cardinalium creatione, per* XXX *plus minus lineas, uſque ad* Dum haec agerentur, *deducta narratio, deſideratur* D. ſ. o. d.

INTERPR. [a] *Colonna.* [b] *Paliano.* [c] *Caſtel S. Angelo.* [d] *Rebiba.* [e] *di Monte.* [f] *Borromeo.* [g] *Sitico Altemps.* [h] *Geſualdo.* [i] *de Conſa.* [k] *Amulio.* [l] *Navagero.* [m] *Soranzo.* [n] *Frumento.*

CIↃIↃLXI.

Carolus IX.

inſcium et invitum ſponte nec rogatus beneficium contuliſſet; alioqui pontificiam admodum in arctum benignitatem cogi, ſi ornamenta ac beneficia, quae in bene de re Chriſtiana meritos conferret, ſibi fraudi, ipſis detrimento eſſent: in eamque rem datis ad ſenatum literis propria manu, quod raro fit, ſcriptis enixe ab eo petebat, ut Amulius decreto revocato in dignitatem priſtinam reſtitueretur; quod et, re in ſenatu magna contentione jactata, tandem impetraverat. Demum eodem in cardinalium collegium lecto prioris culpae renovata memoria, et Frumentus idem Romam miſſus, ut Navagerii quam gratam cooptationem tam Amulii moleſtam ſenatui fuiſſe conteſtaretur: in urbe vero cautum, ne quis affinium propinquorumve Amulii purpuram ſumeret; ullumve publice vel privatim, ut alias fieri conſuevit, laetitiae ſignum ederetur: quod eo factum ſcribit Petrus Juſtinianus, ut omnes intelligerent, Venetos, juſtitiae obſervantiſſimos, moleſte ferre, civeis ſuos, legibus ſpretis a majoribus ſumma ſanctitate ac ſapientia conſtitutis, ſacros honores immoderate, vel cum gravi patriae offenſa appetere.

XXVII. Dum haec agerentur, apud nos qui eccleſiae paci et emendationi ſtudebant, pontificem privatis charitatibus fovendis intentum a concilio univerſali abhorrere rati, nationale urgebant; in quo Guiſiani et qui eis addicti erant, cum ſummum religionis periculum verti arbitrarentur, veriti, ne Proteſtantes in eo obtinerent, nullum non lapidem movebant, ut regem a conſilio de nationali concilio, cujus ſpem fecerat, demoverent: ac poſtremo tanquam ex machina Philippus Hiſpaniarum rex in ſcenam producitur, implorata ejus a pontifice ope; iſque miſſo Antonio [a] Toletano ſedulo apud reginam egit, ut ad concilium Tridentinum Galliae praeſules ac theologos ablegaret, et interea, ne ſciſſurae via aperiretur, nationalis celebrandi conſilium omitteret. Sic vero inſtructus venetat, ut, ſi opportunum videretur, amicitiae, qua puerum regem affinem proſequebatur, ſpecie operam ſuam deſerret, et minas contra eos, qui Proteſtantium cauſae favebant, miſceret, jam tum arbitrium rerum noſtrarum Hiſpanico faſtu ad ſe trahens. Cum in legatione obiiſſet Toletanus, in ejus locum Jo. [b] Manrices ſuffectus eſt, qui reginam ad ſupplicia de aperte Sectariis ac ſuſpectis ſumenda minas precibus addens aſſidue hortabatur: ſed quo minus heri ſui promiſſa ſive imperia in bonam partem acciperentur, obſtabat Navarrus, qui de regno majoribus ſuis per injuriam adempto ſibi ſatisfieri poſtulabat, et aſſiduis apud regem querelis Hiſpani conatus interturbabat; cumque plus in Gallia poſſe, quam re vera poſſet, crederetur, monitus eſt Hiſpanus, illius animum per homines idoneos pertentaret, quo promiſſis lactatum in praeſens ſuis rebus pacatiorem haberet. Duo in Navarri gratia praecipue florebant, Philippus [c] Lenuncurius [α] Antiſſiodorenſis epiſcopus et Franciſcus [d] Scarſius: quorum ille ad vanitatem aulicam compoſitus et innata imbecillitate animi ad omneis rumuſculos credulus, ceteroqui lautitiae et opulentiae innutritus facilius decipi quam corrumpi poterat; hic contra obnoxius ad omnem rei faciendae occaſionem intentus erat. Per eos homines facile Navarri ingenium ſe circumventurum ratus Manrices omnem operam adhibet: et Antiſſiodorenſem quidem vana officioſi honoris ſpecie et ultro delata potentiſſimi principis amicitia ineſcat; Scarſium vero promiſſis lactatum in ſuas parteis pertrahit: et ita utrique perſuadet, componendae de regno litigioſo controverſiae has conditiones Navarro proponerent; ut Catholicae religionis patrocinium in Francia ſuſciperet, et, quando haereſis legitima eſſet diſſolvendi matrimonii cauſa, ipſe Joannam [e] Labretanam uxorem, quippe Sectariorum veneno infectam

VAR. LECT. [α] Altiſſiodorenſis *ubique* *D.* f. o.

INTERPR. [a] *de Toledo.* [b] *Manriquez.* [c] *de Lenoncourt, evêque d'Auxerre.* [d] *d'Eſcars.* [e] *d'Albret.*

infectam, repudiaret; qua repudiata, nihilominus poſſeſſionem et jura omnia in regnis ac ditionibus, quae illi competunt, et quibus illa tanquam indigna propter haereſim privaretur, penes ſe retineret; Mariam Scotorum reginam in ejus locum duceret; Sardiniae regnum Navarrae regni loco a Philippo compenſationis titulo acciperet. Oſtentabatur Scotae conjugium a Guiſianis; cujus doti et Angliae regnum acceſſurum dicebant, quod matrimonio inter eos contracto pontifex ipſis adjudicaturus eſſet, eoque Eliſabetham tanquam indignam propter eandem cauſam ſpoliaturus. Ad quae omnia exequenda et pontificis auctoritatem et Philippi opes ac copias ſpondebant. De Sardinia vero, quae propter inſalubre coelum ſolitudine damnata ad exulum deportationem magis quam alios uſus a Romanis ſepoſita fuerat, praeclara omnia et magnifica jactabantur; et a Scarſio imprimis, qui, quae ex tabulis ad fraudem ingenioſe elaboratis didicerat, quo fidem Hiſpani promiſſis aſtrueret, ea ſe coram vidiſſe cum in inſula eſſet, mentiebatur; et Antiſſiodorenſis vera eſſe a Scarſio deceptus eadem vanitate confirmabat. Cum Navarrus a conſilio de repudianda uxore abhorreret, reliquum erat, ut conditionem de Sardiniae regno acciperet: in quam rem nihil illi omittebant, ut facili ingenio principem in fraudem impellerent; inſulam eſſe toto Mediterraneo mari ſecundum Siciliam maximam et opulentiſſimam, paſcuis, gregibus, equis generoſis abundantem, oppidis et urbibus frequentem, frumenti feracem, navigationi ad omnes acceſſus opportunam; ad haec, ita ſitam, ut magna momenta ad res Italiae habeat, Africae vero immineat, ut, qui ejus compos ſit, is toto Africano tractu intra breve ſpatium potiri poſſit. His addebant, ſi conditionem rejiceret, quae illi cum potentiſſimi regis amicitia offerebatur, videndum eſſe, quibus opibus ſubnixus ſperaret ab eodem invito atque adeo hoſte regnum antiquum reciperare; propriis id non poſſe viribus; nec vero ſimile eſſe, reginam aemulam unquam paſſuram, ut bellum genero indicatur, et pax, quam tot urbibus ac provinciis reſtitutis et traditis Henricus vir ejus nuper redemerit, ipſius cauſa violetur: nec vero tempora aut Galliae rationes ferre, ut alienis opibus augendis propriae quietis jacturam faciat: itaque potius videri, ut regnum ſponte oblatum acciperet; nec certis, et quae in manibus haberet, ſpretis, ad incerta conſectanda animum adjiceret, aut quidquam interea faceret, quod benevoli regis animum et voluntatem adeo erga ipſum propenſam alienare poſſet.

XXVIII. [α] Post cardinalis [a] Turnonii obitum Navarrus inter domeſticos Vincentium [b] Laureum legerat, [c] Tropeae in Calabria honeſtiſſimo loco natum, de cetero virum eleganti doctrina ac moribus, ad haec gravitate et modeſtia inſignem; qui poſtea [d] Montis-regalis in Subalpina provincia epiſcopus, et tandem in collegium cardinalium cooptatus parum a ſupremo ſacri Ordinis magiſtratu abfuit. Is Jacobo [e] Laine, de quo jam dixi, et Joanne Polanco e Jeſuitico ſodalitio primariis viris auctoribus Navarro operam navabat, non tam medici quam conſiliarii honorifici munere apud principem toto regno, ſecundum Catharinam, potentiſſimum fungens, et cum a fovendis Proreſtantium partibus, quantum in ſe erat, crebris admonitionibus, ac propoſito ſalutis aerernae et familiae propriae cum regni cauſa conjunctae periculo, deterrebat. Antea ſuperſtite Turnonio, cum [f] Guiſius et Santandreanus religionis cauſam periclitari viderent; ac, nutanre tunc Navarro, et, clam Momorantio, ad tuendam Catholicam fidem de Philippo

in

VAR. LECT. [α] *Quae in lineis* XXII *circiter ſequentibus continuata ſerie de Vin. Laureo narrantur, uſque ad* eodem conſilio, *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *de Tournon.* [b] *Lauro.* [c] *Tropea.* [d] *Mondovi en Piedmont.* [e] *Laïnez.* [f] *le duc de Guiſe, & le mareſchal de St. André.*

CIↃIↃLXI. CAROLUS IX.

in Gallias accerſendo cogitarent, mitteudi ea de cauſa in Hiſpaniam Lainis hortator ac ſuaſor fuerat: ſed re cum Thoma [a] Perrenoto Chantoneto tunc Philippi apud regem oratore prius communicata, cum ille Philippum de capeſſendo Galliarum regno minime aſſenſurum conſtantiſſime aſſeveraret, ceterum pro religionis defenſione peditum equitumque quantas neceſſe foret copias ſuppeditare minime recuſaturum oſtenderet, conſilium juxta pudendum ac regno periculoſum evanuit. Laureus nihilominus apud Navarrum ſemper inſtabat, et de Sardinia, cui et Tunetanum regnum addebat, ſpem a Philippi benignitate, ſi ab infeſtis religionis hoſtibus ſe alienum omnino praeberet, renovatam reponebat. Eodem conſilio miſſus in Galliam legatus a pontifice Hippolytus [b] Ateſtinus cardinalis Ferrarienſis; cujus fratris filiam Annam Guiſius uxorem duxerat. Is io aula jam diſſidiis ob religionem ſciſſa a pueris nobilibus [α] ac lixis petulanter inſultantibus primo exceptus eſt, etiam libellis incerto auctore affixis traductus, quibus Alexandri VI pontificis avi [β] flagitia et Lucretiae matris ſamoſi amores, a F. Guicciardino non nutilato, atque adeo a Jacobo Sannazario exagitati, injurioſe refricabantur. Cum mandata, quae a pontifice habebat, diplomate regio ad curiam Pariſienſem directo, uti moris eſt, confirmari peteret; primo tecuſavit [c] Hoſpitalius, quippe memor proximis comitiis poſtulatum fuiſſe, ne in poſterum ſacerdotiorum collationes, quas vocant, a pontifice, ſed ab epiſcopis ac aliis praeſulibus Gallicanis tantum obtinerentur, neque amplius ulla ex cauſa contra ſacros canones ac patrum decreta diſpenſaretur. Tandem repulſae infamiam a ſe regi cognatione conjuncto miſeris precibus deprecatus Ferrarienſis, ac fide data mandatis non uſurum, diploma a rege impetravit, inſerta ſub ſigillo ab Hoſpitalio cautione, qua ſe non conſentiente ſigillum appoſitum conteſtabatur: quae mandata poſtea [γ] ſub modo et cooditione a curia in acta relata ſunt. Ferrarienſis, ubi in aulam venit, mutuas operas, ſicuti a pontifice jubebatur, Hiſpano in eo negntio navabat, atque ex compacto vana ſpe impletum ac nutantem Navarrum officioſe inviſens de regnis Angliae ac Sardiniae, quae utraque ad ſedem Romanam reſpiciunt, ſpem factam pontificis nomine confirmabar, ſi Catholicorum cauſam tueretur, et a Proteſtantibus in poſterum ſe alienum oſteoderet. Ita Hiſpanus Navarrum ludificatus, poſtquam eum cum Condaeo fratre et Coliniis commiſit, qua ex diſſenſione bellum neceſſario excitatum iri apparebat, et in pontificis gratiam nationale concilium impedivit, [δ] quod turbarum apud nos componendarum remedium a pleriſque exiſtimabatur, voti compos quaſi re bene geſta in Hiſpaniam rediit, proſequente eum [d] Burdigalam uſque [e] Scarſio: qui, poſtquam iode rediit, rurſus Navarrum iiſdem promiſſis onerat, quae mox, ſumptis contra Condacum ac Proteſtanteis tanquam perduelleis armis, cum nihil haberet Philippus unde a Navarro metueret, cum ipſius Navarri vita evanuere: nihilominus ante ipſius mortem ea ſpe miſſi ipſe Scarſius et [f] Anduzius in Hiſpaniam, qui rem conficerent.

XXIX. Aucto interea Proteſtantium numero, quamvis edicto Juliano coetus fieri prohiberentur, et gliſceote cum numero audacia, non ſolum conciones publicae celebrabantur, ſed etiam multis locis templa vi expulſis ſacerdotibus occupabantur; quod edicto III Non. Nov. facto cauſam dedit, quo jubebatur, capitis poena propoſita, ut templa occupata reſtituerentur; cui ex miniſtrorum conſilio

VAR. LECT. [α] ac derſt *D. f. o.* [β] ſcelera *D. f.* [γ] poſtea, ſed ſub *D. f. o.* [δ] quod ad omnium turbarum *D. f.*

INTERPR. [a] *Perrenot, ſeur de Chantonet* [b] *d'Eſte* [c] *le chancelier de l'Hoſpital.* [d] *Bourdeaux.* [e] *d'Eſcars.* [f] *d'Anduze.*

conſilio mox per totum regnum Proteſtantes paruere. Cum vero de novis motibus quotidie afferretur, et Juliano edicto irritati magis quam ſedati animi viderentur, nec Poſſiaceno colloquio quidquam profectum eſſet, de novo remedio cogitari coepit; quod ut ab omnibus approbatum executioni melius demandari poſſet, accerſiti regis mandatu ex cunctis regni curiis praeſides ac ſenatores delecti, qui Germani-ſanum venirent, ex quorum ſententia edicto publico de re tota decerneretur. Inde quaeſita a [a] Guiſio et Lotaringo cardinali fratre ex aula diſcedendi occaſio, qui jam arcta cum [b] Momorantio et Santandreano amicitia contracta, cum Navarrum ob eas, quas dixi, cauſas a Proteſtantibus alienum fluctuare et animo concidiſſe viderent, jam de rebus ſuis ſecuri, ille quidem [c] Jonvillam pergit, hic [d] Remos contendit, inde mox ambo in Germaniam profecturi. Rumor et tunc emanavit, quaſi [e] Nemoroſius juvenili calore audax conſilium de Alexandro [f] [α] Aureliani duce regis fratre intercipiendo et in Lotaringiam ſecum abducendo cum Guiſio cepiſſet: quo factum eſt, ut ipſe ſubito diſceſſu ſe aula proripuerit, eaque abſtinuerit, donec res in apertum bellum erumperet. Sub id tempus et [g] Divione tumultus exortus eſt, et a plebe, dum concio haberetur, quoniam id contra edicta fieret, impetus factus, etiam, quaſi confligendum eſſet, tympanis adhibitis: verum qui convenerant, armis, quibus inſtructi erant, vim repulerunt. Cum in homines nihil agi potuiſſet, verſo ad praedam furore domus aliquot direptae.

CIƆIƆLXI.
Carolus IX.

XXX. Cum vero Lutetiae aliquoties jam tumultuatum eſſet, demum exeunte anno res in apertam ſeditionem erupit. Convenerant Proteſtantes ad locum iis deſtinatum, qui [h] Patriarchatus vulgo appellatur, in [i] Sammarcelliano ſuburbio juxta [k] Medardi-ſanum VI Kal. Jan. ubi, coepta a Jo. [l] Malone concione, a curione, aedituis et aliis qui cum eo in proximo templo erant, nam nondum coetus, qui ad ſacrum veſpertinum convenerat, dimiſſus fuerat, ſive ex uſu, ſive ut moleſtiam concionem audientibus faceſſerent, tintinnabula tanto fragore pulſantur, ut vix concionator exaudiretur. Itaque miſſi ex ingenti illo coetu, qui plus CIƆ CIƆ hominum conſtabat, duo [β] ſine armis, qui curionem et alios rogarent, ut a pulſatione horrifica illa abſtinerent. Rejecti illi cum jurgiis; et ſtatim obſeratis templi valvis intercluſus ex iis unus, nam alter ſe celeri fuga periculo eripuit: cum vim facere vellet, ut egrederetur, ſtrictoque cultro ſe defenderet, crebris contorum ictibus poſtremo confoſſus eſt. Tum redintegratus tintinnabulorum fragor, claſſici inſtar, ita ut opem implorantium voces ſonore contrario retunderentur; cum rurſus miſſus unus ex [m] [γ] Rugerolii propraetoris [1] ſuccincti, qui, ne quid tumultus exoriretur, [n] Momorantii mandatu coetibus intereſſe jubebatur, apparitor armatus, qui tumultuanteis quieſcere juberet: verum is cum occluſas templi portas offenderet, ſaxorum grandine ex templi turre in ſubjectum locum depluente ac crebra baliſtariorum ejaculatione territus, cum propter ſtrepitum nomine regis ſaepius inclamato non exaudiretur, e veſtigio ſe recepit. Inde capta occaſione perditae vitae homines, qui in populoſa urbe nimis quam multi et ex gladiatoria fere viventes, licentiae potius quam pietatis cauſa ſe turbae confertae admiſcuerunt, non ferendam paucorum ſeditioſorum, qui regiis mandatis

VAR. LECT. [α] Duce Aureliano *D. f. o.* [γ] Rugorelii *D. f. o. d.*
[β] inermes *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le duc de Guiſe, & le cardinal de Lorraine* [b] *le connêtable de Montmorency, & le mareſchal de St. André.* [c] *Joinville.* [d] *Reims.* [e] *le duc de Nemours.* [f] *Orleans.* [g] *Dijon.* [h] *le Patriarché.* [i] *Fauxbourg S. Marceau.* [k] *St. Medard.* [l] *Malot.* [m] *Rugeoreille, prevoſt des mareſchaux; Mezeray l'appelle prevoſt de la conneſtablie.* [n] *le mareſchal de Montmorency, gouverneur de Paris.*

NOT. [1] *Forſan legendum* ſuccincti ſtipatoribus,

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

datis ac miniſtris parere detrectatent, audaciam cauſati, expugnandum templum ſuſcipiunt; moxque facto agmine locum circumſtant, et portas effringunt; irruptioneque facta, vulneribus in ea acceptis irritati, tum horrendo occiſi nuper in valvarum limine hominis ſpectaculo effetati magis ad ultionem accenduntur, et poſt aliquod certamen loco potiti obvios quoſque male mulctant. Reliqui huc illuc diſperſi ad turrem, quo jam curio confugerat, ſe recipiunt. In eo conflictu non pavimento, non aris, non ſtatuis parcitum; dum alii ad eas evertendas petulanter diſcurrunt; ſacerdotes et alii, qui intus erant, pro vita pugnantes, cum alia arma non haberent, ſtatuas ipſis altaribus avulſas, ut adverſatios praevenitent, in illos torquent. Pugnantibus ſupervenit [a] Gabaſtonus vigilum praefectus, qui et ipſe ad id ordinatus fuerat, ne quid contra publicam tranquillitatem in his coetibus fieret, juxta Ordinum poſtulata: is in equo templum ingreſſus non ſolum tumultuanteis teprimere non potuit, ſed praeſentia ſua majoti numero animos fecit, quod illi poſtea in exitium vertit. Ex iis, qui in templo erant, vulnerati graviter L, capti XIIII. Tandem loco potiti, cum interea tintinnabula minime ceſſarent, et metus eſſet, ne ad claſſicum plebs furens majote numero cum armis tandem accurreret, Proteſtantes ignem in turrim ſe ſubjecturos minitantur; vixque ita ſedato claſſico ac tumultu de reditu in urbem cogitare coepere; ubi cum non dubitarent, quin infeſtam plebem habituri eſſent, praevalente turbulentorum, ut in ſeditione fieri amat, adverſus quietiores potentia, ita ſe inſtruunt, ut non tam ſecuritati ſuae proſpexiſſe viderentur, quam hoc egiſſe, ut ſuperba et triumphali pompa omnium odium contra ſe provocarent. Primam aciem Gabaſtonus cum L equitibus et CC circiter peditibus armatis ducebat; ultimum agmen cum ſuis item armatis claudebat [b] Rugerolius; in medio turba [α] inermis; et dedititii illi ſeptem ordinibus ſcorſim a reliquis, ut ab omnibus dignoſcerentur, incedebant bini inter ſe funibus colligati, et ita per totam urbem traducti ſunt, atque in publicum carcerem deducti, non ſine multorum indignatione, qui alioqui a Proteſtantium cauſa non ita alieni erant. Poſtridie eodem Proteſtantes, ſed inſtructiores et quaſi conflicturi mane convenere, et concione peracta eodem ordine domum redière. Sed plebis patientia mox a prandio in furorem verſa eſt, multique undique coacti et tumultuariis armis inſtructi in locum illum impetum faciunt tunc vacuum, et ſcamna ac ſedilia et cathedram ipſam, ex qua miniſter populum alloquebatur, confringunt, ac poſtremo ignem in locum conjiciunt, et vicina aedificia incendio abſumunt, creſcente ſemper laſcivia, donec magiſtratu cum lictoribus accurrente huc illuc plebs dilapſa eſt, et incendium reſtinctum. Ea re non ſolum exacerbati pletique, verum etiam in aula primores permoti ſunt; et [c] Aegidius Burdinus cognitor regius [d] Germani-fanum ad regem profectus rem per ſe indignam in majus auxerat. Itaque negotium datum curiae, adempta rei cognitione Rugerolio et [e] Hortenſio ſuccinctis proptaetoribus, ut in factum inquirerent. Delegati Ludovicus [f] Gigas et Antonius [g] Fumeus; et, quia non bene inter eos conveniebat, nam hic cauſae favere, ille advetſari vulgo exiſtimabatur, juſſi ſeparatim teſteis audire. Auditi a Fumeo, qui ſeditionem a curione et aedituis excitatam dicebant; teſtes, qui contra dicebant, apud Gigantem ſiſtebantur: nam ab utraque parte de vi publica et injuria illata querela inſtituta erat apud judices, et quiſque ab adverſario principium ſeditionis factum contendebat. Sed fraus fraude revicta eſt: nam cum Gigas [h] Genovefae-fanum veniſſet,

VAR. LECT. [α] inermis erat *D. f.*

INTERPR. [a] *Gabaſton, chevalier du Guet.* [b] *Rougeoreille.* [c] *Bourdin, procureur general.* [d] *St. Germain en Laye.* [e] *des Jardins, lieutenant criminel de robbe courte.* [f] *Gayant.* [g] *Fumée.* [h] *de Ste. Genevieve.*

veniſſet, auditis, qui teſteis omneis apud Fumeum productos ſeditioni interfuiſſe CIƆIƆLXI.
et ejus maximam partem fuiſſe dicerent, adverſae partis teſtimonia tanquam CAROLUS IX.
ſuſpecta rejecta ſunt, et ipſi illi, qui teſtes in cauſa erant, poſtulati et ſenatus decreto in carcerem conjecti ſunt, qui diuturnus eis pro poena fuit: nam vix eo tandem, Navarro rogante, ſed aliquanto poſt tempore, liberari ſunt. Ita cum tumultus culpa omnis in Proteſtanteis recidiſſet, illi tamen affixis malo more per plateas libellis cauſam ſuam tuebantur, et conjurationem ad innocenteis oppugnandos quorundam curiae praeſidum ac ſenatorum, qui judices in ea cauſa ſederent, conſilio et inſtigatu initam dicebant: nam ſtarim excitato tumultu viſos ccc homines armatos, qui quaſi in inſidiis per vicinas domos latentes accurrerunt; ſed, cum ſe numero impares contra tantam multitudinem viderent, retroceſſiſſe: deinde quorſum templi ſacerdotes donaria omnia aurea et argentea ac reliquam pretioſam ſupellectilem paucis ante diebus inde aſportaſſent, niſi quod de facinore perpetrando jam cogitarent? aut quorſum eos, qui a coetu ad illos rogatum miſſi erant, ut ab inſolito fragore abſtineretur, tam arroganter cum jurgiis repuliſſent, uno etiam ex iis immaniter in ipſius templi limine occiſo, niſi re deliberata et de ſubſidio certi occaſionem motus excirandi quaeſiviſſent? quod vero vim vi repulerint, id jure naturali licere. Quid, quod a magiſtratu rogati ſunt, an igitur, quod ei opem adverſus regiis mandaris parere detrectanteis imploranti praeſto fuerint, in judicium vocari debere? an non conſtare, magiſtratum ſi aliquid violentius contra reſiſtentem fecerit, nihil ei imputari? cur non eodem jure cenſeantur, qui magiſtratui operam navarint, ut regis mandata executioni demandentur? igitur non ad factum et ejus eventum, ſed ad conſilium reſpiciendum eſſe. Nam in ſeditione, cum, aliis vim inferre conantibus, aliis indignatione reſiſtentibus, verbera et caedes admittuntur, imperatorum conſtitutionibus ſancitum eſſe, ut in eum, qui primus vim facere tentaverit, et alterutri parti cauſam praebuerit, ſupplicium exerceatur. His rationibus Proteſtantes factum excuſabant, potius quam defendebant: in quo tamen aequiores inter ipſos moderationem requirebant; et ita judicabant, in republica bene conſtituta diligenter cavendum eſſe, ne coetus hujuſmodi habeantur, quantumvis juſta cauſa praetendatur: nam non poſſe fieri, quin multa in illis licenter et contra leges ac tranquillitatem publicam admittantur; cum paſſim quiſque motu ſemel excitato auctoritatem in iis ſibi vindicet, contemptis eorum, qui quieti ſtudent, conſiliis. Cum igitur plebs fremeret, et ad contrariam ſeditionem ſpectaret, paucorum ſupplicio ei ſatisfactum eſt, poenae deditis ª Gabaſtono, qui ſeditionis facem accendiſſe, non extinxiſſe, et praeſentia ſua animos tumultuantibus feciſſe dicebatur; et quodam apparitore, qui, quod truncatarum accepto olim in bello vulnere narium deformitatem lamina argentea tegeret, ᵇ Argyrorrhinus vulgo vocabatur, ſtrenuo homine, et qui ſe ante alios in eo conflictu ſpectandum praebuerat. Ii ſenatus decreto patibulo ſuffixi; nec ſatiata ſupplicio plebe, e carnificis manibus rapti uterque per vicos crudeliter tracti poſtremo in profluentem merſi ſunt, cantilenis etiam ea de re confectis, quibus vici noctu et interdiu perſonabant.

XXXI. α Hoc anno Joannes ᶜ Tarnovius XVI Kal. Jun. in curia ſua ᵈ Viecoionenſi deceſſit, triennio annum LXX ſupergreſſus; qui magnis in vita rebus geſtis non ſolum de Polonis ſuis, ſed univerſa republica Chriſtiana, meruit, ut memoria

VAR. LECT. α *Quae ſequuntur uſque ad hujus libri finem deſunt.* D. f. o. *Legitur tamen Farrni elogium in* D. f. *ad calcem lib.* 37; *et in* D. o *ad finem lib.* 39, *paucis infra notatis diverſum; legitur quoque in* D. d. Tom. 5, p. 582, *idem prorſus quod editio Genevenſis exhibet.*

INTERPR. ª *Gabaſton.* ᵇ *Pierre Creon, ſurnommé Nez-d'Argent.* ᶜ *de Tarnow.* ᵈ *Wiekoionis.*

CIϽIϽLXI.
CAROLUS IX.

memoria ejus in domeſtico otio ante obitum paene ſepulta in apertum producatur. Is poſt ingenuas artes a puero non ſegniter perceptas, inſita ad majora virtute longinquas peregrinationes in adoleſcentia ſuſcepit, Aſiaque minore perluſtrata, ac Judaea religionis cauſa adita, ad [a] Erythraeum uſque mare vagatus eſt, et inde reflexo itinere Aegyptum et totum Africae tractum emenſus, contra barbaros deteſtandae ſectae addictos Emmanueli Luſitaniae regi fortem operam navavit, eoque in bello virtutis militaris primum tirocinium fecit, adeo ſecunda fama, ut, cum domum rediens Carolum Caeſarem et Leonem x ſalutaret, non ſolum ab iis honorifice ſit exceptus, ſed ab iiſdem regi Sigiſmundo commendatus ſtatim in Polonia univerſis regni copiis praeficeretur: quo in munere conceptam de ſe expectationem longe ſuperavit, Petro Moldavorum principe ad [b] Obertinum profligato, ac dein majore belli mole Moſcis ad [c] Sterodubum debellatis, et [d] [1] Tataris, gente ad continuas excurſiones effuſa, per Podoliam saepius fuſis ac repreſſis. Verum, qui ſucceſſus virtuti conſtanter reſpondentes contra externum hoſtem hactenus fuerat expertus, immane quanta invidia poſt tot exantlatos pro patria labores inter ſuos laborare coepit; quibus Imperatoris titulus meritis quaeſitus, non ſolum odioſus, ſed etiam ad extremum ſuſpectus fuit. Itaque cum ſaepius repetita Germanorum, [e] Boiorum ac [f] Pannoniorum apud Caeſarem poſtulatione contra Solimannum formidabilem Chriſtiani nominis hoſtem dux belli ſummus depoſceretur, honeſte ſe excuſavit, rejecta in foedus, quod Sigiſmundo cum Turcis intercedebat, cauſa; atque, ut abſentia invidiam placaret, domum quaſi privatus conceſſit: ubi conſcientia tutus, qui tam glorioſe vixerat, in jucunda rerum a ſe praeclare geſtarum recordatione inter amicos et librorum oblectamenta conſenuit [α]. [β] Sub id Gabriel [g] Faernus Cremonenſis [γ] ultimum diem clauſit, immatura morte ereptus: qui in Pii IIII pontificis maximi, dum adhuc cardinalis eſſet, et poſtea in Caroli Borromaei, non minus nobilitate generis quam morum ſanctimonia illuſtriſſimi cardinalis, familia, politioris literaturae ſtudia excoluit, et exacta in ſcriptis veterum ad codices MSS examinandis diligentia ac ſolertia excelluit, quod quaedam Ciceronis poſt obitum ejus publicata, et Terentius in primis aliquot poſt annis a P. [h] Victorio ſummo Faerni admiratore editus poſteris teſtabuntur; non mediocrem etiam a ſtudioſis gratiam promeritus Fabellis Aeſopicis vario carminum genere expreſſis; majorem initurus, ſi Phaedri, cujus ſive imitatione ſive aemulatione luſerat, nomen aut non diſſimulaſſet, aut ſcripta, quae legerat, et penes ſe habebat, non ſuppreſſiſſet. Verum ita fatis comparatum erat, ut, quem Faernus nobis invidit, cum viri optimi et undecunque [δ] doctiſſimi fidei ac induſtriae deberemus, qui ad alia innumera, quibus poſteritatem [ε] devinxit, beneficia hunc cumulum adjecit; et veteratorem aulicum in tenebris apud Italos deliteſcentem nactus recenſuit, ac paucis ante mortem diebus luce donavit. Circa haec tempora, nam de loco et die obitus mihi quantumvis diligenter indaganti minime certo conſtat, finem vitae ad publica commoda devotae impoſuit Arnoldus [i] Arlenius, in [k] Campinia Atuaticorum regione trans [l] Dieſam amnem, qui [m] Silvam ſeu Boſcum-Ducis alluit, vico ignobili

VAR. LECT. [α] *Sequentia, uſque ad libri finem, deſunt* D. d.
[β] Annum clauſit Gabriel D. f. o.
[γ] ultimum &c. *uſque ad* excoluit *deſunt* D f o. *qui tamen codices ponunt* vir literaturae et puritatis antiquae, cui exacta, &c.
[δ] diligentia literas plurimum juvit, *ceteris inter* diligentia *et* non mediocrem *omiſſis* D. f. o.
[δ] doctiſſimi Petri Pithoei fidei D. f. o.
[ε] ſibi devinxit D. f. o.

INTERPR. [a] *Mer Rouge.* [b] *Obertin.* [c] *Sterodub.* [d] *les Tartares de Krim* [e] *ceux de Boheme.* [f] *ceux de Hongrie.* [g] *Faerno de Cremone.* [h] *Vettori.* [i] *de Lens.* [k] *la Campigne ou Kempenland en Brabant.* [l] *la Dyſe.* [m] *Bois-le-duc.*

NOT. [1] *Tatari,* a flumine Tatar appellati C.

bili natus, indeque nomine ingenioſe ab ipſo effecto Peraxylus nuncupatus, qui, quantam Gabriel Faernus in Latinis ſcriptoribus caſtigandis ſolertiam, tantam in Graecis adhibuit: huic vel editione Joſephi Graeca multum poſteritas ſemper debitura eſt, quam ille ex viri illuſtriſſimi Didaci Hurtadi Mendozae tunc apud rempublicam Venetam oratoris optimo exemplari publico dedit, adjectis etiam libris contra Apionem, qui nuſpiam alibi reperiuntur. Mendoza dein, cui tunc navabat operam, ex Italia decedente, ad Baſileam amoeniſſimum literatorum ſeceſſum ſe contulit, ubi induſtriam per aliquot annos exercuit, et Henrici Stephani opera feliciter uſus eſt. Viri de literis tam bene meriti memoriam, quamvis incerto tempore ac loco, heic renovare, quam omnino indictum praeterire ſatius viſum eſt. Meruit et, qui in juventute erudienda tam gnaviter laboravit, ne indictus praetereatur, Melchior ſeu Melior [a] Wolmarius [b] [1] Rotevilla, Helvetiis foederata civitate [c] Longavillanorum ducum noſtratium ditionis natus, qui, Lutetiae bonis literis ſub Jacobo [d] Fabro Stapulenſi imbutus, [e] Avarici Biturigum utramque linguam Margaritae Navarrae reginae ſtipendiis magna cum laude profeſſus eſt, ubi et juriſprudentiae ſub Andrea Alciato operam dedit, inde in Germaniam ab Ulrico [f] Wirtembergico duce [g] Tubingam evocatus, diu in ea ſchola jus et Graecos auctores interpretatus eſt, ac tandem rude donatus [h] Iſenam ſe contulit, ubi vir bene de re literaria meritus, et magna ſtudiorum conſenſione cum Joach. Camerario conjunctus, hoc anno deceſſit, cum LXIIII vitae attigiſſet.

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Wolmar.* [b] *Rotweil.* [c] *les ducs de Longueville* [d] *le Fevre d'Eſtaples.* [e] *Bourges.* [f] *le duc de Wirtemberg.* [g] *Tubingen.* [h] *Eyſenach dans la Thuringe.*

NOT. [1] Rotevilla urbs eſt imperialis Sueviae, totiuſque provinciae, ab A. D. 1147 ad 1648, juridica ſedes, ad Nicrum ſita; Helvetiis quidem foederata, non autem Longavillanorum ducum ditionis. Roteliam licet Briſgoiae arcem, Germanice *Roteln*, Gallice *Rothelin*, Longavillani olim ſibi vindicarunt, nec nunc quidem titulo marchionum Rotelenſium abſtinent. *C.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER VIGESIMUS NONUS.

EPITOME.

MARIA Scota in regnum, praeternavigata Anglia, deſcendit. Jacobi Moravii cum Angla tunc habiti ſermones et conſilia. Tumultus per Scotiam ob religionem. Templa ac coenobia paſſim deſtruuntur. II. Prima regni initia, et varia de Mariae fortuna judicia: III. Cum Eliſabetha per oratores agit, ut ſecundum liberos, quos gigneret, proxima regni heres deſignaretur; quod illa non ſolum averſata eſt, ſed ex eo Mariae conſilia ſuſpecta ſemper habuit. Proteſtantes in regno pollent, Catholicis in arctum coactis. IV. Tertia redituum ſacri patrimonii portio ad ſumptus aulae et regni ſuſtinendos reginae adjudicata. V. Moravius variis inſidiis et ſaepius eluſis ac repetitis conflictatur: ad extremum palam erumpentibus fortiter reſiſtit, et Gordonios earum auctores praeter ſpem inexſpectata Dei benignitate caedit. Huntleius familiae princeps in conflictu exanimatus; Joannes filius, qui de reginae nuptiis ſpem conceperat, captus capite luit. Reginae ob tam proſperos ſucceſſus, et quod Proteſtantium partes per eum firmarentur, ſuſpectus Moravius. VI. Apud nos, ut obviam turbis iretur, conventus delegatorum ad Germani-fanum peraguntur. Hoſpitalii gravis oratio, qua ad laxandam Proteſtantibus libertatem inclinare viſus eſt, quando ſeveritate nec ſuppliciis, exiliis, bonorum publicationibus quidquam hactenus in eo negotio profectum eſſet. VII. Tandem conditum Januarium edictum, quo eccleſiaſtici in bona ac loca a Proteſtantibus occupata reſtituebantur, Proteſtantibus conveniendi toto regno poteſtas fiebat. VIII. De cultu imaginum inter praeſules et Proteſtantium paſtores, qui adhuc in aula erant, perſcripta formula, ſed irrito ſucceſſu. Senatus Pariſienſis in edicti promulgatione intercedit: quod addita clauſula, donec a concilio univerſali de re tota decretum, aut a rege aliter ſtatutum fuerit, poſt unam et alteram juſſionem tandem promulgatum fuit. IX. Triumviri edictum ut vitio factum averſantur. Guiſii et Caroli cardinalis fratris cum Chriſtophoro Wirtembergico ad Tabernas Alſatiae congreſſus ad impediendam Helveticam ſeu Genevenſem confeſſionem, facta ſpe de Auguſtana toleranda. X. In reditu Vaſſiaci Proteſtantium praeter Guiſii voluntatem ſtrages edita. XI. Guiſius ad urbem venit: pertracto ad partes ſuas Navarro, ipſe, A. Momorantius et Santandreanus auctores ſunt reginae nutanti, quae ad Fontem-Blaudi haerebat, ut Lutetiam cum rege veniat. XII. Meloduni conſultatur, Condaeo cum ſuis obequitante, cui facta ſpes, quaſi rex reginaque ejus ſe fidei commiſſuri eſſent. Tandem regem regina ad Vicenarum caſtrum altero ab urbe lapide adducit. XIII. Condaeus cum ſuis Aurelianum tendit et occupat. XIV. Condaei uxor uno partu gemellos ex conſternatione enititur, quam Magdalena Mallia parens mox cum Contii principe et gemello partu ac filia Argentinam abducit. XV. Condaei ſcriptum, quo belli neceſſitatem excuſat, et in triumviros repetita ſuperiorum temporum memoria invehitur. XVI. Foedus

Proteſtantium

Proteſtantium contra Guiſianos, quo de regis reginaeque matris captivitate conquerebantur. XVII. *Foedus contrarium; cujus ad invidiam princeps jactabatur Philippus rex Hiſpaniae.* XVIII. *Rex reginaque edictum eodem die proponunt, quo ſparſi de captivitate rumoris vanitatem elevabant, ac de cetero Januario menſe factum, excepta Lutetia a conveniendi libertate, confirmabant.* XIX. *Agendici Senonum plebs in Proteſtanteis ſaevit. Condaeus ad Caeſarem ſcribit.* XX. *Rotomagum occupatum a Proteſtantibus et Dieppa firmata.* XXI. *Vindinum Cenomanorum item iis cedit.* XXII. *Inde Condaei proteſtatio ad Pariſienſem ſenatum et Rotomagenſem miſſa, qua et contumelioſe quaedam Caeſaroduni Turonum et Bloeſis in templis acta excuſat; et, dum regni delectus citantur, conditiones pacis ab eodem propoſitae; quibus petebat, ut Guiſius ejuſque fratres, A. Momorantius et Santandreanus aula excederent; ita ſe ab armis diſceſſurum, et Contii marchionem grandiorem natu filium in id ſe obſidem daturum pollicetur.* XXIII. *Ad ea a Guiſio reſponſum contrario ſcripto, quo praecipue auctoritas Navarri obtendebatur:* XXIV. *Cui rurſus prolixo ac virulento ſcripto, cujus auctor Valentinus epiſcopus ferebatur, reſponſum.* XXV. *Condaei ad Sabaudum et Palatinum ſeptemvirum literae.* XXVI. *Conventus de religione Aureliani a Proteſtantibus celebratus.*

Ex auctoribus,

Joanne Leſlaeo epiſcopo Roſſenſi, Georgio Buchanano, Joanne Placio, Joanne Serrano, Actis publicis, Actis colloquii Poſſiaceni ab Eſpencaeo ſcriptis, Franc. Lanovii comment.

LIBER VIGESIMUS NONUS.

NUNCIO [α] de morte Franciſci in Scotiam allato, [a] Jacobus reginae viduae frater naturalis ſumma celeritate in Galliam venerat, inde in [b] Lotaringiam profectus, quo ſe regina poſt mariti mortem contulerat, ſive ſecretum ſuo dolori quaerens, ſive muliebri aemulatione, ut a Catharina ſocru longius abeſſet. Adventu Jacobi laeta in ſpeciem regina, poſt multos habitos ſermones, poſtremo oſtendit, decreviſſe ſe in Scotiam proficiſci: nam de eo ante ejus adventum conſultatum fuerat. Et quidem multi reginam a profectione deterrebant; Angliae regina non ſatis aequa; praeterea difficultatem itineris cauſantes, et hominum, ad quos iret, mores ferinos et ad ſeditionem ſemper ſpectanteis, quique vix virorum imperio regi poſſent. Sed contra ab aliis diſſerebatur, Scotorum regnum legitimum, quamdiu a regibus moderatis adminiſtratum eſſet, nuſquam ſeditionibus concuſſum fuiſſe; potentiſſimam vero in praeſentia pacandarum rerum rationem eſſe, ſi nihil in religionis receptae ſtatu mutaretur. Et haec Jacobi ſententia erat, qui reginam omnia domi pacata reperturam pollicebatur: et Guiſiani avunculi in eam partem proniores erant, qui reginam abſentem magis in ſua poteſtate futuram arbitrabantur, ſperabantque, ejus matrimonii ſpe vicinis principibus oſtentata, ſe multorum amicitias complexuros, atque interea unum e ſuis, rebus in regno adminiſtrandis

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] In Scotia, nuncio de morte Franciſci allato *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Jacques Stuart, qui fut enſuite comte de Murray, fils naturel de Jacques v, roy d'Ecoſſe* [b] *Lorraine*

CIↃIↃLXI. CAROLUS IX.

ſtrandis praefuturum. Regina vero, quanquam non ita diu regno aſſueviſſet, tamen moleſte ferebat ſe in ordinem cogi; et providebat, ſi in Gallia maneret, ſe in ea aula, in qua principem locum tenuiſſet, deinceps viliorem futuram. Itaque ſtatim Jacobum fratrem in Scotiam remittit, diemque certum praefinit, ad quem expectari vellet. [α] Is, mutandae religionis in patria dux et auctor in occulto, verebatur, ne Maria regni potens ſacra majorum reſtitueret: itaque in tranſitu monuerat Eliſabetham, ut ſororem, quam per Angliam iter facturam rebatur, tantiſper detineret, donec de religionis negotio, in quo illa nihil ſe novaturam receperat, idonee caviſſet; alioqui fore, ut bene conveniens cum Anglis hoc rerum ſtatu Scotia ex ea occaſione divelleretur, et regni proceres, quos eadem in pietate confeſſio conjungebat, Anglis deſertis ad Gallicas partes ſe applicarent: quae verba, pietatis et pacandorum regnorum ſtudium in ſpeciem prae ſe ferentia, poſtea ſecus accepta ſunt, quaſi jam tum de affectanda tyrannide cogitaret. Commode incidit reditus Jacobi in tempus, quo [a] Aegidius Noallius Burdigalenſis ſenator a rege miſſus in Scotiam venit, qui, quod poſt publici conventus finem veniſſet, rejectus fuerat in proximum concilium ad XII Kal. Jun. indictum. Nam diplomate allato, quo regina proceribus conventus habendi, et ſtatuendi, quae e republica eſſent, jus faciebat, legatus auditus eſt: cujus haec praecipua mandata erant; ut vetus cum Gallis foedus renovaretur, novum cum Anglis ſolveretur, ſacerdotes bonorum poſſeſſioni, unde dejecti erant, reſtituerentur. Ad ea minus amice reſponſum, adhuc irritatis ob recens bellum animis, quo noſtros libertatem ſuam opprimere tentaſſe querebantur; tamen, quod ad Gallicum foedus attinet, ſe non recuſare demonſtrant, quippe cujus violati minime ſibi conſcii ſint; de Anglicano ſolvendo ſpe omnino praeciſa, ad quod ſervandum recenti beneficio obſtricti ſint. Verum ad caput, quo ſacerdotum reſtitutionem petebat, omnium acerbiſſime reſponſum fuit; nempe eorum, quos ille ſacerdotes appellaret, neque ſe munus ullum aut uſum in eccleſia agnoſcere: et ne verba effectu carerent, facto decreto in eodem conventu de demoliendis paſſim coenobiis, ſtatim mittuntur in omneis regni partes, qui imperata facerent, antequam regina adveniret, qua conſcia regem ea petiiſſe conjectabant: nec dubitabant, ſi res adhuc poſt ejus ad regnum adventum integrae forent, quin eadem de re rurſus querela inſtitueretur; at everſis ſemel eorum domiciliis, quos omnino regno exterminare in animo habebant, in poſterum fruſtra querelam fore. Id admodum aegre tulit regina, clam ſe, et inter familiareis, ubi domum veniſſet, Mariae Anglorum reginae exemplum imitaturam interminata; ſed preſſo ad praeſens dolore ejus ultionem in commodius tempus diſtulit. Igitur ad profectionem comparatis, quae neceſſaria erant, e Campania atque adeo Lotaringia Lutetiam venit, cum rex in [b] Sangermano ſuburbio eſſet: inde regem comitata [c] Germani-fanum uſque, petito ab eo ac regina commeatu, in regnum revertitur. [d] Guiſius magno comitatu ac reliqui familiae proceres abeuntem [e] Caletum uſque proſecuti ſunt. Caleto ſolventem [f] [β] Renatus Ellebovius marchio et Franciſcus Franciae prior in Scotiam uſque comitati ſunt. Diſcedenti reginae conſilium dederat Lotaringus cardinalis, ut ſupellectilem mundumque muliebrem magni pretii, quem in Gallia lucrifecerat, velut in alium orbem tranſitura, apud ſe deponeret, donec de ſui itineris eventu fortuna ſtatuiſſet: verum illa, quae avunculi ingenium probe noſſet,

VAR. LECT. [α] *Deſunt 9 circiter lineae uſque ad* Commode incidit. *D.* f. o. d. [β] Renatus *deeſt* *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Gilles de Noailles, conſeiller au parlement de Bourdeaux.* [b] *Fauxbourg St. Germain.* [c] *St. Germain en Laye.* [d] *le duc de Guiſe.* [e] *Calais.* [f] *René de Lorraine, marquis d'Elbeuf; & François de Lorraine, grand prieur & general des galeres de France.*

ſet, argute reſpondit, cum ſe maris periculo committeret, non videre, cur mundo magis quam ſibi caveret. Miſſus et fuerat in Angliam ad Eliſabethae reginae voluntatem explorandam Henricus [a] Clutinius [α] Oiſellius, quod de claſſe ab Anglis inſtructa fama percrebuiſſet. Is vero honorifice exceptus ac ſtatim remiſſus Scotae refert, ſi per Angliam tranſire vellet, nullum ejus officium deſideraturam, idque Anglam pro ſummo beneficio habituram; ſin congreſſum declinaret, contumeliae loco accepturam. Nihilominus omiſſa Anglia recta in Scotiam iter tenuit, caligine ſtatim, ubi Caleto ſolvit, oborta, quae triremeis in altum evectas eo uſque ſecuta eſt, donec ad XII Kal. Sept. applicuerunt.

II. HUC concurſu ex cunctis regni partibus facto partim adventum et incolumitatem gratulantium, partim ex iis, qui officia ſua erga abſentem commemoraturi et gratiam ejus [β] aucupaturi venerant, partim ut ex publico novi regni ſpectaculo augurium de rebus futuris captarent. Et nemo erat, qui, quamvis varie animo affectus, ex reginae adoleſcentis excellenti forma et ingenii elegantia praeditae aſpectu non fortunam ejus ex aequo admiratione ſimul et commiſeratione proſequeretur: quippe illa inter ſaeviſſimas bellorum tempeſtates, patre intra ſextum, quam nata erat, diem orbata, et, antequam ſenſum malorum habere poſſet, omnibus ſeditionum domeſticarum periculis expoſita; dein patria relicta in exterum regnum aſportata, vixque in itinere a fluctuum violentia ſervata; poſt matrimonio quidem perilluſtri aucta, ſed oſtentato magis quam exhibito gaudio, extinctis momento fere matre lectiſſima foemina, cujus ſumma diligentia educata fuerat, et viro rege potentiſſimo, in luctum et orbitatem rejecta, novo, in quod venerat, regno amiſſo, et vetere, ex quo diſceſſerat, turbato et incerto, magnum jam in ea aetate inter ſaevitiem blanditiaſque jocantis fortunae inſtar erat. Inter hos gratantium plauſus quiddam accidit, quod in regni ingreſſu eam non mediocriter conturbavit: nam cum ad ſacrum peragendum ornatus, qui ſolet, privatum in ſacellum ferretur, quidam tam audax repertus eſt, qui cereos arreptos confregit; ac niſi conatus ille modeſtiorum interventu diſcuſſus fuiſſet, reliquus omnis apparatus fuiſſet disjectus. Verum hic motus in ſuo mox ortu per Jacobum reginae fratrem eſt compoſitus, cujus injuriam prudens foemina ad tempus diſſimulavit, frementibus reginae avunculis et Georgio Gordonio [b] Huntileae comite, qui in omneis novarum rerum occaſiones intentus, cum hic locum gratiae patere arbitraretur, clam pollicebatur, quicquid ultra [1] Caledonios regionum eſſet, ad veteres ceremonias rediturum. Verum illi, qui vanitatem hominis cognitam haberent, veriti, ne ſine operae pretio tempeſtatem reginae nuper regnum ingreſſae perniencioſam excitarent, ad Jacobum rem detulerunt. Venerat cum iis Henricus [c] Momorantius Danvilla Annae magiſtri equitum filius, quamvis rebus in Gallia turbatis; quo facto in multorum reprehenſionem incurrit, Navarri atque adeo ſuorum cauſam praepoſtera officii oſtentatione deſeri dictitantium: [γ] ſed qui aequiores erant, id maximo amori condonabant, quo juvenis aulae deliciis innutritus formoſiſſimam foeminam perdite deperibat; nec occultae erant blanditiae, quibus illa juvenem lactabat; et creditum eſt a pleriſque, ſi ſolutus fuiſſet, potuiſſe ad ejus nuptias aſpirare. Conſtat certe, [δ] R. B. Danvillae perfamiliarem, hominem ad

VAR. LECT. [α] Oſellius *D. f. o. d.* [β] occuparuri *D. f.* [γ] *Deſunt quae ſequuntur 16 lineae uſque ad* Dimiſſis honorifice Gallis *D. o. d.* [δ] Rogerum Bellogardum Danvillae *MS Samm.*

INTERPR. [a] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [b] *Huntley.* [c] *de Montmorency, ſieur de Damville.*

NOT. [1] Caledonia proprie eam Scotiae regionem complectitur, quae ab orientali latere, cum longo illo montium ab Aberdonia Cumbriam uſque porrectorum tractu, continuatur. *C.*

CIƆIƆLXI. ad omne facinus paratiſſimum, id tunc ei perſuadere conatum; et, quoniam impedimento erat uxor, de ea veneno tollenda conſilium dediſſe, in eamque rem
Carolus IX. ſuam operam et Macedonii cujuſdam, quem poſtea ipſe propria manu occidit, ultro detuliſſe: verum juvenem ſcelus exhorruiſſe. Tunc vero dimiſſi Galli; et Danvilla imprimis, qui parente evocante inde aegre diſceſſit, relicto apud reginam [a] Catalario uno ex ſuis nobilibus, famoſi illius equitis Petri [b] Terralii Baiardi ex filia nepote, quam is ex contubernio nobilis foeminae Mediolanenſis ſuſceperat; qui dum operam abſenti Danvillae navat alienos amores fecit ſuos, et venuſtatis ſuae fiducia fretus eo veſaniae ac temeritatis provectus eſt, ut, dum de reginae gratia non deſperat, ſub lecto, in quo illa dormiebat, ſe abdiderit commodum noctis opperiens; ubi a famulis deprehenſus ipſius [α] juſſu ſecuri percuſſus eſt. Sed haec poſtea acciderunt.

III. Dimissis honorifice Gallis, unus [c] Ellebovii marchio eſt retentus. Dumque ludis conviviiſque hyems extrahitur, mittitur interea ad Eliſabetham Gulielmus [d] Maetellanus cum reginae ac procerum literis, quibus ab Angla magnopere petebant, ut arctioris concordiae inter Anglos ac Scotos in poſterum ſervandae ratio iniretur; eam autem certiſſimam videri, quae et veterum diſſidiorum memoriam deleret, et fontem novorum exhauriret, ſi Anglorum regina decreto publico regni Ordinum ſtatueret, ac ipſa auctoritate ſua confirmaret, ſecundum ſe ſuoſque, ſi quos gigneret, liberos, in regnum Anglorum ut ſuccederet Scotorum regina. Id admodum novum et incivile viſum Eliſabethae; quae nullum alium inpraeſentiarum reſponſum dedit, quam exſpectaſſe ſe a Scota aliam legationem, atque adeo foederis ad [e] Letham nuper facti, quod et ſe facturam, quamprimum domum rediiſſet, nuper in Gallia receperit, ratihabitionem: paucis poſt diebus legatum revocat, et nunquam in animum inducturam dicit, ut ſibi linteum ſepulchrale ante oculos ponat, nec commiſſuram, ut funeris ſui apparatum quotidie cernere cogatur. Tum multis verbis rem exaggerat, et periculo non carere oſtendit, exemplis propinquorum regnorum atque adeo noſtrorum in eam rem adductis. Tandem poſt multos ultro citroque ſermones habitos ab Eliſabetha impetratum eſt, ut delegati utrinque congrederentur; qui re retractata tandem foedus in has conditiones pepigerunt; ut regina Scotorum regiis Anglorum inſignibus ac titulis regnorum Angliae et Hiberniae abſtineret, Eliſabetha aut liberis ex ea ſuperſtitibus; Angla viciſſim caveret, neque ſe neque poſteros ex ſe genitos quicquam acturos, quod jus ſucceſſionis Scotiae laederet vel imminueret. Ad haec multa inciderunt, quae reginam jam irritatam et in aula libera educatam in dies magis accendebant. Nam cum edictum de Miſſa unica ei permiſſa publicaretur, Jacobus Hamiltonius [f] Araniae comes, is qui e Gallia, ubi juſſu Guiſianorum aſſervabatur, aufugerat, contradicere auſus fuit, et [g] Arcimbaldus Duglaſſius Edimburgi praefectus omneis pontificios edicto promulgaro faceſſere juſſerat. Itaque [β] excelſo animo foemina, quae ſe in ordinem ſenſim cogi nollet, et multum intereſſe exiſtimaret, ne in regni ingreſſu imperioſis ſuorum interceſſionibus regiam majeſtatem ſerviliter opprimi pateretur, ſatellitum cuſtodiam lateri circundare decrevit: quod quia apud Scotos novum erat, et citra motum rei conficiendae rationem non inveniret, tali commento uſa eſt, communicata re prius cum Joanne Jacobi, qui interea latronibus perſequendis occupabatur, fratre. Nocte tumultum annunciandum curat, quaſi Araniae comes reginam, cujus amore immodico tenebatur, cum

VAR. LECT. [α] juſſu, ad eluendam impudicitiae ſuſpicionem, ſecuri *MS. Samm.* [β] elato *D. f.*

INTERPR. [a] *Chaſtelar.* [b] *du Terrail Bayard* [c] *Elboeuf.* [d] *le chevalier Guillaume Maitland, ſieur de Lethingtoun.* [e] *Leith.* [f] *Arran.* [g] *Archibald Douglaſs, provoſt d'Edimbourg.*

cum illa ab ipſo ſummopere aliena eſſet, per comitum frequentiam aulam aggredi et in arcem ſuam, quae XIIII milliaria inde aberat, vi abducere conaretur. Hoc nunciato, cum equites tota nocte per agros diſcurriſſent, mane cuſtodes ad fores regias appoſiti apparuere; et quanquam de fabula multis ſuboleret, tamen quod rumor ille vero ſimilis erat, nemo repugnavit. CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

IV. Hoc magnificentiae regiae ad antiquam dignitatem adjecto, reliquum erat, ut per luxum, cui regina adoleſcens apud nos inſueverat, auctis ſumptibus aliunde quam ex regio patrimonio, quod per ſe modicum ſuperiorum regum incuria ad nihilum paene redactum erat, facultates ſuppeterent; cumque procerum ac plebis opes attenuatae eſſent, haud diu quaerendum fuit, in quos aulicorum ſumptus reciderent: continuoque arceſſiti ſacerdotes, cum quibus, magis infirmitatis conſcientia non recuſantibus, quam rationum vi perſuaſis, tandem tranſactum eſt et conventum, ut e fructibus eccleſiaſticis tertia pars raderetur, unde miniſtri Proteſtantes alerentur, reliquum in reginae uſus cederet. Quae tranſactio nemini omnium grata fuit: nam et imminutos ſuos reditus ſacerdotes conquerebantur, nec miniſtri affectata illa liberalitate multum [α] ſublevati ſibi videbantur. Ita aula in luxum ſoluta, tamen jus aequabiliter initio dicebatur, et ſontes plectebantur, adminiſtrante rempublicam Jacobo fratre ob fortitudinem et aequitatem cunctis percharo, et Gul. [a] Maetellano ſummi ingenii adoleſcente. Tunc data uxor Jacobo [b] Agnes [β] Ketha comitis Martialis filia, ejuſque nuptiae inſolito luxu ſatagente regina celebratae ſunt. Mox et is [c] Moraviae comitatu, qui [d] Gordonio ademptus eſt, donatus; cum [e] Marria ante in Joannis [f] Areſkini gratiam, cujus ea veteri jure fuiſſe deprehenſa fuerat, itidem Gordonio adempta, ceſſiſſet.

V. Quibus rebus irritatus Gordonius, alioqui omnium Scotorum longe opulentiſſimus, cum ſe quaſi avito patrimonio ſpoliatum exiſtimaret, de Jacobo aemulo e medio tollendo [γ] cogitaſſe dicitur, acta ejus omnia aſſidue ac palam calumnians, porrecto etiam reginae libello propria manu ſcripto, quo virum innocentiſſimum [δ] creditum affectatae tyrannidis accuſabat. Eodem tempore Jacobus [g] Heburnus Bothueliae comes indomitis libidinibus infamis, cum vita in luſtris et popinis acta tantum aes alienum contraxiſſet, ut aut ei bellum civile eſſet excitandum, aut ſcelere et aliquo inſigni facinore extremae inopiae metus propellendus, inſidias comiti Moravio, ſic enim deinceps vocabimus, ſtruere intendit. Commodiſſima autem rerum turbandarum occaſio viſa eſt homini turbido, ſi Moravium cum Hamiltoniis committeret. Itaque ante omnia Moravii animum ſibi periclitandum duxit; cui eum conſilium de Hamiltoniorum gente exſcindenda minime probaretur, ille ſubito, ut erat parato in utrumque ingenio, ad Hamiltonios ſe confert, et miniſtrum ad caedem Moravii, cujus potentiam impatienter ferebat, ſe offert. Nec Hamiltonii rem improbabant; quippe qui viderent Moravium unum obſtare, quo minus reginam in poteſtate haberent: ſed unus inter eos repertus eſt Araniae comes, qui, quod arcta amicitia cum Moravio conjunctus eſſet, ſcelus exhorruit, et Moravium conſilii contra eum initi per literas certiorem fecit; ad quas cum ille reſcriberet, abſente Aranio literae a patre ejus reſignatae ſunt; cognitoque conjurationem ab Aranio detectam eſſe, ipſe juſſu patris in cuſtodiam conjicitur, ex qua elapſus ad reginam venit, quae tunc ad [h] Falcolandiam arcem erat, damarum venationibus intenta; ordineque rei expoſito, mox Bothuelius et Galvinus

VAR. LECT. [α] ſublevati ſunt. Ita *D.* t. [γ] cogitare coepit *D.* f.
[β] Kennethi *D.* f. o. [δ] *deeſt* creditum *D.* f.

INTERPR. [a] *Maitland.* [b] *Agnès Keith, fille de Guillaume, comte Mareſchal.* [c] *Jacques Stuart, fait comte de Murray le* 10 *de Fevrier*, 1562. [d] *George Gordon, comte d'Huntley.* [e] *Marr.* [f] *Erskine, comte de Marr.* [g] *Hepburn, comte de Bothwel.* [h] *Falkland.*

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

[a] Galvinus Hamiltonius, qui manu patrandi facinoris partes ſuſceperant, et [b] Aranium in aulam, ut ſe purgarent, conſecuti fuerant, cuſtodibus appoſitis retinentur. Quamvis de facto conſtaret, et exploratores retuliſſent, equites loco et tempore ab Aranio dicto multis locis apparuiſſe, tamen interrogatus Aranius, cum inde amore immodico erga reginam et arcta cum Moravio neceſſitudine raperetur, et patrem, hominem ſocordem, ſed ad res difficiles aggrediendas nimis facilem, a conjuratione eximere vellet, animo paulum turbatus eſt, et ita mente emotus, ut ab eo tempore ſibi parum conſtare deprehenſus ſit; verum per intervalla, cum ad ſe redibat, tam prudenter reſpondebat, ut interdum inſaniam ſimulare crederetur, quo patrem periculo eriperet, cum ceteros conſtanter accuſaret, et, quando teſteis alios non haberet, armis ſe cum Bothuelio dimicare paratum oſtenderet. Interim diverſi in cuſtodias miſſi; Bothuelius in arcem Edimburgenſem, Galvinus in Sterlinienſem, Aranius ad [c] fanum Andreae in archiepiſcopi arce aſſervari juſſus, fruſtra contendente a regina Hamiltonio [d] caſtri Eraldi duce, ut filium, Bothuelium et Galvinum, acceptis vadibus, dimitteret. Verum illa, quae de [e] Britannoduno arce toto regno munitiſſima, quam Hamiltonius ab eo tempore, quo prorex fuerat, tenuerat, recipienda cogitaret, nunquam adduci potuit, ut Hamiltonio ea in re gratificaretur, ne arce quidem repetita, et per eam occaſionem accepta. Nec ceſſabat interea [f] Gordonius, qui duabus illuſtribus familiis ad communem cauſam adjunctis jam impune Moravium occidi poſſe ſibi perſuaſerat: inſidiaſque imprudenti ſtruit; de quibus cum ille indicio rei ad eum permanante cognoviſſet, et deprehenſi eſſent armati quidam ex Gordoniis, tamen Gordonio annitente excuſatio accepta eſt, quaſi illi domum diſceſſuri arma induiſſent, et poſtea ex alia occaſione non poſitis armis remanſiſſent. Jam aeſtate adulta convenerat, ut utraque regina Anglorum et Scotorum [g] Eboraci congrederentur, ibique de controverſiis tranſigerent; ſed cum ad iter ſe compararent, offenſione ab Angla contracta, quod [h] Aumalius Scotae avunculus legati Anglici, qui apud regem erat, literas reſignaſſet, et navis, quae alterum legatum portabat, direpta eſſet, res in aliud tempus rejicitur. Ad trium toto regno potentiſſimarum familiarum contra Moravium odia acceſſit et reginae avunculorum conſilium, qui hominem plebis et nobilitatis licentiae per reginae abſentiam aſſuetae favore ſubnixum in ordinem redigendum cenſebant; et alioqui per eum unum ſtare, quo minus religio majorum reſtitueretur. Nec multum laborandum fuit, ut hoc reginae perſuaderetur; quippe quae apud nos educata fratris ſeveritatem aegre tolerarer, et licentiae aſſueta legitimi regni moderationem regibus indecoram exiſtimaret, et aliorum libertatem ſuam ſervitutem interpretaretur. Itaque Guiſiani ei perſuadent, ut in eo negotio Gordonii opera uteretur, et ſpe nuptiarum ſuarum Joanni ejus filio oſtentata magis quam promiſſa hominis vecordiam aleret. Scribit Buchananus etiam breviculum a [i] Lotaringo cardinali miſſum, quo nomina eorum, qui ablato Moravio interfici debebant, edebantur; ſpe facta, ſi res ſuccederet, pecuniam, quaſi ad bellum contra eos, qui a Romana eccleſia defecerant, gerendum, non defuturam: ſed cum rei indicium ad Moravium et alios caedi deſtinatos aliunde permanaſſe [1] reſciviſſet, ut animi ſinceri et occulta conſilia ab iis non ſeparantis fidem faceret, prolatis literis rem aperuiſſe. Inde regina [k] Edimburgo, quo ex regni limite redierat, [l] Abredoniam ſeptentrionem verſus ad Eid. Sextil. venit: ibi cum eſſet, a Gordonii uxore virilis animi et conſilii foemina ſolicitatur, ut promiſſa repraeſentaret; ſed regina, quae et rem confectam minime cuperet, et Gordonii

INTERPR. [a] *Gawin Hamilton.* [b] *Jacques Hamilton, comte d'Arran.* [c] *St. Andrews* ou *St. André.* [d] *Chaſtelleraule.* [e] *Dumbritton* [f] *le comte d'Huntley.* [g] *York* [h] *le duc d'Aumale.* [i] *le cardinal de Lorraine.* [k] *Edimbourg.* [l] *Aberdeen.*

NOT. [1] *ſcil.* Regina,

Gordonii [α] fidem ſuſpectam haberet, cunctabatur et, quo minus ei aſſentiretur, varia impedimenta cauſabatur; atque illud inprimis, quod e dignitate ſua non putaret, Joanni filio ejus, qui ante paucos dies in cuſtodiam traditus effugerat, reconciliari, niſi prius in cuſtodiam liberam ſaltem ad paucos dies [a] Sterlinum concederet; quod non tam ob eam, quae obtendebatur, cauſam dicebat, quam ut omnia integra ſublato Moravio haberet, neque ad nuptias abſente et captivo ſponſo cogi poſſet. Sed quo minus [b] Gordonius filium quaſi obſidem traderet, in cauſa erat, quod Joannis [c] Areskini Marriae comitis, et Moravii avunculi, qui Sterlinenſem arcem tenebat, ſuſpectam voluntatem haberet. Tamen cum regina urgeret, nec ille aſſentiretur, ex eo offenſionem contraxit; cumque Abredonia [d] [β] Ennerneſſum veniſſet, et ab arce, in qua diverſari ſtatuerat, a cuſtodibus Gordonii juſſu excluſa eſſet, inſidias verita, quod ſibi oppido fere aperto pernoctandum eſſet, et Joannem Gordonium cum CIƆ ſelectis equitibus circum in armis eſſe intellexiſſet, vigiliis aditus omneis obſidet, et naveis in fluminis ſtatione ad perfugium, ſi opus eſſet, contrahit. Ita nox trepidis in rebus extracta, qua et capti aliquot ex Joannis equitibus, qui exploratum venerant. Cumque de reginae periculo rumor percrebuiſſet, ſtatim undique odio Gordonii et principis charitate incitati accurrerunt; quorum ope freta illa, et alioqui injuriae acceptae impatiens, arcem mane oppugnare ſtatuit; qua mox dedita, propugnatorum praecipui ſupplicio affecti ſunt. Inde Abredoniam quatriduo poſt reditum, mutata admodum ſcenae aulicae facie, cum regina fratrem jam omni favoris oſtentatione complecteretur, et ſalutem ſuam ex eo pendere coram ſimularet, contra vehementis adverſus Gordonium odii ſigna omnia ederet. Itaque ille, qui eo ſe progreſſum videret, unde non eſſet regreſſus, ad praecipitia conſilia animum convertit, et Moravii caede patrata reginam in poteſtatem redigere omnino ſtatuit; eoque magis, quod Guiſianos reginae avunculos ab eo conſilio non abhorrere ſibi perſuaſerat. Remanſerat in aula ejus agnatus Georgius Gordonius [e] [γ] Sutherlandiae comes, qui in reginae gratia florebat: is ad id operam ſuam clam pollicebatur; in conſilii partem et aſcitus fuerat Joannes [f] Leſlius Gordonii cliens: ex quorum literis deprehenſis cum omnia conſilia patefacta eſſent, Leſlius, mature re excuſata, venia petita in gratiam acceptus eſt, Sutherlandius ſine mora aula diſceſſit. [g] Huntilaeus vero, qui in loco ob circumjectas paludes fere inacceſſo eventum rei opperiebatur, cum de exitu cognoviſſet, morae impatiens, et alioqui amicorum, quos multos in aula habebat, promiſſis fiſus, quod aſtu tentaverat, jam aperta vi aggredi ſtatuit, et proelii aleam ſubire. Contra eum mox ducit Moravius, cum vix CXX fidos equites penes ſe haberet; ſequentibus, qui aderant, proceribus, atque in iis praecipue Jacobo [h] Duglaſſio Mortonii comite, et [i] Patricio Lindeſio; [δ] tum ex vicinis agris IƆ CCC circiter collecti, ſed qui ab Huntilaeo corrupti fuerant et ſe ingerebant, ut Moravianos ad exitium traherent. Praemiſſi equites, qui, ne Huntilaeani evaderent, paludis aditus ſervarent. Ipſe Moravius inſtructa acie in propinquo clivo, unde in paludes deſpectus erat, ſtetit; moxque auxiliares praetentis ericae ramis, cujus illis locis magna copia eſt, proditionis occultae ſigno dato procedunt: quo conſpecto Huntilaeani, qui ſupra CCC erant, jam de exitu certi, nam ceteri fere diffugerant, ubi propius ventum eſt, munitione ſua gradu accelerato exeunt, et cum adverſam aciem, uti convenerat, jam turbatam et converſam viderent, ut expeditius

VAR. LECT. [α] perfidiam *D.* f. [β] Enermeſum *D.* o. f. d. & *ed. Gen.* [γ] Suderlandiae *D.* o. f. d. & *ed. Gen.* [δ] mox ex *D.* o. f. d.

INTERPR. [a] *Sterling.* [b] *Gordon, comte d'Huntley.* [c] *Erskine, comte de Marr.* [d] *Invernesſ.* [e] *Sutherland.* [f] *Leſly.* [g] *Gordon, comte d'Huntley.* [h] *Douglaſſ, comte de Morton.* [i] *Patrick Lindſay.*

expeditius ſequerentur, ſariſſas abjiciunt, et ad majorem integrorum terrorem, qui poſt proditores ſtabant, enſeis ſtringunt: at illi auxiliares, eodem impetu etiam poſt ſe ſtanteis una ſecum in fugam averſuros rati, ad eos retro pedem ferebant. Heic [a] Moravius, qui nullam in fuga ſalutem, et praeter mortis honeſtae decus nullum exitum videret, a ſuis deſertus minime ſe deſeruit, voce magna ſuos imperioſe monens, ut ſariſſis praetentis ordines denſarent, neque fugienteis intra ſe reciperent. Ita ſpe ſua decepti proditores, cum non reciperentur, praeteritis utrinque cornibus in latera confuſi abiere. Huntilaeani vero turbatis inſtantes et ipſi turbati, cum praeter opinionem Moravianos retro acie praetentis haſtilibus horrenti ad pugnam paratos cernerent, cum abjectis ſariſſis ad manus venire non poſſent, metu perculſi in fugam vertuntur: quo conſpecto auxiliares, ut ſe a priore culpa purgarent, frontem vertunt, et cum fortuna verſis animis animoſe fugientibus incumbunt et, quicquid caedis fuit, eo die ipſi edunt. Caeſi ex Gordonianis CXX, capti fere C et multa jam nocte [b] Abredoniam ducti, vix unico ex Moravianis deſiderato. Huntilaeus ipſe captus, ſed inter hoſtium manus intercluſo ſpiritu exanimatus. Capti item Joannes nuptiis reginae ad ludibrium deſtinatus, qui ſtatim capite luit, et Adamus, cujus adoleſcentiae ignovere proceres. Georgius natu maximus Jacobi [c] Hamiltonii gener ad ſocerum confugit; ceteri vel exilio vel pecunia poſtea mulctati. Obſervatum eſt, cum Moravius ad reginam rediiſſet, inter mutuas multorum gratulationes, eam nec vultum hilariorem nec vocem ullam laetitiae indicem dediſſe, cum contra [d] Joannis Gordonii mortem cum multis lachrimis ſpectaſſet: quod in foemina ad ſenſus animi diſſimulandos compoſita multi varie interpretabantur, qui fratrem ipſi non minore odio, quam Gordonianis eſſe certo ſcirent. Ita Moravius non ſe ſolum, ſed reginam ipſam ingenti periculo nullis ſuis viribus aut conſilio, ſed unius Dei benignitate eripuit, et pacatam ad ſeptentrionem regionem reliquit. [e] Bothuelius vero, qui fune per feneſtram demiſſus ex Edimburgenſi arce evaſerat, ad V Kal. Dec. per ſecialem in cuſtodiam, unde aufugerat, redire juſſus cum non paruiſſet, hoſtis publicus denunciatur. Regina autem Abredonia [f] Perthum reverſa, venit ad eam Jacobus Hamiltonius pro genero deprecaturus, qui benigno licet reſponſo accepto generum tradere eſt coactus: is vero [g] Dumbarum in cuſtodiam remiſſus eſt, unde proximo anno ad VII Kal. Feb. Edimburgum accerſitus perduellionis damnatur, et rurſus Dumbarum remittitur. [α] Eodem tempore [h] Londini Anglorum reginae juſſu et auſpiciis ſynodus celebrata eſt, XXXIX articulis abſoluta, ad doctrinam et diſciplinam eccleſiaſticam juxta eorum confeſſionem conſtituendam ſpectantibus, qui deinceps ſemper in ſequentibus regni conventibus repetiti ſunt, ac poſtremo poſt reginae obitum a ſereniſſimo rege Jacobo confirmati ſunt anno CIↃ IↃ CIII in ſynodo per epiſcopum Londinenſem pro [i] Cantuarienſi provincia celebrata.

VI. APUD nos cum ineunte anno undique de novis turbis afferretur, et ſeditio nuper Lutetiae excitata majorum tumultuum metum injiceret, rex ad [k] Germani-fanum delegatos, quos ex omnibus regni curiis evocaverat, ad ſe venire jubet; et XVI Kal. Feb. coram habita brevi oratione ſuper iis, quae illis ab [l] Hoſpitalio proponenda erant, conſilium exquirit; quod ut libere et ex animi ſententia ad gloriam Dei, obedientiam ſibi debitam et tranquillitatem publicam ſolummodo reſpicientes, ſemotis privatis affectibus et omni alia animi perturbatione, impertiantur, imperat. Heic juſſus dicere Hoſpitalius, gravi ac nihilominus familiari

ſermone

VAR. LECT. [α] *Haec de Anglorum ſynodo narratio, uſque ad* Apud nos, *deeſt* D. f. o.

INTERPR. [a] *le comte de Murray.* [b] *Aberdeen.* [c] *Hamilton, duc de Chaſtelleraut.* [d] *Jean Gordon de Finlater, troiſiéme fils du comte de Huntley.* [e] *le comte de Bothwel.* [f] *Perth.* [g] *Dunbar.* [h] *Londres.* [i] *de Canterbery.* [k] *St. Germain en Laye.* [l] *le chancelier de l'Hoſpital.*

ſermone aſtanteis compellat; et eos a rege accerſitos dicit, ut de motibus paſſim in regno exortis, ſi qua ratione optima poſſit, componendis cum iis conſultaret. Videant ergo, ut non ſecundum prudentiam humanam, ſed ſecundum Dei ſapientiam in hac cauſa ſententiam dicant; nam ſcriptum eſſe, 'Dominum diſſipare conſilia gentium,' hoc eſt, eorum, qui non ad veritatis normam et Numinis reverentiam actiones ſuas admetiuntur. Orare viciſſim, ut rex a Deo illuſtratus, quod optimum ſit, videat ac ſeligat, et in rem ac tranquillitatem publicam vertat: nam principum praecipue mentes a Deo regi. Electos ipſos ex cunctis regni curiis, et ſubſortitione nova quodammodo ex jam electis a rege delectos, qui heic deliberaturi adſint. Proinde in eo laborent, ut expectationi conceptae, magiſtratui, quem gerunt, et coetus hujus dignitati reſpondeant; et ſententias ſuas ad Dei verbum, et cultum, qui Chriſto debetur, tanquam ad Lydium lapidem religioſe examinent: alioqui non ſolum in regem, ſed erga ſe ipſos graviter peccaturos; nam ſcitum eſt, inquit, Malum conſilium conſultori peſſimum. Neque vos latet, quid hactenus in eo negotio actum; nec ignoratis, quo in ſtatu jam res ſit; eoque maturius de futuris conſulere poteſtis. Ad cohibendos nuper exortos [a] Amboſiae tumultus, qui non omnes ordines, ſexum, aetatem neque univerſi regni tantum provincias, ſed domos atque etiam conjugaleis toros vexant, ſcitis edicto publico ſancitam eſſe praeteritorum oblivionem; prudenti ſane conſilio, ne cum major eſſet tumultuantium multitudo, quam ut magiſtratus gladio coerceri poſſet, deſperatione adacti plerique, aut arma ſumerent, aut ſumpta non deponerent. Quod remedium cum propter ſuſpiciones parum proficeret, neque propterea motus ceſſarent, alio [b] Romorantii condito edicto Sectarii criminis cognitio rurſus praeſulibus attributa eſt, interdictis coetibus qui cum armis fierent, et gravi poena adjecta; qua de re provinciarum praetores cognoſcerent. Cum nihilominus coetus non intermitterent, rurſus ad [c] Fontem-bellaqueum edicto omnes illiciti coetus prohibiti ſunt; ad capitis poenam edicto ſancitam inſuper hoc addito, ne liceret ſe mutuo conviciis provocare, nec moleſtia cuiquam domi ſuae citra publicam offenſionem degenti fieret. Sed neque propterea coetus illi deſiere; cum et inferiorum ſubſelliorum judices et curiae ipſae in illicitorum coetuum interpretatione diſſiderent, et regem ſuper ea re conſulendum cenſerent. Demum ibidem a rege in celeberrimo conſanguineorum principum ac regni primorum conſeſſu comitia omnium ordinum [d] Aureliani indicta ſunt, quo mox manu armata conventum eſt, quo exitu, cuncti novere: in iis poſtea, rege in regnum ſuccedente, multa pie et ſancte, multa prudenter et ex reipublicae uſu a regni ordinibus poſtulata ac decreta. Dein, poſtquam [e] Remis reverſus eſt, quo ad inaugurationem more majorum faciendam profectus fuerat, dum comitia ad [f] Eſiaepontem peragerentur, in ſenatum Pariſienſem ad menſem Julium venit; ubi ſuper eadem re, de qua nunc conſultatur, deliberatum eſt, edicto condito, quo ſancita praeteritorum oblivione coetus publici omnes prohibiti ſunt, atque etiam privati, in quibus ſacramenta alio ritu, quam qui in eccleſia Romana receptus eſt, adminiſtrarentur. Poſtea ſecutum colloquium [g] Poſſiacenum, nullo fructu: ut ex eo conſtet, nihil non tentatum a rege et iis, qui ejus negotia procurant, ut ſerpentibus malis in tempore idoneo remedio proſpiceretur; eoſque culpa omni vacare, ſecus quam vulgo exiſtimetur. At dixerit aliquis, ſancte et praeclare quidem ea decreta eſſe; ſed parum valere leges, niſi religioſe ſerventur. Sed reſpondere poſſum, videre debere eos, qui haec ingerunt, in quos culpa non ſervatarum legum rejici debeat; an non in ipſoſmet judices, qui conqueruntur; quia

INTERPR. [a] *Amboiſe.* [b] *Romorantin.* [c] *Fontainebleau.* [d] *Orleans.* [e] *Reims.* [f] *Pontoiſe.* [g] *de Poiſſy.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

quia ſi ſe excuſent, quod in ipſorum poteſtate non fuerit, facile excuſationem admittam, ſed ea conditione, ut ingenue mecum viciſſim fateantur, nec itidem in regis aut noſtra poteſtate fuiſſe, planeque religionis negotium occulto Dei gloriam ſuam minui et verum in nobis cultum refrigeſcere indignantis decreto eo perductum, ut nos vitiorum luxurie exultanteis pro merito caſtigaret, et poenarum acerbitate ad bonam mentem reduceret. Anno [α] XVIII hujus ſaeculi, quo primum motus ob religionem exorti ſunt, quam corrupti mores ac profligata omnium vita ac diſciplina toto orbe eſſet, nemo eſt, qui neſciat. Nam ut Romanam curiam, ubi nihil tunc recti, nihil ſani erat, omittam, apud nos rege juvene et inter delicias educato, qui tamen poſtea in maximum principem evaſit, omnia ſolute agebantur. Nec Henricus Anglorum rex caſtigatiore vita erat. His tamen tot tantiſque malis coelitus immiſſis minime reſipuimus, aut ad frugem redivimus: quo minus mirandum eſt, ſi neque religionis diſſidium componi, aut pax in eccleſia conſtitui huc uſque potuerit. Nam cum hoc diſſidium Franciſco rege adoleviſſet, paucoſque initio aſtipulatores habuiſſet, [β] Gul. [a] Farellum, qui tunc in [b] cardinalitia ſchola Lutetiae profitebatur, Jacobum [c] Pavanium Bononienſem, Lud. [d] Berquinum in [e] Atrebatibus loco nobili natum, alios; mox ſub Henrico [γ] II altiores radices egit; demumque ſub Franciſco II latos ramos ſparſit; nunc vero eo uſque excrevit, ut mole ſua nos paene opprimat. Qui vero conniventia malum ali dictitant, his reſponſum velim, propter infirmam regis aetatem [δ] repertos pleroſque paratiore animo voluntates renudare, qui alioqui cautius egiſſent, ſeque domi quietos continuiſſent. Sed hoc etiam mihi alios concedere velim, Deum, cujus decreto hae Galliae calamitates infliguntur, nobis quoque in poenam regem puerum dediſſe. Nec prudentiores ſunt, qui regem in alterutram partem omnino propendere debere cenſent; ſic enim ſciſſuram deſituram: quod ita interpretor; regem debere ingentem exercitum comparare ex alterius partis hominibus, quo alteram oppugnet, et membra membris ad univerſi corporis necem [ε] committere; quod et Chriſtiano nomine et homine ipſo indignum eſſet. Et libenter quidem ab egregiis illis regum conſiliariis quaererem, ex quibus copiis exercitum illum componi debere cenſeant; an enim ex iis, qui, cum minime idem nobiſcum ſentiant, proculdubio mox ad hoſtem transfugient? Praeterea quis ſpondere auſit futurum, cum in fratrum, parentum, filiorum et cognatorum conſpectum venerint, ut infeſtis animis cum iis conflicturi ſint, et ut confligant, quem victoriae, quamcunque in partem inclinaverit, exitum expectare poſſumus, victoribus aeque ac victis luctuoſae? et fortaſſe id in populari aut plurium ſtatu locum habere poſſit: verum in regno, in quo poteſtas penes unum eſt, partes tolerari nullo modo poſſunt. Hoc ergo remedium minime hujuſmodi eſt, ut malo mederi poſſit: emendatiore vita opus et puriore erga Deum conſcientia: his armis inſtructi erant boni illi patres, qui eccleſiam adverſus Arium et hujuſmodi Sectarios tutati ſunt; B. Ambroſium dico, Chryſoſtomum, Hilarium; quos ſi cum epiſcopis, qui nunc ſunt, componamus, quam male religionis rebus et noſtrae ſecuritati proſpectum ſit, facile deprehendemus. Nec me latet, futuros, qui eandem quaeſtionem, quae nuper in [f] Poſſiaceno colloquio tractata, et antea in [g] ſenatu Pariſienſi coram rege agitata eſt, retractari cupiant: quibus hoc reſponſum velim, me religionis controverſias penes eoſdem praeſules, ad quos earum cognitio pertinet,

VAR. LECT. [α] XVII *MS. Samm.* [β] puta Gul. *D.* f. o. [γ] II *deeſt* *D.* f. [δ] repertos *deeſt* *D.* f. [ε] armare *D.* f.

INTERPR. [a] *Farel.* [b] *le college du cardinal le Moine.* [c] *Pavan de Boulogne.* [d] *Berquin.* [e] *Artois.* [f] *de Poiſſy.* [g] *parlement de Paris.*

tinet, relinquere; tantum de diſciplina hic agere, qua univerſi hujus regni cives CIↃIↃLXII.
pacate vivere, et in obſequio, quod regi debent, contineri poſſint. Ad edictum CAROLUS IX.
vero menſe Julio nuper factum quod attinet, ſic cenſeo; in legibus diſtinguendum eſſe: nam aliis ſine manifeſta Dei offenſione minime derogari [a] poſſe, quae proinde nuſquam violari debent; quippe quibus violatis regnorum everſionem continuo ſequi neceſſe eſt: quod in quibuſdam quaſi uno ictu accidiſſe magno noſtro cum dolore vidimus, ſicuti nuper in momento paene [a] Pannonico regno a Turcis noſtra aetate occupato. Alia imperia ſenſim corruptis paulatim legibus peſſum data ſunt; ut ſi tegulam hodie, poſt aliam, ac deinceps aliam ſemper demas, imbrices et tabulata tempore corrumpi incipient, ac tandem totum aedificium corruet. Aliae ſunt leges, quae a regis arbitrio pendent, et quarum ipſe gratiam facere interdum citra periculum poteſt: et iis ſaepenumero tacito conſenſu abrogatur; qualem eam eſſe, quae nuper menſe Julio promulgata eſt, experientia docuit: nam quantumvis juſta et rationi conveniens, locum habere non potuit; eaque in re judices, ad quos ejus ſtabiliendae cura pertinet, omni culpa, quam iis imputari poſſe initio dixeram, exonerabo. Ac memini ſane me legere, Ciceronem Catoni ſuccenſere ſolitum, quod, cum corruptiſſimo ſaeculo viveret, in ſententiis dicendis adeo ſeverus et rigidus eſſet, ac ſi in Platonis republica verſaretur. Nam in hujuſmodi legibus id praecipue ſpectandum arbitror, ut quomodo pedi calceus, ſic tempori et iis, quorum gratia fiunt, quadrent et conveniant; alioqui praeclaris illis in ſpeciem edictis idem uſu veniet, quod illis a Demetrio tanta arte fabricatis navigiis, quae cunctos in ſui admirationem rapiebant, aſpectu quidem pulchris, ceterum ad navigationem inutilibus. Audio nunc, quid contra quidam male feriati homines muſſitent, eandem rem ſaepius in deliberationem adduci, eo conſilio, ut, quod huc uſque repudiatum fuit, tandem obtineat. Verum res non ita habet; ſed ut aegrotis, ſic nobis ſemper liberum fuit quovis tempore et undecunque remedia quaerere; quod eo dico, quod ſciam, me a quibuſdam eo nomine calumnioſe traduci; quibus idem dictum velim, quod a quodam pio Leontio epiſcopo olim reſponſum fuit, qui canitiem verendam oſtentans, qualis haec mea eſt, et barbam pertractans, haec, inquit, cum diſſoluta fuerit, lutum fiet. Quo dicto intelligi volebat, eos, quos tantum ſui odium ſeu faſtidium ceperat, pejorem ſe mortuo aut a munere remoto fortaſſe ſucceſſorem habituros. Nec vero rem adeo difficilem arbitror malis noſtris inpraeſentiarum mederi: nam audeo affirmare, nuſquam tam commodam occaſionem ſe in manus dediſſe; quippe qui Dei beneficio pacata omnia ab externo hoſte, et Deum in propinquo habeamus. Nam calamitates internae, quibus affligimur, ejus propinquitatem arguunt, qui, quos diligit, exercet, et adverſitatibus conflictari ſinit. Quot homines putatis perditae ante vitae aſſuetos ex horum motuum occaſione moribus mutatis ad frugem rediiſſe? Quot ſacerdotes voluptatibus renunciaſſe, abdicato a ſe nimio opum faſtu, atque, ut publicis querimoniis os obſtruerent, etiam concubinas dimiſiſſe? quippe qui Dei oraculum in ſe experirentur, quo dicitur, Deum eos deridendos gentibus propinaſſe, ut reſiperent, et ſervarentur. His de cauſis rex a vobis petit, ut videatis, an e re ſua eſſe exiſtimetis, coetus permitti aut vetari: nec vero opus, ut de religione ipſa, utra melior, in hac deliberatione diſputetur; non enim heic de religione conſtituenda, ſed de republica ordinanda agitur: et multi cives eſſe poſſunt, qui minime ſint Chriſtiani; et qui ab eccleſiae gremio remotus

VAR. LECT. [a] poſſit *D. f. o.*
INTERPR. [a] *royaume de Hongrie.*

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

remotus eſt, non deſinit eſſe civis; et pacate vivere poſſumus cum iis, qui nobiſcum eadem ſacra non colunt; in iiſque exemplum hoc uſurpare debemus, quo dicitur, uxorum vitia tollenda aut toleranda eſſe. Si quae praeterea a provinciis veſtris privata mandata habetis, quae regem ſcire, ſua vel veſtra interſit, ea nunc explicandi vobis facultas conceditur, et ea omnia afferendi, quae ad perplexi de religione negotii explicationem conducere exiſtimabitis. Veſtrae porro prudentiae eſt, quando negotiorum mole obrutum regem videtis, ne in commoda publica peccetur, tempore non abuti, nec extra rem evagari; verum in eo laborare, ut potius bene ad rem propoſitam, quam prolixe et ornate dixiſſe videamini.

VII. SECUNDUM haec dictae variae ſententiae: ſed ea vicit, quae de Juliano edicto aliquid remitti, et publice concionandi libertatem Proteſtantibus concedi debere cenſebat. Igitur conditum edictum, quod a menſe Januarium poſtea dictum eſt; cujus haec praecipua capita fuere: Ut Proteſtantes eccleſiaſticis, quae ex eorum templis, aedibus, agris, decimis aliiſve bonis ac donariis occupaverant ceperantve, quamprimum reſtituant, eoſque uti frui pacate ſinant: ſtatuae, cruces et imagines in poſterum non evertantur, aliudve fiat, quod ad offenſionem publicam vergat; qui ſecus fecerit, capitis poena abſque ſpe veniae plectatur: Proteſtantibus intra urbes coetus, conciones et publicas preces habere, aut ſacramenta adminiſtrare nullo modo clam vel palam nocte vel interdiu liceat; interim, donec controverſiae de religione concilii univerſalis decreto componantur, aut a rege aliter de iis decernatur, nihil gravius in eos ſtatuatur, qui conciones, dummodo eae extra urbes habeantur, adierint aut frequentarint. Mandatum inſuper magiſtratibus, ut nullam illis moleſtiam faciant, ſed eos protegant, et ab omni injuria defendant; in ſeditioſos, utriuſvis religionis ſint, ſeveriſſime animadvertant, ad quos indicandos et tradendos cuncti compellantur, decreta in receptatores CIↃ aureorum mulcta, aut fuſtigii, ſi ſolvendo non ſint, poena; ne coetus illi cum armis fiant; ne quiſquam quenquam religionis cauſa laceſſat, aut contumelioſa factionum verba uſurpet. Proteſtantium miniſtri neminem in ſuos recipiant, niſi prius vita ac moribus illorum diligenter probatis et examinatis: ſi qui reperiantur, qui criminis ullius poſtulati ſint, aut per contumaciam damnati, magiſtratui eos repoſcenti ſine mora tradant; qui, ſi coetus adire velint, explorandae doctrinae, quae in iis praedicatur, gratia, aut comprehendendorum inter reos delatorum cauſa, honorifice recipiantur, habita munerum ac dignitatum, quibus ipſi ornati ſunt, ratione, iiſque pareatur. Nullas Proteſtantibus ſynodos, colloquia, conſiſtoriave celebrare, niſi magiſtratu vocato ac praeſente; nullos praeterea novos magiſtratus creare aut leges ac ſtatuta facere * liceat. Si quid eis in diſciplina ſtatuere viſum erit, rem ad magiſtratum referant, ut ipſius auctoritate decreta ea, ſi opus fuerit, confirmentur. Nulli delectus ad privatas injurias depellendas aut inferendas aut foedera ineantur; nullae item pecuniarum collationes fiant; ſi quas in eleemoſynas fieri oportebit, eae a volentibus tantum exigantur. Civiles leges, ac praecipue eae, quae de feriis ſunt, item de vinculis conſanguinitatis in matrimoniis contrahendis, ſerventur. Paſtores eorum magiſtratui ad edicti obſervationem fidem obſtringant, polliceanturque, ſe verbum Dei pure et ſincere populum edocturos, nihilque, quod Nicaeno concilio, ſymbolo et libris veteris et novi teſtamenti adverſetur, dicturos; conviciis contra Catholicos et eorum religionem inter concionandum abſtineant: quod et idem Catholicis contra Proteſtantes injungitur. Nemo famoſos libellos ad quenquam traducendum faciat, divendat aut divendendos curet. Magiſtratibus poſtremo mandatur, ut ad ſuas

praefecturas

VAR. LECT. * juſſu D. f.

praefectūras ſint aſſidui et, ſi quae ſeditiones inciderint, in reos diligenter inquirant, neque bene perſpecta in convictos ultimam ſententiam ſtatuant, adempto omni provocationis beneficio. CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

VIII. ALIUD diploma poſtea XVI Kal. Mart. ad curiam miſſum; quo amplius declarabatur, qui magiſtratus nomine intelligendi ſint, et qui nomine regis ſynodis et conſiſtoriis intereſſe debeant. Cumque ſenatus intercesſiſſet per Chriſt. [a] Thuanum praeſidem, ac Gul. [b] Violam conſiliarium, qui poſtea epiſcopus Pariſienſis fuit, explicatis ſupplici libello cauſis, quibus adductus in edicti promulgationem conſentire neque poſſet neque deberet, eodem die mandatum emanavit, quo ſenatus jubebatur ſine mora edictum promulgare, adjuncta clauſula, donec a concilio univerſali de re tota decretum aut a rege aliter ſtatutum fuerit. Sed cum ne ſic quidem edictum promulgaretur, tertium mandatum Kal. Mart. a rege venit, quo adjuncta eadem clauſula idem jubebatur; cui tandem curia paruit, inſtigante [c] C. Borbonio Rupiſurionio, qui et ipſe in ſenatum venit. Itaque prid. Non. Mart. audito cognitore regio edictum promulgatum eſt, adjecta cauſa ſive excuſatione; nimirum ut regi, habita temporum ratione, obtemperarent, ſine adprobatione novae religionis, et donec aliter a rege ſtatutum fuerit. Diplomatis, quae poſt edictum ad curiam miſſa ſunt, appoſita fuerunt eorum nomina, ut moris eſt, qui deliberationi ſuper ea re coram rege habitae interfuerunt; in iiſque recenſentur Borbonius et [d] Turnonius cardinales et [e] Santandreanus equitum tribunus, alioqui a Proteſtantium cauſa alieniſſimi. Eodem tempore miniſtri ac delegati provinciarum, qui [α] in aula erant, ad ſuos ſcribunt, et ut beneficium illud ab optimo principe profectum actis [β] Deo gratiis amplectantur, et ante alia, in templorum ac ceterorum bonorum, quae eccleſiaſticis adempta ſunt, reſtitutione ſe morigeros praebeant, hortantur; neque enim id ipſos tam gravate facere debere, quam temeritatem ſuam ingenue agnoſcere, qui privata auctoritate in alienam poſſeſſionem invaſerint; neque expectandum duxerint, dum Deus, qui religionis cauſam regit, ipſis praeiret. Ibidem utrinque de imaginum cultu conſultatum fuit, et reginae juſſu ex [f] Valentini et Sagienſis epiſcoporum, [g] Butilletii, Eſpencaei et Picherelli theologorum conſilio haec capita propoſita fuerant; ut, quando potius ex animis hominum quam ex templis aliiſque locis juxta B. Auguſtini ſententiam errores eradicandi ſunt, epiſcopi dent operam per curiones, ut plebs de recto earum uſu ſedulo moneatur, et ita omnis offenſionum occaſio regia conſtitutione, accedente eccleſiae auctoritate, praecidatur; cui ſi quis repugnaverit, tanquam quietis publicae regiorumque edictorum violator plectatur; inprimis, ex templis aliiſque locis tam publicis quam privatis ſacro-ſanctae Trinitatis effigies tollatur, tanquam ſacra Scriptura, conciliis et veterum patrum teſtimoniis prohibita, et tantum diſſimulatione, et praeſulum ac paſtorum ſegnitie tolerata: idem de aliis profanarum perſonarum, aliorumque, de quibus martyrologiorum in eccleſia receptorum fide minime conſtat, laſcivaeque et minus honeſtae formae ac brutorum imaginibus dictum intelligatur: non iis coronae, ſerta, veſtes imponantur, non thura incendantur, non candelae accendantur; in ſupplicationibus minime geſtentur; non vota et oblationes ad eas fiant, aut genu flexo colantur: et quia haec omnia pars adorationis ſunt, ex altaribus, excepto venerabili ſanctae crucis ſigno, prorſus tollantur, et in parietibus aut pro valvis templorum ſtatuantur, ita ut deinceps neque ſalutentur,

VAR. LECT. [α] qui in aula erant, de edicto deliberant; et quo facilius executioni demandaretur, ejus capita quorundam adhibito temperamento interpretantur; et ad ſuos ſcribunt *MS. Samm.* [β] actis Deo immortalibus gratiis toto pectore complectantur *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Thou.* [b] *Viole.* [c] *Charles de Bourbon, prince de la Roche ſur Yon.* [d] *de Tournon.* [e] *le mareſchal de St. André.* [f] *de Valence, & de Seez.* [g] *Bouthillier, d'Eſpence, & Picherel.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

ſalutentur, nec oſculo impreſſo votiſve aut donariis colantur: ſeretra item humeris per vicos et in templis circumferri ſolita, et baculi, ſicuti nuper [a] Senonenſi provinciali ſynodo cautum eſt, omnino aboleantur. His conditionibus cum Beza tam ſuo quam collegarum nomine ſe ſubſcribere paratum oſtenderet, tantum de crucis ſigno, quod primum a Conſtantino Caeſare ad cultum propoſitum aiebat, cum eccleſia diu ante eo caruiſſet, non aſſentiretur, in eoque perniencioſiſſime peccari contenderet, [b] Nic. Mallardus collegii theologici Pariſienſis decanus interceſſit, et, quamvis quaedam pravo more irrepſiſſe non diffiteretur, tamen omnem illum imaginum cultum retinendum contrario ſcripto propoſito praefracte aſſeruit: et ita re infecta diſceſſum eſt. Haec ad [c] Germani-fanum acta XVI Kal. Mart. Eodem menſe aliquot ante dies [d] Navarrus ad Fridericum Palatinum ſeptemvirum literas dederat; quibus ſuam in promovendo religionis negotio voluntatem teſtabatur, et in id laborare dicebat, ut ex colloquio [e] Poſſiaceno conciliandarum controverſiarum ratio iniretur: verum rem parum feliciter ſucceſſiſſe; et in illa de imaginibus diſputatione toties agitata, et quae minus difficultatis habere putabatur, non potuiſſe convenire: ſe nihilominus, quidquid malevoli contra blaterent, Dei ope enixurum, ut nuper repurgatae religionis confeſſio, quae praecipitari citra periculum nequit, cum publica regni quiete ſenſim conſtituatur, quantum imbecilla regis aetas et praeſens rerum ſtatus patientur. Eodem fere argumento literae ad Wirtembergicum et Philippum [f] Heſſum datae. Ad eas Palatinus ſeptemvir Heidelberga XII Kal. Maii reſpondit; et dolere ſibi dicit, quod videat Proteſtantium animos in eo negotio tepere: de cetero hortatur, ut in laudabili de promovenda religione propoſito pergat.

IX. PERLATO Januarii edicto et in ſenatu Pariſienſi vix tandem promulgato, Guiſiani et Momorantius, qui tunc aberant, et interventu [g] Santandreani ac [h] Valentinae reconciliati fuerant, omnem operam dabant, ne illud, ut vitio factum et regno exitioſum, in Gallia obtineret; adjunctoque ad ſuas [α] partes Navarro, quamvis magnae vixque ſuperabiles difficultates ſe offerrent, tamen voti compotes evaſuros ſe confidebant. Guiſius domum profectus fuerat, quo [i] Carolus cardinalis frater mox venit, indeque ambo ad [k] Tabernas uſque proceſſere, quod eſt epiſcopi [l] Argentinenſis ditionis oppidum: venit eodem ex compacto et Chriſtophorus dux Wirtembergicus, ſimulata occaſione, quaſi [m] Montem-pelicardi ad agnatum inviſendum veniſſet, a fratribus Lotaringis invitatus XV Kal. Mart. adductis ſecum Joanne [n] Brentio et Jacobo [o] [β] Andreano, acerrimis [p] Auguſtanae confeſſionis contra Zuinglianos, quorum doctrinam Proteſtantes in Gallia [γ] fere ſequebantur, propugnatoribus. Ibi per triduum collocuti ſunt. Summa ſermonum, poſtquam de propenſa ſua erga ipſum ac ceteros Imperii principes voluntate praefati ſunt, haec fuit; ut, poſita ob oculos recenti in colloquio Poſſiaceno actione, ſe Auguſtanae confeſſioni favere oſtenderent; nam cardinalem saepius Proteſtanteis, qui aderant, interpellaſſe, ut ei ſubſcriberent, ac ſemper illos recuſaſſe; quippe qui non tam emendationem in religione et ſacra diſciplina urgeant, quam pravarum atque adeo monſtroſarum opinionum ſparſo veneno id agant, ut non ſolum Galliam, ſed Germaniam ipſam novis tumultibus permiſceant: id prudenter Daniae regem vidiſſe, qui per legatum ſuum nuper ad regem miſſum gaudere ſe ex animo declaravit, quod emendandae religionis negotium in

VAR. LECT. [α] partes, iis quas diximus artibus, Navarro *D. f. o. d.* [β] Andrea *D. f. o.* [γ] fere *deeſt* *D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Sens.* [b] *Maillard, Doyen de la faculté de Sorbonne.* [c] *St. Germain.* [d] *le roy de Navarre.* [e] *de Poiſſy.* [f] *le Landgrave de Heſſe.* [g] *le mareſchal de St. André.* [h] *la ducheſſe de Valentinois.* [i] *le cardinal de Lorraine.* [k] *Zaberne.* [l] *de Strasbourg.* [m] *Montbeliard.* [n] *Brentzen.* [o] *Andreæ.* [p] *d'Augsbourg.*

in Gallia caleſceret; ſed magnopere vereti, ne ad Zuinglianos et Genevenſem potius quam ad Auguſtanam formulam res expenderetur: idque Navarrum ſedulo monuiſſe, idem ipſum [a] Wirtembergicum ac ceteros Imperii principes, qui eccleſiae paci et Germaniae tranquillitati conſultum cupiunt, ſummopere metuere debere: nam Germaniae et Galliae ut proximitate ita neceſſitudine conjunctam cauſam eſſe, ut alterius populi bona et mala ad alterum pertineant: itaque ſe, quoniam familia in Imperio ſint illuſtri, [α] et in Gallia praecipuum locum teneant, etiam extra regni limitem proceſſiſſe, ut de republica cum ipſo capita conferrent, et, quod utrique genti utile ac ſalutare eſſet, conſilium caperent: videri autem conſultum, ut conatus eorum, qui Zuinglianam doctrinam invehunt, communi ope impediantur; quod et ſe facturos pollicentur, non eo conſilio, ut emendatio religionis ac puri et ab erroribus vindicati cultus promulgatio impediatur; nam id totis votis exoptare; verum ut graſſanti peſti et tempeſtati a novis Sectariis in Germaniam et Galliam incumbenti in tempore obviam eatur: proinde otare, ut Wirtembergicus ea in re partes ſuas interponat; et efficiat, ut Germani principes in bonam partem conſilium ſuum interpretentur. Ad haec Wirtembergicus, re cum [b] Brentio et Andreano, qui omni ope enitebantur, ne Helvetica confeſſio in Gallia reciperetur, communicata, Lotaringorum egregiam erga ſe et Imperium voluntatem laudat, et probare ſe conſilium dicit, ut Genevenſis confeſſionis promulgatio, quam procul dubio magnas turbas invecturam provideat, in Gallia impediatur; ſed ea lege, ne emendandae religionis negotium omittatur, et interea mulctis, proſcriptionibus ac ſuppliciis in eos, qui a pontifice Romano defecerunt, non ſaeviatur. Id vero ea mente dicere [β] putabatur cardinalis, ut, cum res ad arma ſpectare cerneret, ſi auxiliis externis opus eſſet, ad ea ſubminiſtranda Germanos aequiores haberet, aut ſi minus vellent, ſaltem eos ad ſuppetias Condaeo ac Proteſtantibus ferendas ſegniores redderet. Ita utrinque diſceſſum.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

X. GUISIUS cum fratre [c] Jonvillam reverſus eſt; ubi literas a Navarro accipit, quibus rogabatur, ut in aulam quamprimum veniret. Mox in viam ſe dat. Sed in itinere res accidit, quamvis caſu potius quam conſilio, quae rebus jam ad apertum bellum inclinantibus magnum momentum attulit. Eſt in [d] Campaniae finibus haud longe a Jonvilla [e] Vaſſiacum oppidum moenibus altis munitum ac praefecturae regiae nomine ornatum, ex qua plerique pagi avulſi ad Jonvillae principatus amplificationem ab oppidanis dicebantur. In eo jam tum conciones per intervalla habebantur publice a Proteſtantibus et ſacramenta [γ] ipſorum ritu adminiſtrabantur, loco ad id comparato, quo ad CIↃ CC amplius homines conveniebant; et quia miniſtrum certum nondum habebant, [f] Tricaſſibus, ubi epiſcopi favore manifeſto Proteſtantes ſublevabantur, arceſſebatur. Tunc vero Leonardus [g] Morellus Geneva miſſus advenerat. Id et Claudius [h] Sanctius juridicus loci praefectus, et curio, et prior, quem vocant, aegerrime ferebant: vicinos idem male habebat; qui crebras ea de re ad Hieronymum [i] Burgenſem Catalauni epiſcopum, cui Vaſſiacena praefectura ſubeſt, querelas detulerant; iſque ſuperiore anno eo profectus fuerat, adducto ſecum magni nominis theologo, ut cum miniſtro ageret: qui ubi in rem praeſentem venit, et coram populo, magiſtratu, praeſule, cum miniſtro verba ſeruit; controverſia de vocatione et manuum impoſitione tumultuarie agitata, ſine alio operae pretio diſceſſit. Accedebant et importunae Guiſii matris Antoniae Borboniae lectiſſimae foeminae ſeu preces ſeu expoſtulationes,

VAR. LECT. [α] et qui in *D* f. o. [β] dicebat cardinalis *D.* f. o. [γ] ipſorum ritu *deſunt* *D.* f.

INTERPR. [a] *le duc de Wirtemberg.* [b] *Brentzen, & Andrea.* [c] *Joinville.* [d] *Champagne.* [e] *Vaſſy.* [f] *Troyes.* [g] *Morel.* [h] *de Sainctes prevoſt* [i] *Burgenſis eveſque de Chaalons.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

tiones, quae majorum religionis retinentiſſima Vaſſiaceni conventus nimia vicinia offendebatur, et filio nimiam patientiam, qua et Dei numen laederetur et ipſius exiſtimatio minueretur, exprobrabat. Iraque Guiſius Kal. Mart. Vaſſiacum magno comitatu cum Ludovico cardinali Guiſio fratre, [a] Broſſio et ejus filio venit, ea mente, ut praeſentia ſua potius conventicula illa diſſiparet, quam ut cuiquam privatim injuriam inferret. Cum propinquaret, audito tintinnabuli pulſu hora inſolita, petiit a praetereuntibus, ecquid pulſatio illa inſolens ſibi vellet? cum illi ad indicendum Proteſtantium coetum id fieri reſpondiſſent, tunc exorta calonum et lixarum, qui in magnatum comitatu nimium quam multi ſunt, laſcivientium alta ſed confuſa vox, qua illi ſe tanquam ad expeditionem bellicam et praedam paratam duci ſignificabant. Pergit nihilominus Guiſius, et [b] Vaſſiacum ingreſſus, ut ibi LX circiter ferentarios equites ex ala ſua acciperet, a praefecto curione et priore in platea ſiſtitur; et, ut a via recta, quae [c] Sclatonum, ubi pranſurus erat, ducebat, iter ad vicum, in quo coetus habebatur, flecteret, enixe rogatur: dum cunctatur, jam multi e ſuis, ſive odio ſive praedae cupiditate inflammati, alii etiam novi ſpectaculi deſiderio, praegreſſi fuerant, qui a contumeliis facto initio, inibi congregatos, cancis et Deo ac regi rebelleis saepius appellant. Cum Proteſtantes contra jurgia regererent, mox contumelioſa verba ſaxorum a lixis ut ſit vibratorum grando conſecuta eſt; unde capta occaſione plerique ex equis deſcendunt, et refractis loci, quod erat vaſtum granarium, foribus, ab iis, qui intus erant, ad primum tumultum occluſis, manu armata irrumpunt, et ſtrictis gladiis obvios quoſque feriunt, ac diſturbant, paucis ſe defendentibus. Heic ejulatu ſtatim foeminarum, puerorum et imbellis turbae cuncta perſonare, lamentabiles voces opem fruſtra implorantium exaudiri, clamore ac fragore diſcurrentium et exitum quaerentium omnia compleri; multi in altum per tranſverſa tigna eniti, qui revulſis regulis per tectum effugere conati, ſcloppetis et ſaxis, ab iis, qui extra remanſerant, continua jaculatione infeſtabantur; tantuſque rumor excitatus eſt, ut ad aureis uſque Annae [d] Ateſtinae Guiſii conjugis, quae lectica vehebatur, et aliquanto ſpatio recta via praeceſſerat, pervenerit: quae quod acciderat animo praeſagiens, ut erat miti ingenio nec alieno a Proteſtantibus, ut putabatur, animo, quos ſaltem non odiſſe ſub Renata Ferrarienſi matre didicerat, ſtatim ad virum mittit et, ut tot miſerorum hominum ſanguini parcatur, rogat. Nuncius Guiſium ante granarii fores reperit, quo jam ille, ut tumultum ſedaret, advolaverat: ſed cum in ingreſſu leve vulnus in mala accepiſſet, ſanguinem ore manantem, qui comitabantur illum, conſpicati, ſive incitante ira, ſive inde occaſionem, quam quaerebant, nacti, ad caedeis vertuntur; nec cohiberi potuere, quamvis minas et preces Guiſius miſceret, et alta voce, ut caedibus temperarent, imperaret, donec dilapſa partim per fores, ſed majorem partem per tectum turba, omnino furor deſaeviit. Interfecti ſeu exanimati viri et foeminae aut ex plagis in eo tumultu acceptis ſtatim mortui ad LX: vulnerati amplius CC; et in iis Leonardus [e] Morellus, qui primo militi in cuſtodiam datus poſtea [f] Deſiderii fanum amandatur. Subſellia mox confracta, et cathedra, ex qua miniſter populum alloquebatur; diſcerpta item [α] Gallica biblia: nec non vicinae aliquot aedes direptae. Etſi praeter conſilium ac voluntatem Guiſii id acciderat, tamen ille, ut culpam a ſe ſuiſque declinaret, complures ex praecipuis captos coram ſe venire juſſos acerbe increpat, quod illicitis coitionibus cauſam ſeditioni darent; eumque inprimis, qui oppido Mariae Scotorum reginae, cui uſus fructus titulo Vaſſiacum cum

VAR. LECT. [α] ſacra *D. f.*

INTERPR. [a] *la Broſſe, guidon de la compagnie du duc de Guiſe.* [b] *Vaſſy.* [c] *Eſclaron.* [d] *d'Eſte.* [e] *Morel.* [f] *S. Diſier.*

CIↃIↃLXII. Carolus IX.

cum [a] Baſſiniaco pago attributum erat, nomine praeerat, ſevere objurgat, quod factioſis hominibus conveniendi libertatem permitteret. Interim teſtimonia undique corradi et probationes per homines ſibi addictos confici curat, quibus fides fiebat, ſeditionis initium a Proteſtantibus factum fuiſſe. Hujus rei fama, ut primum emanavit, rumore majora ſemper vero fingente, varie affecti ſunt animi: nam alii indignabantur, et praeter jus et aequum factum eſſe querebantur: quorſum enim edictis ſuſpenſae poenae ac ſupplicia ob religionem in ſonteis, ſi libertas odiis conceditur, et, quod magiſtratui non licet, id privato cuique permittitur? Alii contra audentibus ſemper ulteriora in dies inſigni aliquo facinore metum injiciendum fuiſſe dicebant, ut, paucorum coercita licentia, ceteri in officio continerentur. Verum omiſſo, rectene an ſecus factum id eſſet, ſic prudentiſſimus quiſque [α] exiſtimabat, hinc ſeditionis factum initium, et factioſos tota Gallia quaſi claſſico ad arma capienda incitatos. Inde per [b] Remos facto itinere Guiſius, ut cardinalem fratrem ſecum adduceret, [c] Nantolium venit; ubi conferto agmine amici ad eum ſalutandum accedunt, et [d] Momorantius magiſter equitum officioſe ad eum mittit, qui felicem reditum gratularetur, et de republica ſermones conferret. Tunc rex ad [e] Moncellum in [f] Meldis erat, voluptuarium praedium regia magnificentia a matre exſtructum. Aderat [g] Condaeus, qui lanienam Vaſſiacenam verbis ſupra modum exaggerabat, et rem peſſimi exempli contrario ſeverae caſtigationis exemplo egere dicebat: inprimis a regina petebat, ut, qui innocenti ſanguine adhuc foedatas manus habebant, Lutetiae ingreſſu prohiberentur; alioqui caedibus promiſcuis licenter patrandis portam aperiri. Et illa quidem, quae cognitum haberet Lotaringorum ingenium, et metueret, ne, propendente ad eorum partes Navarro, ſummam auctoritatem, quam adeo ambiverat, adverſante illorum potentia amitteret, ſupra modum animo diſcruciabatur et, quid ageret incerta, huc illuc in diverſa rapiebatur: et Condaeo quidem aurem tunc praebere atque ad praeſens ejus unius potentiae inniti videbatur; ſed ita, ut metu coacta id facere, et, quamprimum eo ſoluta eſſet, ad ingenium reditura crederetur. Lutetiae erat tunc Navarrus cum [h] Santandreano et Briſſaco equitum tribunis: ad eum ſcribit regina, monetque pro muneris ſui ratione videat, ne quid regia majeſtas regnumque detrimenti capiat; quoque inſtanti ſeditionum periculo obviam eatur, Guiſianis, ne ad urbem veniant, edicit. Ipſa idem Guiſio mandat per literas, eumque, ut ad regem ſed parvo comitatu veniat, hortatur: ad quas ille nihil aliud reſpondit, quam ſibi accipiendis amicis occupato non vacare regem adire. Idem fruſtra repetitis literis a regina tentatum; quae jam antè tentaverat Santandreanum praecipuum novae factionis conſiliarium et incentorem ab iis ſeparare; et cum Antonium [i] Cruſſolium comitem in [k] Septimaniam, et [l] Blaſium Monlucium in [m] Aquitaniam ad res juxta regis edictum ordinandas miſiſſet; Santandreano quoque, ut in [n] Lugdunenſem provinciam, cujus praefectus erat, proficiſceretur, per regem imperandum curaverat. Verum ille non ſolum parere recuſavit; ſed ſui muneris eſſe hoc rerum ſtatu reſpondit, ne a regis latere diſcederet: eaque verba tam arroganter in reginae os protulit, ut non ſua vi, ſed Guiſii ac Momorantii opibus ſubnixum eum adeo ſuperbe reſpondere appareret. Idem et apud Guiſium illa tentaverat poſt Vaſſiacenum caſum, ut a conſilio Lutetiam atque adeo in aulam veniendi eum averteret: qua de re ille ad [o] Wirtembergicum

VAR. LECT. [α] exiſtimabat, Guiſianos, hoc veluti ſigno dato, claſſicum per omnem Galliam ceciniſſe, et ſuis ad arma capienda quaſi praeiviſſe. Inde per Remos *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Baſſigny.* [b] *Reims.* [c] *Nantueil.* [d] *le connêtable de Montmorency.* [e] *Monceaux.* [f] *Meaux.* [g] *le prince de Condé.* [h] *les mareſchaux de St. André & de Briſſac.* [i] *le comte de Cruſſol* [k] *Languedoc.* [l] *Blaiſe de Montluc.* [m] *Guienne.* [n] *le Lyonnois.* [o] *le duc de Wirtemberg.*

tembergicum principem prid. Kal. Apr. ſcripſerat, miſſo per [a] Raſcalonem ſcripto; quo Vaſſiacenum caſum excuſabat, culpa in inſolentem plebem, quae numero confiſa ſuos ſaxis petiiſſet, rejecta; et, an in [b] Delfinatum ad ſuam praefecturam, uti rogabatur a regina, ſe recipere deberet, conſilium exquiſiverat; quod ea mente facere dicebatur, ut conſiliorum, quae in aula tunc agitabantur, quorum fama per Germaniam jam evulgata eum apud Imperii principes magna invidia onerabat, ſuſpicionem obſcuraret. Tunc excurrerat Moncellum Navarrus, ubi miſſus Lutetia Gervaſium [c] Barberium Francurium et Theodorum Bezam, qui Proteſtantium nomine de Vaſſiacena carnificina querelam inſtituerent, et, ut in ſeditioſos ac regiorum edictorum publicaeque tranquillitatis perturbatores ſevere vindicaretur, peterent, cum benignum a regina reſponſum tuliſſent, longe alio vultu accipit: et ipſos ſeditioni cauſam dediſſe praefracte affirmat, qui Guiſii domeſticos ſaxis priores appetiiſſent; non eum Guiſium eſſe, qui hujuſmodi contumelias patienter ferre poſſit. Ad quae verba retulit Beza, ſi ita res haberet, Guiſium, pro ea, qua in regno potentia polleret, in imminutae dignitatis ſuae reos regia auctoritate vindicare potuiſſe, nec ſuis injuriae ultionem permittere debuiſſe: tum, converſo ad Navarrum ſermone, ſubjecit, ſe eccleſiae nomine miſſum eſſe, cujus proprium eſſet, injuriarum ictus non inferre, ſed pati; ceterum meminiſſe Navarrum debere, eam eſſe incudem, quae multorum malleos hactenus retudiſſet et attriviſſet.

XI. INTEREA Guiſius inſalutato rege, etiam nolente regina, Lutetiam venit, et comitantibus [d] Momorantio magiſtro equitum, [e] Aumalio fratre ac [f] Santandreano urbem ingreſſus eſt per [g] S. Dionyſii portam, cum per [h] Sammartinianam [i] Nantolio venienti brevius iter eſſet: quod ab adverſariis obſervatum eſt, quaſi Guiſius hoc facto tentata civium patientia jam tum in regiam auctoritatem invadere ſtatuiſſet; quippe cum ſcitum ſit, principes apud nos, cum regia pompa armati regni metropolim ingrediuntur, per S. Dionyſii portam venire conſueviſſe. Auxit invidiam, quod turbatis civium animis obvios habuit Gulielmum [k] Marlaeum Verſinium praefectum mercatorum, hominem minime malum, ſed qui alieno conſilio facile impelleretur, et aedileis urbis, qui magnam in ejus adventu fiduciam ſe habere demonſtrabant. Acclamatum et Guiſio a quibuſdam ex plebis faece, uti regibus fieri ſolet. Id reginam male habebat, animo jamdudum fluctuantem et variis in mentem ſimul incurrentibus conſiliis anxiam; quae, cum vereretur, ne triumviri foederati majorum religionis a Sectariorum peſte aſſerendae praetextu ſummam potentiam ad ſe contraherent, et regem atque adeo ipſam in poteſtate neceſſario haberent, quod unum poterat, regem, parentem ac liberos et regnum univerſum Condaeo commendabat, et, ut per ſuos adverſariorum conatus impediret, crebro hortabatur; ſcriptis etiam ad eum in eam rem compluribus literis, quo majorem enixae ſuae voluntatis et poſitae in eo fiduciae fidem faceret. Verum id clam et per emiſſarios faciebat, ne promotae novae religionis odio populi ac pleraeque nobilitatis gratiam amitteret, tandemque praevalente invidia a regni adminiſtratione omnino ſummoveretur. Interea, ut ſecuritati conſuleret, cum Navarro [l] Melodunum conceſſit; quo mox Marlaeus, cum Claudio [m] Marcello uno ex aedilibus apud plebem gratioſo, ad eam venit, et periculum, quod urbi a Condaeo, is tunc Lutetiae erat, et ſuis immineat, quamque neceſſarium ſit ut rex et ipſa quamprimum in urbem veniant, demonſtrat. Et quoniam Condaeus complureis armatos penes ſe habeat, petit, ut arma, quae aliquanto tempore ante in publicas aedeis Momorantii juſſu comportata fuerant, civibus reddantur: quorum

alterum

INTERPR. [a] *Raſcalon.* [b] *Dauphiné.* [c] *Barbier Francour.* [d] *le connêtable de Montmorency.* [e] *Claude de Lorraine, duc d'Aumale.* [f] *le mareſchal de St. André.* [g] *porte S. Denis.* [h] *porte S. Martin.* [i] *Nantueil.* [k] *Marle de Verſigny, prevoſt des Marchands.* [l] *Melun.* [m] *Marcel eſchevin.*

alterum non tam in praeſens denegavit, quam diſtulit; alterum ex [a] Hoſpitalii CIↃIↃLXII.
conſilio [α] gratificata eſt, quod, ſi negaret, etiam contra ſuam voluntatem facturos CAROLUS IX.
fuiſſe providebat. Inde [b] Fontem-bellaqueum petit, [β] tempore ad conſultandum capto; nam adhuc, quid conſilii caperet, haerebat; an [c] Aurelianum inde peteret, quo ſe Condaeum recepturum ex ipſo per Jo. [d] Hangeſtum Ivoeum reſciverat; an Luteriam praemunita regis ac ſua adverſus aemulos potentia ire neceſſe haberet. Meloduno Navarrus a foederatis [γ] evocatus in urbem venerat, et apud Momorantium diverſabatur, ubi concilium, quod vere regium appellabatur, quotidie minime vocato Condaeo habebatur. Miſſus et tunc cardinalis Borbonius, qui urbi cum ſummo imperio praeeſſet, amoto [e] Momorantio, ex patris ipſius conſilio, qui filium reginae et Condaeo addictiorem ſciebat, eoque partibus ſuis minus aequum. Jamque omnia ad apertam ſeditionem inclinabant, [δ] et allatis aut confictis, quae cardinalis Lotaringi ſumma ars erat, ex cunctis regni provinciis rumoribus, quibus Catholicos a Proteſtantibus male pleriſque locis habitos nunciabatur, plebs exaſperata, armiſque redditis ferocior, amplius contineri non poterat. Itaque Condaeus, qui videret quo in periculo verſaretur, quibuſque ipſe ſecum tumultibus urbem involveret, ne tamen ſuos deſerere et adverſariorum metu minus honeſte inde diſcedere videretur, cardinali fratri conditiones proponit, quibus, ut urbis ſaluti conſuleret, exiturus eſſet; ut nimirum Guiſius ſimul et foederati eodem tempore exirent. Ita utrinque diſceſſum. Condaeus [f] Meldos [ε] et a Firmitatem-Auculfi ad Matronam patrimoniale oppidum; Guiſius cum magno comitatu Fontem-bellaqueum ad regem ac reginam contendit. Mox acceptum in urbem CIↃ IↃ militum praeſidium a Marlaeo et aedilibus, quod, dum Momorantius urbi praeerat, facere recuſaverant. Multos armatos ſecum duxerat Guiſius, ut potentiae oſtentatione foeminae, ut rebatur, meticuloſae ad Condaeum propendenti metu injecto eam, ſi non ſponte, at Condaei manifeſtata per comparationem infirmitate, ad partes ſuas pertraheret. Nec vanus Guiſii conatus fuit. Nam illa, antequam quid ageret, diligenter in Proteſtantium opes ac vireis anquiſiverat; ut videret, ecquid praeſidii, ſi rex et ipſa in ipſorum manus ſe tradidiſſet, ab iis expectandum eſſet: ſed nihil certi et explorati inveſtigare potuerat; tantum ad eam perlatum fuerat, bis mille et CL, [ς] quas vocant, eccleſias in regno eſſe, quarum delegati, impetrata conveniendi libertate, ſe et ſuam operam regis, reginae liberorumque ejus ac regni neceſſitati ad arma paratam pollicebantur. Sed cum illa particulatim magis id cognoſcere percuperet, qui ſummae rerum inter eos praeerant, anxiae foeminae curioſitatem male interpretati ſunt, et, pollicitationibus illis officioſe ſatisfeciſſe rati, penitiorem arcanorum ſuorum notitiam cum ea, cujus ſuſpectam levitatem [ζ] habebant, communicare minime tutum exiſtimaverunt. Interea Condaeus domo profectus et in aulam veniens, uti reginae receperat, per [h] S. Clodoaldi pontem II ab urbe leucis iter habuit: qua re cognita ſtatim, quaſi ad obſidionem arma in urbe tumultuoſe comparantur, laſciviente plebe et ad inſaniam magiſtratu connivente: nec minor in aula ad Condaei adventus ſamam animorum motus fuit; regina, quae ſe regemque foederatorum armis undique circumſeſſum videret, et, adveniente Condaeo, ne periculoſi tumultus in aula excitarentur, merito vereretur, quid ageret, cum Hoſpitalio fruſtra conſultante;

VAR. LECT. [α] gratificatus *D.* f. o. [β] ita tempore *D.* f. o. d. [γ] evocatus *deeſt* *D.* f. [δ] et *deeſt* *D.* f. o. [ε] et inde *D.* f. [ς] quas vocant *deſunt* *D.* f. [ζ] haberent *D.* f.

INTERPR. [a] *le chancelier de l'Hoſpital.* [b] *Fontainebleau* [c] *Orleans.* [d] *de Hangeſt, ſieur d'Ivoy.* [e] *François de Montmorency, mareſchal de France & gouverneur de Paris.* [f] *Meaux.* [g] *la Ferté Aucoul ſur Marne.* [h] *S. Cloud.*

CIƆIƆLXII. conſultante; et foederatis occupandum regem reginamque, et, antequam Con-
CAROLUS IX. daeus ſe iis adjungeret, utrumque Lutetiam abducendum cenſentibus: primo tamen reginae haeſitantis adhuc animum per Santandreanum tentari, et oſtentato belli procul dubio ab Hiſpaniae rege genero impendentis metu, ſi Proteſtantibus conveniendi et ulterius per regnum graſſandi libertas concederetur, eam ad partes ſuas, ſi fieri poſſet, [α] reduci placuit: neque enim Hiſpanos, gentem adeo ambitioſam, eam occaſionem, quae ſe in manus det, praetermiſſuros, ſpecioſa adeo religionis apud pontificem et ceteros Italiae principes cauſa, et regno Galliae ſuperiorum bellorum cladibus et nuper a novarum factionum peſte debilitato, rege denique ob aetatem infirmo; quae omnia quieti quantumvis intentum vel nolentem ad bellum ſuſcipiendum incitare poſſint. Cum nihilominus ſemper haeſitaret regina, et periculum eſſet, ſi interea Condaeus adveniret, ne [a] Hoſpitalii ſuaſu ad eum ſe applicaret, perplexas in tantae molis negotio difficultates audaci conſilio diſcuſſit Guiſius; et Navarro, cujus ingenio ad libidinem utebatur, auctor fuit, ut reginae imperioſe ediceret, pro comperto habere, fratrem Condaeum eo conſilio venire, ut regem ipſamque in poteſtate haberet; proinde decreviſſe regem ſecum Lutetiam abducere; ipſa, ſi vellet, ſequeretur. Ita non dato ad conſultandum tempore collectis momento impedimentis [b] Melodunum una veniunt, regina ſequi coacta: et in arce hoſpitium ex foederatorum conſilio regi aſſignatum eſt; monitis etiam cuſtodibus, quos fere in poteſtate habebant, ut excubias diligenter agerent: nam, ne nocte elaberetur, ſummopere metuebant.

XII. Heic rurſus tota nocte in occulto cum fidis a regina conſultatum fuit; eoque magis ſolicite, quod haec ſuprema de regis regnique capite ac fortunis conſultatio eſſet; in qua, ſi quid peccabatur, exitio regni peccabatur; nec enim erat poenitentiae aut mutandi conſilii locus: paratum etiam clam navigium, quo, ſi conſultum videretur, cuſtodes fallerent. Itaque et vehementer foederati invigilabant, ne ſibi rex ac regina eriperentur; quippe qui ſic judicarent, utri parti ſe illi adjungerent, alteram, quam deſererent, deteſtandae rebellionis infamia notari. Poſtridie nondum confirmatis ex metu animis regina omnia prolixe foederatis pollicita, cum ſibi [c] Fontem-bellaqueum redeundi copiam impetraſſe videretur, ut ibi rurſus per otium maturius conſultaret et, ſi poſſet, cum Condaeo colloqueretur, Guiſius, qui foeminae ingenium noſſet, ejus ſpem fefellit, et per Navarrum ei denunciat, Lutetiam ſine mora eundum eſſe, prolatis in eam rem [d] Marlaei literis, qui, niſi rex quamprimum in urbem veniret, extremum periculum imminere ſignificabat. Itaque eodem die rex cum matre et fratre Alexandro [e] Aureliani duce [f] Vicennarum caſtrum venit, vix altero ab urbe lapide, haud obſcuris taciti doloris indiciis, quaſi in captivitatem per vim abducerentur, quod rex praecipue puerilibus lachrimis teſtatus eſt. An. Momorantius praeceſſit, et, cum ſub veſperam Lutetiam ingreſſus eſſet, poſtridie ſummo mane cum armatis per urbem [β] diſcurrens, P. [g] Ruzaeum in curia patronum, hominem praefracta audacia et qui in coetu ordinum Pariſienſium nuper inſolenti libertate magnatum odium in ſe conciverat, captum in carcerem duci jubet; quaerentique, qua auctoritate aut cujus decreto in cuſtodiam traderetur, nihil aliud reſponſum eſt, quam ſcire omneis debere, penes [h] equitum magiſtrum, abſente Navarro, et ſecundum eum ſummum imperium eſſe. Tum quaſi inſtructa acie ad locum, qui [i] templi Hieroſolymitani nomine vulgo indigetabatur, in quo Proteſtantes ad conciones et preces faciendas

VAR. LECT. [α] pertrahi *D. f.* [β] diſcurrens, N. Ruzaeum *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le chancelier de l'Hoſpital.* [b] *Melun* [c] *Fontainebleau* [d] *Marle.* [e] *Orleans.* [f] *Vincennes.* [g] *Ruzé, avocat au parlement.* [h] *le connétable.* [i] *lieu appellé Jeruſalem, ſur les foſſés de la porte S. Jacques.*

faciendas conveniebant, extra S. Jacobi portam proficiſcitur, ibique miniſtri cathedram ac ſedilia in acervum undique cogi jubet, et ex iis veluti pyram congeſtam admoto igni magna aſtantium laetitia ac plauſu ſuccendit; inde triumphanti ſimilis in urbem redit; rurſuſque poſt prandium ad [a] Poppincuriam tendit, locum alterum extra [b] S. Antonii portam Proteſtantibus deſtinatum, incendioque, uti mane fecerat, excitato, quod vicinas etiam aedeis depaſtum eſt, eadem pompa gratulantium, quaſi de inſigni parta victoria, vocibus paſſim per vicos ac plateas, qua tranſibat, exceptus in urbem revertitur; non ſine indignatione multorum, qui ſummum armorum ducem ad aucupandam vilis plebis gratiam ſerviliter rei ridiculae operam dare aegre ferebant, unde nihil praeter jocantium dicteria reportavit. Permiſſa inde plebi licentia, optimi quique per vicos indigne habiti; multi, qui ſuſpecti ob religionem erant, contumelioſe pulſati: a caedibus tamen temperatum fuit. Poſtridie a foederatis rex cum regina ac regis fratre, quaſi extra urbem minus tuti, aut, ut alii interpretabantur, non ſatis in eorum poteſtate eſſent, in urbem adducitur. Tum ad [c] Luparam, ubi rex diverſabatur, conſultatum fuit de bello Condaeo et ejus ſequacibus indicendo, multum repugnante [d] Hoſpitalio; quem cum idcirco utpote hominem togatum conſiliis de bello minime intereſſe debere contenderet Momorantius, ille, ſe quidem belli gerendi rationes non intelligere, reſpondit, ceterum ſe ac ſui ſimileis, an et quando bello utendum ſit, optime cognoſcere: nihilominus pervincente foederatorum violentia tanquam ſuſpectus ab ea deliberatione excluſus eſt. Moxque in regis conſiſtorium lecti Claudius [e] Guſierius Boſius marchio Hipparchus, et [f] Honoratus Sabaudus Villarii comes, Momorantio proxima cognatione conjuncti; Lud. [g] Prevotius Sanſacus; et poſtremo, Navarri commendatione, ii, quos diximus egregiam operam in tractando heti ſui ingenio navaſſe, Philip. [h] Lenoncurius [α] Antiſſiodorenſis epiſcopus et Fran. [i] Scarſius.

XIII. Condaeus interea, qui in aulam veniebat, cognito reginam ſeu [β] levitate ſeu metu et vi coactam mutaſſe, et cum rege Lutetiam conceſſiſſe, cum adverſarios, rege ſecum abducto, quem in poteſtate habere cupiebat, potiores cauſa videret, et tamen ulterius provectus eſſet, quam ut regredi tuto poſſet, quaſi alea jacta, Aurelianum, quo cum praeceſſerat ex compacto [k] Andelotus, contendit; monito in itinere [l] Colinio maris praefecto Andeloti fratre, ut ſe ſequeretur. Aureliano praeerat ſub Carolo Borbonio [m] Rupiſurionio Innocentius [n] Triperius Monterudius. Is nutantibus initio rebus, cum eſſet adhuc incertum quo regina inclinaret, a Proteſtantibus minime ſe alienum oſtenderat, eorumque opera in urbis cuſtodia [γ] promiſcue utebatur: ubi vero regem Lutetiam abductum cognovit, et triumviros poſtremo reginae perſuaſiſſe, ut ſe ad illorum parteis adjungeret, protinus mutavit; et, cum de motu occulto ſubolfeciſſet, a [δ] Philiberto [o] Marſilio Sipetra ſummiſſos paulatim intromittebat, quorum ope ſe urbem, in qua Proteſtanteis viribus praepollere intelligebat, in poteſtate habiturum ſperabat. Andeloto cum exiguo admodum comitatu ingreſſo, Proteſtantes antea quieti mox ſe oſtentare, huc illuc diſcurrere, per domos colloquia habere; cumque per ccc diſpoſitos S. Joannis portam occupaſſent, ſtatim Monterudius illuc accurrit, ſed irrito

CIƆIƆLXII.
Carolus IX.

VAR. LECT. [α] Altiſſiodorenſis *D.* f. o. [γ] libenter utebatur *D.* f. o. d.
[β] levitate inſita ſeu *D.* f. [δ] Philiberto *deeſt* *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Poppincour.* [b] *porte S. Antoine.* [c] *le Louvre* [d] *le chancelier de l'Hoſpital.* [e] *Gouffier, ſieur de Boiſy, grand eſcuyer, petit fils de Guillaume Gouffier, ſieur de Boiſy, & de Philippes de Montmorency tante du connétable.* [f] *Honorat de Savoye, comte de Villars, beau frere du connétable.* [g] *prevoſt, ſieur de Sanſac.* [h] *de Lenoncourt, evêque d'Auxerre.* [i] *d'Eſcars.* [k] *François de Coligny, ſieur d'Andelot.* [l] *Gaſpard de Coligny.* [m] *le prince de la Roche ſur Yon.* [n] *Tripier, ſieur de Monterud.* [o] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.*

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

irrito conatu, quippe prodeunte Andeloto, qui huc uſque latuerat, et interea Condaeum monuerat, ut quanta celeritate poſſet eo veniret. Illum, cum [a] Angervillae adhuc eſſet, remorabantur crebri a regina nuncii, quibus concordiae ſpem faciebat; diverſa via Joanne [b] Eſtraeo magno tormentorum praefecto [c] Aurelianum proficiſci juſſo, ut Proteſtantium conatus diſturbaret: ſed contrariis Andeloti nunciis ſaepius geminatis ſolicitatus, protinus citato curſu Aurelianum properat, cum II CIↃ et amplius equitum, famulis, lixis ac calonibus, qui in equis erant, computatis, novo ac ſtupendo prorſus viatoribus, qui de conſilio ignorabant, ſpectaculo, qui tantam multitudinem effuſis habenis currere, homines ex equis lapſanteis, manticas, galeros, pallia ac cetera impedimenta paſſim per vias ſparſa mirabundi ridebant. Ita concitato curſu cum prope urbem eſſet, cognito Andelotum urbe potiri, collecto ſpiritu, deinceps quietius itinere facto, Aurelianum ingreditur; ex quo ſtatim Monterudius petita ab eo licentia diſceſſit.

XIV. IN [d] Meldis uxorem jam VII menſeis gravidam reliquerat Condaeus cum liberis, quae eodem Paſchatis die, quo vir diſceſſerat, et ipſa ſe in viam dederat, [e] Muretum profectura; ſed [f] juxta Lizium ad [g] Urcum amnem a ruſticis ſupplicationes per agros, ut fit, celebrantibus, quos nobiles pueri, qui in ejus comitatu erant, inſalutata cruce injurioſe praetervecti, etiam convitiis per deriſionem provocarant, ſaxorum imbre petita, dum in lectica eſſet, tanto pavore conſternata eſt, ut vix tandem [h] Gandalucium delata mox praecipitato partu gemellos enixa ſit, Carolum et Ludovicum; quorum hic mox deceſſit, ille ad XXXII uſque annum poſtea vixit, in cardinalium collegium cooptatus. Inde partu levata Muretum ſe contulit, et poſtea cum Henrico [i] Contii marchione natu grandiore filio circiter IX annorum puero Aurelianum ad maritum venit. [k] Magdalena Mallia ejus parens cum Franciſco ac duobus gemellis et filia [l] Argentinam tanquam locum quietiorem per has turbas, dum belli tempeſtas deſaeviret, ſibi domicilium delegit; ubi honorifice excepta ſolicitandis genero promiſſis auxiliis non inutilem operam praeſentia ſua navavit.

XV. CONDAEUS compoſitis in urbe rebus VII Eid. April. ad eccleſias Proteſtantium toto regno ſparſas dat literas; miſſis etiam ex nobilibus ſuis, qui, quicquid virium eſſet, ad ſe abducerent, et, ſi homines armatos non haberent, ad pecuniae in uſus belli contra eos, qui regem captivum detinerent, et violatis edictis regia auctoritate ad quietem publicam turbandam abuterentur, ſuſcipiendi collationem hortarentur. Ad haec acceſſerunt miniſtrorum literae Aureliano itidem ad provincias miſſae. Poſtridie ſcriptum evulgatur, quo Condaeus prolixe explicat, quibus rationibus permotus arma contra triumviros ſumat, repetitaque ſuperiorum temporum memoria, eo adverſariorum conatus tendere ait, ut libertatem regiis edictis conceſſam iis, qui puriorem in religione doctrinam amplectuntur, adimant: nam quid aliud ſibi velle Guiſii et Momorantii ex aula ſeceſſionem, paulo antequam deliberatio ſuper religionis negotio nuper inſtituta perageretur? quid eodem tempore [m] Nemoroſii de abducendo in [n] Sabaudiam aut [o] Lotaringiam Alexandro regis fratre conatum? quid denique immanem illam [p] Vaſſiaci carnificinam, cujus impunitate ſeditionis per omneis regni partes excitandae veluti ſignum datum eſt? nam ſtatim conjuratos quaſi ex compacto, inſalutato rege ac regina, Lutetiam veniſſe, et Guiſium quidem antea reginae, quae cum rege [q] Moncelli erat, literis evocatum ſe excuſaſſe: [r] Momorantium vero, cum Lutetiam petens

INTERPR. [a] *Angerville.* [b] *le ſieur d'Eſtrées, grand maitre de l'Artillerie.* [c] *Orleans.* [d] *Meaux.* [e] *Muret.* [f] *à Vauderay, village pres de Liſy.* [g] *Ourque ou Ourre.* [h] *Gandelus, bourg de Champagne dans le dioceſe de Meaux.* [i] *Conty.* [k] *Madeleine de Mailly, dame de Conty.* [l] *Strasbourg.* [m] *le duc de Nemours.* [n] *Savoie.* [o] *Lorraine.* [p] *Vaſſy.* [q] *Monceaux.* [r] *le connétable de Montmorency.*

petens ad [a] Sandionyſianam viam nuper regi obvius fuiſſet, et regem adeſſe a San- CIↃIↃLXII.
ſaco admoneretur, tam irreverenter tranſiiſſe, ac ſi incognitam turbam praeter- Carolus IX.
veheretur: eodem pertinere et ſuperbum a [b] Santandreano reginae datum reſponſum, cum juberetur, ut ad praefecturam ſuam proficiſceretur; dein inſtitutum Lutetiae concilium, quod regium vocatum eſt, quamvis rege ac regina, et ipſo Condaeo, qui tunc in urbe erat, abſentibus haberetur; poſtremo, ut pernicioſa conſilia regia auctoritate tegerent, regem ac reginam in miſeram captivitatem abductos: ex iis vero neminem ignorare poſſe, quid illi mente agitent, quove conſilia eorum colliment; eo nimirum, ut, qui ex regni ruinis familias ſuas exaedificarunt, ejuſdem regni auctoritatem et opes ad ſe convertant, regium nomen publicae tranquillitatis atque adeo regii nominis vindicibus opponant, ipſi ſoli late imperent, et, conflata Condaeo invidia, everſaque edictorum auctoritate, Ordinum regni decreta ac ſanctiones pro arbitrio moderentur: ea propter Condaeum conteſtari, ſola ſe obſequii, quod Deo ac regi ſecundum Deum debeat, neceſſitate atque ſingulari in patriam charitate adductum, nec alio privato affectu arma ſumere, quam ut regem reginamque ac regios liberos in libertatem vindicet, regiaque edicta ac praecipue ſolemne illud Januario [α] menſe nuper conditum defendat ac tueatur, inhibeatque, ne pecuniae a regni Ordinibus ad aes alienum diſſolvendum collatae in alios uſus a novis regni moderatoribus impendantur; alioqui illos, qui in eam rapaces manus injecerunt, ad illius reſtitutionem aliquando compulſum iri: nam ſe ſuoſque privatis ſumptibus militaturos: monere inſuper omneis, qui publicae tranquillitati conſultum volunt, ne, quamdiu rex ac regina in adverſariorum poteſtate erunt, obtentu reſcriptorum, mandatorum diplomatumve, regis nomine et ſigillo, ſibi illudi patiantur: quod ad Navarrum fratrem [β] attinet, ſe obſequium, quod ei ſecundum regem reginamque debeat, ſemper praeſtiturum; orare procerum ac nobilitatis ac ceterorum Ordinum nomine reginam, ut longe ab armorum metu, quibus undique obſidetur, de utriuſque partis cauſa judicet; jubeatque tantum Guiſium et ejus fratres, Momorantium et Santandreanum depoſitis armis diſcedere; ſe protinus, quamvis non eadem cum illis conditione ſit, ſuoſque omneis quamprimum domum proficiſci paratos, his conditionibus, ut rex libertati reſtituatur, ſacri conſiſtorii conſiliariis libertas ſuffragiorum permittatur, edicta regia ac Januarii inprimis ſerventur, donec rex ad aetatem pervenerit, in qua de re tota juxta regni leges decernat: quae conditiones aequiſſimae niſi accipiantur, et triumviri regi reginaeque ac regis conſilio vim facere, regio nomini illudere, regiſque ſubjectis injurii eſſe pergant, rurſus conteſtari Condaeum, ſe ſocioſque id non toleraturos, ſed culpa tot calamitatum ac miſeriarum, quae inde ſecuturae ſint, et quarum innocens ſit, in auctores rejecta, in devota diris capita ſevere vindicaturum. Secundum haec, ac biduo poſt, Condaeus ad Proteſtanteis Imperii principes dat literas, adjunctis miniſtrorum etiam, ut majorem dictis fidem faceret, literis, miſſis inſuper e nobilitate, qui de ſumptorum armorum cauſis plenius edocerent. Iis literis illos rogabat, ne tam neceſſario tempore regi, reginae ac toti regno deeſſent, nec ſe ſalſis adverſariorum criminationibus praeoccupari ſinerent: ſed ad Dei gloriam, regis ac regni ſalutem ſuſceptum bellum viribus ſuis firmarent et adjuvarent. Mox ſubjuncta foederis, quod ab ipſo cum ſociis pro regis ac conſcientiarum libertate ictum eſt, formula, quae antea conventa demum III Eid. Apr. evulgatur.

XVI. Ea

VAR. LECT. [α] menſe *deeſt* *D. f.* [β] attinet *deeſt* *D. f.*
INTERPR. [a] *rue S. Denis.* [b] *le mareſchal de S. André.*

CIↃIↃLXII. XVI. Ea Condaeus ac proceres ſocii, prius de regis ſecundum Deum obſequio,
Carolus IX. reginae auctoritate, regni legibus et edictis a turbulentorum hominum violentia aſſerendis ac conſervandis praefati, jurant, ſe vitam fortunaſque omneis in id impenſuros, percuſſo foedere, quod eo uſque duraturum ſit, donec rex ad legitimam regni adminiſtrandi aetatem pervenerit: minime item paſſuros quicquam contra honorem Dei regiaque edicta [α] perpetrari; pravos cultus, ſuperſtitiones, contumelioſa in Deum verba, ſcortationes, rapinas, templorum privata auctoritate profanationes ac direptiones, ceteraque omnia lege divina et ultimo Januarii edicto [β] vetita impedituros. Tum Condaeum, tanquam legitimum regni Gallici patronum ac vindicem, coetus ducem creant; cui obedientiam et ſubſtituto ab eo vicario, ſi quidem valetudine aut ſontica cauſa [γ] prohibeatur, in iis omnibus, quae ad foederis executionem pertinent, pollicentur, arma, equos, pecuniam et omnia ad bellum neceſſaria expedituri, et ad primum ejus aut legati ipſius mandatum praeſto futuri, et quocunque imperaverint ſecuturi; et, ſi qua in re officio defuerint, cuivis ſe poenae ac ſupplicio ex ipſius voluntate et arbitrio ſummittunt. Foedere comprehenſi omnes regis conſiliarii, iis exceptis, qui regem reginamque per vim in poteſtatem redegerant, quos illi pro laeſae majeſtatis reis ac proditoribus habeant.

XVII. Ut vero foederis initi invidiam imminuerent, contrarium triumvirorum conjuratorum foedus ipſi publicant, a concilio Tridentino, ut ipſi aiebant, cum primum inſtaurari coepit, confirmatum. Scripto illo dux foederis Philippus Hiſpaniae rex conſtituitur; qui inſtituta contra [a] Navarrum querela, quod Sectariorum virus per Galliam magno florentiſſimi regni et vicinorum detrimento pullulare patiatur, cum blanditiis et facta de regni Navarrae reſtitutione primum ſpe, mox et minis a pernicioſo conſilio revocare conabitur; ni morem gerat, contracto ingenti exercitu, regni illius reliquias, parte ditionis Sabaudiae duci attributa, invadet; et, ſi quidem Sectariorum opibus et auxiliis utatur Navarrus, Guiſius eum a tergo collecto in Gallia itidem fortiſſimo exercitu petet, ut ita utrinque circumventus opprimatur. Armabuntur contra Proteſtantium Helvetiorum pagos v pagi catholici, et ſtipendiis a pontifice acceptis Sabaudiae duci militabunt: his ſe cum parte Hiſpani exercitus et pontificis copiis adjunget Ferrarienſis, qui diverſa parte Genevam Sectariorum arcem et oppida ad Lemanum lacum ſita capiet, et ad internecionem delebit. Caeſar, epiſcopi et alii Imperii principes interea dabunt operam, ut nulli delectus io Germania a Proteſtantibus habeantur. Ita deletis in Gallia Sectariis, et exciſa penitus gente Borbonia, ne quis nocentiſſimi ſanguinis ultor olim ſuperſit, non ſolum expedita erit Caeſari ac Philippo Germaniae debellatio, ſed etiam tota fere Europa ad Romanae ſedis obedienriam extinctis Sectariorum factionibus redibit. In hujus autem ad Dei gloriam ſuſcepti belli ſumptus cardinales et eccleſiaſtici tota Italia majorem redituum partem conferre tenebuntur, et Guiſius in eam rem pecuniam ex bonis proſcriptorum in Gallia corraſam, idonea cautione accepta de ea poſt patratum bellum reddenda, itidem ſuppeditabit. Liberum erit ſacerdotibus, qui volent, huic ſacrae militiae citra ſcrupulum et ſacrarum conſtitutionum offenſionem nomen dare. Hujus de foederis fide ut merito dubitem, ſicuti multa me movent; ita credulos ac ſuſpenſos novarum rerum ſpe animos, non ſolum apud oos, ſed in Germania ac per totum ſeptentrionem, ejus evulgatio magnopere pro tempore commovit.

XVIII. Eadem

VAR. LECT. [α] perpetrari; aut pravos *D. f.* [β] prohibita Tum *D. f* [γ] impediatur *D f*
INTERPR. [a] *le roy de Navarre.*

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

XVIII. EADEM qua Condaci proteſtatio die Aureliani evulgata eſt, hoc eſt, VII Eid. Apr. Lutetiae promulgatum edictum fuit, quo rex ac regina declarabant, ſparſum de ſua captivitate rumorem falſum eſſe, et a Condaco colorem turbulentis conſiliis ſuis quaerente calumnioſe confictum; ſe vero ſponte non coactos Lutetiam veniſſe, ut de motibus componendis conſultarent, et idonea ad id remedia adhiberentur. Triduo poſt, atque eodem die, quo Condaci et ſociorum foedus Aureliani publicatum eſt, cum metu ſuſpicionibus aucto nihil a Proteſtantibus pacati expectaretur, ut omnis illis tumultuandi occaſio praecideretur, ex reginae, Navarri, [a] Borbonii et Guiſii cardinalium, [b] Guiſii ducis, [c] Momorantii magiſtri equitum, et [d] Aumalii conſilio, [e] Hoſpitalio, [f] Santandreano, Briſſaco, et Momorantio filio equitum tribunis praeſentibus, alterum diploma emittitur, non ad curiam, ſed ad praetores ſeu praefectos et eorum legatos, qui curiae ſubſunt, directum; quo Januarii edictum denuo confirmatur, ſancita rurſus praeteritorum oblivione, quorum aut religionis cauſa cuiquam moleſtiam aut periculum creari prohibetur; publice itidem coetus ubique habendi ac concionandi Proteſtantibus libertate conceſſa, praeterquam Lutetiae, in qua et ſuburbiis ejus et intra banleucam, quam vocant, coetus fieri aut ſacramenta alio, quam recepto antiquitus ritu, [α] celebrari vetantur. Miſſus fuerat antea a regina ad Germaniae principes Jacobus [g] Angeneus Rambulietus, ut de concilii [β] Tridentini proxime celebrandi rationibus [γ] ageret. Is literarum et rationum exemplum Wolfango comiti Palatino [δ] [h] [1] Naumburgi ad Danubium miſit prid. Eid. Apr. et eum ad negotium de religionis emendatione graviter capeſſendum hortatus eſt.

XIX. EODEM tempore [i] Agendici Senonum immanis laniena Proteſtantium edita, inſtigante [k] Aemaro cauſarum capitalium quaeſitore, nec inſcio, uti creditum eſt, [l] cardinali Guiſio civitatis archiepiſcopo, qui [m] Vaſſiacenae ſeditioni interfuiſſe ad majorem invidiam arguebatur. Fama ſparſa, Proteſtanteis de templis invadendis ac diripiendis clandeſtinum conſilium iniiſſe, ab efferata plebe centum amplius omnis conditionis ac ſexus crudeliter occiſi, aut [n] Igonna fluvio, qui urbem alluit, demerſi; multorum item aedes direptae, templo, quo extra urbem conveniebant, ſolo aequato, et vineis circum ſtirpitus avulſis. Ea de re Condaeus datis ad reginam literis XIII Kal. Maii acerbiſſime conqueſtus eſt: verum, cum quotidie multa hujuſmodi ſaevitiae Proteſtantium in Catholicos exempla ex variis regni provinciis undique afferrentur, in praeſens id diſſimulatione tranſmiſſum eſt, paribus delictis veluti mutua compenſatione diſſolutis. Nam eodem tempore pleraeque toto regno urbes a Proteſtantibus occupatae ſunt, quod citra ſanguinem ac compluribus locis templorum profanationem vix fieri potuit, quantumvis eorum duces moderate ſe initio gererent. Cum vero Condaeus ex Friderici Palatini ſeptemviri literis didiciſſet, in Germania pleroſque ac praecipue Catholicos aliter atque aliter ſumptorum in Gallia armorum cauſam interpretari, ad Ferdinandum imperatorem XII Kal. Maii ſcribit; et, explicata nuper exortorum per regnum tumultuum cauſa, eorumque culpa in Guiſianos tanquam auctores rejecta,

regem

VAR. LECT. [α] celebrare vetatur *D. f. o.* [β] Tridenti *D. f. o.* [γ] ageret, et eos ad mittendos ad illud oratores ac theologos ſuos eo adhortaretur. Literarum et rationum exemplar *MS. Samm.* [δ] Neoburgi *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *les cardinaux de Bourbon & de Guiſe.* [b] *le duc de Guiſe.* [c] *le connêtable de Montmorency.* [d] *le duc d'Aumale.* [e] *le chancelier de l'Hoſpital.* [f] *les mareſchaux de St. André, de Briſſac, & de Montmorency.* [g] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [h] *Neuburg ſur le Danube.* [i] *Sens.* [k] *Robert Hemard, lieutenant criminel.* [l] *Louis de Lorraine, cardinal de Guiſe, frere du duc de Guiſe.* [m] *de Vaſſy.* [n] *Yonne.*

NOT. [1] Dele *Naumburgi*: lege *Neoburgi*; quod oppidum eſt ditionis Palatinae ad Danubium ſitum: plura quidem ſunt per Germaniam ſparſa Naumburgi nomine indigitata oppida, ſed ne unum quidem in ditione Palatina aut ad Danubium poſitum. *C.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

regem reginamque in miſeram captivitatem ab ipſis abductos eſſe, et ad eos in libertatem aſſerendos ſumpta arma dicit; tum, ut rerum geſtarum ſeriem ex prolixiore et accuratiore de iis ſcripto cognoſcat, enixe rogat, et regii nominis vindicibus aequum ſe ac propitium in poſterum praebeat: ita rem Caeſarea majeſtate familiaeque Auſtriacae ſplendore digniſſimam facturum.

XX. [a] ROTOMAGUM XVII Kal. Maii ab iis, qui in urbe novae religioni operam dabant, ſine tumultu fere occupatum fuerat: eoque mox a rege Henricus Robertus [b] Marcianus Bullionii dux et provinciae praeſes a Navarro miſſus fuerat, qui cum oppidanos arma deponere regis nomine juſſiſſet, illi reſponſo literis mandato imperium illuſerunt. Eo ſcripto arma ſibi ſumpta profitebantur, ut ſe ab eorum, qui regem captivum tenebant, et edicta in gratiam Proteſtantium facta violabant, violentia et iniquitate defenderent; ſcire ipſos, quid [c] Clerius et Oſoboſtus Guiſianorum emiſſarii contra ſe agitent, quid Joannes [d] Tuttavilla Villabonius, qui eos, qui [e] Aurelianum ad Condaeum unicum majeſtatis regiae ac denique libertatis regiae patronum confugiunt, tanquam perduelleis nuper oratione ad populum habita peracerbe inſectatus eſt: ad haec exemplis vicinorum non mediocriter permoveri: nam quae Vaſſiaci, quae apud [f] Senonas, quae item [g] Samarobrigae in Ambianis et ad [h] Abbatiſvillam nuper contra Proteſtanteis perpetrata ſunt, etiam maxime quietos ac minime ſuſpicaces ab armis deponendis deterrere: neque ipſos cardinalis Lotaringi occulta conſilia cum epiſcopis Germaniae et Italiae principibus inita latere: ſed maxime omnium male illos habere, quod nefaria [i] ſenatus Pariſienſis praevaricatione libertatem theologis Sorbonicis diſputandi, an propter haereſim reges ſceptro privari debeant, et id juris ſit pontifici, conceſſam magno ſuo cum dolore audiant: nec vero imperio regis ac reginae, quibus alioqui, ſi non in aliena poteſtate ſint, omne obſequium debere ſe fateantur, moveri; tamen, ut oſtendant ſe non cujuſquam offenſionis, ſed propriae ſecuritatis cauſa arma retinere, ſi praeſidia et excubias per urbem locis idoneis habere liceat, his ſe conditionibus paratos dicunt claveis civitatis in Bullionii manus tradere, et portas ac plateas ejus nomine et oppidanorum ſumptibus tueri; quas conditiones et ipſi remiſſuri ſint, quamprimum intellexerint Guiſianos et eorum ſequaces ab aula diſceſſiſſe, ut rationes ſecundum Ordinum regni decretum adminiſtrationis ſuae, rege Henrico II et Franciſco II, reddant. Id actum XII Kal. Maii. Tum veteris Palatii libero ingreſſu excluſus Bullionius, cum ut injurioſe factum id interpretaretur, urbem relinquit, ac mox [k] Martellus Baccavilla ejus legatus, negotia domeſtica cauſatus. Secundum haec oppidani [l] monaſterium S. Catharinae in colle Rotomago imminente poſitum occupant, ejuſque cuſtodiam Ludovico [m] Davidi committunt: quo facto inflati Proteſtantes adverſariam factionem prorſus evertunt, tumultu nocte inſequenti excitato, et occiſis aliquot, aliis in carcerem truſis: parvoque interjecto ſpatio jam laſciviente plebe per templa diſcurſari coeptum; everſa altaria, ac confractae ſtatuae: ab eoque die, qui in V Non. Maii incurrit, ad captam uſque urbem antiquae religionis uſus intermiſſus eſt. Dein captae II triremes egregie inſtructae nuper e Scotia reverſae, et delectu oppidanorum habito cenſita IIII CIↃ armatorum. Qua re terrore ſenatoribus injecto, ipſi urbem prid. Eid. ejuſdem menſis conſulto prius rege deſeruere. Nec multo poſt Jo. Tuttavilla Villabonius, cum Clerium, Oſoboſtum et [n] Alegrium in comitatu haberet, [o] pontem Arcuenſem ſupra Rotomagum Sequanae impoſitum occupat, intercluſo

INTERPR. [a] *Rouen.* [b] *de la Marck, duc de Bouillon, gouverneur de Normandie.* [c] *le ſieur de Cleré, & le ſieur d'Oxeboſt ſon neveu.* [d] *d'Eſtouteville, ſieur de Villebon, lieutenant general pour le roy en Normandie.* [e] *Orleans.* [f] *Sens.* [g] *Amiens.* [h] *Abbeville.* [i] *parlement de Paris.* [k] *Martel, ſieur de Bacqueville.* [l] *fort & monaſtere du mont S. Catherine.* [m] *David* [n] *le ſieur d'Alegre.* [o] *pont de l'Arche ſur Seine.*

interclufo ab ea parte commeatu; veritique oppidani, ne et infra urbem aditus ad eam praecluderetur, [a] Caletenſium confluentem, vulgo [b] Caudebecum appellatum, prius occupant; magnoque errore, cum illud demoliri potuiſſent, integrum ſervarunt: quod magnopere ipſis poſtea incommodavit: [α] nam paulo poſt illud a Clerio receptum eſt, ita ut ſupra et infra urbem Sequana inde ponte Arcuenſi inde Caudebeco fraenaretur. Eodem tempore miſſus [c] Aumalius, is materteram [d] Bullionii uxorem duxerat, qui cum ſummo imperio provinciae praeeſſet, et rebellanteis ad officium vi reduceret. Dum veniret, [e] Blondeto duce ſummiſſi [f] Juliobona, [g] Montivillerio et Dieppa auxiliares cc, et in urbem e introducti: totidem Caudebeco, antequam a Clerio reciperetur, impoſiti ſunt. Cum vero jam nullus ſenatus in urbe eſſet, praeſes provinciae atque ejus legatus abeſſent, et demum inter arma commercium ceſſaret, ne civitas ſine rectore, legibus ac civili adminiſtratione remaneret, delecti XII, qui ſummae rerum praeeſſent, et ex IIII urbis regionibus centumviri, ad quos, cum opus eſſet, XII referrent. Conſultantibus ante omnia placuit [h] Darnetalium, quod eſt oppidulum pannificio nobile primo ab urbe milliario, moenibus nudari: quod non ſolum exſecuti oppidani, ſed accenſo plebis furore expilata templa, quae in eo erant, et dejectae ſtatuae et altaria; incenſae etiam pleraeque aedes, et Carthuſianorum coenobium, ad inveteratum inter urbanos et oppidanos ex aemulatione opificii odium nova religionis cauſa accedente. Inde muniendi [i] S. Catharinae fani praecipua cura fuit. Cumque Henricus [k] Clutinius Oiſellius a regina miſſus Rotomagenſeis hortaretur, ut armis depoſitis ad obſequium redirent; quod ſi facerent, ipſam illorum patrocinium ſuſcepturam; illi reſpondebant, non poſſe ſe ejus literis fidem habere, quamdiu ipſa et rex puer in Guiſianorum atque adeo triumvirorum poteſtate eſſent. Itaque ubi nihil colloquiis effici potuit, Villabonius cum CCC equitibus et CIƆ IƆ peditibus ad Catharinae fanum caſtra ponit: nec multo poſt Aumalius ad [l] Francavillam et Menilium Leonardi venit, interverſo [m] Robeci amne, ut urbis molatrinas inutileis redderet. Levibus ibi certaminibus pugnatum, pejore ſemper Aumalianorum conditione, haud obſcuro tamen fortunae erga obſeſſos infeſtae indicio: nam ſub id tempus, Junii Kal. remigium omne majoris triremis vinculis ſolutis aufugit: e fuga tamen nonnulli remiges retracti, et rurſus catenae addicti; celeuſta etiam, quo connivente id accidiſſe ſuſpicio erat, carceri mancipatus. Jamque res in urbe nutabant, cum infractis civium animis Ludovicus [n] Lanoius Morvillerius Bononiae praeſes ſupervenit a Condaeo [o] Aureliano miſſus, qui confuſa ordinaret, ſolutum militem ad diſciplinam revocaret, et urbem obſidionis tempore moderaretur. Dieppam Proteſtantes, jam ante nuncio de Vaſſiaceno tumultu accepto, XI Kal. Apr. citra ſanguinem nemine reſiſtente occupaverant; in eaque haud multo poſt in templa dejectis ſtatuis et altaribus ſaevitum eſt: cumque Bullionius [p] Ricarvillam eis praefectum vellet imponere, oppidani recuſavere, [q] Fortium [r] Colinii maris praefecti legatum ſibi dari poſtulantes; quod et obtinuere; eoque auctore cc auxiliareis Rotomagenſibus ſummiſere ductore [s] Rovereo, et ad Jacobi publice conciones haberi coeptae. Ricarvilla vero repulſae dedecus ulturus ad [t] [β] Arcenſe oppidum [γ] arce firmum haud hinc longe conceſſit, ubi et templum munivit: et cum continuis excurſionibus Dieppenſeis infeſtaret, contraria

vi

VAR. LECT. [α] nam mox illud *D. f. o.* [β] Arcuenſe *D f.* [γ] arce firmum *deſunt D. f.*

INTERPR. [a] *Caux.* [b] *Caudebec.* [c] *le duc d'Aumale.* [d] *le duc de Bouillon.* [e] *le capitaine Blondet* [f] *Lisliebonne.* [g] *Montivilliers, & Dieppe.* [h] *Darnetal.* [i] *fort St*e*. Catherine.* [k] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [l] *Francqueville, & Meſnil Lienard.* [m] *Robec.* [n] *de Lannoy, ſieur de Morvilliers, gouverneur de Boulogne.* [o] *Orleans.* [p] *Riccarville.* [q] *des Forts.* [r] *Gaſpard de Coligny, amiral.* [s] *Rouvray.* [t] *Arques*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

vi ab illis ductore Renato [a] Provane Valſeneria, cui ſe auxiliares [b] Luneraeo duce junxerant, repulſus, deſerto oppido in arcem poſtremo ſe recepit: in eoque ſtatu res fuere uſque ad XII Junii diem, quo [c] Aumalius [d] Dieppam oppugnaturus [e] Rotomagi obſidionem deſeruit. Arcenſes poſt adventum Luneraei, cum non ſolum fortiter ſed et obſtinate ſe hactenus defendiſſent, tandem Dieppam, aſportatis, quae potuere, ex bonis, ſe recepere. De cetero in [f] Caletis Proteſtantes viribus pollebant, in quibus oppidum eſt, olim pagus, [g] Portus nomine ad [h] Sequanae aeſtuarii dextram ripam propter opportunitatem loci a Franciſco I moenibus clauſus ac munitus, de ſuoque nomine appellatus, [i] Gravillanae juriſdictionis, [α] ac Jo. [k] Ferrerii Carnutum vicedomini patrimoniale; cui Jo. [l] Croſa Colinii legatus praeerat. Cum autem poſt Condaei ex [m] Meldis digreſſum Ferrerius et Joannes [n] Laſinius [β] Bellovaſius Ferrerii ſororius in [o] Neuſtriam ejus juſſu ad copias colligendas et rem pecuniariam expediendam veniſſent, a quibuſdam oppidanis obviam Rotomagum uſque profectis invitati et introducti ſunt citra ſanguinem, niſi quod Croſa, a quo ſe indigne et avare habitos Proteſtantes querebantur, a periculo prope abfuerit, qui mox ipſorum doctrinam amplexus ſortem operam in Rotomagi defenſione poſtea, ſed exitioſo ſibi fine, navavit. Bellovaſius loco praeficitur. Ferrerius in Angliam ad auxilia maturanda a Condaeo mittitur, eo exitu quem poſtea dicemus. In inferiore Neuſtria Jacobo [p] Gobioni Matignono per [q] Bullionii et Villabonii abſentiam negotium datum fuerat, ut Proteſtantium inſurgentem audaciam comprimeret: is igitur Granvillam locum [γ] in inferiore Neuſtria opportunum ad mare ſitum occupat, eique P. [r] Bruelium Armoricum praeponit. Creſcentibus deinde odiis et aliis ſuſpicionibus ineunte Maio, [s] [δ] Cadomi Proteſtantes [f] Hugevillam, ſibi, ut rebantur, infeſtum veriti, qui Henrici [t] Momorantii Danvillae nomine arcem tenebat, [u] Sammariani Agnini nuper [v] Aureliano a Condaeo miſſi ope adjuti arma capiunt, [ε] et oppido potiti antiquae religionis uſum in eo abolent, ſupellectile omni ſacra deſcripta et in belli uſum converſa. Idem in [w] Baiocaſſium civitate mox factitatum; quo cum Franciſcus [x] Bricavilla Colombarius Condaei juſſu veniſſet, et arcem, quam [y] Julius Ravilius Roſſus Ferrarienſis ducis nomine tenebat, dedi poſtularet, admotis II minoribus tormentis eam recepit; ac ſtatim Sammariano cum CXX delectis Cadomo adventante oppidani aras et ſtatuas confringunt, ſupellectile ſacra item deſcripta ac poſtmodo conflata. Carolus [z] Humerius civitatis epiſcopus, literis ſeu veris ſeu confictis ejus interceptis, ob ſuſpicionem Cadomi captus ſe conſcenſa piſcatoria ſcapha ex Proteſtantium manibus eripuit. Cum vero regni delectus Navarri nomine paſſim more ſolito publicarentur, Proteſtantes citati non paruere; ſed reſponſo edito ſe excuſavere, delectus non niſi belli legitimi cauſa indici ſolitos dictitantes; hoc autem minime legitimum eſſe, quippe cum libera publice conveniendi ad preces ac conciones Proteſtantibus facultas regiis edictis ſit data, et eo bello libertas edictis conceſſa oppugnetur; et vero rege in pupillari aetate conſtituto, ad haec cum regina captivo, ſicuti publica fama conſtet, id minime licere, niſi ex Ordinum regni

VAR. LECT. [α] ac ditionis Joannis Ferrerii Carnutum vicedomini, cui Jo. Croſa *D. f.*
[β] Bellovatius *D. f. o.*
[γ] in inferiore Neuſtria *deſunt* *D. f.*
[δ] Proteſtantes Cadomi, qui intro manebant, Hugevillam *MS. Samm.*
[ε] et ita *D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Provanes* dit *Valſenieres.* [b] *Luneray.* [c] *le duc d'Aumale.* [d] *Dieppe.* [e] *Rouen.* [f] *pays de Caux.* [g] *Havre de Grace.* [h] *la Seine.* [i] *des ſieurs de Graville.* [k] *de Ferrieres, vidame de Chartres.* [l] *de Croſes.* [m] *Meaux.* [n] *de la Fin, ſieur de Beauvoir la Nocle, qui avoit epouſé Beraude de Ferrieres ſœur du Vidame.* [o] *Normandie.* [p] *Goyon, ſieur de Matignon.* [q] *le duc de Bouillon, & d'Eſtouteville ſieur de Villebon.* [r] *leBrueil, Breton.* [s] *Caen.* [f] *Hugueville.* [t] *de Montmorency, ſieur de Damville.* [u] *Ste. Marie aux Agneaux.* [v] *Orleans.* [w] *Bayeux.* [x] *Briqueville de Colombieres.* [y] *Julio Ravilio Roſſo.* [z] *d'Humieres.*

regni aut ſaltem ſenatus cujuſque provinciae decreto : proinde adverſus publica CIↃIↃLXII.
programmata interceſſere, qui eandem doctrinam ſequebantur in [a] Conſtantienſi CAROLUS IX.
praefectura, cum Cadomo, Baiocaſſibus, [b] Faleſiae, [c] Viriae, [d] Laudi ſano, et Carentano ; ab eoque tempore ſtationes ad portas oppidorum ſtatuere, exemplo Matignoni, qui ad [e] Granvillam et Chereburgum pari diligentia excubias agi juſſerat.

XXI. [f] CENOMANORUM item civitatem III Non. Apr. Proteſtantes citra tumultum fere ceperant, expulſo Carolo [g] Angenaeo epiſcopo, qui [h] Tuvolium voluptuariam arcem inde conceſſerat. Ii cum juberentur arma deponere, miſſo a regina Andrea [i] Gillario Mortario praecipuae auctoritatis viro, et qui Proteſtantibus haud obſcure favebat, ſcripto itidem ſe excuſarunt, et arma pariter pro regis ac regni libertate ac ſalute contra triumviros publicae quietis hoſtes et ſuos ſumpta dicunt ; quod niſi feciſſent, jampridem illos voti compotes reginam a publica regni adminiſtratione, quae ipſi comitiorum regni decreto delata eſt, ſummoturos fuiſſe. Itaque quantum poſſint demiſſe regem obſecrant, ut quicquid ea in re egerint, in bonam partem interpretetur : tum acerrime in civitatis epiſcopum invehuntur, qui muneris paſtoralis oblitus militaria munia obeat, et latrociniis, rapinis, caedibus omnia circum infeſta teneat ; oblique interim ſugillata triumvirorum avaritia, et Guiſii ſaevitia, qui [k] Firmitate Bernardi, [l] Meduana Joannis, et [m] Sablato ſuae ditionis oppidis omneis fideleis Chriſti cultores, ſic ſeipſos vocabant, exterminandos locorum praefectis mandaverit.

XXII. MISSA interim Condaei proteſtatio ad [n] Pariſienſem et Rotomagenſem curias, cum literis ; quibus, ut eam perlegerent et publicandam curarent, petebat, ut de eximia ac ſincera ſua erga regem ac rempublicam Gallicam voluntate omnibus conſtaret. Cum vero curia Pariſienſis ad Condaei literas III Eid. Apr. datas XI Kal. Maii reſcripſiſſet, et, quae de captivitate regis et edictorum violatione ac ſenatorum ipſorum cum turbarum concitatoribus occulta communicatione dicebantur, pluribus rationibus refelliſſet, ac poſtremo Condaeum monuiſſet, ut poſitis armis cum Navarro et cardinali Borbonio fratribus, relictis pravis conſultoribus, conſilia conjungeret, et tumultibus finem imponeret, ille denuo ad eos reſcribit VIII Kal. Maii ; et, quanquam non eadem cum adverſariis conditione ſit, quippe qui plura, quam ipſi virtute ulla aut meritis conſequi poſſint, a natalibus habeat, nihilominus ſe rurſus ab armis diſcedere cum omnibus ſuis paratum oſtendit, modo [o] Guiſius, Momorantius ac Santandreanus arma deponant, [a] rexque ac regina priſtinae libertati reſtituantur, liberaque adminiſtratio reginae, prout illi ab Ordinibus delata eſt, permittatur. Alterum ſcriptum eodem die [p] Aureliani publicatum ad curiam mittit, et, ut illud in acta publica referatur, petit : in eo obiter in memoriam revocatur ultimum Franciſci primi de Lotaringicae gentis ambitione poſteris ſuis ac regno tandem exitium allatura judicium ; et induciarum Henrico II ante quinquennium cum Philippo pactarum violatio eorum inſtigatu facta, contradicente tunc Momorantio, quae tot detrimenta huic regno importaverit ; denique violenta ac cruenta reipublicae, nuper Franciſco II rege, adminiſtratio ; cujus ipſe pars magna fuerit, cum pleriſque ex praecipua nobilitate, quorum ſalutem negligere nunc minime poſſit nec debeat. Quod vero a regina invitetur, ut in aulam veniat, et ſe Navarro fratri conjungat, conditionem accipere non poſſe : nam id non voluntate aut conſilio reginae, quae omnem libertatem, cum primum in eorum manus incidit, amiſerit, dici ; ſed eo fieri, ut dimiſſis, quas penes
ſe

VAR. LECT. [a] et ita rex D. f o.

INTERPR. [a] *de Coutance.* [b] *Falaiſe.* [c] *Vire.* [d] *St. Lo, & Carentan.* [e] *Granville, & Cherbourg.* [f] *le Mans.* [g] *d'Angennes.* [h] *Tuvoy.* [i] *Guillard, ſieur du Mortier, conſeiller du conſeil privé.* [k] *la Ferté Bernard* [l] *Mayenne la Jubez.* [m] *Sablé.* [n] *parlements de Paris & de Rouen.* [o] *le duc de Guiſe, le connètable de Montmorency, & le mareſchal de St. André.* [p] *Orleans.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

ſe habet, pro tege, regina ac regni defenſione viribus, ipſi ſoli rerum potiantur, et vireis, quas habent, et quibus Navarrum impeſare ipſi captioſe mentiuntur, non ſolum contra ſe, ſed et ipſum Navartum vertant: ſe ſaepius aſtum hominum et fraudes expertum; et parum prudenter facturum, ſi regis ac regni ſalutem, quam tuendam ſuſceperit, ſuam denique et ſociorum vitam, quam propria chariorem habeat, hoſtibus prodiderit: quod literarum faſciculos reſignaſſe dicatur, id vero ſe coixe vetuiſſe; videlicet illarum, quae ad regem, reginam ac Navatrum ſcriptae ſunt; nam de aliis ac praecipue conjuratis non ſolum non vetuiſſe, ſed ſedulo moouiſſe omneis praefectos et urbium rectores, ut eorum literas, et quae ad illos ſcribuntut, aperiant, et ad ſe tranſmittendas curent; qua ex re eum fructum hactenus cepiſſe, ut inſidias, fraudes et dolos eorum hac ratione detexerit: ſibi vero dolere, quod quibuſdam locis, ut [a] Bloeſis et [b] Caeſaroduni Turonum imagines contumelioſe ex templis dejectae ſint; id ſe poena gravi conſtituta prohibuiſſe, et hactenus Aureliani, ubi nunc degat, religioſe ſervatum fuiſſe. His rationibus contendit ſibi licere, et officii ſui eſſe, arma juſta contra iniquorum hominum conatus induere, quae pro regis ac regni ſalute et aſſerenda reginae auctoritate ſumpta, his nec aliis, quam quae initio propoſuit, conditionibus depoſiturus ſit. Proinde rurſus proteſtatur de cladibus, miſeriis, calamitatibus, quae inde, niſi conditiones accipiantur, regno immineant; culpa in eos rejecta qui primi arma ſumpſerint, et privatis cupiditatibus indulgentes ambitioni immoderatae publicam ſalutem poſthabeant, et malint in aula cum certiſſima regni peſte manere, quam parta patriae tranquillitate domum ad tempus ſecedere. Dum haec fiunt, regis nomine regni delectus citantur. Condaeus vero auxilia toto regno arceſſebat: ad eum Franciſcus [c] Rupifulcaudius comes venit cum delecta nobilitate ex [d] Santonibus, Engoliſmenſi agro et Pictonibus collecta. Ne quid vero triumviri in Germania in ſuum praejudicium moliri poſſent, aut delectus ullos haberent, miſſi duo ex nobilitate, qui, quid ibi ageretur, obſervarent; ut, ſi quidem illi auxiliareis copias in Germania conſcriberent, curarent et ipſi, ut Condaeo ab Imperii principibus eodem tempore ſubveniretur. Dum in eo eſſent, et de novis tumultibus paſſim in regno exorientibus quotidie afferretur, regina, quae de imminuta ſua auctoritate querelam a Condaeo inſtitui in ſinu gaudebat, et Guiſianorum ambitionem coerceri cuperet, viam conciliationis init: ſic enim ſperabat fore, ut, aequata aut verius labefactata utriuſque factionis potentia, ipſa ſibi ſummum rerum arbitrium ſumeret. Condaeus Kalendis Maii ad reginam literas dederat, quibus nullo ſe privato affectu duci, ſed ſolo libertatis priſtinae et auctoritatis regi ac reginae conſervandae ſtudio arma contra edictorum regiorum violatores ſumpſiſſe teſtabatur: capita etiam quaedam pacificationis ad eam per [e] fani Joannis Laodunenſis abbatem miſerat, quae poſtridie [f] Aureliani publicata ſunt, quibus eaedem conditiones repetebantur; nempe ut edictum Januarii a conjuratis violatum ſervaretur; de caedibus, direptionibus, injuriis, quibus Proteſtantes eorum inſtigatu paſſim toto regno profligati ſunt, publica ac ſevera magiſtratus caſtigatione ſatisfiat; Guiſius et ejus fratres, Momorantius et Santandreanus tot motuum auctores et incentores a rege jubeantur [α] aulam deſerere, et domum quiſque ſive in praefecturam ſuam ſecedere, donec rex ad eam aetatem pervenerit, in qua regnum per ſe adminiſtrare et de utriuſque partis cauſa decernere poſſit. Quae conditiones ſi impleantur, ipſe quamprimum cum omnibus ſuis arma depoſiturus ſit, et domum ſive in praefecturam ſuam conceſſurus: obſides interea, dum conditiones

VAR. LECT. [α] aula excedere D. f.

INTERPR. [a] *Blois.* [b] *Tours.* [c] *de la Rochefoucaud.* [d] *Saintonge, l'Angoumois & Poitou.* [e] *St. Jean de Laon.* [f] *Orleans.*

ditiones impleat, Contii marchionem grandiorem natu filium ac ceteros liberos, CIↃIↃLXII.
quae chariſſima pignora habet, daturum pollicetur. Si vero tam aequis conditio- CAROLUS IX.
nibus illi non acquieſcant, rurſus de calamitatibus regno eorum culpa et ambitione impendentibus coram univerſo orbe Chriſtiano, uti antea, proteſtatur. Ad ea reſponſum IIII Non. Maii, regem velle ac jubere, ut Januarii edictum ſervetur, Lutetia excepta, in qua multis et gravibus de cauſis coetus haberi vetat; ut de caedibus, direptionibus et injuriis utrinque patratis per magiſtratus diligenter inquiratur, et ſontes poenis debitis coerceantur; ſed nolle imperare, ut Guiſiani, Momorantius et Santandreanus aula excedant; quippe qui erga regem, reginam ac regnum bene affecti ratione dignitatum principis conſiſtorio intereſſe debeant, nec tali tempore, citra conſcientiae morſum et juſtam ipſorum apud omneis et poſteritatem reprehenſionem, regem puerum, qui per aetatem rebus ſuis ſupereſſe nequit, deſerere poſſint; eos tamen, ut, quantum quietis publicae ſtudioſi ſint, oſtendant, paratos eſſe aula diſcedere, dummodo ii, qui in armis Aureliani convenerunt, domum quiſque ſuam abeant, et, armis toto regno poſitis, et oppidis, quae occupata ſunt, priſtinae libertati reſtitutis, obſequium, quod regi debeatur, ab omnibus praeſtetur, ſummo armorum imperio penes Navarrum remanente: ſed in eorum numero, quos domum ſuam ſecedere petant, non intelligere, ut Condaeus comprehendatur, quem optent et etiam obſecrent, ut in aulam veniat, et locum, qui pro ſanguinis ac dignitatis praerogativa ei debetur, apud regem teneat. Reſponſo ſubſcripſit rex, regina, et Antonius Navarrae rex. Condaeus vero, qui videret, nullo pacto triumviros ab aula velle diſcedere, et periculum cauſari, niſi ipſe prior ab armis diſcederet, nec obſidum, quos obtulerat, rationem haberi, fraudem ſuſpicatus aſſentiri noluit; quippe qui valde periculoſum exiſtimaret, cum jure tantum, ut aiebat, niteretur, illi contra regis, quem in poteſtate habebant, nomine tuti eſſent, arma ponere, antequam metus, qui ab adverſariorum viribus et ſua in aula praeſentia cunctis incutiebatur, per eorum diſceſſum ceſſaret.

XXIII. EODEM die triumviri, qui ſe Condaei ſcripto maxime peti viderent, ſupplici libello regi porrecto, re prius per Jo. [a] Avanſonium, [α] qui ex Scotica legatione nuper reverſus fuerat, cum [b] Aegidio Magiſtro, Jo. [c] Santandreano praeſidibus, Aegidio [d] Burdino et aliis partibus eorum addictis communicata, reſpondent; et multa ac magnifica de ſuis erga reges jam vita functos et rempublicam meritis praefati, a rege petunt, ut edicto ſanciatur, ne in poſterum ullius alterius, quam a majoribus receptae, et quam catholicam apoſtolicam Romanam [β] diſtinctius vocabant, religionis cultus in regno admittatur; omnes regis domeſtici et regii duces, item ii, qui praefecturas, magiſtratus, munia publica exercent, eandem religionem publice profiteantur; qui detrectarint, omni dignitate et publica adminiſtratione priventur, reliquis bonis ſalvis: ſacris addicti, praeſules et alii eandem profeſſionem facere teneantur; ſi nolint, ſacerdotiorum fructibus priventur, iique fiſco addicantur: templa paſſim toto regno profanata, deſtructa aut ſpoliara reſtituantur et inſtaurentur, et de damnis acceptis plene ſatisfiat, et, qui tam abominandi ſacrilegii convicti fuerint, poenis pro criminis gravitate afficiantur; quicunque vel quacunque de cauſa ſine expreſſo Navarrae regis mandato arma ſumpſerint, ea quamprimum deponant; qui vero ſine illius juſſu in armis fuerint et nunc eſſe perſeverant, tanquam perduelles et regis ac regni hoſtes judicentur: Navarro uni jus ſit exercitus et copias cogere; quas vero jam habet et porro habiturus eſt, retineat, donec motus, qui pacis via hactenus componi non potuere,

armorum

VAR. LECT. [α] qui in Scotiam a rege paulo ante miſſus nuper inde reverſus fuerat *D. f.* [β] diſtinctius *deeſt* *D. f. o.*

INTERPR. [a] *d'Avanſon.* [b] *Gilles le Maiſtre.* [c] *le preſident de St. Andre.* [d] *Bourdin, procureur general.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

armorum vi ſedentur, et omnes ad obſequium regi debitum cogantur; iis ad aliquot menſeis in eam rem ſtipendia de publico ſubminiſtrentur. His conditionibus ſe non ſolum aula, ſed regno ipſo excedere, et in extremas oras quaſi in exilium abire paratos demonſtrant; atque, ut egregiae ſuae in rempublicam voluntatis ac conſilii ratio teſtimonio publico et omnibus etiam extra regnum innoteſcat, illud publicare decreviſſe declarant. Huic libello et alterum eodem die ſubjungunt, quo petunt, ut, qui Aureliani ſunt, ab armis diſcedant; provinciae, urbes, oppida in regno occupata ad obedientiam redeant; omneſque ſacramento adigantur, regi parituros et ejus edictis ac decretis jam conditis, et quae deinceps ex ſacri conſiſtorii ſententia fient et in ſuprema Pariſienſi curia promulgabuntur, remanente penes Navarrum ſummo armorum imperio, aut eum, qui a Navarro ſubſtituetur. Haec prius quam fiant, ſe ab aula non poſſe diſcedere demonſtrant; quibus confectis mox conditioni pariturі ſint; nec tamen petere, ut per abſentiam ſuam Condaeus viciſſim ab aula abſit; verum orare regem, ut eum ad ſe accerſat, et a loco atque adeo ab hominum, cum quibus nunc verſatur, conſortio abducat, ejuſque conſilio in graviſſimis regni negotiis deinceps utatur. Libellis ſubſcripſere Franciſcus [a] Lotaringus, Momorantius, Santandreanus: quibus poſtea longo et prolixo ſcripto reſponſum eſt, quod XIII Kal. Junii publicatum eſt.

XXIV. In eo multa in adverſariorum invidiam praefatus Condaeus; quod conſiliis cum pontificis legato, et Hiſpani ac ceterorum externorum principum oratoribus communicatis, non religionis, ſed privatae cupiditatis impulſu, non libellum, ſed decretum hoc confecerint, et regi obtulerint; quod ex eorundem ſententia armati in aulam venerint, et rege ac regina in poteſtatem redactis de novo conſilio penes regem inſtituendo cogitarint, amotis praecipuis regis adminiſtris, et eorum loco novos in ampliſſimum ordinem aſciverint: id patere ex iis VI antea nominatis, quos nuper allegerint, cooptatione adeo ridicula, ut in populi fabulam praeclara illa ſuccenturiatio abierit: alios ad necem deſtinaſſe, alios proſcripſiſſe, aut relegaſſe; in iis Michaelem Hoſpitalium virum gravitate, prudentia, eruditione ac morum ſanctimonia cum paucis comparandum; et ejus ſimileis ſacri conſiſtorii conſiliarios, quod minus aequos ipſorum conſiliis ſe praeberent: ne reginae quidem pepercisse; quam proinde [b] Cenoncellas ad culturam hortorum, ſi eorum conſilia proceſſiſſent, aut ſi Condaeus partes ſuas non interpoſuiſſet, amandare conſtituerint, intentato etiam mortis metu, niſi ipſis morem gereret, et eorum poſtulatis ac libidini aſſenſum praeberet: denique [c] Rupiſurionium regis conſanguineum, qui tenerae ejus aetati propter ſummam prudentiam ac probitatem admotus ſit, procul aula ſummovere decreviſſe, ut alios pueritiae moderatores illi apponant, qui eum ludere, ſaltare, equum ſcienter circumagere, voluptatibus ac luxui indulgere, nulla interim pietatis aut Numinis mentione facta, doceant; literas ſcire, legere, querelas ſuorum audire, negotia tractare, conſiliis intereſſe, rerum agendarum peritiam atque adeo ſuorum notitiam habere prohibeant, et virtutum atque honeſtarum rerum uſum tanquam principi indecorum ac moleſtum interdicant; ut ſcilicet pulchris eorum documentis inſtructus olim homines nulla virtutis aut meritorum ratione charos, ſed ſola gratia acceptos, penes ſe habeat, et in bonos optimeque de ſe meritos ſordide parcus ac tenax, eorum labores defraudet, ac paucorum ingluviem ſatiet; nulla interea reipublicae cura, nulla plebis charitate tangatur; judicialia munia proſtent, eaque ab imperitis et avaris hominibus turpiſſima nundinatione comparentur; familia denique regia omnibus vanitatis exoletae ſpectaculis exundet, ſitque profligatiſſimorum hominum receptaculum. Tum ad rem aggreditur; et eorum merita non

INTERPR. [a] *le duc de Guiſe, le connêtable de Montmorency, & le mareſchal de St. André.* [b] *Chenonceaux.* [c] *le prince de la Roche ſur Yon, frere du duc de Montpenſier.*

CIↃIↃLXII. Carolus IX.

non tam refellit, quam inſatiabilem avaritiam exagitat, qui per fas ac nefas patrimonium a majoribus acceptum tanta acceſſione locupletaverint, neque a benignitate regis exantlatorum laborum mercedem ac praemium expectaverint: et quia Januarii edictum ſecum regni inevitabilem ruinam trahere adverſarii dicebant, id praeteritorum exemplo itidem refellit: nam ante Guiſii et Momorantii magiſtri equitum in urbem adventum, ſub Rupiſurionio et [a] Momorantio filio, cum coetus publice haberentur, pacata fuiſſe omnia; et ſeire omneis, in comitiis nobilitatis et plebis delegatos [b] Aureliani primum, dein ad [c] Fanum Germani, a rege poſtulaſſe, ut Proteſtantibus templa ad conveniendum aſſignarentur: porro abſurdum, immo iniquum eſſe, ut, quod praecipui duo regni Ordines poſtulaverint, id triumvirorum nullam legitimam ad id poteſtatem habentium decreto irritum fiat: cum vero alterius contrarii edicti promulgationem poſtulent, id etiam petere, ut divina et humana jura ſimul confundantur, atque adeo regnum funditus evertatur; quod ita habere, ipſos Guiſianos nuperrimo exemplo expertos eſſe; nam cum in Scotia bellum ob eam cauſam excitaſſent, et, contradicente regina ſorore et [d] Oiſellio, [e] Broſſium et [f] Ambianenſem epiſcopum eo miſiſſent, ſpe fruſtratos ad extremum conditionibus minus honeſtis tranſegiſſe, tota Scotia pontificio nomine, quod exſtirpata Proteſtantium doctrina reſtituere cupiebant, excluſo, et longe ad nos trans mare remiſſo: cum rurſus profeſſionem fidei ab omnibus, qui publico munere funguntur, exigunt, quo exemplo id faciant, amplius ipſos videre oportuiſſe: certe videre omneis, id contra concilia et S. patrum decreta fieri, qui nullam aliam fidei confeſſionem, praeter Nicaeni concilii ſymbolum, unquam exigendam cenſuerunt; niſi dicamus, ea ſpecie tegi Hiſpanicae inquiſitionis terribile nomen, quod omnes nationes adeo exhorreant, et quam veluti decipulam ad vexandos bonos et illaqueandas conſcientias nuper Aureliani pernicioſis conſiliis ſuis ſubſternere moliti ſunt; quod ſi locum habeat, magnum ex eo praejudicium cauſae Proteſtantium fieri; quippe qui ea profeſſione, non expectata concilii ſententia, in quo audiri debent, peractos ſe damnatae opinionis reos agnoſcere cogantur; ſicque miniſtri et alii adeo, qui ita inauditi damnati eſſent, a concilii audientia excluderentur: antequam vero Guiſius et Carolus cardinalis ejus frater ad alios accuſandos admittantur, neceſſe eſſe, ut ipſi ſe purgent, et ejurent confeſſionem Auguſtanam, cui ſe, cum nuper [g] Tabernis eſſent, ſubſcripturos principi illuſtriſſimo receperunt; et cardinalis ea recantet, quae de tranſubſtantiatione, de aſſervatione et circumgeſtatione euchariſtiae, de juſtificatione, ſanctorum invocatione, de purgatorio et imaginibus contra receptam in eccleſia Romana opinionem coram regina pluries diſſeruit. Quod ad templorum profanationes et imaginum dejectiones attinet, jam ſaepius teſtatum ſe dicit, quanto id ſuo cum dolore acciderit, idque ex eo manifeſtum eſſe, quod quidam ob id comprehenſi ſuo juſſu capite luerint: ſed nullam interea factam publicam caſtigationem tot innocentium hominum [h] Vaſſiaci, [i] Agendici Senonum, [k] Samarobrigae Ambianorum, ad [l] Abbatis-villam, ad [m] Arriicaſtrum et nuper [n] Andegavi crudeliter interfectorum, qui non muta ſimulachra, ſed ſpirantes Dei effigies erant. Cum vero eos, qui arma ſumpſerint, perduelleis declarari petant, quid aliud ſibi velle aut parare dici poſſe, quam ut bello inextricabili hoc regnum involvatur, praeciſa omni concordiae ratione? Et vero, inquit, hoc caput reſponſo literis conſignato minime indiget; et ſpero, me propediem ad eos venturum et coram diſputaturum, an alienigenae homini et duobus nebulonibus liceat, contra principem regis conſanguineum et majorem nobilitatis

INTERPR. [a] *le mareſchal de Montmorency.* [b] *Orleans* [c] *St. Germain.* [d] *d'Oiſel.* [e] *de la Broſſe.* [f] *Nic. de Pellevé evêque d'Amiens, puis archevêque de Reims & cardinal* [g] *Zabern.* [h] *Vaſſy.* [i] *Sens.* [k] *Amiens.* [l] *Abbeville.* [m] *Caſtelnaudary.* [n] *Angers.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

liratis partem ferre ſententiam. Quia vero Navarri nomen obtendebatur, breviter in memoriam revocat, quam indigne a Guiſianis nuper [a] Aureliani habitus ſit, quantoque periculo ſub impotenti eorum dominatione verſatus fuerit. Tum ſenatum Pariſienſem ſugillat, ad quem triumviri multa libello non comprehenſa remittebant, ex quo pleroſque ipſi beneficiis aut metu ſpeve obnoxios habeant. Tum eaſdem conditiones repetit; et poſtremo hoc unum flagitare dicit, ut rex priſtinae libertati reſtituatur, qua ante VI menſeis fruebatur; reginae libera regni adminiſtratio cum Navarro, ſicuti ei a publicis comitiis delata eſt, relinquatur; edicta ſerventur, et populus a violentia et oppreſſione immunis aſſeratur. Hujus ſcripti adeo virulenti auctorem faciunt Jo. [b] Monlucium Valentinum epiſcopum, qui in comitatu regis erat, et conſilia ac reſponſa Condaeo ſuppeditabat. Is et multa de Guiſianorum conſiliis cognoverat; quippe qui cardinalis Lotaringi perfamiliaris intimos ejus ſenſus in religionis negotio rimatus eſſet, et in gratia reginae tunc temporis florebat. Reſponſum ad curiam Pariſienſem miſſum cum literis, quibus eam rogabat, ut illud in ſenatu palam recitari et poſtea in futuros uſus diligenter aſſervari curarent.

XXV. ETIAM ad Philibertum Emmanuelem Sabaudiae ducem IIII Eid. Maii ſcripſit, et, miſſo ſcriptorum illorum exemplo, ne ſe adverſariorum calumniis praeoccupari ſinat, ſed de re tota ſemoto omni affectu dijudicet, rogat. In eandem ſententiam ad Fridericum Palatinum ſeptemvirum ſcribit XIII Kal. Junii, et exemplum itidem ſcriptorum illorum ad eum mittit; ad quem jam antea IIII Non. Maii miniſtri literas dederant, pro inſito erga Gallicas eccleſias amore enixe rogantes, ut conjuratorum ictus in ſe directos, quantum in ipſo eſſet, averteret; et, ne auxiliares copiae e Germania non ſolum in ſuorum, ſed regis ac regni hoſtium gratiam ſubminiſtrentur, impediret; et partes ſuas apud regem ac reginam, quo libertate edictis conceſſa libere uti poſſent, interponeret. Viciſſim Palatinus VI Kal. Junii Heidelberga ad Condaeum ſcribit, et deplorato miſerabili Galliae ſtatu cum, ad promovendam Dei gloriam ut pergat, et ad illam ſenſus omneis ſuos et cogitationes dirigat, hortatur; ſecundum eam, regis in pupillari aetate conſtituti cauſam et reginae dignitatem commendatam habeat: quod ſi faciat, futurum ſperare, ut citra armorum fragorem et ſanguinis effuſionem religioni proſpici, et quies in regno conſtitui poſſit. De cetero operam ſuam, induſtriam et omnia, quae ab amico principe requiri poſſint, officia ultro defert.

XXVI. EODEM tempore Proteſtantium eccleſiarum ſynodus Aureliani habetur; cui univerſi coetus ſuffragiis delectus praefuit Antonius [c] Chandeus eccleſiae Pariſienſis paſtor, adoleſcens, in quo praeter gentis nobilitatem, oris venuſta facies, eruditio, eloquentia cum ſingulari modeſtia certabant. In eo conventu actum eſt praecipue de diſciplina, quae ab ingeniis levibus licentiae popularis intemperiem invehere molientibus convelli paulatim incipiebat: quod malum inter eos pro tempore compreſſum mox vehementius erupit, et nonnullas ipſorum eccleſias poſtea valde turbavit. Tum quia belli metus ingruebat, communi decreto jejunium [α] publicaeque preces indictae. Inde ad reliquas eccleſias ſcribunt, et, ad avertendam Dei iram, qui propter peccata populi tantarum calamitatum tempeſtatem immittat, ut idem faciant, et omneis ad reſipiſcentiam adducant, hortantur; atque ita apud ſe ſtatuant, erga poenitenteis vereque ex animo confeſſos ac vitae novitatem meditanteis Dei promiſſiones efficaces eſſe, et ad illos omnino pertinere: haec vera debellandorum Dei hoſtium arma eſſe, vitae nimirum emendationem, ac pias preces; quae ſi deſint, tela ac gladios fruſtra expediri, quae Deus in propria torquentium ac ſtringentium latera mox ſit converſurus.

JACOBI

VAR. LECT. [α] publicaſque preces indici placuit. Et inde *D. 1.*

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *de Montluc, evêque de Valence.* [c] *Chandieu.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER TRIGESIMUS.

EPITOME.

UNO et altero edicto Proteſtantes urbe pulſi a Navarro, qui cum exercitu Caſtellodunum uſque progreditur, cum Condaeus frater cum altero haud paulo minore Aureliano exiiſſet. II. Colloquium inter reginam et Condaeum. Hinc literis utrinque fruſtra certatum, quibus exaſperatis animis ad arma poſtremo deventum. III. Proteſtantium militum initio ſumma moderatio ac diſciplina ſtatim per laſciviam ſolvitur. IV. Rurſus Talſiaci in Vindocino agro ad colloquium convenitur. Conditiones a Valentino propoſitae de regno ad tempus deferendo, modo triumviri domum quiſque ſuam concederent, quas initio belli pertaeſus Condaeus non improbaverat, omnino rejectae. V. Inſidiae ad intercipiendas regias huc illuc ſparſas copias irritae. VI. Bogentiacum, quod Guiſius praeſidio firmaverat, a Condaeo captum ac direptum: diverſa parte Bloeſae a Guiſio receptae. VII. Magna intemperie Caeſaroduni Turonum Proteſtantes graſſati. Ob id ſeverum S. C. Lutetiae in eos factum; quo aqua et igni interdicebantur, et jubebantur omnes in urbibus et in agro contra eos armari. VIII. Cum per Cenomanos diſcurſarent, iis ſe ſumma virtute Petrus Ronſardus opponit. IX. Andegavum irrito conatu tentatum. Gaſparis Schombergii tunc literis in urbe operam dantis virtus. X. Rupiſortium a Monpenſerio receptum, ſupplicio de Paludano ſumpto. Exemplum veriti Proteſtantes Cratumnum a ſe occupatum deſerunt. XI. Caeſaroduenſes male a regiis mulctati. Vindinum mox ab iis relictum. Renati Campani notata ſaevitia et piſcaria ejus vivaria. Samarobrigae item, ad Abbatis-villam et Silvanecti Proteſtantes male accepti. XII. Montargirium, quo plerique e Proteſtantibus Renatae Ferrarienſis patrocinio ſe tutos rati confluxerant, a Malicornio tentatum, qui generoſum Renatae reſponſum veritus abſcedit. XIII. Miſſus a Condaeo Ludovicus Lanoius Morvillerius Rotomagum, qui res confuſas ordinaret, et adverſus Aumalium urbem tueretur. XIV. Senatus provinciae, qui Lupariam conceſſerat, horrendum in eos decretum. XV. Eliſabetha Anglorum regina iis auxilia ſubminiſtrat. XVI. Factionibus ſciſſa provincia. Proteſtantes Viriam capiunt ac vaſtant. Jo. Broſſius Stampenſis ex proxima Armorica, qui Bullionii provinciae praeſidis tergiverſationes frangeret, evocatus. Ejus adventu Laudi-fanum deſertum. Cadomi et in Conſtantienſi praefectura a Julio Ravilia Rufo Alfonſi Ferrarienſis vicario male habiti Proteſtantes, et Valoniae renovata contra eos odia. XVII. Rex puer interim in caſtra adducitur; et conſilio habito diviſae copiae, parte Nemoroſio et parte Santandreano attributa. XVIII. Avaricum Biturigum a Mongomerio a Condaeo miſſo occupatum. XIX. Evulgatumque eodem tempore acerbum contra Guiſianos ſcriptum et ſenatui Pariſienſi oblatum, qui regium reſcriptum S. C. confirmavit; quo ii, qui Aureliani arma ſumpſerant, contra regem reginamque ea ſumpſiſſe declarantur, et perduellionis damnantur. XX. Contra Condaeus ad maturanda

maturanda auxilia Gaſp. Schombergium in Germaniam mittit, et ſcripto contra S. C. Pariſienſe innocentiam ſuam tuetur. XXI. *Santandreanus Auguſtoritum Pictonum ducit, quod mox captum et octiduana direptione vaſtatum fuit.* XXII. *Inde verſae contra Avaricum vires, quo Ivoeus a Condaeo miſſus ſe incluſerat; quod poſt ſtrenuam initio defenſionem ab Ivoeo tandem deditur, non ſine Condaei offenſione.* XXIII. *Res ad Engoliſmam a Sanſaco et Huberto Rupiſulcaudio Martrone geſta. Corpus Joannis Comitis ſanctitate praecipui magna impietate ſacello revulſum. Engoliſma dedita et Cognacum.* XXIV. *Rupellani ſe medios gerunt, cum ambigerent plerique, arma contra regem ſumere liceret.* XXV. *Conventus a Rupiſulcaudio comite Mediolani Santonum cogitur, in quo agitata quaeſtione a* LX *paſtoribus decretum, arma reginae ſemel juſſu ſumpta contra regis regnique hoſteis et edictorum violatores legitima eſſe.*

Ex auctoribus,

Ladiſ. Vicino Pop. Joanne Serrano, Theod. Bezae H. E. Actis curiae Pariſienſis, Fr. Lanovii comment.

LIBER TRIGESIMUS.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

JAM paſſim tumebant et armis perſtrepebant omnia, cum triumviri, ſeu Luteriae metuentes ſive ut plebi gratificarentur, Navarro auctores fuere, ut juberet omneis Proteſtanteis urbe excedere. In eam [α] rem a Navarro II edicta VII et VI Kal. Junii promulgantur, clauſula ad eorum ſecuritatem addita, qua cavebatur, ne cuiquam exeunti vis aut injuria fieret, aut in eorum bona manus injicerentur, poena capitis in eos, qui contra facerent, ſancita. Inde cum mutua nunciorum miſſitatione hactenus nihil profectum fuiſſet, coacto circa Lutetiam ingenti exercitu Navarrus cum triumviris [a] Caſtellodunum verſus progreditur, cum IIII peditum et III cataphractorum equitum millibus. Condaeus eodem tempore ex procerum conſilio, ne ſe [b] Aureliano initio concludi ſineret, ad exiſtimationem pertinere dictitantium, cum ſuis exit, hoc eſt VI CIↃ circiter peditum et II CIↃ cataphractorum equitum, et quarto ab urbe lapide caſtra metatur.

II. DUM in eo eſſent, regina Condaeum ad colloquium invitat. Condictus locus ac tempus; et ſecuritati utriuſque [β] partis, numero armatorum quos uterque adduceret praefinito, proſpectum. Henricus [c] Momorantius Danvilla iis, qui cum regina ac Navarro erant, praeerat: [d] Rupiſulcaudius comes Condaeanos ducebat. Regina in equis cum XXXVI circiter equitibus [e] Thurium in Belſiae pago, ita convenerat, ſub initium Junii venit: eodem et venit cum [f] G. Colinio maris praefecto Condaeus. Ibi delectorum turbae, aequali hinc inde ſpatio, IↃ CCC circiter paſſibus, conſidebant: nam, ne propius accederent, cautum fuerat; ne ex verbis ad contumelias, ex contumeliis ad manus deveniretur. Sed cum ſemihoram ſe continuiſſent, poſtremo aegre impetrata a ducibus venia propius acceſſere. Tum praeter ſpem amica inter eos omnia; dum quiſque fratrem, cognatum, amicum ac familiarem ſuum complectitur, et poſt mutuas ſalutationes monent hortanturque,

VAR. LECT. [α] rem mox D. f. o. [β] partis proſpectum: nam de numero armatorum, quos uterque adduceret, conventum eſt. Henricus D. f.

INTERPR. [a] *Châteaudun.* [b] *Orleans.* [c] *de Montmorency, ſieur de Danville.* [d] *de la Rochefoucaud.* [e] *Thoury en Beauce.* [f] *l'amiral de Coligny.*

Digitized by Google

que, ſe reſpiciant, neque exitioſo bello, in quo victi ac victoris aequalis futura ſit conditio, ſe fatali levitate aut obſtinata temeritate implicent. Varie afficiebantur ſpectantium animi, dum Gallos factionibus ſciſſos ac vix divulſos rurſus ſponte coite, et, qui nunc mutuae benevolentiae tot ſigna darent, mox ſigno dato, ſi fors ferat, concurſuros et alterum alteri perniciem allaturos cogitant. Inter hos animorum aeſtus gaudio ac lachrimis miſtos, procul inde remotis arbitris, regina ac Condaeus diu collocuti ſunt. Petebat Condaeus, ut triumviri aula diſcederent, et Januarii edictum ſervaretur. Regina, quod ad primum, ſe prorſus nolle, alterum non poſſe concedere oſtendebat; quippe averſa ſacri Ordinis, pleraeque nobilitatis et univerſae fere plebis per totum regnum voluntate, quae tunc in armis eſſet, et cogi citra quietis publicae perniciem vix poſſet. [α] Quod cum negabat regina, tamen id non ſponte facere videri volebat. Navarrus contra duritiem in eo negotio affectabat, et, quanto faciliorem ſe initio praebuerat, tanto majorem aſperitatem inpraeſentiarum prae ſe ferebat. Ita utrinque poſt duarum horarum ſpatium diſceſſum, exaſperatis paulum fratrum animis. Ubi Condaeus [a] Aurelianum [β] rediit, ad ſocios refert: requé in coetu agitata III Eid. Junii ad reginam dat literas, et re cum ſociis communicata in hanc ſententiam omneis conveniſſe dicit; Non poſſe firmas farciendae concordiae rationes iniri, quamdiu adverſa factio regem et ipſam ſuis armis involveret, tam validis vinculis, ut etiam amborum voluntates ſimul constrictas teneant: itaque demiſſe, quantum poſſit, petere, ne grave ſit, ſi arma ad conjuratorum vim depellendam pro communi libertate ſumpta non deponant, nec pati poſſint, ut illi, [γ] qui Condaeanos nuper perduelleis toto regno pronunciaverint, in controverſa cauſa judices ſedeant; nec vero ferre poſſe, ut ad furentis plebis ab ipſis concitatae libidinem edictum illud legitimo ſolemnique ritu ex ſententia graviſſimorum et prudentiſſimorum virorum conditum violetur, et eo violato vis conſcientiis afferatur: eam ſe ob cauſam arma induiſſe, quae nequaquam exuturi ſint, niſi prius illi aula excedant; quod cum illi facere hucuſque recuſarint, et pervicaci ambitione ſua regnum in periculum adducere, quam de ſuis cupiditatibus aliquid decidere et tranquillitati publicae condonare maluerint, reliquum eſſe, ut ipſe ex neceſſitate conſilium ſibi tutum, regi regnoque ſalutare ſumat; regina vero pro ſua prudentia et auctoritate, quam in hoc regno obtinet, praeſenti diſcrimini occurrat. Scribit et ad Navarrum fratrem biduo poſt; et graviter cum eo expoſtulat, quod deſerta regis, reginae ac regni cauſa, et ſepulta injuriarum a Guiſianis acceptarum memoria, pro ipſis contra proprium ſanguinem, potius quam adverſus ipſos in juſta cauſa bellum ſuſcipiat. Poſtremo de obedientia, quam ipſi debet, et ſemper praeſtiterit, ac porro ſit praeſtiturus, ſuo et ſociorum nomine proteſtatur. Eodem die et ad reginam [δ] per Franciſcum [b] Folium Vigeanum dat literas; quibus, ad [ε] vitandum jam praeſens periculum, atque adeo carnificinam, reginam rogabat, ut auctoritatem ſuam interponeret, et ambitioſorum hominum, qui publicam ſalutem privatis odiis ac cupiditatibus poſthaberent, nefarios conatus anteverteret; nec committeret, ut ei olim exprobretur, [ς] ignavia fatali factum eſſe, ut, dum quatuor aut quinque hominum offenſionem veretur, [ζ] omnium Galliae ordinum odium incurrerit, et praepoſtera prudentia univerſi regni perniciem acceleraverit. Pridie quam eae ſcriptae ſunt, miſſus [c] Stampis a regina triumvirorum inſtigatu

Florimundus

VAR. LECT. [α] Regina quidem quamvis negaret, tamen *D. f.*
[β] venit *D. f. o.*
[γ] qui ſeſe perduelleis nuper declaraverint, in controverſa *D. f. o.*
[δ] per Renatum Faginum Vigeanum *D. f.*
[ε] avertendum *D. f.*
[ς] ignavia ſua factum *D. f.*
[ζ] in omnium *D. f.*

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *François du Fou, ſieur de Vigean.* [c] *Eſtampes.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

Florimundus [a] Robertetus Fraxineus a ſecretis epiſtolis cum mandatis [b] Catharinae et Antonii manu ſubſcriptis; quibus jubebatur Condaeus et ſocii, qui Aureliani erant, ab armis diſcedere, et oppida, arces, urbes occupatas reſtituere; quo facto Guiſius, Momorantius et Santandreanus mox aula diſceſſuri ſint, et domum quiſque ſuam profecturi, ſicut jam ante v Non. Maii ſcripto publicato promiſerint, remanentibus bellicis viribus penes Navarrum; qui, quas velit et expedire cognoverit, ex Condaei copiis retenturus ſit, ad pacandum regnum et omneis ad obedientiam, quae regi debetur, praeſtandam cogendos; fide data, ſi quidem mandatis pareatur, praeteritorum memoria inducta nemini futurum fraudi propter religionem hactenus arma ſumpſiſſe, nec vim porro conſcientiis allatum iri, aut cujuſquam ſive vitam ſive bona ob religionis cauſam periclitatura. Miſſi et [c] [α] Franciſcus Vetuſvilla equitum tribunus et [d] Villarius comes, qui cum Condaeo agerent. Condaeus ad haec, agere ſe gratias regi reginaeque, ait, quod de ſuorum ſalute ac ſecuritate ſolicitos ſe eſſe demonſtrent, eorumque operam regno utilem ac neceſſariam hoc tempore agnoſcant: videri autem his rationibus poſſe caveri, ſi rex reginaque in eam libertatem auctoritatemque reſtituantur, in qua erant, antequam Guiſius in aulam veniret; edictum Januarii nuper conditum ſine exceptione per totum regnum locum habeat, et nonnullis locis, ubi a plebis furore ſeditionis metus eſſet, intra urbes templorum conſtruendorum facultas concedatur, ſicuti a regni comitiis poſtulatum fuit; tota Guiſianorum familia, Momorantius et Santandreanus aula abſtineant, uſque dum rex ad majorem aetatem pervenerit, nullamque interea regiae adminiſtrationis partem attingant; cuncta regii conſiſtorii decreta, poſtquam Guiſius in aulam venit, ut vi extorta et vitio facta, irrita habeantur; Ferrarienſis cardinalis pontificis legatus Guiſianorum affinis et incendiorum in regno excitatorum fomes quamprimum Romam ſe recipiat, pontificique ſignificet, ſi vel [e] Lugdunum aut [f] Avenionem vel [g] Veſontionem indicat liberum concilium, ſicuti nuper a rege poſtulatum fuit, ipſos paratos eſſe, petita a rege venia, eo accedere: nec vero petere, ut ſibi praeteritorum ratione gratia fiat, quippe qui non contra regem, ſed pro rege arma ſumpſerint; ſeque potius honore ac praemio dignos, quam venia egere exiſtiment: quod ut rex, cum ad provectiorem aetatem pervenerit, aliquando intelligere poſſit, poſtulare, ut Condaei et triumvirorum ſcripta ac reſponſa in publicos curiarum ſupremarum commentarios referantur: nec vero neceſſe eſſe, ut ullae bellicae vires teneantur; nam pacem habiturum regnum, ſimul ac triumviri, qui ſoli bellum ac tumultus in Gallia alant, arma depoſuerint: urbes vero, quas praeſidiis ſuis firmaverunt, regium nomen agnoſcere, et porro ſemper agnituras eſſe: in alendis proinde exercitibus labori ac ſumptibus parci debere; nec opus eſſe, ut externa auxilia a triumviris accerſantur; neque enim id ſe probare poſſe; ſed cupere, ut Caeſar, Imperii principes, rex Hiſpaniae, Anglorum ac Scotorum reginae, Sabaudiae dux, reſpublica Veneta et Helvetii rogati interveniant, et ad majorem iſtarum conditionum firmitatem ſatiſdent fidejubeantque. De quibus omnibus Condaeus mox literas ad Palatinum ſeptemvirum dedit xvi Kal. Quintil. quibus eum rogat, ut tam juſtae cauſae patrocinium ſuſcipiat, et, cum ſe occaſio offeret, auctoritate etiam ſua et opibus tueatur. [β] Cum ſcriptis reſponſiſque ultro citroque miſſis exaſperati potius quam mitigati eſſent utrinque animi, tandem ad apertum bellum deventum eſt. Triumviri regis, reginae ac Navarri nomine, regni opibus, populi favore, ſenatus Pariſienſis auctoritate praecipue nitebantur: Condaeus

VAR. LECT. [α] Fr. Deſpeus Vetuſvilla *MS. Samm.* [β] Ita cum *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Robertet, ſieur du Freſne.* [b] *la reine mere, & le roy de Navarre.* [c] *François de Scepeaux, mareſchal de la Vieille-ville.* [d] *de Villars.* [e] *Lyon.* [f] *Avignon.* [g] *Beſançon.*

daeus militaribus copiis et nobilitate praeſtabat; quae ſeu Proteſtantium doctrinae addicta, aut male. in Guiſianos affecta, aut denique clam a regina ſolicitata ad ipſum ſe magno numero ſummaque animorum alacritate [α] aggregaverat. [a] Grammontanus Vaſconicis, [b] Joannes Roanus ex [c] Allobrogibus et [d] Septimania collectis, Andelotus, penes quem praeterea ſummum erat peditatus imperium, Francicis copiis praeerat.

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

III. MAGNA inter eos modeſtia et diſciplina exacta initio ſervabatur: nam paſtoribus per cohortes diſtributis quotidie ſtatis hotis ad preces conveniebant, et mane ac veſpere, cum excubiae diſponebantur, ſolemnes preces concipiebantur. Nulla dejeramenta inter milites, nullae rixae audiebantur: cantibus pſalmorum tantum caſtra perſonabant: oon aleae luſus, aut focariarum uſus erat: tuti mercarores, ruſtici et hoſpites ab omni injuria erant: non miles a ſignis diſcedebat, aut pabulationis vel denique rapinae cauſa longius, ut fit hodie, diſcurrebat: maleficia ſeveriſſime caſtigabantur. Unus poenae exemptus eſt, Gabriel [e] Bullinvillerius Cortenaci regulus, qui ruſtici filiae ſtuprum per vim intulerat, quod multorum indignationem concitavit: verum is poſtea ob alia crimina captus Lutetiae capite luit, inultum Deo non ſinente, quod homines diſſimulaverant. Commune omnium conſilium ac votum erat, ut Lutetia regni caput ante omnia peteretur.

IV. CONDAEUS XII Kal. Quintil. Aureliano exit: [β] et, cum uterque exercitus ad aliquot leucas invicem ſubſtitiſſet, rurſus pacis mentio injicitur; a qua Condaeus minime abhorrebat: pactae in eam rem VI dierum induciae; et Navarrus, ſcriptis ad fratrem ſolito amantioribus literis, ab eo [f] [γ] Bogentiaci ad Ligerim oppidum, quod ſociorum praeſidio tenebatur, ſibi familiaeque petit, fide data, ſi de pacis conditionibus non conveniret, ſe illud ipſis reſtituturum. Eo ſpatio regina in caſtra venit, et Condaeum amantiſſimis literis ad colloquium invitat: cum nunciis utrinque res agitaretur, facta ſpe, ſi Condaeus tuendarum firmandarumque pacis conditionum obſes ad eam veniret, triumviros aula diſceſſuros, et armis depoſitis domum quemque ſuam ſeceſſuros. Ipſe Condaeus a ſociis petit, ut ſibi cum eorum venia ad tantae rei confectionem eo proficiſci liceret; eoque facto cunctis innoteſceret, nihil inexpertum aut intentatum reliquiſſe, ac ne proprio quidem periculo revocatum fuiſſe, quo minus concordiae ſarciendae rationes inirentur. Tum concipitur in haec verba ſociorum poſtulatio: Antequam quicquam agatur, Guiſiani, Momorantius et Santandreanus aula diſcedant; et eo ipſo diſceſſionis momento Condaeum principem oratum volumus, ut ſe vadem obſidemque fidei noſtrae ſiſtat conſignetque in reginae Navarrique manus, pollicentes unanimiter, nos iis, quae mandabuntur, pro regis obſequio, regni utilitate, ſociorumque omnium communi ſalute, ad Dei gloriam et conſcientiarum ſecuritatem paratis animis prompteque obtemperaturos. Delatum ad reginam cum literis ſcriptum; ab eadem mox ſua et Navarri manu regioque praeterea ſigillo obſignatum Condaeo ſociiſque nocte intempeſta remittitur, cum literis, quibus has conditiones ſibi placere ſignificabant. Id fuit ad VII Kal. Quintil. paene exeuntibus induciis, cum magna triumviralibus copiis incommodandi occaſio ſe offerret; nihil tamen propter fidei datae religionem tentatum. Poſtridie triumviri caſtris diſcedunt; quod ubi Condaeo renunciatum eſt, ipſe confeſtim Bogentiacum ad

VAR. LECT. [α] aggregaverat: atque adeo robore et animorum alacritate Proteſtantes potiores erant. Grammontanus D. f. o. [β] et inde cum D. f. [γ] Bogenciaci. D. f. o.

INTERPR. [a] *Antoine d'Aure, dit de Gramont, vicomte d'Aſter.* [b] *Jean de Rohan, ſieur de Frontenay, frere puiſné de Henry I, vicomte de Rohan, prince de Leon en Bretagne.* [c] *Dauphiné.* [d] *Languedoc.* [e] *de Boulainvillier, ſieur de Courtenay.* [f] *Baugency ſur Loire.*

CIƆIƆLXII. ad Navarrum tendit, et inde paucis comitatus [a] Talſiacum per media caſtra facto

CAROLUS IX. itinere feſtinanter deductus a regina perhumane excipitur; impetratque, ut nonnulli ſociorum eodem ad illam ſalutandam venirent, et mutuis de pace ſermonibus intereſſent. Jo. [b] [α] Monlucius colloquiorum pararius, vir vehemens et perſuadendi efficax, dum huc illucque commeat, Condaeo auctor fuerat, quo triumviros aula exturbaret, ut conditionem ſibi honorificam, aemulis invidioſam, reginae proponeret; ſe nimirum paratum regno ipſo cum amicis excedere, modo triumviri domum quiſque ſuam aut in praefecturam ſibi attributam ſecederent: quod a Monlucio fiebat, non tam illorum odio, quam ut reginae gratificaretur, neque tam ut triumviros aula exigeret, quam ut amotis Condaeo pariter et triumviris pacatam ac liberam regni adminiſtrationem ad ipſam transferret. Nec Condaeus, qui ab armis civilibus abhorreret, conſilium abnuebat; et memorem ſe ejus monitorum inter loquendum fore recipit. Interea ſociis ſuſpicio fraudis injecta, ex eo aucta, quod triumviri tantum [c] Caſtellodunum conceſſiſſent; quod non amplius quam v leucarum ſpatio a Talſiaco abeſt; interceptis etiam Guiſii ad cardinalem Lotaringum fratrem literis, quae, quanquam obſcuris verbis, machinationis cujuſdam fidem faciebant; nam iis perſcriptum erat, aliud agi, quam quod ſimulate obtendebatur; et propediem praecipuis ſociorum peſſime eventurum: et alia hujuſmodi. His et aliis indiciis commonefacti ſocii, quamvis ſummopere animi angerentur, tamen ſine cunctatione Talſiacum veniunt, ut adventu ſuo egregiae ſuae voluntatis ſpecimen ederent, et, ſi quid eſſet periculi, id cum Condaeo communiter ſubirent, aut praeſentia ſua diſcuterent. Itaque ad reginam veniunt [d] Colinius maris praefectus, Ant. [e] Croius Porciani princeps, Fr. [f] Rupiſulcaudius comes, Jo. [g] Roanus, Fr. [h] Hangeſtus Jenliſius, [i] Grammontanus, [k] Jo. Parthenaeus Subiſius, [l] Carolus Halvinius Pienna, alii; reginaque ſalutata viciſſim ab ea peramanter accipiuntur: ſingulis vero prenſatis, ipſa in occulto gratias agere pro tam utilibus ac neceſſariis officiis praemio et honore perpetuo dignis, quae regi ſibique adeo calamitoſis temporibus praeſtitiſſent: ea porro hujuſmodi eſſe, ut rex et ipſa ſalutem et incolumitatem illis acceptam ferret: orare, ut in his perſeverarent, et regni paci conſulerent. Ad haec Condaeus, expoſita cauſae aequitate et ſociorum ac ſua erga regem et ipſam egregia voluntate, mirum ſibi videri dicit, tantam adverſariorum rationem haberi; nullam ſui ipſius, qui nullas conditiones aequas huc uſque recuſaverit; et ex ea familia ſit oriundus, cujus illi clientes et ſubditi eſſent. Tum regina, ut altercationes et exprobrationes declinaret, ad Condaei querelam minime accommodato ſermone incipit; et numero vincere eam partem oſtendit, quae auctoritatem Romanae eccleſiae ſequeretur: proinde, ut pax in Gallia conſtituatur, hoc primum caput ceteris de concordia ineunda conditionibus ſubſternendum eſſe, ne alia quam in eccleſia Romana recepta religio per regnum univerſum [β] admittatur. Quibus auditis Condaeus commotior communi nomine reſpondit, non ſuam ipſorumve privatam, ſed publicam in hoc negotio cauſam agi, et, niſi Dei gloriae, regiae incolumitatis patriaeque utilitatis deſertores haberi veliut, in tam duras conditiones conſentire non poſſe: nam conſcientiarum pace, quae edictis conſtituitur, ſublata, quid aliud ſupereſſe, niſi ut rex regnumque hoc florentiſſimum perpetuo et inextricabili bello involvatur? hoc beneficium hujuſmodi eſſe, ut ſine eo vitam minime vitalem

VAR. LECT. [α] Monlucius Valentinus *MS. Samm.* [β] recipiatur *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Talſy.* [b] *de Montluc, evêque de Valence.* [c] *Châteaudun.* [d] *l'amiral de Coligny.* [e] *de Croy, prince de Porceam.* [f] *de la Rochefoucaud.* [g] *de Rohan, ſieur de Frontenay.* [h] *de Hangeſt, ſieur de Genlis.* [i] *Antoine d'Aure,* dit *de Gramont.* [k] *Jean de Parthenay-l'archevêque, ſieur de Soubize.* [l] *Charles de Hallwin, ſieur de Piennes, marquis de Maignelais.*

lem exiſtiment, et parati ſint vel exilio perpetuo publicam quietem ac religionis CIϽIϽLXII.
ſecuritatem redimere : quod ſi diſceſſu ſuo exiſtimet regina utrique fore conſul- CAROLUS IX.
tum, orare, ut potius publicae utilitatis quam ſui ratio habeatur. Ex his poſtremis verbis ſaepius a Condaeo uſurpatis captata occaſione regina, Ego vero, inquit, vos omneis ſemper teque omnium maxime, cognate chariſſime, ſummo in pretio, prout debui, et habui et nunc habeo; praecipuaque veſtri in his turbis apud me ratio fuit : verum, quandoquidem eo res devenere, ut etiam novo malo injucunda remedia adhibenda ſint, veſtra aequanimitate, qui privata incommoda reipublicae ultro condonatis, freta, conditionem accipio, ut propediem regno excedaris; ſic enim confido fore, ut veſtra abſentia Pontificiorum animi mitigentur et placatiores in poſterum erga Proteſtanteis reddantur, atque ita publicae tranquillitati conſulatur. Cum vero in eam rem, quas vellent, ſe cautiones daturam polliceretur, attoniti inopinato ſermone Condaeus ac ſocii ſe mirabundi invicem reſpectare; regina contra ſermonem perſequi, et hoc optimum paci publicae remedium dicere; atque, ut interea ſe in his praecipuam fiduciam ponere, et temporariam abſentiam intelligere teſtaretur, hoc inſuper addere, nonnullos eſſe, qui minorem regis aetatem ad xx uſque annum prorogaturos ſe minitarentur; quorum ſi violentia coercenda eſſet, non dubitare, quin Condaeus ſociique, etiam ſi in externis regionibus abeſſent, continuo ad opem ferendam advolaturi ſint. Ita eo die diſceſſum. Sequenti die Colinius, qui praecipitanter nimis Condaeum fidem ſuam ac ſociorum oppignerаſſe doleret, coetu convocato, rem eſſe hujuſmodi demonſtrat, quae communi omnium conſenſu indigeret. Ibi dictae ſententiae, et uno ore pronunciatum eſt, praecipue [a] Andeloto, et Jac. [b] Bucardo acri et maturo ſimul ingenio viro, enitentibus, ab armis, niſi prius everſa triumvirali poteſtate, et reſtituta edictorum a conjuratis violatorum auctoritate, tuto diſcedi non poſſe, conditione de patria ad tempus deſerenda omnino rejecta; cui nec ſe Condaeus obligare debuerit nec potuerit, utpote priore ſacramento obſtrictus, quo fidem ſuam ſociis addixerit : et ea ſententia tenuit, exploſo caprioſo, ut ipſi aiebant, Monlucii quamvis cauſae Condaei in ſpeciem faventis conſilio. Jam ſummo mane ad Condaeum a regina [c] Fraxineus venerat, cum literis, quibus ſermonis heſterni memoriam repeti et rem confici petebat : verum cum ex frigidiore Condaei reſponſo res mutaſſe intelligeret, quod unum ſupererat, nomine reginae rogavit, ad ſe veniret. Nec abnuit Condaeus, qui honeſte a colloquio diſcedendi et fidei liberandae occaſionem quaereret. Itaque eodem rurſus cum amicis proficiſcitur Condaeus, et pauca cum regina collocutus, cum nec tempus ſuae apud illam morae circumſcriptum eſſe, nec adverſatiorum, qui [d] Caſtelloduni ſubſtitiſſent, conſuetis artibus ſermocinationes iſtas carere, nihilque his promoveri videret, petita a regina venia, in caſtra ſociorum cum omnibus ſuis revertitur, ſubirato milite, quod in manifeſtum periculum ſe etiam ex procerum conſenſu conjeciſſet. Tum [α] paſſim totis caſtris murmura exaudiri; nihil amplius colloquiis opus eſſe; patere jam vel caecis hoſtium conſilia, qui tempus ducere et impetum bene animati militis eludere hac cunctatione tentent; ut peregrinis auxiliis, quae propediem exſpectent, firmiores, eos, quos nunc ut validiores pertimeſcant, aggrediantur; ita rerum praeclare gerendarum occaſionem amitti; ſe extrema quaeque potius, quam iſtas moras malle : tantum in hoſtem ducat : nam eo rem adductam eſſe, ut non ſermonum, ſed armorum ſignorumque collatione eam dirimi oporteat.

V. CUM

VAR. LECT. [α] paſſim caſtra his vocibus perſonare; nihil *D. ſ.*

INTERPR. [a] *François de Coligny, ſieur d'Andelot.* [b] *de Boucard.* [c] *Robertet, ſieur du Freſne.* [d] *Châteaudun.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

V. Cum nihil actum eſſet ſermocinationibus illis, conſilium a Condaeo cum ducibus captum, ne ſine aliquo operae pretio diſcederetur, inimicum exercitum nec opinato aggrediendi, dum Guiſius, Momorantius et Santandreanus abeſſent, et equitum turmae huc illuc ſparſae laxa adhuc hoſpitia haberent, Navarruſque ſolus in exercitu eſſet; quod noctu tentari placuit, ne interdiu a pabulatoribus aut a levi armatura diſcurrente detegerentur. Itaque [a] Firmitatem Aleſii ſub veſperam veniunt, [α] juſſoque milite interulas albas induere, magna diligentia et alacritate in viam ſe dant, eo ordine; Colinius primam aciem ducebat cum IↃ CCC equitibus cataphractis, in obvium equitatum impetum facturus: pone ſequebantur CIↃ CC ſcloppetarii, quibus praeerat Andelotus, in IIII turmas diviſi; quibus datum negotium, ut peditatum inimicum [β] adorirentur: poſt eos incedebant IↃ CCC ſcloppetarii, tormenta occupaturi, cum duobus confertis ſariſſophororum agminibus: ultimam aciem claudebat Condaeus cum CIↃ cataphractis equitibus et cetero peditatu. Verum decepti ab viarum ducibus cum totam noctem deerraſſent, [γ] ſeque albeſcente jam die haud amplius leucam ab hoſpitio progreſſos animadverterent, Momorantius Danvilla, qui in exercitus fronte collocatus excubabat, ſigno tormenti diſploſi ictu dato ceteros duces excitat, qui mox undique ad Navarrum convenere: et ita nocturna illa expeditio et ſpes de intercipiendo in hoſpitio exercitu fruſtra fuit. Inde Condaeus, cum ex adverſo Navarri exercitus in aciem inſtructus uſque ad alteram poſt meridiem horam conſtitiſſet, [b] Lorgeum tendit, quod haud amplius [δ] leuca abeſt. Navarrus vero evocatis Caſtelloduno triumviris rurſus ſequenti die in aciem inſtructo exercitu prodiit. Ita utrinque ſine certamine diſceſſum.

VI. Inde [c] Bogentiacum, quod ſibi ereptum dolebat Condaeus, quodque Guiſius in caſtra reverſus impoſito praeſidio firmaverat, recta ducit. Id ſuffoſſo muro per duo foramina a provincialibus, quos Vaſcones ſequebantur, et mox [d] Jo. Hangeſti Ivoei legione impetu captum et inſolenter direptum eſt, occiſis fere praeſidiariis, et Proteſtantibus ipſis, qui in oppido remanſerant, haud mitius habitis. Ibi ſoluta primum egregia illa diſciplina, de qua diximus; et rapinis ac licentiae initium factum, quae tunc in cunis poſtea per bella civilia adolevit, et in eam magnitudinem ac potentiam [ε] excrevit, ut regnum hoc florentiſſimum lamentabili [ϛ] vaſtatione magno militaris ſcientiae diſpendio ac ducum dolore ſimul ac [ζ] dedecore poſtea depopulata ſit. Diverſa parte triumviri de nocte caſtra ſummo ſilentio movent, et [e] Bloeſas recta ducunt, paulo ante a Proteſtantibus occupatas, arce etiam praeſidio munita. Sed cum locus haud ſatis firmus, nec ſpes auxiliorum eſſet, IIII Non. Quintil. qui arma ferre poterant, urbem deſerunt, et tranſmiſſo ponte in ulteriorem [f] Ligeris ripam [g] Aurelianum explicatis ſignis petunt: continuoque Guiſius Bloeſas intrat, et, quamvis citra certamen urbe potitus eſſet, omnis libertas furenti militi permiſſa eſt; direptae aedes, plerique Proteſtantes, qui remanſerant, interfecti aut in profluentem merſi: nec foeminis parcitum, quarum nonnullae violatae; plures etiam occiſae; inter quas una reperta eſt honeſto loco matrona, quae, cum undarum rabiem evaſiſſet, percuſſorum manus non effugit. Inde [h] Merum, qui pagus eſt II a Bloeſis leucis Proteſtantium conventibus frequens, itum; ac pleriſque interfectis omnia praedis per IX dies continuos vaſtata, [i] Caſſobovio loci paſtore in proximum fluvium merſo. Qua de

re

VAR. LECT. [α] ibique juſſo milite *D. f.*
[β] aggrederentur *D. f. o.*
[γ] albeſcente jam die, cum ſe haud *D. f. o.*
[δ] leuca inde abeſt *D. f.*
[ε] excrevit *deeſt* *D. f. o.*
[ϛ] vaſtatione depopulata ſit, magno *D. f. o.*
[ζ] dedecore, excrevit. Diverſa *D. f. o.*

INTERPR. [a] *la Ferté Alais.* [b] *Lorges.* [c] *Baugency.* [d] *Jean d'Hangeſt, ſieur d'Ivoy, frere puiné de François d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [e] *Blois.* [f] *la Loire.* [g] *Orleans.* [h] *Mer.* [i] *Chaſſebœuf,* dit *Beaupas.*

re Condaeus, per literas apud Navarrum fratrem conqueſtus, nullum aliud reſponſum tulit, quam haec et talia belli neceſſitate excuſari.

VII. Inde [a] Caeſarodunum Turonum ducunt: eo venerat paulo ante feſtas paſchatis [b] Monpenſerius: et, cum urbem idonee firmaſſe ſibi videretur, Proteſtantes aliena ipſius voluntate perſpecta, eam per vim capiunt; nec furori laſcivientium temperari potuit, quin ſtatuae et imagines paſſim in templis profligarentur, reclamantibus optimis quibuſque, qui, quantum ex eo odium contra ſe concitarent, quantoque haec res porro detrimento conſtitura eſſet, jam tum providebant. Miſſus mox eo [c] Rupifulcaudius, qui ſupellectilem omnem templorum pretioſam, quae in illa civitate longe copioſiſſima erat, deſcriberet, et ejus relicto penes eccleſiaſticos inventario manu propria obſignato Aurelianum ſecum aſportaret. Inde capta occaſione perditiſſimus quiſque arma capere, et manu coacta per pagos et oppida infirma diſcurrere, Proteſtantium inſectandorum praetextu paſſim praedas agere, conniventibus praefectis, et latrocinia auctoritate publica impune exerceri. Nam fama de profanationibus templorum per urbes Proteſtantium inſolentia ubique factis ſparſa, adeo ira commoti omnium animi ſunt, ut S. C. in curia Pariſienſi ſtatim factum ſit, quo Proteſtantes aqua et igni interdicebantur; et jubebantur omnes contra eos armari, pulſatiſque ubique tintinnabulis eos infeſtis armis inſectari et impune occidere. Hoc S. C. quod Monpenſerii et Franciſci [d] Regii Chavignii ejus legati juſſu per ſingulas hebdomadas die Dominico a curionibus coram populo recitabatur, veluti claſſico excitati ruſtici licenter ad praedas et caedeis opere ruſtico relicto verſi ſunt, delectis e ſuo numero nulla auctoritate, qui, ut promptiſſimae erant audaciae aut innata feritate ſanguinis avidiores, inſolenti turbae ſe ad omne facinus patrandum duces praebebant. Eorum pars [e] Ligolium venit, quod eſt oppidum ad [f] Indram in [g] Turonibus, et ab illis inibi aliquot homines ſtrangulati, paſtori loci oculis effoſſis et lento igni corpore ejus cremato: pars [h] Cormeriacum, [i] Lochias et [k] Inſulam Bucardi atque [l] Azaeum petunt, et rapinis ac caedibus in ſuſpectos deſaeviunt, quibus plerunque et integri involvebantur.

VIII. Nec in [m] Vindocino agro melius erat; ubi irritata plebs, ob dejectas paſſim inſolenter a Proteſtantibus imagines, et in ipſa urbe comitum ac ducum ſepulchra immani feritate violata, tantum odium conceperat, ut non mitius cum iis, quam cum canibus rabidis, ſibi agendum exiſtimaret. Et vero Proteſtantes tanto furore baechabantur, ut, qui inter eos plus ſapiebant, coacti fuerint ex [n] Cenomania militem ad eos reprimendos evocare. Qua ex re commota nobilitas arma ſumit, duce ſibi delecto Petro [o] Ronſardo, qui curionatum Evalliae tenebat, loci amoenitate aut commoditate captus: neque enim is erat, qui libertatem ſuam atque adeo licentiam poeticam ſacerdotalis muneris neceſſitate tanquam compede ad gravitatem ea functione dignam vellet aſtringere; ſed homo generoſus et a teneris annis inter nobileis pueros Caroli [p] Aureliani ducis, Franciſci I filii, in aula et poſtea militaribus ſtudiis in Anglia et Scotia innutritus, antequam literis ſub Joanne [q] Aurato operam daret, et divinum ingenium ad poeticam appelleret, inter pacatae vitae oblectamenta etiam armorum curam et amorem retinuerat. Is igitur inſolentiam cuncta per templa impune graſſantium non ferens, collecta nobilitatis junioris manu, multos ex iis male mulctavit: dein ingruente ex Cenomanis militum globo

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *le duc de Montpenſier.* [c] *le comte de la Rochefoucaud.* [d] *le Roy, ſieur de Chavigny, lieutenant general ès provinces d'Anjou, Touraine, & le Maine.* [e] *Ligueil.* [f] *Indre r.* [g] *Touraine.* [h] *Cormery.* [i] *Loches.* [k] *L'iſle Bouchard.* [l] *Azay.* [m] *le Vendomois.* [n] *le Marne.* [o] *Ronſard, curé d'Evailles.* [p] *d'Orleans.* [q] *Dorat.*

globo ſe domum recepit. Illi vero per [a] Vindocinum agrum late effuſi [b] Carileſi fanum veniunt, et locum praeſidio firmant. Sed dum infrequentiores excubias agunt, monachi loci hoſpites ſuos exoſi evocatis auxiliaribus ad tintinnabuli pulſationem, qua veſperae tunc preces indici conſueverant, ita Sicularum memoria revocata, dato ſigno vim faciunt et xxx circiter ex iis interficiunt; et gliſcente licentia in propinquo [c] Cuſtanderium, qui domi ſe continebat, captum jugulant, et uxorem ejus lapidibus obrutam in puteum praecipitant. Tulit id indigne Joachimus [d] Vaſſorius Cugnerius nobilitate et opibus illa regione praecipuus: is ergo collecta manu fanum Carileſi duxit, et dilapſis auxiliaribus in monachos et ſacerdotes, qui ſe illo receperant, ultimam odiorum ſeveritatem exercuit. Nam occiſis pleriſque ex iis, duo facti duces in ipſo templo, in quo veſperarum ſignum ediderant, laqueo ſuſpenſi ſunt.

IX. [e] Andegavi cum Non. April. Proteſtantes abſque ulla fere violentia urbe potiti eſſent, res adminiſtrante [f] Mebretinio, ſe initio moderate geſſere. Tota urbs in duas partes diviſa eſt; quarum ſuperior civitas vulgo appellatur, in qua majus templum et epiſcopi aedes ſitae ſunt: earum cuſtodiae, a quibus metus erat, [g] Cavanio committitur. Mebretinius vero mane publico conventu habito coram decurionibus adventus rationem exponit, et, quicquid factum erat, Condaei juſſu, cujus imperium ea de re habeat, factum dicit, ut videlicet contra edictorum violatores auctoritas regis et libertas conſcientiis ab eo permiſſa inviolata ſervetur. Tum publico decreto delectus Jo. [h] Duretus Barbeus ex Andina nobilitate vir primarius, qui urbi ſummo cum imperio praeeſſet; cui [i] Petrus Petreius Pleſſiacus adjunctus. Mox Anſelmus [k] Subſellius, de quo jam ſupra toties diximus, [l] Aureliano a Condaeo miſſus, ut promiſſa auxilia maturaret. Ab eo perſcriptae leges, juxta quas Catholici et Proteſtantes pacate in ſpeciem, non tamen citra occultas ſuſpiciones, vixere uſque ad xi Kal. Maii, quo juvenis quidam, adducta ſecum militum manu, in ſpeciem ut Condaei nomine collationem pecuniarum ab oppidanis exigeret, in templum irrumpit, et quibuſdam locis imagines profligat. Ea re invitata nobilitas cum Renato [m] Faucilio arcis praefecto agit, et tempus opportunum nacta, quo praecipui ex iis, qui aut arma ferre aut aliis praeeſſe poſſent, Aurelianum iverant, iii Non. Maii nocte obſcura introducto Joanne [n] Leomontio Pigallario a Monpenſerio ſummiſſo vim in urbem facit. Reſtitere initio Proteſtantes, et, duce Gaſpare [o] Schombergio nobili Germano juvene ſtrenuo, qui ſtudiorum cauſa in urbe erat, repulſa initio eruptio: ſed cum, parte vaſtae urbis occupata, paulatim a tergo circumveniretur Schombergius, a ſuis deſertus retroceſſit. Is poſtea regiis auſpiciis magna cum fidei ac fortitudinis laude militavit; et patria relicta fixiſque apud nos laribus ab eo tempore magnis expeditionibus ac negotiis ſemper interfuit, ac per multos annos praecipuum dignitatis locum in [α] aula ad ultimum uſque diem obtinuit. In eo tumultu occiſus Carolus [p] Albiacus urbis paſtor, dum fugiens ſaltu moenia ſuperare nequiequam tentat. Potitus urbe Pigallarius Proteſtantibus conveniendi extra urbem initio copiam facit; dein eos omnino eliminat, recenti adhuc direptionis templorum apud plebem ſenſu. Tum rapinis et [β] violentiae factum initium: licenter multa in multos perpetrata; direptae coactoris regii aedes, et regia pecunia dilapidata, non ſine Pigallarii infamia, qui ipſe praedae participaſſe creditus eſt: foeminae etiam crudeliter habitae; occiſae aliquot;

VAR. LECT. [α] aula, ob ſummam prudentiam et egregiam erga novam patriam charitatem, apud regem obtinet In *MS. Samm.* [β] violentiae porta aperta: licenter · D. f. o d.

INTERPR. [a] *le Vendomois.* [b] *St. Calais.* [c] *le ſieur de Couſtandiere.* [d] *le Vaſſeur Coignée.* [e] *Angers.* [f] *le ſieur de Mebretin.* [g] *le ſieur de Chavagnes.* [h] *Duret, ſieur de la Barbée.* [i] *Pierre de la Pierre, ſieur du Pleſſis Baudouin.* [k] *le ſieur de Soubſelles.* [l] *Orleans.* [m] *le ſieur de la Faucille.* [n] *de Leomont de Puygaillard.* [o] *de Schomberg.* [p] *d'Albiac, dit du Pleſſis, miniſtre.*

aliquot; ceterarum pudori vis illata; in iiſque ſorores duae ſtupratae coram parente, quem milites ad puteum alligaverant, ut invitus injuriae ſuae ſpectator eſſet. Vicinis locis in nobileis et alios eadem licentia ſaevitum eſt. Tum XL et amplius vario ſuppliciorum genere extincti.

X. HAUD longe ab urbe [a] Rupifortium abeſt, [b] Tremolliorum arx, ſaxo undique ſere praerupto, quod e media planitie aſſurgit, impoſita; [α] quod Hercules [c] Santanianus Paludanus homo pugnax, qui antea [d] Scios-pontes occupaverat, exiguo praeſidio tenebat. Is cum XXV militibus diu [e] Monpenſerii impetum ſuſtinuerat, occiſis amplius CC; tandem, cum pulvere tormentario deſtitueretur, milite deditionem ſe facturum ipſo invito minitante et poſticum aperiente, in turrem confugit, ac poſtremo coactus a [f] Pigallario ſpe veniae facta IIII Non. Quintil. ſe dedidit: nihilominus [g] Andegavum quaſi in triumphum deductus Monpenſerii juſſu, [h] Villanovano inſtigante homine ipſi inimico, cruribus et brachiis fractis rotae imponitur, ibique vivus relinquitur, uſque [β] dum cruciatibus et fame exanimaretur. Sed mox milites illi, qui ducem ſuum hoſti prodiderant, ab hoſte ipſo perfidiae pretium tulerunt, aut laqueo ſuſpenſi aut occiſi. In [i] Andibus [γ] et [k] Cratumnum eſt, a quo Cratumnenſis regio; Tremolliorum item oppidum, quod a [l] Quercetano Lallerio occupatum fuerat, homine, qui, cum ad ſcelera tegenda turbas quaereret, Condaeo operam ſuam addixerat, et alioqui in ea regione plurimum poterat, rex Cratumnenſis joculari dicterio ob id appellatus. Is dum abeſſet, Aurelianum ad Condaeum profectus, Renatus [m] Deſpeus Hundebertus loci praeſectus cum pedites equiteſque aliquot in oppidum introduxiſſet, immane quantum in omnem licentiam effuſi illi in cunctos promiſcue graſſati ſunt, eo uſque amentiae provecti, ut loculum ſeu urnam in Nicolai fano defoſſam, in qua Annae [n] Lavallae Tremolliorum aviae oſſa recondita fuerant, rati theſaurum ſubeſſe, eruerint, et ſpe falſi impune laniata per publicam plateam ſparſerint; nulla tanti ſceleris publica ultione, niſi quod oſſa a magiſtratu poſtea collecta in eodem fano repoſita ſunt. Dum vero Quercetanus cum ſuis Aureliano redit, in obvios impetu facto quoſdam cepit, a quibus promiſſis captus Condaei partes deſeruit, et domum ad tempus ſeceſſit, donec a Joanne [o] Surchio Malicornio rogatus ſigniferi alae ipſius equitum curam ſuſcepit. Inde, cum ne Proteſtantes quidem ipſi in eo oppido, in quo nulla divini cultus, nulla juris aut pudoris ratio haberetur, ſe ſatis tutos exiſtimarent, paulatim dilabi omnes et in proxima loca concedere coeperunt. Tandem Pigallarius, qui jam [p] Guntheri caſtrum venerat, ne quam ſuſpicionem oppidanis injiceret, vacuum Cratumnum V Kal. Oct. ingreſſus eſt: in quo vindicandorum flagitiorum ab aliis patratorum ſpecie multa crudeliter, multa violenter, multa avare in innocentes pleroſque [δ] admiſit, relicto in eo Claudio [q] Tremollio, nigri monaſterii regulo, Ludovici Tremollii fratre.

XI. INTEREA triumviralis exercitus, ineunte Quintili, [r] Caeſarodunum uſque progreſſus, miſſo feciali urbem dedi poſtulat. Qui in ea erant, confectis III peditum cohortibus et II equitum vexillis, cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, diſcedunt, et cum ſociis eodem tempore [s] Chinone et Eraldi-caſtro ad [f] Vigennam oppidis ſe conjungunt: inde cum CIↃ ſimul armatos [ε] collegiſſent, [t] Pictavium verſus iter habuere. Verum a [u] Villario comite oppreſſi, cum majorem

VAR. LECT. [α] quod quidam Paludanus nomine, homo *D.* f. o. [β] dum ex vulneribus et fame *D.* f. [γ] itidem Cratumnum *D.* f. o. [δ] commiſit *D.* f. o. [ε] efficerent *D.* f.

INTERPR. [a] *Rochefort.* [b] *de la Tremoille.* [c] *de St. Aignan des Mareſts.* [d] *Pont-de-Cé.* [e] *le duc de Montpenſier.* [f] *de Puy-gaillard.* [g] *Angers.* [h] *de Villeneuve.* [i] *Anjou.* [k] *Craon.* [l] *du Cheſne Lallier.* Beze l'appelle *de la Cheſnaye.* [m] *René Deſpeaux, ſieur de Gaubert.* [n] *de Laval.* [o] *de Chourſes, ſieur de Malicorne.* [p] *Château-Gonthier.* [q] *de la Tremoille, ſieur de Noirmouſtier.* [r] *Tours.* [s] *Chinon, & Chatelleraut* [f] *la Vienne r.* [t] *Poictiers.* [u] *Honorat de Savoye, comte (puis marquis) de Villars.*

CIƆIƆLXII. rem partem oppidani eſſent, pluſque animis quam rei militaris peritia valerent,
CAROLUS IX. ducibus animum deſpondentibus, pars demerſi, pars dediti exarmatique ſunt. Joannes [a] Turtius Tornacenſis eorum paſtor, qui colloquio [b] Poſſiaceno interfuerat, ſeptuagenario major, captus et in [c] Clanium praecipitatus eſt. Qui primi ſe dediderunt, Caeſarodunum repetere juſſi ſunt, et ad [d] Portum Pilarum uſque ab equitibus aliquot deducti; ubi tranſmiſſa [e] Creuſa, quia nulla arma haberent, partim a ruſticis interfecti, partim huc illuc dilapſi ſunt; corpore expeditiores circiter cc ad ſuburbium uſque urbis pervenerunt, ubi a plebe furente et ad tintinnabulorum pulſum confluente undique circumventi in templum B. Mariae incluſi ſunt; unde quidam ope amicorum noctu elapſi, ceteri mane cxx circiter immani laniena caeſi et in vicinum [f] Ligerim demerſi ſunt. A fugitivis facto initio, ad eos, qui in urbe remanſerant, poſtremo deventum eſt, incendente praecipue eos Antonio [α] Pleſſio [g] Richelio olim monacho, et tunc excucullato peditum ductore. Nam plerique ex iis interfecti et in profluentem tracti; foeminae etiam, quae ad ſacra antiqua redire recuſabant, aut injurioſe eo pertractae aut, cum recuſarent, [β] occiſae: infantes item iterum ſacro lavacro abluti, quaſi Sectariorum lavacrum non eſſet lavacrum. Ad ultimum, ne quid intentatum plebeia rabies relinqueret, Joannem [h] Burgeolium [i] Turonum praeſidem jam ſenio gravem, vita ceteroqui tota innocentem, neque palam Proteſtantium doctrinam profeſſum, tamen ſuſpectum, quod ad eorum partes propendere viſus eſſet, [γ] cum a Carolo [k] Cabotio Clarovallio Chavignii legato incolumitatem magno pretio redemiſſet, et extra portas emiſſus ſe diſſimulata perſona proriperet, a ſubornatis agnitus fuſtium ac dolonum ictibus immaniter contuſus, ad extremum exutus et ad Ligeris ripam deductus pedibus ſurſum ſublatis et capite deorſum in aquam pendente ſuffigitur, ita ut pectore tenus aqua extaret: tum ſpirantis adhuc ventrem aperiunt, avulſiſque viſceribus et in profluentem projectis cor exanimato extrahunt, et conto affixum per urbem contumelioſis vocibus ad immanitatem additis circumgeſtant, quantumvis Chavignius reniteretur, et Monpenſerius erectis paſſim patibulis plebem ab intemperie revocaret. [l] Burgolii item male habiti Proteſtantes, quod eſt coenobium in [m] Andium et Turonum confinibus loco amoeniſſimo ſitum: cujus rei non caruit invidia [1] Chriſtophorus [n] Piſſeleus coenobii antiſtes. Ad [o] fanum item Chriſtophori, quod eſt Buellii [p] Sancerrae comitis, [q] Longavilla loci paſtor homo jam aetate decrepita occiſus eſt. Qui [r] Cenomanorum civitatem tenebant, audita [s] Caeſarodunenſium clade, graviter caſum tulere, dolore tandem in metum verſo; quippe [δ] qui ſibi conſcii erant multa contra regiorum edictorum auctoritatem atque adeo libelli fidem regi per [ſ] Mortarium oblati feciſſe. Nam poſt altaria ac ſtatuas confractas etiam in ſepulchra ſaevitum eſt, abdita quaeque rimante militum avaritia: nec Petri quidem [t] Lucemburgici cardinalis [ε] olim urbis epiſcopi manibus parcitum eſt, cujus loculum immani impietate refoderunt, rati gemmas in eo reconditas: quod in cauſa fuiſſe putatur, cur Sebaſtianus Lucemburgicus Martigius Petri gentilis in [u] Cenomanos adeo ſevere in [v] [ς] Viriae expugnatione

VAR. LECT. [α] Pleſſiaco *D. f. o. d.* [β] crudeliter occiſae *D. f.* [γ] cum et a Clarovallio *D. f. o.* [δ] qui *deeſt* *D. f. o.* [ε] olim urbis epiſcopi *deſunt* *D. f. o.* [ς] Viri *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Jean de Tournay*, dit *de la Tour.* [b] *de Poiſſy* [c] *le Clain* [d] *port de Pilet.* [e] *la Creuſe.* [f] *la Loire.* [g] *Antoine du Pleſſis Richelieu*, dit *le Moine, grand-oncle du cardinal de Richelieu.* [h] *le preſident Bourgeau* [i] *Tours.* [k] *de Chabot, ſieur de Clairvaux, commandant en la ville au lieu de Chavigny* [l] *Bourgueil en Vallée* [m] *Anjou & Touraine.* [n] *Charles de Piſſeleu, abbé de Bourgueil, eveque de Condom.* [o] *St Chriſtofle.* [p] *de Bueil, comte de Sancerre.* [q] *de Longueville.* [r] *le Mans.* [s] *ceux de Tours.* [ſ] *le ſieur du Mortier, conſeiller du conſeil privé.* [t] *de Luxembourg, ſieur de Martigues.* [u] *les Manceaux.* [v] *Vire.*

NOT. [1] Dele *Chriſtophorus*: Lege *Carolus*. C. Vide Bez. H. E. l. 7, Vol. 2, p. 600. Hiſt. Geneal. de la Maiſon de France, par le P. Anſelme, p. 1481.

pugnatione vindicaverit. Ii igitur jam tum juſtas poenas veriti, cum licentiam in dies creſcere dolerent, nec quenquam dignitate praecellentem haberent, qui militem laſcivientem et per agros paſſim in templa deſaevientem compeſceret, tandem urbem deſerunt IIII Eid. Quintil. ſub veſperam: non ſine tumultu exiere IↃ CCC circiter armati; quos vix [a] Mota Tibergeus delectus inter factionibus ſectos homines ductor Alenconium incolumeis perduxit. [α] Pars ad [b] Mongomerium et Bullionium ducem [β] ſe applicuere; pars Dieppam confugere, et inde in Angliam tranſmiſere. Reliqui duo jam ante ſuſpecti ductores urbe deſerta epiſcopo operam ſuam addicunt. Hic IↃ ad urbis cuſtodiam adhibet, qui nullo non licentiae, crudelitatis et praedarum genere, non ſolum in urbe ſed et per agrum vicinum, longe lateque graſſati ſunt. Subornati etiam homines, qui eorum nomina, qui imaginum dejectionibus et templorum profanationibus interfuere, ad judices deferebant; in quos ſeveriſſime animadvertebatur, [γ] id ſatagente epiſcopo, qui et ipſe in armis eſſet, et plerunque lituo paſtorali poſito loricam induebat: nec melius ſacro Ordini fuit, cujus pars tanquam ob religionem ſuſpecta male mulctabatur. Omnes vero aeque in ſacri belli ſumptus, hoc eſt in profuſas epiſcopi et emiſſariorum impenſas, ſtipem conferre cogebantur. Ad haec donaria fere omnia, quae reliqua Proteſtantium rabies fecerat, aliorum avaritia aut rapuit aut conflavit. Erant in majore urbis templo XII apoſtolorum imagines argenteae ingentis ponderis, ad haec gemmis pretioſis ornatae, quas epiſcopus ad majorem ſecuritatem, cum primum urbe diſceſſit, ſecum in arcem ſuam [c] Tuvoliam avexerat; verum ea poſtea capta captae et amiſſae ſunt, non occulto populi murmure, id conſilio epiſcopi factum, ut eo colore gazam omnem, quae fidei ſuae commiſſa fuerat, propriam praedam faceret. Cumque haud multo poſt ad concilium magnifico apparatu proficiſceretur, dicterium per provinciam evulgatum eſt, epiſcopum non poſſe non Spiritum Sanctum penes ſe habere, qui XII Apoſtolos ſecum Tridentum aſportaret. Inter eos, a quibus toto illo tempore Proteſtantes maxime infeſtati ſunt, recenſetur [d] Renatus Campanus, nobilitate et opibus an dicacitate et ſervili vafritie inſignior, incertum; qui, cum ob naturalem utriuſque coxendicis luxationem ex eaque claudicationem armis ferendis impar eſſet, ceteros, qui arma tractabant, immanitate ſuperabat, quam affectata in ſermonibus ſcurrilitate elevabat. Is [e] Piſcarii, id erat nomen pulcherrimo praetorio, in quo habitabat, quoſcunque vel minima ſuſpicione aut ex alia cauſa ſibi inviſos per dolum aut vim nanciſci poterat, in profundiſſimum vivarium, quod [f] majus ſuum poculum per jocum appellitabat, praecipitabat; eoque mortis genere amplius L perdidiſſe dicitur. Cum vero rex adhuc juvenis triennio fere poſt ſancitam utrinque patratorum oblivionem Piſcarium veniſſet, et hominem interrogaret, [δ] quot Proteſtanteis his ultimis bellis majore poculo ſuo ad bibendum invitaſſet, hoc eſt vaſtiſſimo illo barathro ad lucios ſaginandos [ε] merſiſſet, ille per jocum reſpondit, rerum nihili ac nullius valoris ſe repertorium conficere ſus deque habuiſſe. Alter et recenſetur [g] Boiordanus nomine, in cujus ſtagnis plus L item hominum crudeliter occiſorum cadavera reperta ſunt. [ζ] Diverſa parte [h] Samarobrigae Ambianorum III Eid. Maii interdicta Proteſtantibus conveniendi libertate, juſſu magiſtratus conquiſiti omnes prohibitae lectionis libri et Biblia vernacula publice combuſta ſunt, unaque

VAR. LECT. [α] pars inde Mongomerium *D.* f. [β] ſe applicuere *deſunt* D. f. [γ] *Deſunt* 14 *lineae, uſque ad* Inter eos *D.* f. o. d. [δ] quot homines his *D.* f. [ε] immerſiſſet *D.* f. o. [ζ] Samarobrigae vero *D.* f. o.

INTERPR. [a] *la Mote-Tibergeau.* [b] *le comte de Mongomery, & le duc de Bouillon.* [c] *Tuvoy* [d] *René de Champagne.* [e] *Peſcheſeuil.* [f] *ſon grand godet.* [g] *Boisjourdan.* [h] *Amiens.*

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

unaque paſtoris cathedra: quidam etiam in tumultu ſed exiguo numero occiſi ſunt. Verum ad [a] Abbatis-villam majoris molis motus excitatus eſt. Nam cum Robertus [b] Sandeliſius Altocurius arcis praefectus in urbem veniſſet, et cum decurionibus de componendorum tumultuum ratione ageret, eoſque ſubinde, quod conniventia ſua paucorum perditorum licentiam alerent, increparet, excitata ſtatim ſeditione, quaſi Altocurius, qui Proteſtantium doctrinam palam profitebatur, milites in arcem Condaei nomine introduxiſſet, et oppidanis cauſam diſſidii quaerens ſuperbe interminaretur, domum circumſiſtunt, et, militibus qui cum eo erant occiſis, ipſum refractis januis adſecuti, variis ictibus, cum ſe defenderet, confodiunt, ac poſtremo ſpoliatum ac nudum per feneſtras adhuc ſpirantem in viam publicam praecipitant; ubi a pueris per vicos lutoſos injurioſe tractus eſt: quo facto, ad arcem fit impetus, eaque citra certamen expugnata. Franciſcus Sandeliſii filius, cum fugeret, captus ac poſt multa vulnera accepta exutus et quaſi exſpiraſſet in via relictus eſt: inde cum in proximum diverſorium delatus eſſet, cognito a tumultuantibus, ipſum nondum exſpiraſſe, ad diverſorium fit concurſus; ex eoque juvenem eductum in via publica variis ictibus necant. Cum eo erant Franciſcus [c] Cantalupus Seconvilla et Antonius [d] Cancelerius [α] Altocurii cognati, quos fugientes adſecuti [β] illi interfecere. Cum vero quidam Ludovicus [e] Belicardus nomine, quod concionibus in arce interfuiſſet, a Joanne [f] Maceto urbis praetore ad mortem damnatus eſſet, et, reo appellante, a ſenatu mitigata ſententia decretum eſſet, ut taediſet per urbem traduceretur, is tamen in carcere diu poſt injurioſe a Maceto retentus eſt, reſciſſam a ſenatu ſuam ſententiam indignante; et, cum tandem [γ] in [g] S. Valafrani templum duceretur, e carnificis manibus per vim a plebe raptus et laceratus ac poſtremo in vicinum fluvium praecipitatus eſt. [h] Silvanecti item Proteſtantes male habiti, inſtigantibus Claudio [i] Stoco et Gulielmo [k] Bertoldo, pluresque in urbe interfecti; inter [δ] eos [l] Mutius a ſano Eligii, [m] Aldencurius, [n] Ardrenſis et N. [o] a Caſa candida viri nobiles caedis cujuſdam mulieris poſtulati; cum probationes deficerent, convicti, quod Condaeo [p] Aurelianum proficiſcenti praeſto fuiſſent, curiae decreto Lutetiae ſecuri percuſſi ſunt; eorumque capita Silvanectum relata, ut ad urbis portas affixa proſtarent. Multi alii praeterea ob eandem cauſam extremo ſupplicio affecti; foeminae etiam male mulctatae.

XII. ITA Proteſtantes odio ob profanata templa diſſeminato cum ubique a plebe infeſtarentur, qui in [ε] [q] Vaſtinenſi agro arma ferre non poterant, [r] Montargirium, quod eſt [s] Renatae Ferrarienſis Ludovici XII filiae oppidum, tanquam locum ab omni injuria ſecurum, magno numero confluxerunt. [ζ] Sub id nihilominus eo miſſus eſt a Guiſio Renatae genero Joannes [t] Surchius Malicornius, cum IIII equitum turmis, ſpecie ſocrus tutandae, re vera, ut oppidum et arcem in poteſtatem redigeret. Venienti oppidani portas aperuere; ſtatimque plebs ejus adventu audacior ſaevire coepit, ſed mox unius hominis morte ſatiato furore compreſſa eſt. Accepto oppido reſtabat, ut arx in ejus manus veniret, in quam ſe domibus pulſi receperant: id vero recuſantibus praeſidiariis, et contra, ni parerent, vim et tormenta ſe admoturum minitante Malicornio, Ferrarienſis ingenteis ac vere regios ſpiritus gerens Malicornium monet, videret, quid ſuſciperet; nam

VAR. LECT. [α] et Altacurii *D. f.* Altacurii *D. o.* [β] illi crudeliter interfecere *D. f.* [γ] in Valafrani *D. f.* [δ] eos vero *D. f.* [ε] in Vaſtinenſi agro *deſunt* *D. f. o d.* [ζ] Sed ſub id tempus eo miſſus *D. f.*

INTERPR. [a] *Abbeville.* [b] *de St Delis, ſieur de Haucourt* [c] *de Canteleu, ſieur de Seconville.* [d] *de Canceleri.* [e] *Beliard.* Beze l'appelle *Beliat.* [f] *Macquet, lieutenant en la Seneſchauſſée de Ponthieu.* [g] *S. Valfran.* [h] *Senlis.* [i] *Stoq.* Beze l'appelle *Streg.* [k] *Bertaud.* [l] *Moucy de S. Eloy.* [m] *de Hondencour.* [n] *d'Ardres.* [o] *de la Maiſon-blanche.* [p] *Orleans.* [q] *le Gaſtinois.* [r] *Montargis* [s] *Renée de France, ducheſſe de Ferrare.* [t] *de Chourſes, ſieur de Malicorne.*

nam neminem toto regno eſſe, qui in ſe, praeterquam rex, imperium haberet: quod ſi tormentis arcem quatere inſtitueret, ipſam ſe ante alios ad ruinam expoſituram, probaturamque ſuo periculo, an ipſe vel alius quiſquam adeo temerarius reperiri poſſet, qui optimi ac potentiſſimi regis filiam occidere auderet: nec vero deeſſe ſibi cognatos et amicos, qui injuriam ſibi illatam in ſceleris tanti auctores animoſe vindicaturi, poenaſque, non ſolum de ipſis, ſed et eorum liberis, vel etiam in cunis, eſſent ſumpturi. Quibus generoſae foeminae verbis commotus Malicornius, ad haec offenſionem ejus veritus, a vi abſtinuit. Haud longe hinc exacti [a] Jo. Nemoroſii fano Proteſtantes; neque inclementius quidquam in eos actum, niſi quod grande aes profugorum bonis, quamdiu bellum duravit, eſt impoſitum. CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

XIII. INTEREA Condaeus, cum res in [b] Neuſtria paulatim labare cerneret, [c] Rotomagum ad civium confirmandos animos aliquem uſu armorum et dignitate conſpicuum virum mittendum cenſuit. Is delectus eſt Ludovicus [d] Lanoius Morvillerius, qui cum CCC equitibus per [e] Carnutes itinere facto cum in provinciam veniſſet, et ad [f] Audemari pontem ſubſtitiſſet, [g] Aumalius, ut ejus in urbem ingreſſum impediret, ſtatim cum ſuis ſe medium interpoſuit, et [h] Bouillae anguſtias inſedit; quo animadverſo Morvillerius Aumalio inferior, aſtu uſus, [i] Honflorium conceſſit, [α] quaſi [k] Franciſcopolim petiturus; datis etiam ad [l] Carnutum vicedominum, qui Franciſcopoli erat, in eam rem literis: atque, ut famam magis adjuvaret, etiam aliquot equos navigiis impoſuit, quaſi in ulteriorem ripam trajecturus eſſet. Aumalius igitur, qui vereretur, ne ille collectis Dieppa et Picardia vicina copiis [m] Caletenſem agrum ſui juris faceret, et inde rerum potitus Rotomagum peteret, praevertendum ratus, retro ad [n] Arcuenſem pontem redit, ut illac trajecto [o] Sequana, hoſti, antequam vireis collegiſſet, occurreret, et aut inferiorem aggrederetur aut provincia omnino pelleret. At Morvillerius, qui aſtum proceſſiſſe cerneret, ſtatim equos navigiis impoſitos retrahit, et ſumma celeritate noctu facto itinere Rotomagum contendit; quo poſtridie III Eid. Junii ſummo mane per navigia, quippe ponte abrupto, incolumis pervenit. Ibi prima de licentia militum refraenanda cura fuit, quam ille, ſi non ad antiquam diſciplinam revocavit, at intra modum cohibuit: tum de S. Catharinae arce conſultatum, deſeri illam prius deſtructam, an muniri ac praeſidio firmari placeret; et placuit non deſeri; eamque ſervandam ipſe Morvillerius ſuſcepit, urbis cura [p] Languetotio commiſſa. Petebant Proteſtantes, ut, quomodo ipſi nuper Lutetia, ſic adverſarii ex urbe pellerentur. Verum Morvillerius natura mitis eos exarmare et jurejurando ad pacem ac concordiam tuendam adigere ſatis habuit. Interea [q] Valoniae in Conſtantienſi praefectura, cujus arci [r] Getae loco [s] Cartotius Proteſtantibus infeſtus a [f] Matignono impoſitus fuerat, tumultus excitatus eſt: is cum delectum in municipio illo Matignoni juſſu ageret, itidem III Eid. Junii rixa ex compoſito a Joanne [t][1] Angerio et Roberto [u] Pullo turbidis hominibus excitata, in Proteſtanteis impetus factus eſt, qui ad Stephani [v] Eſnaei aedeis conveniebant. Occiſi [w] Huſvilla et Cocavilla ex nobilitate vicina et aliquot oppidani; ex quibus Joannes [x] Giffardus, cum lapidibus obtutus a ſeditioſis exſpiraſſe crederetur, paulo poſt inter acervos lapidum erecta cervice opem implorans mox ab iiſdem verubus

ac

VAR. LECT. [α] quaſi inde *D. f.*

INTERPR. [a] *St Jean de Nemours.* [b] *Normandie.* [c] *Rouen.* [d] *de Lannoy, ſieur de Morvilliere.* [e] *pays Chartrain.* [f] *Pont-Audemer.* [g] *le duc d'Aumale.* [h] *la Bouille.* [i] *Honfleur.* [k] *Havre de Grace.* [l] *le vidame de Chartres.* [m] *pays de Caux.* [n] *Pont de l'Arche.* [o] *la Seine.* [p] *le ſieur de Languetot.* [q] *Valogne au pays de Coſtentin.* [r] *le ſieur de la Guette.* [s] *le ſieur de Cartot.* [t] *Jacques de Matignon, lieutenant general en baſſe Normandie.* [t] *Auger.* [u] *Poulain.* [v] *l'Eſnay.* [w] *les ſieurs de Houſville, & de Coqueville.* [x] *Guiffard.*

NOT. [1] *Augerio.* Put.

CIƆIƆLXII. ac contis confoſſus eſt; geminata morte vix ſatiato furentis plebis odio. Quo
CAROLUS IX. facto, cum ex vicina nobilitate plerique a Proteſtantibus alieni tanquam ad praedam accurriſſent, [a] Bullionius, qui ſuam auctoritatem [b] Orſonis ponte, [c] Alenconio, [d] Sagio, [e] Argentano, [f] Danfronio, [g] Aurincis, [h] Michaelis fano, [i] [α] Granvilla, [k] Chereburgo antea occupatis a Matignono carpi et imminui merito indignaretur, [l] Coſtum ſuccinctum quaeſitorem eo mittit, ut in tumultuanteis animadverteret, et paſtorem forte captum in libertatem vindicaret: verum et is contumelioſe habitus et ſub cuſtodia retentus eſt. Qua re irritati Bullionius, [m] Sanmarianus Montanus et Agnellus cum IↃ cc, et mox [n] Franciſcus Clericus cum CIↃ IↃ peditibus et [†] cc colubrinis eo advolant; ac diverſa parte Matignonus cum [o] Villarmoſio quandam municipii partem occupant, ex qua cum in Sanmarianos fruſtra impetum feciſſent, tandem conventum, ut arx Bullionio permitteretur, et, ſeditioſis deditis, in eos legibus ageretur. [p] Mutius a Bullionio arci imponitur, libertate conveniendi Proteſtantibus reſtituta, qua uſque ad Septembrem inſequentem uſi ſunt. Bullionius vero [q] Falaeſia, [r] Baiocaſſium civitate, [s] Laudi fano, [ſ] Viria, ut infirmis locis, omnia tormenta deducit, et in arcem [t] Cadomenſem comportari juſſit, deſcripta omni ſacra ſupellectile pretioſa, quam et ipſe ſecum abſportavit. Interea Aumalius Morvillerii aſtu deceptus, ne ſine aliquo operae pretio in [u] Caletos veniſſe videretur, agrum late vaſtat, [v] Harflorium, [w] Montemvillerium, [x] Juliobonam et Franciſcopolim uſque excurrens, aliquot etiam ex nobilitate ſupplicio affectis, dum diverſa parte triremium ope Morvillerius ſupra et infra urbem ex pagis circumjacentibus annonam corraderet, interceptis omnibus navigiis ab [y] Audoeni portu, ut hoſtium conatus moraretur. Navigia ea poſtea confracta et in [z] S. Catharinae arcem ad frangendos tormentorum ictus comportata ſunt. Inde Morvillerius, cognito VIII muraleis machinas cum pulvere ac telis Lutetia ſummiſſas prope eſſe, ut [aa] Arcuenſem-pontem ſecundo flumine inferrentur, eo ducit XVII Kal. Quintil. cum CIↃ cc peditibus, cccc equitibus et III tormentis: quod Aumalium ex Caletis, cum in eo eſſet, ut Dieppam obſideret, revocavit; atque ita irrita expeditio fuit. In urbem mox accepti cc equites ductore [bb] Sanmariano Senarpontii genero: et III Kal. Quintil. Aumalius cum omnibus copiis ad S. Catharinae arcem caſtra ponit, diſpoſitis XIII majoribus tormentis et II colubrinis; quarum diſploſione diſſilientibus lignorum ac lapidum fragmentis [cc] Joannes Croſa et [β] Menilius Morvillerii in Bononienſi praefectura legatus vulnerati ſunt; occiſi [dd] Santanianus, et [ee] Languetotius, in cujus morte obſeſſi magnam jacturam fecere. [γ] Sex horas continuas pugnatum fuit; multique ex Aumalianis occiſi. Triduo poſt inſtaurata verberatio ex colle, qui viae Pariſienſi admodum profundae imminet, in qua ſcloppetarii Aumaliani latebant, a tormentorum ex triremibus trans Sequanam in eos jaculantium ictibus tuti. [δ] Poſtea levibus procliis et excurſionibus pugnatum eſt uſque ad V Eid. Quintil. quo totis viribus ad arcem impetus factus fuit, et, quamvis initio ſtatutis in ſummo muro tribus ſignis, [ε] tandem cum damno Aumaliani eruptione ab obſeſſis facta repulſi [ς] ſunt.

Nocte

VAR. LECT. [α] Gravilla *D.* f. o. d. [β] Meſnilius *D.* f. o. [γ] Ibi ſex *D.* f. o. [δ] inde *D.* f. [ε] tandem tamen cum *D.* f. o. [ς] ſunt: qui mox nocte *D.* f. o. ſunt: qui nocte *D.* d.

INTERPR. [a] *le duc de Bouillon.* [b] *Pont-Orſon.* [c] *Alençon.* [d] *Seez.* [e] *Argentan.* [f] *Donfront.* [g] *Avranches.* [h] *Mont S. Michel.* [i] *Granville.* [k] *Cherbourg.* [l] *le prevoſt la Coſte.* [m] *le ſieur de Ste. Marie du Mont, & le ſieur de Ste. Marie aux Agneaux.* [n] *le capitaine François le Clerc.* [o] *le capitaine Villarmois.* [p] *de Muſſy.* [q] *Falaize.* [r] *Bayeux.* [s] *St. Lo.* [ſ] *Vire.* [t] *de Caen.* [u] *pays de Caux.* [v] *Harfleur.* [w] *Montrvilliers.* [x] *Liſlebonne, & Havre de Grace.* [y] *port S. Ouyn* [z] *fort Ste. Catherine.* [aa] *Pont de l'Arche.* [bb] *Nicolas aux Eſpaules, ſieur du Mont Ste. Marie, qui epouſa Françoiſe IIII, fille de Jean de Monchy, ſieur de Senarpont.* [cc] *le capitaine Jean de Croſes, & Meſnil lieutenant de Morvilliers au gouvernement de Boulogne.* [dd] *de St. Aignan.* [ee] *le ſieur de Languetot.*

NOT. [†] Proculdubio pro cc legendum eſt II. *C.*

Nocte inſequenti confuſo ordine vaſa conclamata, relicto amplo commeatu, ac ſauciatis compluribus militibus, qui ſumma humanitate a Morvillerio habiti ſunt. Ita ſoluta obſidione, poſt gratias Deo actas Rotomagenſes res in urbe ordinant, tintinnabulis conflatis machinas conficiunt, fontium canaleis ab Aumalio inciſos caſtellis repurgatis reſtituunt, pomoeria firmant, militem inutilem dimittunt, vias complanant, annonae proſpiciunt. Sub id tempus is qui [a] Fiſcano praeerat irrito conatu Caudebecum tentat, quo eodem tempore Aumalius de impetu ſcalis admotis noctu faciendo conſilium ceperat, re cum oppidanis aliquot communicata, miſſoque puero a [b] Villabonio cum teſſeris, quibus dies et hora condicebatur. Verum Morvillerius, cum capto puero de conſilio cognoviſſet, non propterea in conſcios inquirendum ratus, puerum non ſolum non punivit, ſed auro donatum ad Villabonium remiſit, atque inſuper contemptim monuit, ut cautioribus miniſtris in poſterum uteretur: qua in re nimiae ac proinde ſuſpectae indulgentiae nomine apud Proteſtanteis inſimulatus eſt, cum jam tum ad reconciliationem cum regina ac triumviris viam munire criminanteis. Aumalius vero ſpe omni de capienda urbe abjecta [c] Brionam petit, lanificio et telarum textrinis nobile municipium: quo direpto, ad [d] Audomari pontem caſtra poſuit; quod, fruſtra ſummiſſo ab urbe auxilio, ſed ſerius adveniente, inter colloquendum interceptum eſt, ac licentioſe direptum, loci paſtore, qui aeger decumbebat, prius effoſſis oculis et auribus truncatis, occiſo, et inde ad patibulum tracto per vicos cadavere. Mox et [e] Honflorium captum, dilapſis [f] Franciſcopolim oppidanis.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

XIV. REGINA interim [g] Rotomagenſeis miſſis literis tentat; mandatque, ut poſitis armis Bullionium admitterent, et pecuniam regiam libere ad ſe tranſmitti paterentur: ſed, rebellione jam adulta, nequaquam obtemperavere. Secundum haec provinciae ſenatus, qui regis mandatu [h] Lupariam tranſlatus fuerat, cum nihil reginae preces valere apud obſtinatos animos cerneret, recenti etiam excurſione irritatus, qua Rotomagenſes praeſidiarii in [i] Caletis pleraque templa, quae ruſtici muniverant, depraedati fuerant, dejectis paſſim ſtatuis et altaribus, S. C. faciunt VII Kal. Sept. admodum ſeverum contra Proteſtanteis: quo non ſolum eos eorumque fautores perduelleis declarant; ſed et bonis, dignitatibus ac nobilitate exuunt, irrogata etiam ipſis liberis ac poſteritati infamia; dato XXI dierum ad poenitentiam ſpatio, quibus elapſis, in eos omnibus impetum facere et vi aperta graſſari mandatur; omni juriſdictione civitatibus, urbibus, oppidis, municipiis, quae ab iis occuparentur, abrogata et interdicta: paſtoribus etiam, ut provincia faceſſant, mandatur: decerniturque, ut magiſtratus, judices, praefecti ac quicunque publica dignitate functi, jurejurando purgare ſe teneantur, non ope, conſilio aliave re ulla ſeditioſos ac rebelleis juviſſe; ac fidei confeſſionem eam, quae a Sorbonica ſchola ſub Franciſco I anno hujus ſaeculi XLIIII praeſcripta eſt, coram epiſcopo aut ejus vicario publice profiteri. Ea re cum edicta regia violari contenderent Proteſtantes, qui in urbe erant, tubicinem mittunt Lupariam; per eumque ſenatui denunciant, appellare ſe ab ipſorum decreto ad regem pupillaris aetatis annos egreſſum; appellationis etiam porrecto exemplo: ſed viciſſim tubicine remiſſo ſenatus decretum ſuum per apparitorem Rotomagenſibus ſignificandum curat, exemplo ejus tradito. Mox ſuſpecti ob religionem Luparia exacti: et viciſſim Auguſtiniani eremitae ac ceteri mendicantes vitam monaſticam profeſſi Rotomago expulſi ſunt; cumque in pauperum alimoniam et militis ſtipendium ſingulis menſibus XV CIↃ aureorum expenderentur, ut ſumptibus ſatisfacerent, omnem

INTERPR. [a] *Feſcamp* [b] *le ſieur de Villebon.* [c] *Brionne.* [d] *Ponteau-de-mer* [e] *Honfleur.* [f] *Havre de Grace.* [g] *ceux de Rouen.* [h] *Louviers.* [i] *pays de Caux*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX. omnem gazam ſacram conflant, ex eaque monetam cudunt. Creſcente dein in dies ſuſpicione, qui Proteſtantium doctrinae addicti non eſſent, urbe faceſſere jubentur; qui a praeſidiariis ac ruſticis ipſis per agros magnam partem ſpoliati ſunt. Tum muniendae urbi cura impenſa, excitato amplo et alto tumulo inter Sequanam et murum, qui ponti imminet, ex quo trans flumen et in arcem uſque ejaculatio commoda erat, deſtructis caſulis atque exciſis arboribus, quae mediam in proximo inſulam interjacebant: ducta etiam foſſa ante arcem, altera in extremo [a] Martinvillano aggere, et interior admodum profunda cum aggere: vetus palatium terra oppletum et Dominicanorum templum, deſtructo [b] portae Caletenſis ſuburbio, obſtructa item ea porta, [c] Hilariana, [d] Boverolia, et ea, quae pontem reſpicit, ac flumentanis omnibus praeter duas, quae terreno pomoerio firmatae ſunt. Ad moenium denique inſtaurationem ſtatuarum et altarium deſtructorum lapides quadrati, quorum penuria in illis locis eſt, etiam ad ludibrium adhibiti. Parte alia Aumalius [e] Audoeni portum, [f] Blanvillam, [g] Clerium et Ozoboſtum muniebat, ut obſeſſorum excurſiones prohiberet; qui tamen XIII Kal. Sept. juxta [h] Spraverium impedimenta fere omnia Aumalii et magnum equitum numerum intercepere. Triduo poſt [i] S. Severi ſuburbium direptum, abductis gregibus et armentis; [k] Caletenſe item, L praeſidiariis equitibus, qui exierant, cum damno in urbem compulſis.

XV. INTEREA cum Angliae regina per [l] Carnutum vicedominum agebatur, ut auxilia ſumminiſtraret; quod permultos male habebat, qui eo uſque juſta ac legitima pro libertate arma rati, ſi cum Anglis conjungerentur, jam injuſta et contra legem ſumpta interpretabantur: et Morvillerius ita ſentiebat, nec non [a] Nic. [m] Rotaldus Gamachius, duo primarii Picardiae proceres: et ille quidem, cum ſciret cum Anglis jam conventum eſſe, et provideret propter neceſſitatem urbes a Proteſtantibus occupatas in id facile conſenſuras, ne Gallici nominis decus et patriae charitatem omnino exuiſſe videretur, opprobrium veritus, urbem relinquere et honeſta captata occaſione ex provincia omnino diſcedere decrevit. Igitur Condaei mandata cauſatus, quibus jubebatur auxiliareis copias ad eum quamprimum adducere, relictis [n] Croſa et [o] Beco Burrio, qui urbi praeeſſent, Dieppam XV Kal. Sept. venit, eo conſilio, ut oppidanos et [p] Roboreum ac Valſeneriam praecipuos duces ab excipiendis Anglis dehortaretur; unde, ſuſpicione contra eos orta, ambo poſt Morvillerii diſceſſum ſub cuſtodia habiti ſunt. Morvillerius vero, cum Dieppenſeis in ſententiam pertrahere non poſſet, [q] Follevillam arcem ſuam in Ambianis conceſſit; ubi ſe quietus toto belli tempore continuit.

XVI. SUB id tempus [r] Gabriel comes Mongomerius, Condaei permiſſu cum [s] Aureliano [ſ] Duceum in [t] Neuſtriae atque Armoricae limite ſitum veniſſet, ut provinciae, ſi quid incideret, ad omneis caſus praeſto eſſet, a [u] Campenſi ordinum ductore interceptis Bullionii literis, ut ipſe aiebat, quibus fides fiebat de ejus conſiliis contra Proteſtanteis initis, inde occaſione captata de arce [v] Cadomenſi, quae ſola in Bullionii poteſtate remanſerat, occupanda cogitare coepit: nec conatus multum ab exitu abſuit, centurionis proditione corruptis praeſidiariis, a quibus Mongomeriani introducti cum jam curtem inferiorem tenerent, arcis praefectus, qui in poſtremum munimentum re deſperata confugerat, miſerandis et artificioſe compoſitis precibus vix exiguam moram a milite deditionem urgente impetravit; cujus

VAR. LECT. [a] Nic. *deeſt* D. f. o.

INTERPR. [a] *Chauſſée de Martinville* [b] *porte Cauchoiſe.* [c] *porte S Hilaire* [d] *porte Bouvreuil.* [e] *port S. Ouyn.* [f] *Blainville.* [g] *Clery, & Oſeloſt.* [h] *l'Eſpervier.* [i] *Fauxbourg S. Sever.* [k] *Fauxbourg de la porte Cauchoiſe.* [l] *le vidame de Chartres.* [m] *Rouault, ſieur de Gamaches.* [n] *de Croſes.* [o] *du Bec de Bourry.* [p] *du Rouvray, & Valſeniere.* [q] *Folleville.* [r] *Gabriel de Lorge, comte de Mongomery.* [s] *Orleans.* [ſ] *Ducey.* [t] *Normandie, & Bretagne.* [u] *le capitaine des Champs.* [v] *Chateau de Caen.*

cujus ſpatio et praeſidiarii poenitentia ducti ſeu pudore victi reſipuere, et Bullionius, qui [a] Chereburgum cum omnibus copiis duxerat, ut Matignonum non jam contra Proteſtanteis ſed contra ſe bellum gerentem vi in ordinem cogeret, ſtatim advolavit, et Mongomerii conatum irritum reddidit. [α] Inde quaſi in treis factiones tota provinciae nobilitas ſciſſa eſt; nam pars eorum, qui Proteſtantibus favebant, ſed regis obſequium omnino deſerere nolebant, ſe ad Bullionium Proteſtantibus haud ita iniquum applicuerunt; major pars Mongomerium ſequebatur; tertia et contraria omnino factio Matignonum pro duce habebat, cui ſe [b] Haiae regulus, [c] Puteanus, [d] Grimovilla Larcantius, [e] Britonerius, alii adjunxerant: cum eo erat et [f] Franciſcus Lotaringus Hieroſolymitanus eques Guiſii frater; qui nuptiarum ſpe cum Maria Borbonia, Joannis Borbonii primum, dein Franc. [g] Clivii Nivernii uxore, ac tunc vidua, contrahendarum [h] Bricquebecum [i] Tuttavillae familiae oppidum venerat. Ii Matignono auctores fuere, ut Joannem [k] Broſſium Stampenſem Armoricae vicinae praeſidem in provinciam introduceret, ut Bullionii medium ſe in eo negotio gerentis, cui ſolus viribus impar erat, conſilia diſturbaret, et Proteſtantium in dies Bullionii ſeu cunctatione ſeu diſſimulatione vireis ſumentium robur infringeret. In Mongomerii comitatu erant [l] [β] Tibergeus, cum LXX equitibus, qui [m] Cenomanorum civitate relicta initio operam ſuam Bullionio addixerat, [n] Avanius et Campenſis Cenomani cum XXC equitibus, [o] Columbarius, Rommereus, Pupelerius, Breſſeus, Jecovilla, Foreſtus, alii: [p] Hermeſius a [q] Villarmoſin in itinere, cum ad [r] Laudi fanum tenderet, interceptus, brachiis et cruribus crudeliter truncatus eſt; ceteri, alius poſt alium eodem fere tempore ad Laudi fanum convenere, quo ſe Mongomerius cum uxore gravida et familia omni receperat. Tuncque Columbarius, ne nihil interea ageret, [s] Conſtantiam cum CC equitibus ducit, cujus loci praeſidio ſe [t] Coſſaeus Briſſaci nothus filius epiſcopus hactenus a belli tempeſtate immunem defenderat: is vero tunc et deditionem facere coactus eſt; et ipſe Laudi fanum deductus paulo poſt inde auſugit. Miſſi interea Avanius et Campenſis, qui abruptis pontibus Stampenſis in [t] Neuſtriam ingreſſum impedirent. Id negligenter factum; et, cum Mongomerius [u] Avrincas profectus eſſet, ut Stampenſem anteverteret, fruſtra fuit, jam occupata ab Armoricis civitate. Is igitur, qui Stampenſem et Matignonum ante oculos haberet, et de Bullionii voluntate, quem graviter offenderat, vereretur, omni ope nitebatur, ut viribus, quantis poſſet, ſe muniret, et pecuniam ad alendum militem ex vectigalibus regiis et ſacerdotum bonis undique colligeret; quod dum tumultuarie fit, nullo non genere licentiae ac rapinarum homines, quibus id negotii ab ipſo fuerat mandatum, per provinciam graſſati ſunt. Ipſe [v] Viriam venit, quo jam ante Proteſtantes cum libere convenirent, ſtatuae etiam et altaria fere paſſim deſtructa fuerant, nemine reſiſtere auſo. Tunc vero Franciſcanorum coenobium, in quo ſe adverſae factionis praecipui muniverant, et majus urbis templum, quae a plebis rabie intacta remanſerant, vi capta et direpta, deſtructis pariter ſtatuis et altaribus; deſcripta et ſacra ſupellex et in uſum belli conflata. Sed cum Mongomerius [w] Duceum ſe recepiſſet, oppidani injuriam acceptam ulturi prid. [γ] Kal. Sextil. in Proteſtanteis, cum ex concione redirent, impetum faciunt, et quoſdam

ex

VAR. LECT. [α] unde *D.* f. o. d. [γ] Kal. Auguſti *D.* f.
[β] Tibergeus, de quo diximus, cum *D.* f.

INTERPR. [a] *Cherbourg.* [b] *le baron de la Haie.* [c] *du Puis.* [d] *Grimoville, ſieur de Larchant.* [e] *le ſieur de la Bretoniere* [f] *François de Lorraine, grand prieur de France.* [g] *de Cleves, duc de Nevers.* [h] *Briquebec* [i] *d'Eſtouteville.* [k] *de Broſſe, duc d'Eſtampes.* [l] *la Motte Tibergeau.* [m] *le Mans.* [n] *les capitaines d'Avaines, & des Champs.* [o] *les ſieurs de Colombieres, Rommerou, la Poupeliere, Breſſey, Jecoville, la Foreſt* [p] *le ſieur de Hermeſis.* [q] *le capitaine Villarmois.* [r] *St. Lo* [s] *Coûtances.* [t] *Artus bâtard de Coſſé, fils naturel de Charles de Coſſé, mareſchal de Briſſac.* [t] *Normandie.* [u] *Avranches.* [v] *Vire.* [w] *Ducey.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

ex iis occidunt; reliquis tutus receptus fuit ad Franciſcanorum coenobium, unde biduo poſt conceſſa vita dimiſſi ſunt: quo cognito Bullionius, qui ne poſt injuriam quidem a Mongomerio acceptam ab aequitate innata dimoveri poterat, [a] Cadomo mittit ſtatim, qui in ſeditionis auctores inquirerent et legibus animadverterent. Nuſquam tam crebris et contrariis ultionibus utrinque tamque brevi tempore ullo loco ſaevitum eſt; nam cum oppidani ad extremum uſque Sextilem paria veriti in armis fuiſſent, [b] Tibergeus, Avanius et Campenſis, Cenomani, cum VII equitum turmis, a Mongomerio Viriam mittuntur, qui eo uſque ejus adventum praeſtolarentur, dum conjunctis omnibus copiis ipſe [c] Rotomagum proficiſceretur. Iis comes additus [d] Popeletius ex provinciae nobilitate inter eos praecipuus, qui itinera explorata habebat, ut praeſentia ſua Cenomanorum praedis aſſuetorum licentiam refraenaret. Ii igitur oppidum in tempore occupant, cum L equites a Matignono miſſi in eo eſſent ut ab oppidanis admitterentur. [e] Vaudrei curionis, quod illi hoſpitium habuerunt, aedes a Cenomanis direptae ſunt; qua praeda non ſatiati, ſed ineſcati, immane quanta licentia et [α] immanitate per omnem viciniam in nobilium etiam bona nullo reſpectu bacchati ſunt, ut ne [f] Surdovallio quidem, qui domi quietus ſe continebat, et aliorum aedibus parcitum fuerit: adeo ut etiam Proteſtantes [g] Cenomanorum depraedationibus exacerbati ſive coacti ad [h] Stampenſem confugerint, opem adverſus latrones implorantes; parumque a ſeditione inter eos [β] res abfuit: ſed Popelerio annitente tandem decretum eſt, ut milites nomina inſcriberent, et injuſſi non egrederentur, poena capitis in non parenteis ſancita. Quo facto utcunque in futurum proſpectum; ceterum damnis jam acceptis minime ſatisfactum eſt. Sed non diu ultio tardavit; nam mox Stampenſis cum XI equitum turmis eo advolavit, pridie Non. Sept. fruſtra ante monito a Popelerio Mongomerio, qui, inſtante [i] Thorigniae Matignoni arcis obſidione, et proximo Anglorum adventu, nihil molimurum hoſtem aſſeverabat. Ad haec Cenomani rapinae avidi tam opportunam praedis faciendis ſpeluncam deſerere nolebant, et Tibergeus pridie [k] Perethone alae ſuae legato cum XXX equitibus exploratum miſſo, interceſſerat, ut ſalutare conſilium ea in re caperetur. [γ] At Peretho de ducis ſui imperiis haud valde ſolicitus ad [l] Ingrandium diverterat, ubi de hoſtium adventu certior factus, cum propere ad urbem rediret, interclusus fuerat: utcunque tamen initio clauſis portis praeſidiarii reſtitere, occiſis aliquot ex praecurſoribus: dein cum totum exercitum adventare comperiſſet, quid facto opus eſſet deliberatum fuit inter duces; et placuit, ut [m] Foreſto et Romereo arcis cuſtodia committeretur; Popelerius cum Tibergeo, Avanio et [n] Sandionyſio oppidum ad noctem uſque proximam, ſi poſſet, tueretur; dein in arcem ſe reciperet, et ibi aut Mongomerii auxilia opperiretur, aut aequis conditionibus cum Stampenſi tranſigeret. Sed oppido admodum infirmo cum hoſtes poſtremo refractis portis potiti eſſent, dum ſe praeſidiarii ad arcem recipiunt, et in ponte equis immiſti haerent, quippe oſtiolo tantum reſerato: Avanius primus poenas luit, vix tandem admiſſis aliis, qui, non de defendenda arce, ſed de ſalute privata ſoliciti, protinus ad poſtremum munimentum confugiunt. Verum a Sandionyſio fortiſſimo juvene, qui ſubſtiterat, et portam recipi poſſe reſtitante hoſte clamabat, revocati rurſus pugnam capeſſunt; et Foreſtus quidem ac Romereus raſtro ſuſpenſo ad portam tendunt, ea qua occiſis aliquot hoſtem procul dubio depuliſſent, niſi Tibergeus ad cujuſdam eum appellantis

vocem

VAR. LECT. [α] horrore per D. f. o. [β] res *deeſt* D. f. o. [γ] et D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Caen.* [b] *la Motte Tibergeau, d'Avaines, & des Champs.* [c] *Rouen.* [d] *la Poupeliere.* [e] *le curé de Vaudray, frere du ſieur de Hatot.* [f] *le ſieur de Sourdeval.* [g] *les Manceaux.* [h] *le duc d'Eſtampes.* [i] *Thorigny.* [k] *Penthevon.* [l] *le baron d'Ingrande.* [m] *la Foreſt, & Rommeron.* [n] *de St. Denis.*

voeem, ac vitam ſalvam, ſi ſe dederet, polliceotis, conditionem accipere reſpondiſſet, et, quantumvis a Popelerio et Sandionyſio increpitus, portam apetuiſſet; quo facto confuſi milites ad munimentum confugiunt; Popelerius et [a] Campenſis in pugna potius quam in vulpium latibulis mori elegere, [α] poſtremoque capti ſunt, ſicuti et Romereus; ſed Foreſtus, eum ad [b] Surdovallium duceretur, in turba occiſus eſt; Popelerius vitato militis furore, et Sebaſtiani [c] Lucemburgi Martigii, qui Stampenſis avunculi legatus erat, ad Stampenſem hominem miri ingenio ductus eſt; a quo poſtremo uxoris lachrimis, quae illuc forte pridie venerat, vitam redemit, perſoluto [d] Quingoni Armoricano, in cujus manus inciderat, redemptionis pretio; Surdovallio et [e] Juvinio omnem operam dantibus, quamvis non medioeriter, ut par erat, praeſidiariorum inſolenria exaſperati eſſent, ut cum deditis clemenrer et jute belli ageretur. Satiato militum furore ſucceſſit oppidanorum rabies, qui accepras ab [β] aliis injurias in obvium quemque ex praeſidiariis er ex eivibus ſuis Proteſtantibus ulti ſunt; foeminis etiam praeter modum, qua poterant, in nudos et inermeis ſaevientibus; pleriſque adhibita pejora morte tormenta, quo refoſſas opes indicarent. Qui in munimentum confugerant, tandem fame adacti de vita pacti deditionem fecere, majorem tamen partem caeſi. Ita quatriduum totum Viria vaſtata, cc ſetme in ea occiſis, et XXV captis, in iiſque Tibergeo et Romereo. VI Eid. Sept. Stampenſis praeda onuſto milite diſcedit, impoſito arei a Martigio c Armoricorum praeſidio. Mongomerius [γ] re praeter ſpem intellecta relicto [f] Laudi fano [g] Baiocaſſeis tendit, ubi acceptis, qui in eivitate erant, Proteſtantibus, ad [h] Eſtrehanum caſtra ponit infra [i] Cadomum, navigia [k] Franeiſcopoli ſummitteoda in eo praeſtolaturus. Ei cum non ita Bullionius fideret, et ipſe Cadomo exit, et adverſa fluminis ripa conſedir; unde mox, fide a Mongomerio accepta, nihil hoſtile molitus ad ſua revertitur. [δ] Eodem tempore Jo. [l] Moius Millaregius, cum [m] Lexovii et [n] Tuccii atque [o] Honflorii praeſidiariis, Mongomerium ſaepius aggreſſus fruſtra fuit. Tandem conſcenſis navigiis Mongomerius Franciſcopolim petit, [p] Jecovilla et [ε] Renato [q] Roboreo Breſſaldo ex [ϛ] Andina nobilitate ad [r] Bullionium transfugientibus. Qui Laudi ſanum tenebant, imprudenter obfirmato animo cum adverſus Stampenſem oppidum defendere decreviſſent, poſtquam per quinque dies continua ſex tormentorum diſploſione muri pulſati ſunt, omni ſpe auxilii deficiente, cum conditiones poſcerent, et Matignonus negaret, nocte ſuperveniente per portam flumentanam egreſſi ſilvas proximas petiere, paucis deſideratis, qui in ultimo agmine intercepti, cum flumen enatare tentarent, ſubmerſi ſunt. [ζ] Loco eitta ſanguinem capto, effuſus in omnem licentiam ac libidinem miles, nihil reliqui fecit. Inde Baiocaſſeis itum, ubi Stampenſis obvia humanitare a contraria factione exceptus eſt, magnoque Proteſtantium detrimenro exercirum aliquanto tempore aluit. Sed nulla res magis Proteſtaoteis exercuit, quam [s] Julii Ravilii Rufi rapacitas. Is Alphonſi Fertariae ducis nomine Cadomi, Baiocaſſium et [t] Faleſiae vectigalia pro grandi pecunia, quam parens illius in Italicae expeditionis ante ſexennium infeliciter ſuſceptae ſumptus commodaverat, oppignerata tenebat, et, ut conviviorum, aleae et inutilium ac turpium impenſarum damna ſarciret, diplomate a rege Guiſii commendatione impetrato, Proteſtanteis tanquam ſeditionis auctores et expilatorum templorum reos extraordinariis

VAR. LECT. [α] qui poſtremo capti *D. f. o.* [β] aliis fortaſſe injurias *D. f.* [γ] autem re *D f.* [δ] Eodem tempore *deſunt D. f. o.* [ε] Renato Roboreo *deſunt D. f. o.* [ϛ] Andegavenſi *D. f.* [ζ] Ita loco *D f. o.*

INTERPR. [a] *des Champs.* [b] *le ſieur de Sourdeval.* [c] *de Loxembourg, vicomte de Martigues.* [d] *Quingo, capitaine Breton.* [e] *de Juvigny* [f] *St Lo* [g] *Bayeux.* [h] *Eſtreban.* [i] *Caen.* [k] *Havre de Grace.* [l] *de Mouy, ſieur de la Meilleraie.* [m] *Liſieux.* [n] *Toucques.* [o] *Honfleur* [p] *de Jecoville.* [q] *du Rouvray Breſſaud Angevin.* [r] *le duc de Bouillon* [s] *Giulio Raviglio Roſſo.* [t] *Falaize.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

extraordinariis judiciis divexabat, Thomae [a] Natalis praecipue opera uſus, qui grandi aere ab ea vexatione plerumque ſe redimebant. [b] Valoniae deſerta arce, [α] renovata contra eos odia, et permulti crudeliter et impune occiſi. [c] Alenconii item interdicta conveniendi libertas a [β] Ludovico [d] Rabodangio, quem partibus ſuis aequiorem ſemper hactenus Proteſtantes experti fuerant.

XVII. INTEREA captis [e] Bloeſis ac Caeſaroduno, triumviri auctores fuere Navarro, ut regem in caſtra adduci curaret: ſic enim fore, ut regio nomine majorem rebus ſuis dignitatem ac ſavorem conciliarent; neque Navarraeus aut Guiſianus, ut cum Proteſtantes ad invidiam appellabant, ſed regius exercitus deinceps diceretur, cui Navarrus univerſi regni praeſes regis nomine contra rebellanteis praeeſſet. Itaque [f] Autricum Carnutum rex cum regina ad [γ] eum venit: ibi conſultatione habita diviſae copiae; pars [g] Nemoroſio in [h] Biturigas ducenda, pars [i] Santandreano in [k] Pictones ituro attribuitur.

XVIII. ITA adempta utrinque pugnandi ſpe, cum inter Condaeanos priſtinus ille ardor paulatim refrigeſceret, et jam plerique, qui momento rem confectum iri ſperaverant, ſummis difficultatibus conflictarentur, alii taedio praeſentium et ad ſua revertendi deſiderio tenerentur, veritus Condaeus, ne exercitus etiam ſe invito diſſolveretur, idque rerum ſuarum exiſtimationi incommodaret, periculum antevertit; et [l] [δ] Jo. Parthenaeum Subiſium quidem [m] Lugdunum nuper a Proteſtantibus captum, uti mox dicemus, amandat; [n] Rupifulcaudium ad [o] Engoliſmenſeis ſuos remittit, attributa ei [p] Santonum et Pictonum [ε] praefectura: [q] Andelotus in Germaniam, [r] Bricomotius in Angliam ad expediendas auxiliareis copias mittuntur. [s] Ivoeus cum ſua legione, quae in crudeli [ſ] Bogentiaci direptione palmam inter praedatores [ϛ] tulerat, [t] Avaricum proficiſcitur Biturigum Cuborum metropolim; nam diverſi ab iis ſunt Bituriges Vibiſci, quorum caput [u] Burdigala; hodie Avaricum provinciae nomen, ut paſſim fere, aſſumpſit. Eam urbem fruſtra Condaeus initio tentaverat per Claudium [v] Silvam Odeti, qui permultis honorificis legationibus regum nomine functus eſt, et ſub id tempus, cum in Hiſpaniam proficiſceretur, captus et [w] Aurelianum abductus fuerat, fratrem, ſemper obnitente Biturigum praefecto, qui [x] Montinium, [y] Malopaſſium, [z] Villanovanum, [aa] Seurium et alios e vicina nobilitate in urbem intromittere ſatagebat. Dein eo Gabrielem [bb] Mongomerium Aureliano mittit, qui familiari ſibi celeritate uſus VI Kal. Junii cum CXX delectis equitibus urbem ingreſſus eſt ſummo mane per S. Ambroſii portam, abſente tunc [cc] praefecto, qui relicto ad turris cuſtodiam [dd] Dioſio fratre [ee] Iſſodunum profectus fuerat, ut oppidum in poteſtatem redigeret. Tum diſpoſitis per plateas idoneis locis ſtationibus, poſtridie oppidanos exarmat, III cohortes ductoribus [ff] Sanremigio, [gg] Sammartino Lutherano vulgo dicto, et [hh] Noiſio introducit; ſtatuas et altaria demolitur, et pretioſae templorum ſupellectilis deſcriptionem fieri curat coram [ii] praetore urbis, [kk] cognitore regio, et Stephano [ll] Lalamantio Vozaco libellorum ſupplicum magiſtro, qui tunc forte aderat, traducta per laſciviam lignea [mm] imagine Sallenſi delubro revulſa, ad quam

plebs

VAR. LECT. [α] mox renovata *D.* f o d. [β] Ludovico *deeſt* *D.* f. o. [γ] eos *D.* f. [δ] Jo. Parthenaeum *deeſt* *D.* f. o. [ε] hinc inde praefectura *D.* f. [ϛ] facile tulerat *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Noel* [b] *Valognes.* [c] *Alençon* [d] *le ſieur de Rabodanges bailli* [e] *Blois, & Tours.* [f] *Chartres.* [g] *le duc de Nemours.* [h] *Berry.* [i] *le mareſchal de St. André.* [k] *Poictou* [l] *Jean de Parthenay l'archevêque, ſieur de Soubiſe.* [m] *Lyon.* [n] *le comte de la Rochefoucaud* [o] *l'Angoumois.* [p] *Saintonge.* [q] *François de Coligny, ſieur d'Andelot.* [r] *de Briquemaut.* [s] *Jean d'Hangeſt, ſieur d'Ivoy.* [ſ] *Baugency.* [t] *Bourges.* [u] *Bourdeaux.* [v] *de Selves.* [w] *Orleans* [x] *le ſieur de Montigny.* [y] *de Maupas.* [z] *de Villeneuſve* [aa] *de Seure.* Beze l'appelle *Seury.* [bb] *le comte de Montgomery.* [cc] *le Bailly.* [dd] *le ſieur de Diois.* [ee] *Iſſoudun.* [ff] *St. Remy l'aiſné.* [gg] *St. Laurens,* dit *St. Martin le Lutherien.* [hh] *Noiſy.* [ii] *le lieutenant general* [kk] *l'advocat du Roy.* [ll] *l'Allmand, ſieur de Vouzay, maitre des requêtes.* [mm] *Nôtre Dame de Salles.*

plebs frequens conveniebat, et ad ultimum in [a] Orronenſi vico uſtulata. Eodem die juſſi qui turrem tenebant deditionem facere; quod cum recuſarent, oſtentatis tormentis, quae forte in urbe reperta, et, quod inutilia exiſtimarentur, deſpecta jacebant, et collocatis ſcloppetariis in proxima Sallenſis delubri turre, qui in ſubjectam turrem ejaculabantur, territi praeſidiarii locum, cum diutius eum tenere potuiſſent, vitam et res ſalvas pacti, poſtremo dedunt. Ad famam novi motus, vicini itidem territi ad Mongomerium miſerunt, et ab Iſſoduno, [b] Magduno, [c] Viarſone delegati venerunt, qui imperata ſe facturos reciperent; quod a properante Mongomerio neglectum Proteſtantium rebus poſtea maxime exitioſum fuit. Inde corraſa omni pecunia regia, quae XXIIII CIↃ aureorum circiter efficiebat, et aſportata ſupellectile omni pretioſa ad Condaeum retro abiit, penes Proteſtanteis urbe relicta, et impoſito ei [d] Miraleto. Cum vero Condaeus triumviros Lutetia cum exercitu profectos, non recta ad ſe, ſed ad dextram verſo itinere in [e] Soloniacum agrum, tendere cerneret, ratus, id quod erat, eos de [f] Avarico expugnando cogitare, eo Joannem [g] Hangeſtum Ivoeum Jenliſii fratrem menſe Junio cum II CIↃ peditum, quibus III alae equitum ſcloppetariorum additae ſunt, [h] Sarcello, Sanremigio et Fumeo ductoribus, miſit. Cum iis Magdunum Biturigum vi capit, et ſacerdotes, qui in eo erant, male mulctat. Tum [i] Florentis fanum et [k] Codraeum recipit, [α] Georgio [l] Puteano domino loci metu exanimato. [m] Iſſodunum et ab eodem mox tentatum, ſed infelici ſucceſſu, quod et militi ſuo praedae aſſueto tumultuandi cauſam praebuit. Nam cum quaſſato muro ſcalas admoturus eſſet, intellecto CIↃ IↃ equites [n] Broſſio ductore [o] Bleſis profectos jam [p] Romorantinum veniſſe, ſummo mane praemiſſis tormentis obſidionem ſolvit, fremente milite, qui praedam ſpe devoratam e faucibus ſibi eripi dolebat, et Ivoeum accepta ab oppidanis grandi pecunia obſidionem deſeruiſſe licenter jactitabat. Ita erga ducem ſuum male animati cum ſemel atque iterum tumultuati eſſent, poſtremo in urbem reverſi ſeditione oborta Ivoei aedeis circumſtant, et [q] Haumontium virum ſtrenuum ſibi ducem depoſcunt, qui ſumma modeſtia ſe excuſavit, et milites praeſentis periculi admonitos exſoluto ſtipendio cum Ivoeo reconciliavit. Diſceſſu Ivoei ab Iſſoduno audaciores redditi oppidani Carolum [r] Barbanzium Sarzaeum continuo evocant, qui illuc [β] VI Eid. Quintil. venit, et varia peſte Proteſtanteis infeſtavit, exilio, caede, ſpoliatione, carcere, incenſis etiam aedibus in quibus illi conveniebant.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

XIX. PROTESTANTIUM odio ob templorum direptiones ubique ſparſo, quaſi monſtroſarum Sectarum repertores ac fautores eſſent, Condaeus ſcripto III Non. Quintil. edito id Guiſianorum artibus et aſtu factum dicit, ut reprobatae doctrinae ſtudere, et atheiſmum, anabaptiſmum, ac libertinorum pravas de religione opiniones ſectari credantur: brevique fidei ſuae confeſſione edita affictas ſibi calumnias et deteſtabileis impoſturas diluere conatur. Sub id regina, antequam in caſtra cum Navarro veniret, Jacobum [s] Angeneum [γ] Rambulietum ad Condaeum mittit, et per eum ſibi magnopere dolere dicit, quod res ad concordiam reduci non potuerit: nam eo factum eſſe, ut regi ſibique in Navarri caſtra venire, et auxiliares externas copias advocari neceſſe ſit, nec impedire poſſit, quo minus ſenatus Pariſienſis in eos tanquam perduelleis ſententiam ferat: id eum ſcire voluiſſe, ut videat, an rurſus aliqua pacis ratio iniri queat. Ad haec Condaeus VI Kal. Sextil. reſpondet; et, quod ad primum ac ſecundum caput pertinet, rogat, ne haec meritis ſuis

mala

VAR. LECT. [α] Georgio Puteano *deſunt D.f.o.* [β] VII Eid *MS Samm.* [γ] Rambolietum *D.f.o.*

INTERPR. [a] *la rue d'Orron.* [b] *Meun.* [c] *Vierzon.* [d] *le capitaine Mirallet* [e] *la Sologne.* [f] *Bourges.* [g] *Jean d'Hangeſt, ſieur d'Ivoy, frere de François, ſieur de Genlis.* [h] *les capitaines Sarcellas, St. Remy, & Fumée.* [i] *St. Florent.* [k] *le Chateau de Coudray.* [l] *du Puis.* [m] *Iſſoudun.* [n] *le ſieur de la Broſſe.* [o] *Blois.* [p] *Romorantin.* [q] *le capitaine Haumont.* [r] *de Barbançois, ſieur de Sarzay.* [s] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

maļa gratia rependatur, ut ad eorum partes, contra quos pro regis et ejus auctoritate ac ſalute ipſe ac ſocii arma ſumpſerint, ſe applicet, et auxiliis externis evocatis, aut curiae Pariſienſis decretis quidquam in eos inclementius agatur; nam meminiſſe illam debere, ipſius juſſu ac precibus [α] ſe quantas potuerit copias ex nobilitate coegiſſe, et foedus cum ſociis iniiſſe; cum triumviri, conjuratione cum Philippi oratore et aliis habita, ipſam omni auctoritate exuere, et fidos ac nominis Gallici ſtudioſos miniſtros a regis latere abigere decreviſſent; ea de re ſaepius repetitis literis ac nunciis ſecum egiſſe, quod mandatis ac propria manu exaratis epiſtolis probare poſſit, et vero probaturus ſit, ſcriptoque publico manifeſtum omnibus facturus, ſe non niſi ipſius juſſu ac rogatu arma ſumpſiſſe: proinde perduellionis crimen in ſe aut ſocios cadere non poſſe; triumviros vero, regis, ipſius ac Navarri nomine et auctoritate ad publicam quietem conturbandam abuti, omniumque malorum, quae porro ſecutura ſint, cauſam exiſtere; quibus non aliter obviam iri poſſit, quam ſi edictum Januario menſe promulgatum ſine conditione aut exceptione ſervetur, et ſecuritati ac libertati cujuſque publice ac privatim proſpiciatur. Id ſcriptum manu ipſius, et a [a] Colinio, [b] Hangeſto Jenliſio, aliiſque ſubſcriptum erat. Jam ante de curiae Pariſienſis judicio veritus xv Kal. Sextil. libellum [c] Aureliano miſerat, et Philippo [d] Podienſi Sanvaleriano ſenatori, quinto poſt die, porrigendum curaverat, quo rejectiones continebantur, ob quas praecipuos conſiliarios ac praeſides fere omneis tanquam ſuſpectos a judicio removeri petebat. Quatriduo poſt reſcriptum regium in ſenatu promulgatur, et S. C. confirmatur, quo ii qui Aureliani arma ſumpſerant, contra regem reginamque ea ſumpſiſſe declarantur, atque adeo perduellionis rei, devotis ipſorum capitibus, et publici hoſtes pronunciantur; honoribus ac praerogativis, quas regis beneficio obtinerent, tanquam indigni privantur: ediciturque, ad ignominiam ſempiternam, ne ipſis ipſorumve poſteritati regia publicaque munera gerere fas ſit; illorum poſtremo facultatibus fiſco addictis. Ab eo numero excipiebatur Condaeus, quaſi invitus a ſociis detineretur.

XX. [β] Is, quanquam auxiliorum externorum adventum in regnum ut exitioſum deprecaretur, cum tamen antea Andelotum eam ob cauſam in Germaniam legaſſet, ad Wolfangum Palatinum [e] Bipontinum ducem pridie Kalendas Sextileis dat literas per Gaſparem [f] Schombergium Germanum nobilem, ut eum de rerum Gallicarum ſtatu pleniſſime inſtrueret, et auxilia promiſſa maturaret. Mox VI Eid. Aug. ſcriptum emittit, quo innocentiam ſuam ac ſuorum contra S. C. curiae Pariſienſis, ut vitio factum, tueretur: rem cavillationis atque adeo invidiae plenam eſſe, quod eo minime comprehenſus ſit, ridicula prorſus ratione, ut odium, quod in ſe non audeant, in ſocios calumnioſe totum effundant: nam multo juſtius in Guiſianos decerni potuiſſe; quippe qui conjurationis clam nuper in [g] Provincia cum Fabricio [h] Serbellono [i] Avenionis pontificis nomine praefecto, interventu Franciſci [k] Peruſſii Laurei curiae [l] Aquenſis praeſidis, initae palam convicti ſint, ob idque [m] Entragus et Laedetus praecipui factionis duces publico judicio damnati capite luerint: idem ab iiſdem in [n] Delfinatu tentatum, aſtu ac molitione [o] Mantilii emiſſarii, ut, duabus potentiſſimis illis in ordinem redactis provinciis, publicam pacem in iis turbarent. Eodem ſcripto repetuntur eadem, quae ſuperius dixerat; nimirum juſſu et mandato reginae a Condaeo ac Proteſtantibus ſumpta arma; et per [p] Buchavanium ad Condaeum ab ipſa cum fiduciariis literis miſſum monitos eos, ne

arma

VAR. LECT. [α] Condaeum *D. f. o.* [β] Condaeus *D. f.*

INTERPR. [a] *l'amiral de Coligny.* [b] *François d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [c] *Orleans.* [d] *du Puy, ſieur de S. Valerien.* [e] *le duc de Deux Ponts.* [f] *de Schomberg.* [g] *Provence.* [h] *Serbellone.* [i] *Avignon.* [k] *de Peruſſis de Lauris.* [l] *parlement d'Aix.* [m] *les capitaines Entragues & Laidet.* [n] *Dauphiné.* [o] *le capitaine Mantil.* [p] *de Bouchavanes.*

arma ponerent, antequam Guiſiani poſuiſſent; et quorſum eorum conſilia evade- CIƆIƆLXII.
rent, melius perſpici poſſet. Tum Germanos Helvetioſque, [α] atque eos, qui jam CAROLUS IX.
venerant aut propediem venturi exſpectentur opem adverſariis ſuis laturi, obſecrat, meminerint decoris ac nominis antiqui, ac priſtinam aequitatis gloriam ſibi adeo honorificam ſervent, neque committant, ut hoc in ipſos opprobrium cadat, quod videlicet pro mala et iniqua cauſa adverſus juſtam ac bonam cauſam, pro juratis regis hoſtibus adverſus fidos regis ſubditos, pro peregrinis principibus adverſus conſanguineum principem, pro pontificis eccleſiaeque Romanae fautoribus adverſus eos, qui puriorem doctrinam profitentur, in Galliam armati venerint. Eodem tempore ſocii ad Ferdinandum Caeſarem dant literas; quibus repetita altius motuum nuper exortorum origine, cauſae ſuae aequitatem oſtendunt, [β] et ſparſos ab adverſariis rumores ac criminariones diluunt; orantque, ut tam juſtae cauſae curam ac patrocinium ſuſcipiat, et Germanorum auxiliareis copias, quae Guiſianis atque adeo triumviris mereant, edicto domum revocet. Jam enim Philippus [a] Rheni comes et [b] [γ] Rockendorphus comes cum ſuis equitum peditumque cohortibus ac legionibus ad Guiſium venerant, nec non Helveticae copiae magno numero. Antea itidem Februario menſe Gulielmus [c] Frulicus magni nominis inter Helvetios dux Navarri accitu Lutetiam venerat, et mox ad delectus habendos remiſſus fuerat. Scripſerant et triumviri ad oratorem regium, ut de auxiliis Helvetios ſolicitaret. Miſſus poſtremo [d] Paſquerius Allobrox, nuper conchyliato torque honeſtatus, qui ad XV ſigna, quae poſtulata fuerant, VI addi peteret. Sed intercedebant [e] Tigurini, Bernates, Baſileenſes, Scafuſiani, Claronenſes et Apſellenſes, et motus ob religionem excitatos quavis ratione potius, quam armis, componendos affirmabant, ſalvoque foedere honeſte de auxiliis ſe excuſare poſſe ac debere contendebant. Pervincente tamen Frulici et [f] V pagicorum auctoritate, et urgentibus Hiſpano ac pontificio oratoribus, decreti delectus, initio ſub conditione, de penſionibus [g] Soloturni exſolvendis, quae tamen Frulici interventu remiſſa eſt. Itaque electi more recepto duces III Eid. Junii, acceptoque ſtipendio ad VIII Eid. Quintil. in viam ſe dedere; et Margaritae Parmenſis, quae [h] Belgio praeerat, permiſſu per [i] Sequanos, qua brevius iter eſt, rara ſed ſuſpecta pleriſque gratia, in Galliam magna celeritate deſcendere. Quibus et aliis copiis cum videret Condaeus triumviros in dies firmari, poſt [k] [δ] Bricomotium etiam Robertum [l] Stuartum Scotum hominem induſtrium et manu promptum in Angliam mittit, qui ſuo ſociorumque nomine auxilia a regina promiſſa acceleraret. Haud multo poſt rex mandat [m] Aureliani aedilibus, ad ſe veniant, quid ſuae voluntatis ſit, ex ipſo plenius intellecturi. Id aegerrime tulit Condaeus, et datis ad regem ac reginam literis de injuria expoſtulat, quod indigna meritis ſuis gratia rependatur, nec ſibi quid uterque velit diſerte imperetur, ſed inimicorum hominum arbitrio rex ſe ac regina circumagi ſinant, et optime de utriſque ac regno merito principi contumelioſe illudi patiantur. Inde et ad Philippum Heſſorum principem dat literas VII Kal. Sept. quibus de ejus egregia in regem ac Proteſtanteis voluntate ſe abunde ex Andeloti avunculi literis cognoviſſe ſignificat, eique hoc nomine gratias agit; rogatque, ne occaſioni deſit, aut tam juſtam cauſam deſerat, regem, regnum ſeſeque ob ſummum beneficium tam neceſſario tempore collatum perpetuo obſtrictos habiturus:

VAR. LECT. [α] tum eos *D. f. o. d.* [β] et malevolos adverſariorum *D. f. o.* [γ] Rochendolphus *D. f. o. d.* Rockendolphus *Put. L.* [δ] Bricomotum *D. f.*

INTERPR. [a] *le Rheingrave.* [b] *de Rockendolf* [c] *Freulich.* [d] *de Paſquier, Dauphinois, chevalier de S. Michel.* [e] *Cantons de Zurich, Berne, Baſle, Schafhouſe, Glaris, & Appenzel.* [f] *les cinq petits Cantons.* [g] *Soleurre.* [h] *Pays bas.* [i] *la Franche Comté.* [k] *de Briquemaut.* [l] *Stuart.* [m] *Eſchevins d'Orleans.*

Digitized by Google

CIƆIƆLXII. | CAROLUS IX.

biturus: in eam rem poſtea ad Heſſum miſſus Gaſpar [a] Schombergius cum mandatis Condaei: quibus impetravit, non ſolum ut delectus per Germaniam haberentur, ſed etiam ut C aureorum CIƆ in eos uſus ab Imperii principibus ſubminiſtrarentur.

XXI. SECUNDUM haec a [b] Santandreano [c] Auguſtoritum Pictonum ducitur, quod hodie de provinciae nomine Pictavium vulgo dicitur. Recitata palam ac publicata per Alexandrum [d] Godionem Stagnium paſtorem Condaei proteſtatione Eid. April. principium motus in civitate factum, aucti adventu Fr. [e] Rupifulcaudii comitis ac dein [f] [α] Bellavillae ac [g] Vigeani, qui cum copiis [h] Aurelianum ad Condaeum tendentes illac iter habuere, ita ut [i] Vidus Dallonius Ludae comes provinciae praeſes cedere et [k] Niortium ſe conferre coactus ſit. Eodemque die, qui fuit XI Kal. Maii, Stephanus [l] Cevalerius Prunaeus vir probus vectigalium regiorum per eas provincias praefectus arcem occupat, in quam pecuniam regiam comportari curaverat, cjuſque cuſtodiae coactorem provinciae Franciſcum [m] Pinellum praepoſuit. Tum graſſante paulum licentia a pueris ad id ſubornatis in facella noctu fit impetus; moxque adveniente [n] Ladiſlao Bucheto Sangemmeo, qui Aureliano, ut urbi praeeſſet, a Condaeo miſſus fuerat, XI Kal. Jun. ademptae oppidanis claves, et diſpoſitae ad praefecti arbitrium per urbem ſtationes. Quatriduo poſt, plurimi, qui in ea urbe juris ſtudio operam dabant, Franciſcanorum coenobium, in quo frumenti, vini, laridi magna copia erat, conveniendi ad conciones colore depoſcunt, et attributum licenter diripiunt; ac poſtridie [o] Grammontani ad Condaeum item cum copiis tendentis in urbem adventu audaciores redditi per templa diſcurrunt, et ſtatuas paſſim atque altaria profligant: tractae etiam ex iis per urbem contumelioſae quaedam, quas majore veneratione plebs colebat, imagines, et poſtea incendio conſumptae, direpta omni ſupellectile pretioſa, cujus minima pars deſcripta eſt; nam CCCXX pondo tantum in commentarios relata. Cum vero pleriſque merito ſuſpecta eſſet Pinelli fides, Sangemmeus ope Grammontani arcem tentat, et Pinellum deditionem facere jubet: quod cum ille pecuniae regiae cuſtodiam cauſatus recuſaret, et contra de ejus ſecuritate fidem fruſtra interponeret Grammontanus, tandem promiſſis Pinelli in Sangemmei verba jurantis fides habita. Grammontano dein digreſſo et cum XIII peditum ſignis Aurelianum profecto, cum [p] Caeſaroduno ejecti praeſidiarii ductore [q] Codraeo adventare dicerentur, inſequente eos [r] Villarii comite, ſeditio exorta eſt, cum oppidani externum militem admittere recuſarent. Ad extremum diſſidentibus ſtudiis omne imperium in Sangemmeum tranſlatum, quo ille uſus [s] Campanicium ex [ſ] Lemovicibus cum LX equitibus adventantem, et vagas cohortes [t] Andegavo, [u] Salmuria, [v] Julioduno, Caeſaroduno ac [w] Chinone illuc confluenteis, ductoribus Jacobo [x] [β] Bellovallio Tignio, Joanne Renardo [y] Minqueterio, Ludovico [z] Mangone, [aa] Brechaeo, [bb] Turrio, [cc] Burneſello, [dd] Cornelio Scoto, [ee] Riverio et [ff] Beſſis fratribus, intra urbem accepit; quibus ſubnixus Pinellum rurſus de tradenda arce interpellat, eoque recuſante tormenta admovet: ſed mane, cum Pinellus ſe regis nomine arcem ſervaturum citra alterutrius partis damnum promitteret, factae induciae. Mox Rupifulcaudio XVI Kal. Sextil. Aureliano reverſo, in arcem fit impetus ſub veſperam: ſed res denuo verbis compoſita, Rupiſulcaudio in [gg] Engoliſmenſeis et Santones profecto, ut auxilia expediret, quibus urbem ampliſſimam,

luſtratis

VAR. LECT. [α] Bellavillii *D. f. o.* [β] Bellovio *D. f. o*

INTERPR. [a] *de Schomberg.* [b] *le mareſchal de St. André.* [c] *Poictiers.* [d] *Godion des Eſtangs.* [e] *de la Rochefoucaud.* [f] *de Belleville.* [g] *du Vigeau.* [h] *Orleans.* [i] *Guy de Daillon, comte du Lude, gouverneur de Poictou.* [k] *Niort.* [l] *Chevalier ſieur des Prunes, intendant des finances en Languedoc.* [m] *Pineau.* [n] *Lancelot du Bouchet, ſieur de Ste Gemme.* [o] *de Grammont.* [p] *Tours.* [q] *le ſieur de St. Martin de la Coudre.* [r] *Villars.* [s] *le capitaine Champagnac.* [ſ] *Limouſin.* [t] *Angers.* [u] *Saumur.* [v] *Loudun.* [w] *Chinon.* [x] *de Beauvau Tigny.* [y] *de Minquetiere.* [z] *Mangot.* [aa] *la Breche.* [bb] *la Tour.* [cc] *Bourneſeaux.* [dd] *Corneille Eſcoſſois.* [ee] *la Riviere.* [ff] *les deux de Beſſé.* [gg] *l'Angoumois & Saintonge.*

CIↃIↃLXII.
Carolus IX.

luſtratis ejus copiis, indigere cognoverat. Tum ſemel atque iterum oppidani miſſo a Villario Navarri tanquam ſupremi regni praeſidis nomine feciali deditionem facere jubentur; et illi quidem, ſive ut excuſationi viam praemunirent, ſive caſum ac periculum veriti initio aſſentiebantur, conventuque publice habito decernunt, urbem Navarro a [a] Sangemmeo tradendam. Verum ille, ut vero fit ſimile, ex compacto interea latebat; et, cum non compareret, Jacobus [b] Herbertus decurionum praefectus coram feciali collegarum nomine declarat, claveis urbis neque ſummum imperium amplius penes ſe eſſe, ceterum ſe humillimos regi ſubditos eſſe, uti hactenus fuerint, ac deinceps fore. Incenſum dein [c] Cypriani fanum, quod urbi nimis vicinum incommodabat, acceptiſque intra urbem aliquot cohortibus [d] Niortio et Maxentii fano ſummiſſis, et [e] Fonſredio cum XL equitibus, Villarius, cum ad [f] Lazari portam per Melchiorem [g] Depreum Monpeſatum generum et Antonium [h] Richelium impetum feciſſet, repulſus eſt. Denique poſtridie urbem dedi tertio jubet: et, ſuſpicione injecta, quaſi cum Burneſello et Beſſis fratribus occulta conſilia agitaret, poſtremo caſtra promovet, ductaque ſine damno foſſa II muralia tormenta verſus arcem, tertium contra Lazari portam dirigit, diſpoſitis VI majoribus colubrinis et V campeſtribus machinis, quae commeantem huc et illuc per vicos militem ex ſuperiore loco diſploſae infeſtarent: demum ruina facta, Kalendis [α] Sextil. ſummo mane cum Santandreanus in caſtra veniſſet, fit impetus; quem magna virtute propugnatores ſuſtinuere, in eoque deſideratus [i] Lagus rarae fortitudinis dux; cumque ſe miles reciperet, ſigno ex arce tormenti diſploſione dato revocatur; tum directis ex arce, Pinelli proditione, ad interiorem ruinam ictibus, defenſores prohibiti ad ruinam accedere; ex quibus [k] [1] Lovillonerius Veracii filius juvenis fortiſſimus interfectus eſt: et ita muro nudato irrumpit miles, effuſis per vicos et exitum quaerentibus praeſidiariis. Aliquandiu tamen certatum fuit in urbe: ſed, refractis in tempore portae S. Cypriani repagulis, [l] Mangonis ſtrenui ducis virtute effectum eſt, ut IↃ C amplius incolumes victoris furori erepti ſint; cum quibus ille ſe poſtridie [m] Rupiſulcaudio auxilio ſed ſerius adventanti conjunxit. Interea per urbem nullo non crudelitatis, libidinis ac licentiae genere Santandreano indulgente ſaevitum eſt, VIII dierum ſpatio. Inter fugienteis captus Herbertus decurionum praefectus, qui poſtremo, quod repoſcenti claveis feciali tradere recuſaſſet, patibulo affixus eſt; quamvis eas neque in poteſtate haberet, neque fraude ſua habere deſiiſſet, quippe a [n] Joanne Britone ejus deceſſore Sangemmeo traditas. Capto [o] Auguſtorito, [p] Calviniacum epiſcopi caſtellum receptum, quod V leucis ab urbe abeſt, praeſidiariis XX, qui ſe gnaviter defenderant, quamvis ſalvam vitam pacti eſſent, furcae affixis. [q] [β] Burdelius inde cum e levis armaturae equitibus miſſus [r] Tremollium, a quo illuſtriſſimae [γ] familiae in Gallia nomen, ac [s] fanum Sabini, et [δ] Molleroninm poſtremo diripit; ibi pleraeque caedes a [f] Lilio et Vitraeo Fontenacenſibus patratae, adgregante ſe ad eos ruſticorum colluvie, quorum crudelitatem [t] Cornelius Scotus, qui in urbis defenſione egregiam admodum operam navaverat, inſigni aſtu ultus eſt: is, ſimulato ſe ex eorum numero eſſe, qui Proteſtanteis inſectarentur, ad tintinnabuli pulſum coacta ingenti multitudine credulos et cruoris avidos homines in inſidias idoneo loco a ſe ſtructas [ε] traxit, unde ingens eorum ſtrages eſt ſecuta.

XXII. INDE

VAR. LECT. [α] Quintil. *MS. Sam.* [β] Bordelius *D. f. o.* [γ] genti in *D. f. o. d.* [δ] Monmorillonium *D. f.* [ε] praecipitavit *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le ſieur de Ste. Gemme* [b] *Herbert maire de la ville.* [c] *l'abbaye de S. Cyprien.* [d] *Niort & S Maixent.* [e] *le ſieur de Fontfroide.* [f] *porte de S. Ladre.* [g] *des Prez, ſieur de Montpezat.* [h] *de Richelieu.* [i] *le capitaine Lago.* [k] *le ſieur de Lorillonière, ſecond fils du ſieur de Verac.* [l] *le capitaine Mangot de Loudun* [m] *le comte de la Rochefoucaud.* [n] Beze l'appelle *Jaques le Breton.* [o] *Poictiers.* [p] *Chauvigny.* [q] *le ſieur de Bourdeilles.* [r] *la Tremoille.* [s] *S. Savin & Moileron.* [f] *le Lys & Vitré de Fontenay le comte.* [t] *Corneille Eſcoſſois.*

NOT. [1] *Lorillonerius.* Put.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

XXII. INDE [a] Santandreanus prid. Eid. Sextil. digreſſus ad [b] Avarici obſidionem proficiſcitur, ad quam biduo ante exercitus duce Guiſio admotus fuerat, urbem amplam, et qua capta [c] Aureliano, quod xx tantum leucis ab ea abeſt, multum incommodabatur. Vaſtato prius circum agro et in fidem acceptis [d] Biturigum oppidis, [e] Ivocus et aediles urbis deditionem XVIII Kal. Sept. facere jubentur. Erant in Guiſii caſtris xv cIↃ peditum, et III cIↃ equitum. Crebrae initio eruptiones, et levia proelia damno plerumque regiorum commiſſa: prima pulſatio ad eam partem, quae [f] Urſini fanum ſpectar, facta, in qua [g] Rochus Caſtanaeus Tufolius non minus nobilitate quam bellica virtute clarus dux magno omnium deſiderio occiſus eſt. Novis dein copiis aucto exercitu et advectis x machinis muralibus, eruptione ab obſeſſis circiter CCC facta, [h] Sammartinus Brichantheus ab Antonio [i] Richelio legionis tribuno ad ſingulare certamen provocatus adverſarium transfodit, et victoriae praemium galeam Richelii abſtulit. Dein XXI directis tormentis moenia quaſſari coepere, eoque die IↃ CCXIIII ictus et amplius diſploſi; ſed nocte inſequenti ruina fere terra oppleta eſt. Dum in eo ſunt, [k] Colinius, cognito Lutetia tormenta, pilas et pulverem tormentarium ſummitti, ad quae excipienda ac deducenda Guiſius IIII equitum turmas Nicolai [l] Lotaringi Valdemontii, Philiberti [m] Marſilii Sipetrae, Arturi [n] Coſſaei Gonnorii et Renati [o] Lotaringi Ellebovii, et VI peditum vexilla praemiſerat, Aureliano cum expedita manu movet, illoſque ad [p] Caſtellodunum nec opinato adortus diſturbat ac caedit. Quidam capti, et in iis [q] Caſtelletus Thonus; captus et [r] [α] Throcmortonus reginae Anglorum legatus ac Aurelianum deductus, ubi honorifice habitus eſt. Captae item machinae cum bellico omni inſtrumento ac commeatu; ſed jumentis deficientibus, quibus ea commode in tutum ſubduci poſſent, pulveri tormentario ignis ſubjectus, machinaeque eodem pulvere praeter menſuram oppletae [β] diſrumpuntur; quo factum eſt, cum Guiſius, praeſidiariis gnaviter adeo ſe defendentibus, de urbe per vim capienda deſperaret, ut omnem aliam ejus in poteſtatem redigendae rationem ſibi ineundam exiſtimaret, ne commeatus bellici penuria ab obſidione [γ] diſcedere cogeretur. Itaque ejus mandatu [s] Nemoroſius cum Ivoco agit: qui cum ingentibus promiſſis eum ac ſuos oneraret, et plura a rege ac regina ſperare juberet, fidemque in id aſtringeret; interfatus quidam e nobilitate, qui colloquio intererat, contumelioſe quaeſivit, an eadem religione fidem ſervaturus eſſet, qua datam [t] Caſtelnovio in tumultu [t] Amboſienſi violaverat? exprobrataque in os perfidia, parum abfuit, quin ei ſupremum exitium afferret. Tandem interventu Fr. [u] Momorantii equitum tribuni et Philippi [v] Rheni comitis et Claudii [w] Albaſpinei ab epiſtolis, Ivocus de deditione fidem interponit, modo aequis conditionibus id fieret. Eae a rege dictae prid. Kal. Sept. Ut Ivoco, tribunis ejus ac militi, praeterea oppidanis, vita, fortunae ac poſtremo conſcientiarum libertas ſalva et inviolata eſſent, nullumque illis incommodum, aut periculum ob religionem et ſumpta arma crearetur; omnes ejus copiae ad exercitum regium incolumes deducerentur; cautione de ſecuritate interpoſita, illas in Navarri regni praeſidis tutela fore: quicquid ex regiis vectigalibus et ſupellectile ſacra ab Ivoco in belli ſumptus [δ] juſſu Condaei inſumptum eſſet, ne id ipſi aut a ſe delegatis fraudi noxaeve ſit; utque

VAR. LECT. [α] Troquomartonus *D. f.* Trokmortonus *Ed. Gen.* [β] diſrumpuntur Colinii juſſu, quo *D. f.* [γ] turpiter diſcedere *D. f. o. d.* [δ] mandatu *D. f.*

INTERPR. [a] *le mareſchal de S. André.* [b] *Bourges.* [c] *Orleans.* [d] *Berry.* [e] *le ſieur d'Ivoy.* [f] *St. Urſin.* [g] *la Chaſtaigneraie, ſieur de Touſon.* [h] *le capitaine St. Martin de Brichanteau ſurnommé le Huguenot.* [i] *de Richelieu meſtre de camp.* [k] *l'amiral de Coligny.* [l] *de Lorraine de Vaudemont.* [m] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [n] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [o] *de Lorraine, marquis d'Elbeuf.* [p] *Châteaudun.* [q] *du Chaſtellet, ſieur du Thon.* [r] *Throgmorton* [s] *le duc de Nemours* [t] *le ſieur de Caſtelnau.* [t] *d'Amboiſe.* [u] *le mareſchal de Montmorency.* [v] *le Rheingrave.* [w] *l'Aubeſpine.*

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

utque Pariſienſis curiae et aliarum adverſus haec decreta ſint irrita: et quoniam Ivoeus dicat, ſe Condaeo regis obſequium praetexenti fidem obſtrinxiſſe, liberum ſit ei, remanentibus interea in regio exercitu ſuis, ad Condaeum ire; et inde reverſus regi ſignificare teoeatur, quid ſibi ſit animi, purumne et ſine conditione ſacramentum regi praeſtare paratus ſit: quod ſi nolit, domum redire libere poſſit, nullo damni incommodique periculo; adjectum, ut et tribunis ipſius ac militibus idem jus eſſet, hac tamen lege, ne arma deinceps cootra regem ferant, aut urbem ullam, quae contra regem teneatur, poſthac ingrediantur. His conditionibus urbem Nemoroſio dedere jubetur; quod poſtridie factum eſt, frementibus fere praeſidiariis: quorum tamen aliquot, et inter eos praecipui duces, [a] Sammartious ille, qui cum [b] Richelio pugnaverat, [c] Porta, [d] Sanremigius, et [e] Brionus legionis praefectus Guiſio operam ſuam addixere: reliqui duce [f] Dampetra [g] Aurelianum conceſſere, amiſſis aliquot ex ſuis in itinere, qui alios ſequi non poterant. Eo facto, Ivoeus inconſtantiae reprehenſionem apud multos incurrit; apud omnes certe magnam exiſtimationis jacturam fecit, urbem, rei bellicae peritorum opinione, ſitu, milite et omni alia re firmatam, diutius teneri potuiſſe dictitantes. Intromiſſus miles a Jo. [h] Monterudio [i] Rupiſurionii legato, qui mox Proteſtanteis tanquam ſuſpectos urbe faceſſere juſſit, domibus eorum in praedam militi permiſſis, adempta etiam iis, qui in urbe remanſerant, conveoiendi libertate. Ivoei copiae ad regium exercitum, uti convenerat, deducuntur. Ivoeus Aurelianum profectus, praemiſſo, qui Condaeo adventus cauſam ſignificaret, ooo admiſſus eſt. Nam Condaeus intellecto, Ivoeum venire, ut ſe ſacramento ſolveret, edicit, ne ad ſe accedat, quippe qui nolit illius perfidiae ullo mioiſterio opitulari: monetque intra ſe diligenter cogitet, quid ſit fidem Deo in religionis cauſa fallere. Ita Ivoeus pudore confuſus in caſtra regia redit; in quibus cum aliquandiu fuiſſet, inde domum privatus conceſſit.

XXIII. Eodem tempore in [k] Engoliſmenſi agro, [l] Santonibus, [m] Alnetenſi pago ac locis vicinis res turbavere. Nam [n] Engoliſmae cum ab initio anni Proteſtantes libera conveniendi facultate oſi eſſent, poſtquam Rupifulcaudius comes provinciae vir primarius ad Condaeum Aurelianum profectus eſt, Hubertus [o] Rupifulcaudius Martro Rupifulcaudii comitis patruus, impetratis a Guiſio literis, quibus ei mandabatur, ut urbem ſimul et arcem in poteſtatem redigeret, rem fruſtra tentavit; quippe Joanne [p] Panta decurionum praefecto, et [q] Rario, qui arcem tenebat, adverſantibus; et arceſſito in urbem [r] Rupifulcaudio Montiguidonio et [s] Sanſeverino excluſus eſt, ab eoque tempore Proteſtantes urbe potiti: poſtremo ſeditiooe exorta, cum adverſarii turrem S. Petri oullo ſucceſſu occupaſſent, [α] occaſione ſumpta eos exarmant, ac poſtremo urbe ejiciunt, in iiſque [ſ] Arooldum loci praetorem et [t] Rufum patronum regiom. Ea ſpe fruſtratus Martro, coactis copiis, quibus inter alios [u] Barbatus Sancriſpinus praeerat praedis ac latrociniis infamis, vicinos agros et nobilium domos et arces continuis excurſionibus ac direptionibus infeſtabat, aucto ex eo furore, quod, cum [v] Grammontanus illac ad Condaeum tendens iter haberet, Vaſcooes licentiae ac praedae aſſueti in urbe templa expilaverant, altaribus ac ſtatuis confractis, et immani ſacrilegio maneis Joannis Engoliſmae comitis Franciſci I avi revellerant. Joannes is integritate vitae magnam ſanctitatis apud ſuos

VAR. LECT. [α] inde occaſione *D. f.*

INTERPR. [a] *St. Martin le Huguenot.* [b] *le ſieur de Richelieu.* [c] *la Porte.* [d] *le ſieur de St. Remy.* [e] *Brion, meſtre de camp.* [f] *le ſieur de Dampierre* [g] *Orleans.* [h] *de Mouterud.* [i] *le prince de la Roche ſur Yon.* [k] *l'Angoumois.* [l] *Saintonge.* [m] *pays d'Aunis.* [n] *Angouleſme* [o] *de la Rochefoucaud, ſieur de Martron.* [p] *Panto, Maire de la ville.* [q] *le ſieur du Rair* [r] *de la Rochefoucaud, ſieur de Montguyon.* [s] *le ſieur de St. Severin.* [ſ] *Arnaud, lieutenant civil.* [t] *Rouſſeau, advocat du Roy.* [u] *le capitaine la Barbe St. Creſpin.* [v] *le ſieur de Grammont.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX. ſuos opinionem meruerat, et patum a Divorum cultu aberat. Qua re in ſpeciem offenſi illi, ſeu potius praedae ſpe, capſulam plumbeam refringunt, et cadaver aridum, ſed adhuc integrum, disjiciunt, conſilio capto, ni prohibiti fuiſſent, de eo flammis abolendo; quippe quod pravae adorationi occaſionem praebere dicerent: et arcula conflata inde pilas majore ludibrio quam fructu conficiunt. Eam injuriam mortuo illatam [a] Martro in vivos pleroſque ob religionem ſuſpectos ultus eſt, ac praecipue in [b] Vulſanum, cum quo privatas inimicitias exercebat, direptis paſſim nobilium bonis et arcibus, qui [c] Rupifuleaudium ſecuti fuerant. Inde [d] Cognacum ducit; quod eſt oppidum [e] [α] Carantono impoſitum, arce regia a Franciſco I ſtructa et ſepto viridario nobile, olim provinciae regulorum domicilium. Id jam ante Proteſtantes occupaverant, et ad [f] Leodegarii publice conciones habebant, exarmata plebe. Martro a quibuſdam clam evocatus, cum portis propinquaret detectus, poſt aliquot ſalconum diſploſorum ictus re infecta diſceſſit, et [g] Caſtrum [β] novum ſe contulit, quod mox [h] Montiguidonius et Sanſeverinus copiis ex [i] Petrocoriis ac Santonibus magno numero confluentibus ſubnixi obſedere XVIII Kal. Quintil. et impetu cepere. Martro, qui in arcem confugerat, cum ſuffoſſo muro colloquium petiiſſet, tempus eo uſque extraxit, donec exorto inter duces diſſidio obſidio ſoluta eſt; diſcurrente interea ad praedam milite ſine diſciplina, ita ut ab oppidanis, qui alioqui Proteſtantium religionem profitebantur, excluderentur, direptionis metu, ac ne regios praefectos irritarent. Id incidit in tempus [k] Auguſtoriti capti; qua re non mediocriter turbati qui [l] Engoliſmam tenebant, quatriduo poſt ad primam Ludovici [m] Prevotii Sanſaci denunciationem omnia ſalva pacti urbem dedunt. Poſtridie Martro, relicto in Caſtri-novi arce [n] Nonaco, urbem ingreditur, et biduo poſt Sanſacus, cujus adventu in ſeditionis [γ] auctores animadverſum füit, libertate etiam odiis privatis data. Nec ceſſabat interea Nonacus, qui omni licentiae genere in vicinos graſſabatur, aſſumpto ſecum [o] Berniqueto, qui poſtea capite luit, [p] Crucio latrociniis in [q] Rupicuartenſi ditione patratis infami, [r] Laumonerio, [s] Rupio notho ac [t] Grangeo. Mox et Cognacum deſertum [t] Amblevilla intravit, animadverſis quibuſdam; et Philippus [u] Volurius Ruſeci regulus Proteſtantibus infeſtus occaſione inde ſumpta in ſuae ditionis homines multa inique, multa avare et injurioſe admiſit; [v] Vertolium etiam introducto milite, quod erat Catlorae [w] Roiae Rupifuleaudii uxoris domicilium. In Santonibus, cum ante ad [x] Joannis-ſanum VIII Kal. Apr. Proteſtantium paſtores cum nobilitate illuc a Rupifulcaudio vocata conveniſſent conſultaturi, an per verbum Dei pro conſcientiarum libertate, rege ac regina a captivitate liberandis contra edictorum regiorum violatores et publicae pacis turbatores arma ſumere liceret, et licere pronunciatum eſſet, III Non. Apr. nobilitas in armis comparuit ad [y] Briolium, [z] Sammartino ſibi duce delecto, donec ſe Rupifulcaudio junxere, incendente eos ad rem ſortiter capeſſendam Carolo [aa] Leopardo paſtore. [bb] Oleronenſes, Marennenſes et Alvertani inſulani Proteſtantium doctrinam ſere cuncti profitebantur, et, qui eadem cum iis non ſentiebant, indigne habebantur. Ea re irritati ſacerdotum impulſu quidam arma capiunt, et [cc] Petri-ſanum locum in [dd] [δ] Uliaro inſula munitum occupant; unde mox cum damno edita magna laniena expulſi

VAR. LECT. [α] Carentano *D. f.* [β] novum retro ceſſit *D. f.* [γ] auctores, uti jactabatur, animadverſum *D. f.* [δ] Olerona *D. f. o.*

INTERPR [a] *de la Rochefoucaud, ſieur de Martron.* [b] *le ſieur de Vouzay.* [c] *le comte de la Rochefoucaud.* [d] *Cognac.* [e] *la Charente r.* [f] *St Leger.* [g] *Chaſteauneuf.* [h] *les ſieurs de Montguyon & de St. Severin.* [i] *Perigort & Saintonge.* [k] *Poictiere.* [l] *Angoulesme.* [m] *Prevoſt, ſieur de Sanſac.* [n] *le ſieur de Nonac.* [o] *Breniquet.* [p] *la Croix.* [q] *de Rochechouart.* [r] *le capitaine Laumoſnerie.* [s] *le baſtard de Roc.* [t] *le capitaine la Grange, ſurnommé Jure Dieu.* [t] *le ſieur d'Ambleville.* [u] *de Volure, ſieur de Ruffec.* [v] *Vertueil.* [w] *de Roye.* [x] *S. Jean d'Angely.* [y] *Brion* [z] *St. Martin de la Coudre.* [aa] *Leopard.* [bb] *ceux de l'Iſle d'Oleron, de Marennes, & d'Alvert.* [cc] *bourg de S. Pierre.* [dd] *Oleron.*

expulſi ſunt, quantumvis Joannes [a] Boquinus et Jo. [b] Bruleus miniſtri inſulanos, a concivium ſanguine ut abſtinerent, hortarentur. Nec multo poſt, cum conſilium de occupanda [c] Burdigala, de quo deinceps dicemus, fruſtra fuiſſet, [α] Franciſcus [d] Pontius [β] Mirambellus eques, a Condaeo in Santones, ut ibi cum ſummo imperio praeeſſet, miſſus, [e] Blaviam irrito conatu tentavit: dein per [f] Fortellum Subiſianum ſtrenuum ordinum ductorem vi [g] Talmontium ad [h] Garumnae aeſtuarium occupat, moxque [i] Burgum [k] Duranio impoſitum oppidum aſtu intercipit. Ad rei famam ruſtica plebs raptis ſignis cum ad [l] Auronis-pontem confluerct, Mirambellus, poſtquam Olerona, Marenna et Alvertio ſingulis advectis navibus egregie inſtructis confluentem duorum fluminum abunde ſibi firmaſſe viſus eſt, [γ] Antonio [m] Pontio Bernuelio fratre Burgo impoſito, domum redit; caeſiſque ad Sanſacum aliquot ex illis ruſticis provinciam uſque ad [n] Rupifulcaudii adventum tenuit. Verum cum ex ejus adventu Proteſtantes in ſummam ſpem erecti eſſent, contra votum evenit, ut Bernuelio, dum excurreret, capto ac Burdigalam perducto, et poſt captum [o] Auguſtoritum dedentibus ſe paſſim oppidis, res rurſus in ſummas anguſtias redigerentur. Nam praeter [p] Engoliſmenſeis et Cognacianos, etiam Pontii oppidani, arcis praeſidiarios veriti, locum deſeruere: moxque Talmontium et Burgum itidem recepta.

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

XXIV. INTEREA [q] Rupellani a [r] Vido Chabotio Jarnacio urbis praefecto perſuaſi ſe in eo negotio medios gerebant; et, quamvis plerique ex oppidanis Proteſtantium doctrinae addicti eſſent, nec Jarnacius ab ea alienus eſſet, tamen ſic exiſtimabant, rectius ac tutius ſe facturos, ſi ſe civilibus armis non immiſcerent, et libertatem regiis edictis conceſſam citra tumultum ac cruorem tuerentur; nam nec religionem ferro firmari, et incertum eſſe eorum eventum, quae ſi minus ex voto ſuccedant, non ſolum magna invidia Proteſtanteis onerari, verum etiam in periculum religionem vocari. His rationibus et viri primarii imprimis auctoritate exemploque permoti Rupellani in officio ſe continuere: quod ſecus interpretati ſunt plerique, qui tepiditatem et patientiam Jarnacii ad odium ex [δ] Caroli Chabotii [s] Santafidii fratris a Proteſtantibus occiſi morte conceptum referebant. His ſummis difficultatibus cum conflictaretur Rupiſulcaudius, [t] Bordetnm ad [u] Duracium mittit, qui ejus in [u] Santones adventum maturaret, ur inde conjunctis copiis ad Condaeum proficiſcerentur. Interea Talmontium oppugnatur, ſed irrito ſucceſſu, ſoluta obſidione ſub initium Septembris.

XXV. QUO eodem menſe, cum multi ex iis etiam, qui Condaeum ſecuti fuerant, domum rediiſſent, arma, quae contra regem ferrentur, quanquam male conſultum aut etiam in aliena poteſtate conſtitutum, injuſta cauſati, Rupiſulcaudius [v] Mediolani, quod eſt Santonum metropolis, ſynodum cogit, cui LX circiter paſtores interfuere; in qua quaeſtio ea utrinque agitata fuit; tandemque communibus votis decretum, arma juſſu reginae ſumpta contra regis ac regni hoſteis et edictorum violatores legitima eſſe, atque etiam neceſſaria. Huic ſententiae adverſabatur [w] Bellavilla vir ex primaria nobilitate, qui propter non mediocrem literarum cognitionem et innatam facundiam inter ſuos plurimum poterat, eaque de re literas ſtudioſe elaboratas ad ſynodum dederat; quas illi contrario ſcripto conqniſitis undique rationibus firmato reſutavere, miſſo etiam e ſuo numero [ε] Carolo [x] Leopardo homine vehementi, qui Jarnacio idem perſuaderet, et a priore ſententia

VAR. LECT. [α] Franciſcus *deeſt* D. f. [β] Mirabellus D. f. [γ] Antonio Pontio *deſunt* D. f. o. [δ] Caroli Chabotii *deſunt* D. f. o. [ε] eo quem diximus Carolo D. f.

INTERPR. [a] *Bouquin* [b] *Bruſlé.* [c] *Bourdeaux* [d] *de Pons de Mirembeau* [e] *Blaye.* [f] *le capitaine Fortran de Soubize.* [g] *Talmont.* [h] *la Garonne* [i] *Bourg.* [k] *la Dordogne* [l] *Pont d'auron.* [m] *de Pons, ſieur de Bernueil.* [n] *le comte de la Rochefoucaud.* [o] *Poictiers.* [p] *ceux d'Angouleſme, & de Cognac.* [q] *les Rochellois.* [r] *de Chabot, ſieur de Jarnac.* [s] *le ſieur de Ste Foy* [t] *le ſieur du Bordet.* [u] *le ſieur de Duras.* [u] *Saintonge.* [v] *Saintes* [w] *de Belleville.* [x] *Leopard*

CIƆIƆLXII. Carolus IX.

tentia in ſuam pertraheret. Verum is fruſtra fuit, ſecuta ſtatim tanta animorum ſeu ſecuritate ſeu dejectione, ut cum [a] Caſtroruſius exiguam manum ſecum trahens [b] Joannis-fano tunc milite fere vacuo propinquaſſet, ab oppidanis ſine negotio IX Kal. Oct. admiſſus ſit, his conditionibus, ut cuivis liberum eſſet cum armis oppido excedere et quo vellet abire, eorum, qui abiiſſent, re omni ac bonis ſalvis in oppido remanentibus; eorum vero, qui remanſiſſent, neque vitae neque conſcientiis aut bonis vis fieret. Haec utcunque ſervata, quamdiu Caſtroruſius ibi fuit: verum ejus diſceſſu cum imperium penes Ludovicum [c] Barram Chinonenſem et [d] Richelium excucullatum eſſet, Proteſtantes male neque ſecundum conditiones habiti ſunt. Rupifulcaudius interea, ut antequam provincia decederet, aliquem tutum receptum ſuis pararet, [e] Rupellam [α] irrito conatu intercipere molitus eſt, [β] et ad [f] Pontium verſo impetu, oppidum et arcem vi coepit; ſanum item Joannis mox obſeſſurus. Cumque inde ille aggeres diruiſſet, inde Richelius molatrinas et ſuburbia lamentabili ruina evertiſſet, et uterque, ille ad oppugnationem, hic ad defenſionem, ſe pararet, [g] Duracianae cladis, de qua deinceps dicemus, nuncius Rupifulcaudium a propoſito revocavit. [h] Ratiaſti item Lemovicum cum uſque ad menſem Aprilem Proteſtantes edicti regii beneficio uſi in ſuburbio libere conveniſſent, detecto eorum de occupanda urbe occulto conſilio, exacti [i] Confluentiam ſe recepere: mox deſtructus locus, ubi conveniebant, atque incenſa ab adverſa parte ſedilia ac paſtoris cathedra, uti Lutetiae factitatum intellexerant. Nec multo poſt [k] Gaurus, qui [γ] [l] Monbronium cum XXX praeſidiariis tenebat, haud longe a [m] Caluſio, a Caluſianis et ruſtica plebe obſeſſus eſt, et, cum reſiſtere non poſſet, vitam ſibi ac ſuis pactus deditionem fecit; quibus tamen minime fides ſervata eſt, cum Caluſiani primos eos fidem violaſſe dicerent, exceptoque Gauro omnes trucidati ſunt. Cum ab eo tempore Proteſtantes in [n] Lemovicibus admodum duriter habiti eſſent, ſuperveniente Gilberto [o] Levio Ventadurio primario provinciae regulo ac praefecto, mitius cum illis et aequius deinceps actum fuit.

VAR. LECT. [α] ſed irrito *D.* f. [β] et inde ad *D.* f. [γ] Monbrunium *D.* f. o.

INTERPR. [a] *le ſieur de Chaſteau-roux.* [b] *S. Jean d'Angely.* [c] *la Barre de Chinon*, autrement appellé *le Pin.* [d] *le moine Richelieu.* [e] *la Rochelle.* [f] *Pons.* [g] *deſfaite de Duras.* [h] *Limoges.* [i] *Conſoulens.* [k] *le ſieur de Gaure.* [l] *Chaſteau de Monbron.* [m] *Chalus.* [n] *Limouſin.* [o] *de Levi, ſieur de Ventadour.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER TRIGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

CONSULTATIONE poſt Avaricum receptum habita, Aurelianum an Rotomagum ducendum eſſet, Rotomagum peti placuit, ut expugnatu facilius, antequam auxiliares ex Anglia copiae advenirent. II. *Geſta in aliis regni toto eo anno provinciis. Proteſtantes Meldis ſpecie conveniendi per templa graſſati male mulctantur. Catalauni et Barri ad Sequanam non melius habiti.* III. *Sanſtephani et ducis Luneburgici caedes. Ceani, Autiſſiodori, Novioduni Aeduorum in eoſdem ſaevitum. Ad Leonardi fanum, Antranii, Charitaei ad Ligerim varia fortuna conflictati.* IV. *Male habiti Genabi et Molinii in Boiis. In Arvernis Aurilliaci, cum motibus cauſam dediſſent, adventantibus regiis urbem relinquere coacti ſunt.* V. *Divione ſevera judicia contra eos ob expilata templa. Lugdunum ab iis captum, et mox Cabilo ad Ararim. Qui Auguſtoduni in Aeduis erant, adveniente Tavanio, Lugdunum concedunt. Cabilo a Monbrunio deſeritur.* VI. *Matiſconis ab iis occupati irrita obſidio. Cluniacum captum, et bibliotheca magno rei literariae damno incenſa.* VII. *Matiſco altera obſidione a Tavanio capitur.* VIII. *In Delphinatu Valentiae Segalaunorum indigna Gondrinis praefecti regii Guiſianorum odio caedes.* IX. *Lugduno, Saltuenſi comite amoto, Fr. Bellomontius Adretius Valentini tumultus auctor a Condaeo praeficitur.* X. *Gratianopoli per templa ſaevitum in imagines, et Maugirono regio praefecto poteſtas abrogatur. Incenſum ab Adretio vicinum Carthuſianorum coenobium.* XI. *Arauſionenſis clades a Fabritio Serbellono pontificiarum copiarum ſummo duce. Principatus origo, et Bauſiorum et Cabilonorum ſtirps, juſque in eum principibus noſtris.* XII. *Adretius Petram-latam capit, tantam injuriam ulturus, et praeſidiarios ad unum interficit. Idem Bolenae factitatum, et poſtea Monbriſonii.* XIII. *Gratianopolis a Laurentio Maugirono intercepta, et mox ab Adretio recepta.* XIV. *Jo. Parthenaeus Subizius ob crebras de Adretio querelas a Condaeo Lugdunum miſſus.* XV. *Auxiliares copiae a Bernatibus, Novocaſtrenſibus et Valeſianis miſſae certis legibus, et ut Lugduni cuſtodiae tantum inſervirent: poſtea a Bernatibus revocati ſui.* XVI. *In Provincia exortae ob religionem turbae: cujus praeſes Cl. Sabaudus Tendae comes non ita alieno a Proteſtantibus animo erat: Aquae Sextiae a Jacobo Cruſſolio, qui cum ſecretis reginae mandatis ad eum venerat captae; mox et Bariolium, deſendente locum Flaceano.* XVII. *Interea rebus in aula mutantibus, diplomate publico ſumma praefectura Summarivio Tendae comitis filio Proteſtantibus infeſtiſſimo committitur, qui dimiſſis a patre copiis denuo collectis eos bello perſequitur. Ciſtertio ab eodem irrita obſidione tentatur.* XVIII. *Mornacum in Venaſcinenſi comitatu a Monbrunio vi captum, et crudeliter vaſtatum.* XIX. *Vaureacenſis pugna: in qua Suſianus omnis peditatus ab Adretio caeſus eſt. Alia ab eo pari celeritate geſta.* XX. *Ciſtertio denuo a Summarivio obſidetur, ac tandem capitur, diffugientibus praeſidiariis, quibus ſe ad* IIIICIↃ *exulum omnis ſexus aggregarunt, qui* XL *amplius diebus per inacceſſa et*

et infeſta lòca facto itinere a Moventio Gratianopolim in tutum deducti ſunt. XXI. *Summarivii contra Proteſtantes in Provincia acerbitas.* XXII. *Lugduni obſidionem a Tavanio coeptam Nemoroſius adveniens perſequitur. Ad Bellorepariuм Adretianus peditatus et mox ipſe Adretius a Nemoroſio caeſus; qui verſa vice inter Lugdunum obſeſſum et Viennam Nemoroſium victorem in tantas anguſtias conjecit, ut ipſe obſideri videretur, et interim annona copioſa in urbem importari potuerit.* XXIII. *Delegati a rege et Sabaudo conveniunt de controverſis utriuſque ditionis finibus acturi, et diverſas ſententias ferunt. Cum de Taurino ſibi reſtituendo inſtaret Sabaudus per Margaritam uxorem, ſemel atque iterum interceſſit Bordillonius provinciae praeſes, et rationes contrarias in conſiſtorio regis propoſuit.* XXIV. *Tandem reſtitutum Sabaudo Taurinum hoc anno exeunte, cum ei ex Margarita uxore pridie Eid. Januar. Carolus Emmanuel natus eſſet, qui nunc paternam ditionem regit.*

Ex auctoribus,

L. Vicino Pop. Jo. Serrano, Th. Bezae H. E. Philiberto Pingonio.

LIBER TRIGESIMUS PRIMUS.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

CAPTO [a] Avarico, et, ut Guiſiani dicebant, abſciſſo altero Proteſtantium brachio, conſultatum inter duces fuit, quo victor exercitus ducendus eſſet: et multis recenti ſucceſſu inflatis placebat, ſine mora [b] Aurelianum, belli arcem et Condaei domicilium, peti: in eo duo illa capita eſſe, Condaeum et [c] Colinium, quibus univerſum adverſae factionis corpus moveretur; quibus in poteſtatem redactis, quaſi nervis inciſis, corpus illud debilitari et omnino immobile reddi: auxiliareis copias, quas illi exſpectent, quaſi in ſpecula ad regni fineis ſedere, quae, ſi intelligant Aurelianum obſidione cinctum eſſe, quam nunc ingredi in Galliam geſtiant, tam propere ſe domum recepturae ſint: abunde virium eſſe ad urbem oppugnandam; nam II CIↃ peditum ad [d] portam Aquenſem, quod eſt munimentum ad pontis exitum in adverſa [e] Ligeris ripa exſtructum, diſpoſitis, qui urbem ab illa parte quaſi fraeno impoſito conſtringant, ſupereſſe amplius XII CIↃ peditum et II CIↃ cataphractorum equitum, ſatis ſuperque futura, dum aliae copiae, quae in via jam erant, undique convenirent: ad haec nulla latera, neque foſſam profundam, neque aggerem foſſae ſatis firmum, et munitiones in inſulis exſtrui coeptas valde debileis eſſe; tantum pomoerio urbem valere, quod tamen XXX tormentorum diſploſione per VI dies continuata procul dubio aperiri poſſet: eo ducendum eſſe, antequam Proteſtantes munitiones coeptas ad majorem altitudinem ac firmitatem adducerent, et urbem nunc expugnatu facilem deinceps inſuperabilem redderent: Aurelianum porro, utpote in Franciae praecordiis ſitum, tanti momenti eſſe, ut illud ex manu Condaei eripi, non tanquam ſpinam ex pede avelli, ſed veluti lethalem ſagittam vitalibus adhaerentem et ſpiritum intercludentem extrahi, ad totius regni ſecuritatem ſummopere interſit. Alii contradicebant; adhuc eſſe in urbe duas Provincialium et Vaſconum legiones, quae plus III CIↃ peditum efficerent; praeterea IↃC circiter milites ex [f] Ivoci reliquiis, CCCC item [α] ex nobilitate delecta equites, praeter eos qui in urbe armis ferendis apti eſſent; eum numerum ad VII CIↃ amplius excurrere, contra quem impares eſſent regis copiae, praeſertim cum eas dividi

VAR. LECT. [α] circiter ex D. f. & d.
INTERPR. [a] *Bourges.* [b] *Orleans.* [c] *l'amiral de Coligny.* [d] *porte de l'eau.* [e] *la Loire.* [f] *d'Ivoy.*

Digitized by Google

dividi neceſſe eſſet; ad haec fruſtra incipi tantam obſidionem, niſi proviſis prius ad eam rebus neceſſariis, videlicet pulveris tormentarii c librarum CIↃ, XII CIↃ ferrearum pilarum, et II CIↃ foſſorum, quae omnia, quantumvis diligentiae adhibeatur, vix ante menſem praeparari poſſent: verum inſtare aliud, quod confectu facillimum non minorem in praeſens utilitatem allaturum eſſet, [a] [α] Rotomagi reciperationem, antequam Angli majore numeto eo confluant, et coactis in eo ingentibus copiis ſe latius, quo volent, inde effundant; hoc alterum brachium eſſe, quod primo quoque die incidi expediret: nec vero de Andeloti auxiliaribus copiis multum laborandum eſſe, ad quas intercipiendas CIↃ IↃ equites et [β] III CIↃ peditum, praeſertim accedente urbium, fluviorum et locorum favore, ſatis ſuperque futuri ſunt: quo facto, et expugnato interea Rotomago, dein totum robur contra Aurelianum vertendum, et memorabili obſidione urbem cingendam, eamque aut vi aperta aut cuneis ac ſuffoſſione aut denique exſtructis ad aditus munirionibus poſtremo expugnandam eſſe. Haec ſententia ut potiot tenuit; et ita cenſet Fr. [b] Lanovius in commentariis, qui et Colinium dicere ſolitum refert, urbem, quae ad eruptiones una vice III CIↃ armatos emittere poſſit, eam nec acceſſu facilem eſſe, et vix ad eam admoveri tormenta poſſe: idque nobilibus [c] Patavii in Venetis, et [d] Divioduti in Mediomatricibus exemplis convinci; in quarum urbium obſidionibus Maximilianus et ejus nepos Carolus, duo maximi nominis imperatores, damnum ſimul cum dedecore junctum accepiſſent. Igitur [e] Avarico tandem caſtra movent III Eid. Sept. praemiſſis Rotomagum verſus copiis: de cujus obſidione antequam dicimus, quae in ceteris regni provinciis geſta interea ſunt explicabimus.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

II. [f] MELDORUM civitas in [g] Briae comitatu praecipua eſt: in ea plerique, jam ab illo tempore, quo Gulielmus [h] Briçonetus Gulielmi cardinalis filius in ea civitate epiſcopus fuerat, et, Jacobi [i] Fabri Stapulenſis, qui etiam ante [k] Budaeum literis in Gallia renaſcentibus facem praetulit, opera uſus, eccleſiae emendandae curam ſuſceperat, Proteſtantium doctrinae addicti erant; qui Januarii edicti favore freti publice conveniebant, et ita ab anni initio ſatis pacate vixerant, donec gliſcente [γ] inter eos laſcivia, jam toto regno crebreſcentibus motibus, et poſt laſciviam etiam audacia, a concitata plebe imagines paſſim per templa dejectae ſunt, exeunte Junio: quod ubi Lutetiae cognitum eſt, ſtatim in curia Pariſienſi S. C. conditur prid. Kal. Quintil. quo ſeditioſi tanquam perduelles armis ubique perſequendi devoventur. Decretum illud mox alterum ſecutum eſt III Eid. Quintil. quo paſtores, diaconi et alii hujuſmodi homines ad mortem damnabantur: cui illi Januarii edictum opponentes, quo minus locum haberet, interceſſere. Itaque cum non parerent, et contra inſolenter multa agerent, Lutetia mittitur Joachimus [l] Monlucius Liuſſius Bl. Monlucii frater cum armata ſed exigua manu, et a Proteſtantibus reſiſtere non auſis intra urbem acceptus VIII Kal. Sextil. ſacerdotes [δ] dejectos et uſum ſacrorum poſtridie reſtituit. Aliquanto poſt VIII Eid. Sextil. arma omnia in publicas aedes comportari imperat: et imperio quidem plerique paruere; qui recuſaverunt, ad CCCC circiter armati urbe exierunt, [m] [ε] Bertunenſi ductore delecto, ut ſe [n] Porciano principi conjungerent: qua ſpe falſi, cum huc illuc palantes dilaberentur, a ruſticis ſinguli fere capti et occiſi ſunt, vix ex eo numero XL ſuperſtitibus, qui incolumes Aurelianum pervenerunt. Liuſſio poſtea ſucceſſit Chriſtophorus [o] Urſinus Capella; quo praeſide mitius cum reliquiis Proteſtantium in urbe actum eſt: mox miſſus Claudius [p] Guſſerius Boſii marchio Franciae hipparchus XI Kal. Oct. qui magnum forum, locum tota ea regione

VAR. LECT. [α] nimirum Rotomagi *D. f o d.* [β] IIII CIↃ pedites *D. f. o.* [γ] inter eos *deſunt D f. o.* [δ] inde dejectos *D. f.* [ε] Betunenſi *MS Samm.*

INTERPR. [a] *Rouen.* [b] *la Noue* dit *Bras-de-fer.* [c] *Padoue.* [d] *Mets.* [e] *Bourges.* [f] *Meaux.* [g] *Brie.* [h] *Briçonnet.* [i] *le Fevre d'Eſtaples.* [k] *Budé.* [l] *de Montluc, ſieur de Lioux.* [m] *Bordat* ſelon Dupuy, mais Beze H. E. l. 7, l'appelle *le capitaine Bethmie.* [n] *le prince de Porcean.* [o] *le ſieur de la Chapelle aux Urſins.* [p] *de Gouffier, ſieur de Boiſy, grand Eſcuyer de France.*

CIↃIↃLXII. regione ſpectaculo digniſſimum, demolitus eſt, portis ſori dejectis. Nec multo poſt
CAROLUS IX. ductoribus hominibus ex plebe Pariſienſi II cobortes undique ex ganeonibus collectae ſupervenere, quae nullo non genere inſolentiae laſciviam Proteſtantium in frangendis ſtatuis et templis profanandis ulti ſunt. Multae foeminae per vim in templa tractae, infantes denuo ſacro lavacro abluti, et conjugati rurſus coacti matrimonia jam contracta novo coram ſacerdotibus ritu firmare. [a] Caralauni minus ſaevitum eſt, duobus tantum, quod ſeditionem in urbe excitare conati eſſent, laqueo ſuſpenſis. In [b] Tricaſſibus et pacata omnia fuere, quamdiu Jo. Antonius [c] Caraciolus civitatis epiſcopus [α] in urbe fuit; qui poſtquam diſcedere coactus ſe ad Condacum recepit, in ejus locum miſſus VIII Eid. Apr. a Guiſio [d] Sclavolius, qui Proteſtantium conatus impediret. Tum Franciſcus [e] Clivius Nivernii dux ac Campaniae praeſes ſub initium Auguſti in urbem venit. Is Margaritae Borboniae ſororis Navarri filius et antea Proteſtantium doctrinae addictus Condaeo avunculo fidem quoque addixerat, et ſe eum cum delecta nobilitatis et armatorum manu [f] Aurelianum ſecuturum ſaepius receperat, ac nuper Jacobo [g] Spiſamae olim Nivernenſium epiſcopo, ſed qui tunc miniſtri munere fungebatur, a Condaeo ad ſe legato confirmaverat. Sed cum poſtea [h] Bordii hominis militaris et [i] Blaſii Vigenarii ab epiſtolis ſuaſu ſententiam mutaſſet, non ſolum Condaeo minime morem geſſit, ſed, ut omnem favoris erga Proteſtanteis ſuſpicionem amoliretur, etiam conveniendi libertatem edicto regio conceſſam adventu ſuo ſuſtulit. Inde plebi ubique frementi animis additis in Proteſtanteis ſaeviri coeptum; a libris, quorum inter eos uſus, initio facto, qui ambuſti publice et concerpti ſont. Gremio matrum rapti infantes et rurſus ad templa tracti, ibique ſacro lavacro abluti; repetita item matrimoniorum jam contractorum ſolemnia. His et proſcriptiones ſucceſſere, et LX amplius praecipuorum civium bona mobilia publicata. Quidam et morte luerunt, aut plebis furentis libidine, aut judicum ſententia damnati. Nec foeminis parcitum; quarum tres per vicos inhumaniter tractae ac poſtremo in flumen praecipitatae ſunt, [k] Decurionibus et eorum praefecto faces furenti plebi admoventibus. [l] [β] Barrum ad Sequanam, quod VII leucis a Tricaſſibus abeſt, cum Proteſtantes initio in poteſtatem redegiſſent, loco aliquandiu potiti ſunt, dejectis paſſim imaginibus et altaribus, donec tormentis admotis praeſidiarii in arcem confugiunt, deſerto oppido, ubi nullo non inhumanitatis genere victor graſſatus eſt, ſectis pueris, et eviſceratis quibuſdam, corde etiam pleriſque avulſo, et dentibus, tanquam cibi genere, prae rabie conciſo. Qui in arce erant, cum ſe victoris arbitrio permiſiſſent, fere omnes laqueo ſuſpenſi, et eorum dux inprimis, qui inſolentiae per templa graſſandi, qua adeo plebs irritata fuerat, exemplum dederat. Inter omnia vero immanitatis ferinae exempla hoc recenſetur, quod [m] Raletus quidam procurator fiſci ne proprio quidem filio pepercit, qui per tumultum patibulo affixus eſt; ab eoque tempore diris exagitatus pater moerorem inde contractum aliorum caedibus ac ſuppliciis ſolabatur, donec aliquanto poſt, intercepto oppido a XL circiter equitibus [n] Antranii praeſidiariis, ipſe inter alios captus et tigno domus ſuae alligatus variis ſcloppetorum ictibus crudeliter in eum diſploſis filio poenas pependit.

III. EODEM tempore jam ineunte Septembri [o] Sanſtephanus e nobilitate vir ſtrenuus, qui Condaci partes ſecutus fuerat, cum Aureliano domum ſuam in [p] Remis divertiſſet, ſuſpicione injecta vicinis, quaſi motuum excitandorum cauſa veniſſet, a [q] Suſannaco Cernio cognato, qui ſub Nivernio militabat et CIↃ amplius armatos ducebat, inopinato obſeſſus, cum praeter duos fratres penes ſe paucos haberet, tamen admodum

VAR. LECT. [α] ibi fuit D. f. [β] Barrum vero ad D. f.

INTERPR. [a] *Châlons en Champagne.* [b] *Troyes.* [c] *Caracciol.* [d] *d'Eſclavoles.* [e] *de Cleves, duc de Nevers, gouverneur de Champagne.* [f] *Orleans.* [g] *Spiſame ancien evêque de Nevers.* [h] *des Bordes.* [i] *Blaiſe de Vigenaire.* [k] *le Maire, & Eſchevins.* [l] *Bar ſur Seine.* [m] *Ralet procureur du Roy.* [n] *Antrain.* [o] *le ſieur de St. Eſtienne.* [p] *pays de Reims.* [q] *de Suſane, baron de Cerny, couſin germain de St. Eſtienne.*

admodum animoſe ſe defendit, deſideratique ex Cernianis amplius CXX: ſed admotis tormentis, cum dejecta turre in cellis tantum ſubterraneis receptus eſſet, poſtremo deditio fit; foeminaeque primum eductae et omni mundo ſpoliatae, nec praeterea quidquam indigni paſſae ſunt; ipſe vero Sanſtephanus, quaſi a Nivernio arceſſeretur, cum in conſpectum veniſſet, a milite furente cum fratribus et XV circiter aliis praeter fidem datam pugionibus confoſſus eſt. Aliquanto poſt XIII Kal. Dec. [a] dux Luneburgicus, is, qui cum Guiſio in [b] Ambianenſibus caſtris jurgatus ob idque in [c] Baſtiliam Lutetiae concluſus fuerat, cum XVIII nec amplius comitibus [d] Ramerullum inter [e] Tricaſſeis et Vitriacum Francicum cum veniſſet, ut inde ad Condaeum [f] Aurelianum tranſiret, a Jacobo [g] Claromontano Amboſio Buſſio, qui ejus iter obſervabat, in hoſpitii, ad quod diverterat, cubiculo oppreſſus, amiſſis VI ex ſuis, ipſe multis vulneribus ſauciatus eſt; ex quibus, [h] Catalaunum lectica delatus, paucis poſt diebus deceſſit. [i] Ceriſerii item, [k] Colurii, et Villanovae, quae Jo. [l] Raguierii Eſternaci arx eſt, multa inſolenter a diſcurſante ruſtica plebe et milite patrata, interdum repreſſis ab adverſaria factione ejus conatibus, atque a [m] Cormononelio et [n] Beteneutio inprimis, qui multos ex iis occidere. [o] Ceanum in Ota ſilva oppidum eſt, VII a Tricaſſibus leucis diſſitum; quo cum ruſtica plebs IX Kal. Sept. irrupiſſet, multa inibi crudeliter acta; caede, incendio ac direptionibus. Paulo poſt [p] Semidus cum delecta manu, qui [q] Porcianum principem [r] Argentinam ad auxiliareis copias adducendas tendentem aſſequi non potuerat, [s] Cermoſium ſitu firmum vicum XVI Kal. Sept. occupat, ut diſcurrentium impetus refraenaret; in eoque obſeſſus a II CIƆ amplius ruſticis, cum animoſe reſtitiſſet multoſque ex iis occidiſſet, Porciano ex Germania cum copiis redeunti ſe cum ſuis conjunxit. [ſ] Autiſſiodori et multa a naviculariis, quo genere hominum ut plurimum fero et ſanguinis avido urbs ea abundat, patrata; [t][1] Borgantio quodam cauſidico, et carcerum publicorum cuſtode inſtigantibus: cumque etiam per agros eorum rabies ſe effunderet, ab [u] Avignallo ex nobilitate vicina homine ſtrenuo aliquoties male accepti ſunt. [v] Novioduni Aeduorum, quod hodie Nivernium eſt, cum Proteſtantes uſque ad V Eid. Maii conveniendi libertate uſi eſſent, ab oppidanis [w][ß] Cheveno et Caſtellio evocati portas urbis occupant, et hoſtiliter in ſuſpectos irruunt; tum infantes denuo lavacro abluti et repetita matrimoniorum ſolemnia. Eo mox [x] Faieta ex [y] Arvernis regulus venit X Kal. Junii, et ſenatuſconſulti Pariſienſis in Proteſtanteis ſeditioſos facti auctoritate fretus eorum bona publicat, ex iiſque ingentem pecuniam corradit. Eadem licentia [z] Corbinii, quod et Leonardi fanum appellatur, graſſati ſunt [aa] Noeſatus Faietanae equitum alae metator, Antonius [bb] Doivetus ſani Petri praefectus, et [cc] Caſtellionis frater, eques Hieroſolymitanus: ſed mox intercepto, ſcalis admotis a [dd] Blanaco Vezelio et [ee] Bordio Petotio, oppido, in illos crudeliter vindicatum fuit, expilatis templis et imaginibus, et altaribus dejectis: ab eoque tempore Proteſtantes ad pacificationem uſque proximam loco potiti ſunt. Aliquanto poſt [ff] Antranium in Donzienſi agro a Ludovico [gg] Bloſſeto Floriaco Blaeſo Condaei nomine pridie Eid. Dec. interceptum, et in eo patibulo affixi et ſcloppetis confoſſi Stephanus

VAR. LECT. [ß] Chevenovius et Caſtello D. f. o.

INTERPR. [a] *le duc de Lunebourg.* [b] *camp d'Amiens.* [c] *la Baſtille.* [d] *Rameru.* [e] *Troyes & Vitry le François.* [f] *Orleans.* [g] *de Clermont de Buſſy d'Amboiſe.* [h] *Châlons ſur Marne.* [i] *Ceriſiers.* [k] *Coulours & Villeneufve.* [l] *Raguier, ſieur d'Eſternay.* [m] *le ſieur de Cormononcle.* [n] *de Bethencourt.* Beze l'appelle *le ſieur de Bezancourt.* [o] *Ceant en Othe.* [p] *Semide.* [q] *Antoine de Croy, prince de Porcean.* [r] *Strasbourg.* [s] *Cermoiſy.* [ſ] *Auxerre.* [t] *l'avocat Bougault.* [u] *d'Avigneau.* [v] *Nevers.* [w] *de Chevenon, & Chaſtillon en Bazois.* [x] *la Fayette.* [y] *Auvergne.* [z] *Corbigny,* dit *S. Leonard en Nivernois* [aa] *de Norſat, mareſchal des logis.* [bb] *Doivet, gouverneur de S. Pierre le Mouſtier.* [cc] *le chevalier de Chaſtillon en Bazois.* [dd] *René de Monceaux, ſieur de Blanay près de Vezelay.* [ee] *la Borde Petot.* [ff] *Antrain au pais de Donzy.* [gg] *Bloſſet, ſieur de Fleury.*

NOT. [1] Lege *Bougautio.* V. Hiſt. de la priſe d'Auxerre, p. 94. C

CIƆIƆLXII. phanus [a] Blondeletus ſacrificus, et lictor quidam, qui de Proteſtantium laniena faCAROLUS IX. cienda conſilium iniiſſe dicebatur. [b] Trovanius Sequanus, quamvis alienigena, occaſione praedandi ſumpta, cum armatis in vicinam regionem deſcenderat: is cum ptaeſidiariis Antranii aliquoties congreſſus ſemper cum damno diſceſſit, donec et ipſe in Blanaeum incidit, cujus manu poſt aliquod certamen mactatus eſt. Proteſtanres jam ante beneficio edicti in eorum gratiam anni initio promulgati [c] Charitaeum occupaverant, et praefectum delegerant [d] [α] Amadeum Portam Iſſertium e vicina nobilitate hominem oppidanis acceptum: eo vim facere ſaepius conati Cheveno et [e] Achonius, [f] Bellomontius ac Ferrerius, fruſtra fuere: poſtremo Faieta oppidum obſidione cingit, et exorto inter oppidanos tumultu deditione accipit XII Kal. Quintil. aequis conditionibus; quibus tamen non ſtetit Faieta, rapto per vim e manibus Iſſertii earum breviculo ab [β] Lud. [g] Laſtico Arvernorum priore Faietae legato: itaque ad praedam aeque expoſiti ſunt, ac ſi nullae conditiones perſcriptae eſſent. [h] Ligondus oppido a Faieta impoſitus, cui [i] Lachenaeus eques Melitenſis poſtea ſucceſſit. Nec mitius cum vicinis Charitaco oppidulis actum eſt, [k] Bonio, [l] Neovio, [m] Conada et Caſtellione ad Ligerim miſere a licentioſo milite expilatis.

IV. [n] GENABENSIUM et vicinorum locorum aeque deploranda conditio ſub utriſque fuit; nam, cum oppidum initio a Proteſtantibus teneretur, miſſus eo a Condaco repetitis ſaepius vicibus miles, ut ſe recrearet, magno oppidanorum etiam Proteſtantium damno et incommodo; qui poſtremo domos ac lares relinquere coacti ſunt, et inde [o] Montargirium ac Aurelianum migrare: tandem poſt captum [p] Avaricum oppido deſerto regii potiti ſunt, qui nullo non genere crudelitatis et inſolentiae in eos, qui remanſerant, ſaevierunt; proditumque eſt, Italos, qui regi militabant, [γ] odio Proteſtantium eo uſque furoris provectos eſſe, ut, puero vivo ſecto, ejus jecur evulſum calens adhuc tanquam pro cibo ederint. [q] Molinium, quae eſt Boiorum metropolis, hodie ii Borbonii appellantur, et inde regiae familiae nomen, [r] Montareus a triumviris miſſus, homo imperioſus, qui nullis judiciarii otdinis ſolemnibus ſervatis ſuſpectos de ſeditione ad ſupplicium rapi jubebat, cum carnifice familiaritate contracta, quem ob id vulgo compatrem vocabat: is ſcripto milite omneis Proteſtanteis oppido [δ] exegit, in abſentium bona licenter graſſatus: quo factum, ut exulum querelis ac precibus exorati Petrus [s] Papa Santalbanus et Sanjoannes, cum illac Aurelianum tendentes cum copiis in [t] Septimania conſcriptis iter haberent, de Molinio obſidendo conſilium ceperint; ſed literis Condaci revocati coeptum iter perſecuti ſunt. In illorum agmen factus a ruſticis impetus, et quidam occiſi, alii capti, qui poſtea capite luerunt. In [t] Arvernis ad [u] Auriliacum Proteſtantium frequens conventus erat, qui, ſolemnia et ipſi inſanientes, templis expilatis ſtatuas confregere. Inde occaſione ſumpta [v] Breſſonius quidam, homo ceteroqui non integra fama, ſed manu promptus, regium imperium praetexens in oppidum venit III Non. Junii; quem ejuſdem ſarinae alter [w] [1] Mantellius nomine mox ſecutus eſt: eorum adventu ſibi conſcii Proteſtantes periculo praevertere exeunte Maio; et pars Aurelianum ad Condaeum, pars [x] Lugdunum, pars in [y] Lemovices conceſſerunt. Inde praedandi licentia impunita, vagari miles, et per pagos ac vicina oppida graſſari: [z] Argentatum direptum; mercatores per vias publicas ſpoliati; mulierum etiam pleriſque locis vis pudori allata. Ad [aa] Joannis-fontem, quod

VAR. LECT. [α] Amadetum D. f. o. [β] Lud. Laſtico *deſunt* D. f. o. [γ] odio religionis eo D. f. o. d. [δ] exigit, et in abſentium bona licenter graſſabatur D. F.

INTERPR. [a] *Blondelet.* [b] *le ſieur de Trovans du Comté de Bourgogne.* [c] *la Charité.* [d] *Amadé de la Porte, ſieur d'Iſſertieux.* [e] *le ſieur d'Achon.* [f] *de Beaumont, & la Ferriere.* [g] *Laſtic, grand prieur d'Auvergne.* [h] *de Ligondes.* [i] *Lachenau.* [k] *Bouny.* [l] *Neuvy.* [m] *Coſne, & Chatillon ſur Loire.* [n] *Gien.* [o] *Montargis, & Orleans.* [p] *Bourges.* [q] *Moulins en Bourbonnois.* [r] *de Montaré.* [s] *Pape de St. Auban, & le ſieur de St. Jean.* [t] *Languedoc.* [t] *Auvergne.* [u] *Aurillac.* [v] *Breſſons.* [w] *Mautelly.* [x] *Lyon.* [y] *Limouſin.* [z] *Argentate.* [aa] *Fontaine-Jean.*

NOT. [1] Lege *Montellius.* Beze Hiſt Eccl. l. 7, p. 473. C.

quod eſt coenobium haud longe a [a] Caſtellione ad [α] Lupam, monachi, cum profeſſionis obliti arma ſumpſiſſent, et milite conducto magna damna vicinis darent, a [b] Dampetra repente obſeſſi Nonis Octobris, et, quod reſiſtere auſi eſſent, ad unum fere omnes ferro caeſi, paucis exceptis, qui in turrem tintinnabulorum evaſerunt, ubi fumo et igne ſubjecto, cum aliter deturbari non poſſent, poſtremo perierunt. CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

V. In Burgundia Proteſtantes et male habiti ſunt. Ac [c] Divione quidem, quae urbs tanquam caput provinciae eſt, cum Kal. Martiis Gaſpar [d] Saulius Tavanius Aumalii legatus diploma a rege impetraſſet, quo libertas conveniendi Proteſtantibus Divione et per urbes in limite poſitas adimebatur; eo in ſenatu promulgato, ſtatim exacti miniſtri; nec, quamvis contrariis a rege poſtea impetratis mandatis, obtineri potuit, ut libertas ſemel ſublata reſtitueretur. Exarmati dein in urbe Proteſtantes, et quidam ex iis in carcerem conjecti; mox ei expulſae mulieres ac pueri et virgines [β] lamentabili utique ſpectaculo, et introductus [e] Balmeus Monrevelii comes cum ſua equitum ala. Cum vero fama percrebreſceret de expilatis a Proteſtantibus paſſim templis, publico edicto jubentur ruſtici armis ſumptis rebelleis perſequi, ita novae religioni addicti deſignabantur, qui igni et aqua eodem edicto interdicuntur: prohibenturque omnes eis opem, alimenta, hoſpitium praebere, poena perduellionis in eos, qui contra facerent, ſtatuta. Plus II CIƆ Divione ob [γ] eam cauſam exacti, in iiſque opimae et honeſtae conditionis homines, et variis modis vexati, praefectis in eos ſeverius animadvertentibus, et plebe, praeter aliarum regionum conſuetudinem, moderatius in eo negotio, quamvis a magiſtratu incenderetur, ſe gerente: tantum [f] [1] Iſſutilium oppidum, ubi conventus agebatur, direptum: [g] Mirabelli quidam, qui populum ad ſeditionem concitaſſe dicebantur, capti, et Divionem ducti atque ibi ſupplicio affecti ſunt: puella quoque XVI annorum ob eandem cauſam capite luit. Sed praedam quam ſanguinem malebant, qui ſummae rerum in Burgundia praeerant: itaque [h] Axonae XVII Kal. Junii Alexander [i] Saulius Torpius Tavanii gentilis urbis praefectus et decuriones Proteſtantibus edicunt, ut oppido excedant, aut ad majorum ſacra eant: res tamen fere citra ſanguinem et unius aut alterius tantum caede aut aedium direptione tranſacta eſt. Paulo ante [k] Belnae, cum [l] Ventoſii praefecti mandatu idem oppidanis edictum eſſet, VIII Eid. Maii, IƆ CCC circiter expulſi et in eorum aedeis immiſſi praeſidiarii: imperata item grandis pecunia: et ſenatus decreto poſtea juſſi, qui remanſerant, ad majorum ſacra redire. Contra, capto a Proteſtantibus, qua de re mox ordine dicemus, [m] Lugduno, paulo poſt [n] Cabilo ad Ararim in eorum manus venit: eoque confeſtim miſſus eſt Carolus [o] Podienſis Monbrunius cum IƆ ſcloppetariis, qui urbis cuſtodiae praeeſſet: ſed ſuperveniente Tavanio, navibus impoſito milite, locum ut ad reſiſtendum imparem deſeruit, qui ſtatim venienti patuit, expoſitis in praedam civibus: quod magno Monbrunii nimium ſuis de hoſte terrorem injicientis probro vertit. [p] Auguſtoduni in Aeduis, ubi Proteſtantes pacate uſque ad VIII Kal. Quintil. libertate edicto Januarii conceſſa uſi fuerant, cum Tavanium victorem cum copiis contra eos [q] Villa-francone duce adventare intellexiſſent, civitate exceſſere, et Lugdunum ſe recepere: infantes, qui remanſerant, rurſus lavacro abluti, et repetita matrimoniorum ſolemnia.

VI. [r] Matiscone item, quae civitas triduo poſt occupatum Lugdunum a Proteſtantibus capta eſt, imaginibus paſſim per templa profligatis, tantus terror, Cabilone

a

VAR. LECT. [α] Loniam *D. f. o. d.* [β] lamentabile utique ſpectaculum, introducto Balmeo Montrevelii comite cum *D. f.* [γ] ob religionem exacti *D. f.*

INTERPR. [a] *Chaſtillon ſur Loing.* [b] *le ſieur de Dampierre.* [c] *Dijon.* [d] *de Saulx, ſieur de Tavannes, lieutenant pour le roy en l'abſence du duc d'Aumale.* [e] *François de la Baume, comte de Montrevel.* [f] *Is-ſur-Tille.* [g] *Mirebeau en Bourgogne.* [h] *Auſſonne.* [i] *de Saulx, ſieur de Torpes, capitaine de la ville.* [k] *Beaune.* [l] *Ventoux.* [m] *Lyon.* [n] *Chalons ſur Saone.* [o] *du Puy, ſieur de Montbrun.* [p] *Autun.* [q] *le ſieur de Ville-francon.* [r] *Maſcon.*

NOT. [1] *Iſſutilium.* Til eſt une petite riviere vers Dijon, qui ſe deſcharge dans la Saone. *Pat*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

a Monbrunio deſerto, injectus, ut plerique de eo relinquendo cogitarent. Itaque occaſione uſus Tavanius confeſtim eo advolavit et ante portas comparuit: verum a civibus excluſus, cum ſpe concepta excidiſſet, III Non. Junii eodem cum exercitu ex Sequanis fere et Hiſpanica inſignia geſtantibus conſtante quaſi urbem obſeſſurus venit; caſtriſque poſitis, cum illi exprobraretur, quod contra Francos Hiſpanicis auxiliis uteretur, fanum Joannis retro ceſſit; ſed mox rurſus rediit portas inopinato occupaturus, irrito tamen ſucceſſu, quippe praeſidiariis gnaviter locum tuentibus repulſus. Sed cum ad alteram obſidionem ſe compararet, miſſus Lugduno Caeſar [a] Guilleramus Entragius, cujus adventu confirmati oppidani initio crebras eruptiones fecere plerumque obſidenti damnoſas: nihilominus Tavanius ducta foſſa ab ima parte V Non. Quintil. S. Laurentii ſuburbium occupat; inde facta pulſatione vix duarum horarum ſpatio omnia munimenta deſtructa ſunt: quo eodem die [b] Mutius quidam olim Tavanii domeſticus de prodenda civitate cum eo clandeſtina conſilia ferere convictus patibulo affixus eſt, interminante Entragio, cum poſtridie deditionem facere juberetur, Tavanium, ſi in ſuas manus incideret, eandem ſortem experturum. Quo reſponſo irritatus Tavanius contra [c] Turrem diſploſis CIↃ IↃ ictibus, et compluribus rurſus ruinam verſus, ubi plerique occiſi ex praeſidiariis, tandem cum XII tantum delectos ad ruinam contemplandam miſiſſet, ex quibus VI occiſi ſunt, ab impetu faciendo abſtinuit. Nocte inſequenti egreſſi praeſidiarii excubias caedunt, et uſque ad tormenta progreſſi, ut ea confringerent, ſuperveniente Tavanio poſtremo repulſi ſunt; qui tamen poſtridie vaſis conclamatis obſidionem ſolvit, quaſi urgente alio negotio longinquo, relictis in itinere, dum properare fingit, pulveris tormentarii doliis aliquot, et ſtructis inſidiis, in quas praeſidiarii prae ardore inſequentes praecipitarent. Verum aſtum praeſenſit Entragius, et ſuos continuit. Tavanius diſtributis per loca vicina copiis Cabilonem adverſo flumine revertitur. Accidit vero, ut, cum II decuriones urbis pretioſiorem ſupellectilem ex templis ac praecipue [d] Vincentii fano corraſam Lugdunum, ut eam ad belli ſumptus ſuſtinendos diſtraherent, ſecundo [e] Arari deveherent, in [f] Sanpontium, qui fluvio cum peditatu et aliquot [g] Allobrogum nobilium manu ad eos intercipiendos tranſmiſerat, inciderint; qui praeda, quae XII CIↃ aureorum aeſtimabatur, potitus, minime eam eccleſiae reſtituit, ſed tanquam bello partam in profanos uſus ſuos ac ſociorum conflavit. Accidit et aliud, quod non mediocriter res in urbe conturbavit. Nam, cum lixae duos ex praecipuis ordinum ductoribus deferenti fides habita fuiſſet, et illi in carcerem conjecti eſſent, poſtremo delatore calumniae convicto et in furcam acto, non tamen militum, qui ſub illis ducibus merebant, propterea ſedatus furor, ſed aperta ſeditione Entragio etiam interminati ſunt: quod ille, etſi animo ut manu promptus, prudenter diſſimulavit; moxque eductis extra [h] Matiſconem in aciem omnibus tanquam ad ſtipendium accipiendum, ſeditioſas cohortes ingreſſu urbis prohibuit, quae inde excluſae [i] Bellavillam, quae a Proteſtantibus tenebatur, commodum ſub veſperam V Kal. Sextil. venere: nam ea nocte jam albeſcente die Sanpontius cum IↃ delectis peditibus et CC equitibus ſupervenit, ea ſpe, ut loco neque ſitu neque milite firmo citra certamen potiretur: ſed re detecta a Matiſconenſibus fortiter repulſus cum damno retro ceſſit, abactis tantum gregibus et vaſtato circum agro. Triduo poſt Entragiani CXX, quos ducebat [k] Vertius miles ſtrenuus, caeſi aut in fugam verſi; dum interea ipſe Entragius [l] Petroclavium locum munitum obſideret, cui praeerat [m] Monroſatus, quem poſtremo ad deditionem ſine conditione adegit; vita tamen illi ſalva fuit: capti cum eo circiter XXV

et

INTERPR. [a] *le capitaine Guilleran d'Entrages.* [b] *Muſſy* [c] *Tour de Charolet.* [d] *l'Egliſe de S. Vincent de Maſcon.* [e] *la Saone.* [f] *le ſieur de St. Ponct.* [g] *Dauphinois.* [h] *Maſcon.* [i] *Belleville.* [k] *le capitaine Verty.* [l] *le Château de Pierre-cloux.* [m] *le capitaine Monroſat.*

et Matiſconem deducti ſunt, ubi poſtea urbe capta homines rapto aſſueti captivitatem ſuam incredibili rapiendi et ſaeviendi licentia ulti ſunt. Sub id tempus [a] Poncenacus Lugduno a [b] Subiſio ſummiſſus cum Helvetiis auxiliaribus, quibus praeerat Nic. [c] Diesbachus antiquae nobilitatis vir in [d] Bernatum pago, et Gallicis copiis Matiſconem venit, ut tanti momenti urbem, quippe ex qua annona fere omnis ac copioſus commeatus Lugdunum comportatur, et qua amiſſa ampliſſimam civitatem in extremas tandem anguſtias adduci neceſſe erat, contra Tavanium tueretur: verum is [e] Sanpontiana arce omiſſa, quam capi ſecuritatis publicae maxime intererat, ſtatim [f] Trinorchium ducit, ducto ſecum [g] Entragio, et relicto Matiſcone militibus fere vacuo. Ibi poſt aliquot certamina, in quibus [h] Lucotus et Bellorepairius praecipui ab utraque parte duces deſiderati, tandem confuſos praeſidiarios locum deſerere coegit: quo facto tantum Tavanianis terrorem injecit, ut ii jam [i] Divionem cogitarent. Intellecto tamen, Helvetios nolle a Lugduno longius divertere, ob idque Matiſconem ſine firmo praeſidio remanſurum, primum eorum animi, an a Poncenaco ſeparari poſſent, tentari coepti; dein, dum auxiliares Itali advenirent, vicina loca, a quibus ſibi metuebat, milite firmata. Interea Poncenacus [k] Cluniacum nobiliſſimum toto Chriſtiano orbe coenobium impetu capit; in cujus direptione longe copioſiſſima et omni librorum manuſcriptorum ſupellectile inſtructiſſima bibliotheca, magno ſtudioſorum dolore et incredibili reipublicae literariae, quod vix unquam ſarciri poterit, detrimento, militari licentia aut incendio periit. Vertius itidem [l] Seneſceam arcem in propinquo aſtu capit.

CIƆIƆLXII.

Carolus IX.

VII. Dum in eo ſunt, Tavanius tempus nactus egregium facinus aggreditur: eductiſque [m] Cabilone noctu ſummo ſilentio IƆ CCC peditibus, IIII equitum vexillis; ita ut de eo Poncenacii cognoſcere non potuerint, recta Matiſconem ducit XV Kal. Sept. quo ſub id tempus propinquavit, quum excubiae mutantur; relictiſque altero ab urbe lapide ſuis, treis carros frumento et palea onuſtos ad [n] portam Barrenſem praemittit; monitiſque per carrucarios cuſtodibus, ut aperirent ad annonam, quae in horreum publicum portabatur, accipiendam, ſtatim is, qui claveis portarum penes ſe habebat, rei ut creditur conſcius, aperit: et primus quidem bubulcus, quem alii pone ſequebantur, prima ac ſecunda porta pertranſitis, ad tertiam ſubſtitit, everſo arte carro, uti convenerat, ſic ut porta neque claudi neque raſtrum ferreum demitti ad aditum obſerandum poſſet: tum XX armati, qui poſt macerias latebant, accurrunt, et occiſis cuſtodibus, ſigno dato alios, qui poſt ſequebantur, evocant; conjunctique, ac debili admodum ſtatione, quam obviam habuerunt, nullo negotio trucidata, urbem in poteſtatem redigunt. Id autem patratum opera et induſtria Franciſci [o] Perronii urbis pragmatici, qui communicato cum [p] Sanpontio conſilio clavium portarum cuſtodem corruperat; quem ſtatim admiſſo hoſte curavit interficiendum, ne, ſi res poſtea praeter votum caderet, ipſe detectus de vita periclitaretur. Tum diſpoſitis ſtationibus ad praedam diſcurritur, viris paſſim ac foeminis huc illuc fugientibus; quorum plerique in fluvium merſi; alii, dum per moenia inſiliunt, ſe in foſſam fractis cruribus aut brachiis praecipites dedere: quidam potiorem mortem ducentes in veſtigio pugnantes occubuere. Ibi ingens ſtrages edita a [q] Petroclavianis captivis, qui obvios quoſque trucidare, brachiis ac cruribus truncare ludum ducebant. Fama amiſſi [r] Matiſconis in caſtra ad Poncenacum perlata paene eum cum Entragio, dum alter in alterum cladis culpam rejicit, ad mutuam perniciem commiſit; ſed periculo urgente rixae ad tempus temperatum eſt, et in id

INTERPR. [a] *le ſieur de Poncenat, colonel de la cavallerie de Lyon.* [b] *le ſieur de Soubize.* [c] *de Dieſbach* [d] *Berne.* [e] *Château de St. Poinct.* [f] *Tournus* [g] *d'Entrages.* [h] *les capitaines Luquot & Beaurepaire* [i] *Dijon.* [k] *Cluny.* [l] *Château de Seneſcay.* [m] *Chalons.* [n] *porte de la Barre.* [o] *du Perron procureur.* [p] *le ſieur de St. Poinct.* [q] *ceux du Château de Pierre-cloux.* [r] *Maſcon.*

CIƆIƆLXII. id poſtremo uterque conſenſere, ut de damno ſecuritate nimia accepto, diligentia, CAROLUS IX. ſi poſſent, ſarciendo unanimiter ac ſerio cogitarent; continuoque ad urbem duci placuit, palante adhuc et praedae intento milite, antequam ad ſigna conveniret. Itaque praemiſſi Helvetii cum tormentis et omni bellico apparatu: ſed vehementi coorto imbre diſturbati leucam circiter ab urbe conſtitere, dum interea Entragius ſcalis admotis impetum faceret, qui fere ab omnibus propter foedam tempeſtatem deſertus fruſtra fuit: Helvetii vero majus negotium, quam quod tam facile confici poſſet, rati, retro pedem referunt, relictis tormentis et bellico omni inſtrumento, quo Tavanius potitus eſt: et ita imbre, metu et labore fractus ac paene exanimatus miles [a] Bellavillam receptum habuit; quo, dum ad curandum corpus et ſarcinis colligendis quiſque diſcurrit, ſupervenit Laurentius [b] Maugironus, ac parum abfuit, quin exercitus reliquias in hoſpitii ingreſſu, quod ſumme periculoſum ſemper fuit, oppreſſerit. Verum Poncenacus per lixas de hoſtis adventu certior factus ſtatim ad portam jam ſtatione nudatam accurrit, et [c] Pluvialium virum ſtrenuum, cum xx equitibus, quos ſuperſtites penes ſe habebat, emittit; qui in primo congreſſu, Hercule Maugironi legato interfecto, ceteros in fugam vertit. Nocte inſequenti Helvetii novam impreſſionem veriti [d] Villam-francam in Belli-jocenſi agro conceſſere, quam [e] Santalbanus, cum ad Condaeum tendens illac tranſiret, nuper occupaverat. Hoſtis metu amoto, in praedam effuſi omnes; cujus majorem partem, ſicuti inter Proteſtanteis tunc jactabatur, [f] Tavanius tulit, et uxor ejus [g] Franciſca Balmia ex Monrevelii comitum familia, avara foemina. Qui capti ſunt, praeter paucos qui ſe grandi pretio redemerunt, omnes in fluvium praecipitati. Urbi impoſitus [h] Sanpontius; qui, ſeu natura ſaevus, ſive ultione ardens, quod multa damna accepiſſet, nullo non genere crudelitatis in ſuſpectos ſaeviit, inter ſaeviendum plerumque miſeris hominibus illudens: nam cum elegantiores urbis foeminas et vicinae regionis nobileis matronas, quae ad urbem ventitabant, plerumque convivio acciperet, illi ſolemne erat poſt coenam, dum ſecundum ripas amoeni fluminis, quod urbem alluit, inter militum greges deambularet, unum aut alterum e captivis, quos levi de cauſa plurimos in carcerem quotidie trudebat, producere ac de ponte dejicere, eoque ſpectaculo ſe ac convivarum oculos ſatiabat; dijudicans ac plerumque a comeſſantibus quaeritans, ecquis expeditiore ſaltu et majore cum alacritate ſe praecipitem dediſſet. Et ita toto eo tempore, quo Mariſconi praefuit, ſe geſſit; donec in [i] Achonium capitalem inimicum ſuum, cum in arcem ſuam vicinam proficiſceretur, incidens, ab eo ſcloppeti ictu in conflictu occiſus meritas tot caedium poenas luit.

VIII. [a] IN [k] Delfinatu vicino praeerat provinciae [l] Gondrinius Guiſii legatus, vir nobilitate et fortitudine inſignis, qui, cum a Proteſtantibus, quos variis modis infeſtaverat, ſibi metueret, VII Kal. Maias, B. Marci die, quo ſolemne eſt ut novi [m] conſules eligantur, [n] Valentiam venerat, operam daturus, ut ii crearentur, qui a Proteſtantium partibus alieni eſſent. Interceptae et tunc Guiſii ad eum literae, quibus mandabat, ut paſtorem comprehenderet, et comprehenſum ſtatim in furcam ageret ad aliorum terrorem: quod vehementer animos ſociorum inflammavit. Is ergo militem ſcripſerat, et quoſdam jam in urbem acceperat, portaſque novis cuſtodiis muniverat: quod illi veriti, ut periculo praeverterent, [o] Romanio, [p] Montelio Adaemari ac vicinis oppidis auxilia arceſſunt, et jam illa in itinere erant; et e nobilitate praecipui, quorum princeps F. [q] Bellomontius Adretius, qui ſecreta mandata

VAR. LECT. [a] Nunc, quid interim in Delfinatu actum ſit, operae pretium eſt, ut ordine dicamus. Praeerat provinciae *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Belleville.* [b] *de Maugiron.* [c] *le capitaine Pluviaux.* [d] *Ville-franche en Beaujolois:* [e] *de St. Auban.* [f] *le ſieur de Tavannes.* [g] *Françoiſe de la Baume, ſeconde fille de Jean III comte de Montrevel.* [h] *le ſieur de St. Pomct.* [i] *le ſieur d'Achon.* [k] *Dauphiné.* [l] *le ſieur de la Motte Gondrin, lieutenant au gouvernement de Dauphiné en l'abſence du duc de Guiſe.* [m] *conſuls & conſeillers.* [n] *Valence.* [o] *Romans.* [p] *Montelimar.* [q] *de Beaumont, baron des Adrets.*

mandata a regina babebat, in urbem venerant, negotia privata praetexentes, cum vi Kal. Maii, qui dies in Dominicum incidit, Proteſtantes, qui in urbe erant, Adretii praeſentia freti xxc circiter armati portam S. Feliçis occupant; quo cognito mox eo Gondrioius cum ſuis advolat: dum pugnatur, auxiliares, nam ita coovenerat, comparuere; quorum adventu territi Gondriniani retro cedunt, deſideratis ab utraque parte tantum xx: ipſe Gondrinius cum aliquot delectis ex rumultu in aedeis ſuas confugir, ibi tantiſper quieturus, dum plebis efferatae ſurot deſerveſceret, et ipſe vireis novas colligeret; ſed inde ſine mora ad eas ſactus impetus, ſubjecto januae igni, qua reſracta Adretius cum aliis ex praecipua nobilitate adſuere: tum Gondrinius, ſide data, ex tecto, in quod evaſerat, deſcendere jubetur; et erant qui cum ſervatum mallent: ſed fremente extra in via plebe, [a] [1] Monjuſius ex nobilitate homo privata injuria offenſus ſupervenir, qui ſummota turba ad Gondrinium accedens, Quod aliis, inquit, moliebaris, jam tu experieris; totque hominum praeter jus ac ſas occiſorum poenas lues: ſublatoque loricae, qua indurus erat, ſubligaculo, in coxendicem pugionem adegir; eoque vulnere Gondrinium necat, atque, ut plebis in via tumultuanris rabiem expleret, cadaver laqueo ſuſpenſum ad feneſtras ſpectandum praebuit. Caede patrata, Adretius III Kal. Maii Valentia ad reginam dat literas, ut factum excuſaret; et ſe ac primariam provinciae nobilitatem ad aſſerendam regis atque ipſius libertatem contra conjuratos regni hoſteis in armis eſſe dicit; eoque conſilio Valentiam veniſſe, ubi plebem ob injurias a Gondrinio acceptas tumultuantem [α] cum offendiſſet, impedire minime potuerit, quo minus in aedibus ſuis obſeſſum interfecerit: ſe vero decreviſſe inrra paucos dies Lutetiam verſus cum copiis egregie inſtructis proficiſci, ut ſe cum principibus et aliis proceribus conjungat, debitumque obſequium regi atque ipſi praeſtet. Cum Gondrinio et occiſus urbis praepoſitus juridicus, qui, quod Gondrinii voluntatibus plus aequo morem gereret, odium in ſe oppidaoorum concitaverat; ſtatim conficto et ſparſo per urbem rumore, inter chartas ejus repertas Guiſii literas, quibus mandatum de Proteſtantibus per urbes ſingulas interficiendis continebatur; ad eamque rem IIII Non. Maii dies dicebatur: quod facile creditum, exulceratis adeo ad primos illos motus utrinque animis, conſpirationis, quae jam Lugduni inibatur, praecipitandae cauſa exritit. Res autem in hunc modum accidit.

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

IX. Crebrescente paſſim fama de motibus ob religionem exortis varie affecti civium in urbe animi erant; cui tum Franciſcus [b] Agutius [β] Saltus comes praeerat ſub [c] Nemotoſio, vir miti ingenio nec admodum Proteſtantibus infeſtus; qui publicae quietis ex edictorum regiorum praeſcripto conſervandae ſtudioſus, civeis, quantum in ſe erat, ad concordiam et mutuam amicitiam hortabatur. Proteſtantes ad ſuburbium trans [d] Rhodanum libere coovcoiebant; qui, ſive ut periculum praevenirent, ſive ut aliorum exemplo opes ſuas firmarent, cum quotidie de novis ſociorum per regnum progreſſibus afferretur, ad novas et ipſi res moliendas incitabantur. His acceſſit, ut ſub id tempus Laurcotius [e] Maugironus homo in aula grarioſus et Proteſtantibus valde ſuſpectus Lugdunum cum ala equitum veniret, regis mandata afferens, quibus in urbis adminiſtratione Saltuenſis comes adjungebatur: quod ſparſum rumorem de Proteſtantium exitio a Guiſiana factione, ut ipſi aiebant, compoſito, confirmavit. Nam et ipſum Maugironum, et Gondrinium in [f] Allobrogibus Guiſii legatum, [γ] [g] Sancomontium, [h] Achonios conſcriptis copiis ad diem condictam Lugduni affuturos fama erat; et in urbe etiam ignaro Saltuenſi militem

VAR. LECT. [α] offenderit, nec impedire potuerit *D. f. o.* [β] Saulii *ubique* *D. f. o.* [γ] Sancalmontium D. f. Sancaumontium *D. o.*

INTERPR. [a] *de Montoux, beaufrere du ſieur de Blacons.* [b] *d'Agout, comte de Sault.* [c] *le duc de Nemours.* [d] *le Rhone.* [e] *de Maugiron.* [f] *Dauphiné.* [g] *le ſieur de St. Chaumont.* [h] *les ſieurs d'Achon.*

NOT. [1] Lege *Montuſius.* Put.

CIƆIƆLXII. militem clam ſcribi duce [a] Duperaeo conſtabat. Itaque et ipſi militem in occulto

CAROLUS IX. conducunt, ad id [b] Morelli, [c] Grilli et [d] Auſſii praecipuae auctoritatis ducum nuper [e] Aureliano a Condaeo miſſorum praeſentia confirmati; et arma comparant, nihil amplius cunctandum rati: nam eo rem deductam eſſe, ut non niſi contrariae factionis peſte ſalus ſua expediri poſſet. Dum in eo ſunt, de Valentiae tumultu et Gondrinio occiſo nuncius venit: quod conſilia de urbe occupanda acceleravit, ſublato tanto hoſte, et revocato ad inopinati caſus famam Maugirono. Itaque pridie Kalendas Maii media nocte arma capiunt, majore fiducia quam prudentia, quippe infirmi numero, ſuaſu praecipue Jacobi [f] Ruſi urbis miniſtri, primamque ſtationem ad [g] Nazarii fanum collocatam opprimunt, et publicas aedeis nullo fere certamine occupant, Duperaeo, dum ſe lecto moliretur, vix excitato et, antequam ad arma currere poſſet, capto. Tum Franciſcanorum coenobium et fanum vicinum capiunt, ac praeſidio firmant, et revulſis ſeris porta Rhodanenſi occupata et trapezitarum platea, milite, qui ad [h] Eligii fanum ſtabat, [α] nequaquam ſe movente. In eo conflictu tantum duo aut tres occiſi. [β] Occupatis eodem tempore locis munitis, et diſpoſito per plateas milite, cum S. Joannis comitibus, ita ſodaleis primarii collegii appellant, qui ſe ad Saltuenſem receperant, in colloquium veniunt; quibus libera ſine noxa abeundi data facultate, tormenta locis idoneis collocant, et urbe potiti Saltuenſem adeunt; docentque, non regem aut regios magiſtratus contemnendi aut obſequio debito fraudandi cauſa haec ſe feciſſe; verum, ut urbem et propriam ſalutem ab hoſtium publicorum injuria tuerentur, Condaei in ea re mandato obſequentes, ad quem regis regnique tutela regni legibus pertineat: proinde ipſe in conſueta urbis adminiſtratione, uti prius feciſſet, pergeret. Verum munere excuſato Saltuenſis, poſtquam aliquot dies in urbe ad ſarcinas colligendas commoratus eſt, domum in [i] Provinciam receſſit; ubi toto primi belli civilis tempore ſe continuit. Mox Franciſcus [k] Bellomontius Adretius dux et auctor Valentini tumultus, cum in urbem veniſſet, ejus adminiſtrationem Condaei nomine ſuſcipit. Tum coacto civium [γ] conventu, haec decernuntur; uti ex Proteſtantium numero II CIƆ armatorum ad urbis cuſtodiam legerentur, eiſque ſtipendia de publico ac ſacris proventibus numerarentur; nemini ob religionem vis fieret; libereque cunctis vivere apud ſe fas eſſet: nulla tamen pontificio ritu ſacra intra aut extra urbem celebrarentur. Tum ad conſules urbis denuo ex Proteſtantibus XII praecipua auctoritate viri adjunguntur; quibus invocatis et inconſultis aut non conſentientibus conſules quicquam agere prohibentur. Et huc uſque moderate in ſpeciem res acta. Sed ſtatim, milite ad laſciviam verſo, in templa impetus factus, et dejecta paſſim altaria et imagines. Nuncio de capta urbe tanti nominis accepto Condaeus, etſi non mediocriter gaviſus eſt, tamen illa templorum expilatione, quae ſummum odium rebus ſuis conciliabat, graviter commovebatur; et, cum ſe adverſus edictorum regiorum violatores arma ſumpſiſſe diceret, ſuos in idem illud edictum, quo imaginum profligatio prohibebatur, committere moleſte ferebat. Verum id eo aequiore animo in longinquis locis ac regionibus ſibi ferendum exiſtimabat, quod Aureliani eadem licentia impune militem ante oculos graſſari, etſi aegre, paſſus eſſet. Nam cum levi primum rumore de ſuburbani cujuſdam delubri dejectis ſtatuis fama permanaviſſet, ita ſtatim turbidi homines exemplo graſſante ad ſtatuas profligandas per templa, alii alio diſcurrentes, properare viſi ſunt, quaſi edicto regis id facere juberentur: cumque Condaeus a ſodalibus majoris templi exoratus cuſtodes appoſuiſſet, illi ipſi

occluſis

VAR. LECT. [α] vix ſe *D.* f. o. [β] Ita occupatis *D.* f. o. d. [γ] conventu, ut de republica conſtitueretur, haec *D.* f.

INTERPR. [a] *le capitaine du Perat.* [b] *le capitaine Moreau* [c] *le ſieur de Grille, gentilhomme de la chambre du Roy.* [d] *le capitaine Auſſe, auparavant capitaine d'Aigues-mortes.* [e] *Orleans.* [f] *Ruffi.* [g] *St. Nizier.* [h] *St. Eloy.* [i] *Provence.* [k] *de Beaumont, baron des Adrets.*

occluſis valvis ſtatim imagines et altaria confringunt, palam dictitantes, cum imaginum ac pravi cultus propugnatores tam crudeliter in homioes, hoc eſt, in ſpirantcis Dei imagines quotidie ſaevirent, non videre, cur a ſtatuarum, hoc eſt, a mortuarum atque adeo vetitarum, [α] ut aiebant, rerum, et quae occaſionem offenſionis darent, profligatione temperare deberent. Editum et in eam rem ſcriptum, quo S. S. Patrum teſtimoniis imaginum cultus [β] refutabatur, et ad Chriſtianos principes pertinere demonſtrabatur, ut earum uſus tanquam in Deum contumelioſus in ditiooibus ſuis aboleretur: itaque ſtatuarum profligatores minime cenſeri ſeditioſos debere; quippe qui, cum veritatis patrocinium ſuſceperint, ſui officii eſſe ducant, tam deteſtandum et piis omnibus inviſum ſpectaculum e conſpectu hominum tolli. Secundum haec Condaeus [a] Poncenacum [b] Aureliano [c] Lugdunum mittit, qui equitatui praeeſſet, data peditatus [d] Changio cura: ſed ſuborta diſſenſione Changius [γ] Hectorem [e] Foreſium Blaconum ſibi ſubſtitui patienter tulit; ipſe [f] [δ] Valentiam Segalaunorum ad res ordinandas conceſſit. Igitur Blaconus, dum Lugduno [g] Adretii nomioe praeeſſet, certior factus, [h] Sanvitalium cum oobilitate ex [i] Arvernis, [k] Velaunis et [l] Gabalis collecta in [m] Seguſianos deſcendiſſe, ut [n] Lugdunenſi agro circum vaſtato urbem ad penuriam redigeret, propere iſtuc Poncenacum praemittit cum IↃ delectis; cum quibus ille Sanvitalium ſecum III CIↃ fere ruſticorum et inermium trahentem primo impetu fudit, multiſque ex confuſa illa multitudine occiſis, nobilitatem etiam retro cedere coegit: inde cum [o] Monſerrerio [p] Forum uſque Seguſianorum progreſſus, a quo regio hodie Forenſis dicitur, obviam nobilitatem, cujus dux erat [q] Sanprius, levi proelio conſerto diſturbat, parte in mootes vicinos dilapſa, parte intra oppidum compulſa, quod mox obſeſſum vi cepit.

X. Interea Adretius, qui jam legionariorum in [r] Allobrogibus praefectus tunc ſummum imperium ſibi per provinciam Condaei nomine ſumpſerat, dum certius de ipſius Condaei voluntate conſtaret, Kalendis Maii ad [s] ſenatum Gratianopolitanum dat literas minarum plenas; quibus mandabat, ut ſeditioſos quoſdam illis deſignatos civitate ejiceret: ii erant Gulielmus [ſ] Porta curiae praeſes, Petrus [t] Buccerus cognitor regius, Joannes [u] [1] Buſſenetitius, Jo. [v] Robertus, Jo. [w] Paviotus urbis conſul, quos cum Gondrinio et [x] Rozano Mirabello de Proteſtantibus delendis conjuraſſe dicebat. Quibus pulſis, poſtquam de dejectis per templa paſſim toto regno imaginibus allatum eſt, ſtatim diſcurritur, et ubique ſtatuae a plebe et pueris inſanabili laſcivia confringuntur: idem per ceteras fere totius provinciae urbes et oppida factitatum, praeterquam [y] Ebroduni et Brigantione. Tum edictum ab Adretio, poena capitis addita, oe quis Maugirono, qui ſibi praefecturam proviociae vindicabat, adeſſet; iojunctumque omnibus, ut eum tanquam perduellem et edictorum regiorum violatorem perſequerentur. Mox [z] Mirabellum et Buſſiera vicinae arces in poteſtatem acceptae et idoneo praeſidio firmatae: deſcripta etiam aurea et argentea ſimulacra, et pretioſa omois ſupellex ſacra, et Valentiam aſportata, non ſine oppidanorum fremitu, qui melius in urbis uſus neceſſarios conflari eam poſſe aiebant. Tum Non. Junii magnum [aa] Carthuſianorum coenobium iri placuit; quod, quia inter montes aſperos poſitum urbi imminebat, propter viciniam incommodaturum credebatur;

ob

VAR. LECT. [α] ut aiebant *deſunt* D. f. [β] refutabantur D. f. [γ] Hectorem *deeſt* D. f. [δ] Valentiam Cavarum ad res D. f. o. d.

INTERPR. [a] *le ſieur de Poncenat.* [b] *Orleans.* [c] *Lyon.* [d] *le ſieur de Changy.* [e] *la Foreſt, ſieur de Blacons.* [f] *Valence en Dauphiné.* [g] *le baron des Adrets* [h] *le baron de St. Vidal.* [i] *Auvergne.* [k] *Velay.* [l] *Gevaudan.* [m] *Forez.* [n] *le Lyonnois.* [o] *le capitaine Monferrier.* [p] *Feurs en Forez.* [q] *le ſieur de St. Prié.* [r] *Dauphiné.* [s] *parlement de Grenoble.* [ſ] *de Portes, ſecond preſident.* [t] *Bucher, procureur general.* [u] *de Buſſenet.* [v] *Robert, avocat de la ville.* [w] *Paviot* dit *Bariat, quatrieſme conſul.* [x] *Rozans, ſieur de Mirebel.* [y] *Embrun, & Briançon.* [z] *Chaſteaux de Mirebel, & de la Buſſiere.* [aa] *la Grande Chartreuſe.*

NOT. [1] *Buſſenetius.* Put.

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

ob idque ab Adretio expilatum et incenſum eſt; in collegii illius ſodaleis rejecta artificioſe culpa, quaſi adverſarios receptaſſent, et accepto milite hoſtilis animi indicium primi dediſſent. Inde Adretius Gratianopoli non ſatis firma urbe machinas duas maiores et xx campeſtria tormenta Valentiam deduci imperat, ne, ſi urbs in hoſtis manus veniret, cum iis vicina oppida in poteſtatem redigerent.

XI. DUM in eo eſſet, et diverſa parte Maugironus circa [a] Camberium militem ſcriberet, affertur de [b] [α] Arauſionenſi clade. Ea urbs hodie principatus ſupremi titulo cum ſua ditione inſignitur, in Provinciae comitatu ſita, cujus et partem facit, imperio Franco-germanico olim ſubjecta, ut ex Bulla aurea academiae ejus inſtitutionem complectente conſtat; aliaque praeterea, quae privilegiorum eccleſiae primariae a Friderico II anno CIↃCCXXV conceſſorum confirmationem ſanxit; ex moneta item, quae cum Imperii inſignibus cudebatur; et tabellionum privilegiis, qui auctoritate imperiali inſtrumenta publica conficiebant. Poſtea Imperii per Galliam noſtram infracta potentia peculiares principes [c] Provinciam tenuere, et cum ea Arauſionenſem principatum, qui tandem ad [d] Bauſeorum regulorum familiam ſeu ſucceſſione ſive alio titulo devolutus eſt, eadem praerogativa ac immunitate, quibus hodie Imperii principes fruuntur: de quibus inſtrumentum fuit confectum a Bertrando Bauſeo anno CIↃCCXLII, Eid. Dec. In eo principatu et partem habebant Hieroſolymitani equites, a principibus, ut vero fit ſimile, in ſocietatem aſciti ob virtutis famam et praecipuum belli adverſus Saracenos gerendi, cui illi deſtinati erant ea aetate, ſtudium; ut a [e] Rigenſi epiſcopo in Livonia alibi factum memoravimus; idque ex nummis pleriſque paret, quibus in antica parte Arauſionenſis principis, in poſtica Hieroſolymitani Ordinis inſignia viſuntur inſculpta. Et ita res in eo principatu fuerunt uſque ad annum CIↃCCLVI, quo Carolus [f] [β] Andinus Ludovici IX frater, qui Beatricem Raimondi Berengarii ultimi ex [g] Barcinonenſium comitum illuſtri familia Provinciae comitis filiam uxorem duxerat, eam ditionem crevit, et Gulielmum Bauſcum Arauſionis principem tanquam beneficiarium in fidem accepit per Odonem [h] Fontenaxium magnum Provinciae Seneſcallum. Carolo Carolus II filius ſucceſſit; qui tot regulorum ſuſpectam potentiam habens, ab Hieroſolymitanis equitibus permutationis titulo partem, quam in Arauſionenſi principatu habebant, comparavit, anno CIↃCCCVII, XI Kal. Nov. eamque mox Bertrando Bauſeo attribuit, lege adjecta, ut ipſe poſterique ejus de principatu univerſo tanquam beneficiarii Provinciae comitibus fidem deinceps praeſtare tenerentur. Ea de re inſtrumentum confectum anno ſequenti, XI Kal. Aprilis. Secundum haec Bertrandus Bauſcus a Roberto Caroli II filio ſacramento adactus eſt anno proximo: cumque biennio poſt idem Bertrandus cum ſyndico Arauſionenſis civitatis nomine agente de privilegiis et immunitatibus tranſigeret, ſupremi imperii jus, quod comitibus Provinciae competit, diſerte exceptum eſt. Bertrando mortuo, Gulielmus filius hereditatem adivit; qui itidem a Roberto iiſdem conditionibus in fidem acceptus eſt. Gulielmo Raimondus filius ſucceſſit, et huic Raimondus II, qui ambo Joannae Neapolis et Siciliae reginae ſacramentum fidei dixerunt; et hic quidem de vi publica ob quaedam violenter perpetrata [i] Corteſone, quod eſt principatus municipium, a Fulcone [γ] Agutio magno Provinciae Seneſcallo poſtulatus fuit, bonaque ejus annotata, nec prius, quam gratia delictorum a Joanna impetrata, eorum plenam poſſeſſionem recuperavit. Joanna, cum nullos liberos haberet, Ludovicum I Andinum Joannis Franciae regis filium adoptavit et heredem inſtituit, et poſt eum Ludovicum II ejus filium, eique Ludovicum III Calabriae ducem ſubſtituit: a quibus omnibus principes Arauſionenſes in fidem accepti ſunt. Raimondi Bauſci ſine maſculis decedentis ditionem

VAR. LECT. [α] Arauſienſi *ubique* D. f. o. [β] Andegavenſis *ubique* D. f. [γ] Dagutio D. f.

INTERPR. [a] *Chambery.* [b] *d'Orange.* [c] *Provence.* [d] *de Baux.* [e] *de Riga.* [f] *d'Anjou* [g] *des comtes de Barcelone.* [h] *de Fontenay.* [i] *Courtezon.*

ditionem Maria filia crevit, quae Joanni [a] Cabilono nupſit anno CIↃ CCCCX, cum CIƆIƆLXII.
Bauſci eum principatum ab anno CIↃ CCXL tenuiſſent. Ex eo matrimonio genitus CAROLUS IX.
Ludovic. Cabiloous, qui a Renato Siciliae rege in fidem acceptus eſt; eique XV CIↃ librarum commodavit anno CIↃ CCCCXXXVI, dum captivus [b] Divione a Philippo Burgundione detineretur. Vieiſſim Renatus, ut ei de hujus ſummae reſtitutione caveret, jus ſupremi imperii, quod ipſe in principatu habebat, obligavit; cumque carcere liberatus aes illud diſſolvere paratum ſe oſtenderet, Cabiloni tergiverſatione effectum eſt, ut negotium exitu caruerit. Ludovico Gulielmus Cabilonus ſucceſſit; qui cum ſummo imperio illo licentioſe atque adeo injurioſe contra Arauſionenſeis abuteretur, tandem vicinorum interveotu inter partes tranſactum eſt, cautumque, ut Arauſionenſibus a principis magiſtratibus appellare jus eſſet. Id actum anno CIↃ CCCCLXXI menſ. Januar. quo tempore rerum in Francia potiebatur Lodovicus XI, qui Renato et Carolo [aa] Andinis in Provinciae comitatu ſucceſſit; et eum Gulielmo Cabilono tranſegit, his conditionibus, ut Gulielmus acceptis a rege XL CIↃ aureorum fidem in poſterum regi et [c] Delphino Viennenſi tanquam beneficiarius obligaret, et ejus ſubditis ad [d] Gratianopolitanum ſenatum appellare jus eſſet; ceteroqui ipſe titulos ſupremi principis, ſeque gratia Dei principem [e] Arauſionenſem indigetare, monetam percutere, gratiam delictorum impertiri, aliaqoe ejuſmodi, quae ſummi imperii ſunt, facere poſſet: hiſque conditionibus in fidem acceptus eſt VII Kal. Jun. anno CIↃ CCCCLXXV. Ab eo tempore de Arauſionenſium appellationibus Delphinatus curia cognovit uſque ad annum CIↃ CCCCIC; quo Ludovicus XII, qui impenſe Joanni Cabilono Gulielmi filio favebat, officiorum memor et egregiae ab eo navatae operae in proelio ad [f] Albini fanum in Armorica, ubi ambo capti fuerant, ſupremum jus illod bene merito amico remiſit; non tamen ſine contradictione: nam cognitor regius interceſſit, et ad Delphinum et Delphinatus guberoatorem appellavit, proteſtatione facta et monumentis publicis eodem anno IIII Eid. Sept. conſignata. Verum ſpreta cognitoris regii proteſtatione Joannes ex eo ſupremum jus in eo principatu uſurpavit; et curiam parlamenti praeſidemque et IIII conſiliarios inſtituit, qui jus cum ſuprema poteſtate dicerent: idque uſque ad Ludovici XII exceſſum tenuit: nam eo defuncto, cum Franciſcus gratiam a deceſſore ſuo factam revocaſſet, Philibertus Joannis filins in fidem ab eo acceptus eſt; ruſuſque Gratianopolitanus ſenatus de Arauſionenſium jodicum appellationibus cognovit. Philibertus is ſine liberis deceſſit, et Renatum [g] Naſſovium Claudiae ſororis filium heredem inſtituit, atque in Cabiloni nomen adoptavit. Ii, quod relicta Gallia Auſtriacis operam ſuam addixerant, eorum gratia contra beneficii collati auctores uſi ſunt: et poſt [h] Ticinenſem cladem [i] Madritiana pacificatione cautum fuit, ut nulla habita juris, quod regibus competebat, ratione, Arauſiooenſis principatus cum ſummo imperio ipſis reſtitueretur: et quanquam bellis poſtea inter Carolum V et Henricum II ſubortis regii magiſtratus manum in principatum injeciſſent, et Gratianopolitanus ſenatus per id tempus de appellationibus cognoviſſet, tandem pacificatione ultima anni CIↃ IↃLIX ruſus ſupremum Arauſionenſis principatus imperium Naſſoviis juxta Madritiana pacta reſtitutum eſt; et Gulielmus Gulielmi filius Renati frater patruelis praefectum urbi impoſuit, et magiſtratus denuo inſtituit, qui citra provocationem eum ſumma poteſtate jus dicerent. [bb] Ea urbs olim Secundanorum colonia, dein una atque altera ſynodo celebris epiſcopali quoque dignitate ornata eſt, quam eo tempore tenebat Philippus [k] Camerarius ex illuſtri Camerae marchionum familia, Proteſtantibus, qui jam io ea libere conveniebant, valde infeſtus. Ii pacate ſub [l] Caoſano praefecto, et poſtea ſub Alexandro [m] Turrio a Willelmo Naſſovio urbis principe

VAR. LECT. [aa] Andinis *deeſt* D. f. o. [bb] Ea urbs olim aliquot conciliis celebris D. f. o.
INTERPR. [a] *de Chalons* [b] *Dijon* [c] *Dauphin de Viennois.* [d] *parlement de Grenoble.* [e] *prince d'Orange.* [f] *St. Aubin en Bretagne.* [g] *de Naſſau.* [h] *de Pavie.* [i] *de Madrid* [k] *de la Chambre.* [l] *le ſieur de Canſans, gouverneur.* [m] *de la Tour.*

principe [α] impoſito vixerant, donec de [a] Vaſſiacena caede rumore ſparſo territi oppidani, eandemque fortunam veriti, arma capiunt, Turrio praefecto tanquam ſibi ſuſpecto ejecto, et acceptis IↃ C praeſidiariis ſe muniunt, miſſo etiam [b] Lugdunum ad amicitiam firmandam, rem pecuniariam expediendam et arma coemenda [c] Perrino Parpalea loci praeſide; qui in reditu juxta [d] Burgum in Vivarienſi pago, cum per [e] Rhodanum cum armis deveheretur, V ab Arauſione leucis a nauclero proditus et interceptus eſt. Quo cognito oppidani ſtatim militem [f] [β] Santandreano duce ad recipiendum, ſi fieri poſſet, Parpaleam emittunt, tam vicinum hoſtem minime rati. Jam ante Philippo epiſcopo urgente [g] Fabricius Serbellonus, penes quem ſummum armorum imperium ei a pontifice cognato attributum in [h] Venaſcinenſi comitatu erat, Cavalione loco condicto convenerat, cum [i] Honorato Sabaudo Sommarivio Claudii parentis [k] Tendae comitis legato, Franciſco [l] Balma Suzae comite, [m] Ponteveſio Carſio, [n] Flacceano ejus fratre Aquenſis civitatis praefecto, Gabriele [o] Bollerio Centalio, G. [p] Ventabreno, [q] Laverdetio, [r] Mondragonio, [s] Venterolio, aliis regiae ditionis proceribus; et de Proteſtantibus Arauſione ut nimium vicino expellendis conſilium inierat, cum, intellecto praeſidiarios urbe egreſſos, inopinato ad portas cum II muralibus tormentis et minoribus aliquot advolat Non. Junii, vix albeſcente die: oppidani caſu territi mox ad revocandum Santandreanum mittunt, et eodem tempore, ut moram negotio interponerent, cum Serbellono colloquium poſcunt, et VI e ſuo numero ad eum legant. Tum perſcriptae conditiones; ut externus miles ſtatim dimitteretur; arma omnia in templum majus comportarentur, clavibus ejus in [t] Turrii praeſidis manus traditis. Quibus conditionibus rejectis, continuo Serbellonus urbem ira cingit, ut Santandreanus, qui ad [t] Serinianum remanſerat, ingreſſu prohiberetur; mox tormentis admotis ad eam partem, quae [u] Eutropii fanum ſpectat, arcem verſus pulſationem incipit: verum cum ab arcis praeſidiariis, quibus [v] Coſta junior praeerat, graviter infeſtaretur, tormenta inde deducit, et ad portam molatrinarum transfert; ubi poſt CLX circiter ictuum diſploſionem edita ampla ruina oppidani ſpe omni auxiliorum deſtituti, pars noctu cum conjugibus ac pueris diffugiunt, et ad ſocios, qui Seriniani erant, tendunt, pars ſe ad defenſionem comparant: verum cum diverſis partibus hoſtem vim facere, et clathris revulſis ab adverſae factionis civibus etiam pleriſque locis admitti, fruſtraque arma expediri cernerent, in arcem confugiunt. Victor hoſtis nullo non immanitatis genere in eos, qui in urbe remanſerant, ſaeviit. Nam, qui primum impetum effugere, alii lentis ac minutis pugionum ictibus, ſic ut ſe mori ſentirent, occiſi; alii ſupra contos, fariſſas ac ſtrictos enſeis praecipitati; alii ad cremaſterum paxillos appenſi et combuſti; alii denique exſecti: nec decrepitis ſenibus, mutilatis et in lecto per valetudinaria decumbentibus aegris, miſeriſque meſſoribus ſubita obſeſſione in urbe oppreſſis, quibus nulla praeter falces arma, parcitum: pleraeque foeminae interfectae, aliae ad feneſtras et porticus ſuſpenſae, et, avulſis ex eorum amplexibus parvulis infantibus, ſcloppetorum ictibus confoſſae: multae virgines per vim corruptae: pueri multi item [γ] rapti et ad nefandam libidinem ſatiandam in miſeram captivitatem, ex qua non niſi diu poſt redierunt, abducti. Auxerunt crudelitatem contumelioſa ſpectacula, productis mulierum cadaveribus, et in eorum pudenda boum cornibus et ſaxis ac ſtipitibus ad ludibrium injectis. Virorum item interfectorum plagae foliis ſacrorum librorum fartae; qui, quia vernacula lingua ſcripti, ab illis

diſcerpti

VAR. LECT. [α] impoſito *deeſt* *D.* f. o. [β] Saulio Santandreano *D* f. o. [γ] ab Italis rapti *D* f.

INTERPR. [a] *de Vaſſy.* [b] *Lyon.* [c] *Perrin, ſieur de Parpaille, preſident d'Orange.* [d] *Bourg St. Andiol en Vivarais.* [e] *le Rhone.* [f] *le capitaine St. André.* [g] *François Fabrice Serbellone.* [h] *le Comtat Venaiſſin.* [i] *de Savoie, comte de Sommerive.* [k] *Tende.* [l] *de la Baume, comte de Suze.* [m] *de Pontevez, ſieur de Carces.* [n] *de Flaſſan, governeur d'Aix.* [o] *Bouliers, ſieur de Cental* [p] *Gaucher de Ventabren.* [q] *la Verdiere* [r] *de Mondragon.* [s] *de Venterol.* [t] *Alexandre de la Tour.* [t] *Serignan* [u] *St. Eutrope.* [v] *le capitaine la Coſte le jeune.*

diſcerpti paſſim jacebant. Nec adverſa factio, quae hoſti ad oppidum capiendum, prodita concivium ſalute, viam ſtraverat, furorem evaſit: nam, cum ſe in platea ar- CIↃIↃLXII. Carolus IX.
mati cum uxoribus ac pueris conglobaſſent, hoſtes eos ad defenſionem ſe parare rati irruunt, et ad unum omneis trucidant; nec proinde illi civium ſuorum exitio diu laetati ſunt. Inde ad arcem itum; cujus praeſidiarii vitam pacti ad unum omnes, qui CIX numerati ſunt, aut praecipitati aut gladio deleti ſunt, exundante paſſim per urbem cruore. Poſt caedeis, in domos incendiis ſaevitum. Publicae aedes ſerpentibus flammis, etiam epiſcopi palatium igni abſumptum eſt, et ccc fere privatorum domus; in iiſque plerique, qui latebant, praefocati: vixque exortis poſt ingentia tonitrua inſolitis imbribus incendium reſtingui potuit; qua commoditate uſi plerique, qui a ſtrage ſuperabant, per noctem aufugiunt, et ad ſocios, qui Seriniani ſubſtiterant, ſe conferunt. Tum direptae aedes, quibus ignis pepercerat: ac poſtridie moenia Serbelloni juſſu a fundamentis everſa. Capti [a] Arauſione Coſta arcis praefectus, [b] Charitaeus et [c] [1] Ruiſius, et [d] Taraſconem ſub cuſtodia ducti. Serbellonus cum ſuis [e] Avenionem [α] Cavarum concedit, relicto in urbe Turrio. [f] Sommarivius in [g] Provinciam tendit, itinere per [h] Vedanam, [i] Caſtrum-novum et Cumontium facto; atque ad [k] Balmetam caſtrametatur. [β] [l] Suſius magna praeda onuſtus, cum [m] Petram-latam cum ſuis veniſſet, [γ] et [n] Montelium Adaemari, cujus jam praedam ſpe devoraverat, petere in animo haberet, intellecto firmas in eo copias eſſe, domum retro ad vireis ex laboribus reficiendas ſe contulit, impoſito Petrae-latae ccc praeſidio ſub [o] Ricardo Vaureacenſi. [p] Parpalea vero ille, de quo diximus, Avenionem, unde natus erat, ductus, cum cavea lignea in altum ſuſpenſa incluſus ad vilis plebis ſpectaculum ac ludibrium diu expoſitus fuiſſet, poſtremo VI Eid. Sextil. capite luit.

XII. Quibus rebus irritatus ultra modum [q] Adretius, homo natura ferus, et qui occaſionem fundendi humani ſanguinis quaereret, de cetero ſtrenuus et impiger dux, [r] Gratianopoli profectus, relicto, qui per ſuam abſentiam urbi praeeſſet, [s] Briono ex Trevirenſi nobilitate homine bellicoſo, cum IIII ſignis Montelium venit Nonis Quintil. [δ] acceptiſque in itinere novis copiis cum [ſ] Serinianis recta Petram-latam ducit; quod eſt oppidum in planitie ſitum, diſſitis leucam amplius ab eo montibus; tantum rupes oppidi dorſo aſſurgit, cui arx inſidet, omni ex parte praerupta, ad quam ex oppido admodum anguſto calle aditur. Facta ruina primo impetu urbs capitur, ſubito adventu attonitis adeo praeſidiariis, ut ruinam defendere non auſi ſtatim in arcem ſe receperint. Potitus oppido Adretius, cunctiſque, quos armatos nactus eſt, ad unum occiſis, recta ad arcem progreditur, ne ſpatium militi animos ex pavore concepto colligendi daret; fortunaque uſus ad portam vim facit; territiſque praeſidiariis huc illuc palantibus, et quid agerent ignaris, colloquium poſcitur: ſed dum de conditionibus altercatur, Arauſionenſes recenti ſuorum clade efferati et ultione ardentes irruunt, et refracta porta in confuſos rabiem effundunt, nulli parcentes, parte de rupe dejecta, parte gladio trucidata. Inde ſine mora [t] Burgum vadit Adretius; quod non admotis tormentis mox venienti patuit. Obviam et ad eum venere [u] Fani Spiritus oppidani, et claveis oppidi attulere; cui validum praeſidium ad pontis [v] Rhodano impoſiti ſecuritatem impoſuit, duce [w] Pontio homine pugnace, cui multum fidebat, etſi erat altero brachio mutilatus. Mox [x] Bolenam ducit, oppidum Venaſcinenſis

VAR. LECT. [α] Cavarum *deeſt* *D.* f. o. d. [γ] et inde Montelium *D.* f.
[β] Suſaeus *D.* f. [δ] inde acceptis in *D.* f.

INTERPR. [a] *Orange.* [b] *le ſieur de la Carrat.* [c] *de la Rays.* [d] *Taraſcon.* [e] *Avignon.* [f] *le comte de Sommerive.* [g] *Provence.* [h] *Vedane.* [i] *Châteauneuf, & Coumons.* [k] *Balmete* [l] *le comte de Suze.* [m] *Pierre-late.* [n] *Montelimart* [o] *le capitaine Richart de Vaureas.* [p] *le ſieur de Parpaille.* [q] *le baron des Adrets.* [r] *Grenoble.* [s] *le ſieur de Brion, gentilhomme de Trieves au Greſivaudan, petit pays proche de Grenoble.* [ſ] *de Serignan.* [t] *Bourg.* [u] *pont S. Eſprit.* [v] *le Rhône.* [w] *le Pont* [x] *Boulene.*

NOT. [1] Lege *Raiſius.* Put.

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX. [a] Venaſcinenſis comitatus in [b] Delfinatus finibus ſitum; quod impetu cepit, et milites in eo repertos ex Franciſci [c] Fogaſii Battelaſii cohorte ad unum omneis interficit; inde recta procul dubio [d] Avenionem petiturus et urbe fortaſſe ob terrorem de ſe ſparſum potiturus, niſi cum Gratianopolitanus caſus ex via domum revocaſſet.

XIII. Dum abeſſet, et Brionus ex morbo decumberet, qui diverſa ab eo ſentiebant, occupatiorem eum rati, quam ut tam prompte in urbem redire poſſet, oblatam [e] Maugironi, qui in [f] Sabaudia copias cogebat, in urbem introducendi occaſionem minime ſibi praetermittendam arbitrati ſunt. Quod ſubodorati Proteſtantes, cum intellexiſſent Maugironum propius in dies ad urbem accedere, cum ſenatu agunt, et quo in periculo ac tumultu res ſint ob nimiam illius viciniam demonſtrant; petuntque, ut auctoritatem ſuam interponat, et Maugirono, ut recedat, imperet. Miſſi [α] ad eum ex curiae decreto Laurentius [g] Rabotus ſenator et unus ex urbis conſulibus, in ſpeciem, ut eum a profectione in urbem dehortarentur, re vera, ut in occulto cum eo agerent, et conſilia ipſius communicatis ſuis adjuvarent. Itaque ex compacto reſponſum a Maugirono homine comitati aulicae innutrito, ſe non poſſe officio deeſſe, [β] quod ad provinciae ſibi a rege demandatae poſſeſſionem accipiendam obligetur; ſed nihil ea re Proteſtanteis commoveri debere, quibus et rex et ipſe bene velit, et quibus ſalva libertas juxta edictorum promulgationem manſura ſit: ſe exiguo comitatu ad urbem venturum; neque paſſurum, ut cuiquam vis aut injuria quacunque de cauſa fiat. Ita dimiſſis delegatis Maugironus propius ad [h] Bellovacum pontem, qui Sabaudiam a Delfinatu diſterminat, copias promovet, [γ] et aditus circa urbem praeſidio firmat, miſſo [i] Maëſtrali, qui [k] Coſtam fani Andreae, quod eſt oppidum agri [l] Viennenſis in via, quae Vienna Gratianopolim ducit, occuparet; miſſi alii [m] Morenam pagum, in via qua [n] Valentiam itur; alii rurſus, qui [o] Iſarae anguſtias infra urbem ſervarent: quibus peractis, XVIII Kal. Quintil. [p] Rupis portum venit, et jam de civium voluntatibus certus, miſſo uno e domeſticis nobilibus literas ad urbis conſules dat, exemplumque diplomatis regii una mittit, quo illi in locum [q] Gondrinii nuper mortui praefectura provinciae per Guiſii abſentiam a rege mandabatur. Coacto in urbe concilio decernitur, ut Maugironus admitteretur, Adretiani milites cum armis et rebus ſalvis urbe emitterentur, accepta a Maugirono fide, nullam Proteſtantibus moleſtiam aut periculum creatum iri, et libere ad Franciſcanorum coenobium conveniendi facultate attributa. [δ] Eodem die Maugironus urbem ingreditur cum CC equitibus et CIƆCC circiter peditibus; quibus admiſſis vix inſolentiae eorum temperari potuit, quin ad praedam diſcurrerent, fruſtra patibulis per urbem, ut eo terrore licentia refraenaretur, erectis. Poſtridie ſupplicationes indictae, et conquiſiti omnes reprobatae lectionis libri aut flammis abſumpti aut concerpti ſunt; quibuſdam etiam per tumultum de ponte dejectis et occiſis. Tum promulgato in curia diplomate, ipſe Coſtam petit, relicto in urbe [r] Caſſenatico viro moderato; qui mox edictum proponit, quo externi omnes urbe excedere, et milites quicquid praedati fuerant intra XXIIII horarum ſpatium capitis poena addita reſtituere jubebantur. Tum civibus arma reddita, et luſtratione publica recenſiti ex iis IƆCCC egregie inſtructi. [s] Buſſiera, cui [t] Cochjum hominem quam puſillo corpore tam ingenti animo praeditum impoſuerat [v] Adretius, fruſtra minis ac pollicitis tentata, ne II CIƆ quidem ruſticorum coacta manu expugnari potuit. Maugironus urbe diſcedens XIIII CIƆ aureorum mutuo in belli ſumptus petierat; jamque civium

deſcriptio

VAR. LECT. [α] ergo ad *D. f.* [β] quoad *D. f.* [γ] et inde aditus *D. f.* [δ] Ita eodem *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le comtat Venaiſſin.* [b] *Dauphiné.* [c] *Fougaſſe, ſieur de la Bartelaſſe.* [d] *Avignon.* [e] *Maugiron.* [f] *Savoye.* [g] *Rabot, conſeiller du Roy, & le quatrieſme conſul de la ville.* [h] *pont de Beauvoiſin* [i] *le capitaine Miſtral.* [k] *la Coſte S. André.* [l] *le Viennois.* [m] *Morenne.* [n] *Valence.* [o] *Iſere r.* [p] *port de la Roche.* [q] *le ſieur de la Motte Gondrin* [r] *le Baron de Saſſennage.* [s] *Château de la Buſſiere.* [t] *le capitaine la Coche.* [v] *le Baron des Adrets.*

deſcriptio facta fuerat, ut ea ſumma viritim diſtribueretur; cum Adretius omiſſo de [a] Avenione obſidendo conſilio propere [b] Valentiam regreditur; [α] et incredibili celeritate, qua Maugironi eodem venientis conatus irritos reddidit, [c] Romanium occupavit; locoque firmato noctem unam tantum in eo commoratus recta [d] Marcellini fanum ducit, in quo eadem celeritate CCC praeſidiarios formidine conſternatos oppreſſit, et nulli gratia facta omneis ad unum aut interfecit aut ex turre praecipitavit, nuſquam comparente Maugirono, quem ille, quamvis equitatu inferior, ad certamen depoſcebat. Verum is audito Adretii adventu retro in Sabaudiam [β] conceſſerat, unde ſe ad [e] Tavanium in Burgundiam contulit, urbe in praedam ad hoſtis implacabilis et recenti contumelia irritati arbitrium relicta, et contempto tot miſerorum civium, qui rebus ipſius cum propria pernicie faverant, periculo: verum [γ] ii intellecto Adretii ſucceſſu ſuam Maugirono ingratitudinem et ignaviam ſimul exprobrantes alii alio VII Kal. Quintil. diffugere. Poſtridie remiſſis qui carceribus detinebantur, Proteſtantes vaſtitatem urbis et ſuum ipſorum periculum veriti Adretium adeunt, et, ut miſerae plebi ignoſcat, petunt: ipſe mox cum IↃCCC equitibus, et in iis [f] Renato Sabaudo Cipetra comitis Tendae altero filio, [g] Senate et Moventio urbem ingreditur; et ita hoſpitia metatus eſt, ut, quamvis VI CIↃ amplius armatorum in exercitu haberet, nulla injuria univerſos vel ſingulos affecerit: [δ] tum edictum proponit, ne juſtitium in urbe eſſet, ut omnes magiſtratus intra VI dies domum quiſque ſuam rediret, et in muneribus ſuis more ſolito obeundis aſſidui eſſent, exceptis iis ſolis, quos jam ab initio urbe expulerat. Nec multo poſt Jo. [h] Ponatus ſenator per montana facto itinere ad eum cum V ſignis venit; quae per limitem, [ε] ad [i] Caperolianum, [k] Chatrae pontem et Allevardum diſtributa ſunt, eorum cura [l] Sanmauritio juniori attributa, cum [m] Changii junioris item et [n] Carbonei cohortibus. Inde exeunte Junio, tot rebus tam feliciter ac tam brevi tempore patratis, Adretius [o] Lugdunum proficiſcitur, relicto Ponato cum V ſignis, qui urbi praeeſſet: et Buſſierae arcis cuſtodia ad limitem tuendum [p] Caſſario equiti in [ϛ] Cochii locum commiſſa. Lugdunum ubi venit, ad oppida in [q] Forenſi agro in poteſtatem redigenda animum adjecit, impoſito [r] Burgeato Valentino ſeneſcallo, qui urbi praeeſſet, homine ad quaſvis gerendas res potius quam bellica munia obeunda idoneo; non ſine civium indignatione, Adretium arbitrio ſuo inconſultis ipſis cuncta adminiſtrare dictitantium: quod in cauſa fuit, ut illi apud Condaeum urgerent, virum dignitate, moderatione et prudentia conſpicuum ad res ordinandas quamprimum ad ſe mitteret. Interea Adretius [s] Muronum et Monbriſonium utrumque infirmum oppidum ducit; et Monbriſonium quidem, cum deditionem facere recuſaſſet, [t] Moncelaſſo, qui loco praeerat, ad fortiter reſiſtendum oppidanos ac militem hortante, poſtremo tormentis admotis XVII Kal. Sextil. vi cepit, obviis quibuſque caeſis, ita ut urbs tota cadaveribus partim oppleretur, partim ſanguine exundaret. Superabat propugnaculum, in quod e ſtrage ſuperſtites confugerant; quo recepto, deditos omneis partim obtruncat, partim in editiſſimam turrem adductos poſt prandium quaſi ad oblectamentum e feneſtris praecipitat; in iiſque Moncelaſſum ipſum, quamvis vitam ſalvam pactum, frementibus ducibus, et [v] Blacono ac [ζ] Ponecnaco praecipue perfidiam ſimul ac ſaevitiam Adretii incuſantibus. Inter eos, qui ad id lethi genus deſtinati erant, unus repertus eſt, qui ad praecipitium ductus eum, tempore et ſpatio ad impetum capiendum, ut deſaltaret, petito, ſemel atque iterum reſtitiſſet, increpante Adretio

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] et inde incredibili *D. f.* [β] conceſſit, et inde *D. f.* [γ] ii mox intellecto *D. f.* [δ] mox edictum *D. f.* [ε] videlicet Caperolianum *D. f. o.* [ϛ] Cochini *D. f.* [ζ] Poncenato *ubique D. f.*

INTERPR. [a] *Avignon.* [b] *Valence.* [c] *Romans.* [d] *S. Marcellin.* [e] *le ſieur de Tavannes.* [f] *René de Savoye, ſieur de Cipierre.* [g] *le ſieur de Senas, & le capitaine Mouvens.* [h] *le conſeiller Ponat.* [i] *Chaperoillan.* [k] *Pont-Charra, & Allevard.* [l] *le jeune S. Mauris.* [m] *le jeune Chancy.* [n] *le capitaine Charbonneau.* [o] *Lyon.* [p] *le chevalier Caſſart.* [q] *Forez.* [r] *Bourgeat, ſeneſchal de Valentinois.* [s] *Mouron, & Montbriſon.* [t] *le ſieur de Moncelar.* [v] *les ſieurs de Blacons & de Poncenat.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

[a] Adretio, quaſi tempus inutiliter conſumeret, ille nihil turbato vultu, Atqui, quod me jubes ut faciam tam cito, id ut decies capto impetu facias, per me licet: quo audito Adretius, praeſentiam ac ſecuritatem animi in tanto diſcrimine jocantis admiratus, homini ignovit.

XIV. Sub id tempus [b] Subizius [c] Aureliano a Condaco miſſus, ſuperatis multis in itinere periculis, vix tandem [d] Lugdunum venit XIIII Kal. Quintil. vir praeter natalium ſplendorem ſingulari animi moderatione et rerum agendarum peritia praeditus; qui querelas civium [α] meliorum in poſterum ſpe ſedavit, confuſa ordinavit, et ſecuritati ac annonae urbis diligenter proſpexit. Is et Adretium ſuo adventu initio turbatum, prolatis Condaci mandatis et ad eum literis, placavit; et inſuper monuit, ut temperatiore modo bellum adminiſtraret, neque tam ſevere in victos ac dediros animadverteret, haud occulte ſugillata ejus recenti ad [e] Monbriſonium ſaevitia: quam ille excuſabat contrario Arauſionenſis ſtragis exemplo; addebatque, ad erigendum et in lucem producendum Proteſtantium nomen, quod propter praeteritas contumelias et ignominioſas poenas vile et deſpectum jacebat, opus fuiſſe inſigni et memorabili facinore, quod et contemptoribus formidinem injiceret, et juſtam Proteſtantium cauſam adjuvaret. Ita Adretius utcunque in ſpeciem placatus a Subizio dimiſſus eſt, et a [f] Monbrunio crebris literis, ut ad ſe veniret, ſollicitatus in [g] Allobrogas contendit.

XV. Antequam adveniret Subizius, interceptae fuerant Navarri literae, ex triumvirorum conſilio ſcriptae ad [h] Sommarivium; quibus jubebatur, quantas poſſet copias ut ſcriberet, et ſe [i] Maugirono ac Tavanio conjungeret, ut, conjunctis viribus Lugduno undique cincto, operam darent, ne meſſis colligeretur, et annona in urbem importaretur. Eo factum, ut oppidani ſtatim per Joannem [k] Frellonium nobilem librarium ac concivem ſuum cum Helvetiorum pagis agerent, et ad tutelam urbis ac vicinorum ſecuritatem auxiliareis copias poſcerent: [β] a [l] Bernatibus quidem VIII, a [m] Novocaſtrenſibus III, a [n] Valeſianis IIII ſigna impetrata; ſed ea lege, ut ea regis auſpiciis militarent, et ſolius civitatis cuſtodiae inſervirent, nec extra ad expeditiones ire tenerentur. Jam [o] Sardonum Sabaudiae vicum, qui dierum nec amplius duorum itinere ab urbe abeſt, copiae pervenerant, cum Subizius Lugdunum venit; ubi, poſtquam de conditionibus cognovit, ſtatim ad Bernatum ſenatum mittit, qui oſtenderent, ampliſſimam ac populo frequentem civitatem non milite, qui ſe moenibus includeret, indigere, ſed qui, cum opus eſſet, excurrere et meſſi faciendae ac commeatui comportando, atque adeo hoſti, qui [p] Cabilone jam convenerit, propediem inde ad urbem obſidendam venturus, reſiſtere paratus eſſet: quibus rationibus victi acquievere Bernates, ſuis libertate conceſſa ad urbis uſus ex Subizii conſilio inſerviendi. Itaque Novocaſtrenſes et Valeſiani [q] Matiſconem a Poncenaco ducti, qui ad Germanos equites conducendos [r] Argentinam miſerat: et inde ſpes facta a Subizio, ut ex eo numero IIII CIↃ ad Condaeum ſummitti poſſent: verum Matiſcone interea intercepto ea ſpes fruſtra fuit. Poſtea miſſus Blaconus cum delectis, qui ex [s] Forenſi agro in urbem jam penuria laborantem annonam adveheret. Is ad [f] Caſam uſque Dei, quod eſt in Arvernis munitum coenobium, progreſſus locum capit, et ei cum praeſidio [t] Monjuſium ſororium ſuum imponit. Inde [u] Anicium ſive Podium Velaunorum progreſſus, cum tormenta non haberet, et [v] Santeranum, Sancaumontium et Sanvitalium [γ] cum aliquot alis equitum prope eſſe intellexiſſet, nullo operae pretio facto revertitur. Illi coenobium diſceſſu Poncenaci mox

VAR. LECT. [α] meliore *D. f.* [β] et a Bernatibus *D. f. o. d.* [γ] cum aliis prope eſſe *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le baron des Adrets.* [b] *le ſieur de Soubize.* [c] *Orleans* [d] *Lyon.* [e] *Montbriſon.* [f] *le ſieur de Montbrun.* [g] *Dauphiné.* [h] *le comte de Sommerive.* [i] *les ſieurs de Maugiron & de Tavannes.* [k] *Freſlon* [l] *ceux de Berne.* [m] *ceux de Neufchaſtel.* [n] *ceux du Valais.* [o] *Sardon en Savoye.* [p] *Chalons.* [q] *Maſcon.* [r] *Straſbourg.* [s] *Forez.* [f] *l'abbaye de Chaiſe-Dieu en Auvergne.* [t] *de Monjoux.* Beze l'appelle *Montoux.* [u] *le Puy en Velay.* [v] *St. Heran, St. Chaumont, & St. Vidal.*

mox recipiunt, et contra deditionis leges [a] Monjuſium libertatem pactum retinent, et ſub cuſtodia, quod de caede [b] Gondrinii inſimularetur, [α] [c] Rigomagum mittunt; ubi multa gravia ob eam cauſam perpeſſus eſt. Secundum haec miſſus Jo. Mendoza Hiſpanus, qui jamdiu regibus noſtris patria deſerta operam addixerat, homo feſtivus et rerum peritia praeditus, ad Helvetios, apud quos olim orator fuerat, ut de auxiliis Lugdunum miſſis apud Bernates de foedere, quod illis cum Gallis intercedit, violato expoſtularet. Verum illi factum excuſavere; ſuos ſponte eo iviſſe; quod cum impedire non poſſent, hanc legem addidiſſe, ut urbis tantum cuſtodiae inſervirent, qua in re amici potius quam alieni a regis commodis animi ſignum dediſſe. Nihilominus a Mendoza impetratum, ut ſuos revocarent: miſſique Nicolaus [d] Graferiendus et Hieronymus [e] Manuel ad Subizium, qui Mendozae legatione expoſita peterent, ut cum bona civium et ſua venia, quando id regi grave eſſet, ſuos deducere liceret; quod et factum eſt: acceptiſque a Subizio ſtipendiis continuo domum remiſſi ſunt; [f] Novocaſtrenſibus et Valeſianis remanentibus, et in VI ſigna diſtributis; qui conditionibus ſcriptis ſub Petro [g] Ambiello ſummo eorum praefecto deinceps [h] Lugdunenſibus militarunt. Nihilominus aliorum diſceſſu multi ex civibus territi una et ipſi urbe exceſſerunt, proſequente abeunteis ſumma humanitate Subizio, et melius ſecum agi dictitante, ſi ii, quibus animus deeſſet, urbem desererent, relictis in ea pignoribus ac charitatibus, ejuſque cuſtodiam paucis ſed bene animatis civibus permitterent.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

XVI. DUM haec Lugduni et in [i] Delfinatu agerentur, longe alia rerum facies in [k] Provincia erat; quas ab initio anni breviter repetere pretium eſt. Condito Januarii edicto, miſſus in Provinciam fuerat Antonius [l] Cruſſolius comes, et cum eo Antonius [m] Fumeus Pariſienſis et Joannes [n] Ponatus Gratianopolitanus ſenatores, qui edictum in [o] Aquenſi curia promulgari et executioni demandari curarent. Provinciae cum ſummo imperio praeerat Claudius [p] Sabaudus Tendae comes, [β] haudquaquam alieno a Proteſtantibus animo, alioqui miti ingenio vir, et qui natura tranquillitati publicae ſtuderet: cumque duos filios ex duabus uxoribus haberet, [q] Honoratum Sommarivium natu grandiorem et [r] Renatum Cipetram, in hunc propenſiore animo inclinabat, ut magis ſibi ſimilem, alterum contra turbido ingenio hominem averſabatur: [s] Jacobo item Cardeto ex illuſtri Salutiorum familia viro [γ] Annam filiam elocaverat, qui et ſocero obſequens erat, et haud dubie Proteſtantium cauſae favebat. [ſ] Ponteveſiorum familia iis locis potens eſt; cujus princeps [t] Carſius, qui [u] Flaceanum fratrem plane germanum Aquenſis civitatis praefectum et tunc conſulem primarium, qui honos praecipuis ex nobilitate tribuitur, habebat. Is rebus novis ad omneis occaſiones intentus Sommarivium ſeducit; et oblata Guiſianorum, qui in aula plurimum poterant, amicitia, ampliſſimas conditiones proponit, ſi deſerto parente, qui, quod Sectariorum cauſam palam amplecteretur, apud populum male audiebat, ad Catholicorum partes declinaret, ſeque iis ducem praeberet: quod ſi faceret, ſummam praefecturam regionis ei a rege [δ] delatum iri ſpondebat. Id facile perſuaſit feroci et ambitioſo juveni homo vafer; et ita cum a parente paulatim alienavit. Cruſſolius interim communicatis cum Provinciae praeſide conſiliis [v] Marinianam venit, IIII ab [w] Aquis Sextiis leucis. Inde ambo [x] Cadeneti vicecomitem ad urbem mittunt; cui primo a Flaceano clauſae portae, ſed denuo redeunti patuere; miſſique ex curia et urbis conſulibus, qui factum excuſarent, et culpam in Flaceanum

VAR. LECT. [α] Rigomum D. f. [β] Prorex haudquaquam D. f. o. d. [γ] Annam deeſt D. f. o. [δ] delatam D. f.

INTERPR. [a] de Montaux. [b] de la Motte Gondrin. [c] Riom. [d] de Grafenried. [e] Manuel. [f] ceux de Neufchaſtel & du Valais. [g] Ambiel leur colonel. [h] Lyon. [i] Dauphiné. [k] Provence. [l] le comte de Cruſſol. [m] Fumée. [n] Ponat, conſeiller au parlement de Grenoble. [o] parlement d'Aix. [p] de Savoye, comte de Tende. [q] Honoré, comte de Sommerive. [r] René, ſieur de Cipierre. [s] Jacques de Saluces, ſieur de Carde. [ſ] de Ponteves. [t] le ſieur de Carces. [u] le ſieur de Flaſſans. [v] Marignane. [w] Aix. [x] Cadenet.

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX. ceanum rejicerent. Oppidani a Ponteveſiis incitati multa crudeliter, multa avare ac contumelioſe in Proteſtantes admiſerant, ac poſtremo, diſpoſitis per plateas ac propugnacula tormentis, ac conducto milite, etiam portas urbis muro inducto ſepierant. Igitur negotium datum vicecomiti, ut portas aperiret, tormenta reduceret, militem dimitteret. Juſſus et venire ad praeſidem ac [a] Cruſſolium Flaceanus; qui, cum imperium nulla legitima cauſa in medium adducta detrectaret, ob contumaciam conſulari poteſtate abdicatus eſt; eaque Cadeneti vicecomiti attributa. Tum praemiſſis, quas viſum eſt, in urbem copiis, Cruſſolius Nonis Februar. ingreditur; et delegatos a rege ſenatores in curiam introducit, iiſque a rege mandatum dicit, ut de concuſſionibus judicum, de quibus pleraeque apud eum querelae delatae ſint, cognoſcerent. Poſtea promulgato edicto aſſignatus extra urbem ſub pinu Proteſtantibus locus, quo convenirent, et, ne quid injuriae iis a plebe fieret, omnium arma in publicas aedeis comportata, abrogata conſulibus et decurionibus urbis, qui Flaceanis partibus addicti credebantur, poteſtate, et aliis minime ſuſpectis a Cruſſolio in aliorum locum ſuccenturiatis. Flaceanus inde cum ſuis [b] Brinolium ſe contulit, ſignis explicatis; in quibus [α] ſacrae Romanae ſedis inſignia, hoc eſt, duae claves decuſſatae impreſſae erant, praeeunte Franciſcano cum lignea Chriſti cruci affixi imagine, ut in ſupplicationibus et parentalibus fieri amat, et unoquoque milite coronam ſeu roſarium circa collum tanquam monile geſtante: caeſa ab eo in itinere cohors nuper regis nomine conſcripta. Tum aſſumptis IↃ circiter aliis undique ad ſe ſpe praedae accurrentibus, cum milite vago et ad rapinas ac caedeis huc illuc diſcurrente multa damna vicinis locis dediſſet, per montana [β] Brinolio relicto et [c] Beſſi arce in itinere tentata tandem [d] Barjolium verſus iter intendit, cum prius tribus edictis citatus, quod non pareret, S. C. perduellionis damnatus eſſet: eo mox a praeſide et Cruſſolio praemiſſi [e] Senas et Moventius cum ſcloppetariorum cohortibus, qui ab oppidanis excluſi ad [f] Varagam haud longe conſedere. Ibi a [g] Flaceano veluti obſeſſi diuturna pugna, et, cum pilae ac pulvis defeciſſent, ſaxis etiam certavere: at tandem Maximini fanum ut locum tutiorem conceſſere. Flaceanus Barjolium ab oppidanis invitatus petit cum CIↃ IↃ circiter militibus; quo mox praeſes ac Cruſſolius cum XX ſignis ductore [h] Santalbano accurrere: nec multo poſt per diſpoſitos equos [i] Adretius legionariorum praefectus eodem venit, [k] Ventabreno interea paſſim equitatum [l] Arelate et vicinis locis cogente, ut Flaceano ſupperias ferret, et ad [m] Remigii fanum, dum [n] Avenione promiſſa auxilia adventarent, ſubſiſtente: quod maturandae Barjolii obſidionis cauſam ducibus praebuit. Oppidum ad radices ardui montis loco depreſſo ac praecipiti ſitum eſt, a tergo aſperis collibus, a fronte praeruptis fere clivis cinctum, veluti forma theatrali; de cetero moenia firma, quae rivo convallem admodum anguſtam praeterlabente alluuntur; et arcem oppido imminentem habet, ut haud ita expugnatu facilis a multis crederetur, praeſertim cum duces IIII tormenta tantum campeſtria in caſtris haberent. Nihilominus cum ad ſuburbium, quod oppido hemicycli ſpecie praetenditur, pro tempore a Flaceano munitum, levibus proeliis aliquandiu pugnatum eſſet, notato a Santalbano loco, et contis ac fariſſis aperto muro, factus impetus pridie Non. Mart. quem hoſtes initio ſuſtinuere; ſed demum cedentes, cum retro receptum ad arcem tantum haberent, primum cedendo, mox turpi fuga ruinam deſeruere. In eo tumultu irrumpentibus militibus magna ſtrages edita, interfectique ex [γ] defenſoribus amplius CCC; et in iis miſer ille Franciſcanus, qui tunc etiam ante oculos victoris militis cruce circumgeſtata ſe ab ictibus tutum putabat. Dein [o] [δ] Cardetus a praeſide miſſus, ut caedibus modum faceret; qui Merindolianos

VAR. LECT. [α] ſacrae deeſt D. f. [β] Brunollo D. f. o. [γ] hoſtibus D. f. o. [δ] Gardetus D. o.

INTERPR. [a] *le comte de Cruſſol* [b] *Brignoles.* [c] *Beſſe.* [d] *Barjols* [e] *de Senas, & de Moutens.* [f] *Varages.* [g] *le ſieur de Flaſſans.* [h] *de St. Auban.* [i] *le baron des Adrets* [k] *de Ventabren* [l] *Arles.* [m] *St. Remy.* [n] *Avignon.* [o] *le ſieur de Cardé.*

[a] Merindolianos et Lurmarinenſes, ex quibus duae praecipuae cohortes praeſidi mili- CIↃ IↃ LXII.
tantes conſtabant, in anguſta planitie oppido ſubjecta offendit de genibus ad Deum CAROLUS IX.
pro ſucceſſu vota concipienteis, dum ſocii ad praedam diſcurrerent: quorum continentiam admiratus ille praeſidi ſocero auctor fuit, ut eorum opera ad arcem, quae ſuperabat, expugnandam uteretur; quae mox dedita eſt, eaque dedita ſeditioſi quidam laqueo ſuſpenſi; [b] Guiremanus Entragus et [c] Laedus [d] Aquas Sextias ducti, ac delegatorum judicum ſententia damnati ac ſecuri percuſſi ſunt: [e] [a] Baudinanſius [f] Spinuſae commendatione poena exemptus eſt; qui minime parem gratiam poſtea [g] Moventio retulit. [h] Flaccanus ad [i] Stoechadas inſulas ſe contulit; [k] Ventabreous [l] Remigii fanum deſeruit, et [m] Avenionem confugit. Mox dimiſſis copiis praeſes tantum equites c retinuit, eorum cura Moventio attributa, qui, ſi quid inopinati accideret, ad omneis caſus praeſto eſſent.

XVII. Sub id tempus mutatis in aula conſiliis et praevalente triumvirali potentia Aprili exeunte diploma, cujus ſpem fecerat [n] Carſius, a rege venit, quo ſumma [o] Provinciae praefectura [p] Sommarivio ſub ejus parente mandabatur. Eo fretus ille ex Carſii conſilio copias a patre dimiſſas revocat, et [q] Maſſiliae, Aquis Sextiis ac per alia inferioris Provinciae oppida diſtribuit. [r] Cruſſolius ipſe a regina per literas monetur, ut Provincia relicta in [s] Septimaniam tranſeat, quo Michaelem [f] Quelinum et Joannem [t] Gueſtaeum ex curia Pariſienſi ſenatores ad res iis locis juxta edictum conſtituendas delegaverat, et inde ad ſe quam primum redeat. Tum in Proteſtanteis ubique ſaeviri coeptum menſe Maio; qui ſtatim collectis ſarcinis [u] Merindolium, Caprariam, Cadenetum, Ciſtertionem et Regium ſe contulere. Ea propter praeſes rurſus copiis coactis, et [v] Cipetra filio equitatui, [w] Cardeto genero peditatui praepoſitis, [x] Manoſcum venit; et omnia trans [y] Druentiam oppida in poteſtatem redegit, [z] Pertuſo excepto, quod in ripa fluminis ſitum eſt, et ad tranſmittendum hinc inde a Sommarivio tenebatur. Ad quod promotis caſtris cum in eo res eſſent, ut cuneo incenſo, nam machinae ad manum non erant, vis fieret, praeſes, qui a ſanguine abhorrebat, neque eo proterviae filium tranſcenſurum putabat, ut ad ſe perſequendum ulterius progrederetur, poſtquam XVIII dies ibi commoratus eſt, obſidionem ſolvi imperat. Quo facto audacior redditus Sommarivius [aa] Serbelloni, qui [bb] Cavalione erat, favore adjutus ad [cc] Orgonium pontem vix tandem Druentiam tranſmittit, hoſtilem contra parentem animum jam palam oſtendens; qui Manoſci relicto cum valido praeſidio et copioſo commeatu [dd] Colluxio ordinum ductore, Ciſtertionem verſus, praecipuum Provinciae propugnaculum, caſtra movet, et Cipetram et Moventium ad [ee] Adretium per Merindolium mittit, ut auxilia expedirent. Is tunc ad recipiendam [ff] Gratianopolim a [gg] Maugirono per ſuam abſentiam occupatam excurrerat. Sommarivius, cum ad Cavalionem Serbellono ſe conjunxiſſet, poſt levia aliquot cum Merindolianis certamina ad [hh] Arauſionenſem obſidionem cum eo et Suſae comite profectus eſt; cujus is ſucceſſus fuit, quem ſupra explicavimus: inde Manoſcum venit, quod a Colluxio praeter omnium opinionem ei deditum eſt. Tum imperatis in ſingulas domos III armatis ac pecunia, ad L ſigna peditum, equitatum, quantum potuit, conſcribit, ea mente, ut Ciſtertionem duceret, quo [ii] Tendae comes XI ſigna miſerat, locoque [kk] Bellijocum ſororis filium ex Burgundica nobilitate virum ſtrenuum impoſuerat. Quo facto pridie Kal. Jul. [ll] Barcellonam

INTERPR. [a] *ceux de Merindol & de Lourmarin.* [b] *le capitaine Guilleran d'Entrages* [c] *Laidé* [d] *Aix.* [e] *de Baudimont* [f] *d'Eſpinouſe* [g] *de Mouvens.* [h] *le ſieur de Flaſſans,* [i] *les Iſles d'Hieres.* [k] *de Ventabren.* [l] *St Remy* [m] *Avignon* [n] *le ſieur de Carces.* [o] *Provence.* [p] *le comte de Sommerive* [q] *Marſeille.* [r] *le comte de Cruſſol* [s] *Languedoc.* [f] *Quelain* [t] *de la Gueſle.* [u] *Merindol, Cabrieres, Cadenet, Siſteron, & Riez.* [v] *le ſieur de Cipierre* [w] *le ſieur de Cardé* [x] *Manoſque* [y] *la Durance* [z] *Pertuis.* [aa] *Serbellone* [bb] *Cavaillon* [cc] *Orgon.* [dd] *Colloux.* [ee] *le baron des Adrets* [ff] *Grenoble* [gg] *de Maugiron.* [hh] *d'Orange.* [ii] *Tende.* [kk] *de Beaujeu* [ll] *Barcellonette.*

NOT. [a] *Baudimanſius.* Put.

CIↃIↃLXII. cellonam verſus cum ſuis tendens intetjectam vallem, quae per x circitet leucas porrigitur, occupat; per quam et auxilia immittere et commeatum in utbem comportare, ac, ſi opus eſſet, ſe tuto recipete poſſet. Jam [a] Sommarivius [b] Lucium venerat, pagum colle edito ſitum, praeſidio valido firmatum: cujus perfidia an ignavia, incertum, aditus illi patuit. Mox ad [c] Arnoldi caſtrum caſtra metatut IIII Nnn. Quintil. ibi de ratione obſidendi Ciſtertionis cum ducibus deliberatum. Urbs eſt acceſſu difficilis, quippe duobus amnibus circundata; ab ortu [d] Druentia, a ſeptentrione [e] Buedia; dorſo colliculi adhaerens, cui arx impoſita eſt, et qui intra moenia urbis clauditur, inter duos praecelſos montes [f] Mollarium et Balmacum vulgo dictos, quos Druentia oppidum praeterlabens medio amne dividit, ita ut in colliculum illum moenibus incluſum diverſis partibus verberatio dirigi poſſit, ac praeſertim ex planitie Druentiae vicina, quae Arnoldi caſtrum et Provinciam inferam verſus dimidiae leucae ſpatio porrigitur: verum ita verberatio inſtitui poteſt, ut defenſores non impediantur, niſi diſpoſitis in duobus tumulis, qui ad Molarii montis pedem aſſurgunt, a [g] Joannis et Branconis fanis nomina ſortiti, machinis: nam inde ima moenia quaſſari commode poſſunt. Trans Druentiam pagus eſt ad Balmae montis pedes ab ea quoque cognominatum, ad quem per pontem lapideum itur, ab oppidanis ſervatum; Balmae vetus turris ſuperſtructa eſt, ex qua in urbem deſpicitur, et ad quam non niſi per planitiem anfractuoſo ac longo difficilique et tormentis inacceſſo itinere aditur. Sommarivius, ne in has difficultates ſe induetet, in planitie caſtra ponit, ratus obſeſſos verberationem non exſpectaturos; quod ſi facerent, Balmae pagum tranſmiſſa copiarum parte inſeſſurus. Et vero multa cum bene ſperare jubebant; debilitas oppidi, exiguis tantum turribus nullis praeterea propugnaculis muniti, praeterquam turre quadrata, quae templo inſerviebat, in qua tormenta exigua collocari poterant; ad haec tormentorum penuria; nam praeter exigua aliquot, nulla in urbe erant; commeatus item inopia tot exulibus foeminis, pueris ac turbae imbelli, quae undique eo tanquam in aſylum confugerat, ad paucos dies vix ſuffecturi. Sed multa contra obſeſſos ad extrema quaeque ſubeunda incitabant; deſperatio gratiae ab infeſtis hominibus, et auxiliorum facta ſpes a praeſide, adventu Rembaldi [h] Furmeieti fortiſſimi ducis confirmata, qui ſub id tempus cum ccc delectis in urbem introductus eſt. Sommarivius igitur triduo poſt [i] Buccanigrum militem ſtrenuum, ſed vitiis ac flagitiis infamem, ut propius locum contemplaretur, mittit; qui dum rediret ad pagum, cui [k] Caſtronovo nomen, a [l] Peliſſario ordinum ductore interceptus cum duobus Corſis ac famulo uno, cujus uxorem publico adulterio polluere dicebatur, in urbem ducitur; ubi poſtea multorum maleficiorum convictus, [m] Belliſjoci a foeminis pudicitiam pleriſque ereptam quiritantibus exorati juſſu, a famulo ſuo in publica platea ſtrangulatus eſt: quod [n] Coſtae in arce [o] Arauſionenſi capto, quem [p] Taraſconem abductum diximus, perniciem attulit: nam is mox Sommarivii ultionem de Buccanigri indigna morte ſumere cupientis juſſu laqueo ſuſpenſus eſt. Inde VI Eid. Quintil. Arnoldi caſtro digreditur Sommarivius, et propius urbem caſtra ponit, purgatis et complanatis itineribus, quae ab obſeſſis obſtructa fuerant, et ſub meridiem ad rudera templi Franciſcanorum conſidet, haud paulo amplius ab urbe ſcloppeti jactu. Ab ea parte ſtatim directae II colubrinae et II mediocria tormenta; et in via, quae Molario monti ſubjacet, unde in urbem deſpectus erat, et alia mediocria, ſtatione in ſummo monte quaſi in ſpecula collocata. Bellijocus diverſa parte, attributa cuique ex ducibus regione, poſt vota concepta, duas exiguas machinas turri quadratae illi, quam dixi, imponi jubet, in quam inſtituta

CAROLUS IX.

ab

INTERPR. [a] *le comte de Sommerive.* [b] *Luz.* [c] *Caſtel-Arnoux.* [d] *la Durance.* [e] *la Buech.* [f] *le Moulart & la Baulme.* [g] *St. Jean & St. Branſon.* [h] *le capitaine Furmeyer* [i] *le capitaine Bouque Negre.* [k] *village appellé Chaſteauneuf.* [l] *le capitaine Peliſſars.* [m] *de Beaujeu* [n] *le jeune la Coſte* [o] *d'Orange.* [p] *Taraſcon*

ab hoſtibus verberatio; qua ad noctem uſque continuata tandem turris dejecta eſt. Poſtridie ab ea parte, qua [a] Druentia influit, directa verberatio in murum vetuſtate corruptum juxta portam [b] Salvam: ac tum primum per tubicinem juſſi praeſidiarii deditionem facere; qui non aliud reſponſum a Bellijoco tulit, quam ſe locum a Sommarivii parente tuendum accepiſſe, quem proinde ad ultimum uſque vitae ſpiritum defenſurus ſit; nec porro uſum eſſe, ut poſt pulſationem deditio imperetur. Igitur continuata verberatio, et, c amplius paſſuum ruina edita, factus impetus ſumma virtute ab obſeſſis repulſus; in quo praecipue ſpectata fuit foeminarum et puerorum conſtantia et alacritas, nihil non ſumma diligentia expedientium, et continuas preces ad Deum fundentium: cum contra ii, qui extra ad [c] Molarium montem ſtabant, jurgiis et impudicis dicteriis eos laceſſerent, exprobrantes maritis injurias, quas ipſi uxoribus eorum violatis jam intuliſſent, et quaſi coenaturi apud eos et cum uxoribus ipſorum eodem die concubituri lectos ſibi ſterni jubebant: jamque collectis ſarcinulis non explorata ruina quaſi de victoria certi impetum faciunt; biſque repulſi, tertio pugnam redintegrant, ſed irrito ſucceſſu, egregiam operam intus navantibus Bellijoco, Furmeicto, [d] Burio, [e] Milageo, [f] Siquireno et aliis ducibus; nec ſegnius munia ſua, qua poterant, ſedulo exequentibus foeminis et aliis, qui arma ferre non valebant. Cum nox certamen diremiſſet, ruinae per eam farciendae tanta diligentia foeminae incubuere, ut mane plane obſtructa Sommarivio eandem fortunam tentandi ſpem ademerit: qui aſtu obſeſſos fruſtra extra urbem pertrahere conatus, cum [g] Sorezium et [h] Moventium auxilio cum II CIƆ peditum venire intellexiſſet, partem copiarum trans [i] Buediam tranſmittit, ut e [k] Delfinatu venienteis intercluderet; ubi cum ad XV Kal. Sextil. uſque conſediſſet, rurſus ad ſuos redit, libera omnia ab ea parte Sorezio relinquens. Eadem nocte CCC eruptione facta ad tormenta uſque progreſſi, et ea nequicquam clavis configere conati, poſtremo ſtationem in Molario monte excubantem diſturbant. Poſtridie levibus aliquot proeliis certatum fuit, ac XI Kalend. ejuſdem menſis, Sorezius cum ad ſuburbium [l] Balmae trans Druentiam ſubjectum veniſſet, Sommarivius tormenta transfert, pontem, quo inde ad oppidum itur, quaſſaturus, et tranſitum impediturus; fruſtra facta tum certaminis a Sorezio copia, quod ille ſemper detrectavit; tantum levibus proeliis pugnatum eſt, tantis utrinque odiis, ut nulli vita capto ſervaretur. Dein V Kal. Sextil. Sommarivius, cum vereretur, ne [m] Adretius parta ad [n] Vaureacum victoria, de qua mox dicemus, recta ad ſe contenderet, caſtra ſummo ſilentio movet; et, tranſmiſſo juxta [o] Volonam vicum Druentia, [p] Scalam occupat et praeſidio firmat; [a] et in planitie inter Scalam et [q] Metas frequentem et populoſum pagum, cui a montibus metarum ſpeciem referentibus, qui eum ab meridie cingunt, nomen eſt, caſtra metatur, III a [r] Ciſtertione leucis, ita ut inde a montibus, inde a Druentia, ab alio latere amne qui in Druentiam influit, clauderetur, ductis ab ea parte, qua in planitiem arboribus fructiferis ac rebus ad vitam neceſſariis abundantem ingreſſus fuerat, III profundis foſſis, aperto item ac libero ad commeatum, qui ex [s] Provincia inſera comportabatur, itinere. Eo [f] Cardetus cum omnibus copiis advolat; eae XXX peditum ſigna et IIII equitum vexilla conficiebant; et Scala occupata ad foſſas uſque a Sommarivio ductas progreditur; cui et mox [t] Ponatus ſe conjunxit, cum IX ſignis ab Adretio victore praemiſſus. Is, dum [u] Lugduni et in [v] Seguſianis eſſet, partem copiarum [w] Monbrunio attribuerat, cum quibus ille ſe [x] Suſio, ſi quid interea moliretur, opponeret.

XVIII. DUM

VAR. LECT [a] inde in D. f.

INTERPR. [a] *la Durance.* [b] *porte Sauve.* [c] *le Moulaet.* [d] *du Bar.* [e] *Mellejay.* [f] *Seguran.* [g] *Soreze, fils du ſieur de Seaas.* [h] *de Mouvens.* [i] *la Buech.* [k] *Dauphiné.* [l] *la Baume.* [m] *le baron des Adrets.* [n] *Vaureas.* [o] *Voalongue.* [p] *l'Eſcalle.* [q] *village des Mees.* [r] *Siſteron.* [s] *Provence.* [f] *le ſieur de Cardé.* [t] *Ponnat.* [u] *Lyon.* [v] *Forez.* [w] *Charles du Puy, ſieur de Montbrun.* [x] *le comte de Suze.*

NOT. [d] *Bario.* Put

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

XVIII. DUM igitur [a] Suſius Serbelloni ope ſubnixus copias cogit, et cum iis ad [b] Sorgae pontem hoſpitium habet, VIII Eid. Quintil. Monbrunius [c] Mornacum in [d] Venaſcinenſi limite locum munitum, cui [e] Combus cum valido praeſidio impoſitus fuerat, obſidet, et vi capit: inde ad arcem enixus admodum arduam, dum Combus ſero nimis de deditionis conditionibus agit, a milite Arauſionenſem ſtragem inclamaore et ad ultionem praeſidiarios tanquam lanienae illius carnifices depoſcente, intercipitur; qui omneis in ea repertos aut occiderunt, aut de ſaxo praecipites dederunt, nequaquam prohibente Monbrunio: demum accedente ad crudelitatem ludibrio, cadavera in fluvium ſubjectum dejecta, ut ſecundo [f] Rhodano [g] Avenionem deveherentur, cum elogio mortuis affixo, quibus monebantur viatores, ut libere tranſire eos ſinerent, quoniam tributum Mornaci pependiſſent. Inter eos qui praecipitati ſunt, unus fuit, qui raro fortunae beneficio communem peſtem evaſit: nam ad caprificum rupi adnatam, dum labitur, haeſit; ubi prenſatis vepribus cum diu ſcloppetis a ſaeviente milite ab inferiore parte fruſtra petitus eſſet, Monbrunius, milite faceſſere juſſo, homini miſero, cui fortuna praeſentis exitii gratiam fecerat, parcendum exiſtimavit, et rupe detractum inter ſuos deinceps habuit. Cum vero de Ciſtertione ſolicitus eſſet, eo partem copiarum mittit; partem retinet, et cum iis [h] Bolenam contendit, diffugientibus paſſim ad ejus adventum oppidanis, et vicinis domibus relictis, [i] Carpentoractum, Avenionem et munita loca petentibus, quos Suſius ut confirmaret, et ex fuga reduceret, XIIII Kal. Sextil. cum ſuis ante Bolenam conſtitit; ubi a Monbrunio exceptus cum damno receſſit, amiſſo [k] Roſſio praecipuo ex ducibus, et [l] Scaevola Ventabreno graviter vulnerato, dum innata juventuti Gallicae temeritate ad murum uſque progreſſus dominae nomen propria manu in pinna ſcribit.

XIX. INDE [m] Vaureacum deflectit Suſius; quod illi, [n] Andrea ab [o] Adretio impoſito deditionem faciente, X Kal. Sextil. patuit, et funditus ab eo direptum eſt: ſed non ut loco ita praeda potitus eſt, superveniente Adretio biduo poſt, et cum delectis et Helvetiorum vexillo, quod illi a [p] Subiſio attributum fuerat, ſe Monbrunio, qui eodem, quo Suſius Vaureacum venerat, die, in colle viribus conſito juxta oppidum conſedit, conjungente. Oppido collis incumbit lata in ſummo planitie, ubi Suſius caſtra poſuerat, ita ut oppidum a tergo haberet, et in imo tormenta collocaverat, in colliculum a ſeptentrione objectum directa; ad tormenti jactum aſſurgebat is collis, in quo Monbrunius conſederat, interjacentibus foſſis compluribus tranſverſis, quae ex eo in adverſum enixuris ſuperandae erant. Nihilominus milites ſumma alacritate contendunt; verum viribus animos non aequantibus plerique deficiebant, et in his Helveticae cohortis ſignifer aeſtu diei feſſus et loricae pondere victus ſpiritu linquente exanimatus eſt. Quo animadverſo Adretius veritus, ne is ardor ſuis exitioſus eſſet, militem revocat; et per obliquum collem, collecto interea ſpiritu, ducit, longiore ſed expeditiore via: ſtatimque, ubi ad hoſtem ventum eſt, inclamata victoria, Suſianos Adretii unius terrore perculſos, poſt exiguum certamen, in quo Suſius ſe ſtrenue geſſit, fudit ac cecidit, pernicis equi curſu elapſo Suſio ipſo, ſed amiſſo omni fere peditatu ac tormentis; multis praeterea ex nobilitate Gallica et Italica occiſis, vulneratis aut captis. Poſtridie Adretius [q] Tulotam duabus a Vaureaco leucis pergit, et, Italis praeſidiariis, [r] [α] Capiruſo, [s] Bedarrida, [ſ] Curtaſione, [t] Arauſione, [u] Serria, Piolena, Caſtronovo, ejectis, Sorgae pontem et arcem ei impoſitam capit, tanto de ſe terrore injecto, ut jam Avenionenſes ad obſidionem ſuſtinendam ſe pararent. Verum inde Carpentoractum deflectit, quod aſtu intercipi poſſe ſpes erat: qua

VAR. LECT. [α] Cadiruſo D. f. o. d.

INTERPR. [a] *le comte de Suze.* [b] *pont de Sorgues.* [c] *Mornas.* [d] *le comtat Venaiſſin.* [e] *le capitaine la Combe.* [f] *le Rhône.* [g] *Avignon.* [h] *Boulene.* [i] *Carpentras.* [k] *le capitaine Roſſieu.* [l] *le capitaine Gaucher de Ventabren.* [m] *Vaureas.* [n] *le capitaine André.* [o] *le baron des Adrets.* [p] *le ſieur de Soubize.* [q] *Tulette.* [r] *Caderouſſe.* [s] *Bedarrides.* [ſ] *Courtaiſon.* [t] *Orange.* [u] *Serrian, Pyoleno, & Chaſteauneuf du Pape.*

qua dejectus feſſum militem et nimia celeritate ducis plerumque fame attenuatum CIↃ IↃ LXII.
[a] Valentiam reducit IIII Non. Sextil. amiſſis aliquot ex ſuis, a ruſtica plebe, dum CAROLUS IX.
noctu ſe recipit, interſectis. His actis, reſtabat, ut [b] Ciſtertione laborantibus ſuccurreret, ſicuti a [c] Moventio et Senate rogabatur; ad quem obſidendum jam [d] Sommarivium rediiſſe fama erat: verum ſive injuria, praelato ſibi in Lugdunenſi praefectura Subiſio, quam hactenus diſſimulaverat, irritatus, ſive alias ob cauſas, quas deinceps dicemus, jam a Proteſtantium cauſa alienior, rem, quam temporum neceſſitas poſtulabat, diſtulit, vixque tandem pudore victus et a nobilitate amica exoratus ad [e] Spiritus fanum exercitum reſtituit, tormentis [f] Vaureaci captis et apparatu bellico per ſuperiorem viam uti ſecuriorem praemiſſis, duce Monbrunio, cui ad [g] Nionium occurrere debebat. Igitur Monbrunius Valentia XVIII Kal. Sept. profectus [h] Auripetram vicum in Vapincenſi agro venit. Adretius, luſtrato exercitu et numerato militi ſtipendio, ut eum in diſciplina contineret, caſtra promovet, et [i] Laurentii fanum, mox et [k] Rupem-mauram, loca munita in adverſa [l] Rhodani ripa, capit VII Kal. Sept. et triduo poſt arcem ponti [m] Sorgae impoſitam, quam nuper receptam [n] Serbellonus praeſidio Italorum firmaverat, arce et praeſidiariis cum eo incendio abſumptis; parumque abfuit, quin turrem [o] Villanovae prope Avenionem et munitionem S. Andreae interceperit: cumque Serbellonus, acceptis nuper V Italorum ſignis duce Luca Antonio [p] Interamnate a pontifice ſummiſſis, cum delectis ac nobilitate regionis exiiſſet, ut Adretium inopinato aggrederetur, ipſe a [q] Mirabello interceptus vix ſe fuga periculo eripuit, amiſſis pleriſque e ſuis. Inde [r] Druentiam verſus iter inſtitutum perſequens Adretius obvia quaeque diſturbat; et Kal. Sept. [s] Cavalionem venit, ubi cognito equitatum et pedeſtreis copias [ſ] Arelato adventare, jamque ad [t] Orgonem eſſe, vadato fluvio, qui tum valde humilis erat, inopinatos aggreditur, et magnam partem caedit, ceteros in fugam vertit. Poſtea, cum Ciſtertionem petiturus crederetur, ſive quod jam parum illi cum Proteſtantibus conveniret, ſive quod in tantas anguſtias obſeſſorum res redactas neſciret, et ſatis ſuperque temporis ad ſuppetias ferendas fore putaret, converſo itinere per planitiem copias traduxit; et ita, qui celeritate ſibi familiari hactenus tot victorias pepererat, affectata mora res Proteſtantium paene evertit.

XX. NAM cum Sommarivius poſt levia aliquot certamina, in quibus [u] Verderium praecipuum ex ducibus manu Moventii occiſum amiſerat, fruſtra provocatus, [v] Praeſidem parentem, [w] Cardetum et ſocios caſtris munitis diu ludificaſſet, poſtremo dilabentibus ſociis, ob jam arctam in caſtris annonam, et principio diſceſſionis a [x] Ponato facto, rurſus de obſidendo Ciſtertione conſilium reſumit; coactiſque ex omni multitudine CII ſignis et numeroſo equitatu, profundam foſſam primis caſtris ad colleis geminos, quos dixi, ducit, quâ tectus ab oppidanorum ictibus ex caſtris ultro citroque commeare poſſet. Colleis eos initio tuebantur oppidani; ſed cum de Monbrunii auxilia adducentis adventu cognoviſſent, iis relictis pontem [y] Buechiae impoſitum occupant, ut Monbrunio advenienti tranſitum expeditiorem facerent. Is vero diu Adretium, qui ad [z] Aptam Juliam caſtra poſuerat, ut Sommarivium a Ciſtertionis obſidione liberaret, fruſtra praeſtolatus, poſtremo, cum cognito obſeſſorum periculo in viam ſe dediſſet, a [aa] Suſio et [bb] Labretio illuc a Sommarivio cum exercitus flore ad [cc] Lagranum duabus ab Auripetra leucis interceptus ac caeſus eſt, amiſſis etiam tormentis Suſio ad Vaureacum ereptis. Id incidit in IIII Non. Sept. Mox eodem miſſus a praeſide Senas et praeeſſe juſſus, attributo ei Moventio,

qui

INTERPR. [a] *Valence.* [b] *Siſteron.* [c] *de Mourvens & de Senas.* [d] *le comte de Sommerive.* [e] *pont St Eſprit.* [f] *Vaureas.* [g] *Nions.* [h] *Orpierre au Gapençois* [i] *S. Laurent des Arbres* [k] *Roquemaure.* [l] *le Rhône.* [m] *pont de Sorgues.* [n] *Serbel one.* [o] *Villeneufve lez Avignon, & le fort S André.* [p] *da Terni.* [q] *Mirebel* [r] *la Durance.* [s] *Cavaillon.* [ſ] *Arles* [t] *Orgon* [u] *la Verdiere.* [v] *Claude de Savoye, comte de Tende, gouverneur de Provence* [w] *le ſieur de Cardé.* [x] *Ponnat.* [y] *la Buech.* [z] *Apt.* [aa] *le comte de Suze.* [bb] *Labret.* [cc] *Lagran.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX. qui ex vulnere in certamine accepto adhuc decumbebat. Poſtridie tribus partibus undique fere cincto oppido, duabus colubrinis e [α] collibus gemellis ac murali tormento in adverſa moenia verberari coeptum: editaque CXL paſſuum ruina, quam foeminae terra aggeſta, lectorum culcitis, lignorum faſcibus, fimo et omni alia materia utcunque farcire ſatagebant, nihil metu mortis aut cadaverum et ſpirantium adhuc corporum, quae calcare cogebantur, horrore territae; cum impetus VII horarum ſpatio a XXXII ſignis [β] factus eſſet, in feſſorum et occiſorum locum aliis per vices ſuccedentibus; poſtremo deficiente utrinque pulvere, cum res enſibus, ſaxis ac manibus denique diu geſta eſſet, Senate et Moventio vix adhuc ex vulnere bene recreato praeſentia ſua defenſoribus animos facientibus, tandem depulſi Sommariviani: ſed ſtatim inſtituta alia verberatione, cum nulla ſpes auxiliorum eſſet, feſſo atque ex vulneribus inutili reddito milite, tandem de deſerendo oppido conſilium in occulto duces iniere; explicatu admodum difficile, quod per iter per ſe arduum, tum admodum anguſtum et impeditum, quod ſolum reſtabat, ceteris ab hoſte [γ] inſeſſis aditibus, incedendum eſſet; tum eos male habebant tot foeminarum ac puerorum miſerabiles greges, quos hoſti objicere impium, ſecum abducere laborioſum ac periculoſum videbatur. Id neutiquam tam in ſecreto decerni potuit, quin ejus fama ad hoſtem emanaret; de quo minime tamen fides habita, Gabriele [a] Bolletio Centalio id a vero abludere dictitante et ab obſeſſis artificioſo aſtu confictum, ut, milite illuc properante, ipſi interea irrumpentes ad tormenta impetum facerent. Ita quieta omnia mane in caſtris hoſtilibus fuere, dum per totam noctem praeſidiarii cum miſerabili foeminarum gravidarum, infantium lactentium ac matrum e collo pendentium et longa puerorum ſerie vix per abrupta reptantium jam longe progreſſi eſſent; tandem miſſi qui abeunteis perſequerentur, paucae foeminae occiſae, quaedam captae. [b] Sommarivius [δ] citra ſanguinem Ciſtertione potitus, non tamen a [ε] cruore abſtinuit; ſed ee amplius, qui minime reſiſtebant, occiſis, oppidum diripit: ex quo mox, [c] Montacuto cum VII ſignis impoſito, diſcedit. At miſeri illi exules, cum VII leucas emenſi eſſent, continuato nocte ac die itinere, poſtremo ad [d] Barlam conſiſtunt; ubi ad IↃↃↃ CIↃ omnis generis ac ſexus tandem convenerunt, vixque in iis CIↃ pugnae apti numerabantur. Tum ita inſtructum agmen, ut ſcloppetarii in fronte et tergo ſtatuerentur, imbellis turba inter eos media incederet. Inde [e] Salonetum itum; cumque [f] Vapincum tenderent, [g] Hubaicum vicum, ut illic [h] Druentiam ſupra [i] Talarium tranſmitterent, veniunt; ubi cognito inſidias [ϛ] ab hoſtibus in faucibus duorum montium, per quos neceſſario eis tranſeundum erat, ſtructas, ad [k] [1] Loſeti anguſtias deflectunt, qui eſt Sabaudicae ditionis vicus, praemiſſo [l] Vivano, qui cum ſcloppetariis fauces inſideret: ibi imbellis turba a vicanis accepta pernoctavit. [2] Lauſeto [m] Pauli fanum VII Eid. Sept. itum, [n] Barcellona ad laevam relicta: inde cum turſus [o] Gratianopolim petere conſtituiſſent, de inſidiis a Gulielmo [p] Avanſouio Ebrodunenſi archiepiſcopo ſibi ſtructis certiores facti [q] [ζ] Pragelatenſem vallem verſus iter intendunt, et [r] Canalem vicum fere ſolitarium quintis caſtris veniunt: poſtridie ſuperato [s] Agni-monte [t] Mollerias deſcendunt; ubi a [u] [η] Cazeta, qui Brigantionem tenebat, homine fero utpote lanii filio, ſed qui ſub Alpinis bellis pugnacitatis famam meruerat, petiti, nullo accepto damno incolumes praetervecti ſunt; ac rurſus ſuperato [x] Argentario monte [y] Sauſacum vicum veniunt commeatu abundantem; ubi

VAR. LECT. [α] collibus illis ac *D. f.* [β] factus eſſet *deſunt* *D. f.* [γ] infeſtis *D. f. o.* [δ] citra ſanguinem *deſunt* *D. f.* [ε] ſanguine *D. f.* [ϛ] ſibi ab *D. f.* [ζ] Pragellenſem *D f. o.* [η] Caſeta *D f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Boulers, ſieur de Cental.* [b] *le comte de Sommerive.* [c] *le ſieur de Montazut.* [d] *Barle.* [e] *Salonnet.* [f] *Gap.* [g] *Hubaie.* Beze H. E. l. 13. l'appelle *village du Baye.* [h] *la Durance.* [i] *Tallard.* [k] *le pas du Lozet.* [l] *Vivans.* [m] *le village de S. Paulo.* [n] *Barcelonette.* [o] *Grenoble.* [p] *d'Avanſon, archevêque d'Embrun.* [q] *de Pragelas.* [r] *la Chenau.* [s] *col de l'Agnel.* [t] *Mollieres.* [u] *la Cazette, gouverneur de Briançon.* [x] *col de l'Argentiere.* [y] *Sauzé.*

NOT. [1] *Lauſeti.* Put. [2] *Lauſeto.* Put.

ubi IIII dies commorati ſunt: poſtea [a] Pratumgelatum profecti, in eo rurſus utpote loco amico VIII dies conſederunt. Ibi de relinquenda imbelli turba deliberatum fuit; ſed, cum tanto numero alendo iis locis minime copia ſuppeteret, accepto ab [b] Angrunienſibus pulvere rurſus in viam ſe dant, et [c] Sezanam ad montis crepidinem XVIII caſtris veniunt; ac ſuperato monte [d] Genebra ripam Druentiae ad dextram legentes, cum ad pontem infra Brigantionem veniſſent, ut fluvium tranſmitterent, a Cazeta excluſi ad alterum infra pontem deſcendunt, quem per armatos homines in ulteriore ripa diſpoſitos corrumpi curaverat Cazeta. Ibi magna omnium deſperatio: nam jam diem integrum cibum non ſumpſerant, et de via feſſi, quo tenderent, in incerto erat. Verum [e] Senas ac Moventius, mane praemiſſo trans fluvium equitatu, qui armatos recedere compelleret, tabulis undique conquiſitis pontem ſternunt, et trium horarum ſpatio in Brigantionis conſpectu imbellem turbam ſine damno trajiciunt; atque eodem die [f] Fraxineum vicum, unde valli nomen, veniunt, de quo in Convallenſium bello plura diximus. Inde rurſus media nocte digreſſi [g] Urſeriam locum fere deſertum tendunt; ubi nulla panis, vini aut alterius rei edulis copia reperta eſt; tantum vagae aliquot oves, quae diffugientibus per montes proximos vicanis deerraverant, captae, et a famelicis, qui Sezana profecti fuerant, conſumptae. Urſeria [h] fanum Boneti ventum, quod III leucis tantum [i] Vapinco diſtat, quodque interea hoſtes occupaverant, et quamvis tot dierum emenſi iter tantum a [k] Ciſtertione XII leucis aberant. Ibi rurſus ſummo periculo conflictati ſunt: nam [l] Vinaeus, qui Gratianopolim [m] Ponati inſcitia et ſocordia indiligenter cuſtoditam ſciret, de urbe per [n] Adretii abſentiam intercipienda conſilium ceperat: et [o] Buſſeriam quidem a [p] Caſſario fruſtra antea monito Ponato deſertam nullo negotio occupat; inde cum Italorum et Hiſpanorum in [q] Sabaudia coactorum manu XVI Kal. Oct. ſuburbia urbis capit, ad [r] Triclauſtenſem uſque portam praegreſſus, et urbe etiam potiturus, niſi [s] Cochii et Sanmauritii diligentia ac virtute irruentium impetus repulſus fuiſſet. Ibi falſo rumore ſparſo, quaſi Senas ac Moventius Ciſtertione deſerto in itinere Brigantionem obſediſſent, ille protinus Gratianopoli omiſſa per [ſ] Oſcenos eo iter vertit; tuncque [t] Corvii erat, cum Moventius Boneti fanum venit; ubi de imbelli turba [u] Valentiam amandanda cum cogitaret, ipſe vero ut obſeſſis ſuccurreret, Gratianopolim proficiſci ſtatueret, in itinere prope Corvium vix periculo cognito tumultuarie aciem inſtruit; et interea imbellem turbam ultra [v] Dracum per pontem traducit, quae per [w] [1] Treviros [x] Moguntiacum venit, et ita rurſus tranſmiſſo ad [y] Coneti pontem Draco per [z] Muranum incolumes omnes Gratianopolim V Kal. Oct. pervenere, ſacris cantionibus per vicos, cum urbem intrarent, Deo gratias agentes, cujus ſingulari beneficio tot periculis ſuperatis in tutum ſubducti eſſent. Inde, cum urbs tantae multitudini capiendae et alendae vix ſufficeret, poſtquam [aa] Gierii haud longe ab urbe triduum commorati fuere, relictis inibi aliquot aegris ac

INTERPR. [a] *Pragelat.* [b] *ceux d'Angrogne.* [c] *Sezane.* [d] *mont Geneuvre.* [e] *de Senas, & de Mouvens.* [f] *la Fraiſſiniere.* [g] *Ourſieres.* [h] *village de S. Bonnet.* [i] *Gap.* [k] *Siſteron* [l] *Vinay* [m] *Ponat.* [n] *le baron des Adrets.* [o] *la Buſſiere.* [p] *Caſſart.* [q] *Savoye.* [r] *la porte appellée Treclouſtre.* [s] *les capitaines la Cocke, & S. Mauris.* [ſ] *le Bourg d'Oyſans, au baillage de Graiſivaudan.* [t] *Corp.* [u] *Valence.* [v] *le Drac.* [w] *pays de Trieves, dans la Graiſivaudan, entre le Drac & le Drois.* [x] *Mens.* [y] *pont de Cognet.* [z] *la Mure.* [aa] *Giery.*

NOT. [1] *Treviros Moguntiacum.* Trier eſt un petit pays dans le Dauphiné, qui ne conſiſte qu'en 14 ou 15 tant bourgs que villages, dont Ments eſt le principal. Il ſemble, que M. de Thou ſe ſoit joué ſur la rencontre de *Mentz*, qui en Alleman ſignifie *Mayence*, & par conſequent en Latin ſe devroit rendre *Moguntiacum*: mais comme ce n'eſt point *Mayence*, il vaudroit bien mieux mettre *Mentium* que *Moguntiacum*. Il a mis auſſi pour la meſme raiſon *Trevivi* pour *Trier*, à cauſe que *Trier* en Alleman c'eſt *Treves*, & *Treviri* en Latin. J'aimerois mieux mettre *Mentium Trieriorum*, en attendant que par bons papiers tiltres & chartes on trouve le vrai nom, que de mettre *Moguntiacum in Treviris*, fondé ſimplement ſur la reſſemblance d'un nom François, qui ſe rencontre conforme à un Alleman. Cela ſe pourroit rencontrer ainſi en toute langue, & donner occaſion de faire des alluſions auſſi froides que celle-là. *Put. L.*

CIϽIϽLXII. CAROLUS IX.

ac ſauciis [a] Lugdunum perrexere; quo, [b] Senate et Moventio a [c] Subizio per Jacobum [d] Ruſum urbis paſtorem evocatis, ab [e] Adretio, qui eis in itinere praeſto fuit, deducti IIII Non. [α] Sept. pervenere, et a Subizio nullo non humaniratis genere accepti ſunt; eorumque loco, qui cum Helvetiis urbe plus nimio cauti aut timidi exceſſerant, uſque ad pacificariooem proximam cuſtodiae urbis diligenter inſervierunt.

XXI. [f] Cisterti one capto et Proteſtantibus tota provincia excluſis, [g] Sommarivius [h] Carſio et [β] Flaceani libidini obſecutus licenter admodum in ſuſpectos ob religionem bacchatus eſt. Nam ab iis, qui res eas curioſe perſcripſere, numerantur amplius IϽ CCLXX viri, foeminae CCCCLX, infantes XXIIII diverſo mortis genere crudeliter abſumpti; et ſub pinu illa, de qua diximus, extra [i] Aquas Sextias, ubi ad conciones conveniebant, XIIII laqueo ſuſpenſi, aut diverſa peſte extincti perierunt.

XXII. Interea de obſidendo Lugduno ſerio cogitans [k] Tavanius [l] Anſam III ab urbe leucis venit, ibi muralia tormenta opperiturus, quae [m] Cabilone advehebantur, et III Italorum auxiliarium millia ductore [n] Anguiſciolae comite, qui unus ex quatuor [o] P. Aloiſii Farneſii percuſſoribus fuit, quibus [p] Bellam-villam uſque obviam proceſſit, et eos in caſtra adduxit cum [q] Sancaumontii et Lud. [r] Laſtiei Arvernorum prioris copiis, crebris velitationibus extracto menſe integro, nec propius promotis caſtris. Dum haec agerentur, Subizius ſolicitatus reginae literis, ut urbem dederet, [s] Monchenuſio ob id ad eum miſſo V Non. Sept. nullum aliud reſponſum dedit, quam ſe urbem, quamdiu ei praeeſſet, regis ipſiuſque nomine fideliter ſervaturum. Quo intellecto Guiſius auctor fuit, ut [t] Nemoroſius ad eam obſidionem proficiſceretur cum delecto equitatu et Germanis [u] [γ] Rockendorfi equitibus, ratus non aegre laturum Tavanium, ſi proximo a Nemoroſio loco exercitui praeeſſet. Verum is, ſive Nemoroſii imperium gravatus, ſive quod, ut erat cautus belli dux, de expeditionis exitu vereretur, inde capta occaſione retro in Burguodiam conceſſit. Eodem fere tempore Anguiſciola militi ſtipendium minime perſolvi cauſatus, et ipſe a caſtris diſceſſit, remanentibus tantum VI Italorum ſignis, [u] Braneatio duce; quae praedandi licentia an deteſtanda libidine plus nocuerint ambiguum reliquere, ſtupratis paſſim pueris, ac ne capris quidem parcentes, quas ob id tota fere regione ruſtici ſtatim poſt eorum diſceſſum, utinam et cum eis crimen, paſſim abolevere. Cum iis ac reliquis copiis Nemoroſius, omiſſo ad praeſens Lugduno, Viennam recta ducit XVII Kal. Oct. Urbi praeerat [v] Berninus ex Baiardi famoſi illius ducis gente, [*] qui, quanquam a Subizio monitus, ne quidquam fortunae committeret, ſed frequentes excubias in urbe faceret, et auxiliareis ab Adretio copias propediem exſpectaret; temere egreſſus, cum a Nemoroſio praeter ſpem in oppidum eum damno compulſus eſſet, caſu inopinato territus animum et conſilium ſimul amiſit, et quid ageret incertus, quod unum reſtabat, deſerta civitate in arcem confugit cum CC circiter praeſidiariis; qui exemplo ducis conſternati, nuſquam animum ex illo pavore [δ] colligere potuerunt, ſed deficientem ciſternarum aquam cauſati, eadem ignavia, qua urbem deſeruerant, arcem dedidere. Ita amiſſo Ciſtertione, et eodem fere tempore [w] Vienna, multum damni a Proteſtantibus in [x] Provincia ac Delfinatu acceptum eſt; ac Lugduni etiam, quod jam annonae anguſtia laborare coeperat. Triduo poſt Adretius [y] Latis in Septimania, III a [z] Mompelio leucis, quo interea excurrerat, intellecto Viennae periculo, a Subizio evocatus advenit, ſub id fere tempus, quo Senas et Moventius [aa] Gratianopoli

D. f. [*] *multum ei diſpar*

VAR. LECT. [α] Oct. *D. f.* [β] Flaſſeani *D. f.* [γ] Rochendolfi *D. f. o.* Rocandolfi *D. d* [δ] recolligere. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Lyon.* [b] *de Senat, & de Mouvens.* [c] *le ſieur de Soubize.* [d] *Ruſi.* [e] *le baron des Adrets.* [f] *Siſteron.* [g] *le comte de Sommerive.* [h] *les ſieurs de Carces & de Flaſſans.* [i] *Aix.* [k] *le ſieur de Tavannes.* [l] *Anſe.* [m] *Chalons.* [n] *l'Anguiſciola.* [o] *Pierre Louis Farneſe, duc de Parme.* [p] *Belleville* [q] *le ſieur de St Chaumont.* [r] *Laſtic, grand prieur d'Auvergne.* [s] *le ſieur de Monchenu.* [t] *le duc de Nemours.* [u] *Rockendorff.* [u] *Brancaccio.* [v] *le capitaine Bernin.* [w] *Vienne.* [x] *Provence & Dauphiné.* [y] *Lattes en Languedoc.* [z] *Montpelier.* [aa] *Grenoble.*

Digitized by Google

nopoli profecti [a] Lugdunum deſcendere. Cum vero poſt ſe peditatu relicto cum expedito cccc ſclopperariorum equitatu ſe in viam dediſſet, a [b] Nemoroſio prope [c] Belloreparium interceptus ac fuſus eſt; ac vix Lugdunum incolumis pervenit: cumque de peditatu ſuo actum putaret, commodum accidit, ut Rembaldus [d] Furmeierus cum [e] Vapincenſibus exulibus ccc, quos [f] Montelio Adaemari in [g] Vivarienſem pagum duxerat, obſeſſaque [h] Capella et inibi occiſo [i 1] Bulazuo Montelium reduxerat, [k] Romanium veniret, ubi [l] Monbrunius jam erat; qui, accepto Adretiano peditatu ac recenſitis XIII vexillis, Belloreparium contendit, noctemque commoratus, poſtridie a Nemoroſio cum omni equitatu, cum quo Adretium fuderat, oppugnatur, toto die certamine extracto, in quo [m] Peiracus deſideratus eſt: nec evadendi ſpes erat, peditatu Nemoroſii adveniente, qui VII CIƆ hominum plus minus efficiebat, cum III machinis muralibus et una colubrina. Verum fortuna hoc periculum diſcuſſit: nam cognito eorum adventu ex domeſtico quodam Nemoroſii, qui per incogitantiam in Monbrunianos inciderat, ſubito nocte intempeſta ſine ſtrepitu diſceditur, continuato itinere, donec albeſcente vix die [n] Coſtam ſani Andreae perventum eſt; ubi ſumpto properanter cibo, rurſus dies nocti continuata eſt a milite, per montana et ſilvis opaca loca incedente: tandemque cuncti incolumes Romanium rediere. Diverſa parte Adretius, ignaro Subizio, undique coactis ad IIII CIƆ peditum et cc equitibus, rurſus Belloreparium locum ſibi infauſtum tendit XIIII Kal. Nov. ut eladem in eo acceptam ſarciret. Inibi ab eodem Nemoroſio geminata clade ſed graviore longe cum damno profligatus eſt; nec dubium fuit belli peritis, quin omnino deleri potuerit, ſi Nemoroſius victoria uſus fuiſſet: ſed, tantum CXX amiſſis, de cetero ſalvis impedimentis, [o] Burgonium ſe recepit; ubi obvios habuit II CIƆ Helvetios auxiliareis Lugduno a Subizio ſummiſſos ductore P. [p] Ambielo, ac totidem Gallos ductore [q] Senare, ac CCC equites, quos [r] Poncenaeus et Moventius ducebant. Cum iis Adretius nihil acceptis damnis infractus [s] Viennam verſus caſtra promovet, et inter Lugdunum et Viennam medius, peditatuique II ab ea leucis hoſpitio aſſignato Nemoroſium modo victorem mutata rerum facie quaſi obſidere viſus eſt, data interim Subizio facultate undique annonam ex vicinis agris, excluſo intra Viennae moenia hoſte, Lugdunum comportandi.

XXIII. INTER odia, mutuas caedeis ac civilis belli aeſtus, tamen aliqua reipublicae cura fuit. Nam cum ſuperiore anno delegati a rege P. [t] Seguierius curiae Pariſienſis praeſes et Antonius [t] Acciadonus Monferrandus, a Sabaudo [u] Caſſianus Pureanus concilii ipſius primarius praeſes et Ludovicus [v] Odinetus, de controverſis utriuſque ditionis finibus acturi Lugduni ad [w] Juſti conveniſſent, poſt longas altercationes diverſas ſententias protulerunt: et noſtri quidem [x] Nicaeam et adjacenteis terras cum fructibus ab anno CIƆ CCCLXXXVIII, oppida item v, [y] Montem-regalem, [z] Cunium, Foſſanum, Savilianum et [aa] Clerium, [bb] Aſtam denique cum ſuo territorio, ſine fructuum tamen reſtitutione regi adjudicant; de ſucceſſione item Philiberti fratris Aloiſiae Franciſci I parentis Sabaudum regi ſatisfacere debere pronunciant; de [cc] Auguſta Taurinorum, quae a noſtris petebatur, cum non liqueret, ſpatium ad inſtrumenta et ampliores conquitendas probationes poſcunt; de cetero a petitione hereditatis Philiberti eum abſolvunt: adverſarii contra [dd] Sabaudum a petitionibus regis itidem omnino abſolvunt: ita nullo alio operae pretio facto delegati diſcedunt. Sed cum nihilominus inſtaret Sabaudus, Margaritae uxoris precibus, quae apud reginam

plurimum

INTERPR. [a] *Lyon.* [b] *le duc de Nemours.* [c] *Beaurepaire.* [d] *le capitaine Furmeyer.* [e] *de Gap.* [f] *Montelimart.* [g] *le Vivarais.* [h] *la Chappelle.* [i] *le ſieur de Buluzo.* [k] *Romans.* [l] *de Montbrun.* [m] *le capitaine Peyrus.* [n] *la Coſte S. André.* [o] *Bourgoin.* [p] *Ambiel.* [q] *de Senas.* [r] *de Poncenat & de Mouvens.* [s] *Vienne.* [t] *Seguier.* [t] *Acciadou,* nommé *l'auditeur Montferrand.* [u] *Caſſiano del Pozzo, premier preſident.* [v] *Odineto.* [w] *St Juſt.* [x] *Nizza* ou *Nice.* [y] *Mondovi.* [z] *Coni, Foſſan, Savillan.* [aa] *Quiers,* Ital. *Chieri.* [bb] *Aſt.* [cc] *Turin.* [dd] *le duc de Savoye.*

NOT. [1] Lege *Balazuo.* Put.

CIƆIƆLXII. plurimum poterat, adjutus, ut convenienter paci nuper factae oppida et ditionis ſuae
CAROLUS IX. arces ſibi reſtituerentur, interceſſit Imbertus [a] Platerius Bordillonius equitum tribunus, qui in [b] Subalpinam provinciam decedente ex ea Briſſaco miſſus fuerat, et totum hoc negotium ad regis conſiſtorium remiſit; ubi re agitata poſtremo ex cardinalis [c] Lotaringi, antequam ad concilium Tridentinum proficiſceretur, ſententia decretum eſt, ut rex a Sabaudo [d] Pinarolum, [e] Peroſam et Savilianum acciperet; quibus acceptis Auguſtam [α] Taurinorum, [f] Clavaſium, Clerium et Villam-novam in Aſtenſi agro ei reſtitueret, deductis inde tormentis, pulvere, pilis ac cetero belli apparatu: miſſuſque Florimundus [g] Robertetus ab epiſtolis cum mandatis ad Bordillonium, Jo. [h] Morvillerium epiſcopum Aurelianenſem, Renatum [i] Biragum, ut eam permutationem executioni demandarent, et exortas de finibus controverſias cum Sabaudi delegatis dirimerent. Verum rurſus interceſſit Bordillonius, et re cum praefectis regiis et aliis communicata, regis pupillarem aetatem ac grave praejudicium cauſantibus, denuo ad regem, reginam ac Navarrum ſcribit; et, magnitudine rei propoſita, amplius ſibi ac ceteris regiis praefectis ac reliquis adminiſtris caveri petit, dilata interea mandatorum executione; et rationes, quibus adductus in reſtitutionem conſentire non poſſit, jam ante a regis delegatis [k] Lugduni, cum de ea re cum Sabaudi miniſtris ageretur, expoſitas repetit: eae autem erant; ante omnia Sabaudum teneri ad oppidorum, dominiorum, [l] Nicaeae arcis, locorum ac vicariarum ad eam ditionem pertinentium reſtitutionem, juxta conductionis inſtrumentum a Grunialde anno CIƆ CCCXCVIII factum, et Iolandae reginae tranſactionem XI poſt annis itidem factam, cum omnibus fructibus a tempore inſtrumenti illius putandis; item locorum omnium, quae ex Aſtenſi comitatu poſſidet; praeterea regi reſtituere debere oppida, loca et arces [m] Cunii, Foſſani, Saviliani, [n] Montis-regalis, et ejus ditionum; inſuper Clerium cum territorio ſuo; item ſatisfacere debere de tranſactione inter Francum ac Sabaudum anno CIƆ CCCLIII facta, ſalvo ejus contra alios quoſlibet jure; item de juribus ac portionibus hereditariis Aloiſiae Franciſci I parentis, quae ei in bonis ad imperium minime pertinentibus, et in quibus lege municipali foeminae a maſculis non excluduntur, tanquam ſoli et unicae Philiberti Sabaudiae ducis ſorori germanae et heredi competebat; praeterea ſenatus Pariſienſis placito anno CIƆ CCCXC inter Sabaudiae ducem et [o] Saluciae marchionem dato, ſatisfieri debere, quo Delfino Salucienſis marchionatus ſupremum dominium adjudicatur, et Sabaudus ad omnium oppidorum Saluciae marchionibus ademptorum aut quovis modo a Sabaudo occupatorum et uſurpatorum reſtitutionem damnatur: inter ea, quamvis ſenatuſconſulto minime enumerata ſint, recenſet, [p] Bargam, [q] Cavortium, [r] Pancalerium, [s] Epiniam, [ſ] Villam-novam Sollerii, [t] Moruttam, [u] Muretum, et oppida IIII aut V, quae a [v] Sollerienſi familia hodie tenentur, [w] Carinianum, [x] Monaſteriolum, [y] Cardeum, [z] Vigonium, [aa] Villam-francam, [bb] Cavalerium majus, [cc] Racooiſium, [dd] Mollebrunium, [ee] Carralium, [ff] Sommarivam, [gg] Caramaniam, [hh] Cavalerium Leonis, [ii] Valigieram, [kk] Cazalgiam, [ll] Forpaſſium, [mm] Faulam Mulaſſanam, [nn] Villa-falletium, [oo] Buſcam; item Conium, Foſſanum, Montem-regalem, Savilianum, [pp] Centalium, [qq] Luſcam, ac alia comprehenſa in conceſſione ab Othone I Caeſare [β] Alarano ſororis filio, qui primus Saluciae marchio ab eo inſtitutus eſt, anno IƆ CCCCLXVII facta: quae omnia fere [rr] Provinciae comitibus a marchionibus oppignerata aut vendita ſunt, qui iis poſtea, dum bello ſacro

VAR. LECT. [α] Turinorum, Chivaſium *D. ſ. o.* [β] Alaramo *D. ſ.*

INTERPR. [a] *de la Platiere, ſieur de Bourdillon* [b] *Piedmont* [c] *de Lorraine.* [d] *Pignerol.* [e] *Perouſe & Savillan.* [f] *Chivas, Quiers, & Villeneufve d'Aſt.* [g] *Robertet.* [h] *de Morvilliers, ev. d'Orleans.* [i] *de Birague.* [k] *Lyon.* [l] *Nice.* [m] *Coni, Foſſan.* [n] *Mondovi.* [o] *Saluces.* [p] *Barge.* [q] *Cavors.* [r] *Pancalier.* [s] *Epinſe.* [ſ] *Villeneufve du Sollier.* [t] *Morette.* [u] *Muret.* [v] *de Solliers.* [w] *Carignan* [x] *Moneſterol.* [y] *Carde.* [z] *Vigon.* [aa] *Villa-franca.* [bb] *Cavalli Maggiori.* [cc] *Raconis.* [dd] *Moullebrune.* [ee] *Carrail.* [ff] *Sommerive.* [gg] *Caramagna.* [hh] *Caval Lion.* [ii] *Polongiera.* [kk] *Cazalgras.* [ll] *Fort pas.* [mm] *Faule Mulaſſan.* [nn] *Ville fallet.* [oo] *Buſque.* [pp] *Cental.* [qq] *Luſque.* [rr] *Provence.*

ſacro extra ditionis ſuae fineis diſtinerentur, a Sabaudiae comitibus ſpoliati fuere: proinde jure duplici ea regem vindicare, in cujus perſona Provinciae comitum et Saluciae marchionum jura ac dominia hodie confuſa ſunt: et, quamvis delegati ita ſentirent, probationes ad jus, quod regi in [a] Auguſta Taurinorum competebat, firmandum non ſuppetere; tamen minime dubitabant, quin intra deſignatum tempus idoneum id probari poſſet; quod dum fiat, interea omittendum non eſſe, civitatis ordines a Carolo deſertos omne jus ac dominium ſuum in Franciſcum I transtuliſſe anno hujus ſaeculi XXXVII, ac ſupplices petiiſſe, ut inter Franciae ditionis ſubditos in poſterum accenſerentur; id vero Franciſcum acceptaſſe, confecto ea de re diplomate, quod in omnibus regni curiis tunc promulgatum, poſtea Henricus II, Franciſcus II, et Carolus etiam, qui nunc regnat, ratum habuere. His rationibus nixus [b] Bordillonius mandatorum a Robertero allatorum executionem uſque ad regis pubertatem ſuſpendi poſtulabat. Id actum Auguſtae Taurinorum XVII Kal. Oct. CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

XXIV. URGENTE tamen regina, nihil non in Margaritae gratiam [α] facere parata, et preces ac querimonias miſcente Hieronymo [c] Roboreo Tolonenſi epiſcopo, qui [d] Sabaudiae ducis apud regem oratoris munere fungebatur, tandem re rurſus in conſiſtorio agitata, quae tunc in aula occupaverat libido eorum animos, qui plus aliis ſapere volebant videri, minuendae regiae majeſtatis et ſpoliandi regni, Taurini et ceterorum locorum reſtitutio decreta eſt, ac poſtremo facta pridie Eid. Dec. ejuſdem anni, poſſeſſione urbium in manus Amadei [e] Valpergii Mazini comitis conſignata; biduoque poſt Philibertus ipſe inopinato Taurinum venit, et convocatis decurionibus ac civitatis primariis eos in fidem jurejurando adegit, et ita anno exeunte Subalpina regione tota pacate potitus eſt, cum ei ineunte eodem anno pridie Eidus Jan. Carolus Emmanuel ex Margarita jam provecta aetate raro Dei beneficio natus fuiſſet. Poſt conſignationem [f] Gariniano ſenatus evocatus Taurinum venit, in eaque urbe princeps deinceps domicilium habuit, ubi et [g] arcem biennio poſt admiranda amplitudine et arte in B. Solutoris ruinis ad firmandum novum principatum exſtruxit, et veluti compedes ſuorum animis Gallicae libertatis auram adhuc reſpirantibus injecit.

VAR. LECT. [α] facere parata, nec multum reclamante Hoſpitalio, quod id ex pacificatione neceſſario ſequi diceret, res executioni demandata eſt. Nam, inſtante Hieronymo Roboreo Tolonenſi epiſcopo Sabaudiae ducis apud regem oratore, rex tandem, ex cardinalis Lotaringi conſilio, antequam Tridentum proficiſceretur, Taurinum, Charrium, Clavaſium & Villanovam reſtitui mandavit, accepto viciſſim a duce Pinarolio ac Saviliano. Miſſus ob id a rege Jo. Morvillerius Aurelianenſis antiſtes, et cum eo Florimundus Robertetus a ſecretis epiſtolis; qui cum III Kal. Sept. Taurinum veniſſent, cum Bordillonius rurſus moras necteret et rege puero amplius ſibi caveri peteret, diverſo itinere Morvillerius inde Tridentum ad cardinalem Lotaringum perrexit, inde Robertetus in aulam rediit; ubi rurſus, quae imminuendae regiae majeſtatis et ſpoliandi regni libido inter eos, qui plus aliis ſapere videri volebant, tunc in aula regnabat, re agitata, Taurini et ceterorum locorum, &c. *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Turin* [b] *le mareſchal de Bourdillon.* [c] *Rovere, eveque de Toulon.* [d] *Savoye.* [e] *Valpergue, comte de Mazin* [f] *Carignan* [g] *citadelle de Turin.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

INITIA concilii Tridentini. II. S. Stephani equitum ordo a Coſmo inſtitutus, ſtatutis ac legibus de eo conditis, et filio Franciſco ſub id in Hiſpaniam miſſo. III. Coſmi clades domeſticae: IV. Contentio de praerogativa cum Ateſtinis Ferrarienſibus, in qua tractu temporis obtinuit. Petiliana cauſa a Philippo ad Imperatorem remiſſa. V. Maximiliani in regem Romanum ſolemnis inauguratio, et ritus. VI. Ebraimi de induciis in VIII annos pangendis ad Ferdinandum legatio. VII. Bellum Livonicum exardeſcit inter Suecos, Danos et Lubecenſeis. Chriſtophorus Revalienſis adminiſtrator cum Erico Sueco tranſigit. Lubecenſes et maritimae civitates a Sueco turbidis conſiliis nimium tribuente infeſtatae, qui ne amicitiam quidem cum Joanne fratre, cum Polono et Dano ſervare potuit. VIII. Apud nos in Aquitania res turbant. Burdigalae inita factio contra Buriam Navarri legatum. Aginni Nitiobrigum diverſi motus. Magna multis locis Proteſtantium intemperies, qui aliis atque aliis locis ſuperiores, aliis etiam pelluntur. IX. Divonae Cadurcorum male habiti. Nec multo poſt ruſticorum Cadurcenſi caſu exaſperatorum concurſu patrata Fumelii caedes, quam XL ex ſubditis vario cruciatu adfectis ultus eſt Monlucius, qui inde infeſtum cum iis bellum, poſtquam a Condaeo Aurelianum occupatum fuit, toto biennio geſſit. X. Tumultus Toloſanus a Proteſtantibus, dum periculo praevertere cupiunt, excitatus; qui tandem repelluntur, et quamvis perſcriptis conditionibus male mulctantur. XI. Severum contra eos, et qui Montalbanum tenebant, et Nemauſi, Caſtri, Biterris, Monpelis, Lactorati, Villaſrancae in Rutenis, Millialdi, Villanovae, Limoſii, Apameae erant, S. C. factum Pariſienſis aemulatione; quod uno et altero diplomate regio contrario, quo tumultus Toloſani oblivio inducebatur, mitigatum fuit; eoque Joannes Coraſius et Arnoldus Cavanius ſenatu moti priſtinae dignitati ſunt reſtituti. XII. Galliaci magna Proteſtantium ſtrages edita. XIII. Montalbani irrita obſidio. XIV. Eam ultus Mirapicenſis veniens poſt tumultum Toloſanum. XV. Belloquadrum captum, et intra diem receptum. XVI. Jac. Cruſſolii Baudinei et Gul. Jouſae contraria in Septimania geſta. XVII. Frontinianum fruſtra a Proteſtantibus tentatum. XVIII. Ingens Sommarivii ad Aegidii fanum clades. Jouſa damno affectus obſeſſis praeſto eſt. Mompeliana obſidio obſtinatis animis a Jouſa ſuſcepta; cui deplorandis templorum ac coenobiorum ruinis a defenſoribus proſpicitur. Magalona capta. Adretius ſamiliari celeritate obſeſſis fert ſuppetias; ſed cognito Viennam a Nemoroſio interceptam eadem celeritate revolat: quo factum, ut, cum praeſens adeſſe crederetur, regii remiſſius illius metu agerent. Tandem ſoluta obſidio, Combaſii et Sanſelicii turmis in receptu a Bulliargio caeſis et ſignis amiſſis.

Ex

Ex auctoribus,

Actis concilii Tridentini publicatis, aliiſque literis et actis, quae penes Jacobum Burdinum unum e quatuorviris a ſecretis epiſtolis remanſerunt; Jo. Baptiſta Hadriano, L. Vicino P. P. Joanne Serrano, Th. Bezae H. E. Blaſii Monlucii comment.

LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS.

CONCILII [*] [a] Tridentum indicti negotium cum caleret, Ferrarienſis cardinalis pontificis legatus, poſt abolitum Januarii edictum, rebus ex voto in Gallia conſtitutis, a rege petito commeatu, in Italiam rediit: quicum Carolus cardinalis Lotaringus cum delecto theologorum et praeſulum Gallorum numero profectus eſt, cum prius de pecunia in belli ſumptus et proximam [b] Aureliani, quae belli arx erat, obſidionem eroganda cum Pariſienſibus egiſſet, ingenti etiam ſpe de concilio excitata, quo ſcilicet Januarii edicti memoria omnino induceretur; idque per clauſulam edicto adjunctam fieri poſſe demonſtrabat, qua cautum fuerat, ut eo uſque valeret, donec ex concilii univerſalis ſententia de re tota decerneretur. Dum in itinere eſſet, L equites Aureliano egreſſi ductore [c] Dampetra impedimenta, mulos et equos legati intercipiunt; et repoſcenti per tubicinem [d] Ferrarienſi a Condaeo reſponſum eſt, apparatum hunc adeo magnificum ac plane militarem non paſtoribus ac Petri ſucceſſoribus, ſed potius vitis belli ſtudiis innutritis et qui pro religione arma ſumpſerunt, convenire: non recuſare tamen, ſi CC aureorum CIↃ triumviris ad bellum ſibi inferendum commodata ab iis repeteret, et auxiliareis Italorum copias revocaret, quin omnia reſtituantur. Cum hoc ridiculo reſponſo contumelioſe remiſſus tubicen. Concilium ad ſuperioris anni Paſcha indictum, in principium hujus dilatum eſt, procraſtinante ſemper pontifice, qui non minus ſibi ab Hiſpanis epiſcopis quam a concilio nationali Galliae metuebat. Nam cum poſt cladem ad [e] Gerbenſeis inſulas acceptam, Philippus in claſſis ſumptus in mari mediterraneo ad arcendas piratarum aſſiduas et jam ex eo liberiores excurſiones inſtructae ex ſacro Hiſpanorum eccleſiaſticorum patrimonio quotannis CCCC aureorum CIↃ dependi et fundorum certam portionem alienandi facultatem ſibi concedi poſceret, nec pontifex juſta regis poſtulata in tanta neceſſitate rejicere aut jure aut honeſte poſſet, iiſque conceſſis provideret fore, ut Hiſpanis praeſulibus minus in concilii negotio placatis uteretur, ſummopere animi diſcruciabatur; quippe qui hoc unum omni ratione ſibi potius cavendum ſtatuerat, ne dignitas pontificia imminueretur, quam ut juſtis tot nationum querelis ſatisfieret. Tandem extrema neceſſitate victus, miſſis e fratrum gremio, qui ſuam vicem fungerentur, Hercule Gonzaga, Hieronymo [f] Seripando et Staniſlao [g] Hoſio epiſcopo Warmienſi, cardinalibus, quibus paulo poſt adjuncti Jacobus Simoneta et Marcus [h] Siticus Altempſius, concilium inchoari paſſus eſt: et XV Kal. Febr. hujus anni CIↃ IↃ LXII factum eſt decretum, ut ſublata quacunque ſuſpenſione juxta formulam pontificii diplomatis concilium Tridenti celebraretur; et in illo ſervato ordine ea tractarentur, quae proponentibus legatis, atque iis, qui praeerunt, ad horum temporum levandas calamitates, ſedandas de religione controverſias, linguas doloſas coercendas, depravatorum morum abuſus corrigendos, eccleſiae veram ac Chriſtia-

nam

VAR. LECT. [*] *Tota, in hoc triceſimo ſecundo Hiſtoriarum libro, de concilio Tridentino narratio, per octo paginas excurrens, uſque ad* Coſmus Florentinorum dux *deeſt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Trente.* [b] *Orleans.* [c] *le ſieur de Dampierre.* [d] *le cardinal de Ferrare.* [e] *delle Gerbe* ou *Zerbi.* [f] *Seripando.* [g] *Hoſio, evêque de Warmie* ou *Warmeland.* [h] *Sitico d'Altemps.*

CIↃIↃLXII.

CAROLUS IX.

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

nam pacem conciliandam conducere ipſi ſanctae ſynodo viderentur. Urgebant noſtri, ut in decreto concilii generalis ac liberi denuo indicendi mentio fieret; hoc enim pertinere ad Proteſtantium in Gallia querelas ſedandas, qui ſuperiorum ſeſſionum decretis ſtare et acquieſcere recuſabant. Contra petebant Hiſpani, ut patres coeptum olim concilium proſecuturos ſe profiterentur. Ea de cauſa medio verbo uſi ſunt; et celebrari concilium decreverunt. Sed graviter admodum tulere praeſules Hiſpani, qui aderant, quod eo decreto proponendi facultas ſolis legatis tribui videretur, adempta ea ceteris epiſcopis poteſtate: deque illa re cum apud Philippum expoſtulaſſent, et decretum illud mitigari peterent, rem dignam exiſtimavit ille, de qua per oratorem ſuum cum pontifice ageret. Cum ergo [a] Varga apud pontificem inſtaret, quo concilio libertas ſua conſtaret, ut, quod abſolute legatis tribuebatur, id detorta locutione et mutato caſu inflecteretur; pontifex Vargae petitionem eludens contemptim reſpondit, non vacare, ut diſputatione de ablativis abſolutis et vocum generibus tempus tereret, aliudque, quod agatur, inſtare. Nec minore ludibrio de Galliae periculis ac calamitatibus intra parietes domeſticos arbitris ſemotis diſſerebat. Cum enim cardinales quidam ex Galliae periculo, quod negligeretur, ſummum Romanae ſedi periculum imminere praeſagirent, eamque proinde ex animo ſe deplorare dicerent, Quid tum, inquit, ſi, dum urbis epiſcopatum tenebimus, nihil ad victus lautitiam et fabricarum magnificentiam deerit! Cum urgerent noſtri, ut ad morum emendationem et corrigendam diſciplinam attenderetur, reſpondit, ea de re ſe plene Galliae regno et ad faſtidium ſatisfacturum, tamque prolixe id curaturum, ut emendationis poſtulatae cunctos aliquando poeniteat: addebat inſuper, providere ſe, futurum ut ob religionem regnum ſcinderetur; verum ſe ejus jacturam non aſſis facere. Haec ex Andreae [b] Gillarii Inſulani, qui oratorem tunc temporis apud pontificem agebat, et Jo. [c] Eberardi Sanſulpicii, qui eodem tempore in Hiſpania erat, ad regem literis, quas penes nos habemus, ſumma fide excerpſimus. Miſſus poſtea Romam a Philippo Ludovicus [d] Avila Alcantarae ordinis princeps, qui et ea de re et ſundorum eccleſiaſticorum alienatione cum pontifice ageret. Secunda ſub Pio IIII ſeſſio celebrata eſt IIII Kal. Mart. in qua decretum de librorum delectu et omnibus ad concilium fide publica invitandis factum eſt. Eo temporis ſpatio delegati IIII, qui decreta concilii conciperent, et ſcriptis mandarent; inſuper XVII alii praeſules, qui de cenſuris ac libris, quid opus facto eſſet, diſquirerent. Oratores Caeſarei jam advenerant, Ant. [e] Muglitius archiepiſcopus Pragenſis, Georgius [f] Draſcovicius Quinqueccleſienſis epiſcopus, Andreas [g] Duditius epiſcopus Tinnienſis admirabili vir ingenio ac [α] doctrina, [h] Sigiſmundus item Tunnius; iique poſtulata a Ferdinando habebant, quae in tempus adventus legatorum ceterorum regum ac principum exhibere diſtulerunt. Interim impetratum, ut nihil decreto insereretur, quo concilium potius continuari, quam denuo inſtitui ſignificaretur; ne, inde arrepta occaſione, Proteſtantes non convenirent. Impetratum item, ut, ſi quidem proxima ſeſſio differri non poſſet, tempus praefiniretur, intra quod comitia, quae tunc temporis [i] Francofurti celebrabantur, perfici poſſent; nec interea librorum prohibitorum breviculo libri [k] Auguſtanae confeſſionis comprehenderentur. Secundum haec IIII Non. Mart. nomine ſanctae ſynodi, confecto ea de re diplomate, omnibus, qui ad illam venire volent, prolixe et idonee cavetur. Actum et magna contentione, ut inſtitutionem epiſcoporum a Deo ſine ullo medio, et eorum ad gregem ſibi commiſſum paſcendum aſſiduitatem ex jure divino pendere decreto ſanciretur; idque

Hiſpani

VAR. LECT [α] doctrina, et in quo nihil erat, ſi inconſtantiam excipias, quod ad ſummam laudem requireres, Sigiſmundus *MS. Samm.*

INTERPR [a] *de Vargas.* [b] *Guillard de l'Iſle.* [c] *Ebrard de St Sulpice.* [d] *d'Avila.* [e] *Muglitz, archevêque de Prague.* [f] *Draskowitz, evêque des Cinq Egliſes.* [g] *Dudith, evêque de Tina.* [h] *Sigiſmond, evêque de Tban.* [i] *Francfort.* [k] *d'Augsbourg.*

Hiſpani maxime omnium urgebant: quod cum ad epiſcoporum poteſtatem ſtabiliendam et pontificiam contra imminuendam ſpectare videretur, Romae in ſummis angustiis verſabatur pontifex; qui re cum collegis ſaepius communicata, vota patrum, qui [a] Tridenti erant, protelationibus et ambiguis reſponſis diu ludificatus, ad extremum omnino [α] fruſtratus eſt. Venerat jam Philippi nomine Ferdinandus [b] Avalus Piſcariae marchio, proque eo orationem apud patres habuit Galeatius [c] Brugora patritius Mediolanenſis XVII Kal. April. et quatriduo poſt [d] Adamantius Auguſtinianus eremita [e] Quinquepagicorum Helvetiorum et [f] Friburgenſium ac Solothurnenſium nomine, qui oratorem Tridentum Melchiorem [g] Luſſium equitem miſerunt. Is petebat, ut ſibi locus in conſeſſu poſt Venetorum ſenatus oratores daretur, ut qui reipublicae Helvetiorum nomine veniſſet, et ſupra [h] Baioari oratorem ſederet: idem etiam petierat adverſus Joannem [i] Strozzium Coſmi Florentinorum ducis oratorem: ſed ſecundum Baioarum tanquam Imperii principem pronunciatum eſt. Ob idque cum Helvetius conſeſſibus non intereſſet, Florentinus locum ſemper poſt Baioarum ſervavit. Seſſione tertia, quae II Eid. ejuſdem menſis celebrata eſt, ſeſſio in pridie Nonas Junii prorogatur: et rurſus in XVII Kal. Sextil. Medio tempore venit a rege Ludovicus [k] Sangelaſius Lanſacus, Arnoldus [l] Ferrerius claſſium inquiſitoriarum praeſes, et Vidus [m] Faber Pibracius vir ſumma facundia et amoeniſſimo ingenio, de quo plura poſtea dicenda erunt. Ii mandata ad doctrinam pariter et diſciplinam ſpectantia habebant; quae premere juſſi ſunt, donec Caeſarei oratores ſua protuliſſent. Nam vero ſimile fiebat, ea in pleriſque cum illis conſentire, quae ad levandam invidiam, qua [β] Gallia ob turbas nuper exortas apud patres laborabat, ab illis proponi malebant. Ubi venit Lanſacus, ad [n] Inſulanum dat literas XIV Kal. Junias, quibus eum de adventu ſuo certiorem faciebat, et ſibi mandatum dicebat, ut cum omnium principum legatis conſilia ſociaret, ac praecipue cum Caeſareis oratoribus, propter cauſae conjunctionem, capita conferret: ſed inprimis neceſſarium videri, ne conceptam de concilio ſpem contrarius eventus fruſtretur, ut pontifex legatis mandet, patientiam in audiendo adhibeant, neque praecipitatione ulla in eo negotio utantur, et epiſcoporum, qui propediem venturi ſunt, adventum praeſtolentur; tum in votis emittendis ac ſententiis dicendis libertatem ſine conditione aut modo omnibus concedant; neque committant, ut, qui concilio praeſunt, Spiritum Sanctum in bulgam compactum Roma accerſere dicantur; ac poſtremo ſedulo caveant, ut, quae in conſeſſu patrum ad Dei gloriam decernentur, Romae ab otioſis hominibus maligna interpretatione non traducantur, aut corrumpantur: quae ut a pontifice impetret, hortatur. Verum Inſulanus minus aequum ea in re pontificem habuit; qui, cum a Gallicanis et aliis quibuſdam epiſcopis inaudiviſſet propalam diſputari, concilium ſupra pontificem eſſe, et a noſtris de vectigalibus, quae pro cathedralitio exiguntur, tollendis conſultatum fuiſſe, ultra modum exaſperabatur; adeo ut bonorum eccleſiaſticorum, in belli contra Proteſtanteis tunc toto regno inflammati ſumptus, alienandorum facultatem omnino denegaverit, aut ita duris conditionibus conceſſerit, ut ea uti rex minime conſultum duceret. Petebat pontifex, ut nullum praejudicium poteſtati ſuae a noſtris epiſcopis fieret, et eccleſiaſticae diſciplinae ac curiae Romanae emendatio uni ſibi reſervaretur: quod ut commodius facere poſſet, et de rebus, quae Tridenti agebantur, indies certior fieret, [o] Bononiam uſque venire decreverat, quaeſito rei colore, ut Caeſaris eo venturi inaugurationi intereſſet; ne videlicet

CIↃ IↃ LXII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] fruſtratus eſt: nam quae epiſcopis eo concilio committuntur, ea tanquam delegatis a ſede apoſtolica perpetuo tribuuntur. Venerat *MS. Samm.* [β] Gallia ob ſectarium virus apud patres *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Trente* [b] *d'Avalos, marcheſe di Peſcara.* [c] *Brugora.* [d] *Adamantio.* [e] *les cinq petits Cantons.* [f] *ceux de Fribourg & de Soleurre.* [g] *Luſſy.* [h] *le duc de Baviere.* [i] *Strozzi.* [k] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [l] *du Ferrier.* [m] *du Faur, ſieur de Pibrac.* [n] *de l'Iſle.* [o] *Bologna.*

CIↃIↃLXII. videlicet plus de auctoritate ſua, quam de cura paſtorali ſolicitus videretur. Pridie
CAROLUS IX. Nonas Junias [a] Vidus Faber regis nomine orationem ad patres habuit; in qua pari
eloquentia ac libertate eos officii ſui admonnit; praedixitque, quid ſperandum aut
timendum ex eorum recte vel ſecus in eo negotio factis eſſet. Quae monita, etſi ſyno-
dus, ut a tanto rege profecta, in bonam partem accepit, iis tamen oblique ſe ſin-
gillatam diſſimulare non potuit. Tandem XVII Kal. Sextil. ſeſſio V ab hoc anno, ſi
ad inchoatum a Paulo III concilium ſpectes XXI, celebrari coepit; in qua quaeſtio
de communione ſub utraque ſpecie et parvulorum baptiſmo agitata ac deciſa eſt. Id
jam pridem Germanos male habebat: itaque Caeſarei legati inter capita a ſe propo-
ſita ea de re egerant; petebantque, ut pontifex ſe ipſum et curiam Romanam emen-
dationi ſubjici pateretur: cardinalium numerum, ſi non ad duodenarium contrahi,
uti ab antiquo erat, ſaltem duplicari eum contentus eſſet. Inſuper petitum, ne de-
inceps, quod cum publica offenſione nunc fiat, diſpenſationes, uti vocant, paſſim
aut temere concedantur: exemptiones omnes contra jura communia conceſſae re-
vocentut, et monaſteria cuncta ſub ejus epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt, poteſtate
conſtituantur: ne plura uno ſacerdotia cuiquam attribuantur: ſingula collegia ſin-
gulas ſcholas habeant: nec ſacerdotia conductitiis presbyteris dentur: epiſcopi ad
ſui gregis curam aſſidui ſint, nec niſi extrema neceſſitate compulſi munia ſua pee
alios, quam per ſeipſos obeant, et totam diœceſis curam non uni ſed pluribus per-
ſonis demandent; diœceſeis ſuas ſedulo inviſant, et quotannis ſynodos habeant:
in eccleſia cuncta gratis praeſtentur: et ſi quae ſacerdotia ſint adeo tenuis reditus, ut
miniſteria obire et onera abſque quotidianis emolumentis ſuſtinere non poſſint, alio-
rum pinguiorum, quae curam animarum non habeant, adjectione augeantur: ve-
teres canones contra pravitatem ſimoniacam in uſum revocentur: excommunicatio,
niſi in cauſa peccati mortalis et notoriae irregularitatis, temere non decernatur:
preces publicae modeſte et graviter, non praecipitantet fundantur: Miſſalia et Bre-
viaria purgentur, reſectis iis, quae non ex ſacris libris ſumpta ſunt: de clero ad vi-
tam puriorem reducendo ratio ineatur; et monaſticus ordo ad primariam inſtitutio-
nem inſtauretur, nec tantae cœnobiorum divitiae tam flagitioſe prodigantur. Ma-
ture cogitet ſynodus, an non res efflagitet, ut quaedam juris poſitivi, quod aiunt,
olim decreta mutentur; et circa communicationem ſub utraque ſpecie exterarum
nationum deſiderio conſulatur; item in eſu carnis, jejuniis aliquid de priſtino jure
remittatur; et conjugium clericorum aliquibus nationibus concedatur: breves
evangeliorum explicationes, ex quibus plebani et curiones ad populum conciones
habent, per peritos theologos emendentur: plures epiſcopatus in late patentibus
provinciis inſtituantur; et opulenta cœnobia in eum uſum vertantur: quod ad bo-
na eccleſiaſtica in uſus profanos converſa et diſtracta pertinet, ut eae injuriae diſſi-
mulentur. Moniti praeterea perbenigne patres, viderent, an e re fuiſſet, ad evel-
lendum omnem e mentibus ſcrupulum, ſtatui, praeſulum conſtitutiones non habere
neceſſitatem obligationis annexam; item, an expediat humanarum ſanctionum
multitudinem nonnihil contrahi, ſuperfluis rejectis; nec non alicubi Latinis canti-
cis etiam vernacula lingua preces fideliter verſas admiſceri. Jam ante Auguſtinus
[b] Pangartinerus Monacenſis Alberti [c] Baioari orator Tridenti V Kal. [a] Sextil. ad patres
orationem habuerat; qua tria inprimis, ad pacem eccleſiae in Germania conſtituen-
dam, urgebat; nimirum, eccleſiaſticorum mores emendarentur, inſtitutis ſcholis,
quibus et ſacerdotes inſtrui et ad meliorem vitam reduci poſſent; concubinatus, qui
impuro cœlibatu foveretur, et gravium offenſionum materiam pleriſque praeberet,
tolleretur, ſacris Ordinibus et concionandi facultate caſtis maritis conceſſa; et ad
placandos irritati populi animos utriuſque ſpeciei uſus permitteretur: ſic enim fore,
ut,

VAR. LECT. [a] Quintil. *MS. Samm.*
INTERPR. [a] *Guy du Faur.* [b] *Paumgartner de Munchen* ou *Munich.* [c] *le duc de Baviere.*

ut, qui harum rerum offenſione ab eccleſia defecerunt, in viam redeant; et qui in obſequio remanſerunt, et nihilominus graviter iis rebus offendantur, in officio confirmentur. CIↃIↃLXII. CAROLUS IX. Et ſuperiore quidem anno cum [a] Inſulanus orator regius de utriuſque ſpeciei uſu cum pontifice reginae juſſu ageret, hoc reſponſum ab eo tulerat, exiſtimaſſe ſe, ſemper coenae uſum, ut et ſacerdotum conjugium, aliter atque aliter uſurpatum olim fuiſſe; potiuſque a patrum decretis, quam a jure divino pendere: ac proinde pro tempore mutari poſſe; et, quia eam ſententiam tueretur, poſtremo conclavi ab imperitis hominibus pro Lutherano habitum fuiſſe: nihil tamen ea in re citra fratrum ac collegarum conſenſum pronunciare velle. Addebat pontifex, Ferdinandum Caeſarem a ſe petiiſſe, ut Maximiliano filio Bohemiae regi integrae coenae uſus gratia fieret: nam, quo minus aliter, quam a Chriſto inſtitutum fuiſſet, ſacramentum illud perciperet, religione ipſum attineri: eandem poſtea gratiam omnium ſuorum ſubditorum nomine Caeſarem a ſe petiiſſe: quod hactenus illi cardinales denegaverint. Id in ipſius Inſulani literis VIII Eid. Nov. ad regem datis perſcriptum fuit. Tunc vero in ea ſeſſione, quaeſtione agitata, diverſae ſententiae fuerunt. Nam L ex patribus, et ii doctrina inſigniores, Caeſaris et Baioari poſtulatis ſatisfaciendum cenſebant: nec Gonzaga concilii praeſes abnuebat; quamvis cardinales collegae diſſiderent: Hiſpani contrariam ſententiam tuebantur: alii legatos in Germaniam mittendos ſentiebant, qui viderent, an et quibus conditionibus expediret integrum coenae uſum iis populis concedi. Id actum V Kal. Sept. Tandem ea ſententia [a] vicit, quae pronunciavit, anathema eſſe, ſi quis dixerit, ſanctam eccleſiam catholicam non juſtis cauſis adductam fuiſſe, ut laicis atque etiam clericis non conficientibus ſub panis tantummodo ſpecie communionem permitteret. Poſtea ſeſſione XXII, XV Kal. Oct. celebrata, in qua de ſacrificio actum, cum Germani peterent uſum calicis in coena concedi, ſancta ſynodus articulos duos propoſuit diſcutiendos; an rationes, quibus adducta eccleſia ſub panis tantum ſpecie communionem laicis et non facientibus ſacerdotibus permittat, ita ſervandae ſint, ut nulla ratione calicis uſus concedi debeat; et, ſi quidem honeſtis et Chriſtianae charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis uſus videatur, quibus conditionibus concedi debeat. Quos articulos, cum in aliud tempus diſcutiendos ac definiendos ſervaſſet, tandem, ut ſe Germanorum id enixe petentium importuna moleſtia ſemel liberaret, totum negotium ad pontificem retulit; qui pro ſua prudentia id efficiat, quod reipublicae Chriſtianae utile et ſalutare ea in re fore judicaverit. In ea ſeſſione lecta eſt ſyngrapha confeſſionis [b] Abiſui filii Joannis de domo Marcia ex civitate Gezira in Tigride flumine, patriarchae civitatis [c] Muzalae in Aſſyria orientali, quam per interpretem profeſſus erat Romae Nonis Martiis proximis, cum ad apoſtolorum limina pontificem ſalutaturus veniſſet, ut ab eo confirmatus [1] partem de corpore S. Petri acciperet. Is omnium Orientalium trans Euphratem commorantium maximus patriarcha, ut cujus juriſdictio uſque ad interiores Indos pertineat, vir doctus, et Chaldaicis, Arabicis et Aſſyriis literis expolitus, cum interrogaretur de difficillimis quaeſtionibus, ſcite reſpondebat; eamque doctrinam ſuos a Thoma et Thaddaeo ipſorumque diſcipulo Marco edoctos ad hanc diem ſervare dicebat: quod idem antea factitaſſe Simonem Salakam, Julio III pontifice, pluribus in ipſius Julii vita memorat Onuſrius Panvinius. Inde cum proximae ſeſſionis dies pridie Eid. Nov. indicta eſſet, ad Eid. Quintileis inſequentis anni prorogata fuit. Rex vero his de rebus a Lanſaco certior factus, cum [d] Avarici Biturigum eſſet, ad eum VII Eid. Sept. reſcripſit;

VAR. LECT. [a] vicit, quae, contra Gelaſii canonem in Gratiani decretum relatum, Siquis dixerit ſanctam eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis adductam fuiſſe, ut laicis atque etiam clericis non conficientibus ſub panis tantummodo ſpecie communionem permitteret, aut in eo erraſſe, anathema eſſe pronunciavit. *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de l'Iſle.* [b] *Abdiſſi.* [c] *Muzale.* [d] *Bourges.*

NOT. [1] potius *pallium*, ſecundum Spondanum in Contin. Annal. Baronii. C.

Digitized by Google

reſcripſit; et laudare ſe quidem, quae hactenus Tridenti geſta ſint, ceterum, quod per omnium ora circumſeratur, diſſimulare non poſſe, nimirum id in concilio agi, ut, dum lente ac ſegniter in morum ac diſciplinae emendatione pergitur, doctrinae negotium affectata praecipitatione tranſigatur, et id conſilii eſſe, ut, hoc leviter diſcuſſo, illo omnino omiſſo, finis ſynodo imponatur: atqui non hoc aptum et idoneum remedium eſſe malis ac calamitatibus, quae nunc ubique orbem Chriſtianum et Galliam inprimis lacerant; in quibus ſanandis cum xxx ab hinc annis fruſtra laboratum ſit, neque ferro et flammis quidquam profecerint, qui ſeveritatem adhibendam cenſuerant, ad concilii univerſalis opem tanquam ad ſacram ancoram omnium vota confugiſſe: itaque optare ſe, ut nihil ſub hujus concilii initium fiat, quo adverſariorum animi ab eo alienentur; ſed potius opera detur, ut ad illuc conveniendum quavis ratione et officio invitentur; ſi quidem ſui copiam fecerint, a patribus tanquam filii benigne et perhumane accipiantur. Nam quorſum ſolicita illa et diligens eorum, quae ad doctrinam ſpectant, hactenus agitata diſputatio, cum de iis nulla ſit inter Catholicos, qui adſunt, controverſia? ad illos vero nihil faciant, qui ſuas de eadem doctrina ſententias indicta cauſa damnari conqueruntur: igitur conſultum videri, ut ad colloquium alliciantur, ne membrum illud jam a corpore divulſum cetera membra tractu temporis ſecum trahat: fruſtra enim ſperari, eos decretis, quibus minime interfuerint, obtemperaturos: itaque optimum ſibi videri, ut ceteris omiſſis in morum ac doctrinae emendatione ſerio incumbatur; nam rem omnibus gratam fore, neminique offenſionem [α] parituram. Mandatum inſuper [a] Lanſaco, ut abſentium propter motus domeſticos Gallicanorum epiſcoporum cauſa ſeſſionem proximam in extremum menſem Octob. prorogari poſtulet, quo tempore illi adfuturi ſunt; aut ſaltem decretorum publicationem in illum diem rejici. Quae cum Lanſacus apud patres expoſuiſſet, poſtremo regis nomine petiit, ut, quoniam nonnihil de antiqua libertate in conſeſſibus jam celebratis detractum eſſet, in quibus ſemper regibus, principibus aut eorum oratoribus, quae ex uſu ac neceſſitate ſuorum regnorum erant, libere exponere licuit, ea facultas ſalva illis in poſterum maneret, et, ſi quid contra factum ſit, revocaretur. Dum in eo ſunt, cardinalis Lotaringus cum XL circiter epiſcopis et quibuſdam theologis Tridentum venit Eid. Nov. cui obviam legati pontificii iere extra urbem cum praeſulibus et principum oratoribus. In itinere Lotaringus [b] Oenipontem ad Caeſarem divertetat, antequam ille ad comitia [c] Francofurti indicta profectus [β] eſſet. Ibi ad demerendam Caeſaris gratiam inſigne praejudicium Gallici nominis dignitati factum a [d] Metenſis et Virodunenſis epiſcopatuum fiduciariis adminiſtratoribus, qui, auctore, ut putatur, cardinali Lotaringo, jusjurandum Ferdinando, tanquam Imperii beneficiarii, ritu ſolemni praeſtiterunt, multum repugnante Jo. [e] Morvillerio, qui tunc cum Lotaringo erat, et ſe ab eo conventu caute ſubduxerat. Inde poſt ſecretos ſermones de religionis negotio cum Caeſare habitos, Tridentum verſus iter perſequitur Lotaringus. Ad cujus famam, tanquam hoſte adventante, omnia Romae diligenter a pontifice neceſſaria comparata: nam et de novis legatis deligendis, et novo quaſi delectu epiſcoporum, qui numero vincerent, Tridentum mittendo deliberatum eſt. Scripſit et in eam rem ad Philippum pontifex, ut epiſcopos ditionum ſuarum moneret, conſilia ac vota cum Italiae epiſcopis jungerent, nec ſe ab ultramontanis aut rationibus aut

numero

VAR. LECT. [α] parituram. Interim adverſarii ita bene inchoato negotio ad concilium invitentur et pertrahantur: cujus is exitus futurus ſit, ut, ad Dei gloriam ſopitis religionis diſſidiis et erroribus ſublatis ac emendatis, pax in eccleſia conſtituatur. Mandatum inſuper Lanſaco *MS. Samm.*
[β] eſſet. Ibi, ſive ut dignitati Gallici nominis inſigni praejudicio facto gratiam Caeſaris demereretur, ſive ut ea re regis pueri ac reginae et conſiliariorum ejus patientiam periclitaretur, ſe auctore, Franciſcus Bellocareus Pigullio Metenſis et Nic. Pſalmeus Virodunenſis, epiſcopatuum fiduciarii adminiſtratores, jusjurandum Ferdinando, *&c. MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [b] *Inſpruck.* [c] *Francfort.* [d] *de Mets & de Verdun.* [e] *de Morvilliers.*

numero vinci paterentur. Familiaribus vero cum Inſulano ſermonibus [a] Lotaringum ridicula protſus comparatione perſtringebat; cum quaſi alterum pontificem ſubinde appellans, qui ex pluribus ſacerdotiis ad CCC aureorum CIƆ annui reditus corraderet, cum ipſe unico ſacerdotio, quod in urbis epiſcopatu conſiſteret, contentus eſſet; ac facile ei eſſe ſaturo ventre jejunia laudare, et alios, ut unico ſacerdotio contenti eſſent, admonere. Praemiſſus fuerat a rege Franc. [b] Bolletius Manius, qui ſuſpiciones ob Lotaringi profectionem in anxio pontificis animo excitatas dilueret ac removeret, et de conſilii ſui rationibus eum coram edoceret. Nam vulgo jactabatur, Lotaringum eo veniſſe, ut acta ſuperiore anno in [c] Poſſiaceno colloquio per ſynodum rata haberentur; integrae coenae uſus laicis reſtitueretur; ſacerdotibus uxores habendi libertas eſſet; preces publicae vernacula lingua conciperentur; epiſcopi uno ſacerdotio contenti eſſent; nullique eligerentur, qui non ad populum concionarentur. Quod ad primum; Manius colloquium Poſſiacenum excuſabat, et illud ex reginae conſenſu a Lotaringo inſtitutum dicebat, ut extracto per illud tempore motus inteſtini retardarentur, et os Sectariis querelas ipſorum non auditi paſſim quiritantibus obſtrueretur, ut, ſi ratione vinci non poſſent, interea collectis copiis ad officium vi cogi poſſent; ceterum in eo nihil ſere conveniſſe: quod ad alia capita, nihil praeter mandata, quae regii oratores habeant, Lotaringum attuliſſe, nec praejudicatas ullas opiniones in concilium introducere decreviſſe. De vectigali, quod ſacerdotia Gallica pro cathedralitio dependere conſueverunt, ſumme angebatur pontifex; quod, ne amplius penderetur, a patribus regem poſtulaturum rumor erat. Id pontifex contra fidem datam fieri querebatur; et regem appellabat: nam conveniſſe, ut ea de re cum ipſo ſolo ageretur, et amice tranſigeretur. Sed nihil aeque animum illius urebat, quam quod ſecretam cum Proteſtantibus pacem tractari inaudiverat, libertate ipſis concionandi conceſſa; quo fieri providebat, ut, pacata Gallia, res in concilio, quod ille praecipitatum malebat, maturius agitarentur, et Proteſtantes in eo audirentur; atque adeo Angliae regina, quod maxime omnium reformidabat. Sic enim exiſtimabat; eo conſilio [d] Ferrarienſem legatum et cardinalem Lotaringum in Italiam ablegatos, ne praeſentia ſua tam pernicioſos conatus turbarent: ceterum quid eorum opera opus eſſe ad concilii celebrationem, cum ea maxime utilis ac neceſſaria eſſet in aula apud regem? Igitur, tanquam in extremo periculo conſtitutus, quantum poterat epiſcoporum nulla excuſatione accepta cogebat, coadjutoribus etiam, et iis, qui jam ſacerdotia ejeraverant, non exceptis, ut major numerus votorum eſſet: etiam, quaſi ſui non ſatis eſſent, ab amicis mutuo ſumpti, et in iis M. Antonius [e] Boba Caſalenſis epiſcopus, ducis Sabaudiae apud eum orator, impetrata ab hero ſuo venia, Tridentum proficiſci rogatus eſt; et Ludovicus [f] Vaninus Theodulius Britonorienſis epiſcopus doctrinae et eloquentiae laude inſignis, qui propter adverſam valetudinem a profectione ſe excuſaverat, quaſi res ad triarios redacta eſſet, ipſe itidem eo ire juſſus. Is, pontificem de ſucceſſu anxium cum ſolaretur et bene ſperare juberet, haec inſuper addidiſſe dicitur, certam cum victoriam de concilio reportaturum: quibus verbis non mediocriter laetatus pontifex et abeuntem deoſculatus eſt, et, ut victoriae promiſſae memor eſſet, rogavit. Poſtea, cum neſcio qui rumuſculi de quaeſtionibus, quae in concilio in pontificiae auctoritatis praejudicium, ut putabat, ab epiſcopis agitabantur, ad aureis ſuas perveniſſent, ita commotus eſt, ut palam in conſiſtorio coram cardinalibus ſe remque Romanam prodi exclamaverit, hoſtium ſe exercitum numeroſum magnis ſumptibus Tridenti alere dictitans: quo nomine Italiae epiſcopos, agminatim illuc coactos, intelligebat. Impetum etiam eum tunc cepiſſe de concilio inhibendo ſcribit Jo. Bapt. [g] Hadrianius;

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *le cardinal de Lorraine.* [b] *de Bolliers, ſieur de Manoet.* [c] *de Poiſſy.* [d] *le cardinal de Ferrare.* [e] *Bobba, evêque de Caſal.* [f] *Vanini de Theodoli, evêque de Bertinoro.* [g] *Hadriani.*

CIↃIↃLXII. drianius; idque factum fuiſſe, niſi eum ab hoc pudendo ac damnoſo conſilio
CAROLUS IX. Coſmus dimoviſſet. Haud multo poſt mota quaeſtio de honoratiori in conſeſſu loco inter Galli et Hiſpani oratores. Jam antea Philippus ea de re apud pontificem egerat, et ob regionum ac potentiae amplitudinem principem locum ſibi tribui poſtulaverat. Contra, regem tuebatur antiquitatis praerogativa; cui et accedebat beneficiorum ac meritorum in Romanam ſedem luculenta memoria a vetere aevo repetita; quanquam eorum ratio parum valuiſſet apud homines, qui fortunam fere ſequuntur, niſi regis cauſam adjuviſſet potentia et temporum conditio, quae talis erat, ut, ſi quid indignum Galli a pontifice tunc pati cogerentur, facile ſe ab ejus obedientia omnino fuiſſent alienaturi. Tunc vero ex neceſſitate renovata eadem quaeſtio, cum Claudius Ferdinandus [a] Quignonius Lunae comes Philippi nomine ad concilium venturus eſſet, et de loco ſibi tribuendo certus eſſe cuperet. Itaque cum pontifex huc uſque Philippi poſtulata Romae fruſtratus eſſet, Hercules Gonzaga, qui pontificis nomine cum collegis concilio praeerat, cum minime ignoraret, quanti momenti eſſet ad pontificiam auctoritatem tuendam, ut Philippi oratores intereſſent; neque propterea, ut Hiſpanorum deſiderio ſatisfaceret, regem injuria afficere vellet; diu re apud ſe volutata, tandem cum Lanſaco agit, et in hoc perplexo et invidiae pleno negotio quid ſibi videatur aperit; mediamque viam proponit, qua et Hiſpano conſulatur, nec regi praejudicium fiat; nimirum, ut ipſe regis nomine principem locum ſecundum Imperatoris legatos teneat, Hiſpano ſeorſim locus ex adverſo legatorum aſſignetur, aut infra oratores eccleſiaſticos, ac, ſi commodum videatur, infra oratores laicos, ſed ſeorſim, ſella ei tribuatur. Ad quae Lanſacus reſpondet, eam eſſe inter potentiſſimos principes amicitiae ac conjunctionis neceſſitudinem, ut nulla re laedi illam debere exiſtimet; ſic autem res ſine utriuſque laeſura tranſigi poſſe, ſi conſuetus dignitatis gradus a majoribus ſuis uſurpari ſolitus eis in hoc auguſtiſſimo conſeſſu tribuatur: nec vero putare, Philippum, qui tot ac recentibus officiis regem amicum demeruerit, in eum quidquam, quod ad dignitatis ſuae imminutionem ſpectet, ſuſcepturum aut tentaturum; quod ipſe ut in animum inducere non poſſit, ſic, ſi contra accidat, ut patres quidquam in Philippi gratiam ea in re decernant, quod in regis praejudicium vergat, conſtituiſſe apud ſe quamprimum Tridento cum collegis et epiſcopis Gallicis diſcedere, proteſtatione prius facta, regem decretis, quae abſentibus oratoribus regiis et epiſcopis fient, non ſtaturum, neque regnum Franciae iis obligatum iri. Quod ad conditiones propoſitas, ſpatium ad deliberandum poſcit. Dein re cum ſuis communicata ad colloquium redit; et conditiones accipere ſe non poſſe demonſtrat: quippe non ſatis eſſe, ut locum priſtinum et antiquum tueatur, et proxime poſt eum ſedeat, quem nullo medio ſequi debeat, niſi is infra ſe ſedeat, quem praecedere debeat: quod ſi Hiſpanus ſeorſim ſedeat, in dubium revocari regiae dignitatis praerogativam, qua ſecundum Caeſarem univerſos orbis Chriſtiani principes anteire ſolet. In ea ſententia cum haereret Lanſacus, tamen cardinalis Lotaringus, qui pontifici Tridentini concilii finem urgenti gratificari vellet, et Hiſpani benevolentiam nollet amittere, mediae viae amplectendae auctor fuit; et, cum epiſcopos non diſceſſuros oſtenderet, neceſſitate impoſita ad id Lanſacum adegit, ut conditiones a Gonzaga oblatas acciperet; quo nomine magnam apud nos invidiam poſtea [α] ſuſtinuit; quod videlicet, rege puero, nominis Gallici dignitati, quantumvis reclamantibus oratoribus regiis, tam flagitioſo conſilio illudi paſſus eſſet.

II. COSMUS

VAR. LECT. [α] ſuſtinuit. Sed, ut erant tunc confuſa tempora, et rex in ea aetate conſtitutus, ut rebus ſuis ſupereſſe non poſſet, homo praefracto ac temerario ingenio, qui privatae tantum ambitioni ſtuderet, cum fratris potentia fretus nihil non tuto auſurus ſibi videretur, hoc flagitioſo conſilio nominis Gallici dignitati, quantumvis reclamantibus oratoribus regiis, illudi paſſus eſt. Interea Coſmus *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Quignonès, comte de Luna.*

II. Cosmus Florentinorum dux ſub id, poſt pacem inter reges factam, cum rebus ſuis firmandis et [a] Senarum urbi ſuperiorum temporum incuria ac belli recentis ruinis deformatae curam non ſegnem impendiſſet, eodem fere tempore, quo Ordo Livonicus extinctus eſt, ut felicis ad [b] Marcianum proelii, quod ejus fortunas veluti in Etruria fundavit, memoriam renovaret, et eadem opera litus Tyrrhenum a Turcorum et piratarum excurſionibus tueretur, militiam S. Stephani pontificis, quod pugna Marciana in III Non. Sextil. qui dies ei ſacer eſt, incidiſſet, ſtatutis ac legibus conditis inſtituit; et, ut a Pio IIII confirmaretur, impetravit; qui et complura privilegia militaris illius collegii ſodalibus indulſit, diplomate ea de re Non. Quintil. condito; atque inter alia, ut milites conjugati ac etiam digami penſiones annuas uſque ad cc ducatorum ſummam ex ſacerdotiis percipere, atque ad alias ſacras perſonas transferre; item, ut de bonis tam fundi quam mobilibus quomodo et undecunque quaeſitis libere teſtari, etiam inter ſpurios et illegitimos filios, poſſent; quarta eorum Ordini ſervata. Hujus militiae ſibi ac ſucceſſoribus ducibus principatum ſumpſit Coſmus, cum poteſtate legibus a ſe conditis addendi, detrahendi, abrogandi et interpretandi; qua ipſe ac filii ejus poſtea uſi ſunt. Tunc vero ad majora ſemper animum appellens de nuptiis Franciſci grandioris natu filii cogitare coepit; cui de impetranda Ferdinandi Caeſaris juniore natu filia ſpem faciebat et Philippi et pontificis favor; quem ut omni ratione ſibi conciliaret, filium hoc anno primum Romam, ubi honorifice exceptus eſt, inde in Hiſpaniam miſit cum IIII triremibus. Venienti obviam [c] Perpinianum uſque proceſſit Garſias [d] Toletanus avunculus, qui cum modicis itineribus ad Philippum deduxit, tunc ad ſeptum voluptuarium juxta Segoviam divertentem.

CIƆIƆLXII.

CAROLUS IX.

III. Interea multa gravia ac moleſta parenti ejus accidere, dum per filii abſentiam cum uxore ac domeſtico comitatu ſuae ditionis oram maritimam luſtraret: [α] nam in familia longe graviſſimum vulnus accepit, quod pari prudentia ac ſeveritate texit et ultus eſt. Joannem cardinalem et Garſiam filios ſecum duxerat; quorum ille major natu vix XVI annum ſupergreſſus fuerat. Inter eos ex puerili aemulatione atrocia odia diu nutrita tandem in exitium utrique verterunt. Inter venandum, cum ſeorſim a ſociis per devia alter in alterum incurriſſet, et ſe invicem pulſaſſent, Garſias Joannem occupat, et, ut erat truculenta et ad omne facinus parata natura, acinace cominus tranſverberat, ſtatimque ad ſuos nihil fere turbato vultu redit. Venatione peracta, cum Joannes non compareret, jam inclinata die, domeſtici ad eum veſtigandum per ſilvam diſcurrunt; et equum ſeſſore vacuum nacti, per ejus veſtigia ad cadaver deducuntur, quod inter vepreta jacebat. Inde re ad Coſmum, qui Groſſeti erat, per fidos perlata, ille ſuſpicatus quod erat, quamvis ingenti dolore diſcruciaretur, diſſimulato eo, rem tegi imperat, et cadaver multa nocte in urbem inferri et in conclavi aedibus ſuis proximo collocari; evulgato filium acuta febre, quam dolores vehementes comitati ſint, inter venandum correptum, vix loco, in quo eum morbus repentinus oppreſſerat, exportari potuiſſe. Tum ſemotis arbitris ad conclave venit, et ſevocatum Garſiam ac de fratre interrogatum, cum vultus [β] contumaci audacia ille factum pernegaret, ad cadaver accedere jubet; eoque renudato, et cruore ad percuſſoris conſpectum mox ebulliente, En, inquit, ſanguis fratris tui, qui ultionem a Deo atque etiam a me depoſcit. Me miſerum, qui taleis filios genuerim, aut iis ſuperſtes fuerim; quorum unum immani parricidio necatum hiſce oculis aſpicere cogor; alterum, ni impius et iniquus juris inter meos diſpenſator ſim, e medio tollere, ipſa pietate ſuggerente, compellor! Scelus eſt patri filium interficere;

VAR. LECT. [α] *Hinc uſque ad* Nec multo poſt, 40 *circiter lineae, deſunt Codd.* D. f. o. d. *qui narrationis omiſſae loco tantum ponunt* Joanne cardinali et Garſia filiis eodem die amiſſis. [β] immota conſtantia *Ex ſupplemento ad hiſtoriam ſuam juſſu auctoris ſeorſim edito.*

INTERPR. [a] *Siene.* [b] *Marciano.* [c] *Perpignan.* [d] *de Tolede.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

ficere; ſed majus ſcelus admittam, ſi eum vivere diutius patiar, qui per fratris perniciem ad patris necem et familiam totam caede ac ferro evertendam gradum fecit. Tum fatente crimen Garſia, et rixae principium dediſſe Joannem affirmante, ita ut niſi peſte fratris ſalutem propriam expedire non licuerit, Coſmus, qui mite Joannis ingenium noſſet, pugionem, quo ille fratrem confoderat, et adhuc cinctus eo venerat, ſupplici eripit, nudumque ſtringens, Hodie peſtem domeſticam, ne latius exemplo ſerpat, e viſceribus meis avellere decrevi; et, quanquam dulciſſimi filii caedem non niſi alterius filii moribus diſparis caede expiare poſſim, malo me poſteritas infelicem ac durum patrem praedicet quam imprudentiae et iniquitatis arguat. Tu vero gaude, quod vitam, qua indignus es, cum amittere debeas, in patris manibus, a quo eam accepiſti, depoſiturus ſis. Quo dicto Deum comprecatus, ut factum comprobaret, et ſonti filio gratiam delicti faceret, cum eodem pugione, quo fratrem confecerat, juxta Joannis cadaver interfecit. Calamitatem hanc paucis ac fidis tantum cognitam, ne ſibi ac univerſae familiae nuper in imperio fundatae noceret, ſilentio [a] praeteriri voluit prudentiſſimus parens ac princeps, morte filiorum tunc ſuppreſſa, et mox fama ſparſa, ex populari morbo alterum poſt alterum extinctos: famam eam adjuvit coeli intemperies, qua plerique ea aeſtate ex contagioſis morbis periere. Exequiae deinde utrique Florentiae magna pompa celebratae: et Garſias inprimis oratione publica laudatus, quo magis res tegeretur. Nec multo poſt Helionora Toletana tot liberorum parens, ſive ex naturali ſtomachi infirmitate, qua jam a longo tempore laborabat, ſive moerore ob domeſticam jacturam contracto, fatis conceſſit: et ita Coſmi domus, tribus funeribus intra paucos dies afflicta, illius unica virtute et conſtantia ſuſtentabatur; qui tot cladibus nihil animo dejectus, et negotia pro ſolatiis accipiens, in eam curam incumbebat, ne ſpem de filii nuptiis conceptam eventus fruſtraretur, quod eas ad fortunarum ſuarum firmitatem maxime opportunas exiſtimaret.

IV. SED accidit, ut, dum filius ejus in aula Philippi eſſet, cum Alexandro [a] Farneſio Octavii [b] Parmenſis et Margaritae Philippi ſororis filio de honoratiori loco in conſeſſibus publicis altercatus ſit: quod eo magis moleſtum ipſi fuit, quod ſuperiori tempore, dum amice in ſpeciem in ea aula viverent, Farneſius Florentino principi ſemper ceſſiſſet, ut de voluntate Philippi erga ipſum in ſuſpicionem adduceretur, quo inſtigante aut ſaltem conſcio eam filio atque adeo ſibi motam quaeſtionem credebat. Et vero non alia cauſa obtendebatur a Farneſio, Juliani [c] Ardingelli equitis Hieroſolymitani ſuaſu ad id incitato, quam quod Margaritae Philippi ſororis filius eſſet; quo nomine principem locum ante [d] Florentinum ſibi deberi contendebat: alioqui, ſi principatuum ratio habeatur, multis partibus Farneſius Florentino inferior cenſebatur; quippe qui ultimus inter Italiae duces habeatur. Eam tamen ſeu gratiae delibationem ſive injuriam prudentiſſimus princeps ſibi diſſimulandam exiſtimavit; et ad filium ſcripſit, ut patienter ferret quicquid ea in re Philippus decreviſſet, neque committeret, ut Philippi benevolentiam, cujus demerendae cauſa profectionem ſuſcepiſſet, ob eam vel aliam quamcunque cauſam amitteret; et omni ratione eniteretur, ut nullam offenſionis occaſionem, quamdiu in Hiſpania eſſet, Philippo praeberet; et, cum ex ea aula diſceſſurus eſſet, cum bona ipſius gratia diſcederet. Tunc et agitata eadem quaeſtio in Italia et apud nos inter ipſum et Alfonſum Ferrarienſem generum, ſcriptis utrinque editis. [e] Ateſtini familiae antiquitatem, qua omnibus Italiae principibus procul dubio anteſtant, et principatus dignitatem ingerebant. His contra rationibus nitebatur Coſmus; quod reipublicae Florentinae loco eſſet, quae ſemper Ferrariae ducibus dignatione praeiviſſet; et, cum Borſus primus Ferrariae

VAR. LECT. [a] ſepeliri *Ex Suppl.*
INTERPR. [a] *de Farneſe.* [b] *le duc de Parme.* [c] *Ardinghelli.* [d] *le prince de Florence.* [e] *d'Eſte.*

Ferrariae dux a Paulo II creatus eſſet, ab eoque tempore multoties ab iiſdem pontifi- CIↃIↃLXII.
cibus is dignitatis titulus Ateſtinis principibus abrogatus eſſet, ac tunc praecipue, CAROLUS IX.
cum Coſmus dux Florentinorum a Carolo V conſtitutus fuerat, inde fieri, ut, ſive principatus dignatio ſive ditionis amplitudo ſpectaretur, ſive dignitatis titulus, quo Alfonſus Alfonſi avus tunc privatus erat, cum ipſe et ante eum Alexander eo inſignitus eſt, merito princeps locus ſibi deberetur. His rationibus ſive ſpecioſis ſive veris, apud nos favore reginae ſublevatus, tandem obtinuit: in Hiſpania vero, poſt contractam cum Auſtriaca domo adfinitatem, nullo negotio eandem gratiam a Philippo impetravit: tractuque temporis Romae poſtea, et denique apud rempublicam Venetam Franciſcus poſt Coſmi mortem fortunae beneficio eundem locum tenuit; uti deinceps ſuo loco videbimus. Moleſtiam et Coſmo attulit, quod Nicolai [a] Urſini Petiliani cauſam adverſus Joannem Franciſcum atque adeo ſeipſum, qui Nicolaum Petiliani poſſeſſione dejecerat, rex defendendam ſuſceperat; eamque ob cauſam Joann. Baptiſtam [b] Alamanium epiſcopum Matiſconenſem ad Philippum miſerat: verum regis pueri preces Hiſpanus eluſit, negotio, quod ad Imperium pertinere dicebat, ad Caeſarem ac conſiſtorium aulicum remiſſo; ubi, poſt longas litium ambages, tandem Nicolai ſpem ex regis commendatione et cauſae aequitate conceptâm fruſtratus eſt.

V. IN Germania, appetente comitiorum die, Ferdinandus, Maximilianus ejus filius Bohemiae rex, ſeptemviri ceterique Imperii principes et Ordines [c] Francofurtum ad Moenum magna frequentia convenere, quippe cum de rege Romanorum creando ageretur: quam dignitatem Caeſar preſſatis ſeptemvirorum ſuffragiis in filio continuari petebat. Id autem magna pompa et his fere ceremoniis peractum eſt: Ad VIII Kal. Dec. curiam [α] Romeriam dictam ingreſſi ſeptemviri cum Maximiliano hora ante meridiem ſexta ad nonam uſque ibi manſerunt; inde coccinea talari tanquam trabea induti omnes, niſi quod Bohemiae rex coronam in capite geſtabat, ad B. Bartholomaei in equis tendunt, eo ordine, ut [d] Moguntinum et Trevirum rex et [e] Colonienſis; hos [f] Palatinus, Saxo, Brandeburgiens ſequerentur; quibus ſingulis ſinguli in equis ſedentes gladios diſtrictos praeferebant. Ubi in templi chorum, quem vocant, perventum eſt, aulaeis magnifice ornatum et ſupparis aureis inſtratum, locum quiſque ſibi aſſignatum in eo ſumpſit: Herbipolenſis epiſcopus cultu ad ſacrum peragendum parato indutus, hymnum, quo gratia Spiritus Sancti imploratur, clara voce orditur; quem dein ſymphoniaci Caeſarei regiique perſequuntur, ſeptemviris interim in genua flexis, et pro felici conſiliorum augurio preces ad Deum fundentibus. Tum epiſcopus ſacrum juxta bullae aureae praeſcriptum peragit: quod dum perageretur, Palatinus, Saxo, et Brandeburgicus, quippe a recepta religione abhorrentes, ex choro in proximum conclave divertunt, inſequentibus eos Willelmo Landgravio juniore, Georgio Palatino ſeptemviri fratre, Franciſco [g] Saxone Lauenburgico, [h] [β] Megalopolenſi duce, [i] Anhaltino principe, aliiſque pluribus cum ſuis conſiliariis. Peracto ſacro, cuncti denuo locum ſuum repetunt; et hymnus idem rurſus canitur. Inde ſeptemviri ad majus altare procedunt; et tactis ſacroſanctis evangeliis de eligendo eo in Romanorum regem, quem idoneum, hoc eſt, reipublicae Chriſtianae utilem ex animi ſententia exiſtiment, fidem obſtringunt, nullo neque pacto, largitione, mercede aut pollicitatione interveniente: dein tertio hymnus idem cantatur: quo facto ſeptemviri in conclave, in quo electio antiquitus fieri aſſuevit, pergunt; ibique poſtquam ſeſquihorae ſpatium clauſi fuere, Moguntini cancellarius accerſitur et quidam ab epiſtolis, concepta ſeptemvirorum ſuffragia

VAR. LECT. [α] Romanam *D. f. o. d.* [β] Megalopolenſi duce *deſunt* *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Orſino, comte de Pitigliano.* [b] *Alamanni, evêque de Maſcon.* [c] *Francfort ſur le Mein.* [d] *les electeurs de Mayence & de Treves.* [e] *l'electeur de Cologne* [f] *les electeurs Palatin, de Saxe, & de Brandenbourg.* [g] *de Saxe Lawenbourg.* [h] *de Mecklenburg.* [i] *d'Anhalt.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

fragia excepturi; unaque e ſeptemvirorum conſiliariis bini, quibus quaſi teſtibus, legitima ſuffragiorum pronunciatio fiat. Coram iis Moguntinus a collegis ſenteotiam de eligeudo Romanorum rege rogatur: tum is ſingillatim ceteros rogat: atque ita una omnium voce Maximilianus renunciatur rex. Inde Willelmus Heſſus, Georgius Palatinus, Lauenburgicus, Megalopolenſis et Anhaltinus ab ſeptemviris e choro, ubi ſubſtiterant, evocati, ad Caeſarem amandantur, ei in filii electione conſenſionem ſeptemvirorum denunciaturi; et, ut ad ipſos in Bartholomaei aedem venire et emiſſa ſuffragia audire dignetur, oraturi. Iotcrea renunciatio ab ſeptemviris deſcribitur; et ſingulorum ſuffragia in literas relata propriis ſingulorum ſignis obſignantur. Tum Caeſare Ferdinando circa XII diei horam adveniente, ei ſeptemviri ex choro ad medium uſque templum obviam prodeunt; quos [a] Baioaro, Clivenſi, Wirtembergico, [b] Arauſionenſi ac permultis aliis principibus comitantibus comiter ſalutatos benigne ordine cunctos appellat, et cum iis in ſacrarium progreditur, ibique pontificiis inſignibus indutus et imperiali corona capiti impoſita ad conclave venit. Heic Moguntinus ſuo ac collegarum oomine exponit, quomodo regem Bohemiae dilectiſſimum ipſius filium conſentientibus votis in regem Romanorum elegerint; quam electionem ut ſuo aſſenſu Caeſar dignetur approbare, novumque magiſtratum pro Romano rege et a ſe ſecundum deinceps agnoſcere minime gravetur, demiſſe orant. Caeſar vieiſſim ſeptemviris agit gratias, quod et de republica optime ſeotiant, et ſui ſuorumque rationem in ejus procuratione habuerint. Inde ſimul progrediuntur; et Caeſar ad dextram chori partem tendit: ſeptemviri electum a ſe oovum regem acceptum altari de veteri conſuetudine imponunt, dum hymnus [c] B. B. Ambroſii et Auguſtini more recepto a ſymphoniacis decantaretur; quem ſecutus eſt organorum, tibicinum, lituorum, tympanorum aereorum promiſcuus concentus, et mox tintinnabulorum ac bombardarum ubique diſploſarum fragor, in laetitiae ſignificationem. Quibus peractis rex novus ab altari ex choro in editum quoddam tabulatum variis inſtratum aulacis deducitur, et regali ſolio imponitur. Tum recitato a Moguntino renunciationis publico decreto, oratiooe deinde a quodam habita oovus rex laudatur. Poſt haec Caeſar per ligneum ſtratum, quod Fraocofurtenſis ſenatus ob viarum luto corruptarum immunditiem paraverat, ſolemni pompa domum deducitur. Praeibant aulici nobiles, conſiliarii, comites, frequenti numero; ſequebantur Saxonis, Brandeburgici, regis et Caeſaris tubicines et tympaniſtae in vicem per vias clangentes: tum Imperii duces atque principes; poſt eos IIII feciales Caeſarianis aquilis et triumphalibus paludamentis conſpicui; et rurſus poſt eos Trevir ſolus: dein Palatinus aureum globum geſtans totius orbis terrarum figuram referens; juxta Palatinum Brandeburgicus cum ſceptro regio; pone hos Saxo ſtrictum praeferens Caeſari gladium: Caeſar aureo inſignis pallio et imperiali diademate incinctus, ſub aureo uraniſco quadrato, qui a IIII ſenatoriis viris geſtabatur, incedebat; ocque ita longo ſpatio et quaſi juxta Caeſarem parentem novus rex electus regio ornatu conſpicuus: poſt eum Moguntinus et Colonienſis: ultimum agmen claudebant centuriones et tribuni haſtati cum ſuis cohortibus ac reliquo comitatu: ab utraque lignei ſtrati parte cives armati, qui latus incedentium tegebant, et turbam ſummovebant. Ita domum deducto Caeſare, rex ceterique principes ad hoſpitium ſuum revertuntur. Hoc facto ſuperabat, ut rex ſolemni more inauguraretur; quod more antiquo ita fieri conſueverat, ut rex Romanorum Francofurti creatus inde in lapideam ſub dio regiam ſedem amoeniſſima Rheni inter nuceta ripa ſupra [d] Confluentem ad [α] Reinſi oppidulum, deduceretur; in eaque ſedens ſeptemviris omnia privilegia ac quicquid ad ipſorum decus, dignitatem, libertatem, imounitates ſpectat, confirmaret; poſtea [e] Aquiſgrani in Belgio ex bullae aureae decreto coronam ferream ſumeret.

VAR. LECT. [α] Reenſmi. *D.* f. o. d. et utraque Gen.

INTERPR. [a] *les ducs de Baviere, Cleves, & Wirtemberg.* [b] *le prince d'Orange.* [c] *Te Deum.* [d] *Coblentz.* [e] *Aix la Chappelle.*

ſumeret. Verum ob hyemis aſperitatem, et ut ſumptibus parceretur, tam Caeſari et ſepremviris quam ipſis Aquiſgranenſibus placuit, ut [a] Francofutti ſine ulla longiore mora pridie Kal. Dec. inauguratio fieret. Igitur die dicta archiepiſcopi ſeptemviri cum [b] Herbipolenſi et Spirenſi epiſcopis ad B. Bartholomaei conveniunr; et in ſacrario ſumpris pontificiis inſignibus, collegas, Palatinum, Saxonem et Brandeburgicum oppeɼiuntur, qui cum rege electo ad Caeſateas aedeis profecti fuerant; ex quibus hora ſeptima per ſtratum ligneum eodem ordine incedentes templum petunt: et ſepremviri quidem trabeali, Caeſar archiducali veſte, rex aureo amiculo indutus erat. Templum ingreſſos archiepiſcopi in chori limine excipiunt: et Moguntino ſacra facturo unus ex collegii ſodalibus crucem argenteam praeferebar, alius baculum paſtoralem, alius, et is erat equeſtris ordinis, ſigilla Imperii ex bacillo argenteo pendentia. Caeſar in ſummo ſolio ad dextrum chori latus deductus ſeptemviros politicos inſra ſeſe loca aſſignata capere jubet: ceteris principibus, puta [c] Teutonicae militiae magiſtro, Georgio et Wolſango [d] Palatinis, [e] Baioaro, Clivenſi, Megalopolenſi, ſedes in adverſa parte attributa. Intermedia ſcamna [f] Wirtembergicus, duo juniores Palatini, et Lantgravii, [g] Lauenburgicus, [h] Anhaltinus, [i] Arauſionenſis, [k] Araſcbotius et Lotaringus occuparunt. Pontificio legato ſeorſim eodem in tabulato, in quo ſeptemviri ſedebant, editior ſedes data: in alterum tabulatum cetera nobilitas conſertim ac ſine diſcrimine ſe contulerat. In chori limine rex in genua ante crucem provolvitur, dum [l] Moguntinus pro ipſo ptеces ad Deum funderet. Tum [m] Trevir ac Colonienſis allevatum in ſolium auratum ex adverſo altaris exſtructum ducunt ſeſſum, a dextra Treviro cum Herbipolenſi, Colonienſi cum Spirenſi ad laevam, in ſubſelliis ad id paratis ei aſſidentibus. Sacro a Moguntino coepto, Palatinus omnium primus, dein Saxo et Brandeburgicus in conclave proximum ſecedunt. Tum rex Treviro et Colonienſi ſtipatus ad aram accedit, ubi a Moguntino baculum paſtoralem tenenre Latine interrogatur, an fidem Catholicam retinẹre, ecclеſiam defendere, juſtitiam adminiſtrare, imperium augere ac protegere, aequabiliter jus dicere, ac debitum Romano pontifici velit exhibere: ubi ita velle reſpondit, rex ad ſolium regreditur. Tum Moguntinus ad aſtanteis principes converſus rogat, an viciſſim juxta apoſtoli praeceptum huic regi fidem et obſequium deferre, ejuſque regnum confirmare velint: quo pariter ab iis promiſſo, rex rurſus ad aram redit; et in pectore, brachiorum manuumque flexibus a Moguntino inungirur: et poſt preces juxta formulam factas unctum regem Trevir et Colonienſis et Palatinus, qui ad hoc officium e conclavi prodit, una in ſacrarium regem ad detergendum oleum abducunt; inibique, aureo amiculo exurp, imperialibus D. Caroli ornamentis, a [n] Norimbergico ſenatu, cui ea de veteri more aſſervare jus eſt, tranſmiſſis, diaconi inſtar induunt, et indutum ad altare ſiſtunt. Ibi Mogunrinus gladium ſtrictum ei io manus tradit; quem poſt conceptas ab eo preces rex in vaginam recondit, et mox cum Saxo lateri regis accommodat: dein annulum Moguntinus regis digito inſerit, in fidei Catholicae ſignaculum: poſt D. Caroli ſplendidiſſimum magnique prerii pallium humeris ejus circundat; dein ſceptrum et globum porrigit: poſtremo tres ſimul archiepiſcopi diadema regis capiti imponuor: quibus peractis, rex denuo coram Moguntino jurar, functurum ſe boni principis officium, et Impetium ac leges ipſius, ut Chriſtianum principem decet, ſartas et inviolatas ſervaturum. Inde in locum aulaeis exquiſitiſſimis ornatum ac conſtratum, comitantibus archiepiſcopis, aſcendit; et ſaxeae D. Caroli ſedi impoſitus hoc ritu Romani imperii poſſeſſionem init. Tum orationem lingua populari Moguntinus habet; qua regi multam ſalutem ac fortunatum

CIↃIↃLXII.
Carolus IX.

INTERPR. [a] *Francfort.* [b] *de Wurtzburg & de Spire.* [c] *grand maitre de l'Ordre Teutonique.* [d] *les comtes Palatins.* [e] *les ducs de Baviere, de Cleves, & de Meckleuburg.* [f] *le duc de Wirtemberg.* [g] *le duc de Saxe Lauwenbourg.* [h] *le prince d'Auhalt.* [i] *le prince d'Orange.* [k] *les ducs d'Arſcbot & de Lorraine.* [l] *l'electeur de Mayence* [m] *les electeurs de Treves & de Cologne.* [n] *de Nuremberg.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

natum imperium precatus, ei ſe ſuoſque collegas ac ceteros Imperii principes et ordines diligenter et officioſe commendat. Moxque hymnus [a] B. B. Ambroſii et Auguſtini organis ac ſymphoniacis in vicem excipientibus decantatur. Quo facto rex aliquot principes et ex nobilitate primaria ſtricto D. Caroli gladio humeros eorum leniter feriens in equitum ordinem adlegit. Secundum haec duo ex ſacro ſodalium [b] Aquiſgranenſium collegio ad eum accedunt; multamque ſalutem, quam demiſſe poſſunt, precati, in ſuum collegium more antiquitus recepto cooptant. Celebratis in templo ceremoniis, in curiam ad prandium Caeſaris regiſque ac ceterorum principum ſumptuoſiſſime inſtructum eadem pompa proceditur. Pone tres ſtipatores ſequebantur, qui miſſilia in vulgus jaciebanr; nummos ſcilicet aureos et argenteos, quibus inaugurationis memoria ſignabatur. In curiam ubi venere, Caeſar et rex ad menſam omnibus aliis ſeptem gradibus editiorem conſident, ſeptemviris ad munia ſua juxta bullae aureae praeſcriptum obeunda ſtatim digreſſis. Et Brandeburgicus quidem, qui pocillatoris munere fungitur, equum generoſum ad id paratum aſcendit, et ad menſam medio in foro ſtratam properans auream inde pelvim et mappam accipit; caſque in curiam rediens Caeſari ac regi, ut manus lavenr et abſtergant, adminiſtrat, poſt id pelvi et mappa et equo comiti [c] Zollerano ex jure vetuſto cedentibus. Dein Saxo, qui Imperii enſiferum ſeu tribunum equitum agit, in equum itidem inſiliens in acervum avenaceum juxta curiam effuſum citiſſime fertur; atque inde modium argenreum implet, ſubinde modio et equo Friderico [d] Papenheimio Zollerani legato cedente, avena autem plebis direptioni conceſſa. Ultimus Palatinus magnus dapifer ad coquinam extra curiam propter Franciſcanorum aedem conſtructam in equo expeditus tendit, et aſſumptis ferculis in curiam citato gradu redit, ibique relicto equo fercula ad menſam Caeſaris, Saxone magnum bacillum praeferente, defert. Palatini equus una cum argenteis, quibus fercula geſtabantur, patinis, jure quodam peculiari Jac. [e] Seldenekio Imperii archimagiro cedit. Interea conſecrata menſa ab archiepiſcopis, et Treviro verbis praeeunte, reliqui duo reſpondent. A conſecratione Moguntinus comitantibus Treviro ac Colonienſi codicillos ac ſigilla Imperii ex oblongo argenreo bacillo plus minus XII pondo appendentia regi affert; qui illa mox Moguntini collo accommodat, recipiens, ſibi tum ipſos archicancellarios, ita vocantur archiepiſcopi, tum reliquos electores ac principes et ordines Imperii quam commendatiſſimos fore; jura item ac privilegia ipſorum non modo ſervaturum, ſed, cum res feret, amplificaturum. Quibus peractis, ſeptemviri ſinguli menſis in eadem aula aureis ſtragulis ſplendidiſſime inſtructis, a tergo aureis aulaeis propendentibus, ad utrumque Caeſaris ac regis menſae latus ſeparatim diſcumbunr; primam a dextro latere Moguntinus occupat, alteram Palatinus; ad ſiniſtrum poſitarum primam tenet Colonienſis, ſecundam Saxo, tertiam Brandeburgicus: contra Caeſarem ac regem menſae poſitae juxta [f] Carolinam legem Trevir accumbit: praeter eas aliae duae in eadem aula erant, in quibus reliqui principes, nobiles et ordines ſedebant. Singulis menſis abaci ſui inſerviebant, poculis aureis et argenteis egregie inſtructi. Senis ferculis convivium celebratum; albo er rubenrl mero, dum convivium celebratur, ante curiam duabus fiſtulis per bicipitem Aquilam editae columellae impoſitam ſubterraneis tubulis derivato, et in publicae laetitiae ſignum ſe effundente. Bos etiam multis aliis animalibus fartus veteri conſuetudine interea in foro veru ligneo torrebatur, ex quo particula ad regem delata, reliquum plebi inhianti ad direptionem ceſſit. Menſis remotis et actis Deo gratiis, Caeſar ac rex inſignibus ornati a ſeptemviris ac ceteris principibus domum magna pompa deducuntur: et inde quiſque ad ſua divertit.

VI. POMPAM

INTERPR. [a] *Te Deum.* [b] *Aix la Chappelle.* [c] *de Zollern.* [d] *de Papenheim.* [e] *Seldnek.* [f] *la Bulle d'or.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

VI. Pompam ſpectavit Ebraimus [a] Stroſchenius natione Polonus, Solimani ad Ferdinandum legatus, ad pangendum octennium induciarum ſoedus cum [b] Augerio Giſlenio Busbequio miſſus. De iis diu altercatus Conſtantinopoli Busbequius, tandem et captivos Hiſpanos, pro quibus fruſtra Fr. [c] Salviatus regis nomine laboraverat, ſicuti ſupra diximus, cum de inſelici Gerbenſi expeditione ageremus, a Solimano impetravit; et, quamvis ob defectionem quorundam procerum Hungarorum a Joanne Turcorum beneficiario et [d] Heidonum ac praeſidiariorum [e] Sigethi excurſiones aliquid remorae allatum eſſet pacis negotio, Halis interventu de eo convenit; et miſſus Ebraimus cum Busbequio, qui conditiones ad Ferdinandum perferret, et fidem ejus acciperet. Igitur ex urbe profectus Busbequius exeunti Sextili, Viennam venit medio fere Octobri. Unde ad Caeſarem dat literas, et adventus eum ſui certiorem facit. Placebat initio Ferdinando, ut Viennae, dum rediret, Turci ſubſiſterent: nam videri ab re alienum, ſi gens tam infeſta per tantum tractum, quantus eſt a Vienna Francofurtum, per ipſius Germaniae penetralia duceretur. Sed contra urgebat Ebraimus: et diuturnior expectatio multas ſuſpicionum anſas Turcis dare poterat. Itaque reſcribit ad Caeſarem Busbequius; et nullum metum ſubeſſe demonſtrat, ſi Ebraimus cum comitatu ſuo iter per florentiſſimam Imperii partem faceret; imo optabile eſſe, ut per ea vireis et Imperii magnitudinem aeſtimet; et videat Francofurti, quanto omnium procerum conſenſu Imperatori parenti ſucceſſor Maximilianus filius deſignetur. Igitur juſſu Caeſaris ductus Francofurtum Ebraimus, itinere per [f] Pragam, Bambergam et Herbipolim inſtituto. Pridie electionis cum in urbem veniſſet, quatriduo poſt ad Caeſarem admiſſus eſt, et ei lingua Sclavica admodum magnifica oratione ſalutem dicit, felicemque adminiſtrationem longamque ac firmam ſanitatem a Solimano precatus amicitiam ipſius defert; petitque, ut, quemadmodum captivos in ejus gratiam dimiſerit, viciſſim Turci, qui captivi tenentur, ab ipſo liberentur, foedere in octo annos inviolabili percuſſo. Tum porrectis Solimani literis, ad quas ut dignetur reſpondere, rogat, munera obtulit; ea erant, duo ex nativo cryſtallo crateres miro artificio elaborati et gemmis pretioſiſſimis ornati, equus Turcicus valde generoſus aureis et gemmeis phaleris ac catenis ornatus, ſed ex via admodum macilentus, IIII praeterea cameli. Summa literarum erat, miſſum Ebraimum cum Busbequio, ut foedus in VIII annos percuteretur, quibus ſingulis XXX CIƆ Hungaricorum pro tributo dependerentur. Tum de limitibus conditiones appoſitae, quos neutri citra poenas foedere comprehenſas cum maleficio egredi liceret: quibus conventis pace confirmata, Caeſar Ebraimum ampliſſimis auctum donis ad Solimanum remiſit. In eo conventu ſeptemviri Proteſtantes, alii principes et ordines, Auguſtanae confeſſionis ſocii, ſuam de concilio in [g] [α] Naumburgenſi conventu promiſſam ſententiam ſcripto comprehenſam exhibuerunt; in qua cauſas exponebant, cur ad impium, ſic loquebantur, concilium a Pio IIII indictum non accedant, addita conditionum commemoratione, quibus in comitiis imperialibus aliiſque conventibus ad concilium generale, pium, liberum ac legitimum in Germania antea provocarant, et nunc quoque provocent. Tandem ſub exitum Decembris ſolutis comitiis Caeſar [h] Francofurto diſcedit, cum Maximiliano rege Romanorum electo, qui per Palatini ditionem et [i] Wirtembergicum agrum cum ſuis Viennam verſus profectus eſt. Ipſe per urbes Rhenanas, [k] Wormatiam, Spiram, [β] Wiſenburgum, Argentinam, Scleſtadium, [l] Baſileam, ubique eorum locorum honorificentiſſime exceptus, [m] Friburgum Briſgoiae petit: ibique peractis conventibus, quos

VAR. LECT. [α] Naoburgenſi *D.* f. o. Neoburgenſi *D.* d. [β] Viſeburgum *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Stroſchen.* [b] *Auger de Ghiſlin, ſieur de Busbecq.* [c] *Salviati.* [d] *Heiduques.* [e] *Zigbet.* [f] *Prague, Bamberg, & Wurtzburg.* [g] *de Naumburg.* [h] *Francfort.* [i] *duché de Wirtemberg* [k] *Wormes, Spire, Weiſſenburg, Strasbourg, Schleſtadt.* [l] *Baſle* [m] *Fribourg en Briſgau.*

quos [a] Alſatis ſuae ditionis populis indixerat, per [b] Conſtantienſem agrum [c] Oenipontem menſe Februario ſequentis anni venit; ubi aliquandiu propter concilium Tridentinum ſubſtitit, quod ſe vicino celerius illud confectum iri ſperaret.

VII. In Livonia hoc anno principium cruenti belli, quod inter Suecos, Danos et Lubecenſeis aliquanto tempore duravit, initium factum eſt. Is, qui Erici Suecorum regis nomine [d] Revaliae praeerat, [e] Parnoviam maritimum oppidum portu commodum, quod Polono ab ordinis Livonici magiſtro et tunc [f] Curlandiae duci traditum erat, deditione capit. Inde [g] Witenſteinium praecipuam [h] [α] [1] Jerniae provinciae arcem vi aliquandiu oppugnatam fame tandem expugnat, [i] Padiſa, quae magno [k] Holſatiae duci attributa erat, ſuperiore anno occupata: quo facto Suecus Sigiſmundi et Friderici potentiſſimorum regum animos vehementius irritavit. Eodem tempore Chriſtophorus [l] Megalopolenſis, quem ad implorandam Caeſaris opem in Germaniam profectum ſuperiore anno diximus, cum nihil ab Imperio ſpei ac ſubſidii reliquum videret, nova conſilia cum Erico Succo Revaliam et alia oppida jam tenente contulit. Ob id [m] Stocolmiam ad eum profectus, et de conjugio minimae natu ſororis Erici, quam decimo quarto anno poſt duxit, fide accepta, cum eo tranſegit; et dioeceſim Rigenſem, in qua Willelmo Brandeburgico ſuccenturiatus fuerat, ſe Erici auſpiciis et opibus occupare ac poſſidere velle oſtendit; eoque conſilio Stocolmia in Livoniam exeunte anno trajecit; ubi cum Willelmum ex morbo, ex quo paulo poſt deceſſit, decumbentem offendiſſet, minime tamen eum inviſit, ſed ſtatim poſt ejus exceſſum dioeceſis gubernationem aliquot Suecorum equitum ac peditum turmis fretus invaſit: verum mox temerarii conatus poenas luit, in arce [n] Dalema a Gotardo Curlandiae duce et Erneſto [o] Veigero Sigiſmundi legatis captus et in Poloniam miſſus, ubi totos v annos ſub cuſtodia fuit. Interea Lubecenſes cum miſſis ad Ericum ſuo ac maritimarum civitatum nomine legatis privilegia ſua et immunitates cum ipſius majoribus Sueciae regibus uſurpatas confirmari peterent, ille, cui ex omnium in ſe odio voluptas, ex alieno incommodo lucrum, ex bello compendium redibat, formulam petitae gratiae tranſmittit, duriſſimis conditionibus appoſitis; ut domum regi propriam in ſingulis urbibus concedant, militem contra quoſcunque conſcribendi poteſtatem tribuant, pecuniam quando et quantam velit mutuo dent, merces belli neceſſitatibus uſui futuras quocunque tempore in regnum importent, Suecis negotiatoribus eandem commercii libertatem, quam maritimae civitates in regno ſuis ſumptibus ac ſanguine pro regibus profuſo ſibi peperiſſent, in ſuis urbibus permittant, et Ruſſicam [p] Narvae navigationem ipſi prorſus intermittant. Quas cum ut minime tolerandas et antea inauditas rejicerent Lubecenſes, et memoriam Guſtavi a ſe non mediocriter beneficiis affecti appellarent, ille nihilominus eorum naveis Narva redeunteis a ſuis interceptas Revaliam et Stocolmiam duci jubet, et merces captas ſibi addicit. Qua de re cum Lubecenſes et ſocii legatos ad Caeſarem in comitiis Francofurti queſtum miſiſſent, Ericus et ſuos miſit, qui jure factum id excuſarent; eoque miſeros Lubecenſeis adegit, ut, cum precibus ab inexorabili rege nihil impetrare potuiſſent, et in Imperio nihil praeſidii viderent, ad arma pro juris ſui defenſione, icto cum vicinis foedere, ſumenda confugerent. Cum igitur ſub id tempus Ericus ad Fridericum [q] Daniae regem legatos miſiſſet, quorum princeps erat Steno regis avunculus, et ambo pacem, amicitiam ac foedera inter utriuſque parentes inita ſolemni foedere renovaſſent; vix iis digreſſis, a Joanne Moſcorum principe legatio cc hominum venit, quam Sigiſmundi Poloni oratores mox ſecuti ſunt, conjunctionem ac foedus contra Ericum communem hoſtem petentes: quod

VAR. LECT. [α] Jemviae *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *ceux d'Alſace.* [b] *territoire de Conſtance* [c] *Inſpruck.* [d] *Revel.* [e] *Pernau.* [f] *Courland* [g] *Wittenſtein.* [h] *Jervenland.* [i] *Pades.* [k] *Holſtein.* [l] *le duc de Mecklenburg* [m] *Stockholm.* [n] *Dalem.* [o] *Veigern* [p] *Nerva.* [q] *Dannemarck.*

NOT. [1] *Jerviae.* Put.

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

quod pacem a Dano modo cum eo factam turbavit, contrario mox icto contra Suecum inter Polonum et Danum foedere. Et, quaſi principum vicinorum ac civitatum odia et inimicitiae parum eſſent, etiam Ericus ſuorum animos in ſe irritavit. Joannes frater Finlandiae dux, cui turbulenta regis fratris conſilia parum placebant, ducta Vilnae Catharina Sigiſmundi Poloniae regis ſorore, per Livoniam menſe Decembri itinere facto, [a] Revalia in [b] Finnoniam redierat, CXX CIↃ Joachimicorum Polono ſororio creditis, pro quibus arces et praefecturas aliquot Livoniae pignoris loco acceperat. Quod a fratre factum Ericus, ut erat ſuſpicaci ingenio, ſiniſtre interpretatus, quaſi conſcio aut etiam foederis contra ſe a Polono cum Dano initi ſocio, primum belli impetum in eum convertit. Belli tempeſtatem ultro in ſe accerſitam, quam pro ludo ducebat Ericus, aliud incommodum ſecutum eſt, quod, cum [c] Stenonem et Gabrielem avunculos ad Philippum Heſſum miſiſſet, ut negotium de matrimonio [α] Chriſtianae filiae conficerent, illi, dum [d] Hafniae in Dani ditione eſſent, injurioſe habiti et retenti ſunt: nihilominus poſtea XIX navium claſſem armatam duce Jacobo [e] Baggio in portum [f] Roſtochienſem ad [g] Varni aeſtuarium mittit, petens, ut [β] Chriſtiana ad ſe in regnum adduceretur, ubi de foedere et aliis rebus cum Heſſi conſiliariis acturus eſſet, de quibus ſi conveniſſent, ſtatim nuptias ſe facturum affirmabat, impudenti ac prorſus temerario conſilio; quod Heſſus vir generoſus eluſit, non filia, ut ille petebat, ſed legatis ad litus Balticum miſſis, qui de voluntate regis, quem in belli apparatu, de quo tota Germania rumor increbruerat, occupatum nuptias in pacatiora tempora dilaturum rebatur, plenius cognoſcerent, et, niſi prius de nuptiis conveniſſet, filiam mittere neque juſtum aut ſibi decorum eſſe oſtenderent. Sueci interea Hapſelem oppidum in Livonia, ubi [h] Oſilienſis epiſcopi ſedes eſt, totamque viciniam occupant ac diripiunt, [i] Lealem recipiunt; [k] Lodae obſidionem Polonici exercitus, qui adventare dicebatur, metu deſerunt, quam anno ſequenti ceperunt.

VIII. EODEM tempore apud nos in [l] Aquitania et Septimania res minime quieverunt. Nam ſuperiore anno novorum tumultuum in iis regionibus ab utraque parte fundamenta jacta fuerant, ſyndicatu Burdigalae facto a Thoma [m] Rano et Jo. [n] Angelo in ſpeciem contra Proteſtanteis, re vera contra Carolum [o] Cucium Buriam, Navarri Aquitaniae praeſidis legatum, ut amoto eo [p] Monlucius, [q] Sanſacus, aut [r] Scarſius provinciae praeficeretur: confectoque ea de re inſtrumento IIICIↃ amplius e civitate omnis generis ac conditionis homines nomina ſua inſcripſerant; et in iis Chriſtophorus [s] Roſiniacus curiae illius [γ] praeſes, et Antonius [ζ] Noallius Fari caſtelli praefectus, qui, quod admodum Buriae infeſti eſſent, ſeditioſis animos facere dicebantur: quod Buria, licet [δ] cunctator, tamen proprio periculo admonitus, cum ad ſenatum detuliſſet, coitiones hujuſmodi et nominum inſcriptiones ad ſeditionem ſpectare dictitans, Angelo contra id per leges licere contendente, exortis inde contentionibus praevalente factioſorum in urbe gratia, Buria, cum aliud non poſſet, ut ad regem negotium remitteretur, impetrat; ubi et Angelus comparuit, et praefracta audacia in tam deplorata cauſa adverſus Buriam peroravit, tandem ſacri conſiſtorii decreto coitiones illae prohibitae ſunt, mandatumque Buriae, ut decretum per provinciam publicari curaret, commentariis, quibus nomina ſua ſocii inſcripſiſſent, ſuppreſſis. At [t] Aginni Nitiobrigum, Godofridi [u] Caumontii, [v] Pardillani, [w] Memii, [x] Capellae, [y] Teſſonati, [z] Caſtroſacrati, [aa] [1] Cari, [bb] Lalanii, [cc] Calongii

et

VAR. LECT. [α] Chriſtinae *D. f.* [β] Chriſtina *D. f.* [γ] praeſes, vagis ac probroſis libidinibus ad decrepitam uſque ſenectutem infamis, et Antonius *MS. Samm.* [δ] cunctator natura, tamen *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Revel* [b] *Finland.* [c] *Steno.* [d] *Copenhagen.* [e] *Baggen.* [f] *Roſtock* [g] *Warnow* [h] *de Oſel.* [i] *Leal.* [k] *Lode.* [l] *Guienne & Languedoc.* [m] *du Ran.* [n] *l'Ange.* [o] *de Coucy, ſieur de Burie.* [p] *Blaiſe de Montluc.* [q] *le ſieur de Sanſac.* [r] *le ſieur d'Eſcars.* [s] *de Roſſignac.* [ζ] *de Noailles, capitaine du Chaſteau du Ha.* [t] *Agen.* [u] *de Caumont.* [v] *de Pardaillan.* [w] *le ſieur de Memy.* [x] *la Chappelle* [y] *de Teſſonat.* [z] *de Caſtel Sagrat.* [aa] *de Catus.* [bb] *la Lane.* [cc] *de Calonges.*

NOT. [1] *Cati.* Put.

et aliorum favore ſublevati Proteſtaotes libere conveniebant, ſumpto etiam in eos uſus [a] Phoebadii quondam civitatis epiſcopi, cujus et B. Hieronymus meminit, privata auctoritate, delubro: nec injuriae in eo temperatum, revulſo ſancti viri ſepulchro, in quo cranium et maxilla inferior cum dentibus integra poſt tot ſaecula reperta eſt. Mox et creſcente audacia occupatum Dominicanorum coenobium; et gliſcente laſcivia imagines et altaria pleriſque locis confracta: coenobium tamen poſtea, ſatagentibus vicinis provinciae proceribus G. [b] Caumontio Lauſunio, [c] Monferrando, [d] Monpeſaco Loniaco, [e] Fumelio, [f] Cocone, [g] Durſortio Bajaumontio, aliis, a [h] Buria et Stephano [i] Boëtiano ſenatore [k] Burdigalenſi, qui cum Buria venerat, collegii illius ſacri ſodalibus reſtitutum eſt; [l] Peona etiam et Villanova in Aginoenſi agro exacti Franciſcani a Proteſtantibus, dejectis altaribus et imaginibus, et S. Gervaſii feretro direpto: [m] Neraco item diſcedens Joanna Navarri uxor, Franciſcanorum coenobium a ſodalibus deſertum mioiſtro in uſum ſcholae in eo inſtituendae attribuit: [n] Condomo denique expulſi ejuſdem ordinis fratres: qua de re apud Buriam conqueſti ab eo impetrant, ut [o] Tilladetus Santaurentius eo proficiſceretur, ac de cauſa cognoſceret; qui re agitata mediam viam ingreſſus ſecundum utroſque, ut ſibi videbatur, pronunciavit; et Proteſtantibus ad conventus habendos templi aream, ſodalibus ad ſacra peragenda chorum attribuit. [p] Marmandae, cum diu reſtitiſſeot, tandem ejecti ſunt Franciſcani. [q] Veſunae etiam Petrocoriorum libere Proteſtantes conveniebant, a Memio adjuti, Simone [r] [1] Boſſerio apud eos concionante. At contra [s] Pluma, quod erat Joannae Navarrae oppidum, nec non [ſ] Liboſio et Turnonio in Aginnenſi agro ac vicinis locis a Fumelio et Loniaco exacti ſunt: circa [t] Regulam item oppidum Garumnae impoſitum varie infeſtati. [u] Moiſſaco autem, quod eſt coenobio venerandae antiquitatis ad [v] Tarnim nobile oppidum, [w] Bidonetus [x] Lomanii Tertidae ſororis filius loci praefectus, cardinalis Guiſii coenobii abbatis favore fretus, eoſdem expulerat. In [y] Auſcorum civitate, quo minus convenirent, ab Alfonſo Hippolyti [z] Ateſtini cardinalis civitatis archiepiſcopi vicario ſemper prohibiti ſuot. [aa] Granatae plerique cum inermes convenirent ab oppidanis male mulctati ſunt. Ita irritatis utrinque animis menſe Novembri ejuſdem anni diverſis locis ab utraque parte pari crudelitate ſaevitum eſt.

IX. NAM [bb] [a] Divonae Cadurcorum Proteſtantes, qui exiguo oumero erant, ope juventutis, quae juris ſcientiae ſub Franciſco [cc] Roaldeſio juriſconſulto morum probitate et reconditae antiquitatis cognitione excellenti operam dabat, adjuti jam Eid. Octobr. vocato Dominico [dd] Ceſto ex [ee] Montalbano, publice conciooes habere coeperant, fremente magiſtratu ac conſulibus; qui, dum Ceſtus abeſſet, eos ad preces faciendas forte congregatos adorti interrogant, qua auctoritate coirent, ac poſtremo nomina ſua edere jubent: quibus ſtatim reſponſum, ex Buriae auctoritate, nec eo ignaro id fieri; nec vero recuſare, quin libello nomina ſua inſcriberent. Verum cum in iis nomina liberorum Jo. [ff] Maſencalli ſeoatus provinciae principis, Jo. [gg] a Paulo ejuſdem curiae praeſidis, item [hh] Toloſae Seneſcalli, praeter ſpem ac votum agnoviſſeot, querelam, quam de ea re ad ſeoatum deferre conſtituerant, diſtulerunt; et interim parentes monuerunt, ut liberos, Sectarii veneni contagione non tam infectos quam ſaeculi licentia et exemplo illectos, e ſchola Cadurcenſi domum revocarent. Quo impetrato, P. [ii] Bertrando urbis epiſcopo cardinalis [kk] Senonenſis quoodam

VAR. LECT. [a] Albiae Cadurcorum *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *St Fiari.* Beze l'appelle *S. Fiuri.* [b] *de Caumont, ſieur de Lauzun.* [c] *de Montferrand.* [d] *de Montpezat Lagnac.* [e] *le ſieur de Fumel.* [f] *de Cocon* [g] *de Durfort, ſieur de Bajaumont* [h] *de Burie.* [i] *de la Boetie.* [k] *de Bourdeaux.* [l] *Penne & Villeneufve d'Agenois* [m] *Nerac.* [n] *Condom.* [o] *de Tilladet, ſieur de Storens.* [p] *Marmande.* [q] *Perigueux.* [r] *Braſſier.* [s] *la Plume.* [ſ] *Libos & Tournon en Agenois.* [t] *la Roole ſur la Garonne.* [u] *Moiſſac.* [v] *le Tarn.* [w] *de Bidonet.* [x] *de Lomaigne, ſieur de Terrides.* [y] *Auſch.* [z] *d'Eſte* [aa] *Grenade.* [bb] *Cahors.* [cc] *Roaldes.* [dd] *Ceſtat.* [ee] *Montauban.* [ff] *de Maſencal.* [gg] *de Faulle.* [hh] *Toulouſe.* [ii] *Bertrand.* [kk] *de Sens.*

NOT. [1] *Braſſerio.* Put.

dam [a] procancellarii fratre, et Manfredo [b] Cardilliaco Biullo ſcholae, uti vocant, cancellario, ex primaria provinciae nobilitate, et aliis collegii illius ſodalibus facem plebi furenti admoventibus, XVI Kal. Dec. qui dies in Dominicam incidit, in locum, in quem convenerant, ad tintinnabuli pulſum quaſi claſſico inſonante fit impetus, et januis refractis promiſcua caede in confertos ſaevitur: pars in aedium area trucidati, pars per vias, cum diffugerent huc illuc, caeſi; et in iis [c] Guacherius negotiator dives, qui in domum ſuam a concitata plebe tractus cum uxore ac liberis occiſus eſt, direptis etiam ejus aedibus. Qui intus remanſerant, aditu ad cochleam obſtructo, ad noctem uſque gnaviter ſe defenderunt; cujus umbra tuti, dum percuſſores in area inferiori ſederent, exitum miſerorum opperientes, per tectum huc illuc dilapſi ſunt. In ea laniena periere circiter XLV; et ex iis cadavera XXV, contumelioſe prius per vicos habita, tandem publice ſemiuſtulata ſunt. Diverſa parte, haud multo poſt X Kal. Dec. ruſtici, dominum ſuum exoſi, indigna ejus caede, quaſi occulta animorum in ultionem conſenſione, nuper [d] [α] Divonae interfectorum manibus parentarunt. Nam [e] Fumelius vir nobilitate praecipuus et Conſtantinopolitana legatione clarus, de cetero a Proteſtantium cauſa alienus, quos plerumque verbis interdum facto inſectabatur, cum ſub veſperam a venatu rediens in turbam ſubditorum ſuorum e templo, quo ad preces convenerant, venientium incidiſſet, diaconum inter eos contumelioſe compellatum ac ſuperbe reſpondentem ſcloppeti manubrio in caput adacto percuſſit: qua injuria exacerbati qui aderant, alias [β] duritiem ejus [γ] excerati, ſublato clamore conviciis laceſſunt, ſubinde homicidam, tyrannum ac maleficum appellantes; moxque eum circumſiſtunt, et, quamvis [f] aſturcone admodum pernici veheretur, fugientem tanta celeritate inſequuntur, ut vix in arcem ſuam recipiendi ſe tempus habuerit. Sed neque heic, accenſo ſemel plebis furore, tutas latebras reperit: nam in ſua arce obſeſſus, dum ab amicis auxilia exſpectat, obſervato a duobus juvenibus, quorum parentem variis modis vexaverat, ipſum e ſpecula aliquando deſpicere ſolitum, eo collimant, et ſcloppeti ictu forte deſpicientem transverberant; eodemque tempore impetu facto locum fere deſertum, heri caſu conſternatis defenſoribus, capiunt, ipſumque Fumelium lecto detractum pavimento affligunt: tum exprobrata ſaevitia, unus ex iis juvenibus, cujus ille patrem, ut inter eos jactabatur, olim ad caudam equi alligatum per [g] Oltam fluvium, cui Fumelium oppidum impoſitum eſt, aliquoties tranſmiſſum pedibus traxerat, injurioſe habitum, poſtremo lentis ictibus, ut ſe mori ſentiret, jugulavit. Vix temperatum a furente multitudine uxori ac liberis, qui nullo non contumeliae genere petiti tandem ope quorundam evaſere. Hoc factum per ſe ſaevum et exemplo ſumme pernicioſum plerique, ut par erat, indigne tulere; nec deerant, qui hoc agi dicerent, ut plebs, religionis praetextu, vindicata ſibi aut a rege impetrata libertate ad nobilitatem internecione paſſim delendam abuteretur, et excuſſo dominorum jugo magiſtratui legitimo debitam obedientiam denegaret, mutataque adminiſtrationis publicae forma, etiam regium nomen tandem ejeraret; vulgata in eam rem ubique fama, cuſum [h] Montalbani nummum cum hac inſcriptione, MONETA NOVA REIPUBLICAE MONTIS ALBANENSIS. Quae re ad regem perlata, etſi a multis non credita, tamen varie affecti ſunt animi; ac provinciae nobilitas praecipue, quae ſe peti rata, [i] Lomanio Terrida et Oſſunio ducibus, ad hunc caſum ubique expergefacta fuerat: quanquam Proteſtantes, qui factum palam damnabant, non ob religionem aut in nobilitatem, atque adeo magiſtratus regii necem, ſed ob heri in ſubditos ſaevientis odium,

VAR. LECT. [α] Albiae *D. f. o. d.* [β] ſaevitiam ejus ac duritiem exoſi, ſublato *D. d.* [γ] exoſi *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Garde des Sceaux.* [b] *de Cardaillac de la maiſon de Bieule, chancelier de l'univerſité.* [c] *la Guacherie.* [d] *Cahors.* [e] *de Fumel.* [f] *cheval d'Eſpagne.* [g] *le Lot.* [h] *Montauban.* [i] *de Lomagne ſieur de Terrides, & d'Oſſun.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX. odium, neque conſilio ſed impetu et ex occaſione id factum dicerent, et ejus invidiam a ſe deprecarentur. Itaque fama de Cadurcenſi ſtrage et Fumelii caede in aulam perlata, ſtatim delegati, qui de utroque cognoſcerent, Nicolaus [a] Compinius in magno concilio conſiliarius, et P. [b] Girardus hoſpitii regii praefecti legatus: mandatum etiam [c] Blaſio Monlucio in [d] Aquitaniam, ut Buriac praeſto eſſet, miſſo, daret operam, ut de facto diligenter anquireretur, et in convictos ſevere animadverteretur. Is ubi XI Kal. Feb. ex aula in Aquitaniam venit, cum delegati judices, temporis et itineris ordinem ſecuti, a [e] Cadurcenſibus principium facere vellent, diemque ad id [f] Buriac ac Monlucio dixiſſent, Monlucius antevertit, et adductis ſecum [g] Aginno judicibus, nec expectatis delegatis, a [h] Fumelii uxore exoratus ad eam proficiſcitur; ejuſque auctoritate factum, ut XL circiter ex defuncti ſubditis ac circumpoſitis locis aut laqueo ſuſpenſi aut fractis membris totae impoſiti ſint. Mulctatus et [i] Pennae judex, qui in Fumelii mores inquiſiverat: et impoſitum XXXV ſcloppetariorum ad uxoris defuncti cuſtodiam praeſidium, oppidanorum ſumptibus. Antea ad [k] Mezardi fanum cum populares ad templa diripienda diſcurrentes impedirentur, contra [l] Rulliacum loci dominum ob eandem fere cauſam inſurrexerant; vixque is [m α] Santaniano ipſius fratre ſuppetias in tempore ferente mortis periculo exemptus eſt: idem factitatum a [n] Stafortianis contra [o] Cucum et Monjoium: ac, ne exemplo graſſante in nobilitatem plebs incitata idem paſſim auderet, a pleriſque metuebatur. Quibus motibus ut obviam iret Monlucius homo vehemens, per [p] Santautentium, [q] Tilladetum et [r] Fontenillium generum, quoſdam ex iis ſtatim comprehendi curat, et captos per carnifices, quos pediſſequos ſuos vulgo vocabat, ſupplicio affecit. Captus dein [s] Moralietus cum IIII aliis ad [ſ] Liberatae fanum, qui juſſu Monlucii de plano ac ſine ulla cauſae cognitione itidem capite luerunt. Interea delegati judices de Cadurcenſium cauſa cognoſcebant: jam XIIII eorum ſententia damnati et publice ſupplicio affecti fuerant: majus negotium fuit in Manfredi [t] Cardilliaci Biulli, proxima cognatione provinciae proceribus conjuncti, judicio; cujus cauſa praecipui in civitatem confluxerant Godofredus [u] Caumontius, [v] Terrida, Oſſunius, Nigrapellicius; et ad regem miſerant orantes, ut auctoritatem ſuam interponeret, ne in unius nocentis morte tot proceres innocentes dedecore afficerentur. Nihilominus in eum et aliquot ex nobilitate mortis ſententia lata fuerat; qua praeterea civitas XL CIↃ aureorum mulctata eſt: ſed, quo minus executioni demandaretur, obſtitit Monlucius, qui delegatos recuperatores tanquam ob religionis cauſam ſuſpectos, cum in aedeis Buriac conveniſſent, ut ſententia coram eo publice recitaretur, interfatur, et contumelioſe interrogatos ac multis probris oneratos poſtremo ſtricto gladio et metu mortis intentato aedibus exturbavit; et ita eorum judicium irritum reddidit. Nam mox diploma a rege venit cognatorum precibus in aula extortum, quo judicium ſuſpendi jubebatur, totius rei cognitione ad principis conſiſtorium revocata. Cum vero Compinius et Girardus hac injuria affecti, praeterea metu mortis ubique intentato, jam de diſceſſu cogitarent, accerſiri [w] Burdigala Joannes [x] Alemius et Arnoldus [y] Ferronus conſiliarii, auctore Monlucio, qui eorum vicem ſupplerent, aut illorum, ſi ſe adhuc negotiis immiſcerent, auctoritatem praeſentia ſua infringerent. Inde itum [z] Villamfrancam in Rutenis, ubi ſeditioſi paulo ante uſitata paſſim inſania bacchati imagines et altaria demoliri fuerant. Comprehenſi ex iis aliquot, inſtante Georgio [aa] Armeniaco cardinali Rutenorum epiſcopo, qui ipſe illuc venerat:

in

VAR. LECT. [α] Santanianio D f

INTERPR. [a] *Compain, conſeiller du grand conſeil.* [b] *Girard, lieutenant du Prevoſt de l'Hôtel du Roy.* [c] *Blaiſe de Montluc.* [d] *Guienne.* [e] *ceux de Cahors.* [f] *de Burie* [g] *Agen.* [h] *le ſieur de Fumel.* [i] *Penne.* [k] *S. Mezard.* [l] *de Roullac.* [m] *de St. Aignan.* [n] *ceux d'Aſtefort.* [o] *les ſieurs de Cucq & de la Monjoie* [p] *le ſieur de St. Orens.* [q] *de Tilladet.* [r] *François de la Roche, ſieur de Fontenilles.* [s] *Morallet.* [ſ] *Ste Livrade.* [t] *de Cardaillac de Bieule.* [u] *de Caumont.* [v] *de Terrides, d'Oſſun, & de Negrepeliſſe.* [w] *Bourdeaux.* [x] *d'Aleſme.* [y] *du Ferron.* [z] *Villefranche en Rouergue.* [aa] *le cardinal d'Armagnac, evêque de Rodez.*

in quorum cauſa cum variarent ſententiae, Monlucius ab Alemio perſuaſus controverſum judicium diremit, et reos carcere eductos in centurionis manus traditos per pediſſequos ſuos ſtrangulati et ad feneſtras publicarum aedium ſpectante plebe ſuſpendi juſſit. Et haec quidem acta paulo antequam Condacus [a] Aurelianum occupaſſet: quo facto cum quaſi claſſicum tota Gallia perſonaſſet, mox [b] Montalbanum, Aginnum, unde paulo ante Fr. [c] Raſinus [α] Poto urbis praefectus et ſtipatorum regii corporis dux digreſſus fuerat, et [d] Chanteracius junior nobilis [e] Petrocorius per ejus abſentiam res novaverat, [f] Mariae fanum, [g] Lactoratum, et ejus exemplo [h] Neracum, Bergeracum et Marmanda defecere. [i] Penna item a [k] Cuco, et [l] Villanova a [m] Teſſonato occupatae ſunt. Tum iter dividunt Buria et Monlucius: ille cum IIII cataphractorum equitum alis [n] Burdigalam proficiſcitur, quo [o] Noallius metu Proteſtantibus intentato jam cohortes introduxerat, [p] Revano et Monbadono ducibus; hic cum ſua, Navarri quae [q] Condomi remanſerat, et Pauli [r] Thermi equitum tribunialis, tranſmiſſo [s] Garumna, in [ſ] Vaſconiam ire cogitabat, cum literis regis revocatur, et, ut conſcriptis VI peditum ſignis cum ſua et Thermi ala quamprimum ad ſe veniat, jubetur. Cum igitur [t] Baiomontium veniſſet, delectus agit; et [u] Charrio II peditum ſigna ex iis quae rex ſcribi mandaverat, [v] Bazordanio totidem, I [w] Clermontio, I [x] Aornio ſpectatis belli ducibus attribuit. Ibi nobilitatis vicinae rogatu ad reginam ſcribit; et quo in periculo [y] Aquitania verſetur oſtendit, majore in diſcrimine futura, ſi tam alieno tempore deſeratur: nam interea [z] Leracum rebellaverat, [aa] Vaſatenſis ditio, et omnis ille Garumnae ab utraque ripa tractus, qui ad [bb] Toloſam uſque protenditur, [cc] Regula et Condomo exceptis, ubi Aornius cum Navarri ala erat; nec non [dd] Caudecoſta et Duno, ubi [ee] Santaurentius copias ſuas collocaverat. Monlucius [ff] Salvetato Gauri alam ſuam impoſuerat: [gg] Terrida ſuam in agris ſuis circa ſe habebat. Nam [hh] Bellomontium Lomaniae itidem defecerat. Tum nobilitas vicina [ii] [β] Privati fanum ad Monlucium confluit; [kk] Coco [ll] Fumelii nuper occiſi frater, [mm] Monſerrandus Maſſeus alae Thermi vexillifer, [nn] Gondrinius, Terrida, et [oo] Fimarconus, gentiles, ſed ob veteres inimicitias infeſti et tunc reconciliati. Inde [pp] Foduam itum in Armeniaco principatu; ubi majore numero nobilitas undiquaque convenit, et ad provinciae defenſionem in Monlucii verba juravit. [qq] Pimirolium miſſus Charrius ab hoſtibus deſertum; qui dum [rr] Moiſſaco [ss] Lauzertam commearet, et novi ab eo conſcripti milites negligentius incederent, a [ſſ] Monflanquini et Pennae praeſidiariis caeſi ſunt.

X. DUM Monlucius Foduae eſſet, de Toloſano tumultu jam prope adulto cognoſcit, per [tt] Rupii cognati literas, qui ex [uu] Cadurcis rem ab homine peſte adhuc profluente, quam Aureliani contraxerat, infecto intellexerat; uti ipſe in commentariis ſcribit. In ea urbe [vv] Decuriones et Vicarius edicto Januarii VIII Eid. Febr. publicato omnem operam dabant, ut Proteſtantibus conceſſa conveniendi libertas maneret, non occulta plebis murmurantis offenſione: nam ex ea occaſione ſupplicationes inſolitas crebro celebrari, ſodalitia nova inſtitui, et coitiones in occulto ficti [γ] coepere: res tamen utcunque pacatae fuere uſque ad IIII Non. April. qua die in S. Michaelis ſuburbio dum de funere, quod efferebatur a Proteſtantibus, illud vindicantibus ſacerdotibus, inter ſe rixantur, concurſu plebis ad tintinnabulorum pulſum

VAR. LECT. [α] Poto Santralius *D. f.* [β] Sanprivii ad *D. f. o.* [γ] coepere *deeſt* *D. f.*

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *Montauban.* [c] *Raſin Poton, ſeneſchal d'Agenois.* [d] *de Chanterac.* [e] *de Perigort.* [f] *Ste Marie.* [g] *Leytoure.* [h] *Nerac, Bergerac, & Marmande* [i] *Penne* [k] *de Cucq.* [l] *Villeneufve.* [m] *de Teſſonat.* [n] *Bourdeaux.* [o] *le ſieur de Noailles.* [p] *les capitaines Revan & Monbadon.* [q] *Condom.* [r] *le mareſchal de Thermes.* [s] *la Garonne.* [ſ] *Gaſcogne.* [t] *Baiaumont* [u] *le capitaine Charry.* [v] *de Bazourdan.* [w] *le ſieur de Clermont.* [x] *le capitaine Aorne.* [y] *Guienne.* [z] *Lerac.* [aa] *le Bazadois.* [bb] *Toulouſe.* [cc] *la Reole.* [dd] *Caudecoſte & Dunes.* [ee] *le ſieur de St. Orens.* [ff] *la Sauvetat de Gaure.* [gg] *le ſieur de Terrides.* [hh] *Beaumont de Lomagne.* [ii] *S. Prevas.* [kk] *de Cocon.* [ll] *le ſieur de Fumel* [mm] *de Montferrand de Maſſes.* [nn] *de Gondrin.* [oo] *Bernard de Narbonne, marquis de Fimarcon* [pp] *Fondour, au comté d'Armagnac.* [qq] *Puymirol* [rr] *Moiſſac.* [ss] *Lauſerte.* [ſſ] *Monflanquin* [tt] *de la Roche.* [uu] *Quercy.* [vv] *les Capitoux & le Viguier.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX. pulſum ex S. Srephani et S. Salvatoris ſuburbiis facto, victoria penes eam manſit, occiſis aliquot ac ſauciatis pluribus. Jam tum ſciſſa erat factionibus civitas; et inde ſenatus inde decurionum collegium, quod Proteſtantibus haud dubie ſavebat, contrariis ſtudiis diſtrahebantur; accedente ad haec electa juventute, quae juri in celeberrima illa ſchola operam navabat, et rei novitare invitabatur. Decuriones, quos vulgo capitolinos vocant, jam ſe ad aedeis publicas contraxerant, et quoſdam ex viliori plebe in carcerem conjecerant, cum poſtridie ex ſenatu delecti Jo. [a] Maſencallus, Jo. a Paulo, Jo. Daffius, Ferrerius, curiae praeſides, cum P. [b] Aſeſato, P. [c] Cedro, Olivario [d] Paſtorco et Antonio Ganelone decurionibus conveniunt; et ex eorum ſententia decernitur, ut juxta edictum Proteſtantes conciones publice in ſuburbiis haberent, quibus decuriones intereſſent, cum c inſtructis omni alio armorum genere, praeterquam ſcloppetis; de quorum fide Proteſtantes urbi idonee caverent: Catholici cc homines ad cuſtodiam urbis ſubminiſtrarent ſumptibus ſuis; de quorum fide ipſi viciſſim fidem interponerent, ac Proteſtantibus caverent: a tintinnabulorum pulſatione eccleſiaſtici abſtinerent: externi omnes milites et homines incogniti urbe intra XXIIII horarum ſpatium faceſſerent: ſeneſcallus ac decuriones de ſeditioſis, adempto appellationis beneficio, cognoſcerent; neque appellantes a ſenatu audirentur: poſtremo ad majorem ſecuritatem ipſi cives ad urbis portas interdiu excubarent. Hoc decretum perſcriptum et per tubicinem in urbe promulgatum fuit. Tum in ſeditioſos cognitio inſtituta a ſeneſcallo ac decurionibus, vocatis etiam templorum Catholicis ſyndicis: ex quorum ſententia cum quidam ad mortem damnati eſſent, neque provocationi locus eſſet, tamen interpoſita appellatione a ſenatu ſententia mitigata eſt: et multi ex iis flagris caeſi, alii in exilium pulſi; quidam etiam patibulo affixi ſunt. Nec proptetea utrique quievere: Proteſtantes quidem [e] Cadurcenſi caede et tumultu ad [f] Caſtrum Arrii nuper contra ſe excitato territi; Catholici vero paria veriti, et exemplo audaciores redditi: et ita periculum, quod quiſque metuit, dum alteri in alteros rejicere cupiunt, ipſi praecipitaverunt. Paucos ante dies Petrus [g] Hunaldus Lanta ex nobilitate urbis primarius decurio, cum ex aula rediret, cum Condaco [h] Aureliani egerat, et de urbe tradenda fidem interpoſuerat. Id perſcriptum erat iis literis, quae a [i] Rupio ad Monlucium, cum [k] Foduae eſſet, miſſae ſunt; quas ille ſtatim ad Maſencallum mittit: quibus in ſenatu palam perlectis, quod imprudenter a Maſencallo factum dicit Monlucius, ſtatim Lanta comprehendi jubetur: cumque, indicta ad diem Pentecoſtes coenae Dominicae celebratione, Joannem [l] Cormerium antea Franciſcanum et tunc [α] Barrellam dictum, hominem vehementem et turbulento ingenio, multa, quae aſtanteis ad ſeditionem incitare videbantur, dixiſſe allatum eſſet, V Eid. Maii edicitur, tribus e decurionum collegio vocatis, quo ſecuritati urbis proſpiceretur, ut IIII ſigna ſub IIII ducibus, ii erant [m] [β] Bazordanus, Monmorius, Clermontius et Trebuſius, in urbem introducerentur; quibus aedium publicarum cuſtodia committeretur; triumviri urbis primarii ad eam rem a decurionibus adjungerentur. Quod in cauſa fuit, ut conſilium a Proteſtantibus initum de urbe occupanda, cujus executioni dies XV Kal. Junii edicta erat, praecipitatum ſit, et ſub veſperam eodem Barella homine feroci urgente [n] Salſius ordinum ductor cum delectis Vaſconibus, quos penes ſe babebat, egregie armatis, cum ad aedeis publicas ſine ſtrepitu veniſſet, et pulſatis foribus a III decurionibus nihil tale cogitantibus admiſſus eſſet, ſtatim per decurias dato conſciis ſigno, iis undique accurrentibus, locum occupaverit, decurionibus V retentis. Occupatae eodem

VAR. LECT. [α] Barellas *D. f.* [β] Bazordanes *D. f. o. d.*

INTERPR [a] *de Maſencal, de Paulle, Daffis, & du Ferrier.* [b] *Aſſeſat.* [c] *du Cedre* [d] *Paſtorel & Ganelon.* [e] *de Cahors.* [f] *Caſtelnaudary.* [g] *Hunault, ſieur de Lanta, gentilhomme & l'un des principaux Capitoux.* [h] *Orleans.* [i] *de la Roche.* [k] *Faudoas.* [l] *Cormery, autrefois cordelier,* dit *Barrelles.* [m] *les capitaines Bazourdan, Monmaur, Clermont, & Trebons.* [n] *le capitaine Saux.*

dem tempore citra ſanguinem [a] S. Martialis ac S. Catharinae vicinae ſcholae: quadrivia item duo doliis erectis vallata et diſpoſitis majoribus ſcloppetis firmata. Poſtridie ſenatus ad [α] Raimundum a [b] Papia Furcovallium Narbonae praefectum, Rogerium [c] Bellogardium Thermi equitum tribuni avunculi legatum, Monlucium et Terridam dat literas; et, quo in diſcrimine urbs verſetur, oſtendit, ſuppetiaſque depoſcit: additum erat, quo magis ad auxilia maturanda accenderentur, conſilium conjuratorum eſſe, Condaeum regem creare, et omneis Catholicos ad internecionem delere. Monlucius jam ante de conſilio Proteſtantium certus omnia in omnem eventum cum [d] Gondrinio ac Fimarcono paraverat, praemiſſis Bellogardio et [e] Maſſeo, qui noctu urbem ingreſſi ſunt; quos paulo poſt ſecuti ſunt Clermontius cum ſua peditum cohorte, et poſt eum rurſus [f] Aornius et Bazordanus; qui, in S. [g] Georgii platea in aciem inſtructi, mox, ut quiſque venerant, depugnabant contra Proteſtanteis, qui duas portas, quae Montalbanum ducunt, tenebant. Sub veſperam Salſius eruptione facta in conflictu [h] Monmorium capit; fruſtraque tentatis molatrinis [i] Bazacli toto orbe celeberrimis, quae jam a civibus occupatae fuerant, ſe recepit. III Eid. Maii a ſenatu novi decuriones dicuntur, quod V capti attinerentur, et II tantum ex toto collegio ſupereſſent. Mox Furcovallio ſuperveniente, cum Odeto [k] [β] Foxio Carmanii comite et [l] Angelo colloquium inſtitutum; ſed irrito ſucceſſu, tintinnabulis paſſim perſtrepentibus et edicto propoſito ac per vicos in urbe et per pagos extra urbem promulgato, ut omnes contra ſeditioſos ac conjuratos arma caperent, eoſque impune occiderent. Tum diſcurrente plebe direptae ante omnia librariorum aedes, et ſupellex omnis libraria promiſcue diſcerpta: inde et in alias impetus factus: pulſati obvii quique, et, ut ſuſpectus aut odio infeſtus erat, occiſus aut in flumen praecipitatus, ejulatu foeminarum ac puerorum vicis paſſim reſonantibus. Inter haec confluentibus undique ex agro auxiliaribus, metus poſtremo inceſſit, ne urbs ab ipſis diriperetur: ideoque edicto ex ea ejecti ut bello inutiles; et qui remanſerant ſub ducibus nomen inſcribere juſſi, [m] Lameſano videlicet, Saviniaco et ejus fratribus, [n] [1] Ricaldo, Garduchio, Montio, Treboſio, Maſſeo, Engaravaco, Rigaldo, [o] Villamanio, Petro [2] Bodio, Grepiaco Maſencalli filio, et ipſo Carmanii comite; qui, dum Proteſtantes, munimentis per plateas exſtructis, ſe ad extrema cuncta compararent, impetu diverſis locis facto fruſtra fuerúnt. Lameſanus a regione [p] Najacae turris, quo cum filio ac CC circiter arma intulerat, repulſus eſt: eandem fortunam experti ſunt et qui [q] Pomi vicum, Perrolerium, et [r] Mathebonam portam tentaverant. Succeſſu elati Proteſtantes ulterius progrediendi impetum ceperunt, non irrito fortaſſe eventu, niſi eos [s] Salſius a quibuſdam, uti creditur, corruptus, aut potius quod res ad concordiam reducere cuperet, revocaſſet: excurſione tamen a quibuſdam injuſſu ejus facta, jam civitate tota ſibi potiri videbantur, cum Carmanii comes aſſumptis ſecum [t] Saviniaco et Penna ejus fratre, Monmaurio, Garducio et Ricaldo ſe contra tulit: ibique certamen acre commiſſum, in quo Penna et Ricaldus deſiderati; [γ] Carmanius et Monmaurius vulnerati: poſtremo ſub veſperam repulſi ſunt. Mane, cum auxiliares ſed exiguo numero Proteſtantibus ſuperveniſſent,

VAR. LECT. [α] Raimundum a Papia *deſunt* D.f.o.d. [β] Foeſio D.f. [γ] Caramanius D.f.o.

INTERPR. [a] *colleges de St. Martial & de Ste Catherine.* [b] *de Pavie, ſieur de Fourquevaux, gouverneur de Narbonne.* [c] *de Bellegarde, lieutenant du mareſchal de Thermes, de Montluc, & de Terrides.* [d] *de Gondrin & de Fimarcon.* [e] *du Maſſes.* [f] *les capitaines Aorne & Bazourdan.* [g] *place de S. George.* [h] *le capitaine Monmaur.* [i] *du Bazacle.* [k] *de Foix, comte de Carmain.* [l] *le ſieur de Langele.* Popeliniere qui etoit preſent l'appelle *de Landelle.* [m] *les capitaines Lameſan, Savignac, & ſes deux freres de Cots & de Pennes.* [n] *Ricard, Gardouche, Mons, Trebous, Maſſes, d'Engarrevacques, Ricaud.* [o] *Villemagne, Pierre del Puech, de Grepiac fils du premier preſident de Maſencal.* [p] *Tour de Najac.* [q] *les rues de la Pomme, & des Perolieres.* [r] *porte de Mathebuou.* [s] *le capitaine Saux.* [t] *de Savignac & de Penne.*

NOT. [1] *Ricardo.* Put. L. V. Bez. H. E. l. 10. C. [2] *Podio.* Index Thuani *Put.*

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

niſſent, [¦] XL ſcilicet delecti duce [a] Suppeto, totidem [b] Rabaſtenio et Orſollio ducibus [c] Juvinio et Codera Orſollienſi, item alii C [d] Jotdanis inſula evocati, redintegratum certamen. Quo minus majore numero auxiliares [e] Montalbano, unde expectabantur, advenirent, Monlucius proſpexerat; juſſo [f] Charrio loca illa inſidere, et [g] Terrida cum ſua equitum ala inter utramque urbem medio. Ita [h] Arpajonus, qui cum CIↃ IↃ ſcloppetariis, ducibus [i] Vernada, [k] Sammichaelio et Belſortio, quibus praeerat [l] Marcaſtellus Petreii filius, et [m] Mulederio equitum praefecto, accurrerat, excluſus fuit: quamvis eum, a Salſio, ſive fiducia ſuarum virium, ſive corrupto, ne veniret, monitum alii ſcribant. Interim res praecipue tormentis a Proteſtantibus gerebatur, quorum illis copia erat, occupatis publicis aedibus; unde per loca idonea diſpoſitis machinis in omneis urbis regiones ejaculabantur: cumque ab urbanis IIII leviores machinae plureis teſtae agerentut contra eorum munimenta, unum ex iis captum; non tamen citra conflictum, in quo [n] Buſquetus gravitet vulneratus et Juvinius occiſus eſt. Dein cognito, Monlucium cum numeroſo equitatu adventare per [o] Bazaclenſem portam ingreſſurum, protinus illuc XXV delectos mittunt, qui munimentum ab urbanis eo loco excitatum aggrediuntur, caeſis pleriſque ex naviculariis; acceptiſque in itinere, qui ſummittebantur, auxiliaribus, ad Dominicanorum coenobium vim faciunt, incenſa ejus anteriori parte: dein [p] Bechinotum et ſani Torrentii coenobia occupant, abductis ſecum ſodalibus; Franciſcanorum item coenobium in poteſtatem redigunt. Tum rurſus ad Dominicanotum acriter pugnatum, et circa [q] Petrocorienſem ſcholam, ubi [r] Sepetus junior ex Proteſtantibus interfectus eſt. In regione [s] Sangeorgiana itidem Georgii, Antonii et Auguſtini fana occupata ſunt, et praeſidio firmata, commeatu omni ex illis locis et ſupellectile pretioſa in aedeis publicas comportata, et in decurionum manus conſignata. Fruſtra interim ab urbanis Villanovana porta tentata, terque ab ea parte a Proteſtantibus repulſi, amiſſa etiam altera ex iis, quas ante ſe agebant, machinis. Eidibus Maii acriter pugnatum; in eoque certamine [ſ] Colinus alter Saviniaci frater deſideratus eſt: cumque urbani ex aedibus publicis mirum in modum infeſtarentur, igne immiſſo res agi coepta, et incenſae CC fere proximae undiquaque privatorum domus, ut incendio ſerpente publicae eo corriperentur: direptae etiam Jacobi [t] Bernuiſii praeſidis viri opulentiſſimi aedes: Franciſcus [u] Calvetus conſiliarius in iis deprehenſus vix ſe grandi exſoluta pecunia periculo ſubduxit. Rurſus die ſequenti ad meridiem uſque pugnatum, cum damno utriuſque partis: ac tandem Furcovallii interventu conditiones propoſitae ſunt, ut Proteſtantes relictis armis in publicis aedibus ac bellico omni apparatu urbe dimittetentur, incolumitate ac ſecuritate promiſſa: induciaeque ad deliberandum factae in diem poſterum, qui in Pentecoſten incidebat: quo die celebrata a Proteſtantibus coena, inter gemitus ac ſuſpiria, quippe ſpe concepta lapſis, et ultionem proximam metuentibus; publicus tubicen ex editiori aedium publicarum turre pſalmos et cantica more inter eos recepto ſummae fiduciae atgumento inſonuit, ita ultimo urbi adeo ſibi infeſtae vale dicto. Is autem tubicen erat Nicolaus [v] Bochius, qui poſtridie patibulo affixus eſt. Tum nocte inſequenti dilapſi, ubicunque tutius viſum, milites, cives, juvenes juri civili operam navantes; quorum melior conditio fuit; nam a ſociis ac contubernalibus quamvis diverſa ſentientibus recepti ſunt: cives, ſive livore ſive religionis odio, a concivibus ſuis proditi ac capti, et in carceres ad cettum exitium conjecti. Milites urbe egreſſi per [w] Villanovanam portam,

dum

INTERPR. [a] *Soupet.* [b] *Rabaſteins & Verfeuil.* [c] *conduits par Juvin & Codere de Verfeuil.* [d] *l'Iſle Jourdain.* [e] *Montauban.* [f] *le capitaine Charry.* [g] *le ſieur de Terrides.* [h] *le baron d'Arpajon.* [i] *la Vernade.* [k] *les capitaines de S. Michel & Belfort.* [l] *Geoffroi Aſtorg-Aldebert de Cardaillac, baron de Marchaſtel de Thoras & de Peyre, fils d'Antoine Hector de Cardaillac, baron de Peyre.* [m] *Mouledier.* [n] *de Bouſquet.* [o] *porte du Bazacle.* [p] *des Beguins & de St. Aureux.* [q] *college de Perigueux.* [r] *Sepet le jeune.* [s] *du coſté de S. George.* [ſ] *de Cots.* [t] *le preſident de Bernoye.* [u] *Chauvet.* [v] *Boche Trompette & crieur de la ville.* [w] *porte de Villeneufve.*

NOT. [¦] *Dele* XL: *Lege* LX. V. Bez. H. E. l. 10. p. 20. et Popelin. l. 8. p. 323. unde locus deſumptus. *C.*

dum diſpalati huc illuc vagantur, primum a [a] Saviniaco fratrum neces ulciſcente caeſi, dein majorem partem a ruſtica plebe inrerfecti ſunt. Qui evaſere, [b] Montalbanum, Podium Laurentii, [α] Vaurum et Caſtrum conceſſere. Ad III CIↃ utrinque in illo tumultu varia peſte periiſſe prodidere, qui res eas curioſius perſcripſerunt. Mox in publicas aedeis impetus factus; in quibus Adaemarus [c] Mandinellius decurio, qui innocentiae fiducia manere quam poenam effugere maluit, captus; et alii in cuſtodiam arctiſſimam truſi; conceptis aut incenſis actis publicis et probationibus, quae a decurionibus contra ſenatum ad aſſerendam ſuam innocentiam factae in iis repertae ſunt. Poſtridie Monlucius in urbem venit, qui ſenatui jam irrirato animos praeſentia ſua fecit; et, quamvis urbem calente pugna non ingreſſus, extra longe utiliorem operam navaſſe gloriatus eſt, prohibitis auxiliis, qui duce [d] Arpajono Proteſtantibus adventabant. Tum curia moti XXII ſenatores, vel ob religionem ſuſpecti, vel quia tepidiores exiſtimabantur. Teſtes contra ſedirionis auctores et complices praemiis et impunirate propoſita invitati, aperta ad ultiones privatas er calumnias porta: cenſurae etiam adhibitae, ut conſcii ſeditionis aut qui ei operam navaſſent proderentur. Vix periculum effugere [e] Maſencallus ipſe ſenatus princeps, a [f] Grepiaco filio, qui civibus militabat, protectus; et Gabriel [g] Burgus et Arnoldus Cavanius conſiliarii et Meſencalli generi. Mox in convictos ſevere animadverſum: ab eoque die uſque ad VI Kal. Nov. numerati ſunt fere CC, qui ob eam cauſam [h] Toloſae ſupplicio affecti ſunt; et in iis, Adaemarus Mandinellius, Joannes [i] Portaldus urbis vicarius, qui quietus domi manſerat, et ille ipſe [k] Salſius factionis dux in quatuor partes ſectus; cujus nihilominus praevaricatione factum ſcribunt Proteſtantes, ut conatus non ſucceſſerit. CCCC fere qui aberant tribus edictis citati, et, quia non comparebant, in eos tanquam contumaces lata mortis ſententia. Ad famam motus undique ex vicinis provinciis auxiliares [β] advolabant, ſed direptionis metu coerciti; et [l] Sanpaulo ex [m] Foxenſi regione montana cum manu hominum latrociniis aſſuetorum, et [n] Lameſano ex [o] Convenis cum IↃ CCC venientibus gratiae actae, et eorum dimiſſae copiae: ipſi duces intra urbem admiſſi. Tum exactus externus miles, et II tantum ſigna in urbe retenra, Grepiaco et [p] Maſſeo juniore ductoribus.

XI. POSTEA XIIII Kal. Sept. jam inflammato ubique bello, ſenatus Toloſanus, cum de S. C. Pariſienſi contra Proteſtanteis facto cognoviſſet, aemulatione ſive [γ] Sectarii mali odio, S. C. ſeveritate pari ſive majore condidit: quo omnes, qui religionis cauſa in ipſa urbe, Montalbani, Caſtri, [q] Biterris, Monpelii, Nemauſi, Lactorati, Villafrancae in Rutenis, Millialdi, Villanovae, Apameae, Limoſii et aliis locis arma ceperant, ſive quoquo modo tumultum excitarant, perduelles declarantur; quique eos auxilio, conſilio, pecunia, viatico et quavis ope juverint, aut qui templa expilaverint, et Catholicorum domos diripuerint, bonis eorum in fiſcum redactis, ex iis prius portione, quota videbitur, detracta ad inſtauranda templa, donaria reſtituenda et privatorum damna ſarcienda: inſuper prohibetur, ne ad urbes a perduellibus occupatas arma, annona, pecunia comportarentur; qui ſecus fecerint, loco perduellium cenſeantur: item, ne delectus ſine expreſſo regis aut ipſius praeſidum mandato habeantur; qui privata auctorirate delectus babere comperientur, aut templa expilare, et per agros ad praedas diſcurrere, eos tanquam hoſteis perſequi et ad internecionem delere juxta edicta a Franciſco I condita ac promulgata liceat: paſtores et diaconi comprehendantur, et in eos tanquam perduelleis ac publicae tranquillitatis

VAR. LECT. [α] Vaurium D. f. o. [β] advolabant ſuppetias ferentes, ſed D. f. [γ] Sectarii mali *deſunt* D. f.

INTERPR. [a] *de Savignac.* [b] *Montauban, Puylaurent, la Vaur, & Caſtres.* [c] *Mandinelli capitoul.* [d] *le baron d'Arpajon.* [e] *de Maſencal, premier preſident du parlement.* [f] *de Grepiac.* [g] *du Bourg & de Cavagnes.* [h] *Toulouſe.* [i] *Portal viguier de la ville.* [k] *le capitaine Saux.* [l] *de St Paul* [m] *Foix.* [n] *Lameſan.* [o] *Comminges.* [p] *le capitaine Maſſes.* [q] *Beziers, Montpellier, Niſmes, Leytoure, Villefranche en Rouergue, Millaud, Villeneufve, Pamiers, Limoux.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

quillitatis hoſteis legibus animadvertatur: in eccleſiaſticos item de religione ſuſpectos inquiratur, et eorum bona annotentur, in uſus pios ac publicos curiae arbitrio expendenda. Eo S. C. freti cum plerique in Proteſtanteis odia privata animoſe nimis explerent, Jo. [a] Coraſii et Arnoldi Cavanii curiae conſiliariorum, ſenatu ob eam cauſam motorum, precibus exoratus Michael [b] Hoſpitalius, diploma regis nomine emittit [c] Romivilii, Octobri menſe; quo Proteſtantium conſilia ſecreta, coitiones, arma ac poſtremo motus, edicti Januarii beneficio, quo ſibi id licere putabant, et credulitate ob rumorem de regis ac reginae captivitate ſparſum, excuſabantur; et eorum omnium, quae inde ſecuta ſunt, ac tumultus Toloſani inprimis gratia fiebat: edicebaturque, ne eorum ratione cuiquam periculum crearetur; cuncti bonis, unde ejecti erant, reſtituerentur, vincti ſolverentur, judicia ac decreta contra eos lata revocarentur ac reſcinderentur: ea lege, ut deinceps majorum religionem colant, neque arma depoſita reſumant, aut capientibus praeſto ſint. Excluſi ab hoc beneficio ſeditionis ac tumultuum auctores ac templorum expilatores; in quos legibus agi jubetur. Coraſius item et Cavanius diplomaa rege impetraverunt, [α] quo ſenatui reſtituebantur: quod cum curiae obtuliſſent XI Kal. Nov. in III Eid. ejuſdem menſis rejecti ſunt. Diploma vero ſuperius illud uxor cujuſdam tetro carcere afflicti, cum lictores nulli aut apparitores quantumvis rogati id facere auſi eſſent, curiae obtulit IX Kal. Nov. ſed irrito ſucceſſu; quippe a ſenatu triduo poſt rejectum diploma, et eodem die N. [d] Tabarius et Gaſpar [e] Gaiarcus magni nominis in curia patroni ſecuri percuſſi ſunt. Itaque mox alterum diploma a rege emanavit, cum [f] Rotomagi eſſet, V Eid. Nov. quo eadem gratia ſuperiore diplomate facta confirmabatur; mandabaturque curiae, ut rationes, quibus adducti diploma non promulgaſſent, et ejus beneficio Proteſtanteis excluſiſſent, ſcripto mandatas ad regem mitterent: interea judicia in eos inſtituta intermitterentur, cognitione eorum ac omni juriſdictione ſenatoribus interdicta; ſi ſecus facerent, proprio nomine tenerentur, eorumque decreta irrita eſſent, et ut vitio facta revocarentur. Id a puero, cujus pater in tetro carcere contabeſcebat, curiae denunciatum. Decretumque, ut propediem ad regem ſcripto comprehenſa rerum in urbe geſtarum ſeries mitteretur. Nec multo poſt, cum Jo. [g] Maſencallus ſenatus princeps turbarum oſor deceſſiſſet, eodemque tempore Georgius cardinalis [h] Armeniacus urbem ſolemni pompa tanquam archiepiſcopus ingreſſus eſſet, renovatae in ſuſpectos animadverſiones: quae occaſionem dedere diplomati, non jam ad curiam ſed [i] praetorem urbis directo; quo, tumultus Toloſani narratione facta, ejus culpa a Proteſtantibus fidem publicam ſecutis in ipſorum adverſarios derivatur, qui tanquam ſeditionis auctores, plebis incentores ac publicae quietis perturbatores notantur; mandaturque praetori ac legatis ejus, quo de regis voluntate ac juſto dolore, quem ex ea re conceperit, cunctis innoteſcat, reſcriptum hoc per ſuae juriſdictionis territorium publicari curent, poena addita, ni paruerint, ut nomine proprio teneantur, et tanquam ejuſdem criminis complices habeantur; in reos, complices ac fautores eorum citra diſſimulationem ac praevaricationem, nulla perſonarum habita ratione, diligenter inquirant; eaque de re probationes conficiant, quas ad ſacrum conſiſtorium mittant, ut, iis inſpectis a delegatis judicibus, de tota re cognoſcatur; in eos, qui larem non habeant, animadvertendi ſine mora et adempto appellationis beneficio facultate pedaneis judicibus ac ſuccinctis quaeſtoribus attributa. Verum id extremo anno decretum, cum rex Rotomago in urbem rediiſſet, atque adeo poſt [k] Drocenſem pugnam, de qua deinceps dicemus. Digredientibus Toloſa ducibus, [l] Montalbanum duci placuit, non tam ſpe potiundi oppidi, quam ut

VAR. LECT. [α] ut ſenatui reſtituerentur *D. f.*

INTERPR. [a] *de Corat, & de Cavagnes.* [b] *de l'Hoſpital chancelier.* [c] *Romivlle.* [d] *Tabart.* [e] *Gaiart.* [f] *Rouen* [g] *de Maſencal.* [h] *le cardinal d'Armagnac.* [i] *le ſeneſchal de Toulouſe.* [k] *de Dreux.* [l] *Montauban*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

nt vagus circa urbem miles longius ſummoveretur, et a direptione prohiberetur. Eodem tempore [a] Fureovallius [b] Narbonam revertitur, ut ibi ſe cum Gul. [c] Joiſa [d] Momorantii magiſtri equitum provinciae praeſidis legato conjungeret, et ad Biterras obſidendas ſe compararet. [e] [α] Philippus Levius Mirapicenſis cum [f] Engarravaco et aliis [g] Limuſium profecti ſunt, aſſumptis ſecum [h] Uverio et Rudella ſenatoribus, qui de ſeditione in oppido a Proteſtantibus excitata cognoſcerent. Capta [i] Villafranca et exactis Proteſtantibus, [k] Buria ac Monlucius tantum terrorem injecerunt, ut Montalbanenſes oppidum, paulum abfuit, deſeruerint: nam ante alios Martinus [l] Taſcardinus, et poſt cum Petrus [m] Creſcentius, paſtores, mox et Jo. [n] Conſtans et Petrus [o] Pererius itidem paſtores petita venia urbe diſceſſerant, et conſules urbis Buriae et Monlucio obviam XII Kal. Maii jam profecti claveis ultro detulerant, cum de Aginni rebellione nunciis geminatis uterque revocatus retro pedem referre coactus eſt: et inde quidem diverſi, Buria ac [p] Noallius [q] Burdigalam, Monlucius [r] Aginnum petiere. Mox fugitivi Montalbanum retracti: urbique impoſitus [s] Vernada, qui oppidanorum delectus haberet; penes [t] Thoram Petreii filium, alias Marcaſtellum dictum, ſummo provinciae imperio remanente.

XII. CUM vero Toloſae jam ad manus ventum eſſet, [t] Arpajonus Proteſtantibus in urbe laborantibus opem laturus eo venit: et XVI Kal. Junii pentecoſtes die [u] Burniqueti vicecomes et [v] Sanleoſarius inde egreſſi, a Terrida, qui medius inter utramque urbem ſuos ad omneis caſus paratos habebat, intercepti ſunt: quo eodem die magna Proteſtantium ſtrages [w] Galliaci, quod eſt oppidum ad [x] Tarnim, edita eſt a Laurentio [y] Stroſſio cardinali Albienſium epiſcopo, oppidanis, jam occupato ab illis Petri templo, et tumultus Toloſani fama irritatis, praeſentia ſua faces ſubdente. Nam cum pentecoſtes die ad coenam celebrandam conveniſſent, loci decuriones periculum veriti tormenta eodem deduci curaverant; quibus reductis incitata plebs arma corripit, et in inermeis immani ſaevitia bacchata eſt, CL amplius vario mortis genere affectis; quorum alii per vicos tracti et poſt mortem per agros ad corvos paſcendos abjecti, alii in flumen merſi, alii denique, qui in S. Michaelis coenobium rupi editae impoſitum aufugerant, praecipitati: horum unus impetu capto cum ſe ſaltu in ſubjectum Tarnim dejeciſſet, incolumitatem a percuſſoribus pactus, ſi lapſus periculum evaſiſſet, nihilominus a naviculariis unco retractus [β] ac variis ictibus confoſſus eſt. Joannes [z] Capreolus [γ] ex decurionum collegio cum ad tumultum ſedandum in plateam cum ſcipione prodiiſſet, et ad columnam ligneam inniteretur, teli in oculum ſiniſtrum directi violento ictu quaſi poſti affixus, mox geminatis ictibus ſtans confoſſus eſt. Ibi et Petrus Pererius paſtor deprehenſus ac caeſus, et in puteum praecipitatus eſt. Ita per quinque dies continuos eo loco ſaevitum. Quam ſaevitiam Proteſtantes haud hinc longe [aa] [δ] Rapiſtagii itidem ad Tarnim, Arpajoni copiis auxilio Toloſatibus ſupervenientis freti, pari crudelitate ulti ſunt; cum dicerent, domos ſuas ab adverſariis ad necem creta deſignatas, et, ni praeveniſſent, ſe ad certum exitium proxima nocte deſtinatos fuiſſe. Mox fanum [bb] Sulpitii a [cc] Sanmichaelio et Belſortio captum ac direptum, atque ſacerdotes et alii ubique ex lanienae Galliaci patratae percuſſoribus reperti ſupplicio affecti ſunt.

XIII. CUM

VAR. LECT. [α] Jo Levius *D. f. o.* [β] atque, uti ceteri, variis *D. f.* [γ] unus ex decurionibus cum ad *D. f. o* [δ] Rabaſtenii *D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Fourquevaux.* [b] *Narbonne.* [c] *de Joyeuſe.* [d] *le connestable de Montmorency.* [e] *Philippes de Levi, ſieur de Mirepoix, mareſchal de la Foy.* [f] *d'Engarrevacques.* [g] *Limoux.* [h] *Ouvrier & Rudelle.* [i] *Villefranche* [k] *de Burie & de Montluc.* [l] *Taſchard.* [m] *du Croiſſant.* [n] *Conſtans.* [o] *du Perier.* [p] *de Noailles.* [q] *Bourdeaux* [r] *Agen* [s] *la Vernade.* [t] *le ſieur de Thoras, fils du ſieur de Peyre dit Marchaſtel.* [t] *le baron d'Arpajon.* [u] *Bourniquet.* [v] *de S. Leofaire.* [w] *Gaillac.* [x] *le Tarn.* [y] *Strozzi, evêque d'Alby.* [z] *Cabral, l'un des conſuls.* [aa] *Rabaſtens.* [bb] *St. Sulpice.* [cc] *de St. Michel & de Belfort.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

XIII. Cum autem [a] Rapino et Suppeto [b] Rapiſtagium appulſis de Toloſano caſu cognitum eſſet, [c] Montalbanenſes Arpajonum et Marcaſtellum rogarunt, ut cum ſuis civitatis ſecuritati proſpicerent. Ii, fano [d] Radegundis in itinere capto, et occiſis aliquot ſacerdotibus, nam in eos praecipue ſaeviebatur, XI Kal. Junii in urbem veniunt: quam muris infirmam, nec apparatu bellico aut commeatu inſtructam aut denique milite ſatis munitam cauſati, conſulibus ac magiſtratu convocatis, auctores fuere, ut ea deſerta ſecum ad Condaeum [e] Aurelianum contenderent: ibi arcem belli eſſe; quo ex voto confecto, mox patriam ac lares repetituros. Contra oppidanis eorum fidem obteſtantibus, et, ne deſererentur, et hoſti ad praedam ac vindictam cum liberis ac conjugibus exponerentur, deprecantibus, ſupervenit nuncius miſeris ſalutaris, homines armatos IIII CIƆ numero in [f] Aginnenſi agro ad ſigna conveniſſe et ducem petere: hoc nuncio mutatum a ducibus conſilium, qui tamen veriti, ne id arte confictum eſſet, verum necne id eſſet exploraturi, conditionem defendendae urbis accipiunt; ſed ea lege, ut auxilia deducenda ante proficiſcerentur. Iis digreſſis, Rapinus, [g] Turrius, Vernada, ac Richardus in urbe relicti; qui, cum [h] Arpajonum et Marcaſtellum non redituros ſcirent, rurſus conſilium de deſerenda urbe ſed in occulto repetunt; et re noctu tentata, cum ad tumultum quaſi hoſte adveniente magnus in urbe, ut fit, puerorum et foeminarum ſeminudarum cum cunis et infantibus fugientium exortus eſſet ejulatus, tandem clauſis portis plerique ne egrederentur prohibiti ſunt. Jam praecipui duces exceſſerant; et Sanmichaelius et Belfortius, qui ultimi remanſerant, in eo erant, ut tormenta, quae [i] Antonii fano advexerant, cum oppidanorum bona gratia reducerent, cum pulvis e longinquo ab equis excitatus conſpicitur; ſtatimque per urbem diſſeminato rumore, hoſtem adventare, Petrus [k] Conſtans, qui ſingulos prenſando, duceſque hortando, ut conſilium, quod explicare non poterant, ex neceſſitate caperent, antea fruſtra laboraverat, tandem pervicit, ut in urbem regrederentur. Cum jam Monlucii equitatus ad portas propinquaret, et, territo aeque milite et oppidanis fugientibus, immiſſus perrumperet, Arnoldus [l] [α] Gibertus ſeu conſilio ſeu metu ex pomoerio magna voce tormentarios vocat, qui nulli aderant, jubetque ignem machinis admoveri: quo intellecto, equitatus qui pergebat ulterius revocatur, et ad monaſterium hoſpitium eo die habuit, qui fuit IX Kal. Junii. Mox totus exercitus eodem advolavit; in quo erant ad IƆ CCC equites et IIII CIƆ peditum, ductoribus [m] Charrio, Sanſalvio Terridae fratre, Bazardano [n] Thermi ſororis filio, [o] [β] Carmanio, [p] Monmaurio, Arnaeo, Villamanio, Crozillio, Trebonio, [q] Tilladeto, Baſtida, Columbario: quanquam Monlucius non amplius CIƆ fuiſſe ſcribat, majorem partem tirones atque inermeis; omneis quippe veteranos fere Proteſtantibus tunc militaſſe. Levibus certaminibus initio pugnatum; in quibus Vernada, cui eruptiones fieri non placebat, dum Sanmichaelium ulterius provectum reducit, vulnus in femore accepit. Tum diviſae in urbe regiones inter duces: et portae cuſtodiendae ſingulis ſorte obvenere; [r] Monaſterienſis [s] Mannae, qui [f] Caſtro nuper Arpajoni juſſu copias adduxerat; Sanmichaelio [t] Franciſcanorum, [u] Bugieriae Carmelitarum, [v] Griffoliana Belfortio: [w] Monmuratam et pontis portas Vernada ſibi ſumpſit: Dominicanorum fani Jo. [x] Laboriae et oppidanis cura commiſſa. Trium, nec amplius, dierum obſidio fuit: cujus tempore incenſa ab oppidanis pleraque templa ac coenobia, quod incommodare crederentur, et majore, quam quod ſuppeteret, praeſidio egerent. Cumque omnia in-

rus

VAR. LECT. [α] Guibertus *D. f. o.* [β] Caramanio *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Rapin & de Souppet.* [b] *Rabaſtens.* [c] *ceux de Montauban.* [d] *Ste. Radegonde.* [e] *Orleans* [f] *l'Agenois.* [g] *les capitaines de la Tour, la Vernade, & Richard.* [h] *d'Arpajon & Marchaſtel.* [i] *St. Antonin* [k] *Conſtant.* [l] *Guibert.* [m] *les capitaines Charry, St Salvy frere de Terrides, Bazourdan.* [n] *le mareſchal de Thermes.* [o] *de Carmain.* [p] *Monmaur, Arné, Villemagne, la Crozille, & Trebons.* [q] *Antoine de Caſſagnet, ſieur de Tilladet, & les capitaines la Baſtide & Colombier.* [r] *porte du Mouſtier.* [s] *le capitaine la Manne.* [f] *Caſtres.* [t] *porte des Cordeliers.* [u] *la Bonguiere.* [v] *du Griffol.* [w] *portes de Monmurat & du Pont.* [x] *a Laboria.*

tus trepida et ſuſpicionum plena eſſent, idque ſpem ſucceſſus Monlucio faceret, CIƆIƆLXII.
tameo ipſe extra magnis incommoditatibus conflictabatur; quippe cum [a] Tiſcone CAROLUS IX.
amniculo equitatus a peditatu diviſus eſſet, et erumpentibus crebro praeſidiariis, quo minus ſuis ſuccurreret, impediebatur; cumque ad [b] Terridam commearet, equo ſuffoſſo periculum adierat. Itaque, quamvis ruina edita, cum obſeſſi peditatu potiores eſſent, impetum neutiquam faciendum cenſuit: ſed mox vaſis cooclamatis diſceſſit, [c] Charrio [d] Pimirolium praemiſſo, ut inde conſcripto oovo milite [e] Aginnum, quòd nuper rebellaverat, infeſtaret. Terrida [f] Bellomontium verſus abiit. Ipſe cum ſua et [g] Thermi alis ac [h] Santaurentii equitum ſcloppetariorum turma [i] Moiſſacum contendit, ad [k] Caſtrum Saracenum impoſitis [l] Garumnae tormentis: et Thermi alam [m] Auſcos verſus, [n] Arnacum [o] Condomum, [p] Gondrinium cum nobilitate in [q] Armeniacum comitatum ablegat, ut regiones vicinas in officio continerent. Obſidione ſoluta, [r] Marcaſtellus Nonis Junii io urbem venit, ubi cum licenter omnia agi videret, direpta etiam nuper a Sanmichaelio [s] Monbetooia arce, cujus dominus etſi a Proteſtantibus alienus domi ſe quietus continebat, praeſidiarios graviter increpuit; atque ipſum [ſ] Sanmichaelium praecipue, qui imperium ejus peroſus mox diſcedendi occaſionem arripuit; cumque ut remaneret ſeu roganti ſive jubenti Marcaſtello ſuperbe reſponderet, ille id ſibi licere exiſtimans, cum taoquam transfugam domi ſuae ſcloppeto tranſverberat: quo ictu Sanmichaelius ſauciatus, ne inultus moreretur, Marcaſtellum gladio ſtricto ferit, mox ab circumfuſo milite multis vulneribus cum [t] fratre juniore ac [u] Pontio centurione confoſſus: interfectorum cadavera furcae affixa cum elogiis, quibus tanquam perduelles, proditores, transfugae et latrones notabantur. Manifeſta id Dei ultione factum non immerito multi exiſtimavere, qui ſcirent Sanmichaelium et ejus juniorem fratrem olim Raimondum natu grandiorem fratrem, cum de hereditate inter eos lis eſſet, ex ioſidiis occidiſſe. Ipſe Marcaſtellus ex vulnere diu decubuit, et [v] Antonii fanum delatus, [w] Boſſeranium hominem antiquae diſciplinae et abſtinentem, qui vicem ſuam fungeretur, io urbe reliquit; digreſſo ob valetudinem adverſam [x] Turrio, et Manna [y] Caſtrum, et [z] Bellofortio [aa] Millialdum io Rutenis repetente.

XIV. JAM ante [bb] Limuſii, quo [cc] Mirapicenſem profectum diximus, ante aliquot menſeis ſeditio excitata fuerat; et ſub veſperam Kal. Mart. qui dies in Dominicam incidebat, Proteſtantes numero potiores primum duos, ac v Kal. Maii treis eadem audacia trucidant. Eo confeſtim [dd] Pomaſius Carcaſſonae praefectus a Catholicis evocatus ducit: urbs medio fluvio bifariam ſecta eſt; et, quia Proteſtantes majus oppidum occupaverant, ipſe minus inſedit; ex quo mox diſceſſit, ad majores copias colligendas profectus; aſſumptiſque ſecum [ee] Peroto Lupiano Hiſpano, qui ex viciois montibus collectos tɔc ducebat homines latrociniis aſſuetos, ſive quod ex Vandalorum reliquiis ſunt, ſive quia catervatim incedunt, a bandis dictos, et Gallicis aliquot copiis v Eid. Maii eodem redit; nec prius ad urbem caſtra poſuit, quam vaſtato circum per XVIII continuos dies agro. Interea intra urbem accepti cc ſcloppetarii cum pulvere tormeotario, e [ff] [a] Fuxenſi regione vicina auxilio ſummiſſi: et huc uſque Limuſenſes obſidioni ſuſtinendae pares crediti; ſed poſt tumultum Toloſanum cum Mirapicenſis cum oovis copiis illuc veniſſet, et XVI tormentorum diſploſione moenia nequiequam pulſaſſet, muro, cui oppidani cujuſdam aedes contiguae erant, conſcio domino a Mirapicenſi perfoſſo, ipſe admiſſus loco potitur, contraria crudelitate

VAR. LECT. [a] Foeſia *D. f.*

INTERPR. [a] *le Teſcon r.* [b] *le ſieur de Terridet.* [c] *le capitaine Charry.* [d] *Puymirol* [e] *Agen.* [f] *Beaumont.* [g] *le mareſchal de Thermes.* [h] *de Tilladet, ſieur de St. Orens.* [i] *Moiſſac.* [k] *Caſtel Sarrazin.* [l] *la Garonne.* [m] *Auſch.* [n] *Arné.* [o] *Condom.* [p] *de Gondrin.* [q] *d'Armagnac.* [r] *Marchaſtel.* [s] *Monbeton.* [ſ] *de St. Michel.* [t] *ſon frere Louis Peyralade.* [u] *le ſergent du Pont.* [v] *St Antonin.* [w] *Boſſeran.* [x] *les capitaines la Tour & la Manne.* [y] *Caſtres.* [z] *Belfort.* [aa] *Milliaud en Rouergue.* [bb] *Limoux* [cc] *le ſieur de Mirepoix.* [dd] *le ſieur de Pomas, gouverneur de Carcaſſone.* [ee] *Peyrot Loupian.* [ff] *Foix.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX. crudelitate occiſorum prius morte vindicata. Nam praeter eos, qui primo impetu caeſi ſunt, LX milites patibulo affixi fuere, effuſa inſuper in [a]mulieres libidine, ac virginibus ſtupratis; quarum una in conſpectu matris, quae grandi pecunia eam injuriam redemerat, ab eo ipſo, qui pretium acceperat, compreſſa eſt. Praeda ingens in oppido reperta lanificio ac pannorum textura nobili; portioque, quae ſummo duci ceſſit, ad C aureorum CIƆ aeſtimata eſt. Expleta militis ſeu libidine ſive avaritia, in eos, qui evaſerunt, jure agi coeptum, et inquiri in ſuſpectos.

XV. CARCASSONA, [a] Albio, [b] Caſtro Arrii exacti fere eo tempore ac male mulctati Proteſtantes. [c] Caſtri, quo ſe [d] Rapinus, Suppetus, [1] Montederius, Varagius, et Honoratus Foxius [a] homines bello ſtrenui receperunt, [e] Nemauſi item, [f] Biterris, [g] Monpelii, ubi antea IIII Kal. April. tres parhelii viſi ſunt, dirum futurorum mox motuum augurium, [h] Agathae et Marologii in Gabalis potentia vincebant. Sub id Nemauſenſes [i] Belloquadro metuentes eo [k] [2] Baveram, Belloianium, Servaſium, et Bulliargium noctu mittunt IIII Non. Junii cum II cohortibus; qui per poſticum ingreſſi citra ſanguinem loco potiri ſunt. Deſtructis altaribus et imaginibus per templa dejectis, atque relicto praeſidio, cui [l] Hardoinus Porcellus praeeſſet, inde digrediuntur: id aegre ferentes, qui oppido expulſi fuerant, ope [m] Vicarii Taraſconis, quod eſt oppidum in adverſa Rhodani ripa poſitum, octiduo poſt contracto clam milite numero fere CIƆ IƆ noctu induti interulis tranſmiſſo Rhodano portas ab ea parte apertas ingrediuntur, et ingenti clamore ſublato, obviis quibuſque occiſis, et in iis [n] Ladignano Porcelli ſignifero, ad praedam diſcurrunt: cui dum magis quam arci capiendae, in quam oppidani ac praeſidiarii confugerant, intenti ſunt, mittuntur interim [o] Monfrenium, qui auxilia acceſſant; commodumque iis accidit, ut tunc forte Monfrenium Servaſius ac Bulliargius veniſſent, [p] Aramontium nuper a Jouſa occupatum recepturi, qui, navigio, quod Belloquadrum verſus tendebat, conſcenſo, mane domum reverſuri erant: ii, re intellecta, confeſtim illo cum ſuis advolant, ita compoſito ordine, ut peditatus ad arcem duce Servaſio tenderet, equitatus inter oliveta exitum fugientium obſervaret. Initio Servaſius repulſus: ſed mox, quod praeter ſpem accidiſſet, confuſus metu miles qui intus erat praeda relicta huc illuc dilabitur; major pars navigiis conſcenſis, dum aufugit, pondere nimio praegravante, ut in tumultu, merſi ſunt; qui crati impoſiti enaverant, prope [q] Valabrigam Rhodano pariter hauſti ſunt: reliqui a Bulliargii equitatu caeſi. Ita captum media nocte oppidum meridie ſequenti receptum eſt, occiſis in eo CIƆ CC amplius: eodemque die, cum [r] Ventabrenus copias [s] Arelato collectas Taraſcone tranſmiſiſſet, et ante oppidum quaſi illud denuo obſeſſurus ſtaret, Sanveranus tribus a ſtrage horis cum CCC delectis arcem ingreſſus eſt, et conatum Ventabreni irritum reddidit: qui, ne ſine aliquo pretio inde abiret, cum III infra leucas cum ſuis deſcendiſſet, [t] Furcas a [t] Goarto deſertas occupat; quo ex loco ad excurſiones opportuno armatis navigiis regionem vicinam diu poſtea infeſtavit, donec a Bulliargio repreſſus eſt, [u] Duncampio occupato, et [v] Sarignaco, qui locum [w] Avenionenſium nomine tenebat, caeſo.

XVI. INTEREA [x] Jacobus Cruſſolius Baudineus [y] Septimaniae praeſes a Proteſtantibus delectus, cum Bitertas veniſſet, ante omnia Agatham praeſidio firmat; dein [z] Magalae praeſidiarios, qui iter inter [aa] Pezenacum ac Biterras excurſionibus infeſtum

VAR. LECT. [a] omnes *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Alby.* [b] *Caſtelnaudary.* [c] *Caſtres.* [d] *les capitaines Rapin, de Souppet, de Monledier, de Varragues, & Honoré de Foix.* [e] *Niſmes.* [f] *Beziers.* [g] *Montpellier.* [h] *Agde & Maruejols ou Maruege en Gevaudan.* [i] *Beaucaire.* [k] *Honoré de Montcalm, ſieur de St. Veran en Rouergue; François de Villages, ſieur de Beauvoiſin au dioceſe de Niſmes; François de Pavée, ſieur de Servas au dioceſe d'Uzés; Pierre Suau, qui prit le nom de capitaine Bouillargues d'un village de ce nom dans le dioceſe de Niſmes, où il etoit né.* [l] *Hardoain de Porcelles, ſieur de Maillane.* [m] *le Viguier de Taraſcon.* [n] *Ladignan.* [o] *Monfrein.* [p] *Aramon.* [q] *Valabrigue.* [r] *de Ventabren.* [s] *Arles.* [t] *Fourques.* [t] *le capitaine Goyart.* [u] *Donchamp.* [v] *le Chevaucheur de Sarguat.* [w] *ceux d'Avignon.* [x] *Jacques de Cruſſol, ſieur de Beaudiſner* (appellé dans la ſuite de l'hiſtoire, *ſieur d'Acier*) *frere du comte de Cruſſol.* [y] *Languedoc.* [z] *Magalas.* [aa] *Pezenas.*

NOT. [1] *Monlederius* Put. [2] *Sauveranum, Bellovicinum.* Put.

feſtum reddebant, tormentis illuc deductis loco dejecit: inde [a] Leſpignanum itum, ubi XXC circiter praeſidiarii ex Vandalica illa faece a [b] Furcovallio loco impoſiti ad interneciònem caeſi ſunt. Quibus a [c] Baudineo actis, Gul. [d] Jouſa ſtatim copias educit, et, aſſumptis IIII muralibus machinis, II colubrinis, II nothis, et IIII campeſtribus tormentis, caſtra ad [e] Lignanum ponit una a Biterris leuca. Ea eſt arx Biterrenſis epiſcopi, quam ſibi Laurentius cardinalis Strozzius, cum eum epiſcopatum ejeraret, ad delicias ſepoſuerat, quae a Biterrenſibus tunc XII praeſidio tenebatur; quorum de exitio veritus Baudineus cum ſuis exit, et eo uſque hoſtem levi certamine diſtinuit, dum obſeſſi perfoſſo muro et amne, quo alluitur, vadato ad ſuos ſe reciperent. Duobus ſignis loco impoſitis, ductore [f] Cruſilio, Jouſa ad Leſpignanum caſtra ponit; quod tormentis pulſatum poſt unum et alterum impetum, in quibus [g] Pomaſius occubuit, poſtremo deditum eſt. Dein [h] Montiniacum ducit, quod a [i] Paralupio et Porquere tenebatur, qui vitam et res ſalvas pacti ſe dedidere: IIII tamen ex praeſidiariis a Jouſa ad mortem [*] ex alia cauſa damnati; et in iis [k] Bomalius. Interea Baudineus, confluentibus ad eum ex [l] Cebenis, Vivarienſi agro, Nemauſo, Utica et Lunello copiis, [m] Agatham venerat, ut ibi ſe cum iis conjungeret. Inde [n] Pezenacum pridie Eid. Quintil. ſub meridiem venit, caeſa in itinere [o] Venae Lodevenſis cohorte. Intranti oppidum Baudineo cum ſe Jouſa tranſmiſſo cum exercitu fluvio oſtentaſſet, ille, jam inclinato die, et equite adhuc impaſto, non expectatis [p] Bulliargio et Aeromontano, qui poſtridie cum CC equitibus venturi erant, ultro egreſſus eſt, et conſerto proelio, cum ſe ante alios certamini miſcuiſſet, atque in hoſtium manus fortiter pugnando deveniſſet, ab iis ſe extricavit, et ad peditatum ſuum recepit; et ſervatis per collem ordinibus cum III campeſtribus tormentis ab hoſtili machinarum pulſatione tectus iter perſequi inſtitit. [q] Servaſius et Antonius Duplexius Gremianus cum delectis ex omni numero IↃ ſcloppetariis cum in eo eſſent, ut impreſſione facta Jouſae tormenta invaderent, jam inclinata peditatus hoſtilis acie, Cordognacus caſtrorum praefectus ſuos revocat, et in montem eniti jubet: converſaque ſe ad hoſtilia tormenta fronte, ac duobus primis ordinibus violenta pulſatione dejectis, mox ceteri in fugam verſi ſunt; pars ad vineas proximas recepti, alii noctis obſcuro defenſi exitium evaſerunt: amiſſa V ſigna, neque plus C ab utraque parte deſiderati, ut majore fama quam damno haec victoria conſtiterit. Nam poſtridie rurſus a Baudineo erecta ſigna, ſed rarioribus ordinibus ad ea convenientibus: itaque ſtatim [r] Claromontium, Gignacum, Andiani fanum et Frontignanum ab eo defecere. Nec multo poſt ex [s] Daiſſii conſilio Baudineus in colloquium cum Jouſa conſenſit, delecto ab eo [ſ] Sammartino, qui cum [t] Caſtelnovio Jouſae delegato ageret. Tandem perſcriptae conditiones: et conventum, ut edictum Januarii ſervaretur; Jouſae tanquam [u] Septimaniae legato ab omnibus debitum obſequium deferretur, eique Pezenacum et Biterrae traderentur. Quae conditiones, quanquam ab omnibus non aeque probarentur, ex parte impletae ſunt: nam Baudineus Agatham conceſſit, diſtributis in praeſidia copiis; Jouſa Pezenacum in fidem accepit X Kal. Sextil. Biterrae, [v] Columbario praemiſſo, ut juxta conditiones deditionem fieri juberet, minime paruere; Baudineo ac praeſidiariis fidem ab ipſo non ſervatam cauſantibus, et, ob captum nuper [w] Lignacum et incenſum, minus placabilem Jouſam exiſtimantibus. At

VAR. LECT. [*] ex alia cauſa *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Leſpignan.* [b] *de Fourquevaux* [c] *le ſieur de Beaudiſner.* [d] *le vicomte de Joyeuſe.* [e] *devant le chateau de Lignan.* [f] *le capitaine de Crouzalles.* [g] *le ſieur de Pomat.* [h] *Montagnac.* [i] *les capitaines Paraloup & Porquerez.* [k] *le ſieur de Bomail.* [l] *les Cevennes, le Vivarais, Niſmes, Uzés, & Lunel.* [m] *Agde.* [n] *Pezenas* [o] *la Veine de Lodeve.* [p] *de Bouillargues & le baron d'Aigremont.* [q] *le capitaine Servas, & Ant Dupleix ſieur de Gremian.* [r] *Clermont, Gignac, St. Audien, & Frontignan* [s] *le capitaine Daiſſe.* [ſ] *le ſieur de St. Martin.* [t] *le ſieur de Caſtelnau* [u] *Languedoc.* [v] *le capitaine Colombieres* [w] *chateau de Lignac.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX. At non Biterrenſium exemplum ſecuti [a] Bedarienſes, ſe [b] Pujolii ultro ab ipſis invitati fidei permiſere.

XVII. [c] BAUDINEUS vero [d] Monpelium veniens obvios ibi habuit [e] Grillum ab [f] Adretio miſſum, et Bulliargium, [g] Mareaſtellum ac Monvalentem; quorum ope fretus [h] Frontignanum, quod nuper defecerat, ante omnia ſibi expugnandum exiſtimavit: eoque IIII Eid. Sextil. ducit, ſed non cum omnibus copiis, ratus ad primam tormenti diſploſionem oppidanos deditionem facturos: ſed contra ſpem gnaviter ſe illis defendentibus [i] Caſtella et Coſterius occiſi, [k] Valeta Bombaſii legatus graviter vulneratus eſt. Jouſa auxilio ſuis adfuturus [l] * Connam legionis tribunum et Pezenaci praefectum praemittit cum IↃ CC circiter peditibus et C equitibus; qui ad [m] Lupianum a Grillo et Bulliargio cum CC equitibus et IↃ peditibus nec opinato circumventus et gravi jactura affectus eſt. Sed quantum damni ex eo conflictu Jouſa accepit, tantum in obſeſſos utilitatis redundavit, per incuſtoditum maris litus, intromiſſis, dum Grillus et Bulliargius abeſſent, Provincialium auxiliis: quod et in cauſa fuit, ut Baudineus, cum nec machinae idoneo numero nec foſſores ad opera facienda ſuppeterent, ab obſidione temere ſuſcepta cum damno nec ſine dedecore diſcedere coactus ſit.

XVIII. [n] FURCOVALLIUS et Connas, qui auxilio venerant, cum [o] Terralium uſque epiſcopi Monpelienſis arcem proceſſiſſent, inde [p] Lataram, hodie vocant Latas, accedunt IIII Non. Sept. cum VI CIↃ peditum, IↃ C equitibus, VI machinis muralibus et II colubrinis, caſtra ad [q] Euſimadae manſum, [r] Liſſae fluvio in proximas maris reſtagnantis lacunas ſe exonerante undique circumdatum, poſituri; quod leucam Gallicam nec amplius ab urbe abeſt. Capta in itinere turris, et occiſi in ea ſcloppetarii. Triduo poſt ad eos [s] Perotus Lupianus venit, cum Vandalicis reliquiis ſuis tam pedeſtribus quam equeſtribus. Erat in urbe Baudineus, qui cum ſummo imperio praeerat, et Grillus ſpectati nominis dux cum VIII equitum expeditorum ſcloppetariorum turmis; quas ducebant Baudineus ipſe, [f] Barius, Herbaldus, Bulliargius, Gremianus, Grangaeus et Pagius; XIIII item peditum ſignis, quibus praeerat [t] Daiſſius, Serinianus, Rufus, Longus, Gremianus junior, Rapinus, Sangla, Sanveranus, Argenterius, Raſcalo, Thuras; praeterea Helvetiorum ſignum, et II oppidanorum. Facta eruptione cum CC equitibus et IↃ ſcloppetariis uſque ad obſidentium caſtra, ut de rebus eorum cognoſcerent, tribus tantum amiſſis ex ſuis et ex hoſtibus amplius LX occiſis receſſerunt. Ab eo tempore totum quatriduum ab hoſtili omni impetu vacavit; quod deſtruendis ſuburbiis, ne iis Jouſa potitus urbi incommodaret, impenſum eſt; pleriſque lamentabilem neceſſitatem incuſantibus, cui dum oppidani parent, tot ingentis ac ſtupendi operis aedificia non ſine deplorabili ac nunquam ſarcienda reipublicae ac privatorum jactura demoliri coacti ſunt. Nam inter XXV ſana tunc a fundamentis diruta numerantur Franciſcanorum, Dominicanorum, Auguſtinianorum ac Carmelitarum coenobia; quorum duo priora totius aulae ac regii comitatus capacia erant. Dein III Eid. Sept. Baudineus cum XVI militum ſignis et V equitum turmis ad Pontem ruptum procedit, et vadato Liſſa ad [u] Saliceanum Crucigerorum equitum villam pabulatores interceptos caedit; ubi mortis periculum adiit, decuſſo grandioris ſcloppeti ictu galero e palea texto; de cetero hoſte

VAR. LECT. * Connam caſtrorum magiſtrum et Pezenaci D. f. o.

INTERPR. [a] *ceux de Bedarieux.* [b] *le baron de Pujol.* [c] *Jacques de Cruſſol, ſieur de Beaudiſner.* [d] *Montpellier.* [e] *le capitaine Grille* [f] *le baron des Adretz.* [g] *les ſieurs de Thouras* dit *Marchaſtel, & de Mouvaillant* [h] *Frontignan.* [i] *les capitaines la Caſtelle & Coſtier.* [k] *le ſieur de la Valette, lieutenant du capitaine Bombas.* [l] *le ſieur de Connas, ſon meſtre de camp & gouverneur de Pezenas.* [m] *Loupian.* [n] *de Fourquevaux.* [o] *le Terrail.* [p] *Latas* [q] *le Mas d'Euſimade.* [r] *le Lez.* [s] *Peyrot Loupian.* [f] *le baron du Bar, les capitaines Herbaut, Bouillargues, Gremian, Grange, & Pages* [t] *les capitaines Daiſſe, de Serignan, le Roux, le Long, le jeune Gremian, Rapin, Sanglas, St. Veran, Argentiere, Raſcalon, & de Thouras.* [u] *Salicean, maiſon des Chevaliers de Malte.*

hoſte ita undique intercluſo, ut, qui obſeſſurus venerat, ipſe ſibi obſeſſus videretur. Eſt in illo mari palus reſtagnans longe lateque porrecta, in qua exſurgit inſula trium fere miliarium ſpatio protenſa: in ea arx antiqua ac munita, quae a Monpelienſibus tenebatur: inde ea arce, inde munimento, quod Pequenſibus ſalinis imminet, oppugnatores cingebantur, et ita commeatu prohibebantur. [a] Terralium mox a [b] Combaſio deſertum, et ad [c] Magalonam arcem converſus omnium impetus, tormentiſque contra directis et XXVII diſploſis ictibus deditio facta eſt, proditione ejus, ut creditum eſt, qui locum tenebat; cui tamen licet vitam pacto fides minime ſervata eſt, occiſo eo cum XX praeſidiariis. Secundum haec [d] Adretius bidui itinere [e] Spiritus fano, cum IↃCCC ſcloppetariis equitibus, in caſtra Eid. Sept. ſumma celeritate advolat; praemiſſo, qui CIↃ IↃ interulas parati juberet. Poſtero die recreando militi conceſſo, ſub veſperam urbe exit, et tranſmiſſo Liſſa hoſtium caſtra inſpecturus ad ſtagnum uſque [f] Pequenſe procedit, oppreſſis inibi ovium cuſtodibus armatis; quorum alii occiſi, alii ſe in paludem vicinam abdidere ac voraginibus lutoſis hauſti ſunt. CCCC ovibus in urbem abductis, molatrinam [g] Latis ſubjectam occupat; ubi poſtquam aliquandiu pugnatum eſt, profunda jam nocte in urbem redit. Poſtridie de oppugnandis hoſtium caſtris deliberatur; et pontem in canali a Liſſa derivato, per quem navigia e mari [h] Lallas appellant, et commeatus e [i] Provincia ac [k] Narbona eo importabatur, ſterni placuit; cujus cuſtodia [l] Bulliargio cum campeſtri machina attribuitur: decretum inſuper, ut ipſe alterum Liſſae brachium vadaret; Adretius in alteram Liſſae ripam, quo pridie iverat, tranſmitteret cum altero campeſtri tormento ac IIII falconibus. Ita tripartito exercitu, a [m] Baudineo in frontem, a Bulliargio et Adretio, ſimul in caſtra hoſtilia noctu factus impetus tanta vi, ut equitatus poſt longum certamen de receſſu cogitaret, peditatu relicto: ſed dum in eo ſunt, ut aggere ipſo vi potirentur, Adretius nuncio de [n] Vienna a [o] Nemoroſio intercepta, qua de re jam ſupra diximus, accepto, ſtatim ſuos revocat, et receptui cani jubet, et ita pulcherrimam rei bene gerendae occaſionem amiſit. Hujus diſceſſu Bulliargius pontem deſerit, et in urbem redit. Mox acceptis V CIↃ aureorum Adretius, et relictis III equitum turmis, eadem celeritate qua venerat, abducto ſecum [p] Merula, ad ſuos rediit. [q] Ciſtertione et Vienna captis, conſilium [r] Sommarivii ac Suſii erat, conjunctis omnibus copiis recta [s] Monpelium ducere; quibus tranſmittendis infra [ſ] Arelatum juxta [t] Furcas [u] Rhodanum ponte ſternere decreverant. Expectabatur et e [v] Velaunis ac Gabalis [w] Arvernorum prior cum IIII CIↃ peditum; quibus freti non ſolum Jouſam anguſtiis, quibus conflictabatur, expedire, ſed et Monpelium expugnare ſperabant. Id ubi in urbe cognitum eſt, placuit [x] Grillum, Barium, Bulliargium cum VI equitum turmis et III peditum ſignis, [y] Albenate et Rapino ducibus, [z] Nemauſum proficiſci; Baudineum cum reliquis copiis ad urbem manere; qui mox eruptione facta ad aggerem uſque hoſtem velitari pugna diſtinuit. Interea Grillus, cognito, hoſtem tranſmiſſo Rhodano juxta Furcas conſediſſe, et inde [aa] Aegidii fanum oppidum in citeriori ripa ſitum occupare ſtatuiſſe, Bulliargium praemittit, qui loco luſtrato cum defenſioni parem duxit, et relictis in eo L ex ſuis mox ſe auxilio adfuturum recepit. Dum in oppido eſſet, a Sommarivio tubicen iterum venit, qui deditionem imperaret. Is, quia pontificis inſignia gerebat, quippe Fabricio [bb] Serbellono inſerviens, in carcerem a Bulliargio conjectus eſt. V Kal Oct. Sommarivius cum XXII peditum ſignis, quae V CIↃ peditum efficiebant, et IↃ equitibus ac III machinis ſub veſperam quaſi ſcalas ad moenia admoturus venit: ſed repulſus a praeſidiariis

INTERPR. [a] *le Terral.* [b] *de Combas.* [c] *Maguelonne* [d] *le baron des Adrets.* [e] *Pont St Eſprit.* [f] *l'eſtang de Pequaix.* [g] *Lates.* [h] *Lalles.* [i] *Provence.* [k] *Narbonne.* [l] *de Bouillargues.* [m] *le ſieur de Baudiſnor.* [n] *Vienne en Dauphiné.* [o] *le duc de Nemours.* [p] *la compagnie du capitaine Merle.* [q] *Siſteron.* [r] *les comtes de Sommerive & de Suze.* [s] *Montpellier.* [ſ] *Arles.* [t] *Fourques.* [u] *le Rhone.* [v] *le Velay & le Gevaudan.* [w] *le grand prieur d'Auvergne.* [x] *le capitaine Grille & le baron du Bar.* [y] *les capitaines Albenas & Rapin.* [z] *Niſmes.* [aa] *St. Gilles.* [bb] *Serbellone.*

ſidiariis fruſtra fuit, qui miſſo Nemauſum nuncio [a] Grillum rei certiorem faciunt. Is tota nocte cum ſuis incedit, praemiſſo Bulliargio, qui cum ſua turma [b] Stagelium IIII ab Aegidii fano lapide occupat. In ima planitie Aegidii fanum ſitum eſt, quae Nemauſo venientibus aſſurgit, et inde in aliam planitiem expanditur IↃ paſſus latam uſque ad Rhodanum, quae rurſus Furcas uſque ex adverſo [c] Arelati III ab Aegidii fano leucis ſecundum Rhodani aggeres porrigitur; et ad alteram ripam inſulam habet, omni rerum copia abundantem; cui [d] Marii Campo nomen, quod eo loco olim C. Marius caſtra muniverit, et hyemem totam militem intra vallum continuerit. Ubi Stagelium venit Bulliargius, cognito ex equitibus aliquot inibi captis haud procul Sommarivium abeſſe, veritus, ne, ſi propius hoſtem accedere pateretur, paucitate ſua animos ei faceret, monito interim Grillo ut gradum acceleraret, ſuos in ſummo colle ſtatuit, ne eorum numerus certo dignoſci poſſet, dumque hoſtis in ſubjecta valle ceteras vireis latere conjectaret, non continuo impetum faceret: nec falſus eſt animi Bulliargius. Nam Sommarivius, id, quod ille providerat, ratus, ſuos continuit, donec adveniente Grillo cum IↃC equitibus ac totidem peditibus ante hoſtium oculos acies inſtruitur: inibique ab hora matutina octava cum ad alteram pomeridianam uſque conſtitiſſent, nec hoſtis ſe loco moveret, Bulliargius conſilium de introducendis CC auxiliaribus exſequi ſtatuit. Tum propius accedens cum oppidum praetervectus e longinquo Sommarivianos ad Rhodanum tendere animadverteret, ipſe ſubſtitit, monito Grillo et Bario, ut copias promoverent; nam hoſteis retrocedere; in manibus victoriam eſſe, quam, niſi mora ſua aut ſegnitia corrumperent, procul dubio glorioſam eo die de hoſte gloriabundo reportaturi eſſent. Igitur citato gradu ad hoſtem vadit; a quo cum CCC paſſus abeſſet, rurſus ſubſtitit: quo conſpecto Sommarivius equitatum machinis, quas jam reducebat, ac peditibus circundat; in quem impreſſionem mox facit Bulliargius. At illi [e] Adretium adeſſe rati ordinibus ſolutis ac relictis in via machinis in fugam vertuntur, et per aggerem Furcas verſus iter intendunt, relicto itidem peditatu; qui a Grillo inſequente caeſus eſt ad interneeionem, exceptis iis, qui fluvium tranavere, qui et ipſi majorem partem rapiditate abſorpti ſunt. Ad II CIↃ peditum eo conflictu periere; ex Grillianis tantum duo, qui a ſuis per imprudentiam interfecti dicuntur. Sommariviani per pontem ad Furcas ſtratum evaſere, quem et ſtatim abrupere. Captus [f] Ledeno ex Sommarivianis tantum, XXII praeterea ſigna et praetorium vexillum, II machinae; nam colubrina in profluentem merſa nequaquam extrahi potuit: impedimenta etiam omnia ac pretioſa ſupellex in manus victoris venit; inter quae repertae [g] Furcovallii literae XII ante diebus ad Sommarivium ſcriptae, quibus, quo in diſcrimine verſaretur, oſtendebat; quippe qui jam ſemel de receptu defoſſis tormentis cogitaſſet, ac proinde opem quam citiſſime rogabat. Eam victoriam, quae in V Kal. Oct. incidit, pridie accepta ad [h] Monpelium clades aliquantum imminuit. Nam cum [i] Baudineus, hoſte jam liberius excurrente, inſidias ſtruxiſſet, ſui numero inferiores eeſſere, deſideratique in eo conflictu [k] Gremianus junior et [l] Malliani Bellocarienſis filius, [m] Peroti Lupiani famoſi illius latronis inibi ſcloppeti ictu occiſi morte vindicati. Nuncio victoriae a Baudineo accepto, poſt actas Deo gratias ignes in tectis domorum lapide fere conſtratis paſſim accenſi, laetitiae et Grilli adventus teſtes: ſignoque eo hoſti terror injectus. Eodem ipſo Aegidianae cladis die Jouſa cum VI peditum ſignis in caſtra venit; et, poſtquam Furcovallium et [n] Connam increpuit, quod loco tam incommodo caſtra metati eſſent, animum obſtinat, ibique auxiliareis e [o] Gabalis adventuros opperiri ſtatuit: neque tamen illi, quia in [p] Floraci obſidione ab [q] Apcherio Gabalorum

INTERPR. [a] *le capitaine Grille.* [b] *Eſtagels.* [c] *Arles.* [d] *la Camargue.* [e] *le baron des Adrets.* [f] *le baron de Ledenon.* [g] *de Fourquevaux.* [h] *Montpellier.* [i] *le ſieur de Beaudiſner.* [k] *le capitaine Gremian le jeune.* [l] *le fils du ſieur de Maillane de Beaucaire.* [m] *Peyrot Lorpian* [n] *de Connas.* [o] *le Gevaudan.* [p] *Florac.* [q] *Apcher, un des ſeigneurs du Gevaudan.*

Gabalorum regulo diſtricti erant, in tempore adſuere. Floracum a [a] Boiſſio ſtrenuo milite tenebatur; quod octidui obſidione fruſtra tentatum fuit, foeminis in eo defendendo fortem operam navantibus: et ſcalis admotis ſuffoſſo item muro nihil effici potuit. Boiſſius vulnus inter pugnandum acceptum, eadem animi magnitudine, qua acceperat, dum diſſimulat, ne oppidanorum animi eo caſu infringerentur, poſtea ex eo in tempore minime curato obiit. Tunc Philippus [b] Levius Mirapicenſis ad [c] Jouſam venit cum VI tormentis, II duplicibus, XXIII item minoribus machinis: eodem tempore Grillo, dum victoria elatior [d] Lunello [e] Monpelium, non monito Baudineo, tendit, Jouſa venienti inſidias ſtruit, et in [f] Grammontana ſilva II CIↃ pedites et IↃ equites abdit, et jam praetervectum prope [g] Arenarias aggreditur, loco ſabuloſo; ubi primum Grillus acie inſtructa, cum ſe cum equitatu animoſe defendiſſet, poſtremo cedere coactus, ipſe peditatum ſuum cedendo ſolvit, qui praeda onuſtus, dum potius de fuga quam de pugna cogitat, ad internecionem caeſus eſt; in iiſque [h] Merula dum fortiter pugnat, pulvere oculos occaecante, periit. Deſiderati utrinque CLVI, maximam partem ex Grillianis; quotum et major numerus eo caſu periiſſet, niſi, ſuperveniente auxilio Baudineo, Jouſiani [i] Adretium adeſſe rati retroceſſiſſent, graviter ſauciato [k] Bizaneto, qui Narbonam delatus ex eo vulnere deceſſit. Poſtea VI Non. Oct. Grillus cum epiſcopo [l] Aletenſi, qui cum Jouſa in caſtra venerat, agit; et poſtridie, cum, aegro milite, foetorem loci, in quo erat, amplius ferre non poſſet, libetum exitum pactus vaſa conclamat, et [m] Florenſacum [n] Cruſſoliorum oppidum petit, quod tumultuanti ob non ſolnta ſtipendia et Monpelii praedam ſpe devoratam de faucibus ſibi ereptam dolenti militi in praedam conceſſit: quo facto [o] Villamnovam crematam petit. Inde Jouſa [p] Pezenacum contendit. Baudineus, relicto Monpelii Rapino, [q] Pnſanum, cui Jouſa [r] Croſam cum II peditum ſignis impoſuerat, aggreditur. Is, cum locum infirmiorem videret, quam ut defendi poſſet, eum deſerere ſtatuit; ſed decreta ante oppidanorum, qui fere Proteſtantes erant, caede; quod illi ſubodorati noctu ad Baudineum transfugiunt, cum quo in oppidum poſtridie regreſſi ſunt. Quo facto Baudineus [s] Agatham, quam peti intellexerat, [f] Sanglam mittit; et ipſe [t] Burgum Rhodano impoſitum locum tendit, quem deditione cepit. Interim capta a Grillo [u] Carbonaria turris in paludibus circumpoſitis ſita, tormentis ad eam admotis: qua capta [v] Bulliargius [w] Aquas mortuas inde delatus navigia omnia in poteſtatem redigit, invitis praeſidiariis; et cum iis ex ſtagnis [x] Pequenſibus ſalem avexit, quod ad belli ſumptus ſuſtinendos magno adjumento fuit. Paulo poſt [y] Biterrae tentatae, conſciis ex oppidanis [z] Maroto Caſanova, Fulcone Vinta, Ant. Rocolla, et Petro Pagio Revelenſi, qui Proteſtantium doctrinam palam profitebantur, [α] remque confeſſi capite luere. Periculum tantum fortuna diſcuſſit. Nam noctu admotis ſcalis XVII Kal. Nov. cum miles jam in murum eniteretur, vino ſepultus tympaniſtes nomine [aa] Candalerius, ad ſtrepitum excitatus, quaſi jam albeſcente die inſonuit; quo audito, oppugnatores inſidias detectas rati, relictis ſcalis abiere. Idem ab ipſis medio die tentatum octava poſt die, ſed irrito conatu, et cum damno, etiam amiſſo [bb] Fendilla homine ſtrenuo. Inde Jouſa quaſi Monpelium repetens cum copias adduxiſſet, ſtatim ad Agatham deflectit, jam III Kal. Nov. a Villānovano Jouſae legato obſidione cinctam, et omnibus rebus fere deſtitutam; quippe paulo ante [cc] Paralupio mortuo, et ejus

CIↃIↃLXII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] poſtea rem confeſſi capite luere: ſed periculum *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Boiſſy.* [b] *de Levis, ſieur de Mirepoix.* [c] *le vicomte de Joyeuſe.* [d] *Lunel.* [e] *Montpellier.* [f] *Bois de Grammont.* [g] *les Arenaſſes.* [h] *le capitaine Merle.* [i] *le baron des Adrets.* [k] *le capitaine Bizanet.* [l] *l'evêque d'Aleth.* [m] *Florenſac.* [n] *de Cruſſol.* [o] *Villeneuve.* [p] *Pezenas.* [q] *Pouſan* [r] *le capitaine la Croſe.* [s] *Agde.* [f] *le capitaine Sanglas.* [t] *le Bourg ſur le Rhône* [u] *Tour de la Carbonniere.* [v] *de Bouillargues.* [w] *Aigues mortes.* [x] *de Pequaix.* [y] *Beziers.* [z] *Marot Caſſeneuve, Foulcaut Veinte, Antoine Rocoles, & Pierre Pages* dit *de Revel.* [aa] *un tabourin nommé Candelier* [bb] *le capitaine Fendilles.* [cc] *le capitaine de Lom,* autrement *Pareloups.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

ejus legato [a] Perreo abſente. Sed dum Villanovanus loco contemplando intentior ulterius provehitur, ſcloppeto in pede ictus juxta S. Juliani portam, et [b] Pezenacum delatus eſt. In ejus locum ſucceſſit [c] Connas infelici Monpelii obſidione minus Jouſae gratus. Kal. Nov. pulſatione facta, cum IIII tormentis ac II colubrinis, et ruina tanta edita, ut in eam eques eniti poſſet, factus impetus; quem ſumma fortitudine obſeſſi ſuſtinuere, foeminis etiam operas ultro et intrepide commodantibus; inter quas una reperta eſt, quae in omnium conſpectu gladium rotans mirum virtutis virilis ſpecimen edidit. Alia dein parte Jouſani ſcalas admoverunt: ſed et inde poſt IIII horarum certamen jam adveſperaſcente die repulſi ſunt. Nox ſequens ruinae ſarciendae impenſa eſt. Miſſus interim [d] Trinearius [e] Biterras, ut auxilia poſceret: is, in itinere vado obſervato, C ſcloppetarios a Biterrenſibus ſine cunctatione cum pulvere tormentario ſummiſſos illac traduxit; qui per hortos urbi vicinos ad [f] Erubtis uſque ripam ubi venere, Trincarius flumine natatu ſuperato adeſſe auxiliareis nunciat, moxque navigiis ad id paratis eos accipit, et in urbem incolumeis deducit, accenſo ſtatim in ſumma turre igne, ex quo Biterrenſes, ſic enim convenerat, ſuos ſalvos eſſe cognoſcerent. Parte alia [g] Baudineus, qui [h] Burgo ad Rhodanum capto [i] Puſanum redierat, copias undique cogebat: jamque [k] Meſam ac Lupianum plerique confluxerant, cum Jouſa a quodam ſacerdote monitus pulſationem mutat, et ad aliam partem multo debiliorem tormenta admovet; quorum diſploſione ſtatim ingenti ruina edita, fit impetus, ſed non ea alacritate, qua ſe praeſidiarii ad defenſionem paraverant. Itaque deſideratis ad CCCC e ſuis, inter quos XXVIII erant magni nominis tribuni ac centuriones, pridie Non. Nov. obſidionem ſolvit, confuſo ordine, ut in nocte, ac tormentis Pezenacum praemiſſis. [l] Bulliargius, [m] Combaſii et Sanfelicii turmas, quae ultimum agmen claudebant, [n] Gignacum verſus tendentes, cum ad [o] Paragonii fanum adſecutus eſſet, palanteis aggreditur, occiſis CCLXXIIII ex iis, nulloque ex ſuis praeter ruſticum viae indicem amiſſo: ſigna Monpelium relata. Nec multo poſt idem Bulliargius a [p] Burgundione, qui [q] Monfrenum tenebat, monitus, CCC praeſidiarios [r] Aramontio ab [s] Avenionenſibus impoſitos continuis praedationibus late regionem infeſtare, et [t] Bagnolium uſque excurrere, inſidias ſtruit; in quas illi praecipitavere, majorem partem caeſi, amiſſo navigio militari, quod ad piraticam faciendam inſtruxerant.

INTERPR. [a] *Perreau.* [b] *Pezenas.* [c] *de Connas.* [d] *Treincarre.* [e] *Beziers.* [f] *riviere de Heraut.* [g] *le ſieur de Beaudiſner.* [h] *le Bourg ſur le Rhône.* [i] *Pouſan* [k] *Meſe & Loupian.* [l] *de Bouillargues.* [m] *du baron de Combas, & du ſieur de S. Felix.* [n] *Gignac.* [o] *S Paragone.* [p] *le capitaine Burgondi.* [q] *Monfrein.* [r] *Aramon.* [s] *ceux d'Avignon.* [t] *Bagnols*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER TRIGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

M*ONLUCIUS Aginnum vi et colloquio tentat.* II. *Irritus ad Burdigalam Duracii conatus; qui, Candala capto, Macarii fanum expugnat ac diripit. Davazani temeritate amiſſum Neracum.* III. *Targonenſis pugna in Benaugienſi tracta; in qua Duracius ceſſit, magno inde regiorum terrore ſparſo. Saviniacus Grano dedito vitam ſibi et ſuis ſalvam pactus, quod contra pacta feciſſe diceretur, a ruſticis ad internecionem deletus.* IV. *Monſeguriam in agro Vaſatenſi a Buria captum.* V. *Aginnum deſertum Buria et Monlucius veniunt, ac praeſidio firmant.* VI. *Lauſerta in Cadurcis a Daracio capta; et crudeliter in ea habiti ſacerdotes.* VII. *Hiſpanae copiae in caſtra regia duce Joanne Carbaiaco veniunt, Jo. Bapt. Caſtaldo, qui ſammus his dux deſtinabatur, paulo ante mortao. Penna capta et crudeliter direpta, ſoeminis cum pueris ab Hiſpano milite occiſis:* VIII. *Quam immanitatem altus eſt Duracias, Cailo in Ratenis paulo poſt capto, et ſacerdotibas magno numero crudeliter obtruncatis. Bordetus Pontium in Santonibus et mox Satyri ſanum vi capit, et ſacerdotes in eo repertos male mulctat. S. Mariae Madaurenſis et Antonii Marcollenſis templa expilata. Pugnandi ad Mirabellum occaſio amiſſa.* IX. *Montalbanum denuo a Baria obſeſſum.* X. *Monlucius Lactoratum praeſidio vacuum obſidet; caeſiſque ad Taraubam dedititiis, a Brimontio recipit. Caumontium item munitiſſimum ad Garumnam caſtellum a Petro filio ſeu vi ſeu aſtu captam ac direptum: tantam Godofridi Caumontii loci domini ſupellectili parcitum.* XI. *Ad Rotomagi obſidionem totae vires regiae converſae; quod tuendum Mongomerius ſaſcipit.* XII. *Foedus a Proteſtantibus cum Elizabetha Hamptoncuriae ictum; et in eo dictae leges: ſecundum quod illa ſcriptum evulgat, quo conſilii ſui rationes pluribus explicabat.* XIII. *S. Catharinae munimentum ſaperius et inſerius impetu captum: dein ad ruinam impetum regii ſecere et repalſi ſunt.* XIV. *Civilis mira mors; qui inter mortuos terra conditus, rurſumque depoſitus, et caſa deinde a ſervo ex annulo indicium faciente extractus,* [1] *triginta plus minus annis ſuneri ſuo ſaperfuit.* XV. *Poſtridie Navarras, dum infra dignitatem periculis ſe objicit, in laevo humero ſcloppeti ictum accipit.* XVI. *Impetu ultimo ſacto, poſt* IIIICIↃ *utrinque occiſoram ſtragem, urbs capta ac direpta. Mongomerius cum trireme ad id parata viremigii, aſſumptis ſecum Anglis et Scotis, catenam ad Caudebecum tranſverſam ſaperat et elabitur.* XVII. *Navarrus, ut in lecto jacebat, per ruinam ſuccollantibus Helvetiis triumphabundus invehitur.* XVIII. *Senatus provinciae, qui Lupariae jas dicebat, in urbem revocatus; qui ſevere in captos primarios civeis et belli duces animadvertit; quod exitiam Baptiſtae Sapino ſenatori Pariſienſi et Joanni Troio Gaſtinenſi abbati, qui Aureliani captivi attinebantur, matarαvit.* XIX. *Navarrus fatalem horam ſentiens a medicis in diverſa raptatur. Cum fluvio devehi vellet, Andelii ſubſiſtere coactus eſt; et* XXXV *a vulnere accepto die animam*

NOT. [1] *In hujus eventus narratione legitur* quadragi[illegible]a C

animam Deo reddidit. Ejus mores, ingenium, virtutes a voluptatibus obſcuratae. XX. *Regina cum Dieppenſibus agit; qui dimiſſis Anglis in fidem accipiuntur, et a Fr. Momorantio benigne tractantur: eadem Cadomenſibus gratia facta. Dieppa paulo poſt aſtu intercepta a Catavilla, oppidanis inſciis, et a Mongomerio, qui Franciſcopolim Rotomago venerat. Nuncius amiſſi Rotomagi Condaeum de Andeloto ſolicitum oppreſſit, qui altero Duracianae cladis cumulatus eſt.* XXI. *Verenſis pugna urgente Monlucio commiſſa, et virtute Argentii praecipue parta. Duracius, cujus culpae ac ſecuritati clades imputata, dum Mediolanum Santonum cum Bordeto et Marcaſtello tendit,* CCC *ex regiis obvios ad internecionem delet. Ad ſamam Verenſis pugnae ſoluta ad Joannis ſanum a Rupifulcaudio comite obſidio; qui ad Morilloni montem acceptis Duracianis cum iis Aurelianum ad Condaeum tendit.* XXII. *Monpenſerius Mediolanum Santonum a Proteſtantibus relictum in fidem accipit, et mox inſulanos Oleronenſeis et Alvertenſeis ac denique Marennenſeis. Rupellae ſacra majorum reſtituit, et publicam aliis conveniendi libertatem abolet.* XXIII. *Montalbanum eodem die, quo ad Veram debellatum eſt, a Terrida tentatum et obſeſſum, paſtoribus ad extrema quaeque perſerenda defenſores firmantibus.* XXIV. *A. Cruſſolius Septimaniae praeſes in duras leges a Proteſtantibus adigitur.* XXV. *Gratianopolis arcta obſidione preſſa, a Rembaldo Furmeiero Vapinco cum auxiliaribus veniente liberata.* XXVI. *Adretius a partibus diſcedit; et ad pacificationem uſque ſub cuſtodia.* XXVII. *Miſſus ad Andelotum in Germania militem ſcribentem a Condaeo Jacobus Spiſanius Nivernenſium nuper epiſcopus. Andelotus cum auxiliari exercitu venit; et Nivernium et Santandreanum ad intercludendum tranſitum miſſos eludit.* XXVIII. *Edictum poſt captum Rotomagum publicatum; quo gratia praeteritorum fiebat, cunctis, ut ad ſacra majorum redirent, mandabatur.* XXIX. *Contrarium Condaeus ſcriptum vulgat; et cum valido exercitu loca Lutetiae circumpoſita occupat. Cum regina colloquitur nullo ſucceſſu.* XXX. *Aegidius magiſter primarius ſenatus praeſes obit: Chriſtophorus Thuanus ei ſubſtituitur.*

Ex auctoribus,

Blaſii Monlucii comment. Lud. Vicino P. P. Joanne Serrano, Fr. Lanovii comment. Th. Bezae Hiſt. Eccl.

LIBER TRIGESIMUS TERTIUS.

CIƆIƆLXII.
Carolus IX.

DUM haec in [a] Septimania geruntur, [b] Monlucius in [c] Aquitania [d] Aginoum, quo [e] Memius delectas copias adduxerat, et [f] Arpajonus [α] ad Condaeum profecturus et [g] Marcaſtellus venerant, crebris ſuorum incurſationibus fatigabat; inde minis rem gerens, inde benevolentiam, ſi oppidani [h] Buriam ac ſe admitterent, oſtentans: tantumque pervicerat promiſſis et metu intentato, ut [i] Caumontii interventu Memius in colloquium conſentiret, et delegatos ad Buriam mittendos cenſeret. Sed eodem tempore accidit, ut Henricus [k] Foxius Candala [l] Allingonam ad Garumnam oppidum ſuae ditionis in poteſtatem redegerit, et Proteſtanteis inde pepulerit; quod magnopere ſuſpectam Buriae fidem reddidit: nam cum is, advocato Antonio [m] Prevotio

VAR. LECT. [α] antequam ad Condaeum contenderet et D f

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *Blaiſe de Montluc* [c] *Guienne.* [d] *Agen* [e] *le ſieur de Memy.* [f] *le baron d'Arpajon.* [g] *Marchaſtel.* [h] *de Burie.* [i] *de Caumont.* [k] *de Foix, comte de Candale* [l] *Langon ſur la Garonne.* [m] *Prevoſt*

votio urbis archiepiſcopo, Antonio [a] Noallio et [b] Genulliaco Valliaco, arcium praefectis, cum Aginnenſium delegatis [c] Burdigalae ageret, et ante alia id peteret, ut illi poſitis armis praeſidium acciperent, et ſacerdotibus templa ac ſupellectilem omnem reſtituerent, irritum fuit colloquium. Id actum XIII Kal. Quintil. CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

II. INTEREA [d] Symphorianus Durfortius Duracius, familiae ſuae princeps, quantas poterat copias cogebat, Condaeo, uti receperat, praeſto futurus: auditoque [e] Navarrae reginam ex aula domum redire; ei ipſe obviam, et [α] [f] Levius Benearni praeſes cum IↃ CCC equitibus proceſſere: cumque per [g] Caumontium iter haberet, [h] Memius ad illam venit, et, quae Proteſtantium in provincia conditio ſit, exponit: venturus et ad illam erat officii gratia Buria; ſed ab uxore [i] Bellavillae, qui cum Condaeo [k] Aureliani erat, ſorore revocatus miſit, qui intermiſſum officium negotiorum ingruentium magnitudine excuſaret; monuitque, ut in promovenda Proteſtantium cauſa ſibi temperaret; alioqui, ſi quid moliretur, fore ut Hiſpanos Benearnum introducat; ſic enim in mandatis habere. Tunc et conſilium de Burdigala occupanda detectum et irritum fuit. Genulliaci Valliaci, qui majori arci, cui Tubae nomen, praeerat, legatus, Proteſtantium cauſae favens eadem ſecum ſentienteis pleroſque praeſidiarios penes ſe habebat; qui, re cum oppidanis communicata, in eam ſententiam venerant, ut nocte media inter VII et VI Kal. Quintil. Duracium admitterent, et ſigno tormenti diſploſione dato conſcios, qui in urbe erant, capiendorum armorum tempus inſtare admonerent. [l] Pardillanus Puchius Valliaci ſororius [m] viam galeri rubri, quae latiſſima eſt, occupandam ſumpſerat; cui [n] Auroſius occurrere debebat: et jam [o] Salignacus urbis decurio Carmelitarum viam inſederat, cum Valliaci legatus, ſive quod animo linqueretur, ſive quod mutaſſet, Duracium cum ſuis advenientem excludit, rem detectam et arcis claveis penes praefectum eſſe reſpondens: ſtatimque Buria et Noallius, qui de conſilio reſciverant, arma expediunt, et civibus ipſi ſe duces praebent. Nihilominus Puchius, non expectato ex arce ſigno, neque adeo Duracii adventu, ad condictam horam prodiens, Salignacum et Auroſium per [p] Strigilem hominem ſtrenuum monet, ut centurionibus ac decanis ſuis rei conficiendae tempus adveniſſe denuncient. Verum Auroſius ac Salignacus, cum nullam ſpem viderent, periculum veriti, primi ſe receperunt: Puchius cum XII ex nobilitate, cum fruſtra portam, quae portum ſpectat, et turrem ei imminentem occupare tentaſſet, ut illac venientem Duracium exciperet, ipſe ſe quoque cum ſuis recipere coactus eſt; tanto pavore civibus relicto, ut tota ea nocte ad mediam uſque diem inſequentem, rem potius dilatam quam omnino omiſſam rati, nihil moliri auſi ſint. Buria ipſe, qui res ad moderationem reducere cuperet, aequum ſe utrique parti pollicitus ſuos continuit. Conſcii interea et alii, qui ob religionem ſuſpecti erant, evadunt; ſeque ad ſuos recipiunt. [q] Coderetum ad Girondam uſque proceſſerat Duracius cum CIↃ CC delectis; unde impoſito in navigia milite [r] [β] Cadilliacum poſtridie venerat, nec ulterius progredi potuerat: cumque ibi de conatu irrito cognoviſſet, [s] Candalae comitem Buriae auxilio proficiſcentem intercipit, cumque in reginae Navarrae manus tradit, monito Buria, ne quo Proteſtanteis ob tumultum Burdigalenſem maleficio afficeret; ſi faceret, pari ſe jure in Candalam uſurum minatus. Interea [t] Monlucius et Terrida V Kal. Quintil. [v] Neraco fruſtra tentato, quod a IↃ C praeſidiariis continuo excurrentibus tenebatur, circa Aginnum obequitabant.

VAR. LECT. [α] Levius Daudous *MS. Samm.* [β] Cadillacum *D. f.*

INTERPR. [a] *de Noailles, capitaine du Chateau du Ha.* [b] *de Genouillac, ſieur de Vaillac, capitaine du Chateau Trompette* [c] *Bourdeaux* [d] *Symphorien de Durfort, ſieur de Duras.* [e] *la reine de Navarre.* [f] *de Levis, ſieur d'Odaux, Governeur de Bearn* [g] *Caumont* [h] *le ſieur de Memy.* [i] *de Belleville.* [k] *Orleans.* [l] *de Pardaillan dit de Puch.* [m] *la rue du Chapeau rouge.* [n] *le capitaine d'Auros.* [o] *Salignac, jurat de Bourdeaux.* [p] *l'Eſtrilles.* [q] *Coderet ſur la Gironde.* [r] *Cadillac.* [s] *Candale.* [t] *de Monluc & de Terrides.* [v] *Nerac.*

obequitabant. Duracius vero, Candala capto, cum totam eam [a] regionem, quae inter [b] Duranii et Garumnae aeſtuaria poſita eſt, veluti rebus ſuis maxime opportunam in poteſtatem redigere cuperet, [c] Macarii ſanum tendit; unde ab oppidanis excluſus, denegato etiam commeatu, vim parat, locoque non ſine ſanguine potitur, [d] Rolandi Valentis Marmandae paſtoris inibi occiſi mortem ultus; Burdigalenſi plebe interim haud mediocriter ob panis penuriam fremente, quam ut placaret ſenatus, P. [e] Novocaſtrenſem et N. Grenaeum paſtores poſt ſeditionem captos ſupplicio affecit. Verum imprudentia [f] Davazani, qui Neraco per praefecti abſentiam praeerat, magnam jacturam oppidani accepere: is temere cum IↃ egreſſus Monlucium una cum [g] Thermi ac Salvii alis, [h] Maſſeo et Charrio, ac Bardachino Vandalicarum reliquiarum duce, prope [i] Caſtrum vetus obvium habuit; ab iiſque oppreſſus, ſuperato ad [k] Galteriam colle, poſt exiguum certamen in equo ante peditatum cum aliquot aliis vulneratur; dumque ſe recipit, ſolutis ordinibus omnes ſui in fugam vertuntur: pars in caeduam ſilvam propinquam; pars in [l] Baliſam amnem, qui Neracum dividit, praecipitata; ſed longe maxima a milite interfecta eſt: nam CL, qui rem extenuant, in eo conflictu deſideratos memorant: Monlucius IↃ occiſos ſcribit. Eo caſu territi oppidani locum deſerunt, et [m] Benearnum cum liberis et uxoribus concedunt.

III. Neraco a Monlucio impoſitus Carolus [n] Bazo ex Navarri nobilibus, ſed a Proteſtantium cauſa ſumme alienus. [o] Caſtrogeloſio, quod mox deditum eſt, itidem [p] Santaralius praepoſitus eſt. [q] Portum S. Mariae [r] Salla tenere juſſus. Interim Monlucius [s] Burdigalam venerat, [ſ] Regulae ad Garumnam, quae a [t] Dimeto tenebatur, in itinere obſidione ſoluta: qui propter penuriam laboranti urbi non alia ratione ſuccurri poſſe ratus, quam ſi [u] Duracium intermarina regione dejiceret, eo mox profectus eſt cum [v] Cancone, Monſerrando, Cuiraco et Duzae vicecomite; aſſumpto etiam Candalae comite, qui fidem Navarrae reginae dederat, qua eum Monlucius propria auctoritate ſolvit: et cum ad [w] Suavienſe coenobium veniſſet, ibi Buriam cum peditatu ac tormentis venturum opperiri ſtatuit; ſed ſerius tranſmiſſo Garumna, nox tota et major diei ſequentis pars fruſtra expectando exacta eſt: impatiens morae Monlucius [x] Targonem uſque in [y] Benaugienſi comitatu progreditur. Inde praemittit [z] Santaurentium et [aa] Fontenillium, qui primo impetu occiſis circiter XIIII hoſtem ad certamen elicerent; tum explicato peditatu, in planitie ſecundum rivulum ita equitatum collocat, ut a ſilva ac vepretis interjectis tegeretur. Dein inter duces conſultatum, an, non expectato Buria, pugna committeretur: et periculum ſubeſſe nemo non videbat; ſed deficientibus ſeu metu ſeu factione paſſim oppidis aliquo operae pretio collapſam famam et exiſtimationem erigi atque inſtaurari Monlucio placebat; in eamque ſententiam cum [bb] Signanus Monlaureus veteranus dux veniſſet, etiam non exſpectata Thermi ala, quam Maſſeus ducebat, Monlucius in duo agmina equitatum dividit; quorum unum [cc] Monlucio filio ac Fontenillio attribuit cum Santaurentii ſcloppetariis equitibus, alterum ſibi cum [dd] Clermontii ſcloppetariis ſervavit, praemiſſo Charrio, qui per anguſtum iter utrinque vinetis cinctum in hoſtem vaderet: quo pertranſito, ultimos aſſecuti Monluciani impetum inde in equitatum, inde in peditatum faciunt, qui in vicinam ſilvam foſſa cinctam ad laevam mox ſe recepit, diffugiente paſſim equitatu et Duracium turpiter deſerente. Joannes Memius,

INTERPR. [a] *le pays d'entre deux mers.* [b] *la Dordogne & la Garonne.* [c] *St. Macaire.* [d] *Roland Vaillant, miniſtre de Marmande* [e] *Neufchaſtel & Grené.* [f] *Dovaſan.* [g] *de Thermes & de Salvy.* [h] *les capitaines Maſſes, Charry, & Bardachin.* [i] *Caſtel viel* [k] *la Gatherie.* [l] *la Baiſe.* [m] *Bearn* [n] *un Italien nommé Carles de Bazon apoſtat, eſcuyer de l'eſcuyerie de la reine de Navarre.* [o] *Caſtel-jaloux.* [p] *de Santrailles.* [q] *le port Ste. Marie.* [r] *le capitaine la Sale.* [s] *Bourdeaux.* [ſ] *la Reole ſur Garonne.* [t] *Deimet* [u] *le ſieur de Duras.* [v] *de Caucon, de Montferrand, Curac, & le vicomte d'Uza.* [w] *abbaie de la Seauve.* [x] *Targon.* [y] *de Benauges.* [z] *de Tilladet, ſieur de St. Orens.* [aa] *de Fontenilles.* [bb] *de Signan* dit *le capitaine Monlaur.* [cc] *Pierre Bertrand de Montluc* dit *le capitaine Perrot.* [dd] *le ſieur de Clermont.*

[a] Memius, armis in proximam foſſam abjectis, ignominioſa fuga periculo ſe eripuit; nec deinceps in caſtris conſpectus eſt. Diverſa fama pugnae fuit, cum utrique ſe viciſſe ac loco, in quo proelium commiſſum eſt, potitos jactarent: Duraciani ſe quidem numero inferiores dicebant, tamen, vix deſideratis XXX ex ſuis, ex hoſtibus ad CCC occidiſſe: Monlucius vero non amplius CL equites penes ſe habuiſſe ſcribit, quorum equi tantum vulnerati ſint, [b] Vignatio in certamine et tribus aliis poſtea ex vulneribus deſideratis; et [α] CCC quidem ex Duracianis interfectos; [β] C et amplius inter vineta et in amne ſubjecto periiſſe; ceterum eam victoriam magnum ad confirmandos nobilitatis in ea provincia animos momentum attuliſſe. Ut ut ſit, conſtat Duracium caſu perculſum de receſſu ſtatim cogitaſſe; eoque conſilio [c] Fidii fanum in Petrocoriis, et inde [d] Bergeracum, ac mox [e] Tonneſium veniſſe; ubi acceptis [f] Malovicini Moncrabelli duobus ſignis in [g] Labretano agro recens ſcriptis [h] Caumontium ad reginam Navarrae contendit, ut quid ſpei, quid item ſibi in poſterum agendum eſſet, ex ea plenius intelligeret. Tum reflexo itinere in Aginnenſeis et Cadurcos proficiſcitur, [i] Puchio et Pardillano fratribus, [k] Leſcurriis Saviniacis item, qui tres erant, fratribus [l] Burgum ad Duranium miſſis, qui copias [m] Marennenſi inſula, ductore Jacobo [n] Pontio Mirambello, ſummiſſas adducerent. Ii tentato [o] Liburno et Blavia, ut Monlucium et Buriam ab inſequendo averterent, fruſtra fuere. Ex iis grandior natu poſtea, nequicquam tentata [p] Villafranca in Rutenis, cum [q] Granum oppido vicinum caſtellum cum C delectis inſediſſet, ſtatim in eo obſeſſus, praeciſis aut inſectis fontium ductibus, penuria aquae deditionem facere compulſus eſt Eidibus Decembribus, his conditionibus; ut ipſe cum aliquot ex nobilitate in armis exiret; miles vita ſalva ſed armis relictis dimitteretur: ſed cum, ruſticorum metu, an a quibuſdam occaſionem quaerentibus perſuaſus, arma ſaccis inter impedimenta occultaſſet, re detecta, quaſi primus pacta violaſſet, cum ſuis fere omnibus occiſus eſt; ab eoque tempore Granenſis fides illis locis, ſicut olim Punica, in proverbium abiit. Interea Duracii diſceſſu [r] Marmanda Buriae deditur: cujus exemplum ſecutum [s] Macarii fanum, Vaſatum, Villanova in Aginnenſi agro. [ſ] Girondam deinde oppidum fluvio cognominem petunt; quo ſe reliquiae profligati exercitus receperant: LX circiter ſcloppetarii capti, et ad oppidi ſalas laqueo ſuſpenſi ſunt, dictitante Monlucio, majorem hoſti terrorem unius hominis ſupplicio affecti exemplo incuti, quam C in pugna interfectorum ſpectaculo."

IV. INDE haud procul [t] Monſegurium in Vaſatenſi agro ducunt; quod ab IↃCC circiter praeſidiariis tenebatur, loco arduo ſitum ac moenibus firmis cinctum: in quod ab ea parte, quae locum parandis coriis deſtinatum ſpectat, tormenta directa; quorum diſploſione cum murus debilis ante portam objectam corruiſſet, per eam ruinam ſummiſſis ſingularibus militibus tandem a [u] Vinoſo [v] Bardachini ſignifero occupata turre, ex qua raſtrum demittebatur, impetus ad oppidum fit, inopinato caſu perterrefactis defenſoribus atque huc illuc diffugientibus, et per moenia etiam ſaltu evadentibus; quorum plerique a Buria, qui extra erat, caeſi, major pars intra oppidum, nemini fere gratia facta, interfecti ſunt. Id actum Kal. Sextil. Numerati amplius IↃC; inter quos [w] Heraldus ſtrenuus admodum miles, qui loco praeerat, quique ſub Monlucio olim in [x] Subalpinis bellis meruerat, captus; pro quo nequicquam plerique deprecabantur: alii praeterea XX inibi capti laqueo ſuſpenſi ſunt. Triduo poſt Duracium itum; quod praeſidio vacuum ſtatim Buriae deditum eſt, uxore

Duracii

VAR. LECT. [α] paucos *D f. o.* [β] C et amplius inter vineta et in amne ſubjecto periiſſe *deſunt D f. o.*

INTERPR. [a] *le capitaine Jean de Meſmes du Mont de Marſan* [b] *de Vignaux.* [c] *Ste Foy en Perigort.* [d] *Bergerac.* [e] *Tonneins.* [f] *le capitaine Mauvoiſin de Moncrabeau.* [g] *d'Albret.* [h] *Caumont.* [i] *de Puch & de Pardaillan* [k] *les trois freres de Leſcurres Savignac.* [l] *Bourg ſur la Dordogne* [m] *Marennes* [n] *de Pons de Mirembeau.* [o] *Libourne & Blaye.* [p] *Villefranche en Rouergue.* [q] *Château de Granes.* [r] *Marmande.* [s] *St Macaire, Bazas, Villeneufve d'Agenois* [ſ] *Gironde.* [t] *Mauſegur en Bazadois.* [u] *Vinos.* [v] *le capitaine Bardachin.* [w] *Heraut.* [x] *de Piedmont.*

[a] Duracii nuper partu levata, et, loco relicto, [b] Benearnum cum regina Navarrae profecta. In arce repertae CL loricae, et inter milites a Buria diſtributae. Inde diverſi, Buria [c] Burdigalam, Monlucius [d] Aginnum verſus tendit, impoſitis in navigia III tormentis, quae adverſo flumine ſecum devehebat. Quo cognito Proteſtantes [e] Silvium Scaligerum, Julii Caeſaris filium et nunquam ſatis laudati Juſti Joſephi fratrem, ad Duracium legant, opem et conſilium implorantes. Ille miſſis, qui explorarent, an urbs defendi poſſet, cum animos oppidanis feciſſet, [f] Trulla dux lembis devectus cum delecta manu ſuburbium in adverſa fluminis ripa, unde Monluciani eos continuo infeſtabant, a [g] Burgo ductore in ſacello quodam circumventi, cum vix ſe expediiſſent, incendio in ſuburbium, quod ſtatim reſtinctum eſt, immiſſo, retro ceſſere, relictis aliquot e ſuis, qui locum tuerentur. Ii vino, cujus magna inibi copia erat, cum ſe per laſciviam ingurgitaſſent, de inimicis ſecuri, et negligenter excubias haberent, Burgus, quem longe receſſiſſe opinabantur, cognito quod erat, ſtatim nec opinato redit, et vino ac ſomno ſepultos opprimit, ex iiſque LX amplius interficit, aliis in fluvium praecipitatis. Poſtridie quaſi alternante vices fortuna, pari numero ex Monlucianis, qui [h] Leracum occupaturi condicta hora a centurione decepti venerant, intercepti a Trulla, qui inſidias ſtruxerat, ac trucidati ſunt.

V. SECUNDUM haec Proteſtantes, qui Aginnum tenebant, Monſegurii exitio territi, cum ſe ad reſiſtendum impares viderent, urbem deſerendam cenſuere; et IƆ C, traditis decurionum collegio clavibus, ſub veſperam cum uxoribus ac liberis miſerabili agmine egreſſi, cum totam noctem iter feciſſent, poſtridie [i] Turnonum venere, Duracium praeſtolantes; qui [k] * Tonneſio veniens, [l] Penna praeſidio firmata, ejuſque cuſtodia [m] Liurano Burdigalenſi commiſſa, ad eos XIX Kal. Sept. acceſſit, et loco [n] Sanvitum ordinum ductorem cum praeſidio impoſuit. Aginno deſerto, jam ferociente contra Proteſtantium reliquias plebe, Buria cum Monlucio illico advolat; et inde [o] Monflanquino et Villanovae treis equitum alas, ſuam nimirum, Caroli [p] Rupifulcaudii Randani, quam [q] Argentius, et Joannis [r] Scarſii Valliguidonis, quam [s] Carlus ducebat, imponit: qui, mox cognito [f] Bordetum ex [t] Santonibus cum CCC equitibus ac III peditum ſignis adventare, Buriam rei certiorem faciunt, et IƆ pedites ſuppeditari petunt, quibus firmati Bordetum aggredi ſe paratos oſtendunt: ſed ſerius ſummiſſa auxilia, culpa, ut innuit Monlucius, Buriae; qui, ipſe rei intereſſe cum vellet, ne alii rem conficerent, impedimento fuit.

VI. INTER haec Duracius, per [u] Cadurcos itinere facto, [v] Lauſertam cepit XVIII Kal. Sept. ſitu et moenibus firmum oppidum, quippe loco arduo et undique, niſi ab ima parte, qua aditur, praerupto poſitum. In eo erat [w] Braſſacus ex primaria nobilitate et cum eo aliquot alii nobiles; quorum praeſentia inflati oppidani ſuperbis ac contumelioſis verbis Duracianos tranſeunteis laceſſiverant: quibus irritati illi, et [x] Malauſuni proditione eorum interfecti memoria exacerbati, vim faciunt; et per feneſtram clathris refractis intromiſſo milite loco potiuntur, occiſis amplius IƆ; et in iis CLXX ſacro ordini addictis, qui ſe illo contulerant. Quo facto, [y] Antonii fanum in Rutenis, quo mox [z] Marcaſtellus deſerto [aa] Villemurio cum ſuis venit, petunt. Nec multo poſt XIIII Kal. Sept. [bb] Blanacus, Budo et Sanvitus Turnonum deſerunt; et ad [cc] Mirabellum II a [dd] Montalbano leucis cum [ee] Pariſolio conflixere. In eo certamine Sanvitus occubuit; et graviter ſauciatus eſt Pariſolius, amiſſis XII ex ſuis, et ex vulnere intra paucos dies obiit. Interea Buria Aginnum venit; et, relicto in

VAR. LECT. * Tonnentio D. f. o.

INTERPR. [a] *de Duras.* [b] *Bearn.* [c] *Bourdeaux.* [d] *Agen.* [e] *Silve de la Scale.* [f] *le capitaine Trulle.* [g] *le capitaine Bourg.* [h] *Lerac.* [i] *Tournon.* [k] *Tonneins.* [l] *Penne.* [m] *le capitaine Lyouran Bourdelois.* [n] *le capitaine S^te^. Vit.* [o] *Monflanquin & Villeneufve.* [p] *de la Rochefoucaud, ſieur de Randan.* [q] *Argence.* [r] *d'Eſcars de la Vauguyon.* [s] *le ſieur de Carlus.* [f] *Bordet.* [t] *Saintonge.* [u] *Quercy.* [v] *Lauzerte.* [w] *le baron de Braſſac.* [x] *de Moulauſun.* [y] *St. Antonin en Rouergue.* [z] *de Marchaſtel.* [aa] *Villemur.* [bb] *de Blanas & Boudon.* [cc] *Mirabel.* [dd] *Montauban.* [ee] *Pariſols.*

in eo, qui praeeſſet, [a] Landa, ſacri collegii ſodali, ut omnem regionem inter [b] Oltam CIↃIↃLXII.
et Taroim pacatam haberet, [c] Pennam inter omnia aggredi ſtatuit; qua capta Mont- CAROLUS IX.
albanum et [d] Autonini ſanum ſuperabant, et trans [e] Garumnam [f] Lactorate.

VII. Sub id tempus venere in Buriae caſtra III Hiſpanorum ſigna; quibus [g] Ludovicus Carbajacus per Joannis patrui abſentiam, qui x alia poſtea adduxit, praeerat. Huic expeditioni deſtinatus fuerat a Philippo dux Jo. Baptiſta [h] Caſtaldus Neapolitanus, bellis Germanicis et Pannonicis famoſus, cujus ſupra a nobis facta crebra mentio; verum cum is ad Philippi mandatum neceſſaria ſibi comparaturus [i] Mediolanum profectus eſſet, ut inde in Hiſpaniam tranſiret, febre correptus tot adoreis mactam animam jam ſenex Deo reddidit; eo felicior exiſtimandus, quod integra felicitatis, quae in duce ſummo maxime requiritur, fama, nec adverſa fortuna, quam in civilibus noſtris bellis fortaſſe experturus erat, tentatus, e vita demigravit. Oppidum praeſidiarii adveniente Buria deſerunt, et cum oppidanis in arcem ſe recipiunt, ſpatio anguſtam, ſed ſitu et moenibus ac foſſa firmam, et ad quam undique ſaxo inciſo impoſitam per frontem tantum aditus eſt, pomoerio lato et moenibus altioribus defenſam; poſtquam intus foſſam duxerunt. Ad eam partem directa ſunt tormenta; et poſt ccc ictuum diſploſionem diruto muro ſcalae admotae. Stabant pro foſſa in aciem inſtructi praeſidiarii irrumpentium impetum excepturi. Eodem tempore, quo impetus a Vaſconibus et Hiſpanis ſimul factus eſt, Monlucius ad dextram loco notato per foramen obliqua verberatione apertum aliquot milites introducit, qui per gradus enixi in latus defenſores infeſtarent: quo animadverſo illi foſſam deſerunt, et in interius munimentum ſe recipiunt; ex quo poſt trium amplius horarum certamen irruenteis repellunt, et per ruinam praecipitant; ſed reſumptis animis [k] Chartius et Clermontius certamine reſtituto munimentum poſtremo expugnant: quo capto praeſidiarii, amiſſo [l] Liurano tormenti fragmine icto, bipartiti deſcendunt; ad quos contendentibus noſtris per gradus enitendum erat, media inter eos curte, cujus incenſa porta, Charrius per incendium cum ſuis irrumpit, inibique repertas cum pueris mulieres per gradus demittit, quae ab Hiſpanis, eas Lutheranos veſte ſexum mentitos dictitantibus, immaniter occiſae ſunt. Inde ad laevam fit impetus, et capto munimento omnes in eo reperti trucidati, irritato milite ob Charrium et Clermontium quamvis leviter vulneratos. Superabat ad dextram turris ingens expugnatu difficilis, ſed quae viatici penuria, quod in altero munimento ad laevam capto aſſervabatur, ſtatim dedita eſt, defenſoribus vitam ſalvam pactis; qui tamen ab Hiſpanis eadem ſeritate interfecti ſunt, tribus tantum ex ccc, qui in arce omnis ſexus erant, elapſis.

VIII. Quam immanitatem ſtatim contraria immanitate ultus eſt [m] Duracius, [n] Cailo, quod eſt [o] Leviorum oppidum in Rutenis, una cum arce capto, et occiſis in eo cxx ſacerdotibus, odio inter utroſque ob religionem ſupra modum inflammato. [p] Puchius et Saviniaci fratres, quos [q] Burgum a Duracio miſſos diximus, cum in [r] Santones ad [s] Rupifulcaudium comitem veniſſent, retro ad Duracium confeſtim redicre, adducto ſecum [t] Bordeto Rupifulcaudii legato cum LX cataphractis equitibus et cc ſcloppetariis equitibus et II peditum vexillis, Duracio denunciaturi, ut quamprimum in viam ſe daret, Condaeo ad [t] Aurelianum praeſto cum copiis ſuis futurus. Igitur Bordetus, [u] Pontio in fidem accepto, [v] Satyri fanum venit; ubi, cum oppidani haeſitarent, vis facta, et XII ſacerdotum nece ſatiatum militis odium.

Linda

INTERPR. [a] *ayant laiſſé pour gouverneur le Chanoine la Lande.* [b] *le Lot & le Tarn.* [c] *Penne.* [d] *St. Antonin.* [e] *la Garonne.* [f] *Leytoure.* [g] *don Luis de Carbajac.* [h] *Caſtaldo.* [i] *Milan.* [k] *le capitaine Charry, & le baron de Clermont.* [l] *Lyouran.* [m] *le ſieur de Duras.* [n] *Quaslus en Rouergue.* [o] *de Levis.* [p] *de Puch & les freres de Savignac.* [q] *Bourg.* [r] *Saintonge.* [s] *de la Rochefoucaud.* [t] *du Bordet.* [t] *Orleans.* [u] *Pons.* [v] *St. Satier*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

[a] Linda in Petrocoriis temere item reſiſtere auſa eandem fortunam experta eſt. Inde Sarlatum fruſtra tentat Bordetus, amiſſis duobus ex nobilitate, quod admodum graviter tulit. Expilata in itinere [b] Mariae Rupimadaurenſis et Antonii Marcollenſis templa, ad quae plebs frequens veneratione religioſa conveniebat. Tandem [c] Gordonium in Cadurcis pervenit IIII Non. Sept. ibique ſe Duracio et [d] Marcaſtello conjunxit; inter quos conventum, ut quamprimum in Santones deſcenderent, Aurelianum verſus iter facturi: ſed Bordetus damni ſeu injuriae ad [e] Sarlatum acceptae memor pervicit, ut [f] Montalbano tormenta adveherentur; quod eo facilius impetravit, quod urbs ea non ſatis firma videretur, et in ea e provincia decedentes tormenta relinquere deberent. Igitur ſimul omnes VIII Eid. Sept. [g] Cauſſadam veniunt; ubi aliquot ſupplicio affectis, et impoſitis [h] Regali villae, quae ſuum ac Buriae exercitum interjacebat, IIII equitum ſcloppetariorum vexillis ac II peditum, Montalbanum petunt; exercitus mox ſecuturi cura Rupifulcaudio, [i] Caldomontano, Santerminio et Pirrolongo commiſſa. Interea Buria [k] Cadurcorum civitati metuens eo [l] Santaurentium miſerat, qui oppidanorum jam de deſerenda arce cogitantium animos confirmaret: ipſe [m] Moiſſacum proficiſcitur, II colubrinas [n] Burdigala advectas et IIII campeſtria tormenta ſecum trahens; dein relictis Moiſſaci III majoribus machinis Cauſſadam verſus tendens [o] Corneti podium petit, Monlucio ad Mirabellum aſſignato hoſpitio, quod paulo ante Duracius deſeruerat. Tum inter duces conſultatum, an Cauſſadam aggrederentur; et quia res periculi plena videbatur, non tentari placuit: id cum non impetraret Monlucius pugnandi auctor, quod proximum erat, tenuit; ut cum exercitu inſtructo in planitiem deſcenderent, quo de hoſtium viribus certius cognoſcerent, et ſui, ſi fors ferret, ordinem quo pugnaturi eſſent inde addiſcerent: ſed veritus Buria, qui cognitum Monlucii ingenium haberet, ne diſſimulatio illa in ſerium certamen deſineret, mutavit, ac ſuos, ne deſcenderent, prohibuit. Monlucius tamen cum aliquot amicis, quos contra Buriae imperium ſecum adduxerat, progreſſus, medio rivo interjecto conſedit, levibuſque tantum excurſionibus certatum eſt. Scripſere Proteſtantes, Monlucium, cum Buria pugnare vellet, certamen detrectaſſe: ſed vero propius eſt, Monlucium hominem natura ferocem et [p] Targonis ſucceſſu, quo hoſtium animos periclitatus fuerat, elatum, et alioqui privato odio incenſum pugnam maluiſſe; Buriam contra, jam ſenio effoetum, et innata prudentia cunctabundum, cum totam provinciae ſalutem unius proelii aleae committi minime tutum exiſtimaret, Monlucio aſſentiri noluiſſe. Inde diſcedentes Duraciani in [q] Liberonis amnis tranſitu magno periculo conflictati ſunt, ac deinde ad [r] Palumbanum lucum haud longe a Montalbano, quo eos Monlucius cum CC equitibus aſſecutus aliquot de extremo agmine interceptos occidit. Eodem tempore [s] Columbarius ab epiſcopo Montalbanenſi deductus cum XXC equitibus [t] Nigrapellicium oppidum intercipit ac diripit, fruſtra auxilio ſupervenientibus Montalbanenſibus, et, dum re infecta domum redeunt, in itinere male mulctatis. Secundum haec aliquantum in urbe tumultuatum eſt, cum Marcaſtellus et Duracius cum XXII ſignis peditum ac XVIII vexillis equitum veniſſent, quae VIII CIↃ armatorum efficiebant, et tormenta ac bellicum omnem apparatum inde deducere decreviſſent: oppidani tamen, licet viribus impares, renuerunt, ut duces ante diſceſſum ſuum vicina caſtella, [t] Piececocum, Pariſolium ac Monbetonum, quae latronum ſpeluncas vocabant, in poteſtatem redigerent; et Monbetonum quidem itum, quod [u] Bazordanus tenebat, a quo Duraciani gnaviter repulſi ſunt.

IX. POSTRIDIE

INTERPR. [a] *la Lynde en Perigort.* [b] *noſtre dame de Roquemadour, & S. Antoine de Marcolles.* [c] *Gourdon en Quercy.* [d] *Marchaſtel.* [e] *Sarlat.* [f] *Montauban.* [g] *Cauſſade.* [h] *Realville.* [i] *les capitaines Chaumont, St. Hermine, & Pierrelongue meſtre de camp.* [k] *Cahors.* [l] *le ſieur de St. Orens.* [m] *Moiſſac.* [n] *Bourdeaux.* [o] *Puycornet.* [p] *Targon* [q] *le Laveron.* [r] *au bois dit le Ramier.* [s] *de Colombieres.* [t] *Negrepeliſſe.* [t] *Piqueeos, Pariſols, & Monbeton.* [u] *le capitaine Bazourdan.*

IX. Postridie xviii Kal. Oct. ad [a] Montalbanum rurſus Buria caſtra ponit CIƆIƆLXII.
trans [b] Tarnim in ſuburbio, cum ix cataphractorum equitum alis, xxix peditum CAROLUS IX.
ſignis ac iii Hiſpanorum, v item majoribus tormentis, iii colubrinis et v mediis: tumque acriter certatum pari damno. Sequenti die item acriter pugnatum, ac xxc Hiſpani, qui molattinas incenderant, ad unum omnes eruptione a praeſidiariis facta trucidati ſunt. Dein eductae in aciem a [c] Pirrolongo et Vernada copiae; ſed nequaquam certatum: nam Monlucius ſe continuit: ac demum xv Kal. Oct. obſidio ſoluta eſt, amiſſis ex Buriae exercitu circiter IƆ, ex oppidanis haud amplius xxx. Repetitum dein conſilium inter duces de deſerenda urbe; tandemque [d] Bordetus ii ſigna et muraleis ii machinas inde deducit, Laboria tantum in urbe relicto; quod Buriae eandem obſidionem denuo tentandi occaſionem praebuit. Interea Duracius [e] Marcuam in Cadurcis venit, epiſcopi arcem; in qua ipſe captus, et lanienae Cadurcenſis auctor creditus parum a periculo abfuit, quod exſolutis duobus aureorum millibus redemit; viri nobilis etiam gratia adjutus, qui ejus filiam notham uxorem duxerat.

X. [f] Aginno in fidem accepto, [g] Lactoratum ſuperabat, ex quo praeſidiarii continuis excurſionibus provinciam infeſtabant; idque admodum Monlucio moleſtum erat, [h] Stillaco et Sampoio arcibus vicinis ſuis metuenti. Ii [i] Salvetatum Gaurae et [k] Larromienum, occiſis in eo pleriſque ſacerdotibus, ceperant; ac poſtremo [l] Taraubam vi Eid. Sept. poſt acre certamen, in quo xl ex iis, qui locum tenebant, occiſi, et arcis dominus captus fuerat. Eo Monlucius, ab [m] Auſcis, Condomenſibus et Florentiae oppidanis rogatus, [n] Petrum filium mittit, et cum eo [o] Candalae comitem, [p] Canconem, Monferrandum, Guitinerium et Parronem ſecum [q] Pordeaci cohortem ducentem; cui per abſentiam ducis ex vulnere ante Lactoratum accepto decumbentis, [r] Rupijordanus praeerat. Ubi Petrus Florentiam venit, cognito [s] Bugolium [ſ] Oſſunii ſororis filium, qui Lactorato praeerat, cum ccc praeſidiariis urbe egreſſum eſſe, ut Joannem [t] Memium [u] Be[illegible]arno cum IƆ auxiliaribus venientem ad [v] Aquam-tinctam vicum exciperet, [w] Baranovio negotium dat, ut cum ſua peditum cohorte iter medium inter Lactoratum et Taraubam inſideret. Ipſe mox eo proficiſcitur: id Bugolio, qui Monlucii cognito conſilio jam ſe in viam dederat, ut, quando ſe cum Memio conjungere non poterat, Lactoratum repeteret, aditum intercluſit, et Taraubam propere redeundi neceſſitatem impoſuit; ubi continuo Petrus eum obſedit, monito patre, ut cum tormentis accurreret: nam omneis Lactorati praeſidiarios loco debili et commeatu omni deſtituto incluſos eſſe, ipſoſque Bugolios fratres, quos ſi in poteſtatem redigat, proculdubio Lactoratum milite vacuum mox ſui juris effecturum. Dum copia a Buria impetrata cum [x] Clermontio et Ortobio ac Fredevilla, qui iii tormenta ſecum trahebant, Monlucius ad filium properaret, jam xi Kal. Oct. Bugolius victus penuria deditionem facere cogitur, vitam ſalvam ſuis pactus; qui ademptis armis et omni re ſpoliati in coenobium confeſtim tanquam in acervum conjecti ſunt, ruſticorum metu egredi non auſi. Quo intellecto, Memius qui ad [y] Baliſam uſque proceſſerat, Bugolium praeſtolans, [z] Rupembrunam conceſſit; ubi a [aa] Goa et quibuſdam ex nobilitate ac ruſticis obſeſſus, amiſſis aliquot ex ſuis, Benearnum, unde venerat, conceſſit. Ii ſucceſſus animos Monlucio fecere, ut Lactoratum ſibi ducendum exiſtimaret; cui, capto Bugolio, praeerat [bb] Brimontius ex vulnere ad Taraubam accepto adhuc debilis cum c armatis ex omni numero ac genere. In exercitu Monlucii erant vi ſigna peditum, iii Hiſpanorum,

INTERPR. [a] *Montauban.* [b] *le Tarn.* [c] *de Pierrelongue & la Vernade.* [d] *du Bordet.* [e] *Marcues en Quercy.* [f] *Agen.* [g] *Leytoure.* [h] *Stillac & Sampoy.* [i] *la Sauvetat de Gaure.* [k] *le Larromien.* [l] *Taraube.* [m] *Auſch, Condom, & Fleurance.* [n] *le capitaine Perrot.* [o] *Candale.* [p] *Cancon, de Monferrand, Guitinieres, & Parron.* [q] *le baron de Pourdeac.* [r] *la Roquejourdan.* [s] *le capitaine Bugoles.* [ſ] *d'Oſſun* [t] *le capitaine Meſmes.* [u] *Bearn.* [v] *Aigue-teinte* [w] *de Baretnau* [x] *de Clermont, d'Ortobie, & de Fredeville.* [y] *Baiſſe r.* [z] *Roquebrune en Armagnac* [aa] *de Goaz.* [bb] *le ſieur de Brimont.*

CIƆIƆLXII.

CAROLUS IX.

Hiſpanorum, complures cataphractorum equitum alae, innumera item ruſticorum undique accurrentium multitudo, IIII campeſtria tormenta et III murales machinae ab [a] Ortobio nuper advectae. VI Kal. Oct. ex colle, qui fontem religione antiqua ſacrum ſpectat, directa tormenta; et, muro poſt CCC ictuum diſploſionem dejecto, a Monlucio filio cum [b] Clermontio, Pordeaco et Candala ipſo delectaque nobilitate per ruinam fit impetus: eodemque tempore Monlucius parens ad propugnaculum, quod per latus in ruinam ictus dirigebat, ſcalas admovet, ne in ruinam enitentes a propugnaculi defenſoribus infeſtarentur. Superata ruina, reſtabat foſſa, quam poſt pomoerium praeſidiarii duxerant, in eaque pulveris tormentarii decipulam ſubſtraverant, in quam igne immiſſo irrumpentes flammis haurirentur. Nec ſpe falſi ſunt: nam ignem concipiente pulvere pars hauſti, ceteri periculum veriti retro in ruinam revolvuntur, deſideratis pleriſque; et in iis [c] Rupio duce ſtrenuo, cujus virtutem Monlucius ſupra modum extollit. Poſtridie, dum de transferenda verberatione deliberatur, Ortobius heſternam pulſationem perſequens in ſemore vulnus ex falconis ictu accepit, ex quo biduo poſt deceſſit; quod ſecundum Rupii mortem Monlucium ſummopere conturbavit: coeptum nihilominus colloquium, et, dum obſides utrinque dantur, imprudentia ſeu perfidia praeſidiariorum diſploſi in Monlucianos ſcloppetorum aliquot ictus: rem ut temere et injuſſu ſuo factam excuſavit Brimontius, et unum ex iis comprehenſum ſtatim ad muri pinnas in Monlucii conſpectu laqueo ſuſpendi juſſit: quo facto, cum obſides in eo eſſent, ut in urbem ingrederentur, rurſus diſploſi aliquot ictus, occiſis aliquot ex Monlucianis; et in iis [d] Caſtello homine nobili: qua re irritatus Monlucius, cum id eo conſilio factum crederet, ut ipſe quoque ſi acceſſiſſet peteretur, [e] Verduſſano alae ſuae ſignifero, obſidi delecto qui periculum mortis adierat, negotium dat, ut [f] Taraubam profectus deditos, quibus fidem Petrus dederat, in tantae perfidiae ultionem ad unum omneis interficeret: quod ille ſedulo exſecutus eſt. Tractique ex coenobio alii poſt alios fere quaterni ac ſimul alligati, et enſium, haſtarum, pugionum ictibus, incenſis ad majus ludibrium ab efferato milite pleriſque genitalibus, confoſſi ſunt, et in puteum profundum acervatim praecipitati. Numerati in illa laniena CCXXV: XL ſervati, ex quibus pretium miles ſperabat; verum ex his rurſus VI interfecti et II laqueo ſuſpenſi. [g] Bugolii fratres in caſtra deducti cum aliis duobus, qui duo mox ad nucem proximam ſuſpenſi ſunt. Bugolii ne eandem fortunam experirentur, in cauſa fuit patrui reverentia, cujus contemplatione Monlucius iis tandem pepercit: quod ſuſpicionem auxit, Bugolios, quippe qui Proteſtantium doctrinae minime addicti eſſent, in occulto antea cum Monlucio conveniſſe, eoque conſilio praeſidium omne oppido eduxiſſe, colore quaeſito [h] Memii excipiendi; cumque ſe recipere potuiſſent, Taraubae ſubſtitiſſe, et ita ſocios manifeſto exitio objeciſſe, iiſque deletis, [i] Lactoratum defenſoribus vacuum hoſti prodidiſſe. Id a ſuſpicacibus hominibus et omnia perverſe interpretantibus perſcriptum eſt; contra tradente Monlucio, ſe initio de iis pari ſupplicio, et in Lactorati conſpectu, ut terrorem obſeſſis injiceret, afficiendis conſilium cepiſſe; ſed poſtea, eo, quem dixi, reſpectu revocatum, mutaſſe. Tandem [k] Brimontius, ab oppidanis exoratus et reginae Navarrae de urbis excidio veritae literis monitus, de cetero quid Taraubae geſtum eſſet ignarus, colloquium repetit VI Non. Oct. et in has conditiones cum Petro convenit; Ut ipſe ac ſui explicatis ſignis et tympanis pulſantibus cum impedimentis exirent, et incolumes ad [l] Benearni uſque limitem deducerentur; praeteritorum oblivio ſanciretur, neque oppidanis ob ea moleſtia aut periculum crearetur; in privatis cujuſque aedibus preces facere more inter Proteſtanteis recepto liceret; captivi omnes, qui Taraubae et [m] Florentiae attinerentur

INTERPR. [a] *d'Ortobie.* [b] *les barons de Clermont & de Pordeac, & le comte de Candale.* [c] *la Roque.* [d] *le ſieur de Caſtels.* [e] *de Verduzan.* [f] *Taraube.* [g] *Bugoles* [h] *le capitaine Meſmes* [i] *Leytoure.* [k] *de Brimont.* [l] *Bearn.* [m] *Fleurance.*

attinetentur (id ab ignaro quid Taraubae accidiſſet additum) ſine pretio incolumes CIↃIↃLXII.
dimitterentur. Quae omnia ſincere ac religioſe a Monlucio jam placato et expleto CAROLUS IX.
Taraubenſi laniena odio obſervata ſunt, pleriſque conditionum aequitatem et ejus fidem mirantibus; quod ita alii interpretabantur, quaſi Monlucius vereretur, ne, ſi diutius in obſidione haereret, Buria in caſtra adveniret, et ei expugnationis gloriam praeſentia ſua praeriperet. Monlucius ſcribit, Buriam monuiſſe ipſum, ut, niſi intra biduum urbe potiretur, obſidione ſoluta ad ſe quamprimum veniret; nam ſe [a] Duracio viribus imparem, cccc Hiſpanis nuper ſeditione excitata, quod illis uſitatum eſt, a ſignis dilapſis et in Hiſpaniam iter ingreſſis. Ad eos paulo ante Monlucius Fr. [b] Durfortium Baiomonrium cum literis miſerat; quibus ſignificabat, in eo res eſſe, ut ad [c] Lactoratum tota [d] Aquitania munitiſſimam urbem impetus quamprimum fieret; rem nolle ſe ſine ipſis aggredi, quippe quos velit decori tanto participare. Id homines, quos fruſtra antea precibus tentaverat, laudis avidos ab conſilio priore revocavit; qui tamen in tempore advenire non potuerunt, urbe jam dedita. Poſtea interventu Monlucii cum ducibus ſuis reconciliati ſunt. Secundum haec miſſus ab exercitu [e] Santaurentius, qui [f] Cadurcenſes is Duracii adventu territos confirmaret, et civitatem tueretur. Captum interea ſeu vi ſeu aſtu a Petro Monlucio [g] Caumontium, munitiſſimum caſtellum [h] Garumnae impoſitum; quo plerique ac foeminae nobiles inprimis ſe receperant: direpta eorum bona; parcitum tamen Caumontii ſupellectili, quamvis non ita bene Caumontio cum Monlucio patre conveniret. Id multo ante factum narrat Monlucius, atque adeo ante Taraubae et Lactorati expugnationem, memoria, ut puto, lapſus; cujuſmodi aliquot memoriae errata in eo deprehendas.

XI. [α] INTEREA regis exercitus, cum v Non. Sept. [i] Avarico moviſſet, miſſo [k] Santandreano, qui [l] Andelotum cum Germanis auxiliatibus venientem impediret, magnis itineribus in [m] Neuſtriam tendit; ubi [n] Villabonius [o] Tancarvillam obſederat: quam tamen, inde [p] Franciſcopoli inde [q] Rotomago ſummiſſis auxiliaribus, ſolvere coactus eſt. Triremis vero, quae auxiliarcis Rotomagum portabat, cum ad [r] Caudebecum confligens multum damni accepiſſet et intuliſſet, in reditu [s] Quillebovii, quod eſt in [ſ] Sequanae aeſtuario cubiti inſtar curvatum receptaculum, ad quod navigia appellere neceſſe habent, magnam ſtragem edidit, occiſis pleriſque et captis XLV omnis generis tormentis, majorem partem ferreis, duobus inſuper armatis navigiis abductis, ac bireme, et una incenſa: quo in conflictu praecipua [t] [β] Confluentii virtus fuit. Secundum haec Rotomagenſes poſt [u] Morvillerii diſceſſum [v] Villariam arcem juxta [w] Barentinum capiunt; et ſcriptum, quo innocentiam ſuam contra ſenatus, qui tunc [x] [γ] Lupariae erat, [δ] decretum tuebantur, publicant, una cum appellationis libello: et, XV dierum inducias cum [y] Aumalio pacti, CXX auxiliateis [z] Dieppa, et Franciſcopoli XII tormenta cum pulvere et pilis accipiunt. [aa] Bricomotius jam ante in urbem venerat, et urbanas copias publica pompa luſtraverat; in eo jam partes praefecti ſibi ſumens: quod [bb] Mongomerius ad id a Condaeo deſtinatus initio indigne tulit; parumque res ab exitioſa inter ipſos contentione abfuit. Sed tandem Bricomotius, qui ad maturanda Anglorum auxilia miſſus fuerat, urbe diſceſſit; et Mongomerius eam XV Kal. Oct. ingreſſus eſt, cum CCC equitibus; qui, ubi venit, [cc] S. Catharinae munimentum novis operibus firmat, constructo infra illud ad Michaelis

VAR. LECT. [α] Nunc ad regium exercitum longo ex intervallo tandem redeundum eſt; qui cum v Non &c. *D. f.* [β] Conſolantii *D. f.* [γ] Luparu *D. f.* [δ] decretum, de quo ſupra diximus *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le ſieur de Duras.* [b] *de Durfort, ſieur de Bajaumont.* [c] *Leytoure.* [d] *Guienne.* [e] *le ſieur de St Orens.* [f] *ceux de Cahors.* [g] *Caumont.* [h] *la Garonne.* [i] *Bourges* [k] *le mareſchal de St. André* [l] *François de Coligny, ſieur d'Andelot.* [m] *Normandie* [n] *d'Eſtouteville, ſieur de Villebon* [o] *Tancarville.* [p] *Havre de Grace.* [q] *Rouen.* [r] *Caudebec.* [s] *Quillebeuf.* [ſ] *la Seine.* [t] *le capitaine Confolant* [u] *le ſieur de Morvilliers* [v] *Villars.* [w] *Barentin.* [x] *Louvier.* [y] *le duc d'Aumale* [z] *Dieppe.* [aa] *de Briquemaut.* [bb] *le comte de Montgomery.* [cc] *fort Ste Catherine*

Michaelis fanum alteto munimeoto, qnod Mongomerianum dictum eſt: inde excurſionibus vicina loca direpta; et in iis odio domini [a] Cletium et Limezii coenobium: corruptae et [b] Datnetalii molatrinae, et [c] Blanvilla ac Menilium Leooardi incenſa, commeatu, qui in iis erat, ptius in urbem comportato.

XII. Sub id foedus cum Angla initum eſt [d] Hamptoneutiae, his conditionibus; ut ipſa VI CIƆ militum io Franciam tranſportaret; quorum III CIƆ ad [e] Ftanciſcopolim cuſtodiendam ſub regis nomine, quo fidis tegis ſubditis ob religionem expulſis tutus ad eam teceptus eſſet; III CIƆ ad [f] Rotomagi et Dieppae deſenſionem mitterentur, ſalva praeſectorum, magiſtratuum et aliorum regis miniſtrorum, quamdiu Angli in iis eſſent, auctoritate et dignitate. Conventum item, ut regina CXL CIƆ aureorum in belli ſumptus Condaeo commodatet; [α] et is viciſſim Franciſcopolim illi permitteret, ut militibus ex Anglia in terram Ftancicam exſcenſiooem facieotibus receptus eſſet; qui et Rotomagi ae Dieppae tanquam amici exciperentur. Addita foederi ſolennis clauſula; ut nullum his cooventionibus praejudicium juri, quod Anglae in [g] Caletum competit, factum intelligatur. His actis, [h] [β] Portſmoutha ſtatim partem auxiliarium copiarum duce [i] [γ] Poioingo ſolvere jubet Eliſabetha, quae Franciſcopoli a [k] [δ] Bellovaſio perhumane acceptae ſunt; pars duce [l] [ε] Dotmero, cum diu ad [m] Riae portum ſubſtitiſſent ventum commodum expectantes, ſetius Dieppam appulere, a [n] Fortio et Brieomotio itidem honorifice acceptae; quas aliquanto poſt et ſerius eum ceteris [o] [ϛ] Warwiei comes ſubſecutus eſt. Eodem, quo foedus ictum eſt, die, hoc eſt XII Kal. Oct. Eliſabetha diploma emiſit, Anglis conjunctim et Francis inſcriptum; quo conſilii ſui in ſummittendis auxiliis, ne ſecus illud malevoli interpretarentur, rationem exponebat; id factum dictitans, ut provineiam vieinam ab oppteſſione vindiearet, rege pupillo et in ea aetate conſtituto, in qua tebus ſuis ſupereſſe non poſſet: ad haec, regina parente Guiſianorum factione oppreſſa, et, nti nuper Scotorum regnum, ſic Ftaneorum ae regis dignitatem ac libertatem tuendam ſuſcipetet; cujus amicitiam colere, et omni ope fideleis ejus ſubditos piam doctrinam profeſſos ab injuria aſſerere, in animo habeat. Idem mox fuſiore [ζ] ſcripto, ſed non ſuo oomine edito, praeſtitit, repetita ptaeteritorum memoria. Cumque Paulus [p] Foxius vir ampliſſimus, nec minus iogenio, ptobitate ac doctrina, quam oatalium ſplendore illuſtris, qui tune oratorem apud Eliſabetham agebat, ab ea regis nomine contenderet, ot [q] Carnutum vice-dominus, Robertus [r] Haius et alii, quos foederi ſubſcripſiſſe reſeiverat, tanquam perduelles ae patriae proditores juxta pacis inter reges nuper factae leges ſibi dederentur, illa non ſolum tecuſavit, ſed datis ad regem litetis factum excuſavit, culpa motuum in turbulenta Guiſianorum ingenia rejecta, qui parentem ejus ac nuper fratrem ambitione ſua in civileis diſcordias praecipitaſſent. Tandem, eum omnes regiae copiae conveniſſent, quae XVI CIƆ peditum, II CIƆ equitum efficiebant, in eo numero non comptehenſis Germanis, [s] Mongomerius, ptaetet Aoglos et oppidanos, IƆ CCC veteranos penes ſe haberet, poſitis ad Rotomagum caſtris IIII Kal. Oct. fecialis in utbem mittitur, qui deditionem regis nomine, qui cum regina aderat, imperaret. Poſtridie ad [t] S. Catharinae pugnatum, ſed cum regiorum damno. Pridie Kalendas Octob. turſus ad S. Hilarii ſuburbium certatum eſt, coque poſt acrem pugnam dejecti Germani. Poſtridie a S. Catharinae

praeſidiariis

VAR. LECT. [α] qui viciſſim Franciſcopolim in ejus ſe manus traditurum recepit, ut militibus, *D. f.* [β] Porteſmuthia *D. f. o. d. Ed. Gen.* [γ] Ponino *D. f. o. d. Ed. Gen.* [δ] Bellovario *D. f. o.* [ε] Dormeſaeo *D. f. o. d. Ed. Gen.* [ϛ] Bervici *D. f.* [ζ] ſcripto, quo eaedem rationes copioſius explicantur; ſed non *D. f.*

INTERPR. [a] *le bourg de Clere & le Monſtier de Limezy.* [b] *Darnetal.* [c] *Blainville & Meſnil Lienard.* [d] *Hampton-Court.* [e] *Havre de Grace.* [f] *Rouen & Dieppe* [g] *Calais* [h] *Portſmouth.* [i] *le chevalier Adrien Poinings.* [k] *Jean de la Fin, ſieur de Beauvoir la Nocle.* [l] *Dormer.* [m] *Rye.* [n] *des Forts & de Briquemaut.* [o] *Ambroiſe Dudley, comte de Warwick, fils aîné de Jean Dudley, duc de Northumberland.* [p] *de Foix.* [q] *Jean de Ferrieres, ſieur de Maligny & vidame de Chartres.* [r] *la Haye* [s] *le comte de Montgomery.* [t] *fort de Ste Catherine.*

praeſidiariis eruptione facta multum damni regii accepere, amiſſo peditatus regii legato; eodemque die [a] Roboreus et Renatus Provana Valſenerius ob ſuſpicionem, uti diximus, in carcerem conjecti, et poſtea innocentes pronunciati, Dieppa [α] venientes Rotomagum cum L equitibus ingreſſi ſunt. Invalidi et qui non habebant unde ſe alerent urbe exacti; reliqui quamvis ſuſpecti ad opera facienda ſervati. Inde toto triduo diſploſi tormentorum ictus ad Mongomerianum munimentum amplius IƆC. Ad Caudebecum item depreſſis in flumen navigiis ſaxis et arena ſaburratis, quae funibus ac catenis invicem ſe colligantibus haerebant, tranſitus obſeſſis, et ad eos Franciſcopoli commeantibus intercluſus videbatur: nihilominus reciprocante aeſtu adjuta triremis, quae Mongomerii uxorem et ejus liberos, ingentem praeterea commeatum, et XII tormenta majora et alia arma portabat, conſerto juxta [b] Bouillam certamine, pertranſiit, et incolumis in urbem uſque delata eſt, IƆC amplius diſploſis ictibus a noſtris exiguo obſeſſorum damno. Intercepti deinde qui nunciabant, Anglos Franciſcopolim perveniſſe, jamque in itinere cum auxiliaribus Germanis Andelotum eſſe, cum quo conjunctus Condaeus ſtatim ad obſidionem ſolvendam advolaturus eſſet. Ex iis nobilis quidam Vaſco a Condaeo miſſus ſecuri percuſſus eſt.

XIII. De Anglorum adventu per XXC Anglos ac Scotos ſupervenienteis obſeſſi cognovere; eoque magis accelerandum rati Momorantius ac Guiſius ad S. Catharinae pridie Non. Octob. impetum omnibus viribus faciunt, cum praeſidiarii continuis eruptionibus fatigati majorem partem ad reficiendas vireis in urbem conceſſiſſent; ſignoque a [c] Ludovico quodam ductore, qui in munimento erat, et in ipſo impetu ab uno ex ſuis occiſus eſt, dato, captum ſuperius munimentum ac mox inferius; et occiſi in iis [d] Confluentius, Buverius et Revella ſtrenui duces. Ex oppidanis CCC, cum auxilio accurrerent, intercepti, partim caeſi, partim in urbem magna cum ſtrage compulſi ſunt, immiſtis regiis, qui ſpe capiendae urbis imprudentius invecti poſtea in ea periere. Captis munimentis, infra ea in montis dorſo II locis tormenta diſpoſita ſunt, ad montem vulgo [e] Hieriehontem dictum, in S. Hilarii ſuburbio, et in vertice collis, qui furcis [f] Brihorelianis ſubeſt; unde regii in frontem ac latera pomoeriis ad ictus apertis protecti ejaculabantur: his [g] Martinvillana porta fere conquaſſata, ſed mox ſubitis operibus refecta. VII Eid. Oct. IƆ Angli ductore [h] Greio ſuperatis [i] Caudebeci obicibus in urbem introducti ſunt, amiſſo navigio commeatu onuſto, quod depreſſum eſt: II alia navigia [k] Tancarvillam retro cedere enacta. Inde perforata Columbaria turris; moxque nocte inſequenti refecta. Demum III Eid. Oct. impetus ab hora X matutina ad VI uſque veſpertinam repetitis vicibus continuatus eſt; in quo ſuſtinendo Scoti et Angli ſtrenuam admodum operam navaverunt, foeminis etiam ad animandos viros contemptum mortis prae ſe ferentibus, et inter ferrum et ignem omni ope, quam ſexus poteſt, ac rebus neceſſariis ſuos adjuvantibus. Poſtridie, cum mane [l] Velius in urbem miſſus eſſet, ac deditionem regis nomine urgeret, reſponſum in veſperam dilatum eſt; interimque, quamvis nondum idonea edita ruina, impetus rurſus majore vi factus per VI horarum ſpatium; et pro muri pinnis jam erecta III regia ſigna conſpiciebantur, cum rurſus regii repulſi ſunt, occupata tamen ſuperiore [m] Hilarianae portae parte, ex qua liber in ſubjectos [n] Coeleſtinorum et S. Clarae vicos deſpectus erat. [β] Amiſſi ex regiis, uti creditur, plus IƆC: nec minor numerus ſeu occiſorum ſeu vulneratorum in urbe fuit; inter quos pleraeque foeminae numeratae ſunt.

XIV. Eo

VAR. LECT. [α] venientes *deeſt* *D.* f. o. d. [β] amiſſis *D.* f. o.

INTERPR. [a] *les capitaines Rouvray & de Provanes Valfeneres.* [b] *la Bouille.* [c] *le capitaine Louys.* [d] *les capitaines Caufolant, la Bouverie, & de Revelles.* [e] *la Montaigne de Jerico.* [f] *les fourches de Bihorel.* [g] *la porte de Martinville.* [h] *Grey.* [i] *Caudebec.* [k] *Tancarville.* [l] *le protenotaire de Vely.* [m] *porte S. Hilaire.* [n] *rues des Celeſtins & de Ste Claire.*

XIV. Eo in conflictu res memoratu digna accidit. [α] Franciſcus [a] Civilis e vicina nobilitate juvenis ſtrenuus ac robuſta valetudine cum ſua cohorte inter propugnatores ſtabat, inter Hilarianam portam et Brihotelianas furcas: is glande plumbea per maxillam dextram ad cervicem penetrante ictus cum e pomoerio concidiſſet, ſtatim foſſores, qui paulo infra [β] vallum ducebant, et mortuum putabant, prius ſpoliatum cum altero itidem ſeminece compoſitum [γ] levi terra obruunt ſub meridiem. Finito dein ſub veſperam certamine, cum quiſque ad ſua ſe reciperet, percontante lixa, qui cum equo militari herum in platea proxima exſpectabat, an fama de interfecto Civili vera eſſet, a Mongomerio reſponſum eſt, et illum interfectum et juſſu ſuo terrae mandatum. Quo intellecto, lixa pro ſummo beneficio petiit, ut locus indicaretur; quo heri cadaver [δ] erutum ad ſuos referret. Index ei datus a Mongomerio Joannes [b] Clerius, ipſius ſtipatorum legatus: cum quo lixa ad locum profectus, cum terra eruta cadavera tabo deformata confuſis oris lineamentis reperiſſet, et in prato nequicquam expoſita minime agnoviſſet, rurſus re deſperata in foveam recondit, manu alterius terra extante; quod cum aliquantulum progreſſi a tergo reſpicientes animadvertiſſent, veriti, ne manus indicio canes ad cadaver eruendum ac devorandum invitarentur, humanitate adacti eodem redeunt: acciditque, ut, dum manum terra tegunt, [c] adamas triangularis digito incluſus, quem Civilis geſtare conſueverat, ad lunam refulſerit; ex quo lixa herum ſuum, quod ex facie non potuerat, agnovit; et, cum os ori admoviſſet, ſpirare adhuc et caloris fomitem in eo nondum omnino extinctum comperit: protinuſque corpus in equum, quo vectus venerat, imponit, et ad [d] Clarae fanum, in quo vulnerati publice curabantur, defert. Sed cum chirurgi in homine dubiae vitae curando operam ac medicamenta inutiliter conſumi cauſarentur, praeſertim in tanta ſauciatorum multitudine, lixa ſemianimem in hoſpitium infert: in quo per quatriduum ſine cibo ac potu vitam incertam toleravit; tandemque, advocatis Gulielmo [e] Guerenta et Craſſo medicis, ex eorum conſilio diducuntur convulſione contracti dentes, et juſcula in os adhuc ſpirantis immittuntur, vulnereque deterſo medicamenta idonea adhibentur. Ex eo ſenſim refici vires, aperiri oculi, aures ad circumſtantium ſtrepitum excitari coeperunt; tandemque vox paene mortuo rediit. Sed mox capta urbe, ob antiquas cum fratre ſimultates cum inimici homines in illius hoſpitium infeſtis animis veniſſent, non reperto eo, in ſeminecem fratrem ſaevierunt; ipſumque e conclavi, in quo jacebat, per feneſtras in ſubjectam aream per lixas praecipitarunt. Sed Deus rurſus miſero praeſto fuit. Nam accidit, ut in ea ingens fimi cumulus eſſet, qui cadentem ſublevavit: atque ita ab omnibus relictus per triduum rurſus ſine potu et cibo vixit; donec [f] [ε] Groſſetus cognatione conjunctus cum per milites clam ac noctu extra urbem in ruſticum praedium transferendum curavit; in quo per otium plene curatus eſt, priſtinamque valetudinem poſt tot veluti mortes ita recuperavit, ut quadraginta annis, [ζ] ac nunc quoque cum haec ſcribo, deinceps in vivis fuerit.

XV. Die ſequenti Navarrus cum vices more aliorum infra dignitatem, uti a ſuis monebatur, obiret, dum aquam in aggere ſumit, in laevo humero vulnus ex ſcloppeti ictu accipit: moxque accurrente Guiſio, qui in propinquo erat, et officium praebente, a domeſticis nobilibus vili tabulae, qua foſſores interfecti aut ſauciati exportabantur, impoſitus, et interquieſcentibus propter doloris impatientiam bajulis, vix tandem ad [g] Ringravii aedeis delatus eſt; quo ſtatim regina, [h] Rupiſurionius ac Momorantius ad eum viſendum officioſe venere. Ibi inciſo vulnere, cum pila etiam admota

VAR. LECT. [α] Ludovicus *D. f.* [β] foſſam *D. f. o* [γ] levi *deeſt* *D. f.* [δ] inde erutum *D. f.* [ε] Croſſetus *D. f.* [ζ] ac nunc quoque cum haec ſcribo *deſunt* *D. f.*

INTERPR. [a] *de Civile.* [b] *de Clere, lieutenant des gardes du comte de Montgomery.* [c] *chaton d'un gros diamant triangulaire* [d] *Ste Claire* [e] *Guerente & le Gras.* [f] *le ſieur du Croſſet* [g] *le Ringrave.* [h] *le prince de la Roche ſur Yon, & le conneſtable de Montmorency.*

admota ſpatula non reperiretur, lecticae impoſitus in hoſpitium ſuum [a] Dernetalii illatus eſt.

XVI. POSTRIDIE rurſus juſſi per fecialem oppidani deditionem facere: reque in Coeleſtinorum coenobio juxta ruinam, convocato urbis concilio, deliberata, uno ore pronunciatum eſt, non poſſe Guiſianis, regis ac reginae coacta voluntate ad libidinem abutentibus ſe ſummittere; decretumque, ut duo ex ſuo numero mitterentur, qui de regis obſequio proteſtati imperata facere et regi portas aperire paratos ſe oſtenderent, modo exercitus tribus ab urbe leucis ſecederet. Iis poſtridie auditis benigne a rege reſponſum eſt: ſubjecitque regina, regem velle omnino ſine conditionibus urbem ingredi cum omni comitatu aulico ac proceribus, quos ſemper fidos mandatorum miniſtros et executores expertus ſit; ſibi curae fore, ne vis eorum conſcientiis fiat, ſed libere et pacate in privatis aedibus degant: verum velle ac jubere regem, ut paſtores, qui harum turbarum auctores exiſtimentur, urbe quamprimum faceſſant, quouſque aliter decreverit. Heic altercatum aliquandiu: tandemque, re ad concilium urbis relata, et vocatis etiam militibus, communi conſenſu elegere omnes extrema omnia perpeti potius quam ut libertati regiis edictis conceſſae renunciarent, aut ſe Guiſianorum arbitrio ſummitterent. Minaciter et contumelioſe habiti, qui hoc regi oppidanorum nomine renunciarunt; dilato tamen in ſequentem diem impetu, qui cum damno regiorum repulſus eſt. Itaque denuo invitati obſeſſi ad colloquium: et [b] Joannes Boſcus Mantrevilla, curiae vectigalium praeſes, magnae inter eos auctoritatis, ad regem reginamque ſemel atque iterum eodem die miſſus; ſed, cum conditiones non mitigarentur, oppidani ad defenſionem ſe comparant, prohibito deinceps omni colloquio: ſed non diu hoc decretum tenuit; nam ſequenti die, cum cccc ſcloppetarii [c] Corilano et Mulandtino ductoribus auxilio Dieppa ſummiſſi juxta [d] Pavillianam ſilvam a [e] Danvilla intercepti ac caeſi eſſent, Joannis [f] Ferei Duteſcutii [α] interventu, rurſus delegati Mantrevilla et Michael [g] Baucamarius, qui a regina cum conditionibus conventis ac ſubſcriptis, excepto religionis capite, [β] remiſſi ſunt. Interim conſerta pugna per duarum horarum ſpatium, vixque copioſo ſuperveniente imbre dirempta, res diſturbatae ſunt, corrupto machinae muralis intus diſploſae cuneo, averſa item a regiis aqua, ut molatrinae in urbe inutiles redderentur, et paludes eadem opera deſiccarentur. Auditi poſtridie in concilio Mantrevilla et Baucamarius; et remiſſi ad reginam cum ſupplici libello, cujus haec ſumma erat: Condaeus a rege arceſſeretur, ejuſque ſecuritati hoc nomine caveretur; cum quo non de deditione ſolum urbis, quam facere parati eſſent, ſed de pace per univerſum regnum ſtatuenda ageretur. Verum acerbis admodum verbis a Momorantio increpiti, et ſine alio operae pretio domum reverſi ſunt: totoque quatriduo inſequenti hinc inde acriter pugnatum fuit, foſſa ab obſeſſis oppleta, quam, ut aquas derivarent, regii ad aggerem [h] Mattinvillanum duxerant. Refecta item [i] Columbariae turris ruina; contra quam II CIↃ amplius tormentorum ictus diſploſi fuerant. VIII Kal. Nov. acrius quam antea ad [k] Hilarianam portam certatum, igne etiam in treis cuneos ſed exiguo profectu immiſſo. Demum poſtridie, quo totis viribus impetus fieri debebat, obſeſſi, ſeu laboribus jam exantlatis fracti, ſive ſpe deſtituti, non iiſdem animis, quibus antea, reſtitere: ſed tandem poſt non exiguum certamen ſub meridiem [l] Sancolumbanus ex Benearni pago nobilis ordinum ductor per Hilarianam ruinam primus in urbem irrupit, accepto in capite vulnere, ex quo aliquanto

VAR. LECT. [α] interventu, in urbem a regina miſſi, rurſus *D. f. o. d.* [β] remiſſi. Sed interim *D f.*

INTERPR. [a] *Darnetal.* [b] *Jean du Boſc, ſieur de Mantreville, preſident en la Cour des Aydes.* [c] *les capitaines Coudray & de Moulandrin.* [d] *bois de Pavilly.* [e] *Henri de Montmorency, ſieur de Damville* [f] *Ferey, ſieur de Duteſcu* [g] *de Bauquemare quartenier* [h] *la chauſſée de Martinville.* [i] *tour du Colombier.* [k] *porte St Hilaire.* [l] *le capitaine Ste Colombe, gentilhomme Bearnois*

aliquanto poſt deceſſit. [α] Secundum eum Gaſpar [a] Caſtreus Nancaeus legionis tribunus, qui egregiam toto obſidionis tempore operam navaverat, dum ruinam cum delectis ſuperat, graviter in femore ictus eſt. Mox alii undique citra certamen ingreſſi ad praedam diſcurrere. Heic quae facies rerum fuerit, fingere animo poteſt, qui capta urbe nullum crudelius ſpectaculum fingi poſſe ſibi perſuaſerit; quae, quo opulentior et populoſior, eo ad ſaevitiem et avaritiam militis ſimul paſcendam opportunior, quantoque beatiorem ſortem ſecundis rebus, tanto infeliciorem adverſis experta eſt. Caſus hic tamen cum non omnino imprudentibus accidiſſet, ſed qui mortem et extrema quaeque, quam indignam et intolerandam, ut ipſi rebantur, ſervitutem mallent, [b] Mongomerius jam ante triremem in omnem eventum paratam habebat; qua cum ſuis et acceptis ſecum Anglis et Scotis conſcenſa, inſuper promiſſa vinctis remigibus libertate, tanto niſu fugam acceleravit, ut ſuperata ad [c] Caudebecum tranſverſa catena incolumis [d] Franciſcopolim pervenerit. Qui in urbe praecipui remanſere ad vetus palatium receptum habuere, quod mox [e] Sanſtephano deditum eſt, cum pluribus paſtoribus qui in eo reperti ſunt; qui tamen nocte inſequenti, dum diſcurrente ad praedam milite indiligentius cuſtodiuntur, majorem partem elapſi ſunt. Captus Mantrevilla, qui promiſſis II CIↃ [m]arcorum cum ſuam vitam et Auguſtini [f] Marlorati primarii urbis paſtoris ſibi redemiſſe videretur, nihilominus ambo, mane ante [g] Momorantium producti et graviter objurgati, quaſi Condaeum regem, [h] Colinium [i] Normaniae et [k] Andelotum [l] Armoricae duces creare in animo habuiſſent, in arctiorem cuſtodiam conjecti ſunt. Plebs, quae primum militis furorem verita per utramque ripam effuſa vagabatur, aut caeſa aut ſpoliata aut in miſeram captivitatem cum pueris et uxoribus abducta eſt. IIII CIↃ hominum in ea obſidione utrinque occiſa memorat Fr. [m] Lanovius in commentariis: ex regiis Carolus [n] Randanus Rupifulcaudii frater, Gallici peditatus praefectus, ex vulnere male curato in [o] Avarici obſidione accepto periit; cui Sebaſtianus [p] Lucemburgus Martigius inſigni virtute dux in eo munere ſuffectus eſt. Praeda per XXIIII horarum ſpatium militi permiſſa; et, quamvis duces omnem curam darent, ut iis tranſactis abſtineretur, in pluſculos dies continuata.

XVII. NAVARRUS, cujus vulnus altius, quam ut pila inde extrahi potuerit, carne ſuccreſcente potius obductum quam omnino curatum fuerat, cum inter ludos et puellareis choreas totum illud tempus triviſſet, et, inani ſpe [q] Sardoi regni ab Hiſpano promiſſi divagantem animum paſcens, [β] citrorum ſilvas atque adeo aurea Heſperidum mala, torrenteis auro fluvios [r] Sequanae, Ligeri ac Garumnae pares imaginaretur, his importunis ſermonibus identidem ad faſtidium repetitis inviſentium aures onerans, ubi de capta urbe intellexit, murum conclavis, in quo decumbebat, dirui juſſit; et inde in lecto, in quo erat, nam citra periculum lecto moveri non poterat, ab Helvetiis ſuccollatus per ruinam quaſi triumphans, praecedentibus more Germanorum aeneis tympanis, urbem ingreſſus; et rurſus per ruinam in aedeis ſibi deſtinatas illatus eſt, ubi inter eadem oblectamenta aſſidente ad pulvinar aſſidue nobili ex reginae comitatu puella, quam ille impotenti amore deperibat, a regina, ut creditur, ad indagandos ejus penitiores ſenſus ante aliquot menſeis ſubmiſſam, fatalem horam exſpectabat, vulnere in dies inflammationem majorem concipiente.

XVIII. TRIDUO poſt captum [s] Rotomagum ſenatus, qui [t] Lupariam ſeceſſerat, in urbem redit. Paulo ante, Michaele [u] Hoſpitalio auctore, qui Gallos contra Gallos

aſperius

VAR. LECT. [α] *Haec de Caſtrei Nancaei vulnere narratio deeſt* D. f. o. *legitur tamen in* D. d. *qui codex poſt* ictus eſt *habet* ac nunquam perfecte curatus: diuque poſt recrudeſcente plaga tandem ex ea lethalem morbum contraxit. [β] citrionum D. f. o.

INTERPR. [a] *de la Chaſtre, ſieur de Nançay.* [b] *le comte de Montgomery* [c] *Caudebec.* [d] *Havre de Grace.* [e] *St Eſteve.* [f] *Marlorat.* [g] *le conneſtable de Montmorency.* [h] *l'amiral de Coligny.* [i] *Normandie* [k] *d'Andelot.* [l] *Bretagne.* [m] *de la None.* [n] *de la Rochefoucaud, comte de Randan.* [o] *Bourges.* [p] *de Luxembourg, ſieur de Martigues.* [q] *royaume de Sardaigne.* [r] *la Seine, la Loire, & la Garonne* [s] *Rouen.* [t] *Louviers.* [u] *le chancelier de l'Hoſpital.*

aſperius ſaevire, non ad regis pueri auctoritatem ſtabiliendam, quippe utraque parte CIƆIƆLXII.
nomen ejus obtendente, prodeſſe, ſed ad rerum everſionem potius pertinere exiſti- Carolus IX.
mabat, diploma emiſſum fuerat, quo praeteritorum gratia fiebat: regina inſuper expectare ſenatores juſſerat, dum nomina eorum ederentur, quos rex a venia univerſis conceſſa excipi debere intelligeret: nihilominus illi, ſeu potentia ſua freti, ſive a Momorantio et Guiſio, uti jactabatur, incitati, in vinctos animadvertere coepere. Producti [a] Mantrevilla, [b] Vincentius Gruchetus Soquentia et Natalis Cotoneus Bertovilla urbis conſiliarii, ac poſtremo Auguſtinus [c] Marloratus Paſchaſius olim eremita Auguſtinianus; et ſuper foedere cum Anglis icto interrogati ſunt, cur item regiis imperiis ac praefectis obedire detrectaverint, et arma ſumpſerint: ad quae illi arma ſe pro libertate contra regiorum edictorum violatores ſumpſiſſe reſpondent, Condaei juſſu, quem a regina ſecreta mandata habere perſuaſum habuerint; de foedere cum Anglis icto, nihil aliud ſe ſcire, quam Condaeum cum Eliſabetha ut foederata egiſſe, ut regi captivo et fidis ejus ſubditis, quorum conſcientiae ab ambitioſis hominibus vis afferretur, pro benevolentia et humanitate, qua regem et ejus ſubditos puram doctrinam profitenteis complectitur, ſubveniret. Ii mox ad mortem tanquam perduelles et publicae tranquillitatis perturbatores damnantur: Mantrevilla ſecuri percuſſus, ceteri laqueo ſuſpenſi; omnes vero per vicos cratibus tracti ad ſupplicium deducti ſunt. Poſtridie [d] Joannes Croſa, Renatus Provana Valſenerius, peditum duces, Joannes Balerus juridicus praefectus caſtrorum, Blanchetus Nudus, Ricardus Mangerus, Claudius Saccus, ordinum ductores, ad mortem item damnantur: et Croſa quidem ſecuri percuſſus: Valſenerius vero, ad idem ſupplicium deſtinatus, a Joanne [e] Doo ſtipatorum regiorum praefecto, commendatione Briſſaci miſſo, exemptus eſt periculo; qui et reginam imperare renunciavit, ne gratia a rege facta vileſceret, ne ſine expreſſo ipſius mandato ulterius in animadvertendis captivis progrederentur. Nihilominus Joannes [f] Bigotus, de presbyterio et compresbyterorum nominibus, de conſiſtorio et inſtituta inter eos diſciplina interrogatus, cum eorum nomina, ne innocentibus hominibus, ut aiebat, periculum crearetur, edere recuſaſſet, ad mortem damnatus eſt; nec non et Joannes [g] Quidelus. Qua ſeveritate irritati, qui [h] Aureliani erant, quamvis non pari jure, Baptiſtam [i] Sapinum ſenatorem Pariſienſem et Joannem Troium Gaſtinae abbatem, ante proximum menſem in [k] Vindocino agro captos, cum commoditate Odeti [l] Silvae in Hiſpaniam, ut legati munere fungeretur, proficiſcentis uſi [m] Caeſarodunum cum eo tenderent, ex concilii in urbe inſtituti ſententia, cui Condaei nomen praefixum erat, ad mortem damnaverunt III Eid. Nov. Silvam, ne cum ipſo eadem inclementia ageretur, non tam muneris religio quam Claudii fratris, qui Condaeo inſerviebat, commendatio protexit; qui tamen ex pavore vehementi inde concepto non diu poſtea ſupervixit.

XIX. Interea Navarrus, qui melius huc uſque habere viſus erat, febre ardente correptus, cum inciſa carne, quae ſucreverat, materiam purulentam, cujus graveolentiam vix chirurgi ferre poterant, emiſiſſet, minime propterea mitigata febre, noviſſimam horam inſtare ſentiens, aulica illa oblectamenta, quae illi aciem animi egregiis alioqui dotibus inſtructi praeſtringebant, prorſus abjecit: et, cum Thomas [n] Perrenotus Chantonetus Granvellani cardinalis frater, Hiſpaniarum regis apud regem legatus, ad eum viſendum veniſſet, ſe deluſum ſero agnoſcens, credulitatem ſuam magna vehementia increpuit, qui Hiſpanorum verbis fidem habuiſſet: tum reginam

INTERPR. [a] *le ſieur de Mantreville* [b] *Vincent de Gruchet, ſieur de Soquence, ancien conſeiller de la ville; & Noel Coton, ſieur de Berthouville, auſſi conſeiller, &c.* [c] *Marlorat* dit *Paſquier* [d] *les capitaines Jean de Croſes, René de Provanes* dit *Valfremeres, Jean le Baleur prevoſt de camp ordinaire, Blanchet le Nud enſeigne ſous le capitaine Cruſe, Richard Manger n'agueres ſergent du capitaine Manger, & Claude du Sac* dit *gendre de Brodequin.* [e] *le ſieur D'O, capitaine des Gardes.* [f] *Jean Bigot, l'un des Anciens de la religion.* [g] *Quidel* [h] *Orleans.* [i] *Sapin conſeiller du parlement de Paris, & Jean de Troys abbé de Gaſtines en Touraine.* [k] *le Vendoſmois.* [l] *de Selves.* [m] *Tours.* [n] *Perrenot de Chantonet, frere du cardinal de Granvelle.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

reginam uxorem per literas monuit, ut Benearni ſecuritati proſpiceret. Quibus actis, jam ſe propius reſpicere coepit, et, qui hactenus in religionis cauſa propter regni periculum nutaverat, inſtante morte jam plus de ſalute propria quam de regno ſolicitus, in diverſa tamen trahebatur a duobus medicis, qui ſemper apud principes valetudinarios aut morti vicinos nimis multum poſſunt. Ii erant [α] Vincentius [a] Laureus Calaber, olim cardinalis [b] Turnonii [β] domeſticus, de quo jam in ſuperioribus demonſtravi; alter Raphael [c] [γ] Talliavius Mezerius Proteſtantium doctrinae addictus: et ille quidem praevertit; hic poſtrema occupavit. Nam Laurei ſuaſu v Eid. Nov. fidele colloquium cum [d] officiali Rotomagenſi Navarrus habuit, et ſacroſanctum viaticum more majorum ſumpſit, coram [e] Rupiſurionio et Mimatenſi epiſcopo; mox a regina cum inviſente monitus, ut ſibi ex ſacris libris aliquid praelegi juberet, Jobi hiſtoriam, Raphaele recitante, ſumma attentione audivit: dein ab eo captata occaſione increpitus, quod in religionis [δ] negotio tepidum ſe ac medium hactenus praebuiſſet, tandem declaravit, ſi convaleſceret, ſe confeſſionem Auguſtanam palam amplexurum, in eaque victurum ac moriturum. Demum condito teſtamento, refragantibus medicis, locum mutare, et [f] Foſſatenſe caſtrum altero a Lutetia lapide, ubi aer ſalubrior, per flumen devehi conſtituit: ſed, poſtquam navigio impoſitus eſt, ſtatim rigore inſolito correptus, moxque ſuperveniente ingenti ſudore debilitatus [g] Andelii ſubſiſtere coactus eſt; fundente inter haec preces more apud Proteſtantes recepto Raphaele, et Rupiſurionio in genua procumbente, coram cardinali fratre, Ludovico Gonzaga principe [h] Mantuano, et [ε] Jo. [i] Loſſio regii ſtipatus praefecto, qui capite aperto ad navigii angulum receſſerant. Tandem ad eum jam deficientem Dominicanus diſſimulato amictu a cardinali fratre introductus eſt; quo audito, quaſi ad ſe rediens Italum quendam cubicularium, qui prope erat, inter mortis convulſiones barba prenſum, ut filio fidus eſſet, imperavit; viciſſimque filium ſuo nomine moneret, ut regi fidele obſequium ſervaret: quae illi noviſſima verba fuere: ac paulo poſt animam Deo reddidit xv Kal. Dec. xxxv a vulnere accepto die, cum aetatis annum xliv attigiſſet. [ζ] Fuit egregia corporis forma, ſed liberali inprimis ac generoſo ingenio praeditus; ad haec virtute militari praeſtans, qua cum ſummis ſaeculi ſui ducibus certabat; amore recti et rerum agendarum ſolertia inſignis, quatenus cum voluptates, a quibus impotenti proclivitate raptabatur, minime tranſverſum agebant; egregio principibus viris exemplo, ut ab iis, quae ſolae eos corrumpere ſolent, ſi recta et integra fama regnare cupiunt, diligenter caveant, eamque gratiam a Deo omnium bonorum datore ſuſis indeſinenter precibus expoſcant.

XX. Ante captum Rotomagum regina cum Dieppenſibus egerat, et, [k] Bricomotio in Angliam, ut auxilia acceleraret, atque adeo [l] Warwici comitem urgeret, profecto, [m] Boſcanneburgenſem ad oppidanos cum literis fiduciariis miſerat xi Kal. Nov. qui homines viribus tot acceptis damnis exhauſtos et jam propiore Rotomagenſium periculo conſternatos, ad haec [n] Ringravii Germanico equitatu et aſſiduis [o] Annebaldi excurſionibus fatigatos ad conditiones accipiendas, et eaſdem fere, quae [p] Biturigibus datae fuerant, hortaretur. Re ad concilium a [q] Fortio relata, cum [r] Dormerus Anglorum dux ad id vocatus non impedire ſe declararet, quo minus ipſi ſuae ſecuritati conſulerent, modo Anglis domum repetituris, quos penes ſe haberet, idonee

VAR. LECT. [α] Jo. Vincentius *D.* f. o. d.
[β] domeſticus; vir eleganti doctrina et moribus, ad haec gravitate et modeſtia inſignis; qui poſtea Montis Regalis in Subalpina provincia epiſcopus, et tandem in cardinalium collegium cooptatus, parum a ſupremo ſacri Ordinis magiſtratu abfuit: alter Raphael *D.* f. o. d.
[γ] Talliavius *deeſt* *D.* f. o. d.
[δ] negotio, cujus illi veritatem Deus revelaſſet, tepidum *MS. Samm.*
[ε] Jo. *deeſt* *D.* f. o. d.
[ζ] Fuit princeps egregia *D.* f.

INTERPR. [a] *Lauro.* [b] *de Tournon.* [c] *de Taillevis, ſieur de la Meziere, nommé Raphael.* [d] *l'official de Rouen.* [e] *le prince de la Roche ſur Yon, & l'evêque de Mande.* [f] *St Maur des Foſſez.* [g] *Andely.* [h] *le prince de Mantoue.* [i] *le ſieur de Loſſes.* [k] *de Briquemaut.* [l] *Warwick* [m] *do Bois d'Annebourg.* [n] *le Rhingrave.* [o] *d'Annebaud* [p] *Bourges.* [q] *des Forts.* [r] *Dormer.*

idonee caveretur, decretum fuit, ut Boſcanneburgenſis ad reginam rediret cum CIƆIƆLXII.
oppidi ſyndico, qui licentia accepta [a] Rotomagenſeis adiret, ex iiſque diſceret, an CAROLUS IX.
conditiones oblatas accipere parati eſſent; quod ſi facerent, eas quoque ipſi acciperent. Quod a regina denegatum, exemplo conditionum Biturigibus a rege conceſſarum tradito: ad quod [b] Dieppenſes biduo poſt reſpondere; et de fideli erga regiam majeſtatem obſequio proteſtati, et rebellionis crimen a ſe amoliti, in hoc ſumpta arma dicunt, ut conſcientiarum libertatem juxta regia edicta, vitam et bona adverſus publicae quietis perturbatores tuerentur. Inter itus reditusque, capto Rotomago, non diu deliberatum fuit; miſſo ſtatim ſupplici libello, quo oppidani petebant, ut ipſi, nobiles et quicunque ipſis adhaeſiſſent, pro fidis regiae majeſtatis ſubditis haberentur; praeteritorum memoria induceretur; eorum, quae in templorum imaginibus et altaribus diruendis admiſſa eſſent, oblivio ſanciretur; curiae decreta contra eos facta revocentur et irrita declarentur; libertas ad cultum divinum publice conveniendi permittatur; Anglis in patriam redituris tempore idoneo conceſſo caveatur; populationes prohibeantur. Subſcripſit libello rex, eo capite excepto, quo libertatem publice conveniendi petebant: nam paſtores ferri non poſſe; per regis benignitatem licere eis, ut in privatis aedibus pacate vivant, ita ut nullum periculum illis ob religionem creetur. Acceptis conditionibus, dimiſſi Angli: cum quibus [c] Fortius, Joannes [d] Ribaldus rei navalis poſtea famoſus dux, alii, in Britanniam trajecere; quorum pars inde [e] Antuerpiam petiere. [f] Momorantius Annae filius altero Nov. die cum ſua equitum ala et II Gallorum, totidem Germanorum ſignis, Dieppam venit; et arci [g] Ricarvillam cum CCC peditibus regis ſumptibus impoſuit: urbi praefectus Martellus [h] Bacavilla cum C peditibus, oppidanorum ſumptibus: et [i] Ringravius ac Annebaldus [k] Caletenſi pago, a quibus tot damna populares acceperant, faceſſere juſſi: ipſe ad regem redit, impetrata oppidanis a regina clam conveniendi in privatis aedibus et conciones audiendi libertate, addita conditione, ut id diſperſim fieret, nec ſimul omnes convenirent, ne tumultuandi occaſio praeberetur. Eadem lex dicta Cadomenſibus, qui ex conſilio [l] Bullionii, miſſo ex ſuo numero Stephano [m] Valla ditiſſimo homine et in aula noto, ut qui pluries criminis poſtulatus opes ſuas a vulturiis aulicis grandi pecunia redemerat, loco ſummi beneficii accepere, ut, paſtoribus urbe faceſſere juſſis, libertas unicuique domi vivendi integra maneret, nec ullius conſcientiae vis fieret. Ea de re diploma a rege impetratum III Non. Nov. ſummo Proteſtantium applauſu [n] Cadomi publicatum eſt: ſtatimque Bullionius, relicto in arce Nic. [o] Stampenſi Cloſio, cum mandatis, ut neminem admitteret, ne ipſum quidem [p] Matignonum, in aulam proficiſcitur: unde reverſus delectas a ſe fere ex Proteſtantibus peditum cohortes dimittit, et loco earum II Picardorum ſigna in arcem introducit, cura ejus [q] Balleolio Renuartio commiſſa. Interea [r] Briquomotius profectionem [s] Warwicenſis urgebat, qui non niſi biduo poſt a capto Rotomago [t] Franciſcopolim appulit, quo jam [t] Mongomerius venerat; ubi de aſtu intercipienda Dieppa actum. Expeditionis duces fuere [u] Vaſco nomine, ordinum ductor, et [v] Catavilla ex provincia vir nobilis. Ii XIII Kal. Jan. corrupta majore praeſidiariorum parte, oppidanis inſciis, iis exceptis, in quorum aedeis militem clam introduxerant, obſervato Ricarvillam ſolum fere ad equos viſendos mane arce exire, treis deligunt, qui eum puero progreſſum extra arcem obtruncant: ſtatimque diſploſione tormenti a conſciis arcis praeſidiariis dato ſigno, qui latebant in proximo hoſpitio cum armis erumpunt,

INTERPR. [a] *ceux de Rouen.* [b] *ceux de Dieppe.* [c] *des Forte.* [d] *Ribaud.* [e] *Anvers.* [f] *le mareſchal de Montmorency.* [g] *le ſieur de Ricarville* [h] *Martel, ſieur de Bacqueville.* [i] *le Rhingrave & le ſieur d'Annebaud.* [k] *pays de Caux.* [l] *le duc de Bouillon.* [m] *du Val.* [n] *Caen.* [o] *d'Eſtampes, ſieur du Cler.* [p] *Jacques Goyon, ſieur de Matignon* [q] *de Bailleul, ſieur de Renouart* [r] *de Briquemant.* [s] *le comte de Warwick.* [t] *Havre de Grace.* [t] *le comte de Montgomery.* [u] *le capitaine Gaſcon.* [v] *le ſieur de Cateville.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

erumpunt, et nomine regis ac Condaci ioclamato diſcurrunt, atque oppido fere citra ſanguinem potiuntur, capto Bacavilla, qui poſtea Franciſcopolim poſt Mongomerii appulſum abdoctus eſt. Id, quia altero poſt [a] Drocenſem pugnam atque adeo captum Condaeum die acciderat, oppidanos quamvis majorem partem Proteſtantium doctrinae addictos male habebat, veritos, ne profligatis principis rebus ipſi eandem, quam Rotomagenſes, fortunam experirentur. Itaque miſere, qui apud reginam id tanquam ſe ignaris factum excuſarent: quidam etiam ſponte larem deſeruere, et in Belgium abiere, ne mora in oppido ipſis olim fraudi eſſet; propterea que a Mongomerio duriter et inclementer habiti ſunt.

XXI. NUNCIUS tam opulentae urbis amiſſae Condaeum de Andeloto ſolicitum oppreſſit, qui mox alio Duracianae cladis nuncio cumulatus eſt. Capta [b] Marcua Cadurcenſis epiſcopi arce, [c] Duracius [d] Sarlatum in Petrocoriis ineunte Octobri divertit; quod et advectis [e] Montalbano tormentis verberatum, in eo erat ut vi aggrederetur, cum de Buriae adventu cognoſcit, qui cum iis quas habebat copiis ad [f] Monpenſerium, qui [g] Bergeraci erat, cccc cataphractos equites, Henrico [h] Foxio Candala, Jo. [i] Scarſio Valliguidonio, Ludovico Stiſſaco, Gabriele [k] Caumontio Lauzunio et F. [l] Regio Chavignio ductoribus, ſecum trahentem, tendebat: ad quem ſubito Monlucius capto [m] Lactorato ovans accurrit, praemiſſis v ſignis, et Hiſpanis, quos ob ſeditionem fugitivos reduxerat ad [n] Cypriani fanum juxta Fagum; ubi jam Buriae, Valliguidonii et [o] Randani turmae equitum venerant, ipſe [p] Duranium poſtridie tranſvadavit, cum XL equitibus; et, datis ad Buriam literis cum eum ad tranſmittendum fluvium et pugnam capeſſendam hortaretur, ille, cui fere cum Monlucio diſconveniebat, adventum ejus re bene geſta gratulari, ſed pugnam deprecari, niſi monito prius Monpenſerio, aut ullo ipſius mandato accepto. Monlucius contra [q] Charrium, Maſſeum, Aornum prenſare; notam ipſis Buriae tarditatem, quam praepoſterae cunctationis nomine ut honeſtiore quidem excuſet: ea factum, ut pulcherrima occaſio ipſis erepta ſit nuper ad [r] Mirabellum; et eam, quae nunc ſe in manus det, procul dubio ereptum iri, niſi eorum virtute ac diligentia ſubveniatur: cum hominibus rem eſſe, qui nullos ordines, nullam diſciplinam, nullum ducibus ſuis obſequium ſervent; qui, ubi regia ſigna viderint, protinus fugituri ſint; majuſque in debellanda Buriae pertinacia, quam in iis vincendis negotium fore. His vocibus animatos duces ad Duranium trajiciendum incitabat. Ipſe [s] Argentium et Curreum ſecum ducit; mandatque [f] Clermontio et Durfortio, ut, poſtquam Hiſpani cibum ſumpſerint, ſe ad [t] Vezerae tranſitum ſequantur, monito ante de re omni Buria. Argentius nocte praecedenti metatorem alae Randani miſerat, et Monlucius [u] Fontenillium generum, diverſis itineribus, ut de hoſtibus cognoſcerent; qui ſibi tandem in bivio occurrere: cognitoque hoſteis in eo eſſe, ut vaſa conclamarent, eo magis a Monlucio acceleratum. Verum illi palantes et licentiae aſſueti, cum Monpenſerium Bergeraci longe tunc abeſſe ſcirent, et Buriam ad [v] Caſtellum Mirandae adhuc haerere crederent, rati Monlucium nondum adveniſſe, negligentius agebant; et, cum eo die Inſulam amnem tranſmittere potuiſſent, qui non plus duabus leucis inde aberat, commoditate hoſpitiorum illecti, in iis magno ſuo damno ac dedecore pernoctavere. Buria inter haec advenit; qui cum rurſus Monpenſerium monendum et expectandum diceret, Monlucius pervicit, ut ſine mora ad hoſtem duceretur; eventuſque periculum in ſe ſuſcepit: cui poſtremo Buria, de ſalute provinciae primum proteſtatus, quam proelii aleae committere minus tutum exiſtimabat,

INTERPR. [a] *de Dreux.* [b] *Marcues chateau de l'evêque de Cahors.* [c] *le ſieur de Duras.* [d] *Sarlat en Perigort.* [e] *Montauban* [f] *le duc de Monpenſier.* [g] *Bergerac.* [h] *de Foix, comte de Candale.* [i] *d'Eſcars de la Vauguyon, & le ſieur d'Eſtiſſac* [k] *de Caumont Lauzun.* [l] *le Roy, ſieur de Chavigny.* [m] *Leytoure.* [n] *S. Subran prez Fages.* [o] *du comte de Randan.* [p] *la Dordogne.* [q] *les capitaines Charry, Maſſes, & Aorne* [r] *Mirabel.* [s] *d'Argence & du Courré.* [f] *de Clermont & de Durfort.* [t] *la Vezere.* [u] *de Fontenilles.* [v] *Caſtelnau de Mirande.*

bat, aſſenſit; et omnibus copiis pedeſtribus, quae jam Vezeram tranſvadaverant, ut CIↃIↃLXII.
ſequerentur, imperavit. Nuſquam major militis quaſi jam victoris alaeritas. Ipſe CAROLUS IX.
etiam Buria, quamvis initio cunctaretur, ſolito alacrior viſus; qui cum ſua, Navarri, [a] Thermi, Valliguidonii, Randani equitum alis progreditur; et, Monlucio praemiſſo cum L equitibus, incedens ſub veſperam ad [b] Alverac fanum hoſpitium habuit, locum frequentem, quo [c] Veſuna Petrocoriorum Bergeracum venientibus iter eſt. Eo cum veniſſet Monlucius, cognito per exploratorem caſtra hoſtium et tormenta ad [d] Veram vicum populoſum poſita eſſe, et [e] Duracium ad [f] Andreae fanum juxta conſediſſe, nec utrumque longius media leuca abeſſe, in domibus vero ante vicum ſparſis [g] Salignacum ac Langoranum Monferrandi fratrem hoſpitium habere, ad haec [h] Puchium Pardillanum, tanquam omnia circum pacata eſſent, venationi operam dare, eo ducit: ac Monſerrandus quidem primus vim facit, et Salignacum ac [i] Moncaudum in hoſpitio, dum coenam Langorano pararent, oppreſſos capit, occiſis aliquot, qui in conclave vicinum confugerant. Quo facto, Monlucius impetum inhibet; et confeſtim abducto ſecum Salignaco ad Buriam rendit, ac de hoſtium rebus eum certiorem facit; ne eo quidem caſu commotis Duracianis, qui Buriam ac Monlucium longius abeſſe rati, Salignacum ac Moncaudum a Petrocoriorum praefecto excurrere illac ſolito captos putabant: ita cum totam noctem fere inſomnem duxiſſent Buriani, ſummo mane ad pugnam ſe comparant; Duracius ſecuritate fatali nemine praemiſſo, qui de hoſtium rebus cognoſceret, [k] Bordetum cum LX delectis equitibus in luco propinquo locat, eique C ſcloppetarios equites attribuit, ut Petrocorianos vaganteis interciperent: ipſe cum ſuis in campum exit. Monlucius cum ſuis incedebat: Buriae autem, Valliguidonii et Randani alae, dum ad Monlucium tendunt, a via deerrantes inſidias tranſgrediuntur: ex quibus, erumpente a tergo Bordeto, Buriani initio inclinati; mox ſuperveniente [l] Fontenillio hoſtem repellunt, et levi flexu ad Monlucium ſe recipiunt. Tum vero Duracius errorem agnovit; et non jam cum Petrocoriis, verum cum univerſo Buriae exercitu ſibi rem eſſe ſed ſerius ſenſit, ſaepius a Puchio monitus et tunc graviter increpitus. Moxque conſultantibus ducibus, quid facto opus eſſet, Puchius, quando, inquit, eo res devenit, ut non tam in exagitando errore tempus terendum ſit, quam periculo ac praeſenti exitio mature praevertendum, ita cenſeo, hodie pugnandum eſſe. Neque nos impares quiſquam cauſetur: nam non numerus ſed virtus vincit; et loco opportuno ſedemus, in quo propter ſilvas et anguſtias exiguae copiae contra majores bellare poſſunt; tantum animus ne deſit, et non terga recedendo ſed ora pugnando in hoſtem feramus. Scitum eſt inter militiae peritos, quoties duae acies in conſpectum venere, quaecunque prior recedit, victoriam a ſe abdicare, et in aliam, quae in veſtigio ſtetit, transferre. Id recenti Sanquintinianae pugnae exemplo niſi conſtaret, fortaſſe pluribus ediſſererem. Reliquum eſt igitur, ut niſi ex virtute, quam his ſignis ſtantibus nunquam in animis noſtris extinctam fatebor, ſaltem ex neceſſitate conſilium capiamus. Verum non auditus Puchius, Duracio contra et Bordeto objicientibus, jam metatores ad [m] [1] Inſulae tranſitum cum turma equitum progreſſos, et ante [n] Moutauſeum copias perventuras, quam ad pugnam cogi poſſent. Igitur ſigno dato juſſi incedere pedites: et [o] Santerminio negotium datum, ut tormenta, quibus praeerat, in media acie collocata, quam feſtinanter poſſet, accelerarer: Duracius extremum agmen cum exporrecta cataphractorum equitum ala et ſcloppetariorum itidem equitum turma ducendum ſuſcepit. Quo animadverſo, Buria, qui IIII tormenta ſecum trahebat, ea in tumulo conſtituit, [p] Maſſeo ad dextram,

INTERPR. [a] *de Thermes.* [b] *S. Alvere.* [c] *Perigueux.* [d] *bourg de Ver.* [e] *le ſieur de Durat* [f] *S. Andras* [g] *de Salignac & de Langoiran.* [h] *de Pardaillan* dit *de Puech* [i] *Moncaut.* [k] *du Bordet.* [l] *de Fontenilles.* [m] *Lille r.* [n] *Montauſes.* [o] *de Ste Hermine.* [p] *le capitaine Maſſes.*

NOT. [1] Lege *Illae.* C.

dextram, Navarri et Monlucii turmis ad laevam incedere juſſis; quibus additae Buriae ipſius, Randani et [a] Valliguidonii alae: poſt eos pedites Galli incedebant, et poſt Gallos Hiſpani. Tum Monlucius partes alloquendi milites ſibi ſumit; et Hiſpanos, quibus Lud. [b] Carbajacus praeerat, per majorum gloriam et nominis eorum late ſparſam famam, Turcorum, Maurorum, Barbarorum atque etiam Gallorum plerumque cladibus perſpectam, ad pugnam cum ſtrenuis Gallis adverſus Sectarios ac perduelleis fortiter capeſſendam hortatur: inde ad Vaſcones converſus, Hodie venit tempus, commilitones, ut indeciſum hactenus certamen hoc certamine dirimatur, Vaſcones Hiſpanis, an Hiſpani Vaſconibus virtute praeſtent. Nam cum in eadem acie ſub iiſdem ſignis ſtemus, aequum eſt, ut periculum faciamus: et ego quidem Vaſco in partem gloriae veniam; pro qua cum illi tantum certent, nos, qui praeterea pro rege, pro aris, focis pugnamus, eo magis eniti debemus, ut non ſolum dedecus, ſed patriae excidium, quod neceſſario ſequetur, ſi vincamur, evitemus. Tum per equitum turmas diſcurrens et ſingulos appellans, mox cum [c] Monferrando et Caiella progreditur, dum adhuc conſultarent hoſtes ſub arbore; peditesque eorum incedere cernens, [d] Argentium exultabundus adit; et, Vicimus, ait: trepidanteis hoſteis nunc recedere vides, qui ſtatim, ubi nos inſequenteis conſpicient, in fugam vertentur. Sed rurſus hic incidit diſputatio, cum quidam peditem exſpectandum dicerent, ut totis viribus cum hoſte confligeretur: Monlucius vero, qui vereretur, ne hoſtis interea collem occuparet, ad eumque ab imo in ſummum haud citra periculum enitendum eſſet, uti nuper ad [e] Targonem evenerat, in eos animo in ſpeciem turbatos nulla mora interpoſita, antequam ex pavore ſe colligerent, cum equitatu impetum fieri debere contendebat: atque is in ſuam ſententiam ceteros pertraxit felici eventu. Nam, poſt diſploſa Buriae juſſu tormenta, cum impetus a Monlucio factus eſſet, diſſipato equitatu pedites ſtatim fuſi ſunt: Maſſeus vero, qui cerneret in collem oppoſitum turmam adhuc integram contendere, eo cum Fontenillio ducit; atque illi ſociorum periculo jam conſternati ſine negotio caeſi ſunt, captis tormentis: moxque Buria, qui aciem ducebat, advolavit. Praecipua in eo conflictu Argentii virtus extitit. Capta XIX ſigna peditum, et V equitum vexilla, et ad Monpenſerium miſſa. Caeſa ex hoſtibus II CIↃ, quamvis minorem numerum edant Proteſtantes, qui culpam rei male geſtae in [f] Petralongum caſtrorum praefectum rejiciunt, qui agmen quadratum eo modo et loco, quo inter duces convenerat, non conſtituerit: quaſi vero non aliae juſtiores cauſae ſubſint; ſive licentiam militis paſſim palantis et dicto nuſquam obedientis ſpectes, ſive ſecuritatem ac negligentiam ducis, qui de hoſte jam vicino per exploratores non cognoverat, ſive denique imprudentiam, qui de receſſu in hoſtis conſpectu contra Puchii ſententiam cogitaverat. Captus is Petralongus, et duriter habitus: vulnerati graviter [g] Caumontius, Rupifulcaudius Montandreus, ac junior Duracii frater. Ita debellatum altera poſt meridiem hora VII Eid. Oct. Ex iis qui evaſere, quique [h] Duracium medio hoſte adſequi non potuere, cum tranſmiſſo [i] Duranio [k] Montalbanum verſus tenderent, a ruſticis caeſi aut capti ſunt; moxque [l] Aginnum abducti, ubi ad patibulum, cui conſiſtorii ad ludibrium nomen fecerunt, affixi ſunt. Duracius [m] Marcaſtellus ac Bordetus continuato noctem proximam cum die itinere ſub veſperam [n] Barbezeriam in Santonibus pervenere, atque inde [o] Mediolanum Santonum petiere, cum in itinere [p] Laumoſnerium obvium factum cum CCC ad internecionem cecidiſſent, exiguo certe poſt tantam cladem profectu, ſed rariore exemplo virtutis poſt fugam turbatis militum animis reſtitutae. Eodem tempore [q] Memius, qui poſt res male Aginni adminiſtratas Benearnum

INTERPR. [a] *de la Vauguyon.* [b] *de Carbajac.* [c] *Monferrand & Caſſelles:* [d] *d'Argence.* [e] *Targon.* [f] *de Pierrelongue.* [g] *de Caumont, Louis de la Rochefoucaud baron de Montendre, & le jeune Duras.* [h] *le ſieur de Duras.* [i] *la Dordogne.* [k] *Montauban.* [l] *Agen.* [m] *Marchaſtel & Bordet.* [n] *Barbezieux en Saintonge.* [o] *Saintes.* [p] *Laumoſnier.* [q] *de Memy.*

[a] Beneatnum ſe contulerat, a [b] Gondrinio interceptus et [c] Laumontium atque Agin- CIↃIↃLXII.
num deductus, poſtremo [d] Burdigalae ſenatus decreto ſecuri percuſſus eſt. Tunc Ru- CAROLUS IX.
piſulcaudius comes ad [e] Joannis fanum ſedebat; qui ubi de [f] Verenſi clade intellexit, ſubito obſidionem ſolvit, et cum XXC equitibus ex nobilitate, nam reliqui huc illuc in dies dilabebantur, CCC equitibus ſcloppetariis et II peditum delectorum et egregie inſtructorum ſignis, ad [g] Montem-morillonium Duracianos reliquos accepit, et [h] Aurelianum ad Condaeum contendit, Proteſtantium factione paſſim profligata et exagitata; quibus in Beneami pago ad Navarrae reginam, in [i] Cadurcis apud Joannam [k] Genulliacam Jacobi Galeoti magni tormentorum praefecti filiam, et [l] Cruſſolii matrem, denique in [m] Aginnenſi agro apud [n] Annam Bonvalliam [o] Armani Bironi famoſi illius ducis matrem, toto eo tempore tutus receptus fuit.

XXII. MONPENSERIUS ſecundum haec a [p] Sanſaco monitus Bergeraco Barbezeriam, ubi Duracium adhuc haerere credebat, abducto ſecum Buria, venit; quem paulo poſt X alia Hiſpanorum ſigna ſecuta ſunt, duce Joanne [q] Carbajaco Ludovici patruo: inde pacata ſuperiore [r] Aquitania in Santones deſcendit, et [s] Mediolanum a Proteſtantibus relictum occupat, novae religionis uſum abolet, antiquam inſtaurat; et tandem [ſ] Rupellam, non ſine civium altercatione, peditum equitumque copias aliquot introducit, imagines et altaria reſtituit, Proteſtantibus conveniendi libertatem interdicit, etiam praeſidiis per loca vicina diſpoſitis. [t] Marennenſes initio ad defenſionem ſe comparabant: ſed, cum viderent foſſam ad conjungendos duos maris ſinus ſeu canaleis inſtitutam, [u] Broagium videlicet et [v] Sendram, nondum conſummatam, et Vaſconum et Hiſpanorum copias jam in propinquo eſſe, Antonii [w] Pontii illarum regionum reguli interventu certis legibus convenerunt, quae ab Antonio [x] Leſcurio cognitore regio in ſenatu Burdigalenſi perlatae ſunt: quorum hoc praecipuum caput erat, ut poſitis armis juxta edicta regia viverent: cum vero controverteretur, de quibus edictis id intelligendum eſſet, et [y] Alvertenſes Januarii edictum urgerent, re infecta diſceſſum eſt. Verum, mox [z] Olerona a [aa] Guibauderio intercepta, vixque elapſis paſtoribus, qui navigium forte nacti in [bb] Britanniam vela fecere, Marennenſes tandem conditiones accepere: et Pontius eo cum ſuis venit; nec quidquam inclementius, qua erat animi moderatione, cum inſulanis egit. Monpenſerius dein Sanſacum cum Vaſconibus et Hiſpanis dimiſit; qui in tempore in caſtra regia venere, magnumque momentum poſtea ad res proſpere gerendas attulere.

XXIII. EODEM die, quo ad [cc] Veram debellatum eſt, [dd] Terrida per [ee] Bazordanum caſtrorum magiſtrum [ff] Montalbanum aſtu nocturno tentat: is ſiquidem, cum ex [gg] Fongravio, qui intus erat, poſt praeſidiariorum diſceſſum cognoviſſet, oppidanos, ubicunque impetus hoſtilis metus eſſet, eo deſertis ceteris urbis locis confuſos in armis accurrere, cum Dominicanorum coenobium, quod illi muniebant, occupare vellet, ſcalis admotis ad Carmelitarum et ad Franciſcanorum et [hh] flumentanam portam vim ſed ſimulatam facit; [α] intereaque ſcalis ad murum, qui Dominicanorum coenobio ſubeſt, appoſitis, ſocii enituntur, admoto etiam ariete, cum magno tubicinum et tympanorum ſtrepitu. Verum praeter ſpem accidit, ut oppidani a [ii] Laboria, ut eam partem diligenter ſervarent, moniti, eo conſerti properarent; qui

enitenteis

VAR. LECT. [α] interea ee ſcalis *D. f.*

INTERPR. [a] *Bearn.* [b] *de Gondrin.* [c] *Laumont.* [d] *Bourdeaux.* [e] *S. Jean d'Angely.* [f] *deffaite de Ver.* [g] *Montmorillon,* [h] *Orleans.* [i] *Quercy.* [k] *Jeanne de Genouillac fille unique & heritiere de Jacques Ricard de Genouillac dit Galiot ſieur d'Acier, grand maiſtre de l'artillerie.* [l] *Antoine, comte de Cruſſol, vicomte (puis duc) d'Uzez.* [m] *l'Agenois.* [n] *Renée Anne de Bonneval, dame de Chef-Boutonne.* [o] *Armand de Gontaut, baron de Biron.* [p] *de Sanzac.* [q] *de Carbajac.* [r] *Gaienne.* [s] *Saintes.* [ſ] *la Rochelle.* [t] *ceux de Marennes.* [u] *Brouage.* [v] *Sendre* [w] *le ſieur de Pons.* [x] *Leſcure, procureur general de Bourdeaux.* [y] *ceux d'Alvert.* [z] *Oleron* [aa] *la Gonbaudiere.* [bb] *Angleterre.* [cc] *Ver.* [dd] *le ſieur de Terrides.* [ee] *Bazourdan.* [ff] *Montauban.* [gg] *le capitaine Fontgrave.* [hh] *porte du pont de l'eau.* [ii] *Laboria.*

CIↃIↃLXII. enitenteis ſumma alacritate excipiunt, ac tandem deturbant, occiſis fere CC et captis
CAROLUS IX. ſcalis eo apportatis et ariete ipſo. Ea ſpe falſus Terrida S. Antonii ſuburbium capit. Poſtridie IX tormenta majora [a] Toloſa ſummiſſa, et IIII notha, III colubrinae cum omni bellico apparatu, IIII item ſigna in urbe conſcripta; et mox [b] Garda, Monmorius, Villa-magnus et Tilladetus cum VII ſignis ſecuti ſunt. Inciſi et fontis copioſiſſimi canales, non ſine magno obſeſſorum incommodo. Majore animorum obſtinatione defenſum an obſeſſum oppidum fuerit, haud facile eſt dicere; cum paſtores, qui permulti in eo erant, oppidanos ad extrema quaeque ſubeunda hortarentur, et aſſiduis concionibus confirmarent, et omni humanae opis adempta ſpe eo majorem divini auxilii fiduciam in animis illorum accenderent; [c] Terrida contra, qui re toties tentata ad dedecus ſuum pertinere exiſtimaret, ſi ea non confecta diſcederet, in propoſito magis ac magis animum obfirmaret. Itaque continuata obſidio per anni reliquum uſque ad Aprilem inſequentem; quo pacificatio in eo tractu ſancita eſt: quod omne tempus levibus proeliis, pulſationibus crebro tranſlatis, eruptionibus ac colloquiis tranſactum fuit. Ac XI Kal. Nov. cum IIII tormenta edito loco in munimentum ad Dominicanorum directa eſſent, et verberatione magno impetu continuata, Bazordanus vir ſtrenuus ac ſagax proceſſiſſet, ut ruinam factam exploraret, paulum dimoto umbone, quo tegebatur, infra laevam mamillam lethale vulnus accepit, ex quo ſtatim concidit: cujus morte cognita, paſtores jam ſibi liberi videbantur, cum Terrida poſtridie [d] Sanſalvio fratri, et [e] Garducio, qui Bazordano in munus ſucceſſerat, impetum cum delectis faciendum imperat; ſed ſuperata ruina, cum retro alium murum et aggerem ſupereſſe animadverterent, et interea in latus utrumque denſa ſcloppetariorum grandine peterentur, eadem celeritate, qua inſilierant, reſilire, amiſſis aliquot ex ſuis, et in iis [f] Altaripa Sanſalvii legato. Inde colloquium repetitum, Laboria ſatagente, ut conditiones acciperentur, et Terrida regii praefecti titulo in urbem admitteretur, ſalva in religionis cauſa regiis edictis conceſſa libertate: ſed nunquam paſtores et alii ab iis perſuaſi, ut aſſentiretur, adduci potuere: quod poſtea obſtinatis hominibus Laboriam ſuſpectum reddidit; cui primo adempta non citra injuriam munimenti ad Dominicanorum cuſtodia, mox et publica, quam in urbe obtinebat, adminiſtratio. Suſpicionem augebat, quod [g] Petrolongus, quem in Verenſi pugna captum diximus, et quem fama erat a Proteſtantibus defeciſſe, aliquoties colloquium ejus expetiiſſe dicebatur. Quas injurias ille aliquandiu diſſimulavit, donec ab arctiore obſidione diſcedente Terrida, excitatis ad omneis aditus propugnaculis, quibus [h] Eſpenanus Maſſei frater praeerat, urbs latiore cuſtodia cincta eſt. Tum vero ille IIII Non. Dec. qui paſtorum pertinaciam et inſolentiam videret, compoſitis nunciis oppidanorum animos ludentium et falſa ſpe implentium, urbem reliquit reditum pollicitus. Miſſi rurſus ad obſeſſos [i] Verlacus, qui a Terrida, cum auxiliares [k] Montalbano, Toloſatibus nuper laborantibus, ſummitterentur, captus fuerat, cum aequiſſimis conditionibus; et poſt eum a Monlucio Jo. [l] Treius Dariatus; qui ab occaecatis ſuperſtitioſa fiducia animis nihil impetrare potuerunt.

XXIV. PAULO ante Antonius [m] Cruſſolius poſt reditum ſuum ex aula, ubi per ejus abſentiam mirum in modum res mutaverant, per Helvetios in [n] Allobroges deſcenderat, et per [o] Charmiam in Vivarienſi agro poſtremo [p] Uticam venerat; ubi ab [q] Septimaniae ordinibus rogatus ſummam provinciae praefecturam regis nomine ſumere, primo recuſavit, donec delegatorum [r] Monpelii, Nemauſi, Biterrarum, Agathae tunc obſeſſae, Uticae, [s] Vivarii, Caſtri, Mimati ac Vauri, qui Nemauſi IIII Non. Nov. convenerant,

INTERPR. [a] *Toulouſe.* [b] *la Garde, Montmaur, Villemagne, & Tilladet.* [c] *de Terrides.* [d] *St. Solvy, meſtre de camp.* [e] *le capitaine Gardouche.* [f] *Hauterive.* [g] *de Pierrelongue.* [h] *Eſpenan frere de Maſſes.* [i] *de Verlac.* [k] *Montauban* [l] *Jean Treys,* dit *Dariat.* [m] *le comte de Cruſſol.* [n] *Dauphiné.* [o] *Charmes en Vivarais.* [p] *Uzez.* [q] *Languedoc.* [r] *Montpelier, Niſmes, Beziers, Agde.* [s] *Viviers, Caſtres, Mande, & la Vaur.*

convenerant, decreto ac precibus exoratus, provinciam ſuſcepit III Eid. Nov. et juſ- CIↃIↃLXII.
jurandum ab iis accepit, pro univerſis fidem aſtringente Carolo [a] Barga rerum capita- CAROLUS IX.
lium Monpelii quaeſitore. Tum leges ſcriptae ſuper quaeſtura et pecuniae regiae rationibus, vectigalibus, tributis, bonis ſacris, annonae et rerum venalium pretio. Decretum inſuper, ne Cruſſolius in ſuo comitatu ullos haberet, qui pontificiam religionem profiterentur, aut medii et cunctabundi eſſent; neque ulli munus aut praefecturam demandaret, niſi prius de ejus religione, vita ac moribus diligenti inquiſitione facta conſtaret. Tum ex praefecturis ſeu dioeceſibus delecti, ex quorum conſilio res adminiſtraret. Dein Eid. Dec. Nemauſum tanquam Septimaniae regis nomine praefectus ſolemni pompa ingreſſus eſt. Eodem fere tempore [b] Bulliargius, cum diu [c] Ludonii haeſiſſet, cognito XXX Italos cataphractos et LX ſcloppetarios equites [d] Laurentii fanum in Venaſcinenſi principatu tenere, atque vicinam regionem excurſionibus vaſtare ſtatuiſſe, tranſmiſſo [e] Rhodano locum ſuffodere aggreditur; et [f] Rupemaura machinas advehi curat, erumpenteiſque praeſidiarios intra munimentum cum damno compulit, qui nocte inſequenti locum deſeruere.

XXV. DUM haec ubique geruntur, [g] Gratiahopolitani ſummis anguſtiis conflictabantur, [h] Ponati initio ſocordia; qua utcunque diligenti [i] Cochii ſolertia ſarta, tamen novae in dies difficultates occurrebant, quae non niſi ſumma conſtantia ſuperari poterant, ad quam eos aſſiduis concionibus paſtores hortabantur; et in iis Stephanus [k] Natalis jam gravis annis, qui apud Angrunienſes diu hoc munere functus fuerat. Ad haec eos terrebant [l] Viennae, Buſſeriae et Caſſenatici praeſidia, a quibus infeſtabantur, et literae [m] Monbrunii, qui ab [n] Adretio ad Viennam ſedente evocatus urbem deſerendam et moenibus nudandam eſſe cenſebat. Sed his omnibus incommodis ac difficultatibus ſe majorem praebuit Cochius; qui, [o] porta ponti oppoſita et triclauſtrenſi raſtro obſerata, eaque parte, quae [p] Iſaram ſpectat, doliis terra et fimo oppletis munita; qua vero montes imminent, ſervatis et obſtructis a delecto milite aditibus, quod plebs in ea regione ob religionem pontificiam ſuſpecta eſſet; in turre item [q] Rabotia, quae in monte ſita eſt, ſpeculatoribus conſtitutis, regiones inter duces diſtribuit, et ſtationes diligenter obit. IX Kal. Nov. factus noctu impetus ad illam regionem, quae montes reſpicit, obſeſſis uti dixi ſuſpectam; a qua tamen hoſtes ejecti: ſed poſtridie ad triclauſtrenſem portam, S. Jacobi ſuburbium, et Dominicanorum coenobium, caſtra circumpoſita; cum in urbe tantum CC armati eſſent, et exigua admodum annona, quam parce ac religioſe diſtribuendam curabat Cochius. In caſtris hoſtium erant ad VI CIↃ, numeratis Italis et Hiſpanis, et plebe ruſtica, quae tanquam ad certam praedam convolaverat: ſed per abſentiam Maugironi omnia admodum confuſa erant, quippe [r] Caſſenatico Maugironi legato, quod parum rei militaris ſciens haberetur, duces aegre parebant, et ſublato obſequio, dum alter alterius ſententiam improbat, nihil agebatur; quod obſeſſis, ſecundum Cochii conſtantiam ac vigilantiam, ſummopere ſalutare extitit. Noctu fere tantum ad arma clamabatur, ut continuis vigiliis fatigati praeſidiarii tandem ad deditionem compellerentur. Ita tempore ad XVI Kal. Dec. extracto, jam annona deficiente, cum fruſtra ab Adretio auxilia expectarentur, Cochius, ut ſuam hoſti alacritatem et animi praeſentiam oſtentaret, ultro eum ad certamen provocat, et copiam pugnae cum C, XX, aut etiam cum minore numero fieri expoſcit; ſeque acceptis obſidibus cum ſuis proditurum confirmat, ea lege, ut, ſi vincerentur, urbem ipſe traderet; ſi [α] contra proelio ſuperior evaderet, Caſſenaticus obſidionem ſolvere teneretur.

VAR. LECT. [α] contra ſui ſuperiores eſſent, Caſſenaticus *D f.*

INTERPR. [a] *de Barges, juge & lieutenant criminel de Montpelier.* [b] *Bouillargues.* [c] *Leudon.* [d] *S. Laurent des Arbres au comtat Venaiſſin* [e] *le Rhône.* [f] *Roquemaure.* [g] *ceux de Grenoble.* [h] *le capitaine Ponat* [i] *le capitaine la Coche.* [k] *Noel, miniſtre de la vallée d'Angrongne.* [l] *Vienne, la Buſſiere, & Saſſenage.* [m] *de Montbrun* [n] *le baron des Adrets.* [o] *portes du Pont & de Treſcloiſtre.* [p] *l'Iſere.* [q] *la tour de Rabot.* [r] *le baron de Saſſenage.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

tur. Sed nequaquam conditiones acceptae: reſponſumque a Caſſenatico, ut cum ventre certarent; nam cum eo deinceps, quam ſecum, crudelius bellum fore. Itaque tandem fame coacti colloquium expoſcunt: et, jam datis utrinque obſidibus, de deditionis conditionibus agebatur, cum necopinato ac praeter ſpem praeſenti periculo erepti ſunt. Rembaldus [a] Furmeierus a quibuſdam [b] Valentiae et Romanii oppidanis vicem obſeſſorum miſerantibus arceſſitus, cum CCC [c] Vapincenſibus covenit; ibique circiter CCCC ſcloppetarios et XXC equites, quibus [d] Terrendelius provincialis praeerat, accepit; quibus ſe [e] Changius, Baronius, Berengarius Pipetus, alii ex nobilitate adjunxere, egregie animati, urbemque obſidione liberandam vel vitae periculo recepere. Prima ad [f] Noiaram difficultas occurrit, locum anguſtum, vulgo [g] Scalas dictum, inter montem et [h] Iſaram tranſverſo muro lapidibus ſine calce conſtrato clauſum, qua tranſeuntes ingentibus ſaxis ex alto a ruſtica plebe, quae anguſtias inſidebat, provolutis obruebantur: quas tamen Furmeierus cum ſuis fere citra damnum pertranſivit, occiſis aliquot ex ruſticis, et [i] Caſſenaticum tertio ab urbe lapide XVII Kal. Dec. ubi [k] Dracus ad urbem euntibus tranſmittendus occurrebat, incolumis pervenit: quo cognito a Caſſenatico CCCC equites cum flore peditatus mittuntur, qui tranſitum auxiliaribus intercluderent; quorum paucitatem contemnentes, ubi ad Draci ripam venere, copias dividunt, et partem in ulteriorem ripam, duce [l] Rupello ex Caſſenatica familia notho, praemittunt, qui ad lucum amni impoſitum in inſidias ſine ſtrepitu laterent, Furmeieranos jam progreſſos adorituri, undique a tergo ac fronte cinctos caederent; quod non imprudenter fortaſſe excogitatum Furmeieri virtute auctoribus in exitium vertit. Nam is, ſummo mane in adverſa ripa conſpecto hoſte, tamen ſe ad tranſitum parat; ſed, cum in amne eſſet, citius prodentibus ſe inſidiatoribus, ille nihil turbatus, et qua erat animi praeſentia id ſe conſilio facere fingens, quod neceſſitate faciebat, pedem retro fert, et eos aggreſſus ante oculos ſuorum caedit, atque in fugam vertit. Tum eadem alacritate tranſitum Draci repetit, ut cum aliis confligeret: qui ſuorum caſu territi, quamvis numero ſuperiores, non jam de pugna ſed de ſalute ſoliciti huc illuc diffugiunt: continuoque, ſoluta obſidione, [m] Mura ac Moguntiacum in Treviris, alia inſuper loca ab hoſte deſerta ſunt; admiſſo interim pernicioſo ab obſeſſis errore, qui [n] Buſſeriam non continuo duxerint, quo ſe ſtatim Itali concluſerunt, ex eaque magna damna urbi deinceps intulere; nequicquam ab oppidanis poſtea tentati, jam reſumptis animis, ita ut cum damno illi repulſi ſint.

XXVI. INTEREA [o] Adretium ad [p] Viennam haerentem multa male habebant; memoria injuriae, adempta [q] Lugduni praefectura et in [r] [α] Subizium tranſlata, acceptae; indigni inter ſuſpicaces homines de ſe ſparſi ſermones; ac poſtremo in injuriae parte numerabat, quod, cum [s] [β] Annoniaci Jo. [f] Monlucius Valentiae epiſcopus attineretur, et cum ſibi dedi poſceret, oppidani praepoſtera cunctatione ſeu tergiverſatione Valentino evadendi commoditatem dediſſent; quam indignam gratiam ſuis meritis rependi indignatus, refrigeſcente paulum priſtino ardore, quo ſe terribilem ſimul ac admirabilem hoſti eo anno reddiderat, paulatim ad componendas res animum adjicere coepit. Itaque literas [t] fano Symphoriani XVII Kal. Dec. ad [u] Nemoroſium dat; quibus petebat Italos duos in bello captos ſibi reddi; et inde occaſione captata [v] Gondrinii caedem excuſabat; et [w] Suſii ac Fabricii Serbelloni immanitate, qua erga [x] Arauſionenſeis uſi fuerant, factum dicebat, ut [y] Vaureaci,

Bolenae,

VAR. LECT. [α] Subizam D. ſ. o. d [β] Nonnaci D. f. o. d.

INTERPR [a] *Furmeyer.* [b] *Valence & Romans.* [c] *ceux de Gap.* [d] *le capitaine Terrendel provençal.* [e] *le ſieur de Changy, le capitaine Baron, & le ſieur de Pipet.* [f] *Noyare.* [g] *les Eſchelles.* [h] *l'Iſere r.* [i] *Saſſenage.* [k] *le Drac.* [l] *la Roquette.* [m] *la Mure & Mayence en Trieves.* [n] *la Buſſiere.* [o] *le baron des Adrets.* [p] *Vienne.* [q] *Lyon.* [r] *Jean de Parthenay-l'Archevêque, ſieur de Soubize.* [s] *Annonay.* [f] *de Montluc, evêque de Valence.* [t] *St. Saphorin.* [u] *le duc de Nemours.* [v] *le ſieur de la Motte Gondrin.* [w] *le comte de Suze, & F. Serbellone.* [x] *ceux d'Orange.* [y] *Vaureas.*

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

[a] Bolenae, Petraelatae contraria ſeveritate uſus fuiſſet, quo ſuorum deſpectum ac prope jacens nomen erigeret: de cetero fidem ac jura belli religioſe ſervaſſe; nullum humanitatis et officii genus erga nobilitatem et uxores adverſae factionis procerum praetermiſiſſe; nec vero ambitione aut alio pravo affectu arma ſumpſiſſe; ſed Condaei juſſu, qui ſecreta a regina mandata haberet, bellum pro regis ac Proteſtantium libertate contra regiorum edictorum violatores ſuſcepiſſe; quibus ſi idonee proſpiciatur, non recuſare, quin abjecta omni in Delfinatu praefecturae dignitate ipſi omne debitum obſequium deſerat. Ex quibus poſtremis verbis cum hominis occultam animi aegritudinem ſentiret Nemoroſius, homo ſagax, fortuna uſus eſt; et, miſſo ad eum [b] Gaſtio paulo ante capto, atque uno ex domeſticis [c] Duchio nomine, fidem ejus ac voluntatem periclitatur. Proteſtantes, genus hominum ſuſpicax, aliquot ante diebus [d] Cruſſolium et Odetum Colinium cardinalem Gaſparis fratrem, qui in Septimania cum Cruſſolio erat, per literas monuerant, multis ſibi indiciis conſtare, [e] Adretium ad defectionem ſpectare; rogaverantque, ut ejus rei Condaeum et Colinium maris praefectum certiores facerent: quod et illi fecere, miſſo nuncio, qui accepto a Colinio reſponſo [f] Lugdunum reverſus eſt; ſed prius toto literarum faſciculo ad [g] Briſſacum, ſub quo bellis [h] Subalpinis militaverat, delato: qui, cum injuriae ac contemptus animum Adretii impatientem noſſet, [i] Sanſornium cum faſciculo ad Nemoroſium legat, additis ad Adretium literis, quibus cum pro vetere amicitia monebat, ut ſe reſpiceret, et quo in pretio eſſet apud eos, pro quibus vitam, opes, fortunas tam libenter profunderet, ex Colinii literis ad cardinalem fratrem cognoſceret: additae etiam ampliſſimae conditiones; ſive regi militare, relicta Proteſtantium cauſa, ſive extra regnum migrare vellet; quo caſu ei c aureorum CIↃ [k] Argentinae numeranda ſuo ipſius nomine pollicebatur. His autem Colinii literis, quibus ad querelas de Adretio reſpondebat, perſcriptum erat, noſſe ſe Adretii ingenium: ſed, quando tam ſtrenuam hoc bello operam navaverit, inſolentiam ejus, qualis qualis ſit, ferendam eſſe; ne ex inſolenti, ſi aliter fiat, prorſus furioſus evadat; atque potius eſſe, ut is quaqua ratione placetur, nihilque in praeſentiarum intempeſtivum contra ipſum moveatur. His ergo per Duchium Adretio expoſitis et literis Colinii communicatis, non tamen ille, quamvis juſta indignatione commoveretur, ſe ſtatim tranſverſum agi ſinit, ſed conſilium de rebus ad concordiam reducendis proſequitur; vocatiſque in concilium [l] Senate, Poncenaco, [α] Blacono, Sauzeto, Moventio, Mirabello, Pega, Cugio et Batalio, quid Nemoroſius per delegatos petat, aperit, nimirum ut pacis in Delfinatu conſtituendae ratio ineatur, eamque ob rem ad colloquium deveniatur: quod ut tunc proceribus diſplicuit, ita, ut [β] Subizii ſententia exquireretur, ante omnia placuit; qui rem periculi plenam eſſe reſpondit, et de qua nulli praeterquam Adretio ſatis fideret, ac proinde, ut pro ſua prudentia et in rempublicam amore de ea decerneret, ejus arbitrio relinquere.. Cum reſponſum hoc ambiguum allatum eſt, feſſis bello pleriſque et ad quietem inclinantibus, jam obſides utrinque dati fuerant; a Nemoroſio [m] Monrevellii comes et Mandelotus, ab Adretio Poncenacus et Blaconus. Dum colloquuntur in ſecreto procul ab aliis haud longe a Vienna, Joannes [n] Mereus [γ] Politrotus Subizii domeſticus, qui cum Adretio venerat, injecto de Navarri morte ſermone grave ab imo pectore ſuſpirium ducens, Nondum abunde calamitatibus publicis hac caede parentatum eſt, inquit; major victima mactanda ſuperat: cumque a circum-

ſtantibus

VAR. LECT. [α] Blacone *D. f. o. d.* [β] Subizae *ubique D. f. o. d.* [γ] Poltrotus *D. f.*

INTERPR. [a] *Boulenes & Pierrelate.* [b] *du Guaſt.* [c] *la Duche.* [d] *Antoine comte de Cruſſol, & Odet de Coligny cardinal de Chaſtillon.* [e] *le baron des Adrets.* [f] *Lyon.* [g] *le mareſchal de Briſſac.* [h] *de Piedmont.* [i] *St. Sornin.* [k] *Strasbourg.* [l] *les ſieurs de Senas, Poncenat, Blacons, du Sauzel, Mouvans, Mirabel, du Peigne, Cugy, & Bataille.* [m] *le comte de Montrevel, & Mandelat.* [n] *Merey,* autrement *Poltrot.*

CIↃIↃLXII. ſtantibus interrogaretur, de qua victima intelligeret, [a] magnum Guiſiadem nominavit: porrectoque brachio dextro ac ſublata voce, Hoc eſt illud, quod, patrato tanto facinore, malis noſtris finem imponet: quod idem ſaepius poſtea dicere auditus eſt, coram etiam Subizio, qui furore potius quam certo conſilio cum id dici exiſtimaret, pro tempore neglexit. Cum vero de colloquio cum [b] Nemoroſio habito cum ſuis ageret [c] Adretius, primum ſe praeteritorum memoriam apud eum purgaſſe dicebat, tum in medium propoſitas pacandae provinciae rationes: quae fere erant; ut ipſe cum ſummo imperio in ea admitteretur; paſtores, qui turbis cauſam dare crederentur, ad tempus dimitterentur, ſalva cuique domi privatim in religionis ſenſu libertate: dein porrectas Colinii literas, quas Nemoroſius ultra modum exaggeraverat; poſtremo petitas aliquot dierum inducias: ad quae Adretius reſponderit; de re omni ſtatim ad proceres et provinciae ordines relaturum, et, quid ipſis placuiſſet, ei ſignificaturum. Haec ita ingenue fatebatur Adretius: quae alii aliter interpretati, cum dicta factaque ejus in malam partem acciperent, hominem generoſum nihil tale fortaſſe initio cogitantem, poſtremo irritatum, ad extrema conſilia praecipitaverunt. His actis, de copiis removendis agi coeptum, quae Lugduno jam annonae penuria laboranti ſummopere incommodabant: et Adretius quidem ipſe ad Subizium ultro proficiſcitur, eum conſulturus, an induciis comprehendi vellet; quod cum recuſaret, ille rurſus ad colloquium cum Nemoroſio redit, et inducias in VIII Eid. Dec. paciſcitur: quo facto, copias dimittit; et, induciarum beneficio uſus, poſtridie cum aliquot tormentis [d] Viennam devehitur: ibique tertio cum Nemoroſio collocutus ſecundo flumine [e] Spiritus ſanum tendit; fama crebreſcente de [f] Suſii expeditionibus, qui [g] Avenione cum viribus pontificiis egreſſus [h] Vaureacum et vicina loca occupaverat; quo mox ille ducit, et illa omnia ſine certamine fere in fidem recipit: inde [i] Montelium Adaemari, quo provinciae ordines convenerant, exeuntibus induciis, redit. Ibi frequenti conſeſſu Adretius, expoſito rerum ſtatu, et quibus anguſtiis premeretur, a milite, annona, et, quae praecipuus belli nervus eſſet, pecunia, multis verbis ediſſerit; tum, quid cum Nemoroſio tribus colloquiis egerit, refert; cui ſe reſponſum, cum de re omni ab iis decretum fuerit, daturum pollicitus ſit: interim hortatur, ut in commune conſulant, et matura ac prudenti deliberatione periculo imminenti praevertant. Ibi jam inclinantibus ad pacem animis, conditiones a [k] Remigio ſenatore Gratianopolitano perſcriptae ſunt aequiſſimae, et vel Proteſtantium confeſſione ipſis utiliſſimae: quas tamen paſtores praepoſtero religionis calore inflammati, et quidam ex vulgo haud paulo prudentiores, cavillati ſunt, ea maxime ratione, quod, quae Nemoroſius promitteret, ſervare non poſſet: etenim, quam ſpem eſſe, ut, qui fidem ante biennium [l] Caſtronovio et ſociis datam a Guiſio coactus non ſervaverit, eam nunc, illo ipſo Guiſio rerum potente, atque adeo triumviratu, Proteſtantibus ſervare poſſit? Ita renovata tumultus [m] Amboſiani invidia eum onerant: et [n] Changium ac quoſdam ex nobilitate ſuſcitant; qui, ut rem paene confectam turbarent, Adretium in hoſpitio, in quo erat, adeunt; et a juſtis armis inconſulto Condaeo ſe non diſceſſuros proteſtantur: quod adeo generoſi hominis ad injuriam ſuam privatam id pertinere exiſtimantis animum pupugit, ut e veſtigio chartam, in qua perſcriptae conditiones erant, coram omnibus concerpere et igni mandare impetum ceperit; ſed prohibitus a pacis ſtudioſis eas paucis mutatis rurſus in mundum redigi juſſit: ſed cum denuo in eorum conſeſſu perlegerentur, [o] Clauſonus interceſſit, ne iis ſubſcriberetur, donec diploma regium, quo Nemoroſio provinciae praefectura demandabatur, corrigeretur, quod in eo de rebellibus ac ſeditioſis mentio facta ad ipſorum dedecus et injuriam pertinere videretur. De eo Ordinum

CAROLUS IX.

decreto,

INTERPR. [a] *le grand Guiſard.* [b] *le duc de Nemours.* [c] *le baron des Adrets.* [d] *Vienne* [e] *Pont St. Eſprit.* [f] *le comte de Suze.* [g] *Avignon.* [h] *Vaureas.* [i] *Montelimart.* [k] *Remi, conſeiller de Grenoble.* [l] *le ſieur de Caſtelnau.* [m] *d'Amboiſe.* [n] *le ſieur de Changy.* [o] *Clauſonne.*

decreto, poſtquam [a] Spiritus fanum venit, quod per [b] Bulliargium et Spondillanum tentaſſe [c] Cruſſolium et cardinalem [d] Caſtellionaeum inaudiverat, per [e] Duchium ad ſe miſſum [f] Nemoroſium certiorem fecit: cumque [g] Boſenam uſque proceſſiſſet, ut cum Cruſſolio et cardinali agetet, ab amicis monitus, ex ſuſpicione conjectans ſibi paratas inſidias, continuo Spititus ſanum tevertitur, et inde [h] Valentiam, ubi Duchius ei occurrit, cum mandatis ac literis a Nemoroſio, quae illum hactenus nutantem et viam mediam honeſte a ſuis diſcedendi quaerentem per praerupta ad Nemoroſium inclinarunt. [i] Santalbanus, ſive inſita ambitione ſive a turbidis illis ingeniis perſuaſus, intet has altercationes ad Condaeum, cum ad Lutetiam haereret, excurrerat, et ſuſpectam maxime Adretii fidem indiciis undique artificioſe collectis reddiderat; perviceratque, qno provinciae ſecuritati conſuletetur, ut Condaeus eum ad ſe evocaret, colore quaeſito, ut ejus opera in graviſſimis negotiis uteretur, ſumma praefectura ſibi demandata: in eamque rem literas ad Adretium et provinciae nobilitatem ac mandata habebat; quae, capto eo et ipſius filio ad Taratrum montem, hodie Tararam vocant, una intercepta e et ad Nemoroſium perlatae fuerunt. Iis per Duchium intellectis, coram nobilitate, qnae Valentiae convenerat, de injuria a ſeditioſis quibuſdam, qui praefectura ipſum exuere per calumnias molirentur, ſibi facta palam et aperte conqueritur; tum concordiae rationes propoſitas urget. Decretum ibi a nobilitate, ut, ſi poſſet, quatuor menſium inducias a Nemoroſio impetraret; ſin minus, munete ſuo, ut antea, deſungeretur, et cuncta ad bellum neceſſaria compararet. Secundum haec duo majora tormenta educit, quaſi [k] Buſſetiam petiturus: moxque aliis ex nobilitate, prout infenſos aut obnoxios ſibi noſſet, imperium abrogat, aliis auget, captivos dimittit; atque in iis [l] Marſilium Guiſii amanuenſem hero percharum, ea tamen lege, ut [m] Monjoium Blaconi fratrem, qui [n] Gondrinium interfeciſſe credebatur, antea captum periculo eximeret: quae omnia a malevolis ſecus accepta, cum inde apud ſuos traducebant, inde magis ac magis ad ultionem accendebant. Itaque cum [o] Romanium veniſſet, et rurſus perſcriptas a [p] Remigio conditiones in nobilium conſeſſu recitari juſſiſſet, clauſulam in iis appoſitam, qua Condaci conſenſus exigebatur, induci jubet, quod tunc jam de capto Condaeo in Drocenſi pugna nuncium accepiſſet: coque magis concordiam urgebat, et, ut rem exequeretur, vim adhibere ſtatuit; et per [q] Bononiam ordinum ductorem ccc peditum delectorum cohortes a Nemoroſio impetrat, quas pet metatorem ſuum ad [r] Serram uſque deducendas curat, [s] Baronio, Portae ac Villeo fidis atqne eadem ſecum ſentientibus negotio dato, ut cum delectis profecti eodem tempore, quo ipſe a Nemoroſio miſſos Romanium non omnino ignaris oppidanis introduceret, Valentiae portas occuparent, et volenteis nolenteis provinciae Ordines ad pacis conditiones cogerent: verum, ſupervenientibus [ſ] Monbrunio, Moventio et Clerio a [t] Subizio ad id ſummiſſis, et oppidanos periculi ſui, ſi Nemoroſianos admitterent, admonentibus, [u] Valentinis etiam, ut ſibi caverent, pracmonitis, conſilium Adretii fruſtra fuit; et ipſe mox contrariae factionis, quae re detecta praevalebat, decreto, captus Valentiam ptimo deducitur: poſtea juſſu Cruſſolii, cui [v] Delfinatus praefecturam etiam Ordines detulerant, [w] Nemauſum a Bnlliargio perductus, et a delegatis judicibus interrogatus uſque ad pacificationem proximam ſub cuſtodia habitus eſt.

XXVII. Interea [x] Andelotus in Germaniam ad maturanda auxilia profectus multis difficultatibus conflictabatur: nam miſſo ab aula primum [y] Curtelario Germanicae

INTERPR. [a] *Pont S. Eſprit.* [b] *les capitaines Bouillarguet & Spondillan.* [c] *le comte de Cruſſol.* [d] *de Chaſtillon.* [e] *la Duche.* [f] *le duc de Nemours.* [g] *Boulenes.* [h] *Valence.* [i] *le ſieur de St. Auban.* [k] *la Buſſiere.* [l] *Marſeille ſecretaire.* [m] *Monjoux, beau frere de Blacons.* [n] *le ſieur de la Motte Gondrin.* [o] *Romans.* [p] *le ſieur Remi, conſeiller de Grenoble.* [q] *le capitaine Boulogne.* [r] *Serre.* [s] *les capitaines Baron, Portes, & Villieu.* [ſ] *les ſieurs de Monbrun, Mouvens, & Clery.* [t] *le ſieur de Soubize.* [u] *ceux de Valence.* [v] *Dauphiné.* [w] *Niſmes.* [x] *le ſieur d'Andelot.* [y] *Courtelari, interprete du Roi pour la langue Allemande.*

maniсae linguae interprete pridie Kalend. April. dein Henr. [a] Clutinio Oiſellio et poſt eum Jac. [b] Angeneo Rambulieto, nihil non actum fuerat, ut principes atque Ordines Imperii delectus recuſarent et per ditiones ſuas impedirent. Cum vero a Ferdinando Caeſare comitia in Nov. proximum ad inaugurationem filii Maximiliani in regem Romanorum indicta eſſent, Condaeus eo legaverat Jac. [c] Spiſamam quondam [d] Nivernenſem epiſcopum, hominem facundum ac vehementem, qui confeſſionem fidei, qualis edita eſt, in comitiis publice exhibuit, ut eam a monſtroſarum opinionum calumniis vindicaret; et inſuper treis orationes habuit; primam apud Ferdinandum, exhibitis etiam reginae literis, quibus fides fiebat, Condaeum reginae mandatu bellum hoc pro regni ac Proteſtantium cauſa contra regiorum edictorum violatores ſuſcepiſſe, quarum exempla ut in acta Camerae [α] aulicae referrentur, ut poſteris de rei veritate conſtaret, petiit et obtinuit; alteram apud Maximilianum regem Bohemiae in privato conclavi; ac tertiam denique apud Imperii principes; quibus poſtremo rogabat, uti regis pupilli defenſionem ſuſciperent, Condaeo pro eo militanti faverent, delectus [e] Rochendolſii et Ringravii auſpiciis factos revocarent. Sed incidit aliud grave incommodum, quod ſummopere res Andeloti in Germania conturbavit. Nam, cum initio Condaeus [f] Aureliani cum Jo. [g] Ratzembergo et Henr. [h] Schatinio de delectibus convenіſſet, eaque ſpe diu tempus exactum eſſet, illi, a regiis miniſtris ſive perſuaſi ſive, ut creditur, corrupti, ſe poſtremo excuſavere, appetente hyeme incommodam profectionem cauſati, et in ver proximum differendam dictitantes. Verum [i] Lantgravius propenſa, qua Condaei cauſam proſequebatur, voluntate, hanc difficultatem ſuperavit, Ratzembergo et Schatinio, quos compoſito ad deſpectum dicterio aeſtivos duces appellabat, cum ignaviae exprobratione valere juſſis; et, ne dux jam conſcriptis copiis deeſſet, Fridericum [k] Roltſhauſenum Heſſiae atque adeo equitatus ſui tribunum obtulit: quo ductore Andelotus tandem VI Eid. Oct. [l] Bacarae exercitum auxiliarem recenſuit, quamvis luſtratio in Kalend. ejuſdem menſis indicta eſſet. In eo erant equitum III CIↃ tantum ſub IX vexillis, et peditum XII ſigna, hoc eſt IIII CIↃ; cui ſe [m] Porcianus princeps cum C equitibus ex nobilitate Gallica adjunxit, et [n] Argentinam uſque ad ipſum venit. Paulo ante Andelotus febre quartana correptus fuerat; qua tamen ille nihil retardatus eſt, quo minus lectica vectus ſe in viam daret, per [o] Lotharingiam et per Burgundiam ſupra [p] Sequanae fontes itinere facto, et ad [q] Crevantium, ſuperato [r] Igonna, ut [s] Nivernium Campaniae praeſidem, cum numeroſis copiis praefecturae ſuae aditus ſervantem, et [ſ] Santandreanum, [t] Tricaſſeis jam ante, cum Navarrus [u] Rotomagum tenderet, cum equitum cataphractorum turmis XIII, levis armaturae vexillis ac Picardiae legione, eo miſſum, devitaret. Direptum in itinere [v] Cyri fanum, et Juſſium, quod portas aperire noluiſſent, et annonam petentibus ſuperbe reſpondiſſent. [w] Caſtrumvillanum item captum; ubi Franciſcani aliquot male mulctati ſunt. Tandem Andelotus per [x] Montargirium cum ala equitum Aurelianum, nam ceteras copias locis idoneis diſpoſitas reliquerat, VIII Eid. Nov. pervenit, cum Kal. ejuſdem menſis [y] Rupifulcaudius et Duracius cum CCC equitibus et CIↃ IↃ peditibus ex reliquiis Verenſis pugnae eodem appuliſſent. Magnis gratulationibus ac plauſu a Condaeo, qui obviam ei Jacobum [z] Bucardum miſerat, et Colinio maris praefecto fratre exceptus Andelotus; ut in cujus adventu poſt Rotomagum captum et [aa] Verenſem ſtragem ſpes omnes repoſitae eſſent. Jam omnia ante ejus adventum ad profectionem comparaverat

VAR. LECT. [α] Imperialis referrentur *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [b] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [c] *Spifame.* [d] *de Nevers.* [e] *de Rockendolf & le Rhingrave.* [f] *Orleans.* [g] *Ratzemberg.* [h] *Schachtein.* [i] *le Landgrave de Heſſe.* [k] *Rolthauſen, mareſchal de Heſſe.* [l] *Baccarat.* [m] *le prince de Porceau.* [n] *Strasbourg.* [o] *Lorraine & Bourgogne.* [p] *Ste Seine.* [q] *Crevant.* [r] *Yonne r.* [s] *le duc de Nevers, gouverneur de Champagne.* [ſ] *le mareſchal de St André.* [t] *Troyes.* [u] *Rouen.* [v] *St. Cyre & Juſſy.* [w] *Chaſteau-villain.* [x] *Montargis.* [y] *le comte de la Rocheſoucaud & le ſieur de Duras.* [z] *de Boucard.* [aa] *de Ver.*

verat Condaeus; qni a re nummaria maxime laborabat, in cujus adminiſtratione parum caſte Ant. [a] Fumeus verſatus dicebatur, quamvis alioqui tota vita inculpatus habitus fuiſſet. Ubi Germani venere, literas ad Germanos, qui in Guiſii exercitu erant, ſic illi loquebantur, mittunt; et eos a militia illa dehortantur, quae ad illos, qui puriorem doctrinam profitentur, exſtirpaodos ſuſcepra ſit; verum exiguo profectu: pauci tantum [b] Waldeci comitis ductu, deſerta Guiſii militia, in Coodaci caſtra tranſiere.

XXVIII. Biouo poſt captum Rotomagom ſormula literarum edita, qua cunctis, qui arma tuliſſent, aut pecuniam iis, qui in hoc regno adverſus regiam majeſtatem arma ſompſiſſent, auxiliave religionis cauſa [α] ſuppeditaſſent, aut aliter ſeditioſos conſilio operave juviſſent, urbes praeter contraque regis voluntatem occupatas adiiſſent, gratia praeteritorum fiebat, domum ſuam liberè redeundi et bonis ſuis pacate utendi ſruendi libertate conceſſa; ea lege, ut catholice deinceps vivant, nec Proteſtantium concionibus interſint, et ab armis in poſterum niſi regio juſſu ſumendis abſtineant. Excepti ab hac gratia ſeditionum per urbes ac rapinarum duces et auctores, templorum expilatores, qui pecuniae publicae adminiſtrationem procurariot, aut armorum mercaturam agitarint. Earum literarum beneficio uſi plerique; et in iis, Carolus [c] Halvinius Pienna et Bella-villa, reginae juſſu Condaci partes initio ſecuti, et tunc ab eadem revocati; hic [d] Santonum, ille [e] Belgii regulus, qui vulgari dicterio e lingua Santonica detorto [f] Quillebedoini, quaſi [β] deſertores et ignavi a Proteſtantibus indigetabantur.

XXIX. Condaeus contra aote profectionem Kal. Nov. ſcriptum prolixum evulgat; quo repetita praeteritorum tumultuum memoria, eorum culpam in [g] Guiſium, Momorantium et Santaodreanum rejicit; quorum ambitione factum ſit, ut aequae pacis ſarciendae rationes iniri non potuerint, edicta regia violata, urbes direptae, externi in regnum adducti, omoia divina humanaque jura confuſa ſint. Tum, quibus conditionibus tranſigere ſemper paratus fuerit, et nunc etiam ſit, demonſtrat, cauſam innocentiae ſuae Ordinum legitime convocatorum judicio ſummittens, omniumque adeo principum ac nationum, modo nulla praejudicata opinione imbutarum, ſimplici item et innocenti regis voluntati et arbitrio, modo ne captivitate aut vi prohibeatur, quo minus de cauſa omni ſemoto affectu dijudicare poſſit. Abeuntem proſecuti ſunt omni officio paſtores numero L: ſuiſque precibus ab eo contenderunt, ut exercitum ſcortis, rapinis ac ſoeditate omni purgaret; ſingulis legionibus paſtores ſuos aſſignaret, qui conciones apud milites haberent, et preces matutinas ac veſpertinas publice facereot, perſcripta etiam et publicata earum formula. Tum [h] Pithiverium in [i] Aurelianenſi ſilva cum peditatu Gallico et VIII tormentis omnis generis progreditur, municipium dives, quod IIII peditum ſignis tenebatur, qui, incenſis ſuburbiis, in pomoerio firmando laborabant. Cum praeſidiarii portas aperire recuſarent, admota tormenta; moxque ejus arbitrio deditio facta eſt III Eid. Nov. Sacerdotes in eo reperti crudeliter occiſi, Mathurinus [k] Garnerius et Franciſcus ordinum duces laqueo ſuſpeoſi, milites armis et omni re exuti; et ſacramento adacti, ne deinceps contra Condaeum militarent: copioſiſſimus commeatus inde in caſtra et Aurelianum aſportatus. Cujus rei ſama territi, qui [l] Baugeotiacum tenebant, locum deſeruot, [m] Magdunenſibus praeſidiariis in vacuum venientibus; et [n] Caſtellodunum retro ſe recipiunt. Momorantius iotcrea et Guiſius jam Lutetiam redierant, relicto in [o] Caletis [p] Ringravio, cui alioqui haud ſatis fidebant,

VAR. LECT. [α] ſuppeditarint — juverint — adierint *D. f.* [β] proditores *D. f.*

INTERPR. [a] *Fumée.* [b] *Waldeck.* [c] *de Halluin ſieur de Piennes, & le ſieur de Belleville.* [d] *Saintonge.* [e] *Pays bas.* [f] *Guilebedouins.* [g] *le duc de Guiſe, le conneſtable de Montmorency, & le mareſchal de St André.* [h] *Pluviers,* al. *Pethiviers.* [i] *foreſt d'Orleans.* [k] *les capitaines Garnier & Franciſque.* [l] *Baugency.* [m] *ceux de Meun.* [n] *Chaſteaudun.* [o] *pays de Caux.* [p] *le Rhingrave.*

fidebant, cum Germanicis equitibus, qui in hoſtico circa [a] Franciſcopolim et loca à Proteſtantibus occupata excurreret. Santandreanus vero, qui fruſtra Andeloti ingreſſum intercludere conatus, [b] Senonenſium civitatem, cui metuebat, venerat, cum [c] Stampas tenderet, locum alendo exercitui commodiſſimum, cognito Condaeum in propinquo eſſe, nulla interpoſita mora praetervectus eſt, relictis in oppido 11 peditum ſignis; qui poſtridie, levi armatura adveniente, in arcem confugiunt, et tandem cum enſe ac pugione dimiſſi ſunt. Non temperatum direptioni, errore eorum qui nondum aſſignatis hoſpitiis citius portas aperuere: ſed ſtatim licentia compreſſa, et annona, cujus in eo oppido ſemper magna copia eſt, in exercitus uſum per delegatos diſtributa. Heic deliberatum inter duces, [d] Lutetiam recta ducendum eſſet, an vicina loca prius occupanda; et, ſi quidem Lutetiam duceretur, ſuburbia capi ac diripi e re videretur: quae magnum terrorem imbelli vulgo, quod tumultibus cauſam dediſſet, injici apparebat: ſed quo tandem operae pretio? nam non propterea urbem capi poſſe conſtabat, in qua rex, regina et numeroſus exercitus eſſet; nec aliud ad Condaeum redibat, quam ut militem praeda, ſuos odio immortali oneraret, ſe vero, ſublata concordiae ſpe direptis tot innocentum bonis, inextricabili ac tandem damnoſo Proteſtantibus bello involveret. Addit Franciſcus [e] Lanovius, manifeſtum periculum fuiſſe, captis ſuburbiis, dum miles ad praedam vagus ac ſolutus diſcurreret, ne eruptione a praeſidiariis facta nullo negotio caederetur. Itaque, [f] Firmitate &[a] Auculſi ad Matronam, [g] Dordinga et Monte-Lerici in poteſtatem redactis, [h] Corbolium, quod a [i] Pavanio cum legionis Picardiae et Campaniae aliquot cohortibus tenebatur, duci placuit, oppidum [k] Sequanae impoſitum: quo capto et annona firmato multum urbi incommodabatur. xv Kal. Dec. juſſi praeſidiarii deditionem facere; qui, cum recuſaſſent, poſt leve certamen, auxiliaribus Lutetia ſummiſſis ac mox [l] Santandreani ſuperventu firmati ſunt. Cumque ſub id tempus Navarri mortis nuncius allatus eſſet, injecta per emiſſarios ſpe, fore ut Condaeus tanquam proximus in fratris defuncti locum ad dignitatem ſuccederet, regina eum ad colloquium per R. [m] Hoſpitalium Sanmemium vocat; quod fruſtra fuit. Diſploſis poſtridie tormentis et ſcloppetorum in Condaeanos ictibus, longe diſpari eventu vulnerati ſunt, hinc Robertus [n] Stuartus, in femore interiore colubrinae accepto vulnere, ex quo rara felicitate mox prorſus convaluit, ita ut ex eo non claudicaverit; inde [o] Antonius Alegrius Milialdus, qui in crure ſcloppeto ictus vix decennio toto omnino ſanari potuit. Dein x Kal. Dec. Arthurus [p] Coſſaeus Gonnorius ad Condaeum cum reginae mandatis miſſus; quibus colloquium ejus expoſcebat. Inde a Corbolii obſidione, ad quod impetum fieri jam non niſi periculoſe poterat, diſcedendi occaſione ſumpta, Condaeus Lutetiam verſus tendit, medio Sequana inter utrumque exercitum, qui ſe in alterutrius conſpectu incedendo mutuis ſcloppetorum ictibus indeſinenter petebant. Tandem ad [q] [a] Judaeorum-villam biduo poſt Condaeus venit; ac poſtridie [r] Salicetum, quod eſt virginum devotarum coenobium, ab illis tunc deſertum. Ibi colloquii repetita mentio: et cum ad [s] portum-Anglorum ventura eſſet regina, Condaeus, ſive ob valetudinem, ſive inſidias metuens, ſe excuſavit; et [t] Colinium miſit, qui cum [v] Momorantio avunculo diu collocutus eſt. Momorantius vero, ut ſuſpicionem purgaret, ultro Sequanam tranſmiſit, et ad Condaeum venit,

VAR. LECT. [a] Auculſi *deeſt* D. f.

INTERPR. [a] *Havre de Grace.* [b] *Sens.* [c] *Eſtampes.* [d] *Paris.* [e] *de la Noue.* [f] *la Ferté Alais.* [g] *Dourdan & Montlehery.* [h] *Corbeil.* [i] *le ſieur de Pavan.* [k] *la Seine.* [l] *le mareſchal de St. André.* [m] *de l'Hoſpital, ſieur de Ste Meſme.* [n] *Stuart.* [o] *Antoine d'Alegre, baron de Millaud* [p] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [q] *Juviſy.* [r] *la Sauſſaye.* [s] *port l'Anglois.* [t] *l'amiral de Coligny.* [v] *le conneſtable de Montmorency.*

NOT. [a] Dele *Auculſi ad Matronam*: Lege *Adelhaidis*. Sic Bez. H. E. l. 6. p. 192. Popelin. l. 9. p. 339. Firmitas Alepia ſeu Adelhaidis (*la Ferté Alais*) Stampas inter et Corbolium ſita eſt. Condaeus nec Matronam appropinquavit, nec Sequanam quidem tranſmiſit, Lutetiam verſus medio Sequana inter utrumque exercitum tendens. C.

[a] Dele *Judaeorum villam*: Lege *Juviſium*.

venit, adducto ſecum [a] Nivernio ſororis Condaci filio; quem Condaeus graviter increpuit, fidem datam identidem repoſcens. Inde progreſſus exercitus: et prima acies, quam Colinius ducebat, et in qua [b] Porcianus ac Moius erant, triduo poſt ad S. [c] Victoris ſuburbium vim facit, tanta Pariſienſium conſternatione, ut, ſi nullo praeſidio ſuburbia firmata fuiſſent, urbem deſerturi et portas aperturi fuiſſe credantur. CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

XXX. TUNC [d] Aegidius Magiſter ſenatus princeps jam aevo gravis ex morbo decumbebat, qui audito per urbem diſcurrentium fragore tantum pavorem concepit, cum ſe a Proteſtantibus peti crederet, ut ex eo mox deceſſerit; [α] vir juris noſtri prudentiſſimus, per omneis togae gradus ſecunda ſolertiae fama ad hoc faſtigium evectus. Poſt ejus mortem repertae inter adverſaria deciſiones de ſubhaſtationibus, regalibus in ſacerdotia juribus, de appellationibus ab abuſu, quas vocant, publicatae ſunt; quae pro ratis ſententiis ubique in cunctis regni tribunalibus habentur, tantique viri laudabilem memoriam in animis noſtrorum hominum intermori non ſinunt. Hujus in locum ſuffectus eſt Chriſtophorus [e] Thuanus, propter animi moderationem et incorruptum reipublicae amorem, quem vir ab omni factione alienus et nulli parti addictus ad extremum uſque vitae ſpiritum, re domeſtica neglecta, ſervavit, a regina ad id munus delectus; in quo ſe ita geſſit, ut, cum magnam de ſe ſpem apud bonos ante adeptam dignitatem excitaſſet, eam in magiſtratu auxerit; et, eodem vitae tenore perpetuo uſus, turbulentiſſimis regni temporibus rectum clavum ſemper tenuerit, reginae ac regibus acceptus, civibus ſuis charus, et ſenatui, incertum, ob ſummam innocentiam ac beneficentiam amabilis magis, an ob raram et exquiſitam in ſummo munere obeundo peritiam ac diligentiam venerabilis. Secundum haec diſtributa hoſpitia: peditatui in vallibus [f] Montiſ-rubri et Vallis-girardi vicis ſubjectis; Porciano ad [g] Gentiliacum, [h] Jenliſio ad Montem-rubrum aſſignatus locus. Condaeus cum [i] Colinio [k] Arcolii, Germani equites [l] Caſſani hoſpitium habuere. In exercitu erant circiter VIII CIↃ peditum et V CIↃ equitum, II murales machinae, I colubrina et IIII campeſtria tormenta. Regii circa foſſam et aggerem, quo ſuburbia ab ea parte muniverant, ſe continebant. Poſtridie acies inſtructa; tantumque tormentis certatum, quorum diſploſione aliquot Germani equites diſcerpti ſunt. Die ſequenti rurſus in aciem prodit Condaeus: cum eoque in ſequentem diem rurſus colloquium condicitur. Itaque IIII Non. Dec. regina cum Carolo cardinali Borbonio fratre, [m] Rupiſurionio, Ann. Momorantio et ejus filio equitum tribuno ac Gonnorio ad molatriuam haud longe a [n] Sammarcelliano ſuburbio venit; et Condaeus cum Colinio, Jenliſio, [o] Grammontano et Jo. Raguierio Sternaco: ibi a Cl. [p] Albaſpinaeo poſtulata Condaci ſcriptis mandata ſunt; quae fere erant, ut Proteſtantibus, ubicunque peterent, libere conveniendi facultas eſſet, ubi non peterent, non eſſet; quo conceſſo Angli et peregrinae omnes copiae confeſtim regno excedant, et urbes in ſtatum priſtinum reſtituantur; nullum ullis in vita, bonis ac conſcientiae libertate periculum creetur; liberum concilium ad faciendam concordiam habeatur intra VI menſeis; quod ſi intra illud ſpatium non poſſit, nationale in Gallia celebretur, cui cunctis intereſſe liberum ſit: de quibus omnibus idonee caveatur. Haec ſecum cum aſportaſſet regina, re communicata, reſpondet; quod ad primum caput, regem velle, ut Lutetia cum ejus territorio, [q] Lugdunum et urbes in limite poſitae, eae item, in quibus ſupremae regni curiae ſederent, numero eximerentur; et ea loca denique, in quibus poſt edicti Januarii promulgationem Proteſtantes hactenus non

VAR. LECT. [α] Hoc Aegidii Magiſtri elogium per quinque lineas deductum *deeſt* D. f. o.

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *le prince de Porceau, & le ſieur de Mouy.* [c] *fauxbourg de S. Victor.* [d] *Gilles le Maiſtre, premier preſident du parlement de Paris.* [e] *de Thou.* [f] *Montrouge & Vaugirard.* [g] *Gentilly.* [h] *François d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [i] *l'amiral de Coligny.* [k] *Arcueil.* [l] *Caſſan.* [m] *le prince de la Roche ſur Yon, le conneſtable & le mareſchal de Montmorency, & Artus de Coſſé ſieur de Gonnor.* [n] *fauxbourg S. Marceau.* [o] *le ſieur de Grammont, & Raguier d'Eſternay.* [p] *de l'Aubeſpine.* [q] *Lyon.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

non convenerint; additum, ut eccleſiaſtici templis ac bonis reſtituantur, ſacra in iis more majorum peragantur. Mox replicatum a Condaeo, ut, ſi in urbibus in limite poſitis convenire non liceret, in ſuburbiis ſaltem earum aut aliis locis, ſi ſuburbia deeſſent, vicinis, locus aſſignaretur; nobilibus, baronibus, caſtellanis et merum imperium in ditione ſua habentibus, nec aliis, publice conciones habendi jus eſſet. Poſtridie, qui in pridie Non. Dec. incidebat, ad eundem locum conventum: et quia de cautionibus nondum actum fuerat, nova poſtulata a Condaeo proponuntur; ad quae reſponſum eſt: cumque reſponſa turbulentis minime ſatisfacerent, explorato regiorum aggere ac ſtationibus per Nic. [a] Paſſum Feguerium, de invadendis iis aſtu nocturno conſilium captum eſt; verum, dum alii alios exſpectant, superveniente aurora fruſtra fuerunt. Biduo poſt repetitum idem conſilium, jam ſuſpecta Jenliſii fide, quod honorificentius de Guiſio, ſub quo militaverat, loqueretur, pacis conditiones a regina propoſitas aequas diceret, pacemque vel iniquis conditionibus juſtiſſimo bello civili anteponendam familiari ſermone uſurparet, et cum [b] Danvilla nuper diu collocutus eſſet. Itaque clam illo initum, quamvis ipſius opera ad id egerent duces; ſed convenerat, ut, quando per Montem-tubrum iter faciendum eſſet, quod erat Jenliſio aſſignatum hoſpitium, cum hora rei exequendae adveniſſet, illum non ante monitum aſſumerent, ne tempus rei evulgandae daretur. Verum accidit, ut, dum deliberatur, ipſe ſupervenerit; reque cognita, alacritatem vultu praeferens, tanquam ſe ac ſuos ad expeditionem paraturus in hoſpitium ſuum conceſſerit, mox profunda nocte poſt coenam, ſupellectili argentea et ſarcinis collectis, cum [c] Avareto equum conſcendit, et ſtationem regiam praetervectus, quid ſibi conſilii eſſet, Avareto aperit; nimirum decreviſſe domum concedere, quando pacis conditiones repudiarentur, neque propterea a religione vel a Proteſtantium ſocietate diſcedere, idemque ut faceret hortatus. Cum recuſaret Avaretus, ipſe Lutetiam ſe recepit: ille vero, cui praeter ſpem et opinionem acidiſſet, continuo ad Condaeum redit; qui, diſceſſu Jenliſii cognito, veritus ne ille rem apud hoſteis evulgaſſet, et teſſerae beneficio contrarium aſtum redordiretur, ſtatim hoſpitia circuit; mutataque teſſera, ut diligenter excubias agerent, imperat. Biduo ſequenti reſumptae pacis conditiones, et novae a Condaeo additae; de quibus rurſus cum non conveniret, obfirmatis ad bellum Proteſtantium animis, ſine ſpe concordiae a colloquio diſceſſum eſt; cum biduo ante Vaſconicae et Hiſpanicae copiae, quas poſt [d] Verenſem pugnam [e] Monpenſerius ad regem ducendas L. [f] Prevotio Sanſaco commiſerat, per [g] Vindocinos ac [h] Perticenſem agrum itinere facto, et ad [i] Medontam [k] Sequana tranſmiſſo, ad exercitum veniſſent.

INTERPR. [a] *de Pas, ſieur de Feuquieres.* [b] *Henry de Montmorency, ſieur de Damville.* [c] *Davaret, lieutenant de ſa cornette.* [d] *de Ver* [e] *le duc de Montpenſier.* [f] *Prevoſt de Sanſac.* [g] *le Vendoſmois.* [h] *le Perche.* [i] *Mante.* [k] *la Seine.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER TRIGESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

CONDAEO a Lutetia recedenti oſtentum factum et fatale ſomnium viſum. II. *Drocenſe proelium maxime memorabile; in quo, captis aut occiſis ducibus regiis, penes Guiſium victoria et imperium remanet. Ann. Momorantius captus, amiſſo Gabriele Mouberonio filio. Santandreanus ob privatam injuriam a Baubinio interfectus. Condaeus captus et humaniſſime a Guiſio habitus. Oſſunius fame ſpontanea moritur.* III. *Franciſci Turnonii cardinalis obitus et elogium; Pauli Thermi equitum tribuni, P. Martyris Vermilii, Jacobi Hollerii, Gabrielis Fallopii, Bartholomaei Cavalcantii.* IV. *Regina Heſſo, a quo Germanarum copiarum dux* [a] *Rotelhuſius miſſus fuerat, ut regem ipſamque captivitate, in qua a triumviris detineri dicebatur, eximeret, diplomate fidem facit, regem ſeque nunquam in captivitatem conjectos, nec ulla in re contra voluntatem quidquam facere coactos, nec Proteſtantibus, ut arma ſumerent, aut delectus per Germaniam haberent, edixiſſe vel mandaſſe.* V. *Armanni Claromontii Pilii in Aquitania poſt Monpenſerii inde diſceſſum geſta.* VI. *Montalbanenſes in fidem a regina accepti.* VII. *Annoniacum in Vivarienſi pago miſere vaſtatur ac incenditur.* VIII. *Peculiare contra Proteſtantes foedus Armeniaco et Strozzio cardinalibus auctoribus initum; quod et in acta a ſenatu Toloſae relatum eſt.* IX. *In Fuxenſi principatu ad Pyrenaeum res turbatae. Proteſtantium laſcivia per templa, paſſim dejectis altaribus, ſtatuis et imaginibus, diſcurſantium. Lombati fratres, et eorum immanitas et graſſationes.* X. *Lugdunum a Nemoroſio tentatum; et Subizii virtute defenſum, ac tandem ab eo Vido Deſpeo equitum tribuno poſt pacificationem traditum. Liber, quo principis et magiſtratus auctoritas detortis cavillatorie e ſcripturae locis in dubium revocabatur, paſtorum judicio in presbyterio damnatus et annitente Subizio publice combuſtus.* XI. *Gratianopolis tertio a Maugirono poſt Adretii captivitatem obſeſſa, Cochio et Furmeiero contra ſtrenuam operam navantibus.* XII. *Colinius pleraque loca in Biturigibus et Turonibus capit.* XIII. *Guiſius, Aureliani decreta obſidione, Stampas venit, et inde Duracium dejicit. Regina cum rege Bloeſas venit Condaeum ſecum trahens. Prodigia et inſolitae coruſcationes ac tonitrua.* XIV. *Cadomum a Colinio in Neuſtria inferiore captum.* XV. *Nonis Februariis ad Aurelianum poſita caſtra. Turriculae captae et porta Aquenſis.* XVI. *Guiſius a Joanne Poltroto Mereo juxta axillam ſcloppeto diſploſo feritur; qui mox captus rem fatetur, et Colinium et Bezam quaſi ab iis ſubornatus onerat. Utrinſque apologia, qua tanti criminis invidiam a ſe depellunt.* XVII. *Guiſii morientis extremae voces tanto viro digniſſimae, virtutes, elogium.* XVIII. *Regina, Guiſio, cujus potentiam ſuſpectam habebat, mortuo, Chriſtophorum Wirtembergicum per Raſcalonem ſolicitat, ut in Franciam veniat, et in pacificando regno operam ſuam cum Proteſtantibus interponat.* XIX. *Charitaeum*

NOT. [a] *Roltſhauſenus.* Put L.

XIX. *Charitaeum ad Ligerim a Bloſſeto interceptum.* XX. *Baiocaſſium civitas, Cadomo dedito, in Colinii poteſtatem venit. Julii Ravilii Ruſi indigna mors.* XXI. *Poltrotus Lutetiam ducitur et a ſenatu poena perduellionis plectitur. Ejus variae et ſubinde mutatae confeſſiones.* XXII. *Edictum pacificationis.*

EX AUCTORIBUS,

L. Vicino P. P. Jo. Serrano, Th. Bezae Hiſt. Eccl. Blaſii Monlucii commentariis, Fr. Lanovii item commentariis, Actis Curiae Pariſienſis.

LIBER TRIGESIMUS QUARTUS.

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX.

ERRORE [α] de obſidenda [a] Lutetia ſero tandem agnito, Condaeus, cum nihil caſtris ad urbem poſitis promoveret, IIII Eid. Dec. ſummo mane vaſa conclamat, incenſis fere hoſpitiis, quamvis id veritus etiam capitis poena propoſita vetuiſſet. Ita [b] Mons-ruber a Germanis, [c] Arcolium a [d] Joanne Roano Frontenaco, et [e] Caſſanum momento inflammata, et mox [f] Antonii-pons. Ipſe primis caſtris [g] Palatiolum, alteris [h] Limoroſium venit, [i] Valentinae voluptuariam arcem; quam tamen a militari injuria integram ſervavit. Ad [k] Arnoldi fanum cum tertiis caſtris veniſſet, oppidani ab imprudentibus ſacerdotibus, qui ſibi a milite infeſto metuebant, perſuaſi portas clauſere. Igitur facta vi captum et direptum municipium, ſacerdotibus male mulctatis. Biduum ibi ad reficiendum tormentorum apparatum ac militem inſumptum eſt. Cum vero regii mox abeunteis inſecuti [l] Stampas uſque veniſſent, quas cum II ſignis [m] Duracius tenebat, et flexo itinere eas praetervecti eſſent, oppidum capi alioqui facile, conſultatum inter duces fuit; et quibuſdam [n] Autricum Carnutum ducendum placebat, locum ſitu firmum et copioſiſſimo commeatu tota [o] Belſia maxime abundantem: ſed cognito amplum praeſidium in oppidum introductum, Condaeus, qui colloquiis et induciarum protelationibus ſe deluſum indignabatur, repetendam Lutetiam cenſebat; quod ſi fieret, primo impetu aggerem et ſuburbia milite vacua occupari poſſe, eoque ſucceſſu triumviris ingreſſum in urbem intercludi; et, cum magno circuitu ad tranſmittendum fluvium iis opus ſit, interim terrore urbi injecto ad aequiores fortaſſe conditiones obſeſſos cogi poſſe. Verum interceſſit Colinius, qui, captis ſuburbiis, medios inter urbem et hoſtilem exercitum Condaeanos relinqui demonſtrat; quo futurum eſſet, ut annonae penuria ſtatim premerentur, ex eoque exercitus diſſolutio ſtatim ſequeretur: audiri jam paſſim non occulta murmura Germanorum, qui majorem exercitus partem efficiant, promiſſa ſtipendia non repraeſentari querentium; quas ad querelas ſi commeatus anguſtia accedat, in apertam ſeditionem ac defectionem eos procul dubio erupturos: itaque potius eſſe affirmabat, ut flexo in [p] Neuſtriam itinere tenderent; et, ad [q] Franciſcopolim acceptis Anglis, peditatu, quo hoſtes abundent et ipſi egeant, ſe firmare, et pecunia, quae ex [r] Britannia expectatur, Germanos utcunque placare poſſint. Quae ſententia obtinuit, facta ſpe a [s] Perdierio Baubinio, qui in exercitu erat, [ſ] Droci oppidi capiendi, loci ad exercitum excipiendum percommodi, quod ex [t] Mazeria ſua arce loco vicina ſibi facile factu dicebat; ſed re nihilominus tunc tentata fruſtra fuit. Colinii conſilium,

VAR. LECT. [α] Itaque errore tandem ſed ſero agnito *D. f.*

INTERPR. [a] *Paris.* [b] *Mont-rouge.* [c] *Arcueil.* [d] *Jean de Rohan, ſieur de Frontenay, frere d'Henry I. vicomte de Rohan.* [e] *Caſſan.* [f] *pont Anthony.* [g] *Palaiſeau.* [h] *Limours.* [i] *la ducheſſe de Valentinois.* [k] *S Arnoul en Beauſſe.* [l] *Eſtampes.* [m] *le ſieur de Duras* [n] *Chartres.* [o] *la Beauſſe.* [p] *Normandie.* [q] *Havre de Grace.* [r] *Angleterre.* [s] *Perdriet, ſieur de Baubigny.* [ſ] *Dreux.* [t] *Mezieres.*

lium, etſi audax ac periculi plenum pleriſque videbatur, quod, regiis utramque CIↃIↃLXII.
[a] Sequanae ripam tenentibus, Condaeus, cui tranſfretare fluvium neceſſe eſſet, vix CAROLUS IX.
citra certum exitium Franciſcopolim petere poſſet, tamen ob Germanorum ad tumultum ſpectantium metum a cunctis approbatum eſt. Itaque [b] Ablium XVIII Kal. Jan. ac poſtridie [c] Galardonium itum; ubi oppidani, quod portas aperire recuſaſſent, vi capto oppido, male mulctati ſunt, ſeditionis auctoribus etiam ſupplicio affectis. Poſtridie, cum ad [d] Mintenonium, quod eſt [e] Rambulietorum caſtellum, copias tranſvadaret Condaeus, obviam vetulam habuit, quo ſpiritu incitatam incertum, quae, concurrente ad ſpectaculum ruſtica plebe, ſe in rivum conjecit, ita ut mammis tenus extaret, prenſiſque Condaci ocreis ipſum ſiſtit; et, horrido ad eum converſo vultu, Perge, inquit, o heros; multa adverſa patieris: ſed Deus praeſto eſt, qui te imminentibus periculis expediet. Ad quam vocem nihil aliud reſpondit ille, quam ut ſe precibus apud Deum commendatum haberet. Inde [f] Alnetum tendit. Nocte vero, quae eum diem praeceſſit, ſibi per ſomnum viſus eſt Condaeus, ut ipſe tunc ſub veſperam ſuis narravit, tria proelia conſerere, in quibus triumviri ceciderint; quarto demum ſe lethali vulnere confectum, ac mortuorum accumulatis cadaveribus impoſitum animam exſpiraſſe: quod ille Theodoro Bezae cum narraret, ex eo poſtridie, contra quam Colinius ſentiebat, ſe pugna cum hoſtibus congreſſurum conjectabat: nec augurio fides defuit.

II. NAM cum metatorum incogitantia Condaeus aciem ducens, Colinium, qui dextrum cornu tegebat, leucam amplius praetergreſſus eſſet, errore agnito, Colinius auctor fuit, ut diem integrum ſubſiſteretur, dum reſtituto ordine ipſe cum dextro cornu aciem antecederet: quod conſerendi proelii neceſſitatem impoſuit. Nam ſi, relicto ad dextram Droco, ad laevam [g] Caſtrum-novum verſus flexiſſet, regios antevertere et inſtitutum iter citra certaminis neceſſitatem perſequi potuiſſet: verum ea mora effectum, ut nocte inſequenti duobus locis regii ſine tubarum ac tympanorum ſtrepitu [h] Momorantii mandatu amnem vado tranſmiſerint, traductis etiam tormentis, tanta celeritate, ut Condaeus toto eo tempore vix ſe hoſpitio moverit, neminem, qui de hoſtium rebus cognoſceret, praemiſerit, nec pagos, qui [i] [α] Duriae fluvio vicini erant, ceperit; quos regii mox tranato fluvio occupavere, colle etiam viribus conſito haud longe ab oppido, cui planities ſpatioſa ſubeſt, inſeſſo. Interea [k] Neronio Colinius ſummo mane, uti convenerat, diſcedit; et Condaeus per planitiem ſuo ordine iter capeſſit: quo ex tympanorum pulſu cognito, Armanus [l] Guntaldus Bironus caſtrorum praefectus vir impiger mittitur, qui mox Momorantium monet, Condaeum eum toto exercitu incedere; et, niſi in veſtigio caſtra metetur, fore, ut intra horae ſpatium ad manus utrinque deveniendum ſit. In regio exercitu erant XVI CIↃ peditum, II CIↃ equitum; qui inter [m] Spinam et Blanvillam pagos incedentes ita inſtructi erant, ut primum cornu in hoſtem aequata ubique fronte exporrigeretur, equitatu, quo minus valebant, inter quadrata peditum agmina turmatim diſpoſito; qui pagis illis utrinque ad dextram ac laevam regebantur: et ad dextram quidem Hiſpani, nam equites nulli ad eam partem erant, muris pagi, convectis praeterea carris protecti ſtabant; eorum laevam regebant [n] Guiſius et Broſſius cum ſuo equitatu; quos ordine interjacebant Vaſconicae copiae, quarum rurſus latus tegebat [o] Santandreanus: deinde collocati erant Germani pedites; poſt eos [p] Aumalius et [q] Damvilla primum cornu claudebant; in quo omnino erant XIX loricatorum equitum alae, XIIII Hiſpanorum, XXII veteranorum Gallorum, XI Germanorum peditum

VAR. LECT. [α] Durae *D. f.*

INTERPR. [a] *la Seine.* [b] *Ably.* [c] *Gallardon* [d] *Maintenon.* [e] *de Rambouillet.* [f] *Anet* [g] *Chaſteauneuf.* [h] *le conneſtable de Montmorency.* [i] *la reviere d'Eure.* [k] *Neron.* [l] *de Gontaut, ſieur de Biron.* [m] *l'Eſpine & Blanville.* [n] *le duc de Guiſe & le ſieur de la Broſſe.* [o] *le mareſchal de St. André.* [p] *le duc d'Aumale.* [q] *Henry de Montmorency, ſieur de Damville.*

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

peditum ſigna, XIIII inſuper tormenta: proxime ſtabant Helvetii; et poſt eos Momorantius, et N. [a] Brichanteus Bellovaſius: tum, interpoſito [b] Armoricanorum agmine quadrato, [c] Sanſacus cum equeſtri turma ultimum aciei latus claudebat, et ad pagum uſque ad laevam poſitum pertingebat. In acie omnino erant XVII cataphractorum equitum vexilla, levis armatura omnis, XXII Helvetiorum, XVII Gallorum peditum ſigna, cum VIII tormentis. Sic autem incedebat Condaeanus exercitus, ut in primo cornu, quod Colinius ducebat, CCCL cataphracti equites eſſent, IIII Germanorum equitum vexilla, VI Germanorum et II Gallorum peditum ſigna; in acie CCCCL equites cataphracti, VI equitum Germanorum vexilla, VI Germanorum, XII Gallorum peditum ſigna: quibus acceſſerant equitum ſcloppetariorum VI vexilla, pro levi armatura, quibus G. [d] Cureus praeerat. Cum jam propinquaret Condaeus, [e] Andelotus, qui quartana laborans eo forte die acceſſione recurrente vexabatur, e lectica, qua vehebatur, in equum gradarium cum veſte pellibus farta ſe ſubjecit, regiorum aciem tutum necne eſſet eam aggredi contemplaturus: et, cum rem periculi plenam judicaret, auctor fuit, ut, ſi poſſent, certamen devitarent, et [f] Treonum eo die peterent. Igitur illo miſſi metatores; et Condaeus jam latus dextrum pandens Treonum verſus tendebat, cum Momorantius tormenta diſplodi jubet: quorum pulſatione disjecti ſcloppetarii equites in fugam effunduntur, et Germani equites accelerato gradu in proximam vallem ſervatis ordinibus ſe abdidere. Tum vero Condaeus ex neceſſitate conſilium capit; et pugnandi calore primum cornu praetervehitur, mediam aciem atque adeo Helvetios petens; magno errore; quippe integro primo cornu relicto, et peditatu ſuo poſt terga ad primae aciei impetus expoſito: ſed nulla in re magis peccavit, peritiorum judicio, quam quod, cum equitatu valeret, peditatum, qui profligato equitatu aut ſolutus fuiſſet aut deditionem feciſſet, non autem equitatum aggreſſus eſt. Arthurus [g] Valdraeus Moius, et Avaretus, qui [h] Genliſio ſucceſſerat, primi Helvetios in latus petiere, tanto impetu, ut ſolutis ordinibus medios tranſgreſſi fuerint. Condaeus, qui pone ſequebatur, Helvetici agminis ima terga profligavit: tum Germani equites in ſolutos effuſi magnam eorum ſtragem edidere: cumque Damvilla, qui inter Helvetiorum et Germanorum agmen ſtabat, ut laborantibus opem ferret, cum III equitum alis ac levi armatura progreſſus eſſet, supervenientibus II equitum Germanorum vexillis circumfuſus, et in dextrum cornu, quod paulo longius integrum ſuperabat, vi revolutus eſt: in eoque conflictu Gabriel [i] Momorantius Monbrunius Damvillae frater occiſus eſt. [k] Rupifulcaudius, qui C cataphractos equites penes ſe habebat, quamvis peditatum minime deſerendum cenſeret, tamen quaſi torrente raptus et ipſe in Helvetios invehitur, per frontem, quae integra reſtabat et sariſſophoris egregie armatis firmata erat, impetu facto; a quibus cum damno repulſus eſt. Eodem tempore Colinius cum ſuo agmine et II Germanorum equitum vexillis, qui ipſius dextrum latus tegebant, ac [l] Porciani turma in [m] Ann. Momorantium et VIII equitum vexilla, quae extremam aciem claudebant, ſigna infert; et poſt tormentorum aliquot diſploſionem, quam aut deviravit aut levi cum damno ſuſtinuit, obvios quoſque ſternit, pleriſque vitae quam decoris magis cupidis in fugam turpiter converſis; qui eodem die Lutetiam petiere, et triſtem de clade accepta nuncium in urbem pertulere. Momorantius, ſuffoſſo equo, cum alium ab [n] Oraſono legato ſuppeditatum aſcendiſſet, rurſus in maxilla inferiori graviter ſclopperi ictu vulneratus undique circumfunditur, ac poſtremo a R. [o] Stuarto Vezinio captus, Germanis ſupervenientibus, eorum ſe fidei ex R. Vezinii conſilio credere coactus eſt. Porcianus etiam ſupervenit,

INTERPR. [a] *de Brichanteau, ſieur de Beauvais-Nangis.* [b] *Bretons.* [c] *le ſieur de Sanſac.* [d] *de la Curée.* [e] *François de Coligny, ſieur d'Andelot.* [f] *Treon.* [g] *de Vaudray, ſieur de Mouy, & Davaret.* [h] *le ſieur de Genlis.* [i] *de Montmorency, ſieur de Montberon.* [k] *le comte de la Rochefoucaud.* [l] *le prince de Porceau.* [m] *le conneſtable de Montmorency.* [n] *le ſieur d'Oraiſon.* [o] *Stuart, ſieur de Vezanes.*

ſupervenit, quem Momorantius ultorem injuriae parenti ipſius a ſuis ob [a] Araſchotii CIƆIƆLXII.
fugam illatae verebatur; qui tamen captum omni humanitatis et officii genere pro- Carolus IX.
ſecutus eſt. [b] Bellovaſius item captus; qui ex vulnere in proelio accepto poſtea deceſſit. Interfectus Renatus [c] Anglurius Givrius; [d] Aumalius humi ſtratus et equorum crebra conculcatione protritus ac luxatus. Fuſi mox ac caeſi nullo negotio [e] Armoricani, tota prorſus acie profligata, praeter Helvetios, qui reſtituto certamine Germanos pedites in eos tanquam inclinatos impetum facienteis ſumma virtute excepere [α] atque repulere, toties fracti ac ounquam victi: eadem fortitudine et Germanos et aliquot Gallos equites ſuſtinuere, fronte integra adhuc; quam ad amiſſa tormenta quaſi ea recuperaturi ſemper obvertebant. Quod veritus [f] Moius, qui medios initio [β] diduxerat, et ad impedimenta hoſtium uſque pervaſerat, atque adeo Guiſii hoſpitium, in quo argentea ejus omnis ſupellex direpta fuit, inde rediens eos a tergo adoriri conatus eſt; verum a [g] Birono, qui cum III equitum vexillis ad omneis eventus ſtabat, prohibitus, rurſus in latus illos adoritur ac diſturbat: ſed, amiſſo equo, cum aliquanto tempore in luco vicino deerraſſet, poſtremo captus eſt. Primum cornu adhuc immotum ſteterat; in quo erat Guiſius cum ſua equitum ala ſine ullo praeterea imperio, oiſi quod viro dignitate praecellenti ſuum nomen et favor hominum conciliabat; quippe qui privatus in exercitu eſſe quam ſecundas a Momorantio obtinere mallet: ceterum, qua erat apud omneis exiſtimatione, toti exercitui praeeſſe dicebatur, et certe ea die ſummam rerum cooſecit. [h] Santandreanus ergo, qui primam aciem ducebat, ex Guiſii cooſilio tunc demum, cum Coodacanos variis ac repetitis certaminibus ſolutos ac palanteis videret, ſe loco movit; et, ut Germanos pedites, quos penes ſe habebat, tegeret, Vaſcones praecedere jubet; qui totis viribus in Gallicum peditatum hoſtilem et Germanos ex fuga collectos impetum faciunt, eoſque fundunt, ab Hiſpanis, qui ſequebantur, magna ac cruenta ſtrage edita. Inde in equitatum hoſtilem, et qui jam conflixerat, et qui adhuc immotus ſteterat, a Santandreano, Guiſio, et Damvilla, qui ſe ad illos applicuerat, tota converſa vis: ſed et illi poſt IIII campeſtrium machinarum diſploſionem et exiguum certamen, quippe in quo tres primi ordines tantum ad manus venerant, ſtatim fuſi ac diſturbati; [i] Andeloto, licet ex violento febris acceſſu debili, omoem operam dante, ut Germanis e fuga revocatis certamen reſtitueret: qui, cum homines pavidos retinere non poſſet, [k] Treonum petit, ibique quiete aliquot horarum refectus, ſe ad ſuos non ſine diſcrimine cootulit. Nec ceſſabant Condaeus et Colinius; qui, vix ex conflictu ad ſigna revocatis CC equitibus, Germanos equites, ut denuo ſecum certaminis aleam tentarent, hortabantur: verum, illi ſcloppetos amiſſos cauſati cum cunctarentur, ac poſtremo accelerato gradu recederent, ſecumque Gallos attonitos traherent, Condaeus eos ſequi coactus eſt, accepto jam in manu vulnere; vixque exiguum ſpatium progreſſus, equo, qui in crure ſcloppeto ictus fuerat, deficiente, dum equum mutaret, a Damvilla ſuperveoiente captus eſt. Germani et Galli, caedua ſilva et valle ſubjecta pertranſita, in clivum enituntur, in eoque ſubſiſtunt, Guiſio in Germanis peditibus, qui ſe ad laevam maceriis vicinis bis mille numero incluſeraot, expugnandis occupato, et interea cooceſſo tempore fugienti equitatui, dum ſe ex pavore colligeret et ordines reſtitueret; ad quem inſequendum, ſed ſerius, profectus eſt Santandreanus, qui eos diſſipatos antequam rurſus coireot aggrederetur, et iis caeſis alios, qui Momorantium captum abducebant, adſecutus ſummum ducem ex ipſorum manibus reciperet. Verum conſilium illud in ſpeciem prudens

VAR. LECT. [α] atque in fugam conjecere, toties *D. f. o.* [β] deduxerat *D. f.*

INTERPR. [a] *le duc d'Arſchot.* [b] *le ſieur de Beauvais-Nangis.* [c] *d'Anglure, ſieur de Givry.* [d] *le duc d'Aumale* [e] *Bretons.* [f] *le ſieur de Mouy.* [g] *de Biron.* [h] *le mareſchal de St. André.* [i] *d'Andelot.* [k] *Treon.*

prudens adverſa fortuna diſcuſſit. Nam Colinius interea cum [a] Porciano et Rupiſulcaudio, revocatis ad vexilla circiter CCC cataphractis equitibus Gallis, quibus ſcloppeti tantum et gladii ſupererant, haſtis confractis aut turbatis ordinibus in terram ſparſis, et aſſumptis CIϽ Germanis, inter quos ad dextram ac laevam collocatos medius incedebat, ut erat invicto animo et ad pericula et adverſa imperterrito, cum Santandreano, cui ſe etiam Guiſius conjunxerat, obſtinato magis quam antea certamine conflixit; in eoque Santandreanus captus et mox a Baubinio, atroci olim injuria, dum in comitatu ſuo eſſet, exacerbato, occiſus. Id autem accidit ob cauſam, quam etſi ad majora ac ſeria magis properante narratione inſeri et altius repeti pretium duxi. [b] Petdricrius Baubinius homo dives delatis hereditatibus et bonis induſtria partis Lutetiae fuit; nec propterea ſcribae urbis dignitatem ſupergreſſus, quo in munere vitam exegit. Is ut opimae fortunae patrocinium quaereret, cum complures liberos haberet, [c] Maſerium natu grandiorem in Santandreani familiam miſerat, et, ut virum gratia apud Henricum florentem magis devinciret, creditoribus ejus recautione accepta ſaepius fidem obligaverat: verum cum nullum ſumptibus modum, nullum aeri alieno finem fieri cerneret, noxam veritus tandem a ſponſionibus ſe in poſterum excuſavit. At Santandreanus, qui nullum jam ex amicitia ſenis fructum ſperaret, et, appellantibus Baubinium creditoribus, viciſſim ab ipſo reconveniretur, non aliam hac ſe moleſtia liberandi commodiorem rationem excogitare potuit, quam ſi beneficium maleficio compenſaret, et ejus filium, quem importunum flagitatorem penes ſe habebat, vel cum injuria a ſe dimitteret. Itaque, rixa ex compacto excitata, Maſerius a [d] Sanſornio Santandreani neceſſario atroci injuria afficitur; de qua cum apud Santandreanum expoſtulaſſet, et ſibi ſatisfieri peteret, non aliud ab eo reſponſum tulit, quam factum dolete ſibi; ceterum diſparem Sanſornii et ipſius conditionem minime pati, ut ratione inter nobileis recepta ei ſatisfaceret. Quo reſponſo irritatior homo contumeliae vel leviſſimae impatiens e Santandreani familia diſcedit, et occaſione captata Sanſornium aggreſſus interficit. Caſum etſi impatienter ferret Santandreanus, tamen, ut emolumentum ex eo caperet, Maſerium apud aulicos judices poſtulat: et, cum ille tribus edictis citatus non compareret, tanquam contumax ad mortem damnatur, bonis ejus fiſco adjudicatis; quae Santandreanus dono a rege accepit. Maſerio duplici injuria affecto ac bonis ſpoliato, tamen animus ſuperabat, quo ſe, ſi tempus incideret, ulciſceretur. Nec diu occaſionem fortuna diſtulit. Nam captus tunc Santandreanus et equo impoſitus, cum in eo eſſet, ut e pugna ſubduceretur, a Maſerio ſuperveniente in conſpectu militis, qui illum ceperat, ſcloppeti ictu in caput adacto interficitur. Hic exitus fuit hominis, quam naturae donibus ornati, tam vitiis ac flagitiis cooperti; qui ante florentem ſub Henrico II fortunam bello ſtrenuus dux, cum ſub eo vitam luxu ac ſuperbia diffluentem et cum reipublicae ac privatorum injuria conjunctam egiſſet, etiam ultimis temporibus negotiis par creditus, divinam tandem indignationem tot maleficiorum ultricem expertus eſt, ab homine, a quo minime gentium ſibi metuebat, occiſus; egregio magnatibus exemplo, ut fortunam reverenter habeant, et ab omni injuria et iniquitate etiam erga inferiores ſe abſtineant. In Santandreani locum [e] Imbertus Platerius Bordillonius, ſpectatus bello ac prudentia dux, equitum tribunus creatus eſt. Jam inclinabat regia acies; deſideratis in eo conflictu [f] Broſſio et ejus filio, et [g α] Jo. Annebaldo, cum, veteranis peditibus Gallis, quos Sebaſtianus [h] Lucemburgicus ducebat, ad id a Guiſio ſervatis, in latus violenta ſcloppetorum grandine

VAR. LECT. [α] Jo. Turnaminio Annebaldo *D. f.*

INTERPR. [a] *le prince de Porceau, & le comte de la Rochefoucaud* [b] *Perdrier, ſieur de Baubigny.* [c] *de Baubigny, ſieur de Mezieres.* [d] *St. Sernin.* [e] *Imbert de la Platiere, ſieur de Bourdillon, mareſchal de France.* [f] *la Broſſe.* [g] *Jean baron d'Annebaut, de Rets & de la Hunaudaye, fils de l'amiral d'Annebaut & de Françoiſe de Tournemine.* [h] *de Luxembourg, vicomte de Martigues.*

diu e ejaculantibus, [a] Colinius numero impar receptui cani jubet; eodemque ordine, CIↃIↃLXII.
quo ad certamen venerat, [b] Buchavanio Condacanae alae legato cum L equitibus ul- CAROLUS IX.
timum agmen claudere juſſo, et abductis ſecum II majoribus tormentis compoſito gradu ſe ex proelio recepit: quem inſecutus eſt aliquanto tempore Guiſius; ſed, nocte conſpectum utriſque adimente, Colinius [c] Neovillam, Guiſius in caſtra contendit. Quatuor horarum ſpatio et amplius pugnatum, obfirmatis ad certamen toties repetitum animis; in quo praeter ſolitum haec fere obſervata ſunt, quod nulla proluſoria pugna initio certatum, quamvis ambo exercitus horam et amplius in conſpectu fuerint; ſed ſtatim totis viribus concurſum ſit: quod amborum exercituum duces capti ſint, et, ludente fortuna, diu victoria huc illuc nutans poſtremo ambiguam palmam reliquerit, reliquiis victi exercitus ſine fuga ſervatis ordinibus ac ſalvis tormentis ex pugna in tutum receptis. Verum, Guiſio loco, in quo certatum eſt, potito, tormentis item IIII campeſtribus ac ſignis captis, quin victoria penes regios fuerit, dubitari non potuit. Certe conſtat, Colinium eodem die poſt coenam, ut ambiguam magis victoriam redderet, Germanos hortatum eſſe, ut poſtridie ſummo mane rurſus pugnam capeſſerent; quod ſi facerent, certam procul dubio victoriam reportaturos eſſe; quippe amiſſis duobus praecipuis ducibus, et hoſtili equitatu omni fere diſſipato; Helvetiis vero, quod erat praecipuum triumvirorum robur, plane profligatis. Verum illis, equos vulneratos magnam partem et exſoleatos, ad haec labore fatigatos, carros inſuper huc illuc diſperſos, quos colligere neceſſe haberent, ac pulveris et pilarum penuriam, amiſſos item ſcloppetos, cauſantibus, honorificum hoc juxta ac ſalutare conſilium, quod et ipſi agnoſcebant, fruſtra fuit. Praeter eos, quos memoravi, eo proelio lethaliter vulneratus eſt [d] Nivernius imprudentia [e] Debordii cujuſdam domeſtici, qui facti deſperatione in medios ruens cum aliis occubuit. Capti cum Momorantio [f] Oraſonus, Rupiſortius, Sclavolius, [1] Santeranus et Piena; ſed mox deluſis cuſtodibus evaſere. P. [g] Oſſunius, cujus virtus bellis Subalpinis perſpecta in proverbium abierat, cum neſcio quo panico terrore correptus animo defeciſſet, et res profligatas credens pugna abſceſſiſſet, ex pudore tantam aegritudinem cepit, ut, cum ſe vita indignum identidem clamitaret, nihil ducum et amicorum factum excuſantium voces moratus, ac Guiſii inprimis, qui eum frequens inviſebat, eam poſtremo inedia finiverit. Ex Condacanis, qui periere, praecipui fuere [h] Arpajonus, Lieneutius, Chandeus, Lignerius, Rugnacus, Fredonerius, Maſella, Carlerius, Saugermerius; qui omnes fere ſub [i] Moii vexillo certaverunt. [k] [α] Throcmortonus Anglorum reginae orator, et Franciſcus [l] Perucelius, qui poſtea Condaco paſtoris munere inſervüt, [m] [β] Nogentum conceſſere; ubi poſtridie capti ſunt. Eo proelio occiſa VIII CIↃ hominum conſtat: et ita Guiſius, qui campo potitus eſt, ipſe ſcriptis mandavit. Proteſtantes autem tantum III CIↃ ex ſuis deſiderata memorant, non comprehenſis CIↃ IↃ Germanis peditibus, qui a Guiſio expugnati et armis ademptis in patriam remiſſi ſunt. Quod ſi verum eſt, plures ex regiis interfecti ſunt. Momorantius, ne reciperetur, totam noctem ac ſequentem diem continuato itinere [n] Aurelianum perductus eſt. Condacus, a Damvilla captus, a Guiſio, jam raro fortunae beneficio totius regii exercitus ſupremo duce, humanitatis omni genere ac cultu exceptus, apud eum in eadem menſa coenavit; et poſt coenam, cum lecti copia non eſſet, impedimentis huc illuc ſparſis aut amiſſis, cum ipſo in eodem lecto pernoctavit.

VAR. LECT. [α] Trocmartonus *ubique* *D. f. o. d. & Ed. Gen.* [β] Nogentium *D. f. o.*

INTERPR. [a] *l'amiral de Coligny.* [b] *de Bouchavanes.* [c] *Neufville.* [d] *le duc de Nevers.* [e] *Deſbordes* [f] *les ſieurs d'Oraiſon, de Rochefort, d'Eſclavoles, de St. Heran, & de Piennes.* [g] *d'Oſſun.* [h] *les ſieurs d'Arpajon, de Lieucour, de Chandieu, de Ligneris, de Rougnac, de la Fredonniere, de Mazelles, de la Carliere, & de St. Germier.* [i] *de Mouy.* [k] *Throckmorton.* [l] *Perucel.* [m] *Nogent.* [n] *Orleans.*

NOT. [1] Santeranus et Piena quidem evaſere; non autem ceteri. Vide Bezae H. E. l. 6. p. 241, 242, unde locus deſumptus. C.

CIƆIƆLXII.
CAROLUS IX.

pernoctavit. Nam, cum Guiſius ſuum honorifice detuliſſet, et Condaeus vereretur, ſi conditionem acciperet, ne Guiſio familiarius uteretur, ſi omnino recuſaret, ruſticus plerisque videretur, lectum cum illo partitus eſt; et ita ſummos duces, quos florentibus utriusque rebus inimicitiae capitales divulſerant, adverſa alterius fortuna conjunxit; et in ambiguo reliquit, utrius majore laude digna virtus, Guiſii, qni tanta moderatione uſus ſit, an Condaei, qui ſe ultro hoſtis antea jurati fidei tanta fiducia et animi aequitate crediderit. Poſtridie Jo. [a] Loſſius a Guiſio miſſus Lutetiam venit, et de ſucceſſu teginam certiorem fecit; quae etſi Condaeo non omnino bene vellet, tamen multo magis ſuſpectam Guiſii proſperitatem habebat; quod in praeſentiarum laetitiam vultu fingens egregie diſſimulavit; et, ignavia eorum probroſe incuſata, qui ptidie fugientes falſum de clade accepta nuncium attulerant, publice gratias Deo agi et per vicos igneis accendi juſſit, miſſo ad Guiſium confeſtim diplomate, quo ei ſumma armorum praefectura a rege attribuebatur. Eodem die Colinius exercitum in aciem inſtruit, et itinere paulum quaſi verſus hoſtem facto, ut cladis famam obſcuraret, et ſuos huc illuc ſparſos colligeret, [b] Gallardonium profectus eſt alteris caſtris; relicta colubrina, et in terram defoſſa, quae poſtea in Guiſii poteſtatem devenit: inde [c] Alnetum contendit; ubi ei per Condaei abſentiam ab omnibus uno conſenſu ſumma armorum praefectura delata eſt. Tertiis caſtris [d] Puteolum in Belſia haud longe a [e] Janvilla, ac poſtridie [f] Pataeum venit; ubi biduo commoratus, mox aliquantum deflexit, copias, quas [g] Bloeſas contendere inaudiverat, intercepturus; easque [h] Fretevallium uſque in Vindocino agro perſecutus, poſtremo [i] Baugenciacum exeunte anno deſcendit, eo conſilio, ut reſecto ponte copias in [k] Soloniacum agrum et [l] Biturigas ad hyberna dimitteret; quo et ſuas miſſurum Guiſium intellexerat, ut ad [m] Aureliani obſidionem, quam jam ille animo agitabat, promptiores ac paratiores eſſent.

III. Hoc anno ineunte Franciſcus [n] Juſtus Turnonius, hoc familiare nomen habuit, ſanctae Romanae eccleſiae cardinalis, Lutetiae in ſuis aedibus mortalitatem exuit, cum fere octuageſimum aetatis annum attigiſſet; vir profunda prudentia, rerum agendarum peritia et ſingulari erga patriam pietate cum paucis comparandus, a Franciſco I ſummae negotiorum praepoſitus, dein poſt ejus mortem invidia ex aula pulſus, ſed ſemper maximo in honore etiam ab aemulis habitus; in cauſa religionis eo viſus Proteſtantibus iniquior, quod in ea quidquam immutari aut innovari poſſe citra publicae tranquillitatis perniciem negaret; alioqui a factionibus, quae miſere hoc regnum poſtea lacerarunt, alienus; ideoque regibus merito charus, ut qui in publica regni adminiſtratione, in qua XXX amplius annos ſumma cum laude verſatus eſt, ad unum regis obſequium et publicam utilitatem ſemper collimaverit. Ad haec, literarum et literatorum fautor eximius exſtitit: quas ut magis promoveret, Ignatii Loiolae ſequaces, quos in juventute ad pietatem et ſtudia inſtituenda majorem curam ac ſolertiam adhibere intellexerat, inſueto favore proſecutus eſt; auctorque fuit, ut eorum ordo tanquam reipublicae literariae utilis in Gallia certis conditionibus reciperetur, inſtaurata in [o] Vivarienſi pago Turnonii, unde nobiliſſimae familiae gentile cognomen, famoſiſſima ſchola, et ampliſſimis reditibus ab eo dotata; cujus curam illius ordinis patribus attribuit. Eum mox ſecutus eſt Paulus [p] Thermus; qui pridie Nonas Maii itidem Lutetiae deceſſit, ad Coeleſtinorum vilibus exequiis funeratus. Is, loco nobili, ſed in tenui re, in [q] Conſeranis natus, per omneis militiae gradus ſumma cum laude decurſos poſt Petri [r] Strozzii mortem ad tribunatum equitum pervenerat; etiam pace clarus et ob prudentiam magnopere commendatus, adeo ut

Thermi

INTERPR. [a] *le ſieur de Loſſes.* [b] *Gallardon.* [c] *Auneau en Beauſſe.* [d] *le Puiſet en Beauſſe.* [e] *Janville* [f] *Patay.* [g] *Blois.* [h] *Freteval en Vendoſmois* [i] *Baugency.* [k] *Sologne.* [l] *Berry.* [m] *Orleans.* [n] *Juſt de Tournon.* [o] *le Vivarais.* [p] *le mareſchal de Thermes.* [q] *le Conſerans dans la haute Gaſcogne.* [r] *Strozzi.*

Google

Thermi prudentia et [a] Oſſunii pugnacitas in proverbium apud nos abierint. Ipſe, CIƆIƆLXII. clade ad [b] Gravelingam accepta, quamvis Galliae fato et aliena potius quam ſua culpa CAROLUS IX. acciderit, minus felix dux exiſtimatus, in ſumma tamen dignatione ad mortem uſque apud regem fuit, exiguis admodum opibus partis, inſigni ac certiſſimo vitae innocenter actae argumento; quarum, cum nullos filios haberet, heredem reliquit Rogerium [c] Sanlarium Bellogardium, et ipſum poſtea eadem militari dignitate ornatum. Hoc eodem anno pridie Eid. Nov. [d] Tiguri Petrus Martyr [e] Vermilius Florentinus, ingenio et eruditione inter ſuos praeſtans, varia fortuna ac diverſis peregrinationibus tota vita jactatus, ſicuti ſuperius a nobis pluribus locis dictum eſt, qui nuper e Gallia, ubi colloquio [f] Poſſiaceno interfuit, domum redierat, anno climacterico ſuo in vivis eſſe deſiit; relicta unica filia, quae, ad extremam inopiam ac prope mendicitatem ob flagitioſam mariti vitam redacta, ſenatus Tigurini memoriae patris eam gratiam rependentis benignitate ſublevata eſt. [α] Ante Vermilium Bonifacius [g] Amerbachius, [h] Baſileae natus, juriſconſultus, anno aetatis LXVII in patria obiit Kalendis Maii. Nec multo poſt fatis conceſſit Jacobus [i] Hollerius, in [k] Stampenſi agro haud procul a Lutetia ortus, philoſophiae et medicinae ſtudiis cum primis clarus; ad quam homo dives, et quaeſtui, qui uberrimus ex ea profeſſione in populoſa urbe colligitur, minus intentus, aſſidua meditatione acerrimum judicium attulit; ut deploratos morbos, et ob feſtinationem ab aliis per vicos vaga mulos curſitatione fatigantibus minus cognitos, ſumma felicitate curaverit. Scribendo etiam magnam temporis partem impendit: ſed, in morbum ex moerore publico contractum incidens, extremam manum illis immortalitate digniſſimis ſcriptis imponere non potuit; quae aut a plagiariis ſuppreſſa, aut poſtea ſed incurioſe edita ſunt, magno famae tanti viri ſed majore reipublicae diſpendio; quod filium cognominem ejus aliquoties poſtea conquerentem audivi, qui unus, quo erat admirabili ingenio et omni literaturae ac ſcientiarum genere egregie inſtructo praeditus, eam jacturam ſarcire potuit, quamvis in diſpari profeſſione verſatus: et procul dubio eſt, ſi otium ei a publico munere et peregrinationibus longinquis, quibus bonam aevi brevis ipſi a Deo conceſſi partem contrivit, quin ſcripta paterna multo meliora et ad auctoris mentem caſtigatiora publico daturus fuerit. Ante Hollerium, Gabriel [l] Fallopius Mutinenſis [m] Patavii, ubi publice profitebatur, obiit VII Eid. Oct. immatura morte; quippe cum tantum XXXIX annum exegiſſet, cum philoſophiae ac ceterarum doctrinarum, tum rei anatomicae inprimis, variis obſervationibus locupletatae, atque adeo utriuſque medicinae laude ornatiſſimus, quam et doctiſſimis ſcriptis illuſtravit. [n] [β] Baſſianus Landus Placentinus in Patavina academia profeſſor, cujus exſtat de antiquis imaginibus commentarius, miſerabili caſu hoc anno periit pridie Kalend. Nov. a ſicario vulneribus aliquot confoſſus. Annum clauſit mors Bartholomaei [o] Cavalcantii, antiqua patritia familia Florentiae anno CIƆ IƆ III nati, ex ea gente, quae olim [p] Vidum Franciſco Petrarcae ſui ſaeculi excellentiſſimo poetae ac philoſopho viro optimo coaetaneum dedit: nam hujus ad illum carmina etiamnum exſtant. Bartholomaeus autem, ob libertatem patria profugus, a puero egregia optimarum ſcientiarum cognitione inſtructus, conſilio et eloquentia praeclaram maximis in rebus Paulo III et Octavio [q] Farneſio ejus nepoti, ſed maxime Henrico II in [r] Senenſium cauſa, dum Francorum armis priſtinam libertatem tueri afflictae reipublicae licuit, operam navavit, ac magna negotia ubique ſumma cum prudentiae et integritatis

VAR. LECT. [α] Haec de Amerbachii morte narratio deeſt D. f. o. d.
[β] Hoc Baſſiani Landi elogium deeſt D f. o. d.
Et hic inſeritur Gabrielis Faerni elogium in D. d. quod habetur in Ed. Genev. ad finem lib. 28.

INTERPR. [a] *d'Oſſun.* [b] *Gravelines.* [c] *de St. Lary de Bellegarde.* [d] *Zurich.* [e] *Vermiglio Florentin.* [f] *de Poiſſy.* [g] *d'Amerbach.* [h] *Baſle.* [i] *Houllier.* [k] *d'Eſtampes.* [l] *Faloppia de Modene.* [m] *Padoue.* [n] *Lando de Plaiſance.* [o] *Cavalcanti.* [p] *Guido.* [q] *de Farneſe, duc de Parme.* [r] *ceux de Sienne.*

CIƆIƆLXII. CAROLUS IX. tatis laude geſſit: demum, ſecuta inter Gallos et Hiſpanos pace, otii literarii cupidus Patavium ſeceſſit; ubi ſtudiis et vitae finem fecit v Eid. Dec. ad Franciſci a Joanne filio ſepultus. Praecipua ingenii ſui reliquit monumenta de Rhetorica libros VII; et de optimo reipublicae ſtatu commentarium, quem Fr. Sanſovinus auctori poſthumum publicavit.

CIƆIƆLXIII. IV. GUISIUS ſub inſequentis anni initium Fridericum [a] [α] Roltſhauſium Heſſiae tribunum hinc minis hinc pollicitis ſolicitandum curat: cumque ille ſe a Lantgravio miſſum excuſaret, antiquo regis ac regni amico ac foederato principe, ut eum ex captivitate, in quam a publicae pacis hoſtibus conjectus fuerat, eximeret, et fidis regis ac Francici nominis defenſoribus praeſto eſſet; regina paulo poſt, cum [b] Bloeſas IX Kal. Febr. veniſſet, regis ac ſuo nomine diploma evulgat, quo [c] Heſſo fidem faciebat, ſe nunquam in captivitatem conjectos, nec ulla in re contra voluntatem coactos; et falſa eſſe, quae ſeditionum nuper in regno excitatarum auctores ſparſerint; nec Proteſtantibus ut arma ſumerent edixiſſe, aut delectus per Germaniam imperaſſe, aut Germaniae principes de auxiliis ſolicitaſſe: quod cum ita ſit et ita habere affirment, fore confidere, ut Germani, rei veritate perſpecta, religioſe, ſicuti hactenus fecerint, juratam a majoribus amicitiam cum rege colant, nec rebellantibus contra principem ſubditis opem porro laturi ſint. Cui diplomati ut major fides aſtrueretur, rem ita habere, Alexander [d] Aureliani dux regis frater, Henricus Navarrae princeps, Carolus Borbonius cardinalis, Lud. [e] Borbonius Monpenſerius, et Carolus Borbonius [f] Rupiſurionius, alio ſcripto manu propria ac ſigillo firmato teſtati ſunt. Emiſſum etiam ſtatim poſt [g] Drocenſem pugnam reſcriptum, eodem fere exemplo, cum illo, quod poſt [h] Rotomagum captum evulgatum diximus; quo gratia praeteritorum iis fiebat, qui ad obſequium regi debitum rediiſſent. Nuncio de hac pugna accepto, pontifex praecipuo gaudio perfuſus fuit, vi et armis, quod a concilio legati noſtri exſpectabant, raro fortunae beneficio confectum ratus; quaſi illo unico proelio de Proteſtantibus prorſus debellatum eſſet. Itaque magna ſe cura levatum ſentiebat; et id unum agebat, ut quamprimum finis concilio imponeretur, parum de Germanis ſolicitus, quos contra concilium proteſtatos ſciebat; de cetero regi abunde ſatisfactum exiſtimans, cui fortuna tantam victoriam de regni atque adeo ſacrae ſedis hoſtibus annuiſſet. [i] Tridenti vero magna, ut par fuit, omnes laetitia exultavere; et [k] Lotharingus cardinalis inprimis; quippe qui res ad privatam Guiſii fratris laudem ſpectare intelligeret. Itaque IIII Eid. Jan. Franciſcus [l] Belcarius Peguillio, [m] Metenſis epiſcopatus adminiſtrator, orationem ad patres habuit, de victoria, qua Carolus IX Franciſci Lotharingi Guiſae ducis nec non Annae Momorantii magiſtri equitum auſpiciis rebelleis cauſam religionis praetexenteis ingenti clade ſuperaſſet: ſed, Momorantium honorifice nominaſſe contentus, totum rei bene geſtae decus in Guiſium conferebat.

V. IN [n] Aquitania, cum poſt [o] Duracii diſceſſum atque adeo [p] Verenſem pugnam res Proteſtantium in arcto eſſent, Armanus [q] Claromontius Pilius nobilis Petrocorius, ſed in tenui re, animos fortuna majores ſumpſit, et aliis exemplo ſuo fecit, quibus exiguo numero ſecum aſſumptis bellum in illis regionibus renovavit, initio ab audaci facinore ducto. [r] Bergeracum tenebat G. [s] Caumontius Lauzunius, a Monpenſerio, cum inde diſcederet, impoſitus; in quo plerique Proteſtantes ſupplicio deſtinati carcere attinebantur: eos ut periculo eximeret Pilius, cum XXX delectis oppidum inopinato ingreditur; in eoque aperta luce diſcurrens tantum terrorem

VAR. LECT. [a] Roltſhauſenum D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Roltſhauſen, mareſchal de Heſſe.* [b] *Blois.* [c] *le Landgrave de Heſſe.* [d] *Orleans.* [e] *de Bourbon, duc de Monpenſier.* [f] *le prince de la Roche ſur Yon* [g] *de Dreux.* [h] *Rouen.* [i] *Trente.* [k] *de Lorraine.* [l] *de Beaucaire de Peguillon* [m] *de Mets.* [n] *Guienne.* [o] *le ſieur de Duras.* [p] *de Ver.* [q] *de Clermont, ſieur de Piles, gentilhomme de Perigort.* [r] *Bergerac* [s] *de Caumont, ſieur de Lauzun.*

rem praeſidiariis injecit, ut captivis redditis abeuntem etiam commeatu proſecuti fuerint. Mox, [a] Riverii cujuſdam juvenis ſtrenui opera uſus, [b] Fidii ſanum cum exiguo ruſticorum numero noctu intercipit, caeſis amplius xxc praeſidiariis, et eorum duce [c] Rezaro, qui a plebe diſcerptus eſt, et libertate reddita iis, qui carcere conſtringebantur. Idem Riverius, cxx circiter expeditis ruſticis ac XII rei militaris peritis ſecum aſſumptis, [d] Salam, qui ccc pedites ducebat, ad [e] Caſtaniam aggreditur, et, cxx ex iis occiſis, ad [f] Magdalenae ſuburbium juxta Bergeracum ſe recipit; unde vix tandem, adito vitae diſcrimine, ſe cum Pilio conjunxit; qui mox ad [g] Montaniacum cum xv equitibus, cum [h] Moncaſſino, qui cxx equites ducebat, congreſſus, eos noctis beneficio diu diſtinuit, occiſo ipſo Moncaſſino, et captis pleriſque equis, qui ei omni re ad bellum neceſſaria deſtituto magno adjumento fuere. Tum majora auſus [i] Mucidanum in Petrocoriis, ab oppidanis invitatus, ſcalis admotis noctu capit XVIII Kal. Febr. continuoque ad arcem conduplicatis ſcalis in arduum enititur, vique facta praeſidiarios vino ac ſomno ſepultos invadit, ac loco potitur. Inde concurſu ad eum facto, auctis copiis, [k] Petrocoriorum praefectum cum cxx equitibus auxilio ſuis advenientem caedit; et Bergeracum, quod tunc a ccc praeſidiariis tenebatur, tentat, primum irrito conatu, clavibus in ſera confractis; ſed repetito conſilio, et introducto milite per cujuſdam oppidani domum muris adhaerentem, tubis perſonantibus, quaſi numeroſus equitatus adeſſet, vim facit, et obviam ſtationem caedit, moxque ſecundam ac tertiam diſturbat, [l] Puchio, qui loco praeerat, cum LXX circiter in arcem confugiente, et oppidi curione ad turrem cum ſuis ſe recipiente; ceteri, qui eos aſſequi non potuere, trucidati ſunt. Tum, illuceſcente die ac cibo ſumpto, Pilius utrumque deditionem facere recuſantem aggreditur, et, turre ſuffoſſa obrutiſque iis qui in ea erant, praeter curionem, qui captus patibulo affixus eſt, ad arcem vim facit; ac, curte inferiore occupata, ducem commeatus penuria ad deditionem ſine conditione adigit, eumque cum omnibus ſuis interfici jubet: quo facto, Mucidanum, quod feſtinatis operibus muniebat, revertitur. Monlucius interea [m] Burdigalam excurrerat, mortuo ſub id tempus [n] Noallio, qui cum Jacobo Benedicto [o] Largobaſtono curiae primario praeſide diſſidens paene ſeditioni occaſionem dederat: et Pilii ſucceſſibus irritatus, cum novi hominis audaciam refraenandam exiſtimaret, ſtatim [p] Petro filio negotium dat, ut cum III tormentis Burdigala ſummittendis Mucidanum ducat. Verum, cum id in tempus incidiſſet, quo jam pacificatum fuerat, Petrus ab incepto deſtitit, et Pilius domum retro conceſſit.

VI. AB initio hujus anni [q] Montalbani obſidio a [r] Terrida continuata fuerat, majore obſeſſorum pertinacia an aliorum ignavia, incertum. Kalendis Januariis oppidani, ut ſe ſolemni more muneribus mutuis honeſtarent, a Terrida petiere, ut c cum totidem depugnare poſſent. Inde levibus proeliis majore ſemper Terridenſium damno certatum, uſque ad III Eid. Feb. quo ad munimentum Dominicanorum prima vigilia magno molimine impetus factus eſt, conſilio, ut obſeſſi aiebant, [s] Laboriae transfugae: cc amplius aut occiſi aut vulnerati; ex oppidanis fere nullus. Nec vero interea aut nuncio de pugna [t] Drocenſi et Condaei captivitate, aut ullis conditionibus per [t] Dariatum a Monlucio ſummiſſum repetitis, aut propinquantis Monlucii metu infringi aut mitigari obſeſſorum animi potuere, incendente eos paſtorum turba: quibus rebus non tam territi, quam morte Guiſii audita ultra modum laetati, et acceptis auxiliaribus cc [u] Caſtro et Podio Laurentii, [v] Rapino ductore, ſummiſſis, inflati ad extremum perduravere; donec XVII Kalendas Maii poſt pacificationem

INTERPR. [a] *le ſieur de la Riviere.* [b] *Ste Foy ſur Dordogne.* [c] *Rezat.* [d] *le capitaine la Sale.* [e] *village de Caſtain.* [f] *fauxbourg de Bergerac, dit de la Magdeleine.* [g] *Montagnac.* [h] *le capitaine Moncaſſin.* [i] *Mucidan en Perigort.* [k] *le ſeneſchal de Perigort.* [l] *de Pardaillan, dit de Puech.* [m] *Bourdeaux.* [n] *le ſieur de Noailles.* [o] *Largebaſton.* [p] *le capitaine Perrot.* [q] *Montauban.* [r] *le ſieur de Terrides.* [s] *Laboria.* [t] *de Dreux.* [t] *Dariat.* [u] *Caſtres & Puy-Laurent.* [v] *le capitaine Rapin.*

tionem Antonius [a] Rupifulcaudius Caldomontius a regina miſſus in urbem venit, et ab armis utrinque ut ceſſaretur imperavit. Gratiae mox Deo actae, et publicae laetitiae teſtes accenſi per urbem ignes: complures ex oppidanis duces cum [b] Sanſalvio firmandae amicitiae gratia eo die convenere. Miſſus etiam [c] Sancolumbius a regina, qui cum oppidanis ageret, ut [d] Terrida ab iis praefectus admitteretur; quod impetrari non potuit. Plus II CIƆ militum in ea obſidione periiſſe ſcripſere Proteſtantes; et in iis praecipuos duces [e] Bazordanum, [f] Monmorium, [g] Eſpenanum, et ejus ſigniferum Altarivum, Entragium, Naſredum, San-Jamium, Columbarium ſaevitia inſignem, qui foeminas, pueros ac ſenes incenſis aedibus una incendere pro ludibrio ducebat, [h] Pellaſigam, [i] Garduchium, legatum ac fratrem ipſius, alios; ex oppidanis tantum LX, quod propius miraculo fit, ut rei fides penes auctores eſſe debeat.

VII. SUB initium quoque hujus anni [k] [α] Annoniacum in Vivarienſi agro oppidum miſerabili clade ex ea occaſione vaſtatum eſt. Oppidani majorem partem Proteſtantes jam anno ſuperiore ad primos motus eadem, qua ceteri, veſania templa expilaverant, altaria ac imagines dejecerant: qua re irritati [l] [β] [1] Nectarius Senetarius [γ] Anicienſis epiſcopus, et Antonius [m] Sanvitalis Turrius, e provinciali nobilitate vir primarius, ſumptis armis inſolentem plebis laſciviam coerciturі eo ducunt; fruſtra oblatis antea opimis conditionibus a [n] Jarniello loci praefecto [o] Nemoroſii nomine, qui nuper [p] Viennam ceperat, et terrorem ſui late iis locis ſparſerat. Verum [q] Sarra ab Adretio superveniens hunc metum diſcuſſit. Is paulo poſt, cum ab armorum, quibus militem iuſtrueret, penuria laboraret, fanum [r] Stephani in Seguſianis oppidum fabricatione armorum nobile, dum porta primo diluculo paucis cuſtodibus incautius aperiretur, aſtu aggreſſus capit, ex praeda ad defenſionem ſubſidia paraturus: verum dum longiore receptu, conſarcinandis armis aliquantum immoratus, ad ſuos redit, a Nemoroſianis, ad caſum rei accurrentibus ipſe captus eſt, et frater ipſius graviter vulneratus, armis amiſſis et C circiter ex Annoniacenſibus occiſis. Ea clade conſternatis Annoniaci oppidanis ſupervenit cum copiis [s] Sancaumontius pridie Kal. Nov. ac primo repellitur; ſed mox vi facta loco potitur, quo crudeliter et avare per biduum direpto, igne etiam in aedeis immiſſo, qui vix a Jarniello reſtinctus eſt, Nemoroſiani ſparſa de [t] Adretii adventu fama territi fugientibus perſimiles diſcedunt, et Jarniellum cum praeſidio in arce Coeleſtinorum haud longe ab oppido relinquunt. Nec tamen deſponderunt animum oppidani huc illuc diſperſi; ſed [u] Cruſſolii, qui [v] Septimaniae ſummam praefecturam a Proteſtantibus delatam ſumpſerat, auſpiciis rurſus conveniunt, et ruinas publicas ac privatas ſarciunt, a [x] Sammartino ad id confirmati, qui Vivarienſi agro a Cruſſolio praepoſitus cum CCCC armatis ſub exitum anni illuc venit, et moenibus inſtaurandis diligentem operam navavit. Sed mox Sancaumontius cum ſuis ac ruſticorum plebe undique collecta, quae IIII CIƆ hominum efficiebat, ac II tormentis illuc advolat IIII Eid. Jan. dum Sammartinus ad [w] Turnonium abeſſet: capta primo impetu ſuburbia; et ſtatim ad [x] Clarae fanum directa tormenta in Deomenſi ſuburbio; diſploſiſque L circiter ictibus cum ruina edita tamen difficilis eſſet ad eam aſcenſus, [y] Mongroſſius, qui loco praeerat, interventu Jarnielli in has conditiones cum Sancaumontio convenit; ut externus

VAR LECT. [α] Nonnaeum *ubique D.* f. o. d [β] P. Senetarius *D.* o. Nectarius Senetarius *deſunt D. f.* [γ] Anicienſis epiſcopus et Sanvidalius provinciae regulus, ſumptis armis *D.* f. o. d.

INTERPR [a] *de la Rochefoucaud, ſieur de Chaumont-ſur-Loire.* [b] *St. Salvy.* [c] *le capitaine Ste Colombe.* [d] *de Terrides* [e] *Bazourdan.* [f] *Montmaur.* [g] *Eſpenan & Hauterive ſon enſeigne, Entragues, la Naſrede, S. Jame, Coulombier.* [h] *Pelleſigue.* [i] *Gardouche.* [k] *Annonay dans le haut Vivarais.* [l] *Antoine de S. Nectaire, dit de Senneterre, evêque du Puy* [m] *de la Tour, baron de S Vidal* [n] *le capitaine Jarnieu, bailli de la ville.* [o] *le duc de Nemours.* [p] *Vienne.* [q] *le ſieur de Sarrat.* [r] *St Eſtienne en Forez* [s] *le ſieur de St. Chaumont.* [t] *le baron des Adrets.* [u] *le comte de Cruſſol.* [v] *Languedoc.* [x] *le ſieur de St. Martin, lieutenant de Cruſſol au pays de Vivarais.* [w] *Tournon.* [x] *devant le monaſtere de Ste Claire au bourg de Deome.* [y] *le capitaine Montgros.*

NOT. [1] *Antonius de Sto Nectario.* Put.

externus miles liber et incolumis cum armis et equis dimitteretur, relictis ſignis; pedites oppidum non ingrederentur; equites admitterentur, et ad reficiendas vireis unius diei moram in eo facerent; nihil damni aut moleſtiae oppidanis fieret; qui, ſi vellent, in arcem concederent; mulieribus ac pueris ad Jarnielli aut [a] Peluſii arces receptus eſſet. Dedito oppido, panduntur portae: introductoque milite, nulla pactorum habita ratione, prôtinus ad caedeis ac praedam diſcurritur; viri, mulieres promiſcue obtruncantur, lamentis flebilique ululatu perſonantibus vicis, et exundante per vias ſanguine, atque inter flammas a laſciviente milite in domos immiſſas relucentibus gladiis: per praecipitia in complures ſaevitum. Inter cetera inſigne effraenatae libidinis ac immanitatis exemplum memoratur. Mulier e latebris, in quas, ut primum militis ſurorem evitaret, cum viro confugerat, educta, in conſpectu ejus ſumma contumelia vitiatur: tum gladium juſſa ſtringere, in quem uſum ignara, cum aliena manu regeretur, et ab aliis a tergo impelleretur, in virum incumbit et lethali ictu conficit; non contento milite innocentis foeminae pudicitiam violaſſe, niſi etiam uxorias manus caede mariti contaminaſſet. Ita paene deſolato oppido, tamen poſt pacificationem, reliquiis oppidanorum lares repetentibus, conceſſa in eo conveniendi libertas Proteſtantibus a Franciſco [b] Deſpeo equitum tribuno; quae mox illis a Damvilla provinciae praeſide adempta; et altero poſt anno, cum rex illac iter haberet, interventu Jo. [c] Monlucii Valentiae epiſcopi reſtituta eſt.

VIII. DUM haec agerentur, et ante pacificationem, [d] Toloſae tumultuatum eſt; cum ſenatores curiam, in qua conveniebant, muro ſepire inſtituiſſent, redemptore operis Dominico [e] Bertino architecto, et plebs operas impediret; paulumque res a ſeditione abſuit, Bertino ipſo vix a mortis periculo a [f] decurionibus aſſerto: et, quamvis curia minacibus edictis in tumultuanteis detonaret, coitionibus quacunque de cauſa prohibitis, tamen plebs, ſemel licentiae ex auctoritate ſenatus aſſueta, nullis ejuſdem juſſionibus ad obſequium cogi potuit. Cumque ſub id tempus fama percrebuiſſet, Michaelem Noſtradamum, famoſum ſeu magum ſeu aſtrologum, literas ad decuriones dediſſe, quibus eos inſtantis periculi admonebat, a furente plebe redintegrata ſeditio eſt; vixque repetitis edictis impotens et indomiti oris bellua refraenari potuit. Cui malo pejus ipſo remedium quaeſitum a foedere, quod pernicioſo maxime exemplo ſancitum eſt VI Non. Mart. ab [g] Armeniaco et Strozzio cardinalibus, [h] Monlucio, Tertida, [α] Fr. [i] Carmanio Nigrapellicio et [β] Raimundo a [k] Papia Furcovallio, re poſtea cum Gulielmo [l] Jouſa communicata: in quo de fideli erga regem, curiam, ejus magiſtratus obſequio, proteſtati illi, ut [m] Septimaniae et Aquitaniae rebus ſubvenirent, arma ſe pro majorum religione contra perduelleis, Sectarios, publicae pacis perturbatores, eorum fautores ac receptatores ſumpſiſſe profitebantur; in eamque rem, ut immodicis ſumptibus parcerent, per praeturas ac dioeceſes delectus haberi, arma recenſeri, nomina nobilium et aliorum, qui arma ferre poſſint, deſcribi imperaverant. Poſtea perſcriptae etiam conditiones, quas ſenatus, [n] cognitore regio conſentiente, addita tamen clauſula, ut ratum id rex haberet, convocatis univerſis claſſibus, in acta referri decrevit XIII Kal. Aprileis. Eodem tempore rumor, ſed incertus, percrebuit, quaſi clam ad Hiſpaniae regem miſiſſent, ut, dum rex aetate maturior adoleſceret, pro amore fraterno religionis patrocinium in regno Franciae ſuſcipere dignaretur.

IX. ETIAM

VAR. LECT. [α] Fr Carmanio *deſunt* *D.* f. o. d. [β] Raimundo a Papia *deſunt* *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Peloux* [b] *de Scepeaux, mareſchal de Vielleville.* [c] *de Montluc, evêque de Valence.* [d] *Toulouſe.* [e] *Bertin* [f] *les capitoux* [g] *George, cardinal d'Armagnac; & Laurent, cardinal de Strozzi.* [h] *les ſieurs de Montluc & de Terrides.* [i] *de Carmain, ſieur de Negrepeliſſe.* [k] *de Pavie, ſieur de Fourquevaux.* [l] *de Joyeuſe.* [m] *Languedoc & Guienne.* [n] *procureur general*

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

IX. ETIAM projecti ad Vaſconicae [a] Pyrenes teſqua populi ab his turbis minime quieverunt. Nam, cum ſuperiore anno in [b] Foxenſi comitatu [c] Palearius vicecomes provinciae praeſes, [d] Apameae, Foxii et Taraſcone tumultuanteis ſumma moderatione compreſſiſſet, et paucorum poena, qui contra Januarii edictum, quod illi maxime urgebant, templa confractis ac disjectis ſtatuis et altaribus expilaverant, publicae tranquillitati conſuluiſſet, extitere quidam, qui locorum latrociniis infeſtorum, ut in limitibus regnorum fieri amat, opportunitate freti, motus per urbes et oppida compoſitos vagis huc illuc excurſionibus alucre: et in iis [e] Honoratus quidam nomine manu promptus, et [f] Lombati fratres, Taraſcone nati, homines facinoroſi, qui propter homicidia in [g] Mercerorum familiam patrata, patria exulantes initio Monlucium ſecuti fuerant; et, cum nullum aliud criminibus ſuis tutum receptaculum viderent, ad Proteſtantium, qui in patria pollebant, partes poſtremo tranſiere; et Februar. menſe conſilio de Taraſcone capiendo cum xxx conjuratis inito, cum [h] Serius vicecomes et ejus frater cum ccc armatis re cognita eos in montes uſque vicinos perſecutus eſſet, a gnaris locorum interclufus et in anguſtiis caeſus eſt, et propria Honorati manu, recuſato redemptionis pretio, crudeliter cum fratre mactatus: quo facto Honoratus, quaſi re bene geſta, Apameam redit. Lombati ſibi ob alia crimina male conſcii ad [i] turrem juxta Tabernas a ſe munitam conceſſere, occaſionem opperientes; quae haud diu poſt hominibus ſanguinis ac praedae avidis ſe in manus dedit: nam artificioſe confictis literis, quibus de eccleſiaſticorum Apamenſium cum [k] Petro Monlucii filio conſiliis occultis ſuſpicio injiciebatur, exaſperata ab Honorato et a Lombatis plebe, quamvis [l] Brimontius, qui illuc poſt amiſſum [m] Lactoratum venerat, omnem operam daret, ut furori temperaretur, tanta rabie concurſum eſt, ut momento quatuor mendicantium coenobia, majus urbis templum, et ſacri collegii ſodalium aedes direptae ſint, monachis paſſim majorem partem occiſis aut ſpoliatis, tanta ſaevitia ſimul et rapacitate, ut ipſimet Proteſtantes factum non damnare nequiverint. Eam immanitatem inſolita grandine ter coelo miſſa ultus eſt Deus; quae non ſolum fruges et arbores, ſed omnem agrorum virorem omnino depaſta eſt. Lombati vero, cum in turre ſua obſeſſi poſtremo eam relinquere coacti eſſent, ad latrocinia conſueta revoluti, qua peſte incertum, tandem periere: nam ab eo tempore amplius conſpecti non ſunt.

X. IN [n] Allobrogibus [o] Nemoroſius, cum capto a ſuis [p] Adretio conſilia non procedere doleret, [q] Lugdunum tentandum ſuſcipit; et ad [r] Germani ſanum caſtra ponit, dum [s] Subizius miſſis ɪɪɪ peditum CIↃ et cccc equitibus in [t] Dumbares commeatum, a quo laborabat, undique corraderet. [t] Trevolium vi a [u] Morello ordinum ductore captum; et turris, pulvere ſubjecto, cum praeſidiarii dedere ſe recuſarent, ſubverſa: ibique v CIↃ modiorum frumenti capta et in publica urbis horrea allata. Quam occaſionem captans Nemoroſius [v] Sancaumontio, qui [w] Anicienſis epiſcopi opera uſus in [x] Velaunis novos delectus habuerat, negotium dat, ut ſcalis admotis urbem milite vacuam aggrediatur; ſed, cum conatus non ſucceſſiſſet, ipſe rem per [y] Brancatium Italorum ductorem tentat, et ad Juſti ſanum vim facit, et ſine ſanguine ſuburbia fere deſerta ab ea parte occupat; quae mox eruptione a Subizio facta miles deſerere coactus eſt. Eadem nocte impetus ad aggerem factus; cui et Nemoroſius ipſe, qui in pedes deſcenderat, interſuit; verum cum damno repulſus [z] Matiſconem verſus tendit, ut Subizii copias eo miſſas interciperet; quo cognito, Subizius ſuos in tempore revocavit; ac pro ſale, cujus penuria Sabaudi laborabant, ɪɪ CIↃ modiorum frumenti

INTERPR. [a] *les monts Pyrenées* [b] *de Foix.* [c] *Pailles, gouverneur du pays pour le roy de Navarre.* [d] *Pamiers, Foix, & Taraſcon.* [e] *le capitaine Honorat.* [f] *les Lombats.* [g] *Merciers.* [h] *le vicomte de Seres.* [i] *une vieille tour, proche d'un lieu appellé les Cabanes.* [k] *le capitaine Perrot.* [l] *de Brimont.* [m] *Leytoure.* [n] *Dauphiné.* [o] *le duc de Nemours.* [p] *le baron des Adrets.* [q] *Lyon.* [r] *St. Germain.* [s] *Jean de Parthenay-l'Archevêque, ſieur de Soubize.* [t] *Dombes.* [t] *Trevoux.* [u] *le capitaine Morcau.* [v] *de St. Chaumont.* [w] *l'evêque du Puy.* [x] *le Velay.* [y] *Brancaccio* [z] *Maſcon.*

frumenti ab iis accepit, et ex [a] Seguſianis ſecundo [b] Arari in urbem convehenda curavit. Nec propterea Nemoroſius a priore conſilio deſtitit: ſed adverſo [c] Rhodano portatum militem ad confluentem utriuſque fluminis exſcenſionem facere jubet, et ipſe eodem tempore ad [d] Juſti fanum ſcalis admotis impetum facit. Verum cum exſcenſio fruſtra fuiſſet, detecto forte [e] Leſſenio Maugironi fratre, qui cum turma equitum in fluminis ripa navigia milite onuſta pone ſequebatur, et Subizio per urbem diſcurrente, oppidani conſcii, quos ex compacto arma ſumpturos ſperabat, nihil moverent, Nemoroſii conatus omnino evanuit. Jam literas de pugnae [f] Droenſis eventu a regina acceperat [g] Nemoroſius: quibus cum fidem non haberet Subizius, ad reginam et Colinium miſerat, ut de rei veritate certior fieret. Sub id tempus [h] Marcus Herlinus coactor regius, qui toto eo tempore conſcriptam ſuis ſumptibus cohortem duxerat, et aere bellum cum regiis geſſerat, in horum manus cum deveniſſet, [i] Lignerolii, cui notus erat, commendatione vitam hac conditione redemit, ut portam urbis Nemoroſio proderet: ita [k] Lugdunum, quaſi evaſiſſet, remittitur; ubi, re cum Subizio communicata, diem regiis condicit ad Non. Mart. quo plena jam luce, nam tunc infrequentiores excubias agi a praeſidiariis affirmabat, ad S. Juſti portam ſigno dato accederent. Cum igitur Timoleon [l] Coſſaeus Briſſaci filius cum veteranis ad ſuburbium veniſſet, nec ſolitudinem ſuſpectam haberet, quippe ab Herlino antea monitus, negligenter ſtationes haberi, ad portam uſque progreditur, viae duce Herlino; qui, ubi per oſtiolum ingreſſus eſt, peſſulum obdi jubet: ſtatimque totis moenibus majora ac minora tormenta, ſcloppeti inſuper, in regios diſploduntur: quo facto, ↄↄc delecti ſcloppetarii erumpunt, ductore [m] Blacono, Poeto, Andefredo et Entragio, qui acriter cum Coſſaeanis gnaviter ſe defendentibus ac recedendo ſemper pugnantibus conflixere, et alios occidere, alios in fugam vertere. Vulnerati aut interfecti amplius ccc in Nemoroſii oculis e clivo proximo ſuorum ſtragem cum ſumma impatientia et animi aegritudine ſpectantis, quae illum lecto duos menſeis amplius affixit. Medio tempore pacificatione facta, miſſus [n] Bertrandus Simiena Gordius cum mandatis, qui urbem regis nomine reciperet. Verum obortis difficultatibus Franciſcus [o] Deſpeus Vetuſvilla equitum tribunus, vir ob ſummam animi moderationem utrique parti acceptus, qui ad [p] Delfinatum et Septimaniae res componendas deſtinatus fuerat, cum Lugdunum veniſſet, et urbem recepit, Subizio tradente, et loca Proteſtantibus ad conveniendum idonea aſſignavit: qui, ut rebellionis invidiam a ſe amolirentur, evulgato tunc forte libello, non expreſſo auctoris nomine, quem nonnulli, ſed falſo, Carolo [q] Molinaeo juriſconſulto, alii Hugoni [r] Sorello Roſerio tribuebant, quo principis et magiſtratus ab eo inſtituti auctoritas detortis ex ſacra ſcriptura argumentis cavillatorie in dubium revocabatur, rem ad presbyterium referunt, et libellum paſtorum conſenſu damnandum et abolendum cenſent; quam ſententiam Subizius auctoritate ſua confirmavit, et libri exemplaria publice comburi juſſit pridie Eidus Junias.

XI. Interea in Delfinatu bellum ardebat: et inferior quidem provincia pacatior erat, poſtquam [s] Cruſſolius vi [t] Serignanum et Arauſionem recepiſſet, et exules patriae reſtituiſſet; quam quietem deploranda fratris dilecti morte inibi occiſi tedemit. In montanis [t] Labotellus [u] Vapinci et [v] Caſeta [w] Brigantionis praefecti, et ille quidem tam humanus belli dux, quam hic immitis praedo, [x] Muram in Oſcenis in poteſtatem redegere, captis aliquot ex nobilitate; atque in iis Betengatio [y] Pipeto, qui

INTERPR. [a] *Forez.* [b] *la Saone.* [c] *le Rhône.* [d] *à coſté de S. Juſt.* [e] *le ſieur de Leſſeu, frere de Maugiron.* [f] *de Dreux.* [g] *le duc de Nemours.* [h] *Marc Herlin, receveur du Taillon pour le Roy.* [i] *de Lignerolles.* [k] *Lyon.* [l] *de Coſſé, fils aîné du mareſchal de Briſſac.* [m] *les capitaines Blacons, Poyet, Andrefroy, & Entrages.* [n] *Bertrand Raimbauld de Simiane, v du nom baron de Gordes.* [o] *de Scepeaux, mareſchal de Vielleville.* [p] *Dauphiné & Languedoc.* [q] *du Moulin.* [r] *Soreau, dit du Roſier.* [s] *le comte de Cruſſol.* [t] *Serignan & Orange.* [t] *le capitaine Laborel.* [u] *Gap.* [v] *la Cazette.* [w] *Briançon.* [x] *la Mure au bailliage de Greſivaudan.* [y] *le ſieur de Pipet.*

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

qui vitam ab avaro Italo ingenti pretio redemit. Diverſa parte [a] Cochius, qui [b] Gratianopolim tenebat, [c] Lentiam turrem et in ea [d] Caſſenaticum capit VII Eid. Jan. quem humaniter acceptum [e] Valentiam ſub cuſtodia miſit. Detecta tunc forte occulta conſilia de prodenda Maugirono urbe a [f] Gentonio Bardonnancii ſignifero, cui [g] Triclauſtrenſis portae cuſtodia commiſſa erat. Is ab uxore vidua Joan. [h] Avanſonii, cognationis vinculo ſibi conjuncti, quae ab utraque parte protegebatur, perſuaſus, de proditione fidem obſtrinxerat, a [i] Caillato centurione quodam corruptus; ac locum Maugirono condixerat, qui [k] Gieram altero ab urbe lapide venerat. Verum Cochius, homo diligens ac ſuſpicax, ex frequenti Gentonii ad cognatam itatione fraudem ſubodoratus, cum crebriores per noctem excubias ageret, Caillatus de ſucceſſu deſperans, ut praeverteret, rem [l] Buſſeriae et Cochio aperit; qui impunitatem homini, ſi Maugironum ad inſidias eliceret, pollicetur. Verum Maugironus, qui centurioni fidem non haberet, cum nullum a Gentonio nuncium acciperet, retro ceſſit: tuncque comprehenſus Gentonius, qui factum confeſſus ac palam deteſtans poena militari ad palum alligatus eſt, et a commilitonibus ſcloppetis confoſſus: [m] Mareſcalius item gregarius miles, qui cum literis ad [n] Laborellum deprehenſus eſt, et alii conſcii laqueo ſuſpenſi, ab hortulano quodam complice, qui, carnifice forte fugitivo cum ad mortem ipſe damnatus eſſet, vitam abominabili miniſterio redemit. Nihilominus Maugironus, qui ſemper in armis erat, Gratianopolitanos ad quietem, et ut regis mandatorum, quibus ipſi provinciae praefectura deferebatur, rationem haberent, amicis verbis hortabatur. Cum nihil proficeret, [o] Varcam, Verderium et Ulmeum ex nobilitate tanquam obſides [p] Moguntiacum mittit, qui cum oppidanis de pace agerent; interimque pontem [q] Draco impoſitum negligentius cuſtoditum occupat, quod paene perniciem obſidibus attulit: tamen ob perſpectam eorum fidem reverenter habiti ac domum illaeſi remiſſi ſunt. Inde aperta ad excurſiones per [r] Treviros porta, et, ſparſa de Maugironi novis [s] Suſii copiis adaucti adventu fama, Moguntinenſes oppidum deſerunt, ad praedas injurias ac incendia regione expoſita, in qua [ſ] Perſa, Villarium, Pancratii fanum, Serra, Ripae, Betonium et Moguntiaci ipſius ſuburbia flammis vaſtata ſunt. Cum ita ſe undique circumſeſſum videret Cochius, omnem operam dabat ut urbem firmaret, incenſis extra domibus, quibus hoſtes tegi et propius muro ſuccedere potuiſſent; ac praecipue Avanſonii aedibus; ducta etiam intra urbem foſſa a Franciſcanorum coenobio ad portam uſque Triclauſtrenſem, et pomoerio ab ea parte excitato. Dum in opere aſſiduus eſſet, et IↃC tantum praeſidiarios circa ſe haberet, ad haec IX ordinum ductores et ex nobilitate paucos, hoſtes extremo Februario adveniunt; et non ad eam partem, quam ille muniebat, ſed ad Dominicanorum coenobium juxta [t] Trajanam portam caſtra metantur; in quibus erant VIII CIↃ peditum et equitum, II majora tormenta et IIII campeſtres machinae. Ea parte murum debiliorem eſſe intellexerat Maugironus, utpote ad dilatandam cujuſdam oppidani cellam vinariam excavatum. Itaque Kal. Mart. coepta pulſatio et triduum continuata, farciendae ruinae intentis oppidanis; quod tanta alacritate ac diligentia fecere, ut niſi ſcalis admotis ſuperari non poſſet. Ter facto impetu, ter repulſi cum damno Maugironiani, deſiderato ex obſeſſis [u] Sanmauritio; cujus mors ſociis ſumme luctuoſa fuit. Tandem cum [v] Cruſſolius, qui Valentiae copias cogebat, auxilio advenire, jamque ad [w] Quintini fanum IIII ab urbe leucis conſediſſe nunciaretur, Maugironus, ſive a [x] Nemoroſio evocatus, qui

INTERPR. [a] *la Coche* [b] *Grenoble.* [c] *la tour de Lemps.* [d] *le baron de Saſſenage.* [e] *Valence.* [f] *le capitaine Genton, enſeigne du capitaine Bardonnanche.* [g] *la porte de Treſclauſtre.* [h] *le ſieur d'Avanſon.* [i] *Caillant, ſergent de la compagnie du capitaine la Coche.* [k] *Giere.* [l] *le capitaine Buſſiere.* [m] *Mareſcales ſoldat.* [n] *Laborel, gouverneur de Gapençois.* [o] *les ſieurs de Varce, Verdeier, & de Lorme.* [p] *Mens* [q] *le Drac.* [r] *pays de Trieves en Dauphiné* [s] *le comte de Suze.* [ſ] *le Perſe, le Villar, S. Pancrace, Serre, les Rives, Berthon, & les fauxbourgs de Mens.* [t] *la porte Traine* ou *Trenei.* [u] *le ſieur de S. Mauris.* [v] *le comte de Cruſſol.* [w] *St. Quentin.* [x] *le duc de Nemours.*

qui de [a] Lugduno intercipiendo ſpem vanam conceperat, ſive ut periculo praeverteret, trans [b] Iſaram tormenta amandat, et ipſe Lugdunum verſus ad Nemoroſium contendit. Cruſſolius ſoluta tertia obſidione urbem intrat, magno gratantium oppidanorum plauſu exceptus; et rebus in ea ordinatis in [c] Septimaniam continuo revertitur. Mox [d] Veſilina arx, quae ab Italo quodam tenebatur, ſub [e] Malagaruio praefecto continuis excurſionibus viciniam infeſtante, a [f] Santangelo Varcae fratre recipitur. Secundum haec [g] Furmeierus [h] Vapincenſeis, quos penes ſe habebat, patriae repetendae cupidos [i] Campoforium ducit; et, praemiſſo [k] Buſſerio fratre, [l] Rometam tertio a Vapinco lapide exiguum oppidum aſtu tentat. Nam ſe a [m] Caudano, qui Vapinco praeerat, miſſum ſimulans, ut oppidanos moneret adventare hoſtem, propius accedit; et, inter colloquendum correptis per ſuos ſtationis ad portae cuſtodiam diſpoſitae armis, quoſdam ex praeſidiariis occidit, alios in fugam vertit, [n] Mongino, qui loco praeerat, cum paucis in turrem templi evadente. Tum pulſatis magna vi tintinnabulis, ſigno Vapincenſibus, ut quamprimum ſuppetias ferrent, dato, illi ſine cunctatione magno numero exeunt, dum Furmeierus ſuos per anguſtum collem traduceret, et Rometae immitteret; qui ubi ſe tanta multitudine prope circumfuſum vidit, animos ex neceſſitate ſumpſit, et medium ſe cum xv delectis inter Rometam et auxiliareis Vapinco advenienteis interpoſuit, non tam vincendi ſpe, quam ut praeſens exitium cum certa pernicie ſua a ſociis averteret. In iis erant [o] Sangermanus, Albertus [p] Martinus Campoleonus cum duobus fratribus, F. [q] Bona Diguierius, de quo plura deinceps dicenda erunt, duo [r] Capani fratres, Guidus et David ſtrenui ex agro milites, [s] Jo. Corvienſis, Cl. Vallogius, et duo Vapincenſes vulgo Pariſii appellati; quorum nomina propter raram fortitudinem heic exprimi meruere: horum virtute fretus Furmeierus in medios ruit, et vix ſperato ſucceſſu caedit ac profligat, et caedendo ſeſſus reliquias fugientium intra Vapinci portas compulit. Ita Rometa potitus eſt, eamque uſque ad pacificationem tenuit: qua ſtatim in [ſ] Treviris per Maugironum publicata, miſſus deinceps [t] Breſſius ex primaria nobilitate regulus Gratianopolim venit; et edictum, interim dum [u] Vetuſvilla tribunus equitum, cui illius exequendi cura demandata fuerat, adveniret, promulgari juſſit, editis publicae laetitiae ſignis, et reſtituto ſenatu. Poſtea provinciae impoſitus [v] Rupiſurionius, eique Maugironus a rege legatus attributus.

XII. His explicatis, tempus eſt, ut quae ab initio hujus anni in caſtris regiis et a [w] Colinio geſta ſunt ad pacificationem uſque, continuato ſermone, quem toties multitudine rerum in diverſis partibus hoc bello geſtarum in oculos incurrente interrumpere neceſſe fuit, nunc exequamur. Colinius, tranſmiſſis ad [x] Baugentiacum IIII Non. Jan. in ulteriorem ripam copiis, [y] Cellas in Biturigibus ducit; quo ſe ſacerdotes plerique, comportata ſacra ſupellectile, tanquam in tutum receperant, a quibus perſuaſi oppidani magno cum ſuo damno ad defenſionem ſe parant. Interim [z] Aniani fanum a [aa] Rupifulcaudio occupatum; et [bb] Mons-Richardi tandem poſt aliquot dierum altercationes [cc] Porciano deditionem facit, qui Germanorum equitum vexillo immiſſo oppidanos male mulctavit. [dd] Bleraeum fruſtra tentatum, in quod cc equites nuper introducti fuerant. Poſtridie Cellae deditae, elapſis fere ſacerdotibus; et ſupellex omnis ſacra conflata, ex qua Germanis perſolutum ſtipendium; quorum IIII vexilla

INTERPR. [a] *Lyon.* [b] *l'Iſere.* [c] *Languedoc.* [d] *le Château de Vezile.* [e] *le capitaine Maugarny.* [f] *le capitaine St. Ange, frere du ſieur de Varcé.* [g] *le capitaine Furmeier.* [h] *ceux de Gap.* [i] *Champſor.* [k] *la Buſſiere.* [l] *Romete.* [m] *le capitaine Chaudan, commandant à Gap.* [n] *le capitaine Mongin* [o] *le capitaine St Germain.* [p] *le capitaine Champoleon.* Beze l'appelle *Champoleu.* [q] *de Bonne, ſieur de Leſdiguieres.* [r] *les deux Chapans, Guyot de Veyne & David de la Roche.* [s] *Jean Bouteux de Corp, Claude du Vallog, & deux appellés les Pariſiens de Gap.* [ſ] *Trieves.* [t] *le baron de Breſſieu.* [u] *le mareſchal de Vielleville.* [v] *le prince de la Roche ſur Yon* [w] *l'amiral de Coligny.* [x] *Baugency* [y] *Celles en Berry.* [z] *St Aignan.* [aa] *le comte de la Rochefoucaud.* [bb] *Mont-Richard.* [cc] *le prince de Porcean* [dd] *Blerey.*

CIↃIↃLXIII. vexilla introducta oppidanos variis damnis adfecerunt, cum prius ii, qui reſiſtendi

Carolus IX. auctores fuerant, laqueo ſuſpenſi eſſent.

XIII. In [a] Belſia Guiſius [b] Stampas ſub id capit, [c] Duracio, qui locum cum III ſignis tenebat, [d] Pithiverium ſe recipiente: ubi rurſus ille ab IↃ CCC equitibus circumſeſſus, qui oppidi ſuburbia occupaverant, facta eruptione, quaſi ad defenſionem ſe pararet, dum tormenta advehuntur, relictis impedimentis noctu cum ſuis [e] Aurelianum ſe contulit. Ad urbis obſidionem dum cuncta neceſſaria a Guiſio parantur, Andelotus, qui defendendam eam ſuſceperat, cum [f] Paſſo Feuquerio muniendorum locorum perito omnem operam dabat, ne ab ulla re imparatus eſſet. Luſtratis copiis, nûmerata XIIII ſigna Germanorum et Gallorum, et IIII ex oppidanis: plerique inſuper ex nobilitate egregie animati. Regina, cum [g] Autrici Carnutum cum rege paululum ſubſtitiſſet, Condaeum captivum ſecum trahens, [h] Bloeſas profecta eſt, Condaeo [i] Onzinium Rupifulcaudiorum arcem ſub valida cuſtodia amandato. Interea Colinius in tractandis Germanorum animis totus occupabatur; quorum ſeditionem ob non perſoluta ſtipendia veritus, eos ſpe pecuniae propediem ex [k] Britannia a regina ſubmittendae paſcebat; tantumque apud eos rationibus, precibus, etiam [α] ſparſa de proelio proximo fama valuit, ut homines decoris avidos denuo ad patientiam obſtrinxerit, fide accepta, pro deſertoribus ac perfidis habendos, qui militiam recuſarent. Inde per Richardi-montem ac [l] Romorantinum [m] Gergolium venit, quod jam Rupifulcaudius occupaverat. Guiſius, Belſia pacata poſt ſe relicta, Baugentiacum itidem venerat; ubi tam vicinis praeſidiis aliquoties pugnatum, ſed levi utrinque jactura. Inſolitae eo menſe coruſcationes et tonitrua novos motus apud pavidos metu praeſentium et futuri anxios portendere credita: et ante aliquot dies in Belſia ſtatim nube denſa obſcuratum coelum; qua ſeſſa ignes accenſos in aere viſos et acies concurrenteis plerique narrabant. Injecta tum de pace mentio; cujus cum non aliam expeditiorem rationem videre ſe reſponderet Condaei uxor, quae Aureliani erat, quam ſi vir ipſius et Momorantius liberi dimitterentur, nihil ulterius actum eſt. Inde [n] Sullium [o] Tremolliorum oppidum ad [p] Ligerim ſupra Gergolium, quod a [q] Potino tenebatur, a [r] Bucardo dedi juſſum: cum oppidani recuſarent, vi captum et crudeliter direptum, obviis quibuſque occiſis, et in iis XXXVI ſacerdotibus, aliis praeterea in flumen, dum enare conantur, ſubmerſis: arx continuo dedita, in quam Potinus confugerat. Quo facto, et CC praeſidiariis ductore [s] Uza loco impoſitis, [ſ] Dampetra, qui cum Bucardo venerat, [t] Genabum uſque progreditur; ubi cum offendiſſet III Hiſpanorum ſigna et alam equitum a Guiſio, ut Aurelianum arctius obſideret, miſſam, fruſtra fuit. Colinius cum omnibus copiis Gergolio in urbem redit, et cum ducibus, quid facto opus eſſet, conſultat: tandemque, quoniam de pecunia Britannica Germanis ſpes facta eſſet, ne, quod illis ſolemne eſt, tumultuarentur, placuit, eos in [u] Neuſtriam duci: nam, ſi quidem Guiſius ad illos inſequendos mitteret, futurum, ut tantundem ejus vires imminuerentur, et diviſis regiis copiis minor belli moles Aureliani et in Neuſtria ſuſtinenda eſſet. [v] Heſſiae tribunus erga Condaeum optime affectus ſtatim conditionem accipit; et ſuis auctor fuit, quo expeditius incederent, ut carros Aureliani relinquerent, equis carrucariis impedimenta neceſſaria ac lixas imponerent. Colinius Gergolio per pontem tranſmiſſis copiis profectus, nam alteram ripam Guiſius inſederat, in viam ſe dat, relicto in urbe [w] Andeloto fratre, Duracio, Bucavanio, Georgio Claromontio Amboſio, Pigrefferio Sancyrio, Avareto, aliis, et abducto ſecum [x] Grammontano, qui, cum Andelotus

VAR. LECT. [α] injecta de proelio proximo mentione valuit, *D. f. o.*

INTERPR. [a] *la Beauſſe.* [b] *Eſtampes.* [c] *le ſieur de Duras.* [d] *Pethiviers.* [e] *Orleans.* [f] *de Pas de Feuqueres le jeune.* [g] *Chartres.* [h] *Blois.* [i] *Château d'Auzin près d'Amboiſe.* [k] *Angleterre.* [l] *Romorantin.* [m] *Gergeau.* [n] *Sully.* [o] *les ſieurs de la Tremoille.* [p] *la Loire* [q] *la Mothe Potin.* [r] *le ſieur de Boucard* [s] *le capitaine Uzas.* [ſ] *le ſieur de Dampierre.* [t] *Gyen* [u] *Normandie.* [v] *le mareſchal de Heſſe.* [w] *d'Andelot, de Duras, de Bouchavanes, de Clermont d'Amboiſe ſieur de Buſſy, de Pigreſſier ſieur de St. Cyre, d'Avaret.* [x] *le ſieur de Grammont.*

Andelotus ſe ob adverſam valetudinem excuſaret, ſuſtinendae obſidionis onus in ſe CIƆIƆLXIII.
ſuſcipere praeſumpſerat. Ubi vero a regiis de ejus conſilio cognitum eſt, [a] Briſſacus, CAROLUS IX.
qui Lutetiae cum ſummo Imperio relictus fuerat, in Neuſtriam redire juſſus, eique [b] Vetuſvilla equitum tribunus et Ringravius attributi. Mandatum inſuper, ut ruſtici, jumentis commeatu in urbes comportato, pagos vacuos desererent. Diſtributus item equitatus per arces in [c] Petticenſi agro, et [d] Firmitas Vicedomini, Breſolium, Caſtrum-novum in Thimeracenſi agro, [e] Mezeriae, atque aliae arces milite firmatae, ut tranſitus Colinio intercluderetur; ſemper interim injecta de pace a regina mentione, ut ejus profectionem moraretur. Cum vero rurſus de dimittendis Condaeo ac Momorantio conditio propoſita eſſet ab Helionora [f] Roia Condaei uxore et Momorantii ſororis nepte, et, qui circa reginam erant, antequam conveniretur, captivos eos quam liberos malle viderentur; illa, ut erat ſolerti ingenio, avunculum compellans, ſuos ac regni hoſteis, qui utrinſque arctiorem conjunctionem impedirent, perinde facere dixit, atque ii, qui [g] S. S. Genovefae ac Marcelli capſas, quorum memoria apud Pariſienſeis in ſumma veneratione eſt, feſta pompa circumgeſtant; quibus enixe cavetur, ne propius inter incedendum jungantur, inveterata inter credulam plebem opinione, ſi ſemel committerentur, futurum, ut nunquam poſtea divelli poſſent. Quo dicterio prudentem ſenem monebat, ut deinceps arctiorem cum Condaeo amicitiam coleret, neque ab ea ſe ullis rationibus divelli pateretur. Dum haec agerentur, Condaeus a Damvilla, quod evadere tentaſſet, arctiore cuſtodia conſtringitur: unuſque e cuſtodibus, quem ille corruperat, ante oculos ejus patibulo affixus eſt. Colinius Kalend. Febr. cum Gergolio in [h] Belſiam deſcendiſſet, cum IIII CIↃ equitum egregie inſtructis per [i] Treonum iter habuit; luſtratoque attentius loco, in quo pugnatum fuerat, cum ex regionis natura, convallibus fere intereiſae et ſepibus atque arboribus impeditae, cognoviſſet, quam iniqua equitatus illis locis cum peditatu, quo hoſtes abundabant, certantis conditio eſſet, ſero errorem eorum agnovit, qui ſine mora iter perſequendum monebant; quod ſi feciſſent, inter anguſtias et impedita loca, ſuperveniente regio peditatu, omnino ſine certamine deleti eſſent. Inde quartis caſtris [k] Ebroicum ac ſexto poſt die [l] Bernaeum coenobio nobile oppidum venit; ad quod ruſtici adventu primo [m] Aumalii arma ſumere coacti, et tunc etiam injuſſi licentioſa aſſuetudine ea retinentes, magno numero confluxerunt, qui Colinium veriti ſe continuere. Ille vero inde ad [n] Petri Divani fanum caſtra metatur; ubi templa, quae ab hominibus rei navali addictis cultu praeter ſolitum officioſo coluntur, expilata; et votorum monumenta ac imagines, quas pericula adire ſoliti et iis erepti maxime venerantur, magna provincialium offenſione paſſim dejectae. Ibi et Germanis, promiſſa repraeſentari poſcentibus, non aliud Colinio reſponſum occurrebat, quam in fluctus vicinos reſpicerent; quos cum ventis adverſis agitatos cernerent, id ut excuſationis loco acciperent, orabat. Interea, ne nihil ageret, [o] Epiſcopi-pontem, id oppido nomen eſt, per [p] Porcianum in poteſtatem redigit, et cum [q] Honflorianis accepto commeatu tranſigit.

XIV. [r] CADOMI plerique erant Proteſtantes, qui libere per domos privatas conveniebant: cujus rei metu [s] Balleolius Renuartius arci impoſitus fuerat; et mox eo miſſus [t] Ellebovii marchio Guiſii frater, ut praeſentia ſua oppidanos in metu contineret; qui Colinii proximitate audaciores, cum praeſidiariis aliquoties congreſſi, cum etiam erumpentes non ſine damno repuliſſent, Colinium ipſum adeunt, et auxilium adverſus homicidas ac latrones, ſic praeſidiarios vocabant, enixis precibus depoſcunt. Is primo excuſare; ac dicere, ſibi neceſſitatem impoſitam, accepta ex Anglia
pecunia

INTERPR [a] *le mareſchal de Briſſac.* [b] *le mareſchal de Vielleville & le Rhingrave.* [c] *le Perche.* [d] *la Ferté au Vidame, Breſolles, & Châteauneuf au Thimerais.* [e] *Mezieres.* [f] *de Roye.* [g] *Ste Geneviève & S. Marceau.* [h] *la Beauſſe* [i] *Treon.* [k] *Evreux* [l] *Bernay.* [m] *le duc d'Aumale.* [n] *S. Pierre ſur Dive.* [o] *Pont l'Evêque.* [p] *le prince de Porcean.* [q] *ceux de Honfleur.* [r] *Caen* [s] *de Bailleul, ſieur de Renouart.* [t] *d'Elbeuf.*

pecunia, quamprimum [a] Aurelianum repetendi: quod ſi tum arcem obſeſſam teneret, ſore, ut conditionem eorum pejorem redderet, quippe irritatis praeſidiariis, nec arce capta. Cum tamen illi inſtarent, et, ut vicem ſuam miſeraretur rogarent, [b] A. Valdraeum Moium nuper dimiſſum eum ala ſua et aliquot ſcloppetariis equitibus [c] Cadomum proficiſci jubet, ut oppidanis contra praeſidiarios praeſto eſſent; qui mox Petri ſani turrem arci imminentem tormentorum pulſatione dejiciunt, et domos circa arcem incendunt. Tandem reflantibus ventis claſſis ex Anglia ſolvens [d] Franciſcopolim appulit. In ea erant VIII navigia Belgica egregie inſtructa, quibus V Anglorum ſigna, VIII murales machinae cum omni bellico apparatu portabantur; item pecunia; quae ubi numerata eſt, [e] α Bellovaſius, [f] Briceomotius et Nic. Throcmortonus nuper dimiſſus aſſumptis II Gallorum ſignis Cadomum ac Colinium contendere. His auxiliis fretus ille de expugnanda arce cogitabat, nec bono milite, nec peritis belli ducibus firmata: itaque Kalend. Mart. admota tormenta VI, reliquis duobus in latera prominentia ejaculantibus; et, exigua admodum facta ruina, quam regina poſtea inſpiciens, cum in arce cum rege eſſet, vel a domeſticis mulieribus colos geſtantibus defendi potuiſſe aiebat, cum vix duplicatis ſcalis ſingulares milites collecto per vices ſpiritu ad eam eniti poſſent, tamen [g] Ellebovius, qui tunc ex quartana aegrotabat, et Renuartius, ſive inopinato caſu territi ſive ſuis diffidentes, ſtatim ſe ad interius propugnaculum receperunt: et, cum poſtridie redintegrata eſſet verberatio, de conditionibus agunt; quas quidem recuſare potuiſſe Colinium omnes judicabant, quippe eo redactis obſeſſorum rebus, ut eos deditionem ſine conditione facere neceſſe eſſet, et ſuam maxime ac Condaei ſalutis intereſſet, ut Ellebovium Guiſii fratrem in poteſtate haberet. Sed cum de vulnerato eo ac mortuo fama, quamvis incerta adhuc, jam percrebruiſſet, Colinius, qui ſibi quamprimum Aurelianum redeundum propoſuerat, veritus, ne res in urbe, ſive ad bellum ſive ad pacem ſpectarent, per ipſius abſentiam miſcerentur, in has conditiones convenit; ut Ellebovius et Renuartius liberi honorifice dimitterentur; praeſidiarii cum armis, ſalvis impedimentis, exirent; pecunia omnis regia repraeſentaretur; oppidani, quorum quidam homicidiis et ſeditionibus cauſam dediſſe arguebantur, Colinii arbitrio relinquerentur. Ex iis poſtea IIII patibulo affixi, alii pecunia mulctati. Stephanus [h] Valla Moſtus captus, et per exercitum etiam poſt pacificationem diu traductus. Ellebovius, cum aliquanto tempore cum Colinio collocutus eſſet, [i] Honflorium, Renuartius alio ſe recepit. Dum adhuc Cadomi eſſet Colinius, crebrae Dieppenſium ad eum perlatae querelae, quod a [k] Mongomerio rapinis ac licentia militari vexarentur, impoſitis praeterea tributis et commercio omni aut impedito aut omnino interdicto ad extreman inopiam ac miſeriam redigerentur; ab eoque impetrant, ut [l] Gauſſevillam, qui [m] Fiſcanum tenebat, amoto [n] Prelaeo, oppido praeficeret, et Mongomerium, quaſi ejus opera ad majota negotia uſurus, penes ſe retineret. Detectum et tunc forte occultum de occupanda [o] Dieppa a [p] Briſſaco, qui [q] Rotomagum venerat, initum conſilium; quod eventu caruit. Gauſſevillae poſtea ſuffectus eſt [r] Curcus, qui poſt pacificationem Dieppae praefecturam retinuit.

XV. Interea Guiſius ad Olivetum caſtra promovet Non. Febr. [s] Oliveti et Sanmaximini pontibus et aggere S. [ſ] Samſonis ſumma diligentia refectis ac munitis. Conſilium ejus erat [t] Flumentanum ſuburbium aggredi, foſſa a [u] Feuquetio vallatum, quod a Gallis, qua parte Olivetum et [v] Gergolium verſus porrigitur, a Germanis, qua [w] Clerium tendit, tenebatur. Illud vero non tam obſtinate defendere decreverat Andelotus,

VAR. LECT. [α] Bellovarius D. f. o.

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *Artus de Vaudray, ſieur de Mouy.* [c] *Caen.* [d] *Havre de Grace.* [e] *de Beauvoir la Nocle.* [f] *de Briquemaut.* [g] *le marquis d'Elbeuf.* [h] *du Val, ſieur du Moſt.* [i] *Honfleur.* [k] *le comte de Montgomery* [l] *Gauſſeville.* [m] *Feſcamp.* [n] *de Preſles.* [o] *Dieppe.* [p] *le mareſchal de Briſſac.* [q] *Rouen.* [r] *le ſieur de la Curée.* [s] *ponts d'Olivet & de St. Meſmin.* [ſ] *la chauſſée des Moulins de S. Samſon.* [t] *fauxbourg* appellé *le Portereau.* [u] *le jeune Feuquieres.* [v] *Gergeau.* [w] *Clery*

Andelotus, quam regios aliquanto tempore diſtinere, dum impedimenta et privatorum res in urbem recipi ac comportari poſſent, et poſtea igne injecto locum vaſtare. Sed accidit praeter ſpem, Germanorum [α] incuria, ut, cum poſtridie Guiſius eo [a] Sipetram cum XII ſignis peditum, CCCC equitibus et II colubrinis miſiſſet, et Galli initio ſumma vi impetum ſuſtinuiſſent, cognito a regiis Germanos regionem ſibi commiſſam deſeruiſſe, illac copiarum partem introducerent; jamque a tergo Vaſcones ſtrenue pugnantes petebant, cum illi, ſe undique cinctos videntes, de receptu ſed ſero cogitare coeperunt: dumque ad [b] turriculas, quae pontem a ſuburbii parte claudebant, confugiunt, jam impedimentis et Germanis ad eas conglobatis et coacervatis, tanta multitudo mutuo ſe concurſu impedientium incubuit, ut plerique in turba exanimati, alii ferro et igne perierint, plerique ſe in flumen ſubjectum praecipitaverint; et, niſi Andelotus, quamvis ex quartana debilis, vir imperterritus, cum delecta nobilitate accurriſſet, eodem impetu turriculae et inſulae ſubjectae et fortaſſe etiam urbs, conſternato metu milite, in poteſtatem victoris deveniſſet. Praeſentia tamen Andeloti effectum, ut, cum ſemihoram et amplius turricularum porta patuiſſet, hoſtes per eam in pontem impreſſionem non fecerint ſive praedae intenti, ſive quod ſucceſſu praeter ſpem ſecundo ſtupefacti et vix ſibi credentes, fortuna uti neſcivetint. In ea turba IƆCCC amplius ex obſeſſis periiſſe ſcribit Fr. [c] Lanovius, qui interfuit; quamvis alii duplo minorem numerum edant. Capto ſuburbio, ex domibus vicinis cum in turriculas et inſulas deſpectus eſſet, defenſores admodum infeſtabantur, donec doliarium ſeptum tumultuaria opera militi tegendo erectum fuit. Biduo poſt [d] Sullium miſſo [e] Birono er cum eo [f] Richelio deditione receptum eſt, ne quid ſupra infraque urbem in obſeſſorum poteſtate remaneret. Interea aſſidue ad turriculas pugnabatur; quae tandem defenſorum ſocordia ac ſecuritate captae ſunt, duobus militibus, nam non plures initio erant, per ſcalam, cum nullas vigilias animadverterent, in altum evadentibus et inopinato ſuo ingreſſu praeſidiarios terrentibus; qui, relicta ſcala, per quam praecipitanter deſcenderant, aditum ad pontem et inſulas occupandas facilem inſequentibus fecere; tanta conſternatione omnium, ut, niſi Andelotus rurſus accurriſſet, eo die de rerum ſumma actum fuiſſe credatur. Verum impetum ſuſtinentibus regiis, et ob tam ſubitam hoſtium ſeu fugam ſeu diſceſſum fraudem ſubeſſe ſuſpicantibus, obſeſſi geminata clade territi animos collegere; et Feuquerii diligentia excitato ac porrecto in ponte aggere, quo portae et inſularum defenſores protegebantur, ac diſpoſitis in eo tormentis damno accepto utcunque proſpectum eſt. Urbs in quatuor regiones diviſa; et ſingulae ſingulis perſpecta virtute ducibus attributae: diſpoſita item in turre [g] S. Aniani IIII tormenta, quae continua in turriculas ejaculatione infeſtum pontis ingreſſum irrumpentibus efficiebant, et inſulas ſubjectas defendebant.

XVI. PARTE alia Guiſius omnia ad impetum faciendum et invadendas inſulas parabat; et XII Kal. Mart. cum Philippo [h] Strozzio praetorianorum duce ea de re egerat, datis ad reginam literis, quibus proſpera omnia et brevi laetum de capta urbe nuncium ſe miſſurum ſpondebat: quo eodem die, cum inclinato jam ſole longius a ſuis, qui praecedebant, in equo cum [i] Triſtano Roſtinio a regina miſſo, et qui curto mulo vehebatur, colloqueretur, a Joanne [k] Politroto Mereo ſcloppeti ictu cominus per latus diſploſi juxta axillam feritur. Is, nobili loco in [l] Engoliſmenſi agro natus, et in Fr. [m] Bucardi Albaterrae reguli familia inter nobileis pueros nutritus, primam aetatem in Hiſpania egerat; ubi ex conſuetudine vultum, vocem et reliquum

VAR. LECT. [α] ignavia *D. f.*

INTERPR. [a] *le ſieur de Cipierre.* [b] *les tourelles.* [c] *de la Noüe.* [d] *Sully.* [e] *de Biron.* [f] *de Richelieu.* [g] *St. Aignan.* [h] *Strozzi.* [i] *Triſtan de Roſtaing.* [k] *de Poltrot, ſieur de Merey.* [l] *Angoumois.* [m] *Bouchard, vicomte d'Aubeterre.*

CIƆIƆLXIII.
CAROLUS IX.

quum corporis motum ita ad gentis illius mores compoſuerat, ut accedente oris fuſcedine et ſtaturae brevitate vulgo [a] Hiſpanienſis appellaretur: poſtea cum in patriam rediiſſet, Proteſtantium doctrinam ardenter amplexus, [b] Subizio illius provinciae regulo operam ſuam addixerat; ſub quo et hoc bello militavit, et proſperos Guiſii ſucceſſus perosus de eo occidendo impetum cepit: idque ſaepius coram ſociis et Subizio ipſo ſe facturum minaciter jactavit; eo minus creditus, quod homo, alioqui tecto ingenio, rem, quae ſilentio indigeret, praeſtacta audacia toties propalaret. Poſt [c] Drocenſem pugnam, de qua varii ſermones jactabantur, ut de rei veritate cognoſceret, ad Colinium, cum in [d] Cellarum obſidione eſſet, a Subizio miſſus nec remiſſus, et pecunia, unde equum pernicem emeret, a Colinio donatus, ſuſpicionem auxit, quaſi ad facinus exequendum deſtinatus veniſſet. Inde in caſtra regia ad [e] Corneam arcem, in qua Guiſius hoſpitium habebat, venit, et aliquot dierum conſuetudine familiaritatem cum domeſticis contraxit; ac demum eo, quo dixi, die, cum in vicina caedua ſilva ex equo deſcendiſſet, in genua procumbens Deum ardentibus votis, ut ipſe poſtea confeſſus eſt, oravit, ut, ſi quidem is animi motus, quo ad tyrannum, ſic Guiſium vocabat, occidendum ſe incitari ſentiebat, ex Deo eſſet, ipſum in ſe accenderet; ſin a pravo ſpiritu immiſſus, eum ex mente ſua exturbaret: quo facto, rurſus equum conſcendit, et ſe in propoſito confirmatiorem ſentiens in inſidiis latuit, loco commodo, qua Guiſium ad hoſpitium tendentem ſciebat tranſiturum; eamque occaſionem nactus ſcloppetum in partes nudas diréxit, veritus, ne, ſi lorica tectus fuiſſet, ictus pila retuſa evaneſceret. Guiſius confeſtim a ſuis Roſtinio inclamante revocatis in hoſpitium vicinum infertur: Mereus in vicinas ſilvas confugit, fruſtra inſequentibus quibuſdam; patratoque facinore attonitus, cum tota nocte per avia deerraſſet, ſibique longum iter emenſus videretur, poſtremo mane equo pene deficiente ad [f] Oliveti pontem venit; et, cum inde ad locum ignotum et quem longius diſſitum putabat obdormiſſet, a diſcurrentibus ob ſuſpicionem comprehenſus mox agnitus eſt; ac biduo poſt ad reginam in caſtris ad [g] Hilarii fanum adductus; et coram cardinali Borbonio, [h] Stamparum duce, [i] Martigio, Sebaſtiano [k] Albaſpineo Lemovicum epiſcopo, [l] Loſſio, aliis, de facto et qua ratione et a quibus juſſus ac ſolicitatus id ſuſcepiſſet interrogatus, reſpondit, Julio menſe cum Subizius [m] Aureliani cum Condaeo eſſet, una quoque veniſſe, et a [n] Feuquerio ac Briono, is poſt captum [o] Avaricum regi in [p] Rotomagenſi obſidione militavit, ad Colinium introductum, qui eum de Guiſii caede ſolicitaverit, idque tunc recuſaſſe; et cum Subizio [q] Lugdunum profectum eo uſque manſiſſe, donec poſt Drocenſem pugnam Colinii rogatu a Subizio ad eum remiſſus eſt, in obſidione Cellarum tunc occupatum; cum quo Aurelianum reverſo eadem de re egerit, et a Theodoro Beza et altero paſtore, cujus nomen non expreſſit, perſuaſum tandem conſenſiſſe; acceptaque pecunia ad Guiſium in caſtra veniſſe, quaſi ſub eo deſertis Condaei caſtris regi militaturum: ſed poſtea poenitentia ductum Aurelianum ad Colinium profectum, ut ſe excuſaret; ſed, iterum a Beza perſuaſum, poſtremo facinus ea, qua dictum eſt, ratione executum, ac poſtmodo captum eſſe. Addidit praeterea, conjectare, conſilium de caede Guiſii conſcio [r] Rupifulcaudio initum eſſe; Condaeum, Andelotum et Subizium facti ignaros fuiſſe affirmans. Inſuper reginam monuit, ut deinceps ſibi caveret: nam Proteſtanteis tanquam ab ea proditos poſt Drocenſem pugnam male erga ipſam animatos eſſe; pleroſque in regiis caſtris a Colinio miſſos ac ſibi viſos percuſſores; et [s] Monpenſerium ac [t] Sanſacum praecipue ab illis peti. Eadem poſtridie confeſſus eſt, ſacramento prius adhibito, iiſque ſcripto mandatis et coram

INTERPR. [a] *l'Eſpagnolet.* [b] *le ſieur de Soubize.* [c] *de Dreux.* [d] *Celles.* [e] *Château de Corney.* [f] *pont d'Olivet.* [g] *St. Hilaire.* [h] *le duc d'Eſtampes.* [i] *le vicomte de Martigues* [k] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.* [l] *de Loſſes.* [m] *Orleans.* [n] *le ſieur de Feuqueres & le capitaine Brion.* [o] *Bourges.* [p] *de Rouen.* [q] *Lyon.* [r] *le comte de la Rochefoucaud* [s] *le duc de Monpenſier.* [t] *le ſieur de Sanſac.*

CIↃIↃLXIII. Carolus IX.

coram ipſo perlectis ſubſcripſit: quae a Germano nobili in pugna Droccenſi capto, et ea conditione ab Joanne [a] Nogareto Valeta dimiſſo, accepta, Colinius, qui adhuc [b] Cadomi erat, coram [c] Heſſiae tribuno, proceribus ac nobilitate perlegi voluit: et ad ea IIII Eid. Martii ſcripto reſpondit; quo, Deum et homines conteſtatus, menſe Januario proximo primum ſibi viſum [d] Mereum, nec ante cognitum, dicebat; quo cum a [e] Subizio miſſum et [f] Feuquerio, qui eum noverat, ob militarem ſolertiam commendatum ad res hoſtium explorandas adnumerata pecunia in Guiſii caſtra amandaverit; et, cum in [g] Neuſtriam proficiſceretur, rurſus ad ſe redeuntem C aureis donaverit, ut in explorandis hoſtium rebus porro Andeloto per ſuam abſentiam inſerviret: cetera ab eo dicta mera eſſe commenta ac calumnias: nam de occidendo Guiſio, cujus morte nihilominus non multum doleat, ut regno ac purioris doctrinae profeſſoribus ſummopere ſalutari, nunquam cum Mereo nec per ſe nec per alium ſermones miſcuiſſe, ab eaque re ſemper abhorruiſſe; quamvis ſimilia in Condaei, Andeloti ac ſuam perniciem ab inimicis conſilia inita deprehenderit, idque reginae ac Momorantio manifeſtis indiciis probaverit. Beza eodem ſcripto pro innocentia ſua proteſtatus eſt; et, nunquam ſibi Mereum cognitum, aut ſermones cum eo habitos, affirmavit. Rupiſulcaudius item nunquam de ea re ſibi quidquam compertum dixit. Tres conjunctim reſponſioni ſubſcripſere. Colinius inſuper eodem die ad reginam literas per tubicinem cum reſponſione miſit; quibus eam enixe ac demiſſe rogabat, ut Mereum aſſervari juberet, ut, antequam de eo ſupplicium ſumeretur, ex illius ore de cauſa tota et ſui ipſius innocentia plenius ac certius cognoſcatur.

XVII. Dum haec agerentur, Guiſius poſt ſextum a vulnere accepto diem, fruſtra tentatis remediis, cum nulla vitae ſpes ſupereſſet, primum uxorem compellans veniam domeſticarum offenſionum petit: tum communia pignora; et Henricum inprimis natu grandiorem, qui aderat, ei commendat, literis inſtrui et bonis moribus imbui curet, poteſtatem ſummam in liberos illi attribuens, et, ſi quidem in eorum cura minus amanter aut negligentius ſe gereret, Deum ultorem precatur: tum ad filium converſus eum ad metum Numinis, regis obſequium et matris reverentiam hortatur; monetque, ne a pugnacitatis, ut in aula fit, fucata opinione, a vitiorum aut turpium ſecretorum participatione, a foeminarum denique amoribus fortunae amplificationem petat; nam haec infirma praeſidia eſſe: munera publica ut invidiae ac periculi plena non ambiat; ceterum ſibi mandata ſumma fide ac diligentia exequatur: tum Guiſio cardinali fratri filios commendat; et abſentem Carolum, ut eorum curam ſuſcipiat, enixe rogat: poſtea, de ſe ac vita ſua pauca prolocutus, praecipue [h] Vaſſiacenae ſtragis adeo exagitatae invidiam a ſe amolitur, et magno ſuo dolore factum dicit, ut, dum ad tumultum ſedandum accurreret, accepto levi, ex quo ſanguis manabat, in turba vulnere, irritati ſui ferro non temperaverint: denique commendatis regi ac reginae liberis, reginam, ut pacem faceret, hortatus eſt, regno eam utilem ac neceſſariam affirmans, et eum impium ac regni hoſtem, qui pacem nollet, pronuncians: poſtremo ad Deum tota mente revolutus, et vere piis ad eum effuſis precibus, habito cum ſacerdote ſecreto colloquio et accepto ſacro viatico, ſe ad mortem ſumma conſtantia compoſuit, et tandem VI Kal. Mart. animam Deo reddidit; vir utique noſtra aetate vel fatente invidia maximus, et quavis laude dignus, ſeu rei militaris ſcientiam cum ſumma felicitate conjunctam, ſive maturam in rebus agendis prudentiam ſpectes; et profecto Galliae bono atque ornamento natus, ſi in pacatiora tempora et rectius adminiſtratam rempublicam incidiſſet: ſed, factionibus ſciſſo regno, vir generoſus et natalium praerogativa ac virtute inſita privatum modum ſupergreſſus, a Carolo cardinali fratre, [violenti plerumque ingenii] homine, perſuaſus,

D. ſ. [*turbidi ac violenti ingenii*]

INTERPR. [a] *Nogaret de la Valete.* [b] *Caen.* [c] *le mareſchal de Heſſe* [d] *Poltrot, ſieur de Merey.* [e] *de Soubize.* [f] *de Feuquieres.* [g] *Normandie.* [h] *de Vaſſy.*

perſuaſus, cujus conſilia interdum averſabatur, et ipſe in partes tranſiit: cumque per regni leges nullum primarium in exercitu imperium haberet, tamen, perſonae dignitate et virtutum ſplendore ſummam in omnium opinione auctoritatem illi conciliantibus, cuncta moderari credebatur, donec capto [a] Momorantio et occiſo [b] Santandreano, penes quos ſumma armorum erat, proelio, cui tanquam privatus belli dux intererat, reſtituto, inclinantem ad hoſteis victoriam ſua virtute revocavit; eaque parta ſummam potentiam quaſi fortuna deferente adeptus eſt; ad extremum ſibi exitioſam, cum Proteſtantes formidoloſum ante ducem, cum privatus eſſet, nunc vero, cum ſolus cuncta poſſet, terribilem quavis ſibi peſte extinguendum arbitrarentur. Enimvero percuſſor ille, ſive falſa libertatis adverſus tyraonum tuendae gloria, quod jactabatur, aliove quovis veſano ſpiritu incitatus, ſive ab inimicis ſubornatus, occiſo Guiſio, qui a pacis conſiliis alienus putabatur, pacificandis rebus viam ſtraviſſe pro tempore viſus eſt: ceterum, ſi rem vere aeſtimes, factiones non tam extinxit quam teterrima ultionum ſemina ſparſit, quae adultis inter bella civilia Guiſii liberis una coaluere. Illi vero, virtutis ac benevolentiae paternae heredes, plauſibili religionis cauſa et plebis favore ſubnixi, ad haec principum ſocordiam, eorumque, qui ſummae rerum apud nos praefuerunt, perverſitatem, et ſaeculi vitia, uberem virtutis oſtentandae et novarum rerum ſegetem nacti, ſuos inimicos reipublicae hoſteis fecere, et regum auſpiciis ſumpta contra illos arma poſtremo contra patriam ac reges ipſos cum certa regni ac ſua paene pernicie [α] vertere.

XVIII. Ante Guiſii mortem ac ſtatim vulnerato eo Henricus [c] Clutinius Oiſellius, et [d] Lemovicum epiſcopus a regina ad Condaei uxorem et Andelotum ſemel atque iterum miſſi ſunt, de pacis conditionibus acturi: mortuo vero, cum regina pacem cuperet, et Condaei ac Momorantii partium ducum potentiam vereretur, de externo principe in Galliam accerſendo, qui res pace et bello ſuo arbitrio moderaretur, abſurdum et dignum vaſto fluctuantis foeminae ingenio conſilium init; in eaque cogitatione haerenti occurrit Chriſtophorus [e] Wirtembergicus, quem nec Lotharingis inviſum ſciebat, quippe cum quo ante annum conſilia [f] Tabernis communicaſſent Guiſius et Carolus cardinalis frater, nec Proteſtantibus ſuſpectum, ut qui in auxilia Condaeo ſummiſſa conſenſiſſet, et pecuniam in eam rem contuliſſet; adhaec moderationem ingenii ipſius perſpectam habebat. Itaque ad eum mox eundem [g] Raſcalonem a Guiſio ſaepius eodem miſſum legat cum literis fiduciariis: is, [h] Stugardiam ubi venit, III Eid. Mart. mandata aperit; quorum haec ſumma erat: regem reginamque gratias agere Palatino ſeptemviro, et ipſi; nec unquam beneficiorum in hoc regnum collatorum Franciſco I et Henrico II regibus immemorem fore: nunc vero, bellis civilibus lacerata Francia, rogare, ut dignetur ad eos venire, coram intellecturus veras tantorum motuum cauſas, apud Germaniae principes colore quaeſito aut diſſimulatas, aut aliter quam oportuit, veritate labefactata, expoſitas: quod ſi in Franciam venire non poſſit, ſaltem ad limitem uſque [i] Campaniae accedat, quo ipſa regina quamprimum profectura ſit. Tum cauſas mandatorum contra omnem expectationem quaerente Wirtembergico, ſubjecit Raſcalo, morte Navarri et paulo poſt Guiſii omne imperium ad reginam devolutum; nec ipſam in regno videre quenquam dignitate et auctoritate parem, cui regis ſubditi licentiae aſſueti parituri eſſent, quippe qui et jura dominis et regi tributa perſolvere detrectarent: itaque rogatum eum velle, ut in Galliam cum III CIↃ equitum ac peditum Germanorum veniat, qui regis ſumptibus militent, ſummamque praefecturam accipiat; ipſam enim operam daturam, ut regis ſubditi ei pareant. Cum replicaret Wirtembergicus,

ſe

VAR. LECT. [α] vertere; ut ex iis, quae poſtea evenere, clarius apparebit. Ante D. f.

INTERPR. [a] *le conneſtable de Moutmorency.* [b] *le mareſchal de St. André.* [c] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [d] *l'Aubeſpine, eveque de Limoges.* [e] *le duc de Wirtemberg.* [f] *Zabern.* [g] *Raſcalon.* [h] *Stutgard.* [i] *Champagne.*

ſe intellexiſſe belli cauſas ex eo natas, quod edictum Januario menſe factum minime servaretur, et mortuis iis, qui illud violaverant, ſpem eſſe, motus ob id exortos componi poſſe; ac porro conſultum videri, ut Caeſar rogatus partes ſuas interponat; qua de re jam ipſe ultimis comitiis verba fecerit: ad haec Raſcalo, alias belli cauſas ſubeſſe, reſpondit; idque ex eo liquere, quod, quanquam edicto denuo confirmato et novis capitibus aucto, Condaeani tamen minime arma deponant: ceterum ſummopere regem reginamque ejus adventum expetere; atque in mandatis habere, ut, ſi quidem ad profectionem ſe parare velit, pecuniam [a] Divioduri Mediomatricum ad [b] Grumbachii delectus depoſitam in ipſius viaticum expendat, et mox cum mandatis regis ac reginae manu ex concilii ſententia ſubſcriptis ad eum veniat; ſin minus, ſaltem Diviodurum aut [c] Barrum-ducis uſque progrederetur, et Fridericum Palatinum ſeptemvirum, Wolfangum [d] ducem Bipontinum, Willelmum Lantgravium et Carolum marchionem Badenſem ſecum adducat: eo reginam cum praecipuis concilii proceribus ſtatim venturam. His ultro citroque agitatis, quatriduum ad deliberandum popoſcit Wirtembergicus: quo exacto, pro reſponſo gratias regi reginaeque agit, vicem regni dolere ſe dicens; pro cujus incolumitate et ipſe aſſiduas preces ad Deum fundat et publicas fieri curet. Tum provinciam ſibi delaram deprecatur, ut tanto oneri impar: et de profectione in Galliam aut ad regni limitem ſe excuſat; ceterum ſe ita exiſtimare, Condaeanos contra edictorum regiorum violatores arma, nec aliam ob cauſam, ſumpſiſſe: itaque conſultius facturam eam ad avertendam Dei iram, ſi provideat, ut divinus cultus ab omni errore ac ſuperſtitione purus in regno conſtituatur, ſublatis offenſionum cauſis, et confeſſione fidei edita ad exemplum Auguſtanae anno xxx hujus ſaeculi in Imperii comitiis propoſitae; juxta quam anno xxv poſt, pax eccleſiae in Germania ſancita eſt. Hic fuit conſilii muliebri levitate clam ſuſcepti exitus. CIↃIↃLXIII. Carolus IX.

XIX. Sub id tempus de [e] Charitaco oppido, quod a III peditum ſignis a Guiſio poſt captum [f] Avaricum ſummiſſis tenebatur, capiendo conſilium quanta fiducia ſuſceptum tanta ſelicitate confectum eſt. [g] Bloſſetus ſiquidem, qui [h] Antranii haud longe hinc praeſidium habebat, [i] Blanaeus et Boſius, ab oppidanis exulibus ſolicitati, ſcalis admotis v Non. Mart. ejectis praeſidiariis, oppido potiuntur: et cum [k] Caſtellionaeus Vaſatenſis cum III illis Guiſii ſignis, et [l] Nivernii, Conadae, Antiſſiodori, Genabi et Avarici praeſidiis ſtatim accurrentibus illud recipere tentaſſet, Boſius, qui cum LXX tantum delectis in oppido remanſerat, fruſtra expectatis [m] Aureliano et Antranio auxiliis, octo dierum obſidionem fortiter ſuſtinuit, occiſis ex Caſtellionaeis pleriſque, donec, commodum pace facta, Caſtellionaeus obſidionem ſolvere jubetur; ipſe vero proximae expugnationis periculo exemptus eſt; et ita oppidum in Proteſtantium poteſtate cum plena conveniendi libertate manſit.

XX. Dum haec agerentur, [n] Columbarius, poſt captum [o] Rotomagum, ubi fortem operam navaverat, domum ad vireis reficiendas reverſus, a Colinio cum [p] Petropontio in [q] Baiocaſſeis miſſus fuerat, ut eos in poteſtatem redigeret; qui, primum vi facta XVIII Kal. Mart. a [r] Julio Ravilio Rufo, qui civitatem [s] Ferrarienſis nomine tenebat, et aliquot militum praeſidium a [t] Renuartio impetraverat, repulſus eſt: ſed, [u] Cadomo advectis IIII tormentis et pulſatis moenibus, oppidani ad reſiſtendum impares de deditione per delegatos cum Colinio agunt. Dum altercatur, Ravilius, ſeu conſcientia territus ſive quod homo externus nullum effugium videret, latebram jam ante excogitatam et paratam ſubit: quo cognito, praeſidiarii ad praedam participandam portas Columbario aperiunt. Oppidum diripitur, pleriſque occiſis et quibuſdam

INTERPR. [a] *Mets.* [b] *Grombach.* [c] *Bar-le-duc.* [d] *le duc de Deux Ponts.* [e] *la Charité.* [f] *Bourges.* [g] *le capitaine Bloſſet.* [h] *Antrain.* [i] *les capitaines Blanay & le Bois.* [k] *le ſieur de Chaſtillon en Bazois.* [l] *Nevers, Coſne, Auxerre, Gien, & Bourges* [m] *Orleans.* [n] *François de Bricqueville, ſieur de Colombieres.* [o] *Rouen.* [p] *le capitaine Pierrepont.* [q] *Bayeux.* [r] *Giulio Ravigio Roſſo.* [s] *le duc de Ferrare.* [t] *de Renouart.* [u] *de Caen.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX. dam ſupplicio affectis: ſacer ordo praecipue, qui in ea civitate numeroſus eſt, et multum poteſt, quoniam oppidanos ad reſiſtendum obſirmaſſe credebatur, male mulctatus fuit; Ravilio interim latente; qui murum ingenti craſſitudine in ſacri collegii ſodalis ſibi amici aedibus excavari juſſerat, idoneo ſpatio relicto, in quod per tubulos lumen e longinquo penetrabat: id autem tanto ſilentio et arte factum, ut obſtructo aditu murus undique ſolidus crederetur, nec ulla latebrae ſuſpicio extrinſecus appareret. Eo ſe Ravilius, comportatis ante carnibus ſalitis, aliquot conditurarum capſis ac generoſi vini amphoris, ad compluſculos dies idoneo viatico, dum victoris furor deſaeviret, ſe abdiderat; ac, ne ſibi interea tempus periret, homo probroſus unam puellam egregia forma in urbe vi raptam ſecum incluſerat; cum qua dum in medio periculo ſecutus deliciatur, a ſuis, quos fidos putabat, proditus, e cavea ſummo ludibrio extrahitur, et Cadomum perducitur; ubi multa avare, multa libidinoſe feciſſe convictus, expoſtulante de injuria puellae raptae parente, ad mortem damnatus vitam laqueo finivit. Poſtridie a capta [a] Baiocaſſium civitate, hoc eſt, III Non. Mart. [b] Britonerius et [c] Lormaeus, qui [d] Matignoni juſſu per [e] Bullionii abſentiam ſe pro ſummo provinciae praefecto gerentis [f] Laudi fanum tenebant, locum deſerunt, et [g] Chereburgum, quo Matignonus conceſſerat, tendunt; ab eo male accepti, quod non viſo hoſte ſtatim ſe recepiſſent, et tormenta ac bellicum omnem apparatum in ejus poteſtate reliquiſſent. Eo mox a Colinio miſſus [h] Mongomerius; qui, relicto in oppido [i] Sanmariano Agnello, [k] Avrincas tendit; quas et ab oppidanis recepit, et unius ſigni praeſidio firmavit. Ad [l] Viriam majus negotium fuit, cui [m] Neovillum Matignonus impoſuerat; qui, ſuſpectis ob religionem oppido expulſis, ad defenſionem ſe comparaverat. Anglorum primarius dux in obſidione occiſus eſt; ſed vi facta ad extremum ſub noctem urbs capta, intentis ad eam partem, in qua murus ſuffodiebatur, praeſidiariis. Nox caedibus, ſtupris et violentiae tegendae opportunitatem dabat: quae tamen utcunque Mongomerius compeſcuit, ſupplicio paucorum ſedato militis furore; et, impoſito C hominum praeſidio, [n] Cadomum, revocante Colinio, revertitur. Eodem tempore [o] Moius [p] Honflorium recepit, [q] Audemari pontem inde petiturus. Mongomerius vero [r] Orſonis pontem irrito conatu tentat; et mox levi certamine ad [s] Michaelis fanum, quod a Nicolao [ſ] Grimovillio Larchantio tenebatur, conſerto, Chereburgum verſus tendit, ſummo provinciae imperio in ipſum a Colinio tranſlato, qui pridie Eid. Mart. perſoluto equitibus Germanis ſtipendio, cum delectis Anglis et Gallis peditibus et equitatu Gallico egregie inſtructo Cadomo egreſſus eſt, [t] Porciano principe primam aciem ducente; et cum IIII Germanorum equitum vexillis [u] Lexovium verſus iter habuit, cujus ingreſſu a praeſidiariis excluſus eſt. Inde [v] Bernaeum progreditur; ubi, rurſus cum oppidani reſiſtere auſi eſſent, vi facta locus captus ac direptus eſt, pleriſque occiſis et ſupplicio affectis: inprimis ſacerdotes male mulctati, et dejecta paſſim altaria ac ſtatuae. Eodem die [w] Aquila, aliis Leſga, a vicecomite [x] Drocenſi vi capta ac direpta eſt. Per [y] Falezias deinde et [z] Argentanum in Oximis Colinius iter habuit; quod X CIↃ librarum mulctavit, et praeſidio firmavit, [aa] Lorgeo Mongomerii fratre loco praepoſito. Poſtea [bb] Sagium venit; et [cc] Mortanienſeis in Perticenſi agro eadem veſania reſiſtere auſos per [dd] Motam vi facta capit, municipiumque ſaeve diripit, affectis ſupplicio pleriſque ſacerdotibus, et eo inprimis, qui loco praeerat, ſuſpenſo; qui tamen fune inciſo, cum jam mortuus crederetur, praeter ſpem periculo ereptus eſt. Erat in Colinii caſtris Joachimus [ee] Vaſſorius Cognerius; qui a [ff] fani Carileſi monachis injuriam acceptam denuo ulturus eo, rapto agmine delecto, contendit, et pleroſque ex monachis,

ſacerdotibus

INTERPR. [a] *Bayeux.* [b] *le ſieur de la Bretonniere.* [c] *Lormais.* [d] *le ſieur de Matignon* [e] *le duc de Bouillon.* [f] *St. Lo.* [g] *Cherbourg* [h] *le comte de Montgomery.* [i] *de Ste Marie aux Agneaux* [k] *Avranches* [l] *Vire* [m] *le ſieur de Neufville.* [n] *Caen.* [o] *le ſieur de Mouy.* [p] *Honfleur.* [q] *Ponteau de mer* [r] *Pont-Orſon.* [s] *Mont S. Michel.* [ſ] *de Grimoville, ſieur de Larchant.* [t] *le prince de Porceau* [u] *Liſieux.* [v] *Bernay.* [w] *l'Aigle.* [x] *de Dreux.* [y] *Falaiſe.* [z] *Argentan au pays d'Hyems.* [aa] *le comte de Lorges, frere du comte de Montgomery.* [bb] *Seez* [cc] *ceux de Mortogne au Perche.* [dd] *la Mote.* [ee] *le Vaſſeur, ſieur de Cognée.* [ff] *abbaye de S. Calais en Vendoſmois.*

ſacerdotibus et aliis in eo repertis occidit. [a] Cervaeus item Baubinii, qui Santan- CIƆIƆLXIII.
dreanum interfecerat, frater, cum [b] Mezeriam arcem pertranſiret, eam aſtu inter- CAROLUS IX.
cepit; occiſis XII praeſidiariis.

XXI. EODEM die, hoc eſt, XV Kal. April. [c] Joannes Politrotus, qui Lutetiam ductus fuerat, ob Guiſii caedem ad mortem perduellibus irrogari ſolitam damnatus eſt; nimirum forcipibus ardentibus primum concerptus, et a quatuor equis in diverſa tendentibus membratim divulſus. Sententia decretum fuerat, ut, antequam ad ſupplicium duceretur, quaeſtioni ſubjiceretur: is ergo interrogatus priorem confeſſionem revocavit; et cum [d] Subizio, Feuquetio, Briono, Colinio, Beza de caede Guiſii contuliſſe pernegavit: mox de Colinio confeſſus eſt; de Subizio, Feuquetio, Briono et Beza conſtanter pernegavit. Dein cum Chriſtophoro [e] Thuano ſenatus principe colloquium petiit, moram exiguam quaerens, et eadem fere ſed fuſius repetit; ceteros omneis ſere praeter Colinium facti ignaros pronuncians; attonita mente et metu proximi ſupplicii parum ſibi conſtans: mox et Colinium ipſum etimine liberavit; ac rurſus, in ipſo ſupplicio, ad extremum et ejus fratrem Andelotum oneravit: atque inter interrogationes et cruciatus diu verſatus tandem vitam finivit. Eodem ipſo die corpus Guiſii advectum et in Carthuſianorum coenobium illatum eſt. Poſtridie magna ac prope regia pompa, cunctis ordinibus ac plebe praecipue veris lachrimis funus proſequente, per urbem traductum, et in majore templo depoſitum eſt. Mortuum XIII Kal. Apr. oratione publice habita laudavit Jacobus [f] Hungarus, magni nominis theologus. [g] Jonvillam poſtremo corpus aſportatum, et in majorum monumento tumulatum ſuit, Antonia [h] Borbonia parente antiqui moris foemina, quamvis turbato naturae ordine, filii mortem ſumma conſtantia ferente; quae paulo poſt alterius ex filiis [i] Franciſci Franciae prioris repetito funere cumulata eſt. Ad matrem Carolus cardinalis frater, qui [k] Tridenti erat, re intellecta, et ad oſtentationem, quantum potuit, juſtiſſimo dolore diſſimulato, dedit literas conſolationis plenas; quae ab emiſſariis ejus publicatae ſunt. Iis perſcriptum erat, non debere ipſam lugere, quae filium Dei fidum teſtem inter beatos receptum haberet, continuas in coelis pro ipſa preces fundentem: porro apud ſe ſtatuiſſe, in eccleſiam [l] Remorum ſibi creditam concedere, et vitae quod ſupereſt verbo Dei praedicando et piae liberorum a fratre relictorum inſtitutioni impendere, niſi reſpublica operam ſuam in alia re deſideraret. Mox et Guiſio tanquam gentili ſuo juſta perſolvit Catolus [m] Lotharingiae dux [n] Nancii, ubi a Bernardo [o] Dominico laudatus eſt. Poſtea Romae magna pompa eidem parentatum fuit in ſacello pontificio, habita a Julio [p] Pogiano in ejus laudem coram pontifice oratione.

XXII. VERUM haec pacem jam factam conſecuta ſunt; quam regina et ante vulneratum Guiſium urgebat, et poſt mortem ejus, quam inter proſpera ducebat, omni ope enixa eſt, ut faceret. Itaque cum Helionora [q] Roia Condaei uxore ad Maximini fanum amice collocuta, poſt arctiſſimos complexus et exquiſitam benevoli animi ſignificationem, etiam ſpem feciſſe creditur, de marito ejus eodem apud regem, atque adeo in regno, loco habendo, quem Navarrus frater ante eum tenuiſſet. Secundum haec ad [r] inſulam Boariam haud longe ab [s] Aureliano convenitur Non. Mart. eoque adducti uterque ſub cuſtodia Condaeus et Momorantius. Ibi de concordiae ineundae rationibus agi coeptum. Cumque Momorantius magna fiducia, nunquam ſe in Januarii edictum conſenſurum, diceret, novae conditiones propoſitae, frementibus pleriſque ex Proteſtantibus, qui jus ſibi eo edicto quaeſitum non mediocriter labefactari, et innocentiam ſuam in ſuſcepto nuper bello in dubium revocati conquerebantur: quoque res commodius ac promptius conficeretur, permiſſum Condaeo, ut,

fide

INTERPR. [a] *le ſieur de Cervoy, frere de Baubigny.* [b] *Mezieres.* [c] *Poltrot.* [d] *le ſieur de Soubize, le ſieur de Feuqueres le jeune, & le capitaine Brion* [e] *de Thou, premier preſident du parlement de Paris.* [f] *le Hongre Jacobin.* [g] *Jouville.* [h] *de Bourbon.* [i] *François de Lorraine, grand prieur de France.* [k] *Trente.* [l] *Reims.* [m] *Lorraine.* [n] *Nancy.* [o] *Dominici, ou Domenichi.* [p] *Poggiano.* [q] *de Roye.* [r] *l'Iſle aux beufs.* [s] *Orleans.*

CIƆIƆLXIII. CAROLUS IX. fide data, Autelianum ingredi et cum ſuis capita conſerre poſſet; Momorantius viciſſim apud regem maneret. Condacus ergo, ubi Aurelianum venit, cum tribus paſtoribus agit; et haec duo ab iis diſceptanda proponit, an recte facturus eſſet, ſi coram regina conteſtaretur, ſe, quoniam pto edicto Januarii arma ſumpſiſſet, non prius ab iis diſceſſurum, quam illud teſtitutum eſſer; quod ſi impetrare non poſſet, ſubſidiarie a regina peteret, ut quod e republica eſſe exiſtimaret ad tumultus ſedandos et pacandum regnum proponeret. Ad haec paſtores, qui Condacum jam nutare cernerent, et ad pacem quavis conditione amplexandam inclinare, cum nulla ratione a jure per edictum quaeſito ſine manifeſta religionis pernicie diſcedi poſſe reſponderent, Condacus ita ſe facturum recepit; interim, ut ea de re mature deliberarent, imperavit. Igitur, cum LXXII numero paſtores, qui, quoniam religionis cauſa agebatur, multum poterant, poſtridie de toto hoc negotio inter ſe contuliſſent, ſententiam ſuam ſcripto comprehenſam ad Condacum afferunt: cujus ſcripti haec ſumma erat: Ut edictum, ex conſenſu delegatorum ex omnibus Franciae provinciis juxta regni ordinum decretum conditum et in regni curiis promulgatum, reſtitueretur, ſine exceptione aut conditione ulla a curiis, ut fit, appoſita: ut obviam ſectis ac monſtroſis opinionibus per licentiam graſſantibus eatur, rex confeſſionem fidei ante biennium menſe Junio propoſitam admittat; ejuſque patrocinio ſuſcepto, Atheos, Libertinos, Anabaptiſtas ac Servetiſtas ſevere caſtigari curet: Proteſtantibus liberum ſit convenire, et conſiſtoria ac ſynodos ad diſciplinam eccleſiaſticam conſtituendam celebrare; baptiſmata a Proteſtantibus facta non iterentur, matrimonia inter eos celebrata rata habeantur, liberique ex iis ſuſcepti legitimi cenſeantur; nova, quam illi profiteantur, religio in poſterum non appelletur; bonis, dignitatibus, honoribus, unde ob religionis odium dejecti ſunt, reſtituantur: judicia contra eos data revocentur; ac denuo de eorum cauſa a non ſuſpectis judicibus cognoſcatur: in [a] Vaſſiacenae lanienae, ſeditionis [b] Agendici Senonum et aliis locis patratorum facinorum auctores inquiratur, et in facti reos convictos pro criminis gravitate animadvertatur. Haec capita a paſtoribus propoſita. Verum, nobilitate belli civilis pertaeſa et ad otium inclinante, ad haec Condaeo, ob eaſdem cauſas an promiſſorum ſpe decepto, ab armis alieno, quis conditiones belli neceſſitatem imponenteis admitteret? Itaque Condacus non aliorum quam nobilitatis ſententias rogaturum ſe ac ſecuturum cum palam declaraſſet, paſtoribus ab ea die inauditis nec advocatis, IIII Eid. Mart. cum regina convenit: quo die [c] Duracius, dum pontem tueretur, ſaxi fragmento ictus ex eo vulnere deceſſit, cum [d] Avaretus ex febre violenta paulo ante mortuus fuiſſet; uterque, magno apud ſuos deſiderio relicto. Secundum haec edictum conditur; quod a rege, cum [e] Amboſiae eſſet, XIIII Kal. Apr. ſubſcriptum eſt, ac ſigillo firmatum. Eo nobilibus in juriſdictionibus ſuis merum imperium habentibus libera ac publica religionis profeſſio permittitur; nobilibus item qualemcunque juriſdictionem habentibus, in domus tantum ac familiae uſum, modo ne in pagis aut municipiis habitent, quae majori juriſdictioni, regia excepta, ſubſunt. Decretum eo inſuper, ut in ſingulis praefecturis, a quibus nullo medio ad ſupremas curias provocatio eſt, ad publicum religionis uſum urbs aliqua aſſignetur; nec ut ſuperiore edicto in ſingularum urbium et oppidorum ſuburbiis libere convenire liceat: in urbibus praeterea, in quibus uſque ad Non. Mart. Proteſtantes libere religionis cauſa convenerint, ut porro convenire poſſint: tum praeteritorum oblivio ſancitur; pecuniae regiae in uſus belli conſumptae a reddendis rationibus Condacus liberatur, et ipſe fidus regis cognatus ac regni ſtudioſus declaratur; optimates item nobiles ac militiae duces, et quicunque alii religionis cauſa ejus partes ſecuti ſunt, quaecunque illi cum in bello tum in judiciorum moderatione egerunt, ea bono animo ad regis obſequium feciſſe pronunciantur.

JACOBI

INTERPR. [a] *de Vaſſy.* [b] *Sens.* [c] *Symphorien de Durfort, ſieur de Duras.* [d] *le ſieur d'Avaret* [e] *Amboiſe*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER TRIGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

COLINIUS, qui in Neuſtria aberat, edictum improbat. Lutetiae promulgatur, ſerius Toloſae. II. *Diploma de reſtituendis decurionibus, et praeteritorum memoria abolenda, ac reſcindendis judiciis odio religionis belli tempore latis.* III. *Condaeus otio in voluptates laxatur. A paſtoribus increpitus Franciſcam Aurelianam Longavillani ſororem in uxorem ducit.* IV. *Edictum de bonis eccleſiae alienandis, ejuſque violenta executio.* V. *Colinius iterum de Guiſii caede ſe purgat.* VI. *Franciſcopolis, ab Anglis poſſeſſa, obſidione cingitur; et tandem, graſſante inter praeſidiarios peſte, a Warwicenſi comite pactis conditionibus deditur.* VII. *Rex major in ſenatu Rotomagenſi declaratus. Hoſpitalii cancellarii ſuper ea re oratio. Ad mitigandam invidiam tot rerum in gratiam Proteſtantium ab Hoſpitalio decretarum, edictum de decimis ſacro Ordini ſolvendis a rege, cum Dieppam excurriſſet, conditum; quod et hodie nunc magna religione ſervatur.* VIII. *Senatus Pariſienſis edicto de majore regis aetate per delegatos intercedit, quod praeter morem factum eſſet, ut edictum ullum prius in Rotomagenſi aut alia regni curia, quam Pariſienſi, quae parium curia eſſet, promulgaretur. Tandem* IIII *Kal. Oct. declaratio fuit promulgata, et acta illius inter conſtitutiones regias pro lege inviolabili relata.* IX. *Amplius de caede Guiſii a matre, vidua, filiis, fratribus publica expoſtulatio inſtituitur.* X. *Varia edicta de tranſactionibus, de argenti fodinarum curatoribus, ſacri Ordinis per urbes immunitatibus, de projectis in aedificiis urbanis tollendis, de mercatorum juriſdictione, ac poſtremo de conſignationibus.* XI. *Charrii caedes Lutetiae patrata.* XII. *Briſſaci equitum tribuni mors et elogium.* XIII. *Concilii Tridentini hiſtoria continuata.* XIV. *Jacobi Walachiae deſpotae caedes. Ejus ſucceſſores.* XV. *Elogia Joannis Brodaei, Stephani Boetiani, Arnoldi Ferroni, Jo. Bapt. Gelli, Wolfangi Muſculi, Sebaſtiani Caſtalionis, Henrici Glareani. Peſtis ac terrae motus.*

EX AUCTORIBUS,

L. Vicino P. P. Blaſii Monlucii comment. Th. Bezae Hiſt. Eccl. Fr. Lanovii comment. Actis publicis, Curiae Pariſienſis archivis: Actis concilii Tridentini publicatis, et literis regiis, aliiſque actis et regiorum legatorum orationibus ac literis, quae penes Jacobum Burdinum unum e quatuorviris a ſecretis epiſtolis remanſerunt.

LIBER

LIBER TRIGESIMUS QUINTUS.

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

COLINIUS, rebus in [a] Neuſtria bene geſtis, a Condaeo ſaepius, ut iter acceleraret, per literas monitus, tandem [b] Aurelianum venit x Kal. Apr. et, tam praecipitanter conventum dolens, poſtridie in conſeſſu coram ipſo Condaeo dolorem diſſimulare non potuit; mirari ſe dictitans, quomodo florentibus Proteſtantium rebus tam iniquis conditionibus conventum ſit: nam meminiſſe omneis debere, jam ab initio ſtatim poſt capta arma triumviros conſenſiſſe, uti Januarii edictum reſtitueretur; ex quibus, cum duo perierint, tertius in aliena poteſtate ſit, Condaei ſalutis fide juſſor, quid jam obeſſe, quo minus nunc idem obtineatur? Quod vero in ſingulis praefecturis unus tantum locus ad conveniendum concedatur, quid aliud eſſe, quam Deo, cujus hereditas cuncti ſumus, portionem in ea aſſignare, et quaſi ad primum ſtyli ictum victoriam, quam hoſtes ſtrictis in acie gladiis vix obtinere potuiſſent, citra ſanguinem tradere? Nobilitati, quod ipſa negare non poſſit, in hoc bello oppida et urbes, et egenos locupletibus, exemplo ſuo, praeiviſſe; et nobileis cito cum damno ſuo intellecturos, quam commodius ſit in ſuburbiis, quam domi ſuae conventus habere: et vero incertum eſſe, an parentes ſui ſimileis filios relicturi ſint. His et aliis, ſed ſero adductis, rationibus [c] Colinius fruſtra edictum convellere tentavit; quod, communi ſenſu et votis ad otium urgentibus factum, non propterea reſcindi potuit. Itaque quatriduo poſt Lutetiae in ſenatu, et eodem die in rationum regiarum ac vectigalium curiis, et poſtea per alias regni ſupremas curias promulgatum fuit. Pridie, judicium, non hujus ſaeculi, nec tunc ſecundum Franciae mores, ubi adulteria non puniri magni nominis juriſconſultus Joannes [d] Faber olim dixit, Aureliani latum eſt contra [e] Landam Molinum, qui [f] Godardam Jo. [g] Godini uxorem, dum vir in caſtris eſſet, corrupiſſe convictus, ad mortem damnatus eſt; amboque Landa et Godarda in publica platea laqueo ſuſpenſi ſunt, [h] Pigreſetio priſci moris ac ſeveritatis viro, qui a Condaeo urbi praepoſitus fuerat, judicium urgente, et graſſantibus vitiis exemplo opus eſſe dictitante: quod tamen in aula adeo male acceptum eſt, ut plerique ſumma impudentia palam teſtarentur, ſe a Proteſtantibus ſemper alienos futuros et vel ob eam cauſam nunquam in eorum verba juraturos eſſe, qui adulteriis huc uſque impunitis nova et apud nos inaudita ſeveritate poenam capitis ſtatuerent. Secundum haec poſt promulgatum edictum Proteſtantes, celebrata v Kal. Apr. publice in majore S. Crucis templo ritu inter ipſos recepto coena, urbe diſcedunt: mox et Germani equites dimittuntur, eorum deducendorum cura [i] Porciano attributa; ſed diuturnam in [k] Campania, dum ſtipendium promiſſum non repraeſentatur, magno provincialium incommodo, moram fecere. Facta pace miſſi in [l] Aquitaniam Armanus [m] Guntaldus Bironus, et Franciſcus [n] Vetuſvilla in [o] Septimaniam Provinciam ac Delfinatum, qui res juxta edictum in iis provinciis adminiſtrarent, cum mandatis XIIII Kal. Quintil. in [p] Vicenarum caſtro datis: quibus inter alia delegatis mandabatur; ut Proteſtanteis bonis, ex quibus ob religionem et inde ſecutos motus expulſi fuiſſent, ſine mora reſtituerent, et, ſi quidem res ſoli ſint, et diſtractae ſub haſta fuerint, pretium a coactoribus regiis aut aliis acceptum emptoribus reddatur, neque propterea interim mobilium reſtitutio differatur: quod idem et de immobilium

fructibus

INTERPR. [a] *Normandie.* [b] *Orleans.* [c] *l'amiral de Coligny.* [d] *le Fevre.* [e] *des Landes, ſieur du Moulin.* [f] *Godard.* [g] *Godin.* [h] *de Pigreſſier, ſieur de S. Cyre.* [i] *le prince de Porcean.* [k] *Champagne.* [l] *Guienne.* [m] *de Gontaut de Biron.* [n] *le mareſchal de Vielleville.* [o] *Languedoc, Provence, & Dauphiné.* [p] *Vincennes.*

fructibus ſtatuitur; ut, ſi exſtent, reſtituantur, aut loco eorum pretium ex vendi- CIƆIƆLXIII.
tione redactum ſtatim reddatur, ſive illud a coactoribus regiis ſive ab aliis acceptum CAROLUS IX.
ſit. Quod de iis bonis dictum intelligatur, quae non in expugnationibus urbium aut aliis militaribus expeditionibus capta aut conſumpta ſunt, quorum per jus gentium repetitio non eſt. Mandatum item, ut vincti ob religionem ſolvantur; in judices, qui parum aequi aut negligentes fuerint, delegati inquirant et legibus animadvertant. Serius [a] Toloſae promulgatum edictum: et eo promulgato Arnoldus [b] Cavagnius et Gabriel Burgus ſenatores, tanquam ob religionem ſuſpecti, curiae ingreſſu excluſi ſunt: qua de re cum querelam in regio conſiſtorio inſtituiſſent, et ſenatus miſſis ex ſuo ordine [c] Cautelo et Baranio ad eam reſpondiſſet, tandem poſt tertium et quartum decretum reſtituuntur; haud oblique notata ſenatus, quaſi reginae auctoritati et tranquillitati publicae adverſantis, contumacia.

II. NEC multo poſt in eodem conſiſtorio agitata [d] Petri Hunaldi Lantae, Petri Aſezati Cedrii, Gul. Darci, Ant. Ganelonis Triccrii, Petri Cedrii, Olivarii Paſtorelli, Arnoldi Vici, urbis decurionum, et [e] Adaemari Mandinelli liberorum cauſa; qui, uti diximus, ſuperiore anno magiſtratu a curia ſummoti fuerant, et Mandinellus ipſe ſecuri percuſſus. Tandem S. C. contra eos data reſciſſa ſunt; decretumque, ut, quando annui magiſtratus tempus elapſum eſſet, magiſtratui quidem minime reſtituerentur, ceterum in poſterum decuriones creari et interim publicis urbis comitiis intereſſe poſſent; imagines eorum in publicis aedibus, uti fieri aſſuevit, ponerentur, quaeque inde dejectae fuerant, reponerentur; libellus cujuſdam Georgii [f] Boſqueti in Proteſtantium contumeliam et invidiam factus tanquam famoſus igni aboleretur, revocato ac reſciſſo, ne memoria praeteritorum refricaretur, S. C. quo decretum erat, ut ſingulis annis VI Eid. Maii ſupplicationes publicae haberentur, interdictaque archiepiſcopo et ſacro Ordini eo die conveniendi ad ſupplicationum celebrationem libertate: reſtituti item famae, dignitatibus, bonis, juribus et actionibus eodem decreto decuriones. Id actum XIIII Kal. Quintil. in [g] Vicenarum caſtro. Dum haec fierent, [h] Damvilla Septimaniae per Momorantii magiſtri equitum patris abſentiam praeſes in provinciam venerat, et magna ſeveritate et, uti Proteſtantes jactabant, paulo iniquiore erga ipſos animo edicti executionem procurabat. Nam, re cum [i] ſenatu Toloſano iis infeſtiſſimo communicata, urbes nuper ab iis poſſeſſas hoſtili plane facie in armis ingreditur, militaribus ad portas cuſtodiis appoſitis et ſtatutis ad moenium pinnas ſignis, quaſi vi captis urbibus. Tum arma in publicas aedeis comportari jubet, non exceptis enſibus; et, ne fraus interveniret, mittit, qui domos Proteſtantium diligenter ſcrutarentur: [k] Nemauſi unus, quod ſerius mandato paruiſſet, flagris plectitur. Cumque mos a Proteſtantibus inſtitutus invaluiſſet, dum urbem tenerent, ut judices, antequam quicquam in curia ſuſciperent, preces recepto inter eos ritu ad Deum funderent, Damvilla morem illum aboleri juſſit; et [l] Calverio praetori excipienti, Ecquis ergo nos juſtitiam docebit, aut quibus auſpiciis niſi invocato Dei nomine jus dicemus? nihil aliud reſpondit, quam, ſi quidem ipſi ac ſuis ſequacibus invocandi mos ille curae ſit, nolle tamen regem hoc onus aliis, qui hujuſmodi ritus minime curent, imponere. Et quanquam cuncta intolerabili licentia agerentur, externo equite, quem ille ex [m] Illyrico et Epiro fere evocatum ſemper penes ſe habebat, per agros aſſiduis populationibus paſſim tanquam in bello graſſante, et ipſo Damvilla contra quaſi alta pace in amores [juveniliter effuſo,] nulla re magis tamen

D. f. [*intemperanter effuſo,*]

INTERPR. [a] *Toulouſe* [b] *de Cavagnes & du Bourg.* [c] *Cautel & Barrani.* [d] *Pierre Hunaut ſieur de Lanta, P. Aſſezat ſieur du Cedre, Guil Dareau, A. de Ganelon ſieur de la Tricherie, P. du Cedre, Olivier Paſtorel, & Arnaud de Vicques ſieur de Monteſquiou, capitaux de Toulouſe en l'an* 1562. [e] *Ademar Mandinelli capitoul.* [f] *Boſquet.* [g] *Vincennes.* [h] *le ſieur de Damville, fils du conneſtable de Montmorency, lieutenant pour le Roy au gouvernement de Languedoc.* [i] *parlement de Toulouſe.* [k] *Niſmes.* [l] *Calvet lieutenant.* [m] *Sclavonie & Albanie.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX.

tamen quam in interpretatione edicti vexari ſe querebantur Proteſtantes. Nam, cum eo libertas ipſis conceſſa eſſet publice conveniendi in omnibus urbibus ac locis, in quibus Non. Mart. proximis conventus habebantur, Damvilla eam gratiam ita temperabat, dummodo per locorum illorum dominos id liceret: ſicque eam irritam reddebat. Cumque ejuſdem edicti verbis expreſſis cuique conſcientiae libertas tribueretur, ita facultatem edicti debilitabat, ut non modo eos, qui e coenobiis exiiſſent, et vitae monaſticae atque adeo Catholicae Apoſtolicae Romanae religioni belli tempore renunciaſſent, ſed etiam illos, qui longo ante tempore ab ea defeciſſent, ad monaſterium relictum et prioris vitae profeſſionem, abdicatis uxoribus, redire aut ſolum vertere cogeret. Inſuper querebantur Proteſtantes, quod [a] Mutonium [b] Uticenſis eccleſiae in Septimania paſtorem inter concionandum licentius evagatum laqueo necari juſſiſſet. Miſſus ob id in aulam [c] Clauſonius curiae Nemauſenſis aſſeſſor; qui, quod liberius ea de re verba coram rege feciſſet, [d] Anna Momorantio annitente, qui filii cauſam tuebatur, in carcerem conjectus eſt. Quo facto non ſolum Proteſtantibus metus injectus, ſed ſilentium quaſi perpetuum hujuſmodi querelis impoſitum eſt. Conditum mox edictum, quo tex conceſſionem libere conveniendi ita interpretabatur, ne id in iis locis liceret, quae vel e ſacro patrimonio nuper diſtracta eſſent aut ad ſacerdotia pertinerent; in quibus novae religionis publicam profeſſionem fieri vetabatur: quod additum [e] Caſtellionaci cardinalis et [f] Sanromani archiepiſcopi Aquenſis cauſa, qui Proteſtantium doctrinam publice amplectebantur, et eam in ſua quiſque dioeceſi ac ſacra ditione conſtituere omni ope nitebantur. Ad v item edicti caput, quo libertas conveniendi iis tribuebatur in locis iis omnibus, in quibus ad Non. Mart. conveniebant, additum, interpretationis vice, de iis urbibus intelligi, quae bellico praeſidio tenerentur, et in quibus ad illum diem publica novae religionis profeſſio fieret, pleriſque opportunis urbibus ita eo numero exemptis. Ad vi vero caput, quo in praefectura Pariſienſi religionis novae uſus interdicitur, additum eſt, ne urbis praefecturaeve incolis fas eſſet, vicinarum praefecturarum urbes a rege Proteſtantibus aſſignatas adire, niſi et in eas urbes ipſi domicilium transferant; quo caſu in urbe ac praefectura Pariſienſi ipſis habitare interdicitur: quod in ſenatorum quorundam odium decretum eſt, qui, cum muneris ratione domicilium Lutetiae haberent, aut urbe relicta alio migrare aut religionis uſu carere cogebantur. Quod vero IIII edicti capite ſanciebatur, omnibus ubique domi pacate vivere licere, ita ut propterea nullum ob religionem aut conſcientiae libertatem periculum illis crearetur, ſevera exceptione coarctatum eſt; decretumque, ut, qui coenobia ſuperiorum motuum occaſione aut poſt eoſdem ſedatos deſeruiſſent votaque ejeraſſent, eo numero non cenſerentur; ſed ad ea regredi, aut regni finibus excedere, et, ſi quidem conjugium contraxiſſent, divortere jubentur: ratione addita, ne familiarum quies turbaretur, ſi, qui inter heredes propter votum jam non numerabantur, ad partem admitterentur. Denique liberam illam religionis profeſſionem, quae edicto dabatur, hac interpretarione minui et eludi querebantur Proteſtantes, ne cui videlicet niſi indigenae et in regno nato liceret faſve eſſet religionis miniſterium exercere: nam ita plerique exteri a miniſterio remoti ſunt; in iiſque Petrus [g] Viretus [a] Lauſanenſis, qui relicta [h] Lugdunenſi eccleſia, cui praeerat, [i] Arauſionem, et Joannae [k] Navarrae accitu [l] Benearnum venit, ubi aliquandiu [m] Orteſii docuit.

III. Dum haec agerentur, adhibitae et aliae in aula artes ad Proteſtantium cauſam, ſicuti ipſi aiebant, labefactandam; ut, quemadmodum nuper Navarrum blanditiis et vanis promiſſisineſcatum a ſuorum amore atque adeo a propriis charitatibus alienaverant,

INTERPR. [a] *Mouton.* [b] *d'Uſez en Languedoc.* [c] *de Clauſonne.* [d] *le conneſtable de Montmorency.* [e] *de Chaſtillon.* [f] *de St. Romain, archevêque d'Aix.* [g] *Viret.* [h] *de Lyon.* [i] *Orange.* [k] *la Reine de Navarre.* [l] *Bearn.* [m] *Ortez.*

NOT. [a] Dele *Lauſanenſis*: Lege *Orba natus in ditione Bernatum* Il eſtoit d'Orbe au territoire de Berne en Suiſſe. Il faut mettre ainſi par tout. *Put. L.*

alienaverant, ſic Condacum iiſdem aulae illecebris circumventum a ſuis dividerent. Ergo regina crebro cum illo colloqui, de omnibus rebus ad eum referre, et in ſpeciem omnia benevolentiae ſigna dare: addebat, peculiareis cauſas eſſe, cur in ipſum propenſiori eſſet animo; ſic vero exiſtimare eum debere, nihil unquam potuiſſe interturbare priſtinum veri et genuini erga eum amoris ſtudium; tantum ipſe videret, ne officio aut ſibi deeſſet, aut occaſiones, quae ad ſuum ſuorumque decus promovendum ac ſplendorem amplificandum ſe praebeant, pervicacia ſua elabi pateretur. Tum repoſitum illud de Sardiniae regno, quo fratri illuſum fuerat, commentum. Verum homo aulicis fraudibus aſſuetus, et cujus ſolidum ingenium vana omnia ſperneret, cum his artibus capi non poſſet, tamen puellaribus illecebris paene deceptus eſt. Nam cum regina animadvertiſſet, ipſum [α] crebro in virginem quandam cognatione ſibi conjunctam ex nobilium gynaeceo oculos conjicere, auctor fuit puellae, quo Condaci arcana rimaretur, et eum in aulae compedibus teneret, ut amoris mutui occultis eoque acrioribus ſtimulis virum inflammaret. Igitur cum Helionora [a] Roia Condaci uxor, ingentis animi foemina et morum ſanctitate praeſtans, ex ea re, ut creditur, moerore contracto paulatim contabuiſſet, poſt ejus [β] deceſſum puella ſpe nuptiarum, quas credula levitate animo ſibi imprudenter finxerat, cupido amanti copiam ſui fecit; ex eaque conſuetudine [γ] praegnans comitatu regio ejecta eſt. Ita aſtus reginae magno nobiliſſimae virginis probro, Condaci damno incomparabili, reginae exiguo profectu ceſſit. Ipſe mox a ſuis monitus ad ſe rediit, et amoribus aulicis renunciavit, abdicata a ſe nova amaſia, et vale dicta Margaritae [b] Luſtracae Santandreani equitum tribuni viduae, quae ingentium opum fiducia, quas et avitas poſſidebat et a marito relictas habebat, cum eadem levitate Condaci nuptiarum ſpem concepiſſet, credulitate nimia non ſine ſuarum [δ] rerum jactura ſe deluſam ſed ſero ſenſit. Tandem ſerio de nuptiis cogitans Franciſcam [c] Aurelianam [d] Longavillani ducis ſororem uxorem ducit, cum fruſtra antea Guiſiani, quo eum ad ſuas partes pertraherent, de Scotorum regina formoſiſſima foemina mentionem injeciſſent. Sed haec in annum ſequentem incidunt. Tunc vero et [e] Apameenſes in [f] Fuxenſi comitatu, qui ad [g] Septimaniae praefecturam pertinet, male a [h] Damvilla mulctati ſunt; et periculum, dum vitatum cupiunt, in caput ſuum arceſſiverunt. Siquidem militis licentiam veriti, Damvillae ad eos venienti ſcripſerant, recipiendi praeſidii neceſſitatem deprecati, cujus nullus uſus eſſet; ſeque de cetero ad ipſius mandata capeſſenda et pacem ſancte colendam paratos oſtendebant. Damvilla contra urgebat, ut ſine conditione admitteretur: neque enim pacatorum ſpeciem prae ſe ferre, qui praeſidi ſuo regis nomine venienti legem imponere vellent; conſulibuſque urbis mandat et enixe imperat, ut ab incepto deſiſtant; alioqui fore, ut ipſi oppidanorum temeritatem proprio capite luant. Et conſules quidem minis territi Damvillam admittendum cenſebant: ſed reclamabant oppidani, qui cum milite Damvillam intra urbem admittere perinde exiſtimabant, atque irritati hoſtis libidini ſe, uxores ac liberos ad ludibrium objicere. Cum nihilominus obteſtarentur conſules, verbis acerbata contentione eo res devenit, ut incenſa plebe tanquam parum de ſalute publica ſoliciti injurioſe urbe expellerentur: continuoque urbs munitur, et Damvillae plane aditus negatur: qua de re cum apud regem queſtus eſſet praeſes, regina exemplum verita, Jacobum [i] Angeneum Rambulietum Apameam mittit, qui oppidanos ad officium reduceret, et, ut Damvillae ad omnia obedientes eſſent, regis nomine

VAR. LECT. [α] crebro in Iſabellam Turriam Limulam cognatione ſibi conjunctam *MS. Samm.*
[β] deceſſum Turria ſpe *MS. Samm.*
[γ] praegnans a regina comitatu regio *MS. Samm.*
[δ] rerum ac famae jactura *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Roye.* [b] *de Luſtrac.* [c] *d'Orleans.* [d] *le duc de Longueville.* [e] *ceux de Pamiers.* [f] *de Foix.* [g] *Languedoc.* [h] *le ſieur de Damville.* [i] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX.

nomine imperaret. Is jam ſedato furore admiſſus cum graviter eos increparet, illi factum excuſant; ſeque non rebellandi animo ſed privarae defenſionis cauſa arma ſumpſiſſe demonſtrant, ejectorum conſulum culpa in ipſorum violentiam et importunitatem rejecta. Tandem ſpe gratiae a rege facta Rambulietus ab iis impetrat, ut ad obſequium redirent, et Damvillam ſine condirione admitterent: qui in armis urbem ingreſſus, quamvis omni cultus ſpecie, ut a ſupplicibus, exceptus, continuo cum illis hoſtiliter agit, et eadem fere, qua parens ejus cum [a] Burdigalenſibus olim egerat, ſeveritate uſus, privilegia abolet, moenia diruit, nobiliores civeis vario poenarum genere mulctat, nonnullos extremo ſupplicio afficit, [b] Tachardo miniſtro, quod populum ad ſeditionem concitaſſe diceretur, in crucem acto. Urbs ad praedam militi conceditur: nec in ea licentia foeminarum ac virginum pudori parcitum. Poſtremo IↃ CCC cives pelluntur; et ita urbe vaſtata ac direpta praeſidioque in ea relicto digreſſus Damvilla quaſi re bene geſta [c] Toloſam redit.

IV. Paulo ante menſe Maio edictum de bonis ſoli eccleſiaſticis ad reipublicae ſarciendas neceſſitates in perpetuum alienandis conditum fuit, multum fremente ſacro Ordine; qui privilegia ſua et immunitates eo imminui aiebat, et res ſacras quavis de cauſa niſi interveniente pontificis auctoritate ac ſine decreto diſtrahi non poſſe afferebat. Et cum ſuperiore anno Octobri menſe, et Junio hujus, CCC librarum millia, non convocato aut monito ſacro Ordine, ex eo vectigali annuo, quod decimarum nomine regi ab eo penditur, a rege aut ejus procuratoribus, praefecto mercatorum et aedilibus urbis, pro tricies centenis et ſexcentis librarum millibus, cum perpetuo redhibendi pacto, oppignerata eſſent; eo edicto, ut emptores invitarentur, eorum ſecuritati, duris et inuſitatis conditionibus proſpectum erat, denegata omni contra ipſos et eorum ſucceſſores actione. Poena item addita ignominioſae ejurationis adverſus judices, qui quenquam contra hujuſmodi rerum emptores agentem admiſerint; mandabaturque judicibus, ut libellos ea de re factos in judicio lacerari juberent, et agenteis a limine judicii nulla mora interpoſita de plano repellerent, et in litis ſumptus et acceſſiones quamvis inauditos condemnarent, irrogata etiam legis mulcta. Quod edictum poſtea XVI Kal. Jun. in ſenatu coram rege in lectiſternio ſedente, audito ac poſtulante fiſci cognitore, promulgatum fuit.

V. Cum vero rex inde [d] Germani fanum conceſſiſſet, Condaeus eo cum [e] Andeloto venit: et, cum Lotharingos in eo eſſe ſciret, ut [f] Colinium maris praefectum caedis Guiſii poſtularent, ipſe publice Eid. Maii in conſiſtorio pro Colinii innocentia proteſtatus, et omnia, quae contra illum dicantur, praeter ea, quae ipſe ſponte confeſſus ſcripto publicaſſet, conficta et falſa eſſe adfirmavit, et rem hujuſmodi eſſe, de qua ſalvo pacis edicto quaeri non poſſit; neque tamen prohibiturum ſe, quo minus via juris et apud judices minime ſuſpectos de ea agatur. Ad extremum ſubjecit, ſi quis eſſet, qui Colinium verbo vel facto laedere propterea tentaret, vel alia quam juris via eum aggrederetur, ſe injuriam eam ut ſibi factam ulturum; quippe cum amicus, inquit, ejus ſim, ille vero uxoris meae, ex qua complures liberos ſuſcepi, avunculus ſit; ad haec ſpectatae virtutis eques et de rege ac regno optime meritus. Inſuper orat reginam, ut, quoniam omnibus cognitae ſint Guiſianorum et Colinioorum inimicitiae, ne patiatur, ut ſpecioſum religionis nomen iis velandis obtendatur: proinde, ſi quid eſſet, in quo ſibi Guiſiani injuriam factam conquerantur, eam aperte, omiſſa religionis cauſa, declarent: tunc enim cunctis conſtiturum, quis jure potior viribuſque ad jus ſuum tuendum potentior exiſtat. Quae Condaei declaratio ſcripto comprehenſa poſtquam in principis conſiſtorio coram regina, uti petierat, publice recitata eſt, [g] Franciſcus Momorantius ſurgens patris, ſuo et totius familiae nomine palam conteſtatus eſt, ſe extra obſequii regi debiti et religionis cauſam

Colinio

INTERPR. [a] *ceux de Bourdeaux.* [b] *Taſchard.* [c] *Toulouſe.* [d] *St. Germain en Laye.* [e] *le ſieur d'Andelot.* [f] *l'amiral de Coligny.* [g] *le mareſchal de Montmorency.*

Colinio maris praefecto proxima ſibi cognatione conjuncto et alioqui de rege ac Gallia optime merito ſemper praeſto futurum, vitamque et opes illius cauſa profundere paratum. Quo facto magnam ſibi et toti familiae apud multos invidiam conflavit, et ingens ſui odium in Pariſienſium praecipue animis excitavit. Nam cum religionis cauſa utrinque obtenderetur, et Guiſiani antiquae patrocinium oſtentarent, Colinii ſub Condaeo novam, quam vocant, tuendam ſuſcepiſſent, inde fiebat, ut Momorantii, qui quamvis ob alias cauſas ſed plebi aut ignotas aut non creditas Coliniis aperte favebant, ex eo Proteſtantium doctrinae favere crederentur: quod quantum illis fidei vulgo detrahebat, tantum Guiſianis aemulis auctoritatis et benevolentiae apud plebem conciliabat. Nec illi ſibi interea deerant; qui captata occaſione adverſariorum conſilia, verba, conatus in eam partem interpretantes, per concionatores, theologos et alios emiſſarios auctoritatem ipſorum paulatim ſubvertebant. Inde nata factionum ſemina, quae in bella deinceps inſecuta, cum ipſorum, a quibus excitata ſunt, pernicie finita, tandem eruperunt. Regina vero, ut minime jus denegari Guiſianis debere cenſebat, ita civilis plagae cicatrice nondum obducta edictum in gratiam Proteſtantium factum, quorum praecipui duces Colinii erant, ullo modo labefactari pati non poterat: atque, ut ſe temporum conditioni accommodaret, regi auctor fuit, ut, quando Pariſienſem ſenatum tanquam ſibi ſuſpectum Colinii rejiciebant, rei cognitionem ſenatui ademptam ad ſe revocaret, eamque magno concilio, quod vocant, attribueret. Qua in re cum poſtea Lotharingi ſibi injuriam factam dicerent, quippe cum patritiorum regni cauſae alibi quam in regni curia agitari non poſſent, rex aſſiduis eorum precibus victus cauſam rurſus concilio magno interdictam ad ſe revocavit, et ejus judicium juſtis ac gravibus de cauſis ad triennium ſuſpendit: quo elapſo, de ea, cum rex [a] Molinii eſſet, agi [α] coepit.

VI. HAUD multo poſt miſſus tubicen regis nomine [b] Franciſcopolim, qui oppidum, quod ob Ambroſio [c] Warwici comite cum Anglorum praeſidio tenebatur, dedi peteret. Sed, cum Angli contra [d] Caleti reſtitutionem objicerent, et, niſi de illo prius ſatisfieret, deditionem facere recuſarent, bellum Eliſabethae Anglorum reginae publica denunciatione pridie Non. Quintil. indicitur, cum rex [e] Gallione eſſet: et, omnibus ad oppugnationem neceſſariis rebus comparatis, [f] A. Momorantius xv die poſt in caſtra venit, cum Franciſco Momorantio filio et Imberto [g] Platerio Bordillono equitum tribunis, aliiſque proceribus ac praecipua nobilitate, et ad [h] Gravillam coenobium, ubi [i] Briſſacus, qui per Momorantii abſentiam exercitui praeerat, hoſpitium habebat, mane divertit; atque ex ducum conſilio Foſſae per maris litus porrectae praeficit Momorantium et Bordillonum equitum tribunos, qui alternis vicibus eam cuſtodirent. Datum item negotium Renato [k] Provanae Valſenerio, cui vitae nuper [l] Rotomagi gratia facta fuerat, ut, quoniam deprehenderat foſſae aquam mari altiorem eſſe, inciſa foſſa inde aquam derivaret. Poſtridie miſſus denuo ad obſeſſos tubicen, qui deditionem imperaret; ni facerent, certiſſimam et inevitabilem perniciem imminere oſtenderet; quam Momorantius, qui Anglos benevolentia proſequeretur, avertere non poſſet: miſſi et cum eo aliquot duces obſoleto habitu locorum explorandorum periti. Audito tubicine, remiſſus a Warwicenſi [m] Hugo Pauletus primarius ordinum ductor, qui paratos extrema omnia ſubire Anglos et mortem oppetituros potius quam injuſſu reginae deditionem facturos demonſtraret; de cetero Momorantio pro tam egregia erga ipſos voluntate obnoxios declararet. Tum Anglicano more argenteae amphorae et vinum prolixa benevolentiae ſignificatione noſtris, qui ad aggerem hoſtium uſque proceſſerant, large propinatum. Inter eos,

VAR. LECT [α] coepit, ut deinceps ſuo loco videbimus *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Moulins* [b] *Havre de Grace.* [c] *Warwick.* [d] *Calais.* [e] *Gaillon.* [f] *le conneſtable de Montmorency.* [g] *de la Platiere, mareſchal de Bourdillon.* [h] *Graville.* [i] *le mareſchal de Briſſac.* [k] *de Provane, ſieur de Valſeneres.* [l] *Rouen.* [m] *le chevalier Hugues Paulet.*

CIϽIϽLXIII. CAROLUS IX.

eos, qui ad ſpectaculum egreſſi fuerant, [a] α Leightonus Anglus fuit; qui conſpicatus [b] Moninum Proteſtantium doctrinae addictum, quicum intra Rotomagum priore anno incluſus fuerat, mirari ſe dixit, quomodo non ſolum ipſe ſed alii plerique eandem religionem profeſſi et nuper ſub iiſdem ſignis cum Anglis militantes nunc a partibus contrariis ſtarent: cui Moninus, Ut vos pro ſereniſſima veſtra regina, inquit, ſic nos heic pro Chriſtianiſſimo rege in armis ſtamus, de finibus non de religione pugnaturi. Nam de religione certamen diremptum eſt, et edicto nuper facto rex ſemel cum ſubditis ſuis tranſegit. Itaque nihil mirum, ſi ea cauſa ſublata ex amicis hoſtes repente facti ſumus, ad mutuam perniciem utrinque dimicare parati, niſi de loco controverſo, a vobis occupato, regi ſatisfiat. Quo reſponſo attonitus Leightonus cum eoſdem in cunctis Proteſtantibus, qui in caſtris regis erant, animos animadverteret, re ad Warwicenſem perlata, placuit, ut in Angliam ad arceſſenda auxilia mitteretur. Graſſabatur in oppido contagioſa lues, ex qua multi quotidie moriebantur. Nec ceſſabat Momorantius; qui eodem die propugnacula [c] turris, quae in Caium reſpicit, pulſari ac dirui juſſit, continuata in ſequentem diem verberatione, et diſploſis in adverſam portam tranſverſis aliquot ictibus: quo facto Angli, qui aggerem ab ea parte ſervabant, veriti ne oppido omnino excluderentur, aggerem et munitionem ligneam relinquunt; quam mox noſtri ſummo cum gaudio occupant: et [d] Poietus alterius praetoriae quondam Andeloti cohortis legatus turrem in extrema munitione illa inſedit, non citra periculum ac multorum perniciem; nam N. [e] Pleſſius Richelius legionis dux, prudentia ac moderatione inſignis atque ad patrui differentiam ſapiens cognominatus, in eo impetu ſcloppeto in humero ictus eſt, ex quo vulnere aliquanto poſt deceſſit. Excitato aggere Fr. Momorantii diligentia noſtri, qui antea ad hoſtileis ictus patebant, jam tecti et eo alacrius operi inſtabant, intercluſo paene venientibus ex Anglia navibus ingreſſu. Jamque omnia ad vim faciendam parabantur, et Jo. [f] Eſtraeus magnus tormentorum praefectus machinas dirigere coeperat, producta ſemper foſſa, cum oratoris Angli ad regem miſſi ſcriba, qui aſtu ad obſeſſos tranſire, ut eos de rerum ſtatu certiores faceret, juſſus fuerat, a Richelianis intercipitur, captis etiam literis, quas ille alii ferendas dederat: quibus agnitis, coram Momorantio ſiſtitur, ab eoque in arcano interrogatus eſt. Sub id tempus Lud. Borbonius [g] Condaeus et Ludovicus Borbonius [h] Monpenſerius in caſtra venere, qui mutuas operas Momorantio in ſervando aggere toto obſidionis tempore praeſtitere. Mox captum navigium oppido egreſſum, cum in altum vela daret; et in eo XV equites Angli, qui ad regem, qui tunc [i] Fiſcani erat, deducti ſunt. Instructa et verberatio ad turrem in Caium deſpicientem, intra II CIϽ paſſuum longitudinem producto aggere uſque ad projectum, quod ab hoſtibus tenebatur, ſaxoſo ſolo impoſitum; ubi, terra deficiente, ſaccis terra et lana oppletis et lignorum faſcibus ſaburra ſuperjecta milites noſtri adverſus ſcloppetorum et lapidum ictus tegebantur. Dum in eo res eſſent, [k] Vidus Cavalcantius patritius Florentinus, cui magna cum Eliſabetha familiaritas, ultro citroque in Angliam commeavit, ſi qua ratio rerum componendarum utriſque aequa et honorifica iniri poſſet; pervicitque tandem, ut neceſſitate adacta regina ad Warwicenſem mandata daret. His ille acceptis, ad Ringravium ſcribit; et nulla a regina mandata tunc habuiſſe ſignificat, cum Momorantius locum dedi primo petiit; nunc ſibi datam a regina poteſtatem, ut cum eo agere poſſit: proinde tubicinem mittat, qui e nobilitate ſua delectum ad ipſum deducat. Id negotii datum Momorantio filio; qui per Helvetiorum caſtra et XX peditum ſigna, quibus [l] Charrius et Sarlaboſſius praeerant, in Briſſaci hoſpitium venit, et ad locum, ex quo

VAR. LECT. [a] Laigtho D f. o. Leigtho D. d. & Ed Gen.

INTERPR. [a] *Leighton.* [b] *le capitaine Monins.* [c] *la Tour du Quay* [d] *Poyet, lieutenant de l'autre enſeigne colonelle d'Andelot.* [e] *du Pleſſis de Richelieu* [f] *d'Eſtrées, grand maiſtre de l'Artillerie.* [g] *le prince de Condé* [h] *le duc de Monpenſier.* [i] *Feſcamp.* [k] *Guido Cavalcanti.* [l] *les capitaines Charry & de Sarlabos, meſtres de camp*

quo nobilis Anglus emittendus eſſet, contendit, qui prope ab hoſtium aggere aberat, CIƆIƆLXIII.
ex eaque occaſione erumpentibus Anglis acre proelium conſertum eſt: quo ceſſante, CAROLUS IX.
[a] Joannes Loſſius progreſſus e vicino propugnaculo, cui [b] Horae nomen, [c α] Pelhamum ſecum adducit cum altero nobili Anglo, qui in [d] Taruennae obſidione Momorantio olim militaverat, et tubicine; qui ad Momorantium equitum magiſtrum deducti ſunt, factis interea induciis, dum Pelhamus ad ſuos rediret; qui quidem ſi re infecta rediret, ſtatuerat Momorantius magnae ac minime fucatae virtutis juvenis ad ruinam impetum facere cum L ex primaria nobilitate, eo ordine, ut IƆ delecti ex Charrii legione, totidem ex Sarlaboſſii item legione, cum XVII [e] Richelii et X [f] Timoleontis Coſſaei Briſſaei filii ſignis ſe conjungerent, et eum ſubſequerentur. Momorantii cum Pelhamo ſermones non alii eo die fuere, quam ut videret, quanta concordia in regis caſtris eſſet, in quibus Proteſtantes compoſitis de religione controverſiis regi tam ſedulam operam navarent: nec proinde pares Anglos eſſe in ea cauſa, quae ad commune regni beneficium et dignitatem pertineret, ad Gallorum tam bene convenientium impetus ſuſtinendos. Inde Pelhamus petito in craſtinum commeatu, et honorifice acceptis a Momorantio rebus quibuſdam ad victum neceſſariis, ad ſuos redit. Poſtridie Momorantius ad extremum aggerem ſummo mane deſcendit, juxta oppidum, ex quo miſſi a [g] Warwicenſi Pauletus et Pelhamus tribuni et Edvardus [h β] Horſeius [1] quaeſtor, pactis rurſus induciis, quae aliquoties a laſcivienti utrinque milite violatae ſunt. Tandem poſt multas altercationes, ut aſſolet, in has conditiones conventum eſt: ut Warwicenſis oppidum in manus Momorantii traderet cum omnibus machinis et apparatu bellico, qui ad regem et ſubditos ejus pertineret: naveis item omneis dimitteret, tam quae regis quam quae ſubditorum ejus eſſent, cum omni inſtrumento, et omneis merces et alia ad Gallos pertinentia. Cautionis loco adjectum in praeſentiarum, ut major [i] turris Momorantio traderetur, in quam milites noſtri introducerentur; qui tamen in urbem ingredi et ſigna in turre ſumma erigere non poſſent; portae, quae in urbem reſpicit, cuſtodia penes Warwicenſem remanente; qui IIII in eam rem obſides daret: tum ut poſtridie mane propugnaculo, cui Horae nomen, deducatur miles; quo facto in Momorantii manus conſignaretur: captivi ſine pretio utrinque dimittantur: Warwicenſi tamen et Anglis, qui in oppido ſunt, cum omnibus quae ad ipſos pertineant, libere exire liceat; quod intra VI dies facere tenebuntur, niſi adverſis ventis prohibeantur: interim liberum ſit navibus Anglicanis et aliis ad portandos Anglos deſtinatis portum libere ingredi et egredi ſine ullo impedimento. Obſides dati [k] Olivarius [γ] Manours Rutlandiae comitis frater, Pelhamus, Horſeius et [δ] Leightonus duces. Haec acta V Kal. Sextil. octavo poſt Momorantii adventum die. [ε] Tempore obſidionis ex Anglis ſeu contagioſa lue ſive ex vulneribus periere Cudbertus [l] Vaughanus, Franciſcus [m] Somerſetus comitis Worceſtriae cognatus, [ϛ n] Albericus Darcius Darcii reguli frater, Joannes [ζ] Zouchus Zouchi frater, Edvardus Ormesbeius, Thomas Drurius, Richardus Croketus, Joannes Cockſonus, Thomas [η] Kemiſius, Joannes [θ] Proudus, Guil. Saulus, Wilfridus [ι] Entweſſelius, Nicolaus et Andreas

VAR. LECT. [α] Pellumum *ubique D. f. o.* [β] Horſeus *D. f. o. d. Ed Gen.* [γ] Mancrus Rotelandiae *D. f. o. d.* Maneurus Rotelandiae *Ed. Gen.* [δ] Laigtho *D f. o.* Leigtho *D. d. & Ed Gen.* [ε] *Decem circiter lineae uſque ad* Interea rex Criquetotium *deſunt D. f. o.* [ϛ] Averus *Ed. Gen. & aliae.* [ζ] Zuchius Zuchii *Ed. Gen & aliae.* [η] Kemiſh *Ed Gen. & aliae.* [θ] Prowede *Ed Gen & aliae.* [ι] Antwielſellus *Ed. Gen & aliae,*

INTERPR. [a] *de Laſſes.* [b] *Fort de l'Heure.* [c] *Pelham* [d] *Terouenne.* [e] *de Richelieu.* [f] *Timoleon de Caſſé, comte de Briſſac.* [g] *le comte de Warwick, le chevalier Paulet, & le capitaine Guillaume Pelham.* [h] *le capitaine Horſey.* [i] *la groſſe Tour.* [k] *le chevalier Mannours, frere du comte de Rutland.* [l] *Vaughan, controlleur de la ville.* [m] *Somerſet, frere du comte de Worceſter.* [n] *Aubrey Darcy frere du baron Darcy, Jean Zouch frere du baron de la Zouch, E. Ormesbey, T. Drury, R. Croker, J. Cockſon, T. Kemis, J. Prowde, Guil. Sawle, Wilfrid Entweſſel.*

NOT. [1] Dele *quaeſtor*. Hoc enim munere functus eſt Mauritius Dennis eques. C.

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX.

Andreas [a] Tremaini fratres, Richardus [b] Sanderus, Robinſonus, [α] Bromfeldus, alii e nobilitate; tantaque vis mali in oppido graſſata eſt, ut, cum aegris in naveis tranſportandis lixae ac ſervi non ſufficerent, corpora paſſim per vicos et in portu jacentia deſtituerentur, et Edvardus [c] Randolfus eques, qui poſtea bello Hiberniae magis inclaruit, commiſeratione ductus cum aliis ejus exemplo accenſis vile bajulandorum aegrorum miniſterium ſubire coactus ſit. Interea rex [d] Criquetotium venerat, medio inter [e] Fiſcanum et oppidum itinere; ad quem Momorantius filius a patre miſſus cum deditionis conditionibus a Warwicenſi ſubſcriptis. Poſtridie in conſpectum oppidi venere naves, quae ex Anglia CIↃ IↃ CCC auxiliareis portabant, quas mox [f] [β] Clintonus maris praefectus cum claſſe LX navium armatarum ſequebatur: ſed utrique jam deditione facta fruſtra fuere. Egreſſis Anglis et navibus impoſitis, [g] Corboranus Cardillacus Sarlaboſſius cum VI ſignorum praeſidio loco praeficitur. Rex et regina adverſo flumine Kalend. Sextil. venere, pleno gaudio ob rem bene geſtam exultantes; palam dictitante [h] Hoſpitalio, nunc vel malevolis et obtrectatoribus conſtare, quanto regni bono pax nuper facta eſſet, qua non ſolum finis pernicioſiſſimo bello civili impoſitus, et domus regia, ex qua ſalus ac regni robur pendet, ante divulſa nunc optime coaleſceret, ſed, quae durante bello civili amiſſa fuerant et ab hoſtibus regni occupata, ſtatim eorum ipſorum, qui nuper ob religionem diſſidentes cum hoſtibus ſtabant, opera ac virtute recuperata eſſent. Ab eo tempore potius bellum inter nos et Anglos ſaevire deſiit, quam pax eſſe coepit, Nic. [i] Throcmortono ab Eliſabetha Angliae regina ad regem fruſtra tunc miſſo.

VII. INDE rex cum regina et aulico comitatu Rotomagum venit, et urbem armatus publica laetitia ingreſſus eſt. Tumque regina, ut omnem Condaeo et Momorantio equitum magiſtro publicae adminiſtrationis ſpem praecideret, ac ſummam potentiam ſub regis nomine in ſe transferret, Hoſpitalii conſilio uſa regem majorem pronunciari voluit, renovata Caroli V conſtitutione, qua, exemplo Joae, Joſiae, Davidis, Salomonis et Hieremiae, reges, ubi quartum decimum annum attigerunt, adminiſtrationis regnorum nanciſcendae et ſuſcipiendae capaces declarantur: quae conſtitutio, anno ſal. CIↃ CCCLXXIII facta, anno poſt, XIII Kalend. Junii in ſenatu rege praeſente et magna principum ac procerum et omnium regni ordinum corona promulgata eſt; et ab eo tempore Palladii inſtar in regni archivis, Pariſienſis curiae actis, et [k] S. Dionyſii coenobio aſſervatur. Id vero ut ſolemni ritu fieret, rex cum regina, [l] Aurelianenſi duce fratre, conſanguineis principibus ac proceribus, ſacri conſiſtorii conſiliariis, in ſenatum venit XVI Kal. Sept. et, ubi conſedit, eo ſe veniſſe dixit, ut poſt pacatum regnum, et Anglos expulſos, qui praeter jus [m] Gratiae-portum occupabant, immortaleis Deo gratias ageret, cujus adeo praeſens auxilium in his turbis expertus eſſet; et omnibus notum faceret, quando majorem aetatem attigiſſet, nolle ſe inobedientiam ſuorum his ultimis temporibus uſurpatam amplius ferre: quinimo velle, ut edictum a ſe conditum, quouſque ex concilii ſententia controverſiae de religione deciſae fuerint, aut aliter ipſe decreverit, ab omnibus religioſe obſervetur: qui illud violaverint, tanquam rebelles et imperia ſua detrectantes caſtigentur. Jubet inſuper, ut omnes ubique in urbibus ac pagis arma deponant: inhibetque, perduellionis poena propoſita, ne ulli Franciae regno ſubditi, non exceptis quidem fratribus, poſthac in peregrinis ditionibus, niſi petito a ſe commeatu, aut cum principibus ſive foederatis ſive hoſtibus ſecreta conſilia habeant, illucve ſe inſcio mittant: praeterea ne ulla pecunia injuſſu ſuo cogatur aut conferatur, ea de re edicto propoſito, quod in omnibus regni curiis promulgari velit. Tum ſenatores admonet, ut

VAR. LECT. [α] Romfieldus *D. d. Ed Gen.* [β] Clintho *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Tremane.* [b] *Sanders, Robinſon, Bromfield.* [c] *Randolph.* [d] *Criquetot.* [e] *Feſcamp.* [f] *le lord Clinton.* [g] *Corboran de Cardillac de Sarlaboz.* [h] *le chancelier de l'Hoſpital.* [i] *Throckmorton.* [k] *abbaye de S. Denis.* [l] *le duc d'Orleans.* [m] *Havre de Grace.*

ut recte riteque jus dicant, ſuamque conſcientiam erga Deum liberent, ita ut omnes quiete ſecureque degentes in obſequio ſibi debito contineantur. Tum Hoſpitalius longam et gravem ad ſenatum orationem habuit; et, quae rex breviter diſſeruerat, copioſa amplificatione repetiit: et, comparatione facta regis ingreſſus ſuperiore anno poſt captam vi urbem admodum luctuoſi, et hujus adeo laeti, verum eſſe oſtendit, quod a principe poetarum dictum eſt, diem quandoque novercam quandoque matrem exiſtere: id ex recepto nuper [a] Gratiae-portu patere, cujus eo felicior ſucceſſus ſit, quod, poſtridie quam oppidum deditum eſt, auxilia Anglica ſummiſſa advenerint: ea vero expugnatione ſimul et de [b] Caleti negotio tranſactum fuiſſe; ad cujus reſtitutionem poſt octennium fidem rex Henricus parens obligaverat, ea lege, ut, ſi alteruter bello alterum intra id tempus prior laceſſeret, jure ſibi competenti excideret; quam in legem cum Angli commiſerint, jus quoque, quod illis ad Caleti repetitionem competebat, amiſiſſe. Tum, ad majorem regis aetatem deveniens, duo prudenter a majoribus conſtituta dicit: alterum, ut poſt regem mortuum, ne turbis porta aperiretur, nullum apud nos interregnum eſſet; et mortuum vivus ſtatim exciperet: alterum, ſi contingat legitimos ſucceſſores reges minores eſſe, ne diu ſumma adminiſtratio in incerto ſit, et rectorum ambitione regnum periclitetur, ut reges, ſtatim ubi decimum quartum annum attigerint, majores et regni per ſe adminiſtrandi capaces habeantur: eam aetatem regem ingreſſum non tamen expleviſſe; ſed non, ut in minorum reſtitutione, aetatem a momento ad momentum computari; verum, ut in publicis muneribus et honoribus, annum coeptum pro completo haberi: in eamque rem, cum praefatione et petita venia, ex Pandectis Juſtinianaeis vulgarem juris Romani regulam adducit; qua in honoribus favoris cauſa conſtitutum eſt, ut pro plenis annos inchoatos accipiamus: eam igitur aetatem regem ingreſſum publicam adminiſtrationem capeſſere; ac jubere, ut in omnibus et per omnia mandatis ſuis deinceps pareatur a cunctis ditioni ſuae ſubditis ordinibus ac perſonis, excepta regina parente; ſub cujus optimo ac prudentiſſimo tegimine ipſe porro rempublicam ſit adminiſtraturus: nunc vero, ut optimi illius tegiminis ſpeciem edat, velle ac jubere, ut edictum nuper ad pacandos regni tumultus factum ab omnibus ſervetur, arma deponantur, nemini privatim in peregrinis ditionibus aut cum externis principibus ſecreta conſilia inire inſcio ſe et injuſſu ſuo liceat: tum monere ſenatores, ut in munere ſuo recte riteque verſentur, edicta ac regias conſtitutiones, uti jusjurandi ſolemnis formula fert, ſervent, nec, quod inveterato errore ſupremi judices ſibi licere putant, legem, dum interpretatione mollire conantur, cavillatorie detorqueant et enervent; omni affectu vacent, neque quidquam gratia, odio aut praejudicio agant; denique caſtas et puras a ſordibus manus ad juſtitiae ſacra afferant, nec litigatoribus ea in re indulgeant; ſed nec litem ex lite ſerant; ambages, tricas et longa litium ſufflamina recidant ac contrahant; et ita agant, ut quicquid egerint ab omnibus conſpici et cognoſci velint; neque tam de iis, qui cutiae ſecreta ad regem deferunt, conquerantur, quam diligenter caveant, ne quid hujuſmodi fiat, quod ad regem deferri debeat: neque enim contra jusjurandum committere, qui ad regem, quae emendatione indigent, aut ejus cancellarium, qui ſupremae regni juriſdictioni praeeſt, non animo obtrectandi, ſed tcipublicae ſubveniendi cauſa defert: eam ob rem Mercurialeis conventus inſtitutos, quorum acta et decreta ad regem perferri debeant: ad ſummum, cenſuram ejus, qui juriſdictionem mandat, neminem defugere aut exhorreſcere debere. Perorantem excepit Antonius [c] Santantotius curiae princeps, homo gravitate inſignis; qui laudata civili virtute, quae in pietate excolenda, fortitudine regenda et juſtitia adminiſtranda verſatur, hiſque tribus tanquam firmiſſimis ſocietatis humanae vinculis rempublicam continet, praecipue in iis enarrandis, quae ad puram et integram juris dicendi ſcientiam pertinent, immoratur; ejuſque potentiam amplificat,

INTERPR. [a] *Havre de Grace.* [b] *Calais.* [c] *de St. Anthot.*

CIↃIↃLXIII. Carolus IX. amplificat, ut quae vivis mortem irroget, mortuos in vitam excitet, divites exuat, egenos bonis impleat, honeſtiores infamia notet, infameis honoribus reſtituat, et ita ambitu ſuo vitam, bona et dignitates hominum complectatur: eoque magis prudenti principi laborandum eſſe dicit, ut viri pietate, morum probitate, prudentia et doctrina inſignes juri dicundo praeficiantur; quod omnes ſperent ſub ejus imperio, moderante res regina parente, exemplo Mammaeae ſub Alexandro, Helenae ſub Conſtantino, Blancae ſub B. Ludovico IX, quae pietate et juſtitia ac rara externarum rerum felicitate abundantia et publica ſecuritate tempora ſua illuſtrarunt. Quibus dictis, regina aſſurgens ultro a ſe regni adminiſtrationem ab ordinibus regni delatam in filii jam majoris manus conſignare declarat: et in publicam obſequii fidem ad regem tendens, qui eam e throno deſcendens aperto capite excepit, flexis genibus filium deoſculatur; qui ſuſcepta hoc ritu regni adminiſtratione in matris eam poteſtate futuram magis quam antea dicit. Cumque rurſus rex in ſolio conſediſſet, principes ac proceres, qui aderant, ad regem perrexere, et flexis in terram genibus ei manum deoſculati ſunt hoc ordine, Alexander [a] Aureliani dux regis frater, Henricus Navarrae princeps, Carolus cardinalis Borbonius, Ludovicus Condaeus, Ludovicus Monpenſerius, Franciſcus [b] Delfini [α] princeps Monpenſerii filius, Carolus [c] Rupiſurionius, omnes ex Borbonia, hoc eſt, regia familia; Odetus [d] Colinius Caſtellionaeus, Ludovicus [e] Lotharingus Guiſius, cardinales, Helionorus [f] Aurelianus Longavillae dux, Annas Momorantius equitum magiſter ſtricto gladio, Michael Hoſpitalius cancellarius, [g] Briſſacus, Momorantius et Burdillonus, equitum tribuni, Cl. [h] Gufferius Boſius marchio, hipparchus. Haec clauſis januis acta: quibus reſeratis et admiſſa ad publicam audientiam confluente multitudine, edictum jam memoratum alta voce a primario curiae amanuenſi recitatur, ac more ſolito audito cognitore regio ac poſtulante promulgatur. [i] Rotomago [k] Dieppam rex excurrit: et ibi de decimis edictum condit IIII Eid. Sextil. in ſacri Ordinis gratiam, jura ſua quotidie interverti et uſurpari quiritantis; quo jubentur omnes, cujuſcunque conditionis ſint, decimas, penſiones et alia jura, quae eccleſiaſticis debentur, intra tempus a lege aut conventione perſcriptum exſolvere; ni faciant, edicitur, ut rex ipſorum bona poſſeſſum eat, et ſequeſter regis nomine alius a colono aut mandatario eorum adminiſtrationi praeficiatur.

VIII. Missum Lutetiam per Ludovicum [l] Sangelaſium Laoſacum de majore regis aetate edictum Rotomagi publicatum, ut in curia promulgaretur: verum interceſſit ſenatus; et Chriſtophorum [m] Thuanum ſenatus principem, Nicolaum [n] Prevotium claſſium inquiſitoriarum praeſidem, ac Guilielmum [o] Violam e ſuo ordine delegavit, qui cauſas, cur promulgationem aut diſtuliſſent aut recuſaſſent, apud regem exponerent. Ii ad [p] Medontam Dieppa redeunti regi obviam facti et perbenigne auditi ſunt. Eorum rationes erant; contra morem factum eſſe, ut edictum ullum prius in Rotomagenſi aut alia regni curia promulgaretur, quam in Pariſienſi, quae et regni ordinum auctoritatem retineret, et regni primaria et parium curia cenſeretur; et ex qua denique tanquam ex matrice ceterae propagatae eſſent: tum videri edicto, religionis, quae una eſſe debet, multiplices ſectas introduci et approbari. Additum erat; ad Lutetiae, quae metropolis atque adeo regni arx eſſet, ſecuritatem pertinere, ut populus Pariſienſis minime exarmaretur. Ad ea rex, adhuc ephebus, a matre inſtructus reſpondit; facere ſe non invitum aut ingratiis, ut more ſuorum majorum ſupplicationes regni curiarum benigne audiret: quibus intellectis, et ubi, quid ſuae voluntatis eſſet, aperuiſſet, eorum partes eſſe, ut parerent, et juſſa exequerentur:

VAR. LECT. [α] comes *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *le prince Dauphin d'Auvergne, fils du duc de Monpenſier.* [c] *le prince de la Roche ſur Yon.* [d] *de Coligny, cardinal de Chaſtillon* [e] *de Lorraine, cardinal de Guiſe* [f] *d'Orleans, duc de Longueville.* [g] *les mareſchaux de Briſſac, de Montmorency, & de Bourdillon.* [h] *de Gouffier, marquis de Boiſy, grand eſcuyer* [i] *Rouen.* [k] *Dieppe* [l] *de St Gelais, ſieur de Lanſac* [m] *de Thou, premier preſident.* [n] *Prevoſt, preſident aux enquêtes.* [o] *Viole, conſeiller au parlement.* [p] *Mante.*

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

rentur: quod ad edictum de majore aetate ſua factum et a ſe tanquam majore propoſitum attinet, id ex reginae parentis, quam ſummae rerum praepoſuerit, et principum ac procerum conſilio feciſſe, et eo in loco, in quo praeſens reipublicae ſtatus ac negotiorum neceſſitas exigere viſa eſt; quod procul dubio in ſua poteſtate et arbitrio poſitum ſit: tum, ut fidem dictorum faceret, principes ac proceres, qui adeiant, coram delegatis interrogat, an non ſibi auctores fuiſſent, ut de majore aetate ſua et conſtituenda republica edictum proponeretur? Quibus praeeunte cardinali Borbonio reſpondentibus, ex ſua ſententia edictum tanquam regno utile ac neceſſarium propoſitum fuiſſe, rex ex eo reſponſo ſumpta fiducia ſubjecit, demum eos intelligere non ex ſua ac reginae matris, verum ex univerſi conſiſtorii ſententia edictum factum; cujus rationem etſi minime teneatur reddere, inpraeſentiarum voluiſſe, ut de ea ipſis conſtaret: ceterum jubere, ut non, ſicuti prius enim in minore aetate conſtitutus eſſet, ſic in poſterum ſecum agant; nec negotiis, quorum cognitio ad eos non pertinet, ſe immiſceant: nam ad hoc a regibus inſtitutos, ut inter privatos juxta leges, conſuetudines ac regias conſtitutiones aequabile jus dicant: proinde, quae ad publicum regni ſtatum ſpectant, regi ac conſiſtorio ejus relinquant; nec ſe praejudicata per veterem errorem opinione deinceps pro regiis tutoribus, regni defenſoribus et Lutetiae cuſtodibus gerant; ac, ſi quid in reſcriptis ad eos directis inſit, quod eos ad diſſentiendum moveat, id velle, ut per delegatos quamprimum more recepto ſignificent; et, poſtquam de enixa ac poſtrema ipſius voluntate conſtiterit, mandatis pareant. Haec ad fiduciam et minas compoſito vultu cum rex ediſſeruiſſet, Jo. [a] Monlucius epiſcopus Valentinus regis ſermonem proſequens, multa contumeliae propiora in ſenatum et magiſtratus, qui ad prima regis mandata non obtemperarent, aſſentatorie effutivit, tanquam ſtatus publici ignaros et in ſummo munere parum ſincera fide verſanteis; idque in reginae gratiam, neque tam ut regis potentiam ſtabiliret, quam ut imperioſae foeminae ambitioni turpiter famularetur. Secundum haec delegati ad curiam referunt, et ſenatus, cognita regis voluntate ac conſilio, rurſus res in deliberationem deducitur, et, ut erant diducta in duas partes ſtudia, calculi quoque judicum adaequaverunt: miſſique continuo Petrus [b] Seguierius curiae praeſes et Franciſcus [c] Dormius inquiſitoriarum decuriae praeſes tanquam aleae judicii adhuc alternantis diremptores, qui regem, qui tunc [d] Medulani erat, de re tota edocerent. Regina vero, quae revocato edicto [e] Rotomagi publicato una et auctoritatem ſuam convelli, et non tam paribus ſententiis judicium ſuſpenſum quam factionibus ſciſſum ſenatum doleret, auditis delegatis pro reſponſo placitum admodum inſolens in conſiſtorio procerum frequenti ſenatu fieri curavit VIII Kal. Oct. quo rex, non habita decreti Pariſienſis ratione, quod tanquam nullum, et ab judicibus, ad quos rerum, quae publicum regni ſtatum ſpectant, cognitio minime pertinet, factum revocat; ac decernit, ut edictum proximo Sextili menſe factum in curia publice lectum promulgetur, nulla praeſcripta conditione: cui promulgationi intereſſe teneantur omnes curiae praeſides ac conſiliarii, niſi morbo aut legitima alia cauſa impediantur; alioqui ad tempus magiſtratu ſummoveantur: inhibetque, ne in poſterum in controverſiam deducere, ſtatuere, deliberare ſuper decretis a rege conditis praeſumant, quae ad publicum regni ſtatum pertinent; maxime, poſtquam apud regem interceſſerint, et de ipſius voluntate cognoverint, uti jam in hac cauſa factum ſit: ſed ea, ſicuti mandatum fuerit, promulgare et in acta referre teneantur. Jubet inſuper, ut ſyngrapha judicii nuper facti inducatur et laceretur, quo memoria novi et inſolentis facti oblitteretur; et, ita culpâ agnita et emendata, ipſe quoque, quod illos facturos ſperet, omnem rei ſenſum ex animo deponat. Poſtremo, enixe Jo. [f] Tilio curiae protonotario

INTERPR. [a] *de Montluc, evêque de Valence.* [b] *Seguier, preſident.* [c] *D'Orny, preſident aux enquêtes.* [d] *Meulant.* [e] *Rouen.* [f] *du Tillet, greffier du parlement.*

CIϽIϽLXIII. protonotario injungitur, ut hoc placitum ſeu diploma in acta publica referat. Ita
CAROLUS IX. dimiſſi delegari: quibus in curia auditis, et cognita regis voluntate ac conſilio, audito [a] cognitore regio, non etiam poſtulante, edictum de majore regis aetate promulgatum fuit IIII Kal. Oct.

IX. DEINDE rex Lutetiam venit: moxque eodem venere Lotharingicae familiae proceres pompa funebri, de deteſtando Guiſii paricidio coram rege ſuppliciter expoſtulaturi, et, ut de caedis auctoribus ac conſciis ſupplicium ſumeretur, demiſſis precibus petituri. Praeibat Antonia [b] Borbonia parens, priſci moris ac gravitatis foemina, et pone eam Anna [c] Ateſtina conjux, longo ſyrmate verrentes humum; tum ſequebantur liberi, et poſt eos foeminae nobiles tecto vultu ejulatibus perſonantes, dein cognatione conjuncti et amici compoſita ad triſtitiam ſcena: quod arte factum, ut illorum omnia plerique interpretabantur, non tam ut commiſerationem apud regem et in aula excitarent, quam ut recentem plebis erga defunctum benevolentiam hoc lamentabili ſpectaculo erga liberos continuarent. Ubi propinquavere, in genua procubuere omnes: quibus ſurgere juſſis, et Borbonia praecipue atque Ateſtina ſublevatis, rex perbenigne earum querelam audivit, et negotium ſibi hoc curae fore reſpondit; remque in commodius tempus diſtulit. Ea re [d] Colinium, etſi non nominaretur, peti nemo ambigebat; quem Condaeus jam ante Eid. Maii edito publice ſcripto tanquam amicum, et uxoris, ex qua complures liberos ſuſtuliſſet, avunculum, et multis egregie factis de rege, regno ac ſe bene meritum tuendum ſuſcepiſſe declaraverat, eoſque, qui eum alia quam juris via adorirentur, ſe inimicorum loco habiturum praedixerat.

X. DE cetero hic annus variis edictis ac conſtitutionibus condendis ac promulgandis inſumptus fuit. Jam biennio ante, cum rex ad [e] Fontem-bellaqueum eſſet, ut tranſactionibus, quae ad reſecandam litium pullulantem luxuriam optimum remedium ſunt, majorem vim et auctoritatem tribueret, edixerat, ut, quae inter majores citra dolum ac vim de rebus, quae in contrahentium commercio ac libera diſpoſitione ſunt, factae eſſent, nullo pacto reſcindi poſſent, ne laeſionis quidem ultra dimidiam juſti pretii obtentu, vel etiam doli, qui ex re ipſa non perſonarum facto ineſt; ſed agentes contra illas ſtatim a limine judicii repellerentur. Id licet optima ratione decretum, tamen non niſi hoc anno XV Kal. Jun. in ſenatu promulgatum eſt. Rex item VII Kal. Jun. Claudium [f] Gripponem Sanjulianum regni fodinarum curatorem creaverat; et in iis, quae aut jam inventae eſſent aut porro effoderentur, contra etiam proprietarios decimam ſibi attribuerat; quod edictum Kalend. Quintil. in curiae acta relatum fuit. Proſpectum et licentiae librariorum, libellos promiſcue nullo permiſſu clam edentium; decretumque, ne quis libros novos, antequam a delegatis in conſiſtorio principis examinati ſint et approbati, typis mandet, poena capitis et bonorum publicationis in eos, qui contra fecerint, conſtituta. Qua de re diploma, IIII Eid. Sept. [g] Medontae a rege factum, in ſenatu publicatum fuit III Kal. Dec. In gratiam item ſacri Ordinis diocceſis Pariſienſis decretum XV Kal. Nov. ut plebani ac curiones ab hoſpitiis militaribus, annona et aliis, quae militi alendo in tranſitu imperari conſueverunt, immunes eſſent: eaque de re diploma factum, quod eodem die, quo ſuperius, in ſenatu promulgatum fuit; decretique illius executio ac cognitio [h] praetori Pariſienſi peculiariter attributa. Ad urbis item ornatum decretum juxta comitiorum Aurelianenſium poſtulata, curatores viarum viderent, ne projecta in aedificiis de novo conſtruendis ulla eſſent. Inſtituta et mercatorum Lutetiae juriſdictio, edicto ea de re facto; quo decernitur, ut ex eorum numero judex unus et IIII conſules quotannis deligantur, qui de omnibus controverſiis inter negotiatores ratione negotii movendis ſummatim cognoſcant; et, ſi quidem lis quingentas libras

uon

INTERPR. [a] *le procureur general.* [b] *de Bourbon.* [c] *d'Eſte.* [d] *l'amiral de Coligny.* [e] *Fontainebleau.* [f] *Grippon de St. Julien, intendant des mines.* [g] *Mante.* [h] *le lieutenant civil.*

non excedat, appellare ab iis non liceat; ſi excedat, ſententia quidem executioni cautione data demandetur, ceterum appellatio ad ſenatum devolvatur. Edictum a rege Decembri menſe conditum in ſenatu diu agitatum tandem xv Kal. Feb. ſequentis promulgatum fuit. Eademque juriſdictio poſtea [a] Aureliani, Antiſſiodori, Auguſtobonae Tricaſſium, Durocortori Remorum, Agendici Senonum, Calvimontii in Baſſiniaco agro, Bellovaci, Avatici Biturigum, Catalauni, et in aliis regni urbibus, exemplo paſſim ſerpente, inſtituta eſt. Et haec quidem a prudentiſſimo et optimo cancellario pro tempore ad publicam utilitatem decreta. Inter bona malane numerati debeat illud, cui a conſignationibus nomen fecere edicti condendi auctores, variatum eſt ſententiis; cum alii ad coercendam temere litigantium libidinem optimum remedium jactarent; alii peſſimo exemplo fieri dicerent, ut ex eo, quod rex ſubditis ſuis gratuito debet, vectigal inſtitueretur. Conditum tamen ea de re edictum menſe Novembri, et poſt multas juſſiones expreſſo regis mandato in ſenatu recitatum eſt Eid. Decemb. ea lege, ut per ſeptennium tantum locum haberet; additumque, ſenatum ſingulis annis vehementer apud regem expoſtulaturum, ut non expectato ſeptennio edictum revocaretur: id certe poſtea, quamvis pluribus reſtrictum ac temperatum interpretationibus fuerit, tandem ut damnoſum ac pudendum omnino obſolevit. CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX.

XI. Sub exitum anni Lutetiae caſus intervenit, qui, nondum bene coalita per pacem concordia, res paene conturbavit. [a] Jacobus [b] Prevotius Charrius, ſtrenuus bello vir, a nobis antea multoties commemoratus, et a B. Monlucio in commentariis ſaepius laudatus, cum ſe his ultimis temporibus totum Guiſianis partibus addixiſſet, praetorianae legionis tunc primum ad regii corporis cuſtodiam inſtitutae ſub Philippo [c] Strozzio primarius dux, ab Andeloto Gallici peditatus praefecto ſe ſenſim alienaverat, et ad ejus imperia ſuperbe reſpondebat. Ea juſta Andeloti offenſio fiduciam fecit [d] Caſtellerio Portalio, homini generoſo, cujus Charrius fratrem [e] Mirandulae olim interfecerat, ut, ſi de eo ultionem ſumpſiſſet, Andeloti patrocinio adverſus aulicorum gratiam protegeretur. Itaque die feſto, cum ad [f] Michaelis pontem apparitores, quorum cohors eo in loco excubat, nulli eſſent, cum delectis Charrium aggreditur; eumque cum duobus, qui cum eo erant, interficit: quo facto, cum ſuis aufugit, trepida urbe majoris mali, quam inde ſecutum eſt, metu. Id etſi regina, quae mortuo Guiſio Charrium Monlucii commendatione ſibi conciliaverat, admodum moleſte ferret, tamen factum in praeſens diſſimulavit; ſatiſque habuit, ſi mortuo in plebeculae ſolatium magnifica pompa in urbe parentaretur. Poſtea in Caſtellerium ac ſocios tanquam contumaces lata mortis ſententia; et, cum comprehendi non poſſent, ſtramineae effigies plauſtro traductae et in Michaelis ponte patibulo ſuſpenſae ſunt.

XII. Extremum annum clauſit [g] Caroli Coſſaci Briſſaci mors, cum ſemper antea, tum bellis Subalpinis clariſſimi ſua aetate ducis: cujus meritis inter alia decora hoc omnium tam ſuorum quam externorum conſenſu tributum eſt elogium; quod omneis Gallos duces, qui ſigna in Italiam intulerunt, felicitate in expeditionibus ſuſcipiendis, et prudentia in iis, quae bello quaeſiverat, conſervandis, longe ſuperaverit. Tandem arthritide diu vexatus, attenuato continuis doloribus corpore, Lutetiae deceſſit, cum tantum aetatis annum LVI attigiſſet: in cujus locum, ob merita paterna, cardinalis Borbonii commendatione, creatus eſt tribunus equitum Henricus [h] Momorantius Damvilla.

XIII. Dum

VAR LECT. [a] Jacobus Prevotius *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR [a] *Orleans, Auxerre, Troyes, Reims, Sens, Chaumont en Baſſigny, Beauvais, Bourges, Chaalons* [b] *Prevoſt de Charry* [c] *Strozzi* [d] *Chaſteliers Portaut.* [e] *Mirandola.* [f] *pont S. Michel.* [g] *Charles de Coſſé, mareſchal de Briſſac* [h] *de Montmorency, ſieur de Damville*

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

XIII. * DUM haec domi gerebantur, [a] Tridenti pridie Nonas Januar. legati noſtri, qui, quod ſcirent poſtulata ſua fere eum mandatis oratorum Caeſareorum convenire, de ſuis proponendis negotium huc uſque diſtulerant, expectantes dum aliquid a patribus ſuper iis decerneretur; poſtea regis literis moniti, eum viderent Caeſaris petitionibus aut non ſatisfieri, aut negotium illud longius, quam ſpes fuerat, protelari, rem amplius differendam minime putaverunt: et, quanta fieri potuit ſimplicitate ac brevitate verborum, quae ad rem Chriſtianam neceſſaria et opportuna viſa ſunt, juxta regis mandata, XXXIIII capitibus complexi ſunt; praefati, nihil ſibi a Chriſtianorum ſalute praecipuum eſſe, nihilque ſingulare: cupere quidem regem, ut petitionum ſuarum omnium ratio habeatur; ſed tamen ita a Chriſtiana diſciplina edoctum et inſtitutum eſſe, ut patribus omnia tribuat, rerumque omnium iſtarum rationem, cognitionem ac judicium ad ipſos ſciat pertinere. Petitiones hae erant. I. Ut ſacerdotes, quos caſtos eſſe oporteat, et ex quorum incontinentia in eccleſia magnae naſcuntur offenſiones, non alii in poſterum ordinentur, quam qui ſeniores ſint, et a populo bonum habeant teſtimonium, ut ex anteacta vita, quales poſtea ſint futuri, non levis fiat conjectura; et ſacerdotum libidines ac flagitia acerrimis canonum poenis coerceantur. II. Caveatur, ne eodem die aut tempore omnes ſacri ordines uni conferantur. III. Nullus presbyter ordinetur, cui non continuo ſecundum concilium Chalcedonenſe detur una cum ordine beneficium aut miniſterium: ſic enim fieri conſueviſſe ordinationes a priſcis illis patribus, qui titulos multo poſt tempore inventos non agnoverint. IV. Diaconis et aliis ſacris ordinibus reſtituantur ſua munia et antiqua functio; ne amplius nuda et in ceremoniis tantum poſita nomina dicantur. V. Presbyteri et ſacris initiati et cujuſvis eccleſiae miniſterio addicti in ea vocatione, ad quam a Domino vocati ſunt, permaneant; neque in alio munere et officio, quam quod Dei miniſterium deceat, verſentur. VI. Nullus eligatur epiſcopus, qui non et aetatis ſit legitimae, iiſque moribus et doctrina praeditus, ut et populum docere et ei vitae exemplar eſſe poſſit, et qui non ſit ſatis iis omnibus inſtructus, quae ad tantum munus obeundum ſint neceſſaria. VII. Is item eretur plebanus, qui probatae ſit vitae, qui ſacrificium rite celebrare et ſacramenta, ut par eſt, adminiſtrare et illorum uſum et effectum eos, quibus ea adminiſtrat, recte docere et inſtruere poſſit. VIII. Ad coenobium et prioratum conventualem nemo admittatur, niſi prius in celebri aliquo gymnaſio ſacras literas publice profeſſus, et magiſterium aut alium gradum adeptus fuerit. IX. Epiſcopus per ſe aut per eos, quos ad praedicationis munus aſſumet, (qui tot erunt, quot pro dioeceſis amplitudine videbitur opus eſſe) omnibus Dominicis et feſtis diebus, tempore item quadrageſimae jejuniorumque et adventus Domini, quotidie Dei verbum annunciet, et quotieſcunque id opportune fieri poſſe judicaverit. X. Idem faciat plebanus. XI. Abbas et prior conventualis libros veteris et novi teſtamenti interpretetur, xenodochia ac valetudinaria inſtituat; et ita monaſteriis antiquae ſcholae reſtituantur. XII. Qui hodie ſunt epiſcopi, plebani, abbates aut alii eccleſiaſtici, ſi ſuum munus obire non poſſint, accipiant coadjutores, per quos illud praeſtent, aut omnino ſacerdotia a ſe abdicent. XIII. De catecheſi, ſumma doctrinae Catholicae conſcribenda et brevibus evangeliorum explicationibus, quas vulgo poſtillas vocant, ea decernantur, quae Caeſareae majeſtati viſum eſt ad hoc ſanctum referre concilium. XIV. Unum beneficium uni tantum conferatur, ſublata eorum, quae ſimul teneri et non ſimul teneri poſſunt, perſonarumque differentia: quae diſtinctio, ut eſt nova et antiquis deceteris incognita, ita tanquam eccleſiae damnoſa in poſterum tollatur. Regularia item regularibus, ſaecularia ſaecularibus cedant. XV. Qui duo plurave nunc poſſident,

VAR. LECT. * Omnia, quae in hoc triceſimo quinto hiſtoriarum libro, per paginas circiter 17 ſequentes, de concilio Tridentino leguntur, *deſunt* D. £. o. d.

INTERPR. [a] *Trente.*

Google

dent, aut illud tantum retineant, quod optaverint, aut in canonum poenas incidant. XVI. A ſacerdotali ordine ſordes et omnis avaritiae labes procul expellantur; nec ullo praetextu pro rebus divinis quicquam exigatur. Curet epiſcopus per unionem beneficiorum aut per decimarum aſſignationem, et, ſi hoc commode fieri non poſſit, per paroeciarum ſymbola ac collectas, ut plebani et cum illis duo pluresve clerici habeant unde vitam tolerent et hoſpitibus viaticum praebeant. XVII. In ſacrificiis paroecialibus evangelium aperte et dilucide et pro populi captu copioſe ex ſuggeſtu exponatur: quo in loco, quae plebano praeeunte fient, preces lingua fiant vernacula: peracta autem re divina Latine et myſticis precibus, lingua etiam vernacula publicae ad Deum preces fiant; et eo tempore ac aliis praeſtitutis horis cantica pia aut pſalmi Davidici cantentur itidem populari ſermone, prius ab epiſcopo diligenter examinati. XVIII. Antiquum Leonis et Gelaſii decretum de communione ſub utraque ſpecie in uſum revocetur. XIX. Ut omnes, praecipue literarum imperiti, uſum et efficaciam ſacramentorum animo percipiant, praecedat ſemper lingua vernacula brevis ac dilucida explicatio, quae ſacramenti quod adminiſtratur rationem reddat. XX. Beneficia ſecundum antiquos canones non amplius exteris et per vicarios conferantur; ſed per ipſos ordinarios, quorum eſt in hoc maxime electa induſtria: et, illis intra ſex menſeis non conferentibus, poteſtas conferendi ad proximum ſuperiorem devolvatur, et per gradus ad pontificem juxta concilium Lateranenſe: neque aliter collatio valeat. XXI. Mandata de providendo, expectativae, regreſſus, fiduciariae reſignationes, commendae revocentur; et tanquam ſanctis decretis contrariae ab eccleſia omnino arceantur. XXII. Reſignationes in favorem eliminentur omnino a curia Romana; quippe cum a ſacris canonibus inſtitutum ſit, ne quiſquam ſibi officii ſui quaerat aut eligat ſucceſſorem. XXIII. Prioratus ſaeculares aut, ut vulgo dicuntur, ſimplices, (quibus contra inſtitutionem cura animarum adempta eſt, et tranſlata in vicarium perpetuum, parva tantum quadam decimarum aut aliorum proventuum penſione ei aſſignata) cum primum vacaverint, curam animarum recipiant, et in antiquum ſtatum reformentur. XXIV. Cum beneficium ſine officio neque eſſe debeat neque poſſit, epiſcopus, ſi quae ſint ejuſmodi, quae nullo concionandi, ſacramenta adminiſtrandi aut alio onere eccleſiaſtico teneantur, iis ex capituli conſilio curam aliquam ſpiritualem imponat; aut, ſi utilius videatur, ea vicinioribus paroecialibus eccleſiis uniat. XXV. Penſiones ſuper beneficiis non conſtituantur; et quae ſunt conſtitutae tollantur. XXVI. Epiſcopis intra omnem dioeceſim eccleſiaſticae juriſdictiones reſtituantur; ſublatis exemptionibus, niſi certis caſibus. XXVII. Canonici cathedralium eccleſiarum ſint aſſidui in eccleſia cathedrali, bonis moribus ac doctrina praediti, quique ſaltem xxv annum attigerint; ex quorum conſilio epiſcopus juriſdictionis ſuae munus exerceat. XXVIII. Retineantur antiqui, aut novi conſtituantur conſanguinitatis, affinitatis vel cognationis ſpiritualis gradus; intra quos non liceat obtentu cujuſvis diſpenſationis matrimonium contrahere, exceptis ſolis regibus aut principibus propter bonum publicum. XXIX. Doceatur populus, quid de imaginum cultu ſit ſentiendum: curetque ſynodus, ut, ſi quae in iis colendis irrepſerunt ſuperſtitiones et abuſus, tollantur; quo iconomachis nuper exortis tumultuandi cauſa praecidatur. Quod idem dictum intelligatur de indulgentiis, peregrinationibus, reliquiis ſanctorum, et iis ſodalitatibus, quas vulgo fratrias vocant. XXX. In eccleſia propter graveis et publicas offenſas publica poenitentia inſtituatur, et ad Dei iram placandam jejunia et luctus publici. XXXI. Excommunicatio, quae ſupremus eſt eccleſiae gladius, non paſſim pro quovis delicto aut contumacia decernatur; ſed pro graviſſimo tantum peccato, ſi in eo poſt unam et alteram et nonnunquam trinam monitionem reus non reſipiſcat.

Digitized by Google

reſipiſcat. XXXII. Ad forenſeis controverſias, quae univerſum fere eccleſiaſticum Ordinem contaminant, contrahendas, petitorii et poſſeſſorii in cauſis beneficialibus nuper inventa diſtinctio aboleatur: et, ſublatis a concilio Conſtantienſi introductis univerſitatum nominationibus, praecipiatur epiſcopis, ut beneficia ſecundum Gregorii Magni auctoritatem non ambientibus ſed fugientibus et de eccleſia bene meritis conſerant. XXXIII. Si de conſerendi aut praeſentandi jure lis oriatur, primum ab epiſcopo, capitulo conſulto, oeconomus, vacante beneficio, praeficiatur, qui fructus omneis percipiat, et munia omnia eccleſiae ſubeat; dein litigatores in aliquot viros doctos eccleſiaſticos conſentiant: et, ſi non elegerint, ab epiſcopo dentur, qui ſaltem intra ſex menſeis litem omnem dirimant, a quibus appellari non liceat; aut, ſi appellationi deſerendum videatur, mandetur interea executioni ſententia: nec teneatur oeconomus, aut qui prior obtinuit, reſtituere fructus pendente lite perceptos, in miniſtri et pauperum tantum alimenta expendendos. XXXIV. Synodi epiſcopales quotannis ſemel ad minimum, tertio quoque anno provinciales congregentur: in quibus de iis, quae ad ſtatum eccleſiaſticum ſpectant, diligenter tractetur, de miniſtrorum delictis mature cognoſcatur, et in eos, qui deliquerint, ſevere animadvertatur. Concilia item generalia, niſi obſtet aliquod impedimentum, decimo quoque anno celebrentur. Has petitiones, ſicuti Ripae eodem fere tempore typis mandatae ſunt, ad verbum paene expreſſi: quarum autographum Gallice ſcriptum et manu regis, [a] Catharinae, [b] Alexandri, Antonii Navarrae regis, Caroli Borbonii [c] Rupiſurionii, Franciſci Lotharingi Guiſii, Annae Momorantii equitum magiſtri, Michaelis Hoſpitalii cancellarii, Santandreani et Franciſci Momorantii equitum tribunorum ſubſcriptum vidi, et penes me diu habui; quo et mentio fiebat deliberationis ſuper ea re habitae in regis conſiſtorio coram cardinali Lotharingo, Nicolao [d] Pellevaeo Senonenſi archiepiſcopo et Jo. [e] Morvillerio Aurelianenſi epiſcopo, antequam ad concilium Tridentinum proficiſcerentur; ex quorum ſententia articuli confecti erant, et imprimis caput illud de uſu calicis et integrae coenae reſtitutione, tanquam creſcentibus apud nos malis opportunum ac neceſſarium remedium, pluribus verbis urgebatur. IIII Eid. Januar. inſtante cardinali [f] Ferrarienſi pontificis legato, rex, ut placatiorem erga ſe et de cetero tractabiliorem in juſtis ſuis poſtulatis, quae ad eccleſiae pacem ſpectabant, pontificem haberet, tributum pro ſacerdotiis vacantibus pendi ſolitum, quod vulgo *annatas* vocant, comitiorum Aurelianenſium decreto ſublatum, reſtituit, et prohibitiones ſuper ea re factas revocavit, fide a Ferrarienſi accepta, fore ut pontifex pro prudentia ſua his et aliis poſtulatis ſuis brevi cumulate ſatisfaceret: diploma ea de re emiſſum et in ſenatu VIII Kal. Febr. promulgatum. Rex deinde XV Kal. Febr. [g] Autrico Carnutum, cum ad exercitum poſt pugnam [h] Droecenſem [i] Aurelianum tendens proficiſceretur, ad patres concilii dat literas; quibus et ob victoriam de hoſtibus Dei beneficio partam gaudium conceptum cum iis communicabat, et nihilominus eos hortabatur, ut, quando non ſolum ab armis contra praeſentia mala remedia petenda eſſent, verum a ſacro-ſanctis conciliis et hujuſmodi conventibus, in quibus gladius Dei diſtringitur, hoc eſt, ex verbo divino pravae ſementis plantaria ex agro Domini ſtirpitus evelluntur, ut, majorum exemplo conceptae exſpectationi ſatisfacientes, errorum emendationi et diſciplinae collapſae optima ratione inſtaurandae ſedulo incumbant; quo et ii, qui ab eccleſia diſceſſerunt, ad eam redeant, et, qui in ea remanſerunt, ſed ob pleraſque non leveis offenſionum cauſas animi anguntur et nutant, in officio contineantur; et ita amice compoſitis rebus ſanguini tot virorum illuſtrium et aliorum, qui ob eam cauſam quotidie periclitantur et pereunt, parcatur. Eodem menſe Tridenti decretum

INTERPR. [a] *la Reine mere.* [b] *le duc d'Orleans.* [c] *de Bourbon prince de la Roche ſur Yon, Fr. de Lorraine duc de Guiſe, le conneſtable de Montmorency, le chancelier de l'Hoſpital, les mareſchaux de St. André & de Montmorency.* [d] *de Pellevé, archevêque de Sens.* [e] *de Marvilliers, evêque d'Orleans.* [f] *de Ferrare.* [g] *Chartres.* [h] *de Dreux.* [i] *Orleans.*

tum de paſtorum ad greges ſuos aſſiduitate vix tandem confectum eſt, poſt longas et CIƆIƆLXIII.
inutileis altercationes; quae eo tendebant, ut pontifici poteſtas plena paſcendi, re- CAROLUS IX.
gendi ac gubernandi univerſalem eccleſiam a concilio tribueretur. Quae diſputatio renovata eſt et magnis contentionibus agitata in VII canone de ſacramento Ordinis, cum de epiſcoporum inſtitutione et pontificia auctoritate conſtituenda agi coepit. Nam noſtri, ut pontifici gratificarentur, quaeſtionem hanc, An pontificis poteſtas ſit concilio ſuperior, omittere et tanquam ſcopulum declinare malebant, ne ex eo occaſionem concilii non multo operae pretio diſſolvendi pontifex arriperet: ſed, ſi quidem ea agitaretur, fixam ratamque apud nos ſententiam ſe tueri paratos oſtendebant, nimirum concilium ſupra papam eſſe; neque ab ea ullo pacto diſceſſuros. Id ſuſpenſos patres diu tenuit: ne tamen turbis porta aperiretur, noſtri tandem aſſenſere, ut pontifex hos ſibi titulos ſumere poſſet, et vicarius Chriſti ac ſucceſſor Petri, habens in eccleſia univerſali ſupremam poteſtatem, diceretur; dum ne ex eo inferri poſſet, ipſius poteſtatem ſupra univerſale concilium eſſe: nam contrariam opinionem ſemper Gallicanam eccleſiam mordicus retinuiſſe. In eo maxime per ſuos laborabat Philippus, ut epiſcoporum potentia amplificaretur; contra, pontificis et collegiorum imminueretur; eo conſilio, ſicuti pontificii interpretabantur, ut, cum epiſcopi in Hiſpania fere regis beneficiarii ſint, per eos ſummam poteſtatem ad ſe contraheret, et collegiis (quae fere ex nobilitate Hiſpana conſtant, voluntati principis praecipue in tributis imponendis adverſari ſolita) in ordinem redactis, libertatem publicam opprimeret. Hac invidioſa interpretatione Philippi conſilium criminati illi id effecerunt, ut non ſolum poteſtas epiſcoporum non aucta, ſed multum ex ea delibatum ſit; cum ea poteſtas, quae ipſorum propria eſt et ex Dei inſtituto iis attributa, iiſdem tanquam a ſede apoſtolica delegatis concedatur, et epiſcopi paſſim non ſua ſed pontificis auctoritate ac vice in munere ſuo obeundo fungi dicantur. Caeſar, paulo ante evocato Georgio [a] Draſcovitio Quinqueeccleſienſi epiſcopo, et re conſultata [b] Oeniponte V Non. Mart. per eundem Draſcovitium denuo Tridentum remiſſum ad pontificem dat literas; quibus ſignificat, poſt filii ultimis comitiis factam electionem in regem Romanorum et inaugurationem et civitates ſuas Rhenanas luſtratas, nihil ſibi antiquius fuiſſe, quam ut Oenipontem reverſus, ob propinquitatem loci, commodius concilii promovendi, tanquam ſupremus eccleſiae advocatus et procurator, curam ſuſciperet: ſed, ubi eo venit, magno ſuo cum dolore intellexiſſe, non eo modo res in eo negotio, uti ſperaverit, et publicus rerum ſtatus expoſcat, procedere; ita ut verendum ſit, niſi propere remedia adhibeantur, ne is futurus ſit concilii exitus, qui et univerſo Chriſtiano orbi offenſionem pariat, et iis, qui ab obedientia eccleſiae Romanae deſecerunt, ridendi materiam, et illas, quas amplexi ſunt, alienas et diſcrepanteis ab orthodoxa fide opiniones majore obſtinatione retinendi ſit incitamento: nihilominus jam a multo tempore nullam ſeſſionem celebratam; et paſſim jactari, patres et doctores in concilio ad contentiones ſua moderatione indignas et diſſidia, magno ſperatae concordiae detrimento, et contra adverſariorum gaudio, ſaepius prorumpere; circumferri item rumores non admodum commodos aut ſibi jucundos, pontificem de diſſolutione aut ſuſpenſione concilii cogitare: a quo conſilio eum ſummopere dehortatur, ut pudendo et damnoſo; quod procul dubio multorum ab eccleſia defectio ſit ſecutura, in pontificem vero odium, et ex eo in univerſum ſacrum Ordinem contemptus; ex illa diſſolutione item aut ſuſpenſione hoc incommodi neceſſario conſecuturum, ut nationalia concilia, quae tanquam unitati eccleſiae contraria ſemper pontifex rejecerit, quaeque, qui pontificis auctoritati conſultum volunt, hactenus in ditionibus ſuis impediverint, petentibus amplius denegari aut differri non poſſint: itaque eam cogitationem omittat, et ad

INTERPR. [a] *Draskowitz, evêque des Cinq Egliſes.* [b] *Inſpruck.*

ad concilii celebrationem ſerio ſe accingat, libertate antiqua omnibus integra, ut res recte, ordine et legitime in eo peragantur, et adverſariis anſam calumniandi quaerentibus os obſtruatur: facturum autem e munere ſuo, ſi ipſe concilio intereſſe per valetudinem queat; quod ut facere dignetur, enixe rogat: ſe quoque ipſum, ſi ita ſtatuat, eo venire paratum oſtendit; quo uterque praeſentia ſua commune negotium adjuvare, et pontifex in primis difficultates per abſentiam ſuam exortas componere ac decidere poſſit. Fiduciarias item eidem Draſcovitio ad Lotharingum cardinalem dat literas, et exemplum ſuperiorum ad pontificem literarum mittit; rogatque, ut, juxta datam in colloquio noviſſimo, cum Oeniponrem ad ipſum ſuperiore anno veniſſet, nomine regis fidem, in promovendis iis, quae ad laudem ac gloriam Divini Nominis et Chriſtianae reipublicae ſalutem pertinent, ſecum conjunctus eſſe velit. Sub id tempus Hercules [a] Gonzaga concilii praeſes, et Hieronymus [b] Seripandus [c] Tridenti deceſſere: ille quidem VI Non. Mart. hic XVI Kal. Apr. in quorum locum ſuffecti Joannes [d] Moronus et Bernardus [e] Navagerius cardinales. Et pontifex quidem, qui ultra modum Ferdinandi a noſtris, ut rebatur, ſuſcitati literis commotus fuerat, Moronum [f] Oenipontem uſque excurrere jubet, ut de Caeſaris conſiliis cum cardinali Lotharingo initis coram plenius cognoſceret. Is igitur, qua erat rerum agendarum ſolertia praeditus, Zachariae [g] Delfini, qui pontificis res apud Caeſarem procurabat, interventu, cum ipſo agit: et, facta ſpe, fore ut ei in ſuae ditionis populorum gratiam privatim ſatisfieret, optimum principem a conſiliorum cum rege conjunctione paulum alienat; eoque adducit, ut aſſentiretur, ut, quae in concilio decernenda eſſent, ea tantum proponentibus pontificis legatis decernerentur, ex conſenſu tamen oratorum ſuorum ac principum, et re cum ipſis prius communicata. Id etiam impetravit, ut, quod noſtri urgebant de eccleſiae emendatione, ut in membris ſic etiam in capite, mentio induceretur; et, ne ea, quae decreta fuerant, rurſus retractarentur. In bonam item partem accepit Caeſar pontificis excuſationes, cur ad concilium venire non poſſet; ob idque ipſe eo proficiſcendi conſilium omiſit. Quibus actis, Moronus ſtatim Tridentum revolat; et, pontifice de colloquii cum Caeſare exitu certiore facto, ad concilii longo tempore intermiſſi celebrationem ſerio ſe accingit: et pontifici auctor fuit, ut in emendationem, ad cujus nomen pontificiae ditionis epiſcopi antea cohorteſcebant, conſentiret; nec pontifex, jam placato et a noſtris partibus alienato Caeſaris animo, abnuit: miſſoque Ludovico [h] Antenoreo patritio Florentino, juvene impigro, negotium Morono dat, ut emendationem perſequeretur, et quanta celeritate poſſet finem concilio imponeret; quod, quam lente et anxie inchoatum, tam praecipiti feſtinatione poſt Moroni adventum ad exitum perductum eſt. Aliquanto tempore poſt, revocato ob alia negotia [i] Piſcario, Claudius Ferdinandus [k] Quignonius Lunae comes, Philippi ad Caeſarem orator, Tridentum venit; qui conſilia cum cardinali Lotharingo conferre juſſus, eique in omnibus praeſto eſſe, et hoc in primis conjunctis votis urgere, ut decretum initio factum, quo nihil niſi proponentibus legatis in concilio agitari debere ſancitum erat, tanquam libertati legitimae contrarium revocetur, aut, ſi id obtineri non poſſit, ſaltem a ſynodo declaretur, non intelligi eo praejudicium publicae libertati factum, quo minus liceat volentibus, quae ex reipublicae Chriſtianae utilitate eſſe videbuntur, proponere. [α] III Kal. Quintil. quae dies B. Petro ſacra eſt, re nemini a legatis pontificiis communicata, neque prius monitis oratoribus regiis, ſic enim mandaverat pontifex,

VAR. LECT. [α] *Producta haec narratio de praecedentia, 38 lineis comprehenſa, uſque ad* Petrus Fontidonius, *in ſupplemento, juſſu auctoris edito, omittitur: ejus vice verba tantum ſequentia reperiuntur:* Quignonio locus ſeorſim ab aliis oratoribus in conſeſſu datus, connivente Lotharingo cardinali, et noſtris ob viri auctoritatem jam tum manus dantibus.

INTERPR. [a] *de Gonzague, cardinal de Mantoüe.* [b] *le cardinal Seripando.* [c] *Trente.* [d] *Morone.* [e] *Navagero.* [f] *Inſpruck.* [g] *Delfino.* [h] *Antenori.* [i] *il marcheſe di Peſcara.* [k] *Quinones, Conde di Luna.*

pontifex, Philippo gratificari cupiens, ex intimo ſacrario, cum jam ſacrum celebra- CIↃIↃLXIII.
retur, coram ipſis legatis, antiſtitibus, principum oratoribus, ſella, ex ſerico villoſo CAROLUS IX.
nigro a magiſtro ceremoniarum, quem in uſum ignaro, promitur, et infra cardina-
leis ante patriarchas ſtatuitur; ſubitoque ex compacto ſuperveniens Lunae comes
Philippicus orator, qui nunquam antea hujuſmodi conventibus interfuerat, in ea
ſedit. Heic ad rem inopinatam murmure haud occulto inter aſtanteis exorto, car-
dinalis Lotharingus et regii oratores ſe reſpicere, Lotharingus mirari et cum legatis
expoſtulare, quod inſcio ſe et oratoribus regiis id actum eſſet. Et, cum de thuricre-
matione et patina ad oſculum praebenda amplius angeretur, illi a legatis reſponſum,
fore, ut eodem tempore duobus thuribulis ac totidem patinis res conficeretur. Tum
eo magis animi diſcruciari noſtri oratores, cum nulla ratione adduci poſſent, ut de
jure ſuo et antiqua poſſeſſione aliquid concederent. Tantoque tumultu res inter has
contentiones uſque ad concionem agitata, ut, in intimum ſacrarii pergentibus lega-
tis et Caeſareo oratore ac [a] Ferrerio, poſt eam vix tandem finitam ſymboli recitatio
intermiſſa ſit. Tandem, omiſſa thuricrematione et patinae praebitione, ſacrum per-
actum: ſtatimque Philippici magno comitatu diſceſſere, quaſi de ſubacta nominis
Franco-gallici dignitate triumphantes; magnumque ſe illa die operae pretium feciſſe
exiſtimantes, revocata in dubium ad hoc uſque tempus incontroverſa regis Chriſti-
aniſſimi ſedendi in publicis conventibus praerogativa. Nec minima ſane legati ponti-
ficii invidia apud omnes laborarunt, qui clandeſtina veluti cum Hiſpanis machinatione
regi pupillo viduaeque matri tam inſigni praejudicio illuſiſſent; neque aliud excuſati-
onis loco aiebant, quam ita ſibi a pontifice, cui parere neceſſe haberent, injunctum
eſſe. Ferrerius contra palam vociferari, nec ferendam regi injuriam dicere, jamque
ſe proteſtari paratum, non de concilio, cui libertas amplius ſua non conſtet, non de
legatis, qui nudi iniquae pontificis voluntatis ſint executores, non de Philippo aut
Luna ejus oratore, quippe qui jus ſuum perſequatur, ſed de homine privato, qui ſe
pro pontifice gerit, cum ſit vitio et foeda nundinatione creatus, deque ſciſſura ab eo
facta, cujus certas et indubitatas rationes ac probationes penes ſe habeat: inſuper et
de appellatione ad futurum pontificem vere et legitime electum, ad verum item et
legitimum concilium, injecta mentio. Cardinalis Lotharingus longo poſt tempore
pridie Kalendas Sextil. ad pontificem literas querimoniae in ſpeciem plenas dedit;
quibus non tam de injuria regi quam ſibi facta viſus eſt expoſtulare, quod re minime
ſibi in tempore communicata factum eſſet, ut negotium, cujus ipſe inter principes
componendi rationes inire potuiſſet, non eum, quem pontifex optaſſet, exitum ha-
buiſſet. [a] Petrus [b] Fontidonius Segovienſis orationem Philippi nomine habuit valde
magnificam; in qua regis ſui ſtudium praecipuum erga religionem ultra modum ex-
tulit, et in coercendis Sectariis ſeveritatem in primis commendavit: eo nimirum
conſilio Mariam Angliae reginam uxorem duxiſſe, ut religionem in florentiſſimo illo
regno inſtauraret: exprobrato item potius quam commemorato in ſummiſſis nuper
regi auxiliis beneficio, vanitate gentili addens, virtute acerrimorum illorum, quam-
vis exiguo numero eſſent, religionis propugnatorum factum, ut victoria ad regem
inclinaverit. Tum patres ad continuandum et fauſto fine peragendum concilium
nec ulla ratione intermittendum hortatur; in quo non ſolum de depravatis moribus,
ſed de doctrina agatur: illamque ſententiam diligenter expendendam iis monet, ob-
lique noſtros et Germanos perſtringens, qui multa nunc Chriſtianae religionis hoſti-
bus putant indulgenda, quo benignitate victi ad eccleſiae ſinum revertantur. Ea
ſententia vehementi oratione exagitata, tandem ſubjicit, ad pontificem pertinere,
ſic

VAR. LECT. [a] *xii Kal. Jun. ex Suppl.*

INTERPR. [a] *du Ferrier.* [b] *Fuentiduegna, natif de Segovie en Caſtille.*

CIƆIƆLXIII. CAROLUS IX.

ſic Sectariorum ſaluti eccleſiaeque majeſtati conſulere, ut omnia ex hujus potius dignitate quam ex illorum libidine geri videantur. Poſtremo ad ſeveritatem regis ſui exemplo incitat, et ut, vitiis internis, quae jam patent et in omnium conſpectu ſunt, emendatis, ira Dei placata, praeſentibus malis remedium mature adhibeant. Interea, facta in Gallia pace, cum ea, quae pro regni bono et propter extremam neceſſitatem acta fuerant, in reprehenſionem incurſura appareret, negotium datum fuerat cardinali Lotharingo, ut propoſito periculo, quod regno ab armis civilibus impendebat, factum apud patres excuſaret, et eam regis mentem eſſe oſtenderet, ut, diſſipatis per pacem factionibus, eccleſiae paci ſerio incumberet. Sed, cum, aemulorum et Gallici nominis hoſtium aſtu, juſtas facti excuſationes ſecus accipi Catharina intelligeret, eo virum dignitate ac rerum uſu praecellentem mittendum cenſuit, qui et apud patres nomine regis et inde in Germaniam tranſiens apud Caeſarem et regem Romanorum idem munus obiret. Is fuit Renatus [a] Biragus curiae Subalpinae praeſes; cui hoc praecipue in mandatis datum, ut patribus perſuaderet, non eam regis reginaeque matris mentem eſſe, ut novam religionem in regno conſtituant, aut adoleſcere et creſcere patiantur, ſed potius ut, depoſitis armis et ſedatis tumultibus, minori negotio et eadem prorſus ratione, quae a majoribus ſervata fuit, eos, qui ab eccleſia receſſerunt, in viam et ad ejuſdem catholicae religionis unitatem reducerent: id autem non aliter fieri poſſe, quam liberi ac legitimi concilii auctoritate, ſive nationalis ſive univerſalis; et tutius quidem videri, ut negotium per concilium univerſale tranſigatur; ſed opus eſſe, ut ad id veniendi libertas et ſecuritas omnibus concedatur; quod quamvis non dubitet abunde a pontifice ac patribus factum, tamen obſtare loci commoditatem, in Italia potius quam Germania ſiti, quo minus idonee ſibi cautum exiſtiment Proteſtantes: nam cupere illos, ut in Germania concilium celebretur; nec aliter ſibi tutum ad illud acceſſum patere, non ſolum Germanos, ſed Anglos, Scotos, Danos et Suecos exiſtimare; quos inauditos condemnari, non ſolum iniquum ſed infructuoſum ſit; quippe concilii hunc exitum pios optare, ut omnes ad unitatem adducantur; qui contra a nobis omnino in poſterum alienabuntur, ſi ſe negligi et loci incommoditate a concilii acceſſu excludi videant. Nam credere illos concilii decretis parituros, in quo non auditi aut admiſſi fuerint, eſſet ſimplicis et creduli nimium ingenii: cum contra ſumme verendum ſit, ne exaſperatis animis patientiam in furorem vertant, ſcriptiſque virulentis concilii decreta proſcindant et apud poſteritatem traducant. Itaque mandatum Birago fuerat, ageret cum patribus, ut cum bona eorum et pontificis gratia concilium in Germaniam transferretur, et [b] Wormatiae, Spirae, Baſileae aut Conſtantiae celebraretur. Quibus [c] Tridenti nullo fructu actis, Biragus [d] Oenipontem petit, et cum Caeſare poſt ſolitas de filii electione gratulationes de concilii tranſlatione agit; inde ad Maximilianum tranſit, et regis nomine ei de fauſta in regem Romanorum electione gratulatur, proque ſalutari conſilio de pace in regno ſtabilienda gratias agit, quod tanquam ab amico et ſapiente principe profectum rex amplexus ſit: nunc ſupereſſe, ut rebus pacatis in negotio religionis omnes conjunctis votis et conſiliis incumbant, ut ad Dei gloriam et Chriſtianae reipublicae tranquillitatem concilium legitimum, ad quod omnes libere accedant, celebretur: quod ut commodius fiat, locum minime partibus ſuſpectum in Germania deligendum. In eam rem miſſus eodem tempore in Hiſpaniam Henricus [e] Clutinius Oiſellius, et ad pontificem [f] Ivo Alegrius: qua re pontifex, jam ob pacificationem Gallicam irritatus, ultra modum exarſit; et, cum epiſcoporum ipſorum de ſectaria labe ſuſpectorum, qui in aula et conſiſtorio regis plurimum poſſent, id ſuggeſtione fieri putaret, eos quamprimum aggredi ſtatuit, ut aut praepoſtero juris ordine damnatos de gradu dejiceret, aut ſaltem fulminatis contra eos decretis ipſos in

INTERPR. [a] *de Birague, preſident au ſenat de Turin* [b] *Wormes, Spire, Baſle, & Conſtance.* [c] *Trente.* [d] *Inſpruck.* [e] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [f] *Ives d'Alegre.*

Digitized by Google

in religionis cauſa ſuſpectos et eorum conſilia irrita in poſterum [a] redderet. Sic autem pontifex rem executus eſt. Ad factae in Gallia pacis famam, diplomate VII Eid. April. emiſſo, facultatem facit cardinalibus, Chriſtianae reipublicae generalibus inquiſitoribus, ut omneis et ſingulos haereticos et haereticorum fautores, receptatores et auxiliatores de hoc crimine ſuſpectos in provinciis ac locis, in quibus Lutherana labes invaluit, et ad quae ob ipſorum Sectariorum frequentiam notorium eſt tutum aut ſaltem liberum non patere acceſſum, commoranteis, etiamſi epiſcopali, archiepiſcopali, patriarchali vel etiam cardinalatus dignitate praefulgeant, nullis aliis deſuper habitis ſuper tuto vel libero acceſſu probationibus, ſummarie et extra judicium, quantum ipſis inquiſitoribus ſatis eſſe videbitur, prius tamen receptis indiciis, etiam per edictum in valvis palatii ſanctae inquiſitionis et baſilicae principis apoſtolorum et plateis in urbe ſolitis vel in locis finitimis affigendum et publicandum citent, moneant, requirant, ut intra certum et competentem terminum inquiſitorum arbitrio praefigendum, ſub excommunicationis latae ſententiae, ſuſpenſionis et aliis juris poenis, coram ipſis perſonaliter et non per procuratorem, defenſorem vel excuſatorem compareant; et, ſi non comparuerint, de iis in ſecreto conſiſtorio teſeratur, et ſententia in abſenteis tanquam convictos decernatur: idque ſancitum cum clauſula derogatoria. Hac quantumvis contra leges muniti potentia inquiſitores protinus citant quoſdam epiſcopos, edictis loco et tempore, quibus per diploma licebat, propoſitis; et in iis Odetum [a] Colinium Caſtellionaeum cardinalem, qui partes Proteſtantium ſecutus fuerat, et ex epiſcopo Bellovacenſi comes [b] Bellovacenſis a ſuis appellabatur, [c] Sanromanium Aquenſem archiepiſcopum, Joannem [d] Monlucium Valentiae epiſcopum, Joannem Antonium [e] Caraciolum principis Melfitani filium Trieaſſinum, Joannem [f] Barbanſonum Apamcenſem, Carolum [g] Gillarium, Carnutum epiſcopos. Poſtremo pontifex, quaſi gradu per epiſcopos ad principes facto, Joannam [h] Labretanam Navarrae reginam Antonii Borbonii viduam injuſto juxta et injurioſo diplomate IIII Kal. Oct. emiſſo Romam citavit; et, ni intra VI menſeis compareret, tanquam convictam proſcripſit, dignitate regia privavit, ejuſque regnum, principatus ac ditiones ampliſſimas occupantis eſſe pronunciavit. Quod rex, regina ac ceteri proceres indigniſſime tulerunt: et, diplomate in conſiſtorio regis publice lecto, res maximi momenti et digna viſa eſt, de qua rex graviter apud pontificem expoſtularet, et juſtas doloris ex eo concepti cauſas ei aperiret. Itaque confecta ea de re mandata, et ad Henricum [i] Clutinium Oiſellium tunc Romae oratorem, qui [k] Inſulano nuper ſucceſſerat, miſſa; quorum haec ſumma erat: vix regem primis per libellos in Gallia ſparſis rumoribus fidem habuiſſe, donec programmata ipſa, Romae locis deſignatis affixa, in ſuas manus devenerint, ex quibus eum, quem par eſt, dolorem ceperit, ob eas, quas ſcripto comprehendi curaverit, cauſas: primum, quod, cum Navarrae regina dignatione ceteris regibus par et ab iis ſororis nomine cohoneſtari ſolita ſit, ejus perinde periculum ad illos pertineat; et exiſtimare debere cunctos, quod in illam decernitur, id exemplo in ipſos aliquando recidere poſſe; atque ideo tanquam fratres obligari ad ferendam ei opem in communi cauſa, et eo magis, quod nunc vidua ſit; ſed in primis regem ad id obſtringi, et arcta cognatione cum ea ex utroque latere conjunctum, et ipſius mariti agnatum, qui principem locum in regno ſecundum ipſius fratres tenuerit, et in bello contra Proteſtanteis ſuſcepto nuper occiſus ſit, liberis in pupillari aetate relictis; quorum natu

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [a] redderet: quod conſilium, a quibuſdam male erga patriam affectis Gallis perſuaſus, cepiſſe dicitur; atque in primis a Philiberto Baboo Burdeſeria cardinali, qui, cum nuper regis ad pontificem orator eſſet, prodita regis cauſa, praemii loco purpurei galeri decus, inſcio rege, meruerat. Sic autem *MS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Coligny, cardinal de Chaſtillon.* [b] *comte de Beauvais.* [c] *de St. Romain, archevêque d'Aix.* [d] *de Montluc, evêque de Valence.* [e] *Caracciol, (fils de Jean, prince de Melfi, mareſchal de France) evêque de Troyes.* [f] *de Barbançon, evêque de Pamiers.* [g] *Guillart, evêque de Chartres.* [h] *d'Albret.* [i] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [k] *de l'Iſle.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX. natu grandiorem rex in aula educari curet, ſicuti ipſius uterque parens olim et avus in ea educati ſunt: proinde regem periculum viduae matris in luctu conſtitutae et liberorum patre orbatorum negligere non poſſe, fidem ſuam et regum memoriam appellantium, qui Italiae, Germaniae, Hiſpaniae, Angliae et aliorum principum fortunas adverſis temporibus ſemper ſublevarunt: ſed praecipue in oculos incurrere Philippi [a] Audacis B. Ludovici filii factum, qui potenti exercitu Navarrae regnum legitimae heredi in pupillari aetate conſtitutae aſſeruerit, et ipſam in Galliam ſecum adduxerit, Philippo Pulchro poſtea matrimonio conjunctam, ex quo Joanna recto ſtipite deſcendat: ſic etiam olim Joannem Labretanum Joannae avum, non abſimili tempore, et caſdem fere ob cauſas, ob quas nunc ei bellum infertur, parte regni pulſum a Ludovico XII et ejus ſucceſſoribus ſuſtentatum ac defenſum: eandem gratiam ac benignitatem in Galliae regibus expertos ipſos pontifices; quos illi et ſede pulſos ſaepe reſtituerint, et contra hoſteis potenteis defenderint, et magna terrarum acceſſione dotaverint ac locupletaverint: et vero reginam vicinam ac regis foederatam eſſe, ut non niſi magno regni Franciae incommodo ei bellum inferri poſſit: regis item non mediocriter intereſſe, ut vicinos amicos habeat, de quorum quiete viciſſim ac ſecuritate curam gerere debeat, ut belli incommodum longius a finibus ſuis propulſetur: cum igitur videat diplomate illo hoc agi, ut veteres amici ditionibus ſuis expellantur, et novi in locum eorum ad libidinem conſtituantur, ejus rei ſenſum apud ſe acerrimum eſſe; et merito vereri, ne, quemadmodum eodem colore olim Hiſpani montana inſedere, tractu temporis etiam in plana deſcendant, et ita inter duos potentiſſimos reges, qui magno reipublicae Chriſtianae bono nuper in amicitiam coierunt, bellum aliquando recrudeſcat: poſtremo, cum regina ampliſſimarum ditionum ac poſſeſſionum ratione regni Francici beneficiaria ſit, ad regni jura pertinere, ne extra illud ex quacunque cauſa Romam aut alio traduci poſſit, nec per ſe vel procuratorem compareat, cum iis ipſis in cauſis, quae ad pontificis cognitionem per appellationes devolutae pertinent, regni ſubditi Romam ire cogi non poſſint, ſed pontifex judices in partibus dare teneatur: igitur id contra dignitatem regiam, jus ac ſecuritatem regni, ac regis ipſius exiſtimationem fieri. Quod ſi judicii forma inſpiciatur, quid a jure civili alienius, quam ut quis extra forum ſuum rapiatur, et inauditus damnetur? nam legibus cautum eſſe, ne extra juriſdictionis ſuae limites rei citentur, nec perfunctorie et obſcure ſed domui aut homini denunciatio fiat; et Bonifacii VIII conſtitutionem, qua ſancitur, ut citationes Romae locis et tempore in ea deſignatis factae valeant, perinde atque edicta olim a praetore proponi ſolita, ut nimis duram et injuſtam a Clemente V in Viennenſi concilio revocatam, ſaltem mitigatam eſſe, neque utendum hujuſmodi citationibus, niſi conſtet tutum ad reos acceſſum non eſſe; atqui in Gallia, ubi Navarra domicilium habeat, tutum acceſſum non eſſe, dici non poſſe. Deinde quid injuſtius et ab aequitate naturali magis alienum, quam reum inauditum damnari? id conciliis ac ſacris patrum decretis vetitum; et nobiliſſimum ejus rei exemplum apud Ammianum Marcellinum extare de Liberio papa, qui, [α] Conſtantio urgente ut Athanaſium damnaret, in exilium abire quam contra inauditum reum ſententiam ferre maluit. In judicio item contra Sixtum III inceſtus accuſatum inſtituto, id a Valentiniano Auguſto ſervatum, ut in ſynodo coram L epiſcopis citatus reſponderet. Eam ob cauſam acta contra Lotharium Ludovici Pii Auguſti filium delatum, quod duas uxores ſimul haberet, a Nicolao I facta, pro irritis habita: nec plus valere ſententiam adverſus reginam Navarrae latam; quippe abſentem et inauditam: cum honorem ſemper principibus detuliſſe pontifices, ut eos per legatos monerent, antequam quidquam in eos decernerent:

VAR. LECT. [α] qui, licet Ariana labe infectus eſſet, Conſtantio *ex Suppl.*

INTERPR. [a] *le Hardi*

nerent: ſic Alexandrum III, cum de Thomae [a] Cantuariae archiepiſcopi caede ageretur, duos cardinaleis in Angliam ad Henricum II regem miſiſſe, ut coram iis a criminibus objectis ſe purgaret: ſic nuper a Clemente VII in Henrici VIII cauſa factitatum eſſe, miſſo ad eum Laurentio [b] Campegio cardinali. Et, ut judicium rite factum concedatur, quomodo ferri poſſet, ut reginae bona, quae tanquam regni beneficiariae ad regem pertinent, in praedam exponantur, et occupantis eſſe pronuncientur? itaque ſic regem exiſtimare, pontificem falſis rumuſculis deceptum, et miniſtrorum non ſincera fide in eo negotio verſantium neque ad pacem publicam ſpectantium aſtu et fraude inſtigatum, ut ab inſita bonitate diſcederet, et ad conſilia ſibi dedecoroſa, ſuae et eccleſiae Romanae auctoritati damnoſa, et quae amicorum voluntates ab ipſo alienent, pacemque Chriſtianae reipublicae conturbent, animum inclinaret; idque ut ſibi perſuadeat, hac in primis ratione adduci, quod nuper tanto ſtudio Antonii reginae mariti, dum in vivis eſſet, cauſam (quam nunc poſt ejus mortem oppugnat) amplexus ſit, reſtitutionem occupati regni, et, ut ſaltem Sardiniae regnum compenſationis loco traderetur, apud Philippum urgendo: ſed nihil aeque regem offendere, quam quod, cum tot reges, principes, civitates, XL abhinc annis a Romana eccleſia defecerint, et in eandem culpam incurrerint, in eorum neminem hactenus eadem via ac ſeveritate animadverſum ſit; quos tamen, ſi jus aequum ſervetur, pro delicti antiquitate prius caſtigatos oportuit; ut hinc appareat, occaſionem ab inimicis captatam, qua viduam liberoſque ejus pupillos, dum rex minor annis, in quorum patrocinio illi erant, bellis civilibus diſtringeretur, quaſi facto impetu nec opinantes opprimerent: quo magis enitendum regi eſſe, quo inconſulto, haec accuſatio adverſus ſibi conjunctam reginam inſtituta ſit, ut eam ab injuria, ſe ſimul a contemptu vindicet. Et vero, ſi religionis cauſa et ad Dei gloriam accuſatio inſtitutā fuit, de animae ipſius ſalute, pontificem cogitare ante omnia decuit, et ex Dei verbo idonea remedia adhibere, non autem regna ejus ac ditiones proſcribere, et occupanti ad praedam exponere: nam ſupremam pontifici in id conceſſam poteſtatem, ut animarum ſaluti et Chriſtianae tranquillitati conſulat, non ut principes regnis exuat, et de eorum poſſeſſionibus pro arbitrio ſtatuat; quod non niſi ſummo eccleſiae dedecore et quietis publicae detrimento in Germania et alibi ſuperiores pontifices fecere: proinde rogare regem ea qua poteſt et debet demiſſione, ut ſententiam contra reginam latam revocet, omnemque cauſae hujus cognitionem miniſtris ſuis interdicat, teſtimonio publico ea de re edito; ni faciat, regem non ſponte ſed coactum remedia in ſimilibus cauſis a majoribus ſuis uſurpari ſolita, juxta regni jura ac leges, adhibiturum: ſed ante omnia proteſtari, invitum ſe facturum, ut, quod culpae eorum, qui temeritate ſua ei hanc neceſſitatem imponunt, attribui debet, poteſtate a Deo conceſſā et implorata amicorum ope in tam juſta cauſa uti cogatur. Seorſim alia ampliora mandata pro epiſcoporum cauſa ad [c] Oiſellium miſſa: in quibus de legitima pontificum poteſtate, imperatoris ac regum etiam in cauſis eccleſiaſticis auctoritate, de libertatibus, juribus et immunitatibus eccleſiae Gallicanae multa inſerta erant: cumulata et in eam rem Pariſienſis curiae ſenatuſconſulta, exemplo etiam Maximi [d] Valentiae epiſcopi in medium adducto, qui cum plurium criminum poſtularetur, cognitionem tamen rei [illegible] eccleſiae Gallicanae epiſcopos pertinere Bonifacius I pronunciavit; id conſtare ex Bonifacii ipſius teſtimonio in Ivonis [e] Carnutum epiſcopi decretum relato, parte V, capite CCLXXI. His mandatis inſtructus Oiſellius, homo vehemens et impiger regis miniſter, pervicit apud pontificem, ut judicialia contra epiſcopos acta omitterentur, et ſententia contra Navarrae reginam lata revocaretur atque omnino aboleretur. Quod et obtinuit. Nam ne hodie

INTERPR. [a] *Canterbery.* [b] *Campeggio.* [c] *le ſieur d'Oiſel.* [d] *Valence.* [e] *Chartres.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX.

hodie quidem inter Pii IIII conſtitutiones reperitur. Cum vero petitionibus, quas modo retulimus, a concilio non ſatisfieret, regina XV Kal. Jun. ad [a] Lanſacum dederat literas; quibus de protelatione ac dilatione illa acerbe conquerebatur, ac fore dicebat, ut ſpes de concilii ſucceſſu in piis mentibus concepta et opinione integritatis eorum, qui eo convenerant, paſſim excitata ſine fructu evaneſceret, et diſſimulatione ac conniventia magis ac magis iram Dei in nos inflammaret, qui res ſacras emendatione ac ſevera caſtigatione egere cunctis manifeſtum fecerit, ob idque ad concilium celebrandum tot vitae ſanctimonia et eruditione praeclaros viros ex omnibus orbis partibus invitaverit ac coegerit; cumque videat nos nihilominus tam contumaciter ejus voluntati reluctari, non poſſe non graviſſima in eos, qui tam ſanctum opus et paci eccleſiae neceſſarium remorantur, poena animadvertere: ea de cauſa regem ad cardinalem Lotharingum perſcribere, ut antiſtitum Gallicanorum, qui Tridenti ſunt, concilium cogat, et, habita matura deliberatione, apud patres inſtet, ut petitionum nuper regis nomine propoſitarum ratio habeatur, et de iis quamprimum decernatur. Eadem die regis ad cardinalem Lotharingum in eam rem datae literae. Verum ille, qui pontificis gratiam publicae rerum noſtrarum ſaluti ipſiuſque regis voluntati anteponeret, diem de die ducendo, ad ultimum, ut ex occaſione ſpem illam omnino fruſtraretur, cum bona regis venia ad pontificem proficiſci ſtatuit, per abſentiam ſuam ratus, nihil a regis oratoribus in eo negotio factum aut innovatum iri. Haud multo poſt, impetrata a rege venia, et Lanſacus Galliam repetivit. Cum igitur Lotharingus XIIII Kal. Oct. [b] Tridento diſceſſiſſet, abductis ſecum [c] Ebroicenſi, Meldenſi, Sueſſionenſi, Dolenſi, Cenomanenſi et Tutelenſi epiſcopis, interea inſtantibus legatis regiis, ut in rei eccleſiaſticae ac morum emendationem ſedulo incumberetur; patres, ut regis Chriſtianiſſimi juſtas petitiones eluderent, de libertate et immunitatibus eccleſiaſticis contra omnia omnium regnorum, ditionum ac principum privilegia, libertates, juriſdictionem ac legitimam poteſtatem aliquot decreta confecere; in quibus multa erant, quae ſpeciatim regem Chriſtianiſſimum ſpectabant. Qua re eum ſibi ac [α] regi illudi viderent, Arnoldus [d] Ferrerius et [e] Vidus Faber, acceptis a rege, quem ante de re omni certiorem fecerant, literis ac mandatis, magis opportuno quam captato tempore, dum cardinalis Lotharingus Romam profectus abeſſet, interceſſerunt. Ad eos rex [f] Silvani fano V Kal. Sept. dederat literas, quarum ſumma erat: jubere regem, ut petitionibus propoſitis inſiſterent; quibus ſi ſatisfiat, ſuo nomine pollicerentur, ſe nulli Chriſtianorum principum pietatis fervore et propenſa voluntate in promovendo concilii negotio ceſſurum; ſin, quod hactenus factum ſit, levi manu inſanabilia vulnera tractentur, et, faſciata tantum non curata plaga, vera ac neceſſaria remedia omittantur; cumque de eccleſiaſticae rei emendatione agatur, in principum potentiam conciliariorum decretorum acies torqueatur; nolle, ut praeſentia legatorum ſuorum, magno ſuae ac regni dignitatis et libertatis praejudicio, decretis injuſtis auctoritas accedat: ad ſeque eſſe perlatum, in concilio de matrimonio [g] Antonii Borbonii et Joannae uxoris tanquam illegitimo declarando et Henrico ipſorum filio ſpurio pronunciando actum eſſe; quibus actis nolle ut ipſi interveniant: itaque jubere, ut, poſt repetitas juxta illa mandata petitiones, niſi partes iis acquieſcant, quamprimum Tridento relicto Venetias concedant; ibique nova mandata opperiantur. Mandatis item continebatur; regis unicum votum fuiſſe et nunc eſſe, ut per ſeriam eccleſiaſticae rei ac morum emendationem, quorum depravatione factum eſſet, ut multi ab eccleſia Romana defeciſſent, accedente univerſalis concilii auctoritate, inter diſſidentes de religione ſententias

tentias

VAR. LECT. [α] regi impudenter illudi *ex Suppl.*

INTERPR. [a] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [b] *Trente.* [c] *les evêques d'Evreux, Meaux, Soiſſons, Dol, le Mans, & Tulle.* [d] *du Ferrier.* [e] *du Faur, ſieur de Pibrac.* [f] *St. Silvain.* [g] *Antoine de Bourbon, roy de Navarre; & Jeanne d'Albret.*

tentias concordia ſarciretur; eaque de re procuratores ſuos ac internuncios ſaepius cum pontifice et patribus egiſſe, petitionibus propoſitis, quibus hactenus minime ſatisfactum ſit: ſed praeter ſpem accidiſſe, ut leviter tractato emendationis negotio, in principum jura, libertates, potentiam, patres eam, quam non habent, poteſtatem exercerent: id vero ipſos neque poſſe neque debere neque ipſorum fori eſſe, ut in civilem adminiſtrationem inquirant, conſtitutionibus et conſuetudinibus, in quarum poſſeſſione principes a longo tempore ſint, derogent, aut ipſos principes diris devoveant; quae omnia ad ſeditionem et publicae tranquillitatis perturbationem cum pertineant, non paſſurum regem auctoritatem, quam a majoribus integram accepit, injuſtis eorum cenſuris convelli; imo jubere, ſi patres ulterius in labefactanda regia poteſtate et dignioris loci praerogativa in dubium revocanda pergant, ut ipſi intercedant, et Tridento diſcedant; moneantque interim antiſtites Gallos et theologos, qui iſthic ſunt, ut emendationem, bono regni ob religionis cauſam ſciſſi et tot animarum, quae ſe a reliquo corpore ſejunxerunt, ſolario inſtitutam, quantum poſſint, ſincere et ſedulo urgeant; ob idque Tridenti maneant: regem ita velle: et ipſorum prudentiae ac conſcientiae committere, ne deliberationibus, quae regis regnique dignitati ac praerogativae praejudicant, interſint, aut eas ſuffragio vel praeſentia ſua comprobent. Ad extremum, ne poteſtas ſua ob aetatis defectum in dubium revocari poſſet, per legatos ſuos patribus ſignificandum curat, quomodo poſt [a] Franciſcopolim ex Anglis receptam ipſe [b] Rotomagi majorem ſe declaraverit, frequenti principum, procerum, nobilitatis ac populi corona, et magno omnium ordinum conſenſu. Secundum haec legati x Kal. Oct. cum viderent nullum finem procraſtinationibus et affectatae patrum morae fieri, interim urgeri illa contra principum ac regni Galliae in primis dignitatem ac libertates propoſita ab epiſcopis pontificis emiſſariis capita, in conſeſſum veniunt; ubi Arnoldus [c] Ferrerius hanc orationem habuit. Liceat, patres ſanctiſſimi, nobis oratoribus regis Chriſtianiſſimi iiſdem verbis nunc vobiſcum agere, quibus olim egerunt Judaeorum oratores cum Aggaeo, Malachia et Zacharia, ultimis prophetis, et aliis Dei adminiſtris, qui tum Hieroſolymis convenerant: Num jejunabimus et flebimus quinto adhuc et ſeptimo menſe? ſiquidem CL anni elapſi ſunt, ex quo reges noſtri petierunt a pontificibus eccleſiaſticae diſciplinae jam tum labentis reſtitutionem, miſſis oratoribus ad ſynodum Conſtantienſem, Baſileenſem, Lateranenſem et Tridentinam; primum, Jo. Gerſone magni nominis theologo, et, haud ita diu eſt, Petro [d] Daneſio eruditiſſimo viro epiſcopo Vaurenſi, nunc vero illuſtriſſimo cardinali Lotharingo, [e] Vido Fabro eloquentiſſimo collega meo: quorum orationibus nihil aliud efflagitatum, quam ut de eccleſiae miniſtrorum emendandis moribus ſerio ageretur: et tamen adhuc nobis jejunandum et flendum eſt, non ut illi Judaei quinto et ſeptimo menſe, ſed totos jam CC annos; atque utinam non CCC et multo amplius. At, inquiunt, vobis abunde ſatisfactum eſt IIII ſeſſionibus, tot anathematis, ac dogmatum deciſionibus. Et certe fatemur, ſi aliud pro alio ſolvere, invito creditore, jus eſt, nobis ſatisfactum eſſe: ſin minus, adhuc creditores ſumus; quos nunquam anathemata et dogmatum definitionem poſtulaſſe ſcitis: teſteis appello vos, illuſtriſſimi legati, quibus ſeptuagies ſepties hoc ipſum praediximus, vos item, clariſſimi Caeſareae majeſtatis oratores, quibuſcum regis noſtri juſſu ſaepius mandata noſtra communicavimus: ſciunt et hoc veſtrum complures, patres ſanctiſſimi, Itali et Hiſpani. Verum habenda fuit illorum ratio, qui dogmatum definitionem urgebant: quod et nos concedimus, modo et nobis concedant, in judicio familiae erciſcundae ſemper filii primogeniti, hoc eſt, regis Chriſtianiſſimi habendam eſſe rationem. Quod vero libello ſuperiore menſe propoſito plane in eo ſatisfactum dicant, id cum minime nobis videretur, ne tamen in

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Havre de Grace.* [b] *Rouen.* [c] *du Ferrier.* [d] *Danès, evêque de Lavaur.* [e] *Guy du Faur.*

CIↃIↃLXIII.
Carolus IX.

in re tanti momenti nimium judicio noſtro tribueremus, libellum cum brevibus notis ad regem quam expeditiſſime miſimus; qui, conſultis principibus ac proceribus ſecretioriſque concilii prudentiſſimis ſenatoribus, nobis reſcripſit, nihil in eo reperiri, quo Catholici homines per Galliam in officio retineantur, adverſarii concilientur, aut confirmentur infirmi; pauca adeo in eo eſſe, quae cum antiqua patrum diſciplina conveniant, multa vero, quae ei adverſentur: non eſſe illud tanto tempore expetitum Eſaiae emplaſtrum ex maſſa caricarum confectum, quo reipublicae Chriſtianae vulnera ſanarentur: immo magis Ezechielis opus tectorium, quo etſi ſanata eſſent, vulnera rebellarent ac recrudeſcerent: quae vero de principibus diris devovendis et a communione Chriſtiana removendis adjecta ſunt, eſſe ſine ullo veteris eccleſiae exemplo, et in hoc tanto ob religionem diſſidio ſeditioſis hominibus, quorum hodie nimis magna copia eſt, latiſſimam per ea feneſtram ad defectionem aperiri: dein, quod de principum emendatione ſubjicitur, eo pertinere, ut antiquiſſima eccleſiae Gallicanae libertas omnino tollatur, et regum noſtrorum minuatur ac convellatur auctoritas: nam multa eos, cum in fide et obſequio Romanae ſedis et pontificum permanerent, de rebus ſacris decreviſſe, et, exemplo Conſtantini Magni, Theodoſii, Valentiniani, Juſtiniani et aliorum imperatorum, permultas leges condidiſſe, quas ipſi pontifices in decreta ſua retulerint, praecipuoſque illarum auctores, Carolum Magnum et Ludovicum IX, divorum nomine dignos cenſuerint: poſtea ex earundem legum praeſcripto antiſtites apud nos eccleſias pie et Chriſtiane rexiſſe; neque tantum poſt tempora pragmaticae ſanctionis, quod plerique falſo exiſtimant, aut poſt pacta conventa Leonis X et Franciſci I, ſed CCCC amplius annis ante editum Decretalium volumen has leges viguiſſe: dein ſuccedentibus et in earum locum ſubſtitutis Decretalibus magno eccleſiae Gallicanae odio antiquatas fuiſſe: poſtea edictis Philippi Pulchri, Philippi Valeſii, Caroli V, Caroli VI, Caroli VII reſtitutas ac defenſas; nunc quoque Carolum, cujus nominis regibus ſingulari Dei providentia religio Catholica in Gallia praecipuae curae fuit, majorem declaratum, velle leges libertateſque eccleſiae, etſi proximis temporibus nonnihil malignitate et ambitioſorum hominum importunitate labefactatas, poſteris ſuis ſartas tectas relinquere: nihil quippe in illis eſſe, quod eccleſiae univerſalis doctrinae, antiquis pontificum decretis et oecumenicis ſynodis repugnet; quod ex enumeratione ſpeciali facile eſt intelligere. Et, ne ſingula attingam, et tamen de iis, quae maxime eo libello convelluntur, aliquid dicam, antiquiſſimam appellationem *ab abuſu* eſſe conſtat: quo remedio Galli ſoliti ſunt eludere, non pontificem, cui praecipuum ſemper honorem detulerunt, ſed praeter illius mentem contra ſanctiſſima eccleſiae decreta ac regis conſtitutiones impetrata diplomata. Praeterea ſi qui ſunt, qui velint impedire aut prohibere, quo minus reges Chriſtiani, inſtante neceſſitate, ſubditorum ſuorum bonis, proventibus et eccleſiaſticis vectigalibus libere uti poſſint, ii ſciant, per poteſtatem et auctoritatem, non ab hominibus ſed a Deo datam, leges item Galliae antiquiſſimas et eccleſiae Gallicanae libertatem, id illis licere. Itaque non ſatis mirari rex poteſt, quomodo vos, patres ſanctiſſimi, qui tantum veſtri cauſa, hoc eſt, reſtituendae diſciplinae eccleſiaſticae ergo, huc conveniſtis, re infecta, ad eorum emendationem, quibus etiam dyſcolis obediendum, et pro quibus ſemper orandum eſſe praecipit ſine diſtinctione B. Paulus, ſtudia veſtra tranſtuleritis. Id vero multo minus ferre poteſt, ut reges ac principes, qui, qualeſcunque ſunt, et a Deo ſunt et a Deo hominibus dantur, primo quoque tempore, quod ne in plebeium quidem hominem, niſi in graviſſimo delicto perſeverantem, jure licet, veſtris ſuffragiis ab eccleſiae communione excludatis. Nam neque Michael Archangelus Diabolo, neque Michaeas aut Daniel Achabo et Nabuchodonoſoro, quantumvis impiis regibus, auſi ſunt maledicti notam impingere; neque vos, patres ſanctiſſimi, vos inquam eccleſiae militantis columina, decuit, principes

eccleſiarum

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

eccleſiarum alumnos ac nutricios, regem denique Chriſtianiſſimum, in quem praecipue jura regni et antiquiſſimas majorum ſuorum leges, hoc eſt, eccleſiae Gallicanae libertates propugnantem haec faba cuditur, ditis devovere. Atqui, ſi veterem eccleſiae diſciplinam reſtituere, adverſarios ad unitatem ac reſipiſcentiam revocare ac cogere, reges ipſos, quod adeo ambitis, emendare vultis, in Ezechiam illum regem optimum inſpicite; qui, ut corruptos eccleſiae mores corrigeret, non ſolum non fecit, quod Achazus pater impius, ſed ne id etiam, quod pii reges Joathan avus, Azarias proavus, Amazias abavus et Joas atavus fecerant (ii enim excelſa non everterant,) verum ad majores aſcendit, et exemplum Joſaphati, qui altaria ſuſtulit, ſibi propoſuit. Ita hodie proponendi ſunt vobis, non patres, non avi, non proavi: nam, etſi doctiſſimi fuerunt, tempora tamen noſtra turbulentiſſima non viderunt: verum enitendum eſt altius ad majores, ad Ambroſium dico, Auguſtinum, Chryſoſtomum et illius temporis epiſcopos; quibus idem fuit olim negotium cum Donatiſtis, quos, licet plures numero Catholici eſſent, non tamen armis vicerunt, aut principes ad bella incendendo, et interea reduvias curando, ſed oratione, bono vitae exemplo, et aſſidua puraque verbi divini promulgatione. Sic boni illi patres, cum ſe prius Ambroſios, Auguſtinos et Chryſoſtomos formaſſent ac praeſtitiſſent, eccleſiam purgarunt; et principes Theodoſios, Honorios, Arcadios, Valentinianos et Gratianos effecerunt: quod et vos facturos non deſperamus; atque, ut faciatis, oramus Deum optimum maximum patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Atque, ut finem dicendi faciamus, haec ſumma regis mandatorum ac votorum eſt; ut nihil contra majorum ſuorum leges, nil contra ſuam auctoritatem Gallicanaeque eccleſiae libertatem decernatis: ſi contra feceritis, ut nos decretis veſtris intercedamus, ſicuti nunc intercedimus: ea tamen conditione, ſi, omiſſa regum cauſa, in id tantum, cujus cauſa huc conveniſtis, ſerio incumbere placuerit, ut ejuſdem operam, ſtudium, gratiam ad promovendum concilii, in cujus expectationem erecti ſunt omnium gentium animi, negotium, et noſtram, ſi qua eſt, induſtriam ac diligentiam, vobis deferamus. Deſinens, cum coelum et terram de petitionis atque adeo proteſtationis ſuae aequitate appellaſſet, immane quam patres commoti ſunt; cum Itali, tum vero ex noſtris Nicolaus [a] Pellevaeus archiepiſcopus Senonenſis, et Hieronymus [b] Sucherius Clarevallenſis abbas, ambo ſtrenui curiae Romanae propugnatores habiti; et ob id poſtea, uti creditum eſt, in collegium cardinalium allecti, quod pontificiae auctoritati regis ac regni cauſam poſthabuiſſent. Ii initio ſine regis mandato factam proteſtationem arguebant, oblique perſtricta oratorum regiorum, quaſi de religione ſuſpectorum, fide: verum, ubi de mandatis conſtitit, ad alias artes confugiunt, et orationis habitae partes pleraſque aut male intellectas aut cavillatorie detortas calumniantur; ita ut [c] Ferrerius apologiam pro ea ſcribere coactus ſit: in qua extrema perridiculum eſt, quod ait, quoſdam ex epiſcopis, qui aderant, cum non intelligerent quid verbo intercedendi ſignificaretur, a proxime ſedentibus quaeſiiſſe, pro quo oraret rex Chriſtianiſſimus: ad quae non aliud reſpondet Ferrerius, quam, exauctorandos eos fuiſſe, ſicuti ab Honorio III factum memoriae proditum eſt, qui epiſcopum Calvinienſem dignitate privavit, eo tantum nomine, quod fateretur ſe grammaticam non didiciſſe. [α] Alteram et orationem longe acerbioribus verbis

VAR. LECT. [a] *In ſupplemento ad hiſtoriam ſuam, juſſu auctoris ſeorſim edito, altera haec reperitur oratio ſed dubii nota diſtinguitur, nempe his verbis,* Meditatus erat et aliam orationem Ferrerius, &c. *et ad calcem orationis auctor dubium ſuum diſerte tradit hac periodo,* Eam orationem habitam vix puto; quam tamen inter commentarios Jacobi Burdini a ſecretis epiſtolis, qui negotia Italiae, atque adeo concilii, tunc tractabat, reperi, cum titulo, quaſi ab oratoribus regiis, Ferrerio et Fabro Tridenti menſe Septembri pronunciata eſſet. *Ita in ſupplemento res in incerto relinquebatur.* *Poſtea tamen auctor, omni ſcrupulo ſolutus, in parata ſua editione narrationem hujus rei alia prorſus verborum formula orditur, ſicuti in textu videre eſt, ſcil.* Alteram, &c. *procurrens per novem lineas uſque ad* memorantur.

Prae feſtinatione vero, ſive incuria, utraque editio Genevenſis eandem periodum, viz. Eam, &c *ut ſupra, uſque ad* pronunciata eſſet, *quae in ſupplemento ad finem orationis adtexitur, perperam eadem in loco retinet: illam vero deleri curavimus, prout clara mens auctoris et facti certitudo poſtulant.*

INTERPR. [a] *de Pellevé, archevêque de Sens.* [b] *de la Souchere, abbé de Clairvaux.* [c] *du Ferrier.*

CIƆIƆLXIII. CAROLUS IX.

verbis habitam reperio in commentariis Jacobi [a] Burdini regi a ſecretis epiſtolis, qui negotia Italiae, atque adeo concilii, tunc tractabat: nam orationi manu Burdini ipſius additum erat, eam ab oratoribus regiis Ferrerio et [b] Fabro Tridenti menſe Septembri pronunciatam fuiſſe: quod vix putarem, niſi Jacobus [c] Valdeſius in libro de dignitate regum regnorumque Hiſpaniae, et honoratiori loco eis eorumque legatis a conciliis et Romana ſede jure debito, [d] Granatae diu poſt anno CIƆ IƆCII edito, omnem dubitationis ſcrupulum tolleret, inſerta Itali cujuſdam epiſtola, qua in tumultu illo, cum orator Hiſpanus ſeparatum ab aliis principum legatis locum pontificiorum legatorum permiſſu uſurpavit, eadem verba, quae [α] infra referemus, a noſtris oratoribus uſurpata memorantur. Iis autem, inaudita Italorum auribus libertate, in Pium IIII invehebantur: Quod tanquam pater impius filium primogenitum, hoc eſt, regem Chriſtianiſſimum, inauditum, perverſo omni judiciario ordine, condemnaſſet, ablata ſeſſionis, qua ſecundum Imperatorem ceteros orbis principes praecedere eſt ſolitus, praerogativa. In eam rem cum multa de facti iniquitate conqueſtus eſſet, addit, Pium IIII in ſua cauſa judicem poteſtatem ſibi ſupra univerſale concilium arrogare, et perverſo hoc in regis pupilli cauſa judicio, dum falſo unitatem et eccleſiae concordiam praetexit, hoc agere, ut maximorum regum bene compoſitam pacem perturbet, et concordes fratres inter ſe committat, mutato per vim et ſcelus ordine, quo ſemper, et noviſſime in concilio Conſtantienſi et Lateranenſi, ſedetant regis Chriſtianiſſimi oratores. Tum ſubjicit, licet invitiſſimis, juſta et neceſſaria de cauſa ſibi inde diſcedendum eſſe, ubi nullum legibus locum, nullum antiquorum conciliorum, nullum libertatis veſtigium Pius IIII relinquat. Nam quid a patribus judicandum proponitur, aut ab iis judicatum publicatur, quod non prius Romam miſſum Pio IIII placuerit? eam nimirum toties dilati et procraſtinati judicii petitionum regis cauſam, nec aliam eſſe, quam, quod ille ex epiſtola Hadriani VI optime novit; curatis quantumvis membris, corpus plane ſanitati reſtitui non poſſe, niſi etiam caput diligenter curetur. Addita erant ad extremum. Hic eſt igitur Pius IIII, ad quem ſolum hominem praeſens haec noſtra denunciatio et proteſtatio pertinet: ſedem apoſtolicam, ſummum pontificem, ſanctam Romanam eccleſiam, pro cujus dignitate augenda majores noſtri ſanguinem toties fuderunt, et adhuc hodie in Gallia acriter pugnatur, veneramur, ſuſpicimus et maximis ad coelum laudibus efferimus. Pii autem IIII imperium detrectamus: quaecunque ſunt, ejus decreta et ſententias repudiamus ac contemnimus; illum pro vicario Chriſti, pro capite, pro Petri legitimo ſucceſſore aſpernamur et rejicimus; et, cum nihil Tridenti, omnia Romae agantur, et, quae publicantur, magis Pii IIII placita, quam ſynodi oecumenicae decreta cenſenda ſint, denunciamus et teſtamur, quaecunque in hoc conventu, hoc eſt Pii IIII motu, decreta ſunt, et deinceps decernentur ac publicabuntur, ea neque regem Chriſtianiſſimum probaturum, neque eccleſiam Gallicanam pro decretis univerſalis concilii habituram. Interea, quotquot eſtis Galliae archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, theologi, vos omneis hinc abire rex Chriſtianiſſimus jubet, redituros, ut primum Deus optimus maximus eccleſiae Catholicae, univerſalibus conciliis, priſtinam formam ac libertatem reddiderit, rex autem Chriſtianiſſimus debitum dignitati ac majeſtati ſuae locum recuperaverit. Facta proteſtatione, oratores VI Kal. Oct. ad regem dant literas; quibus cum de re omni certiorem faciebant, et invidiam facti deprecabantur, in eo quod a malevolis per cardinalis Lotharingi abſentiam tempus captaſſe dicebantur: et ita rem excuſabant; quod, cum mandata ſua Lotharingo, ſicuti juſſi erant, ante diſceſſum ſuum Romam communicaſſent, cum legatis ſic convenerat, ut capita illa libello comprehenſa non proponerentur: cum vero legati poſt Lotharingi diſceſſum ſtatim mutaſſent, et a patribus cogi ſe dicerent, ut, niſi capita illa proponerentur, ulterius

VAR. LECT. [α] *editiones Genevenſes legunt* ſupra retulimus, *manifeſto errore.*
INTERPR. [a] *Bourdin.* [b] *du Faur.* [c] *Valdez.* [d] *Granada* ou *Grenade.*

ulterius ſe in concilii oegotio non progreſſuros palam dicerent; ea re praeter voluntatem coactos, antequam cum Lotharingo, qui jam Romae erat, per literas agere poſſent, in publico patrum conſeſſu decretis intercedere. Id literis pluribus poſtea Ferrerius ipſe apud Lotharingum et Philibertum [a] Baboum cardinales excuſavit, dum adhuc Tridenti eſſet; et poſtquam [b] Venetias, ſicuti juſſus erat, conceſſit. Rex ipſe, qui et actionem ratam habuit et laudavit, poſtea miſſo Franciſco [c] Bollerio Manna ad oratores ſuos, qui Venetiis erant, [d] Moocello v Eid. Nov. dat literas, et ad cardinalem Lotharingum inprimis, qui jam Roma Tridentum redierat; quibus facti neceſſitatem excuſabat, et, ut id in bonam partem acciperet, rogabat, daretque operam, ut capita illa a legatis, intercedentibus oratoribus ſuis, propoſita revocarentur. Intereà, dum id fieret, oratores regii Venetiis manere juſſi; nec prius Tridentum redire, quam negotium illud amice compoſitum eſſet. Cum igitur Lotharingus videret, nihil niſi regis juſſu factum, idque regem poſtea ratum habuiſſe, ne tamen nihil profectiooe ſua Romae feciſſe videretur, et gratiam pontificis, quam unice aucupabatur, interim retineret, auctor fuit, ut loco illorum capitum, quibus Caeſaris, regum ac ceterorum principum auctoritati plurimum praejudicabatur, quae plura et ampliora erant, unicum ſubſtitueretur, quod oumero xx in ſeſſione xxv hodie habetur; quo, in genere, reſectis illis, quae Galliae regis auctoritatem, eccleſiae libertatem ſpeciatim ſpectabant, decreta ac ſanctiones in ſacrarum perſonarum et libertatis eccleſiaſticae gratiam contra ejus violatores factae eunfirmantur; admonenturque Caeſar, reges, reſpublicae, principes, ut, quae eccleſiaſtici juris ſunt, tanquam Dei patrocinio tecta venerentur, nec ab ullis ſibi ſubjectis, cujuſcunque dignitatis ſint, violari patiantur. Ita proteſtationi, nullo tamen publico inſtrumento revocatae, allatum utcunque ex Lotharingi conſilio remedium. Interea, dum haec agerentur, Eidibus Quintil. xxiii ſeſſio Tridenti celebrata eſt: in qua de ſacramento Ordinis actum, poſt ingenteis et illo conſeſſu indignas, quod et patribus a P. [e] Fontidonio Philippi nomine exprobratum eſt, de poteſtate pontificia altercationes. Et iii Eid. Nov. xxiiii ſeſſione de ſacramento matrimonii agi coepit; et honeſtas ſua quodammodo ſanctiſſimo conjugii vinculo reſtituta eſt. Nam, cum antea, inſciis parentibus et iis qui loco parentum ſunt, matrimonia plerumque inter inaequaleis perſonas ſine ulla denunciatione paſſim, in Italia praecipue, contraherentur, quae tamen, quia ſacerdotis et eccleſiae auctoritas interceſſerat, legitima habebantur, et ita matrimoniorum honeſtas paulatim adulterari et in turpiſſima contubernia degenerare coepiſſet, noſtri, qui honeſtatis illius prae ceteris ſemper ſtudioſi fuere, inſtitere apud patres, ut clandeſtina matrimonia, quae a filiis-familias contrahuntur, ſine conſenſu eorum, in quorum poteſtate ſunt, tanquam illegitima prohiberentur: eaque de re Gentianus [f] Hervetus ex ſententia theologorum ſcholae Pariſienſis graviſſimam orationem jam antea meditatus fuerat, eam in concilio, quod [g] Bononiae tunc celebrabatur, habiturus, id Dei verbo congruere oſtendens: nam Exodi xx capite ſcriptum eſſe, Si quis ſeduxerit virginem nondum deſponſatam, et dormierit cum ea, dotare eam teneri, et habere in uxorem; ſed, ſi pater noluerit, pecuniam eum dependſurum juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt: Evariſtum item ſanxiſſe, aliter legitimum non eſſe conjugium, niſi ab his, qui ſuper foeminam dominationem habeot, et a quibus cuſtoditur, petatur uxor. Quod ex capitularibus Caroli legibus deſumptum eſt, lib. vii. cap. cclxiii al. lviii: et Tertullianum ſcripſiſſe, in terris filios ſine conſenſu parentum rite et jure nubere noo poſſe. Ita tamen ſuper iis ſtatuit ſynodus; clandeſtina quidem matrimooia libero contrahentium conſenſu facta rata et vera eſſe matrimonia, quamdiu eccleſia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandos illos, ut eos ſancta ſyoodus anathemate damnat, qui ea vera

INTERPR. [a] *de Babou.* [b] *Veniſe.* [c] *de Boulliers, ſieur de Manes.* [d] *Monceaux.* [e] *Fontidueгna.* [f] *Hervet.* [g] *Bologne.*

vera ac rata eſſe negant, quique falſo affirmant, matrimonia a filiis-familias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, et parentes ea rata vel irrita facere poſſe: verum ſanctam Dei eccleſiam ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtatam eſſe atque prohibuiſſe: quibus verbis Momorantianum edictum, de quo ſupra demonſtravimus, procul dubio ſugillabatur. Certe Gallicanam eccleſiam ſemper a clandeſtinis illis contuberniis abhorruiſſe arguunt denunciationes, quas *banna* vulgo appellamus, quae conſuetudine Gallicana invaluiſſe in confeſſo eſt, ut patet ex capite xxvii, quod ad epiſcopum [a] Bellovacenſem dirigitur, de ſponſalibus libro iiii Decretalium: quod et obſervabatur in eccleſia [b] Papienſi, quae legibus noſtris regebatur; ſicuti item patet ex capite viii, de teſtibus, et capite ultimo, Qui matrimonia accuſare poſſunt, collectione i epiſtolarum Decretalium ab Ant. Auguſtino epiſcopo [c] Ilerdenſi, viro optimo et juriſconſulto praeſtantiſſimo, edita: quod poſtea in orbem univerſum porrectum eſt ab Innocentio iii, ex Lateranenſis concilii decreto, uti videre eſt ex capite iii de clandeſtina deſponſatione. Apud nos et Claudius [d] Eſpencaeus, vir nobilitate ac eruditione an ſincera pietate major incertum, multa in eam rem ſcripſerat, conſilio ante biennium edito ad illuſtriſſimum virum Michaelem [e] Hoſpitalium Franciae cancellarium; quo hujuſmodi matrimonia nulla, invalida et irrita, et jure divino ac humano prohibita, pravamque conſuetudinem tot juribus contrariam, corruptelam verius, ac merito et neceſſario corrigendam eſſe multis rationibus et teſtimoniis evincit, ſalvo ſemper et incolumi ſanctae matri eccleſiae et ſanctae ſedi apoſtolicae judicio. Verum haec hiſtoriae legem excedunt. Tandem pridie Nonas Decembreis ultima ſeſſio xxv celebrata eſt; in qua de purgatorio, de invocatione, veneratione et reliquiis ſanctorum et ſacris imaginibus agitur: et duella, inter alias res quae ad emendationem pertinent, graviſſimis interminationibus prohibentur; et Imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites et alii, qui in ea conſenſerint aut locum aſſignaverint, ex eccleſiae communione eliminantur; qui vero pugnam commiſerint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum proſcriptionis ac perpetuae infamiae poenam incurrunt: ediciturque, ut tanquam homicidae, ſi periculum evaſerint, puniantur; ſi in conflictu ceciderint, perpetuo eccleſiaſtica ſepultura careant. In eam rem idem Pius pontifex triennio ante, Eidibus Novembribus, diploma emiſerat, renovata ac confirmata Clementis vii ſuper eadem re ſanctione. De indulgentiis item decretum factum. Ac poſtremo, ut finis concilio imponeretur, placuit, ut omnium, quae ſub Paulo iii, Julio iii, et biennio abhinc in hac ſynodo decreta ac definita ſunt, confirmatio, nomine ſanctae ſynodi, per apoſtolicae ſedis legatos, a beatiſſimo Romano pontifice peteretur. Et ita dimiſſa ſynodus. Acclamationes dein factae: idque muneris ſuſcepit cardinalis Lotharingus, majore vanitate an imprudentia incertum; quippe qui videret, id citra injuriam in regem Galliae fieri non poſſe; cujus nomen, quod ſemper antea, dum Carolus v Caeſar in vivis ageret, expreſſum fuerat, nunc, ne praejudicium Philippi filii dignitati fieret, collectivo regum nomine confundi et quodammodo obliterari neceſſe eſſet: quod cum illi poſtea in regis conſiſtorio objectum fuiſſet, pacis et concordiae inter potentiſſimos principes reipublicae Chriſtianae bono conſervandae ſtudio factum excuſavit. Poſtea pontifex Romae, gravi habita in cardinalium conſeſſu oratione, ſynodi acta confirmavit; qua mores eccleſiaſticorum jam eſſe mutandos pronunciavit, et, quod finis concilio impoſitus eſſet, Deo gratias agendas. Tum Caeſarem ob id laudavit ac legatos apoſtolicos et epiſcopos; ſeque decreta concilii, licet ipſe legibus ſolutus ſit, ad unguem inviolabiliter ſervaturum recipiens, addidit, ſi quid omiſſum foret, id ſe diligenter ſuppleturum; negotio dato [f] Morono et Simonetae cardinalibus, ut, ſi quid iis contrarium in conſiſtorio agetur, illi intercedant;

ſi

INTERPR. [a] *l'evêque de Beauvais.* [b] *de Pavie.* [c] *evêque de Lerida.* [d] *d'Eſpence.* [e] *de l'Hoſpital.* [f] *Morone & Simoneta.*

ſi quid adverſum poſtuletur, itidem provideânt. Ipſe vero ſynodi decreta ſe rata, etiam recuſantibus principibus, habiturum pollicetur, ita ut nunquam iis derogaturus ſit, niſi fratribus ſuis ex evidenti urgenteque cauſa conſentientibus; cardinales item, qui ſe vivo per largitionem ceterorum vota pontificatui ambiendo flagitioſe coemerint, notaturum, et in tanti ſceleris reos jure ac legibus vindicaturum; ſcholas erudiendis adoleſcentibus Romae ac [a] Bononiae tanquam jaciendis praeficiendorum eccleſiae miniſtrorum ſeminibus inſtituturum. Tum edicit, ut epiſcopi ad gregis ſui curam aſſidui ſint, et, quos domi cardinales detineant, quam primum dimittant; ſe propterea in urbis gubernatione deinceps protonotariorum non epiſcoporum opera uſurum: item, ut cardinales, qui eccleſias ſuas, reſervatis ſibi fructibus et adminiſtratione, in certos annos contulerunt, epiſcopis adminiſtrationem, partitis inter ſe fructibus, reſtituant: ejus, qui in epiſcopum confirmetur, vita, mores ac doctrina diligenter a tribus ordioum capitibus et relatore examinentur. Poſtremo mandatum legatis, [b] Cicadae item Bononienſi ac [c] Vitellio cardinalibus, ut earum curam ſuſcipiant, quae ad concilii confirmationem et executionem pertinent, ac ne quis contra ea, quae ipſe conſtituit, quid faciat. Eodem tempore edita eſt proteſtatio contra concilium Tridentinum nomine concionatorum aliquot Auguſtanae confeſſionis; cui inter alios ſubſcripſere Tilemanus Heshuſius, Nic. Gallus, Jo. Wigandus, Matthaeus Judex, Joachimus Weſtphalus, Matth. Flaccius Illyricus. [a] Apud nos non ita [1] probata primum, nec inter ipſos quidem, qui interfuerant, theologos, quin et dicteriis ac libris publice exagitata fuit. Nam Cl. [d] Sanctium, celeberrimum theologum, et Lotharingi cardinalis ſtudiorum ac conſiliorum perpetuum comitem, cum ſolemne carmen in concilii primi apoſtolorum clauſula uſurpatum, “ VISUM “ EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS,” repeteret, vulgo dicere ſolitum memorant, “ in Tridentina ſynodo plus NOBIS, quam SPIRITUI SANCTO,” tributum eſſe; cum innuere vellet, majorem adfectuum privatorum quam Dei gloriae in ea rationem habitam fuiſſe. Longo autem poſt tempore Gilb. Genebrardus Benedictinus, Hebraicarum literarum regius profeſſor, et ipſe magni nominis theologus, cum Petrum [e] Danſium epiſcopum Vaurenſem funebri oratione laudaret, inter alia digna viro doctiſſimo ac religioſiſſimo dicta, iſtud recenſet: Cum in patrum conſeſſu quidam ex noſtratibus theologis in depravatam ſacerdotiorum diſpenſationem et corruptam Rotae Romanae ac epiſcoporum juriſdictionem vehementius peroraret, Italo praeſuli aegre ferenti, dicentique in hominem Gallum hoc ſubfrigidum ſcomma, GALLUS CANTAT, Danſium illico, ſed graviter et ſerio reſpondiſſe, UTINAM HOC GALLICINIO PETRUS AD RESIPISCENTIAM ET FLETUM EXCITETUR. Denique Claudius Eſpencaeus, Gallicanorum theologorum facile princeps, qui ab initio Bononiae, et poſtea Tridenti, celebrationi interfuerat, in commentariis in epiſtolam ad Titum, quinto poſt peractum concilium anno Lutetiae editis, cum multa in corruptos curiae Romanae mores dicit, tum haec praeſertim ex Baptiſta Mantuano adjicit: “ *Venalia Romae omnia: Romam nugas dare: accipere aurum, verba dare: ſolam nunc pecuniam regnare: et viris eſſe, quod noctua eſt avibus*: Hadrianum VI per legatos ſuos ad comitia Imperialia anno CIↃ IↃ XXI “ miſſos palam et ingenue confeſſum eſſe, Deum tunc Lutheri perſecutionem con- “ tra eccleſiam invaleſcere permiſiſſe propter nimia hominum peccata, ac ſacerdo- “ rum praecipue praeſulumque, a quorum peccatis populi peccata derivari ſcriptura “ clamitat:

CIƆIƆLXIII. CARULUS IX.

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur Sanctii, Genebrardi, Danſii, et Eſpencaei de concilio Tridentino ſententias referentia, uſque ad* Hic annus Jacobo novo Walachiae, *reperiuntur in ſupplemento ad hiſtoriam ſuam auctoris juſſu ſeorſim edito anno* 1608. *omittuntur tamen in Ed. Genev.* 1620. *inſeruntur vero in Ed Genev* 1626-30. *leguntur etiam in MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Bologna.* [b] *Cigala, cardinale di Bologna.* [c] *Vitelli.* [d] *de Sanctes.* [e] *Danès, evêque de Lavaur.*

NOT. [1] Synodus Tridentina *ſcil.*

CIƆIƆLXIII. “ clamitat: ſcire ſe a multis annis multa in ſancta ſede abominanda, abuſus in ſpi-
Carolus IX. “ ritualibus, exceſſus in mandatis, cuncta denique in pejus fuiſſe perverſa: neque
“ mirum eſſe, ſi malum a capite in membra, a ſummis pontificibus in alios deſcen-
“ derit: cunctos praeſules in via ſua a recto tramite declinaſſe; itaque ipſum per
“ eoſdem legatos pollicitum, ſe curaturum, ut curia Romana, unde hoc malum pro-
“ ceſſit, reformetur, ut, ſicut in omnes inde corruptio emanavit, ſic ab eadem ſede
“ ſanitas et omnium emanet reformatio: in hac digna ſanctiſſimo paſtore cogitatio-
“ ne, hoc eſt, univerſale ac liberum concilium indicendi, cum deſeciſſet Hadrianus,
“ negotium diu intermiſſum fuiſſe, Clemente VII ad pontificatum evecto; quo ſu-
“ perſtite nunquam coiturum ſperabatur: tandem tot annis omnium votis expecta-
“ tum a Paulo III indictum fuiſſe, delectis primum novemviris, qui, ab eo juſſi quae
“ emendatione in eccleſia egebant et offenſionis cauſas praebebant corrigere, mini-
“ me pontificem celaverunt, hodiernorum malorum inde principium fluxiſſe, quod
“ deceſſores ejus prurienteis auribus magiſtros ad deſideria ſua morigeros ſibi conci-
“ liaverant, non ut eſſent a quibus diſcerent quid facere deberent, ſed quorum cal-
“ liditate inveniretur ratio, qua liceret quod liberet: ab hoc fonte adulatores potius
“ quam doctores prodiiſſe, qui docerent, papam omnium ſacerdotiorum diſpenſato-
“ rem atque adeo dominum eſſe; cumque dominus jure vendat id quod ſuum eſt,
“ neceſſario ſequi in eum Simoniae labem minime cadere. Inde effectum, ut ma-
“ lum inſanabile radices majores egerit, deſperata jam ſalute, cum Paulus novem-
“ virali conſilio minime ſibi acquieſcendum putaret, et in diſpenſatione ſacerdotio-
“ rum majore quam antea licentia uteretur: interim concilium Bononiam tranſla-
“ tum, ac paulo poſt ſuſpenſum; et mortuo Paulo III a Julio III rurſus Bononiae
“ inſtauratum fuiſſe; qui in ſeſſione IX palam profeſſus eſt, in ſacramentorum ad-
“ miniſtrationem innumera prave irrepſiſſe, quorum id haud minimum ſit, quod
“ multis in locis minus gratuita eſt illorum diſpenſatio, et in aliquibus adeo venalis,
“ ut etiam cum ſepultura pauperculis ea non ſemel ſint denegata. Poſtea redintegra-
“ tum Tridenti concilium ad biennium ſuſpenſum, Proteſtantibus interim ſuſpen-
“ ſionis decreto contradicentibus, et gravibus aliquot epiſcopis, Hiſpanis maxime,
“ quibus erat cordi neceſſaria, ut nihil magis, morum ac depravatae diſciplinae
“ emendatio, cauſantibus, nec uni quidem, nedum huic ex cauſis propter quas con-
“ vocatum fuerat, plene adhuc ſatisfactum eſſe: integro igitur decennio interrup-
“ tum tandem cum Pius IV illud Tridenti congregaſſet, licet re integra patribus per-
“ miſſa, illum tamen adeo curiam Romanam ab iis repurgari minime paſſum eſſe,
“ ut, quaecunque de morum emendatione ac diſciplina eccleſiaſtica praeſulibus in-
“ fra ſe poſitis ſeſſione IX praeſcripſit, in iis ſalvam ſemper ſuam auctoritatem et eſſe
“ et intelligi declaraverit; ut non minus grate quam pie Pius idem ſummas gratias
“ patribus Tridentinis publica oratione Romae in frequentiſſimo cardinalium con-
“ ſiſtorio egerit, quod in eccleſiaſtica emendatione tantam pontificiae auctoritatis
“ rationem habuiſſent, tantaque moderatione eſſent uſi, ut, ſi ſe ſuaque reformare
“ voluiſſet, longe ſeverior in ſe futurus fuerit. Quid igitur nunc ſupereſſe, niſi ut,
“ quod eadem oratione pollicetur, et concilii cenſuram non declinet, et, ſi quae
“ patres omiſerunt vel in iis mitiores fuerunt, eorum ſubveniens modeſtiae, illa tan-
“ quam ſuo judicio relicta ſuppleat? etenim, ſi non minus libere quam vere Hadria-
“ nus hodiernae vaſtitatis tabem a capite in reliquum eccleſiae corpus ſerpſiſſe dixit,
“ Pium ejus ſucceſſorem percutere ſanctuarium ſuum oportere, et a domo ſua juxta
“ Ezechielis et B. Petri monitum incipere debere: videre ipſum, propter aliquot de-
“ ceſſorum, ſua non quae Chriſti ſunt quaerentium, turpem quaeſtum et avaritiam,
“ quem in ſtatum ſancta ſedes apoſtolica adducta ſit, imo tota Chriſti eccleſia; quam
“ multa non multis abhinc annis ab ea ſit facta diſceſſio, ac valde metuendum eſſe

“ ne

" ne major fiat, niſi remedium tempeſtive adhibeatur, eoque futura ſit damnoſior, CIƆIƆLXIII.
" quo longior, ſi tantis, quibus eccleſia obruitur, malis curandis diuturnior mora CAROLUS IX.
" afferatur; tantorum autem motuum non aliam eſſe certiorem cauſam, quam quod " tot annis nihil mutatur, nihil emendatur, et omnis ſarciendae diſciplinae ſpes ſubla" ta ſit. Nam qui in reliqui corporis eccleſiae emendationem conſenſuros, qui tam " multis annorum centuriis urbem, in qua merum atque miſtum habent imperium, " deformatiſſimam reliquerunt? quid vero excuſare vel excogitare verum aut vero " ſimile poſſe eos, quibus non rex, non Caeſar, non populus, clerus, aut generalis ſy" nodus, non tota denique eccleſia dicere poſſit, Cur ita facis? Quid igitur praetexere " poſſe, quod remoram tam diu expetitae emendationi fecerit? Et ubi tamen majo" rem ſub ſole licentiam, impunitatem, infamiam et impudentiam aſpici? talem " ſane tantamque, ut nemo credat niſi qui viderit, nemo neget niſi qui non viderit. Poſt multa dein in eam rem ex eodem Bapt. Mantuano adducta loca, ad extremum ex verbis B. Bernardi colligit, " inteſtinam et inſanabilem eſſe eccleſiae plagam; fru" ſtraque pontificem ſperare, ruinam, quam collapſa in eccleſia diſciplina ad praeci" pitium nutans Gallia minatur, ſiſti poſſe, ipſamque in melius reformari, niſi juxta " ſuum nomen ſua ipſe piet, maliſque tantis, juxta cognomen gentis, idoneam ad" hibeat medicinam; turpia illa ſacerdotiis impoſita vectigalia revocet; reliquamque " camerae cancellariaeque apoſtolicae, nihil minus quam apoſtolicam Paulinam vel " Petreiam, negotiationem nundinationemque, tanquam quoddam Augeae ſtabu" lum, repurget: id ſe moneri libere non aegre ferre pontificem debere: nam de" ceſſorem ejus Paulum IIII, cum eadem ſuper re familiareis ſecum ſermones sereret, " adeo iis offenſum non eſſe, ut ſerio de ſe Romae retinendo cogitaverit, facta etiam " honoris, quem ea ſedes largiri ſolet, maximi ſpe: verum ſe gratiam Deo ac Domino " JESU CHRISTO maximam habere, qui, quem ſui promovendi animum pontifici " fecerat, mox abſtulerit; ne cum tanta dignitate onus, quod ambulandi in magnis et " mirabilibus ſupra ſe admiſtam haberet neceſſitatem, ſubire cogeretur."

XIV. [a] HIC annus Jacobo novo Walachiae deſpotae ultimus fuit, eodem ipſo menſe, quo Alexandrum proelio victum ante biennium regno expulerat, a ſuis occiſo. Is, cum a pueritia liberalibus diſciplinis imbutus fuiſſet, etiam mathematicas artes [a] Roſtochii in Megalopolenſi principatu profeſſus fuerat, et eleganter Graece, Latine, Italice, Gallice noverat: randem a Walachis, gente barbara, et qua nulla in dominos ſuos inconſtantior, fraude circumventus, ubi nullum effugium et ſibi neceſſario moriendum vidit, fati neceſſitatem conſtantia et intrepido animo ſuperavit. Nam regio amictu indutus, nullo abjecti animi ſigno edito, oratione libera, bene recteque geſtam rempublicam ac multa eaque eximia Walachis ſuis beneficia exprobravit, Deum ultorem precatus, ut impunitam eorum perfidiam non ſineret. Inter has exprobrationes, occiſo eo a conjuratis, dux Demetrius [b] Wiſnovecius vocatur, qui ſtatim Solimano Conſtantinopolim vinctus ad certam necem miſſus eſt: cujus loco Thouſa a factioſis princeps ſalutatur. Verum is, cum exiguo tempore rempublicam adminiſtraſſet, ab Alexandro reduce expulſus, cum in Ruſſiam Poloniecam profugus ibi res novas moliri compertus eſſet, Sigiſmundi Auguſti juſſu apud [c] Leontopolim ſecuri percutitur. Alexandro humanis exempto ſucceſſit Bogdanus filius; huic Ivonia, ſic Joannem ipſi vocant, qui ſe Stephani quondam provinciae vaivodae filium ex concubina perhibebat; de quo plura deinceps dicenda erunt. Tot dominos Walachia brevi tempore habuit, et toties mutavit.

XV. APUD nos, ſed diſpari fato, in vivis eſſe deſierunt tres magni nominis in literis viri; Joan. [d] Brodaeus [e] Caeſaroduno primaria Turonum urbe familia honeſta natus;

VAR. LECT [a] *Sequens folium rejicitur in finem libri* XXXIV. p. 218, 219. Tom. II. *D.* f. et in lib. XXXVI. p. 607—612 Tom. II. *D.* o. et in lib. XXXVI. p. 64—68. Tom. VI. *D.* d.

INTERPR. [a] *Roſtock, au duché de Mecklenburg.* [b] *Wiſnowieski.* [c] *Leopoli de Ruſſie,* vulgo *Lwow.* [d] *Brodeau.* [e] *Tours.*

CIƆIƆLXIII. CAROLUS IX.

natus; qui tirocinium literarum cum Petro Daneſio fecerat, et in Italia Jacobi Sadoleti, Petri Bembi, Baptiſtae Egnatii, Pauli Manutii perfamiliaris, ad puriores literas philoſophiae, mathematicarum artium ac ſacrae linguae non mediocrem cognitionem adjecerat: dein in patriam reverſus quietae vitae ſed non otioſae ſe dedidit, quod multae reconditae eruditionis lucubrationes abunde teſtantur, quas vir bonus procul ab omni ambitione ac oſtentatione poſitus, alienis potius quam ſuis auſpiciis publicari paſſus eſt, eo rariore modeſtiae exemplo, quod noſtro ſaeculo homines non ſolum ex opibus magiſtratibus et aliis honoribus, ſed etiam ex literis indigna vanitate gloriolam aucupantur; tandem apud B. Martinum, cui collegio nomen dederat, in literis aſſiduus conſenuit, et ſexageſimum annum praetergreſſus incunte anno placide ad Deum migravit. Eo junior, nam vix annum trigeſimum tertium exceſſerat, Stephanus [a] Boetianus Burdigalenſis ſenator [b] Sarlati, quod erat illi natale ſolum, in Petrocoriis ultimum vitae diem clauſit; admirando vir ingenio et multiplici eruditione cum exquiſita facundia conjuncta inſignis, quam ad civilem ſcientiam fere inflexerat, rara et ſupra aetatem prudentia, rebus maximis gerendis par, niſi longius ab aula poſitus et praematura morte ereptus eſſet, quae et divini hujus ingenii fructus publico invidit; Michaelis [c] Montani tamen, ſingularis ejus amici, cura factum eſt, ut non omnis mortuus ſit, publicatis aliquot ſcriptis poſthumis, quae elegantiam miram et ſenſuum reconditorum acumen ſapiunt: nec [d] Anthenoticon ejus ſileri debet, cujus longe aliam in rem quam ex mente auctoris poſtea evulgati honorificam mentionem ſuo loco fecimus. Hanc literarum jacturam cumulavit Arnoldi [e] Ferroni itidem ſenatoris Burdigalenſis nondum plane quinquagenarii mors; qui patrias leges, ut bonum civem et praeſtantiſſimum juris-conſultum decuit, doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, et hiſtoriam Gallicam ſecundum Paulum Aemilium ad exceſſum Franciſci I proſecutus eſt, multaque alia ſcripſit, quae memoriam ejus apud poſteros commendant, et Attici nomen ipſi a doctiſſimo undiquaque noſtra aetate Jul. Caeſare Scaligero attributum conciliaverunt. Nec ſilentio ſepeliri debet Joan. Baptiſta [f] [α] Gellus Florentiae natus, conditione longe ingenio inferiore, quippe calcearius, qui licet nullis literis Latinis tinctus academiae Florentinae alter conditor et magnum ornamentum exſtitit, et lingua patria dialogos, Luciani aemulatione, ſed majore prudentia et moderatione ſcripſit, quanquam libertate coelo illo adhuc incognita alicubi impegiſſe creditus, ideoque cenſura notatus, tandem hoc anno jam ſenex naturae debitum perſolvit, ad Mariae Novellae in monumento ſuorum conditus. [β] Ex eadem paene officina prodiit Wolfangus Muſculus [g] Duſae [h] Lotharingiae in finibus [i] Alſatiae oppido natus, magni inter ſuos nominis theologus; qui, monaſticam olim, dein, abjecto cucullo, Proteſtantium doctrinam profeſſus, vitam aliquandiu opere manuario textrinam exercens toleravit: poſtea ſerio animum ad literas [γ] jam aetate provectior appulit; in quibus improbo labore tantum profecit, Martini Buceri quantum licuit ſectator aſſiduus, ut famam concionibus quaeſitam etiam laborioſiſſimis editis [δ] in ſacram ſcripturam commentariis auxerit: [k] Argentinae primum et [l] Auguſtae Vindelicorum ac poſtremo [ε] III Kal. Sept. [m] Bernae in Helvetiis, ubi ultimum diem anno aetatis LXVI clauſit, paſtoris munere defungens: quem ad nomen ipſius ludens quidam, non muſculum aut ex murium famelicorum, qui felium ungueis timent, numero eſſe dixit, ſed ex his potius, qui catos rapaces territarent. Eodem et hoc anno fatis conceſſerunt Sebaſtianus [n] Caſtalio Allobrox et Henricus Glareanus:

VAR. LECT. [α] Gellius *D. f. o. d.*
[β] *Lineae* II *ſequentes de Wolfango Muſculo ad finem hujus libri, transferuntur in D. f. o. ubi deſunt* Ex eadem paene officina prodiit
[γ] jam aetate provectior *deſunt* *D. f. o.*
[δ] in ſacram ſcripturam *deſunt* *D. f. o.*
[ε] III Kal. Sept. *deſunt* *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de la Boetie, conſeiller de Bourdeaux.* [b] *Sarlat en Perigort* [c] *de Montaigne* [d] *le Contre Un, ou de la ſervitude volontaire.* [e] *de Ferron.* [f] *Gello* [g] *Dieuſe.* [h] *Lorraine.* [i] *Alſace.* [k] *Strasbourg.* [l] *Augsbourg.* [m] *Berne en Suiſſe.* [n] *Caſtalion de Dauphiné.*

[a] Glareanus; et hic quidem ſummus olim Deſ. Eraſmi amicus, et muſices ſcientia clarus, [b] Friburgi Briſgoiae, ubi profitebatur, cum rem literariam diu voce et ſcriptis, quantum ea tempora ferebant, juviſſet, annum agens ſeptuageſimum quintum animam Deo reddidit. [α] Caſtalio vero, cum puriorem linguarum cognitionem ad theologicam ſcientiam adjunxiſſe ſe putaret, impuras manus multorum judicio ad ſacra tractanda attulit, cum a rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus novam Bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt, a Gallicis et Helveticis eccleſiis, quarum alioqui doctrinam amplectebatur, in quibuſdam diſſidens; et Bernardino Ochino ſegregi, cujus et dialogos Latinos fecit, praecipue in polygamia adſtipulari creditus; unde pleraque conrraria inter eos ſcripta emanarunt: tandem [c] Baſileae non ita ſenex, quippe vix annum XLVIII ſupergreſſus, IIII Kal. Jan. obiit ex lue peſtilenti, quae hoc anno vehementer per totam Germaniam graſſata eſt, adeo ut [d] Francofurti, Norimbergae, Magdeburgi, Hamburgi, [e] Gedani, et per civitates [1] Vandalicas ac maritimas autumno uno CCC hominum CIↃ contagione abſumpta memorentur. Quaſſata et terrae motibus [f] Illyria, qua in [g] Hadriaticum vergit, et [h] Catanenſis civitas Eidibus Junii inde magna clade afflicta, aliaeque arces vicinae, paene ut corruerint.

CIↃIↃLXIII.

CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] *In editione prima hujus partis hiſtoriarum ſuarum, quae prodiit in folio 1606 typis Drouartianis, auctor hoc elogium Sebaſtiani Caſtalionis protulit:* Caſtalio vero puriorem linguarum cognitionem ad theologicam ſcientiam adjunxerat, et biblia ſacra interpretatione nova tranſtulerat; a Gallicis et Helveticis eccleſiis, quarum alioqui doctrinam amplectebatur, in quibuſdam diſſidens; unde pleraque contraria inter eos ſcripta emanarunt: tandem *Poſtea vero migrare videtur in aliam ſententiam, quae in Edd. D. o. & D. d., uti etiam in utraque Genevenſi, atque adeo in textu noſtro nunc exhibetur.*

INTERPR. [a] *Glarean.* [b] *Fribourg en Briſgaw.* [c] *Baſle.* [d] *Francfort, Nuremberg, Magdeburg, Hamburg.* [e] *Dantzick.* [f] *Dalmatie.* [g] *Golfe de Veniſe.* [h] *Catane.*

NOT. [1] *Vandalicas.* Les Villes Vandaliques ſont Roſtock, Lubec, Wiſmar, Stralſundt, Hambourg, ſituées vers la mer Baltique. *Put. L.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER TRIGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

De FINALIO *controverſia terminata, et ſecundum Alfonſum Carrectum marchionem a Caeſare pronunciatur. Bellum Corſicum recrudeſcit, Sanpetro a Baſtelica inſtigante; quod morte Navarri aliquandiu quievit.* II. *Orani a Turcis tentata obſidio irrito ſucceſſu.* III. *Mediolani ob inquiſitionis metum, ut ante* XVI *annos Neapoli, ſed non tanta mole, tumultuatum.* IV. *In Calabria item ab exulibus duce Marcone tumultuatur.* V. *In Scotia Matthaeus Stuartus Leviniae comes et Henricus Darlaeus filius dignitati ac bonis regina annitente honorifice reſtituuntur; ab eaque gratia primae futuri matrimonii faces accenſae.* VI. *Elizabethae Angliae cum Hiſpanis prima ſimultatum et diſſidiorum ſemina, quae bellum funeſtiſſimum ſecum traxerunt. Gul. Pageti mors et cumulata honoribus vita. Henrici item Manerii Rutlandiae comitis genus et mors. Franciſcae denique Suffolciae deploranda aeque mors ac vita.* VII. *Lithuania a Moſcis vaſtata.* VIII. *Erico Sueciae regi ob injurias in Ruſſica navigatione acceptas a Lubecenſibus bellum indictum; publicato prius ſcripto, quo ipſi ingratitudinem ſuam exprobrabant.* IX. *Danus itidem contra Suecum ſcriptum evulgat; cui Ericus Brunſvicus operam ſuam et copias deſert.* X. *Suecus, cui ſatis non erat vicinos ad bellum prolectare niſi domi ipſe aleret, Joannem fratrem Finlandiae ducem ex levi ſuſpicione in carcerem conjicit; et inde irritam contra Helmeſtadium Hallandiae urbem cum numeroſo exercitu expeditionem ſuſcipit.* XI. *Gul. Grombachius inſigni facinore caedem Herbipolenſis epiſcopi anno* CIↃ IↃLVIII *patratam cumulat, et Herbipolim manu armata occupat, et tranſactione a collegii ſodalibus vi extorta cum iis convenit, ut in bona, quorum poſſeſſione dejectus fuerat, reſtitueretur, Mandeſloo et Steinio amicis de damnis bello Albertino ab Herbipolenſi epiſcopo acceptis ſatisfieret, abolita omnino de caede Melchioris Zobeli epiſcopi inquiſitione. In conventu legatorum ad inopinata Imperii negotia Caeſaris juſſu congregatorum Grombachius ſcriptum recitandum curat; quo ſumpta arma excuſabat, et tranſactionem cum Herbipolenſibus factam ſervari petebat: cui contrario ſcripto reſpondet epiſcopus.* XII. *Colloquium inter Palatinum ſeptemvirum et Wirtembergicum in Malbrunenſi coenobio ſuper coena dominica, utriuſque partis theologis vocatis.* XIII. *Caeſar ad componendum inter Daniae, Sueciae et Poloniae reges bellum delegatos mittit, nullo exitu.* XIV. *Navalis pugna et velitationes maritimae inter Danos et Suecos.* XV. *Ferdinandus Caeſar moritur. Ejus ſtudium in componendo religionis diſſidio, aliae virtutes.* XVI. *Obitus Jo. Calvini, M. Borraei, Th. Bibliandri, P. Franc. Jambularii, Andreae Veſalii, Gul. Morellii, Jo. Butheonis.* XVII. *In Benthemienſi comitatu religio mutata. In Saxonia et per Vandaliam epiſcopatuum reditus principes ſuos faciunt.* XVIII. *Poloni res feliciter adverſus Moſcos geſta, duce Nic. Ratzevilio, caeſis amplius* XXX *hoſtium* CIↃ, *et ipſorum imperatore in pugna occiſo, qui Vilnae in Ruſſorum baſilica honorifice tumulatus fuit.* XIX. *Varia apud nos edicta condita. Facta ſacro Ordini bona vili pretio ſuperiore*

anno

anno alienata redimendi facultas. Decretum, ut annus, qui a Paſchali die ſere incerto antea inchoabatur, deinceps a Januario inciperet. Turriculae deſtructae ob memoriam Henrici II *mortis, et aedificandi in area privatis ſacultas data.* XX. *Conjuratio contra Joannam Navarrae reginam et liberos detecta.* XXI. *A pontifice, Philippo et Sabaudo legati pro concilii Tridentiui promulgatione et Sectario veneno exſtirpando. Rex gratiis ab Hoſpitalio inſtructus actis modeſte ſe excuſat. Car. Molinaei gravamina contra concilium Tridentinum.* XXII. *Foedus inter regem et Eliſabetham Auguſtobonae Tricaſſium ictum: item, renovatum cum Helvetiis.* XXIII. *Rex regnum luſtraturus in viam ſe dat. Proteſtantes diverſis locis male habiti. Jo. Begati ſenatoris Divionenſis liber de non ferendis iu eodem regno duabus religionibus.* XXIV. *Philippi paſſim depraedicata pietas in regis reginaeque iuvidiam; et imploratum jam tum a factioſis patrocinium.* XXV. *Gilberti Curaei in Vindocinis caedes inulta.* XXVI. *Iuterpretationes ad edictum pacificatorium ad placandas Proteſtautium querelas additae. Condaei de ea re ſcriptum. Lugduni peſtis graſſatur Rex Maſſiliam ſumma pompa ingreditur; et inde tranſmiſſo ad Avenionem Rhodano in Septimaniam deſcendit, et Nemauſum venit.* XXVII. *Motus in Aquitania ob foedus ſuperiore anno factum a Bordillonio equitum tribuno componitur.* XXVIII. *In Italia Nicolaus Petiliani filius poſſeſſione a Coſmo dejectus Petilianum tentat, irrito conatu.* XXIX. *Actio Romae de praerogativa regis ac Philippi.* XXX. *Coſinus publicam admiuiſtrationem Franciſco filio reſignat.* XXXI. *Iu Corſica bellum Sanpetrus Maſſilia ſolvens excitat.* XXXII. *Philippus claſſe inſtructa Pignonem Velezii in Africa oppugnat et capit. Garſias Toletanus inde Bugiam tentare cum in animo haberet, Sanpetri in Corſica ſucceſſibus revocatus eſt.* XXXIII. *Mich. Augeli Bonarotae praeſtautiſſimi pictoris, ſtatuarii et architecti mors.* XXXIV. *Coſmus Marium Columnam et Julium Ricaſolium ad Maximilianum mittit, et Joannam ſororem Franciſco filio uxorem impetrat.* XXXV. *Conjuratio Romae contra pontificem revicta, conſciis capite plexis.* XXXVI. *Pontifex multa contra concilii decreta ſacit, charitatibus indulget, lites moleſtas Joanni Franciſco Vidio Balnei comiti, et de Tiferno Vitellio facit: Aſcanium Corneum in carcerem conjicit, et Corn. Bentivolium Bononiae poſtulandum curat: ipſi Alfonſo Ferrarienſi de Mutinae juriſdictione controverſiam movet.* XXXVII. *A concilii promulgatione rex ſe excuſat. Collata in Carolum cardinalem Borbonium legatio Avenionenſis a pontifice, quo ſe ſumptibus in civitate et Venaſcinenſi comitatu tuendo liberaret, rege ejus patrociuium ſuſcipiente.* XXXVIII. *Maximilianus cum archiduce Carolo fratre et Alberto Baioaro genero urget, ut calicis in coena ſolutis et conjugii gratia ſacerdotibus per ſuas provincias fiat: multaeque in eam rem adductae rationes.*

Ex auctoribus,

Jo. Bapt. Hadrianio, P. Antonio Philippinio, Petro Bizaro, Uberto Folieta, Jo. Leſlaeo, Georg. Buchanano, Gul. Camdeni Annalibus Eliſabethae, Davide Chytraeo, S. Schardio, L. Vicino P. P. Jo. Serrano, Actis publicis et archivis curiae Pariſienſis, Onufrio Panvinio.

LIBER

LIBER TRIGESIMUS SEXTUS.

CIƆIƆLXIII.
Carolus IX.

SUSPENSIS hoc anno de concilii eventu in Italia animis, magis a motibus ceſſatum eſt quam quietae res omnino fuere. Genuenſes [a] Finalium, quod ad Imperii jurisdictionem pertinere diximus, in [b] Liguria occupaverant, [c] Carrectae familiae oppidum, ad id votis et ope oppidanorum adjuti et invitati, qui dominos ſuos pertaeſi ad libertatem ſub Genuenſis reipublicae patrocinio aſpirabant. Ea de re cum Alfonſus Finalii marchio apud Caeſarem ſaepius conqueſtus eſſet, et poſtremo litem Genuenſibus intendiſſet, tandem Caeſar ſecundum Alfonſum pronunciavit, et Genuenſeis ad Finalii reſtitutionem et ſumptus in id bellum factos marchioni refundendos condemnaverat. Cum tamen non parerent Genuenſes, poſtremo Caeſar fecialem ad eos miſit, ſed irrito initio ſucceſſu; paulumque res ob eorum contumaciam a bello abfuit: verum interventu Philippi Finalium marchioni invitis oppidanis reſtitutum eſt, et Genuenſes Caeſari reconciliati: quos non minor cura angebat de Corſica, in qua [d] Sanpetrus Ornanus Corſus homo ferox et otii impatiens ſequaces ultimis bellis ſuis ad defectionem per emiſſarios ſolicitabat. Nec deerat color illius verbis, exemplum ſuum inde oſtentantis, qui poſt pacificationem bonis non reſtitueretur, et inde metum a Genuenſibus intentantis, qui odio irreconciliabili adverſus eos, qui Gallicas partes ſecuti eſſent, inflammati, ipſos tanquam ſuſpectos aut inſula expellere aut omnino tollere decreverant. Is vero, cum nihil praeſidii in Gallicis opibus videret, cum pontifice, dein cum Coſmo clam egerat, et fidem atque operam ſuam ad occupandam Corſicam ultro detulerat. Inde ad opes externas revolutus, ne quid intentatum relinqueret, etiam in [e] Africam ad [f] Dragutem tranſierat; ex cujus conſilio Conſtantinopolim profectus, etiam cum Purpuratis eadem de re egerat, allatis ad eos [g] Navarri, dum adhuc in vivis eſſet, commendatitiis literis: quod Genuenſeis de Italiae principibus fruſtra a Corſo ſolicitatis ſecuros male habebat; quippe veritos, ne Navarrus, cui de Sardiniae regno tradendo ſpem factam ſciebant, ob viciniae commoditatem oculos in Corſicam conjiceret, et Gallicas opes, quas tanquam regni praeſes penes ſe habebat, cum Turcis belli ad omneis occaſiones inter Chriſtianos alendi cupidis in eam rem ſociaret. Verum is metus mox evanuit, mortuo Navarro; cum quo ſpes omnis de Turcicis auxiliis Corſo erepta et extincta eſt. Itaque, omiſſis externis ſubſidiis, ad proprias ac ſuorum ſequacium vireis confugit; et tantum apud eos ſolertia et innata pertinacia effecit, ut bellum longe periculoſiſſimum quamvis exitiabili ſibi fine in Corſica excitaverit.

II. TREPIDATUM et toto Mediterraneo mari et in oppoſita Italiae ora ad famam obſidionis [h] Orani. Jam ante Aprili menſe [i] Algeriae rex, ex clade a Chriſtianis ad [k] Lotophagitidem ante triennium accepta occaſionem captans, Oranum Hiſpanorum coloniam, quae eſt in Africae ora ex adverſo [l] Carthaginis novae, et vicinam regionem aſſiduis praeſidiariorum excurſionibus infeſtam faciebat, in poteſtatem redigere ſtatuit; et, conjunctis cum Dragute conſiliis ac viribus, eo filium cum XXVIII triremibus omnis oneris et aliquot navibus mittit; praemiſſiſque terreſtribus Maurorum et Turcorum non contemnendis copiis, ad [m] Marzachebirum, Portum magnum olim appellatum, prius caſtra ponit, quod ab Orano terreſtri itinere IIII milliarium ſpatio diſtat. Oppidum a Martino [n] Alcaudeti comitis fratre cum IↃ Hiſpanorum

INTERPR. [a] *Finale.* [b] *nella Riviera di Ponente di Genova.* [c] *del Carretto.* [d] *Sampiero Ornano Corſo.* [e] *Barbarie.* [f] *Dragut.* [g] *le Roy de Navarre.* [h] *Oran.* [i] *Alger.* [k] *le Gerbe.* [l] *Cartagena.* [m] *Marzaquebir.* [n] *Alcaudete.*

rum praeſidio tenebatur, famoſi illius ducis filio, qui, [a] Tremecena olim direpta CIƆIƆLXIII.
cum multa damna Mauris ac Turcis dediſſet, tandem juxta [b] Feſſam circumventus, CAROLUS IX.
prius edita magna hoſtium ſtrage, impar numero occubuit. Eſt autem Marzachebirum in lingua, cujus paulum inflexus procurſus ſinum facit, CCL circiter paſſus introrſus retractum: rurſus in ejus angulo parvula inſula jacet, exiguo ſpatio a continenti diſparata: oppido circumpoſiti colles imminent, a quibus tormentorum ictibus eſt obnoxium. Quod incommodum ut vitarent Hiſpani, arcem in uno ex collibus, cujus altitudo ceteris exſtabat, conſtruxerant ac praeſidio firmaverant: quod primum omnium Mauri expugnare aggreſſi ſunt. Ad aliquot dies praeſidiarii cum ſe gnaviter defendiſſent, ad extremum propugnaculis decuſſis, nocte caſtello excedunt et in oppidum ſe recipiunt; quod et extemplo Mauri aggrediuntur, inſulaque IↃCCC praeſidio firmata, ut ab ea parte aditus auxiliis intercluderetur, pulſationem diverſis partibus inſtituunt: ſed, cum obſeſſis bene vertiſſet pleriſque locis ruina, et repulſo hoſtium aliquoties impetu praeſidiarii intus murum duxiſſent tranſverſo aggere utrinque firmatum, ſolumque excavaſſent, eo fiebat, ut muro ac cavis lateotes minus ad tormentorum ictus aperti eſſent; ita ut obſidionem eo uſque extrahere potuerint, dum auxilia maturabantur; quae duce Franciſco Mendoza in tempore advenere. Joannem Cardooam perperam edidit Jo. Bapt. [c] Hadrianius; nam is tantum IIII Siciliae triremibus praeerat, et inter duces recenſetur ab Ant. Franc. [d] Cirnio, qui poſtea ad [e] Pignonii expeditionem profecti ſunt, duce [f] Sanctio Leva. Huic Mendozae Jo. Andreas [g] Auria ſe conjungere juſſus, cum [h] Neapoli veniens ad [i] Barcinonem exſcenſionem feciſſet, aegre tulit imperium, quod ſibi deberi putabat, alteri delatum: ſed cum Philippus, ad quem ille magnis itioeribus contenderat, factum excuſaret, quod inſtans Orani periculum, cujus ſalus in ſola celeritate verteretur, Mendozam, quem praeſto haberet, deligendi neceſſitatem impoſuiſſet, cum Auriae ex Italia adventus ſerior exiſtimaretur, Auria excuſatiooem ut minime fucatam et a re ipſa profectam accepit; ea lege, ut ſine ullo honoris titulo, tanquam in voluntaria militia, operam in ea expeditione navaret. Itaque triremium cura Pagano fratri ex Philippi conſenſu tradita, ad quem mandata regia deferebantur. Inde utrique Carthaginem novam petunt, in ſpeciem concordes, ſed ex recenti offenſiooe nonnihil exulceratis animis, cum Mendoza ſibi controverſiam de imperio motam indignaretur, Auria dignitatem ſuam imminutam doleret; quod in cauſa fuit, ut pulchra rei bene gerendae occaſio e manibus erepta ſit. Nam cum duorum dierum navigatione ſecuoda uſi in conſpectum montis, cui Oranum ſubeſt, veniſſent, Mendoza ſtatim refixis malis vela demitti imperat, ne procul ab hoſte conſpiceretur, Auria adverſante, et id ſine ratione et ante tempus fieri contendente. Ita intermiſſo curſu, et rurſus nocte ſequenti, qua iter inchoatum perſecuti ſunt, mutata navigatione effectum eſt, ut prima luce XII ab Orano miliaribus abeſſent; unde ab alto conſpecti tempus idoneum praecipiendae fugae Mauris dedere; qui, ſi improviſo depulſi fuiſſent, ad armamenta componenda ſeque ad navigationem aptandos haud quaquam ſatis temporis habuiſſent. Ita claſſe praecipiti ſuga dilapſa, terreſtres copiae, caſtris per ſummam trepidatiooem incenſis, oonnulliſque machinis partim relictis partim vel corruptis vel ſubmerſis, ab obſidione diſceſſere. Noſtri, quod tempus rei gerendae nondum exiiſſet, Philippi juſſu Pignonium arcem oppidi in Africa, quod Veleziam vulgo vocant, in ſcopulo ſitam tentant, infame piratarum receptaculum; ex quo illi in circumjecta maria excurrentes aſſiduis praedis litora Hiſpaniae infeſtabant, interdum etiam fretum [k] Herculeum praetervecti commeatus ex India venienteis lotercipiebant, magno non ſolum damno, ſed et pudendo Hiſpani nomiois probro.

Ad

INTERPR. [a] *Tremecen.* [b] *Fez.* [c] *Adriani.* [d] *Cirni.* [e] *le Pignon* ou *Penon de Velez.* [f] *Sancho di Leyva.* [g] *Doria.* [h] *Naples.* [i] *Barcelone.* [k] *le deſtroit de Gibraltar.*

CIↃIↃLXIII. Ad ea incitabantur Petri [a] Vanegae Melillae praefecti verbis; qui per duos loci prae-
CAROLUS IX. ſidiarios a ſe corruptos rem confici poſſe confirmabat: quod cum Sanctius Leva in locum Mendozae ex morbo decumbentis ſuffectus tentaſſet, claſſe noctu ad promontorium cum ſcalis ſummo ſilentio appulſa, noſtri non a deſertoribus, uti ſperaverant, ſed tormentorum ictibus excepti ſunt. Ita conatus ille pro tempore fruſtra fuit, qui anno poſt feliciter ſucceſſit.

III. PAULO ante [b] Mediolani magnorum motuum principium factum eſt, ſerpente ob viciniam ex Gallia per [c] Allobroges et trans Alpeis in [d] Saluciae principatum novarum de religione opinionum contage. Sabaudus, qui bellum [e] Convallenſe ob eam cauſam infeliciter ante triennium ſuſceptum utcunque compoſuerat, malum, quod a bello et violentia vireis ſumebat, pace ac patientia frangendum eſſe ſibi perſuaſerat: quo in conſilio dum perſeverat, ex [f] Subalpina regione, in qua clam Proteſtantes tolerabantur, in [g] Inſubres eadem facilitate malum ſenſim manavit; cui cum mox in ipſo naſcendi initio ſeveritate occurrendum exiſtimarent Hiſpani, ad idque lucri ingentis et emolumenti conſequendi ſpe incitarentur, Philippus enixis precibus a Pio IIII contendebat, ut pontificia auctoritate ſanctae inquiſitionis juriſdictionem, ut in Hiſpania, ſic Mediolani conſtituere liceret. Re in conſiſtorio deliberata, cum contra cenſerent complures cardinales, pontifex, quamvis invitus faceret, ut in Mediolanenſeis civeis, unde ipſe originem ducebat, gravius quidquam ſtatueret, tamen, cum Philippo roganti id negare non poſſet, ex [h] Pii Carpenſis conſilio conceſſit, confecto ea de re diplomate; de quo ubi fama increbuit, immane quantum omnium animi primo commoti et mox exaſperati ſunt; parumque abſuit res a ſeditione, haud abſimili tumultibus [i] Neapoli ob eandem cauſam ante aliquot annos ſub Petro [k] Toletano exortis. Quod cum videret Ferdinandus [l] Conſalvus Cordubenſis Sueſſae dux, qui decedente e provincia [m] Piſcario marchione Inſubribus nuper praepoſitus fuerat, ne initia magiſtratus ſui pari ſeditionis ac ſeveritatis exemplo foedarentur, apud Philippum et pontificem miſſis ex civium numero legatis tenuit, ut conſilium de inſtituendo Hiſpanicae inquiſitionis Mediolani tribunali tanquam publicae tranquillitati detrimentoſum omnino omitteretur.

IV. EODEM tempore et in Calabria metus injectus ab exulibus, qui quamplurimi ſunt illis locis: ex quibus unus [n] Coſentia egreſſus in tantum audaciae crevit, ut, [o] Marconis regis ſibi nomine aſſumpto, regia etiam inſignia et auctoritatem inter ſuos uſurpaverit: jamque juſtum exercitum coegerat, et late ſuſis copiis ex praeda et latrocinio ſuos alebat; [p] Crotone etiam, ſed irrito ſucceſſu, tentata. Contra tantam multitudinem cum edicta conſueta parum valerent, datum negotium a regni praeſide [q] Cerchiarae marchioni, ut cum IↃ C equitibus ad eos delendos proficiſceretur; qui homines ſcelerum conſcientia attonitos et ob id invicem infidos inopinato adventu huc illuc palanteis nullo negotio diſſipavit.

V. [a] SEPTENTRIONALIA hujus anni reſtant. In Scotia nihil fere memorabile actum. Mulcta pecuniaria edicto irrogata eſt, ſi quis quadrageſimalis jejunii tempore carnibus vetitis veſceretur; quod non religionis ſed publicae utilitatis cauſa decretum fuiſſe ſatis arguit, quod [r] fani Andreae antiſtes in arce [s] Edimburgi eodem tempore incluſus fuit, quod in adventu reginae ſacris more antiquo faciendis et audiendis non abſtinuiſſet, ceteris, qui ejuſdem rei inſimulati fuerant, leviter quidem mulctatis, ſed graviore poena denunciata, ſi poſtea decreto ea de re facto minus obſequentes deprehenderentur. Dein comitiorum, quae in XIII Kal. Jun. indicta fuerant,

VAR. LECT. [a] Nunc quae in ſeptentrionali plaga geſta ſunt paucis expediam; a rebus Scoticis initio ducto. Eo anno nihil fere memorabile ibi actum D. ſ.

INTERPR. [a] *Venegas, gouverneur de Melilla.* [b] *Milan.* [c] *Dauphiné.* [d] *marquiſat de Saluces.* [e] *Guerre des Vaudois.* [f] *le Piedmont.* [g] *le Milanois.* [h] *Pio, cardinal de Carpi.* [i] *Naples.* [k] *de Tolede.* [l] *Gonçalez de Cordouë, duc de Seſſa.* [m] *marcheſe di Peſcara.* [n] *Coſenza.* [o] *Marcone.* [p] *Cotrone ou Cortone.* [q] *Cerchiaro.* [r] *l'archeveſque de St. André.* [s] *Edimbourg.*

fuerant, die, regina coronata ac veſte regali amicta in ſenatum inſolita pompa et ad hunc diem oovo prorſus Scotis ſpectaculo venit. Heic quaedam in Proteſtantium gratiam decreta, et in monetarios aliquot ſevere animadverſum fuit. Exeunte autumno rediit in patriam reginae permiſſu Matthaeus [a] Stuartus Leviniae comes; qui, a noſtris ante XXII annos et a regina vidua Davidis [b] Betonii cardinalis inſtigatu Scotia pulſus, proximis comitiis dignitati ac bonis reſtitutus eſt, regina eam reſtitutionem multa verbornm honorificentia proſequonte. Hujus et mox filii Henrici Stuarti [c] Darlaci adventus, qui in III menſeis commeatu ab Anglis impetrato in Scotiam quoque venerat, magnam reipublicae Scoticae mutationem attulit.

CIↃIↃLXIII.
CAROLUS IX.

VI. [α] SUB id res inter Anglam et Hiſpanos ad diſſidium ſenſim vergere coeperuot, quod tandem in bellum longum et atrox erupit. Alvarus [d] a Quadra praeſul Aquilanus, tunc Philippici oratoris munere apud Eliſabetham fungebatur: is, [e] Polorum familia pracoobili ſibi conciliara, in ſuſpicionem reginae venit, quaſi res novas in [f] Britannia moliretur. Rogatus Pbilippus, ut eum revocaret, ſe excuſavit, cum diceret, incommode cum principibus actum iri, ſi ex qualibet levi offenſiooum opinione legatos ſuos revocare teneantur. Cum hoc impetrare non potuiſſet regina, ex alia cauſa hominem ſibi inviſum indignum in modum habuit; quippe, non prius monito Philippo, legatus domi incluſus, et nulla dignitatis habita ratione in jure interrogatus, moerore ex tanta injuria contracto paulo poſt obiit: cui in eodem munere ſuffectus Didacus Guſmanus [g] Silva. Indignabatur praeterea Philippus, Anglos in ora Hiſpaniae Gallicas naves infeſtare et de oavigatiooe in occidentalem Indiam ſuſcipienda cogitare. Itaque, ut injurias ab Anglis acceptas ulciſceretur, in quaſdam oaveis Anglicas per [h] Baeticae portus ſtatiooem habenteis manum injecit, addira cauſa, quod piratae Angli, dum Gallos perſequerentur, in Hiſpanorum naveis impetum feciſſent. Statim et periſcelidis inſigne neglectum, nec ultra B. Georgii ſolemnitas celebrata; cum tamen Philippi inſignia [i] Windeſorae minime loco mota ſint: remiſſum et io Angliam periſcelidis inſigne. Et, quod maxime Eliſabethae animum exulceravit, Philippus Richardum [k] Shelleium religionis cauſa exulantem, ob idque reginae ſuſpectum, cum honorifica admodum ad Maximilianum legatione miſit; ejuſque opera maximis poſtea in negotiis uſus eſt. His accedebant novae in dies injuriae; quas Angli io Hiſpania a [l] Roderico Gomeſio Silva, in [m] Belgio a [n] Graovellano cardinali accipiebant, utrinque exacerbatis ob religionem odiis, quae inde [o] Albanus Silvae aemulatione an in Anglos ſtudio, quod prae ſe ferebat, apud Philippum, ſive [p] Parmenſis in Belgio in Granvellani invidiam, quantum in ſe erat, mitigabant. Haec ſimultatum inter potentiſſimos principes initia hic annus fecit, qui fuit ultimus Guil. [q] Pageto. Is loco humili ſed honeſto Londioi natus virtute ſua meruit, ut inter regni proceres poſtremo oumeraretur; ſub Henrico VIII honorificis legationibus apud Carolum Caeſarem et Fraociſcum defunctus, et inter regni curatores teſtamento ab ipſo nominatus; dein ſub Edvardo VI [r] Lancaſtriae principatus cancellarius et [s] regiae aulae cenſor, tandem et periſcelide donatus, quae tamen ei injurioſe a [t] Northumbrio detracta eſt; ſub Maria privati ſigilli cuſtos; ea mortua, quamvis in majorum religione conſtantiſſime perſeveraverit, Eliſabethae chariſſimus, ob ingraveſcentem aetatem a negotiis miſſionem nullo priſtinae gratiae damno impetravit: filiis tribus in aula relictis, qui dignitatis a patre partae titulos retinuerunt, filiabus item VI, antequam excederet, in clariores regni familias elocatis.

Hunc

VAR. LECT. [α] Quae ſequuntur de diſſidio inter Angliam et Hiſpaniam &c. per totam paginam ducta, uſque ad *Quomodo Ericus Sueciae rex*, deſunt *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Stuart, comte de Lenox.* [b] *Beton.* [c] *le lord Darnley.* [d] *de Quadra, evêque d'Aquila.* [e] *Pole.* [f] *Angleterre.* [g] *de Silva.* [h] *Andalouſie.* [i] *Windſor.* [k] *Shelly.* [l] *Ruy Gomez de Silva.* [m] *Pays bas.* [n] *de Granvelle.* [o] *le duc d'Albe.* [p] *la ducheſſe de Parme.* [q] *le lord Paget, baron de Beaudeſert.* [r] *le duché de Lancaſtre.* [s] *controlleur de la maiſon du Roy.* [t] *Jean Dudley, duc de Northumberland.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX.

Hunc ſecutus eſt Henricus [α] Manours Rutlandiae comes: is patrem habuit Thomam, avum Georgium [a] Rooſium, cujus uxor Thomae a [b] ſancto Leodegario ex Anna ſorore Edvardi IIII filia magnas opes et ſummum generis ſplendorem in familiam intulit. Decedens Henricus Edvardum et Joannem utrumque ordine Rutlandiae comites ex Margarita Nevilla [c] comitis Weſtmorlandiae filia ſuſceptos reliquit, et filiam, quae [1] Edvardo [d] [β] Courtinaeo nupſit. Silete, an ad inſigne humani ludibrii exemplum commemorare, deberem Franciſcam [e] Suffoleiam, ambiguus haeſi diu. Ea matrem habuit Mariam Henrici VIII ſororem, quae, Ludovici XII vidua, imparibus nuptiis Carolo [f] Brandono Suffolciae duci nupſit. Tres filias ex [2] Edvardo [g] Greio ſuſcepit; Janam poſt Edvardi VI obitum invitam ad regnum ſive ſupplicium cum marito raptam, ſicuti in ſuperioribus diximus; Catharinam [γ] Penbrochiae comitis [h] filio nuptam, poſtea ignominioſe ob mores repudiatam; Mariam denique, quae [3] [i] Keio alcatori perdito nupſit. Ipſa, ne a parente degeneraret, inclinata jam aetate Adrianum [k] Stokes ex infima nobilitate in virum aſcivit, et in ſumma egeſtate et infamia miſeram vitam hoc anno exuit.

VII. QUOMODO Ericus [l] Succiae rex turbulentis ſuis conſiliis vicinorum principum ac civitatum invidiam et odium provocaverit, ſupra diximus: nunc, quam ex odio illo ineluctabilem tempeſtatem ultro ſibi accerſiverit, videamus. Cum Moſci ſuperiore anno quieti in Livonia fuiſſent, Joannes Baſilii filius, qui Polonis Maio proximo bellum denunciaverat, hoc anno in Lithuania arcem [m] Polotiam ad [n] Duinae et [o] Polotae confluenteis ſitam et oppidum ampliſſimum ei ſubjectum obſidione cingit, magnaque tormentorum vi concutit. Nuſquam major machinarum in ullo exercitu numerus, ut quibus trahendis XLCIↃ ruſticorum inſervirent. Tandem oppidani, cum de ſervando oppido deſperarent, eo incenſo in arcem aufugiunt, quae Moſcis XV Kal. Mart. dedita eſt, dum Sigiſmundus interea regni comitiis [p] Petricoviae celebrandis occuparetur. Victor, capta arce, loci praefecto in Moſcoviam eum liberis et uxore ablegato et oppidanis urbe pulſis, inaudita crudelitate per V dies alimenta ſubtrahit, pueros infra X annos mactat, alios grandiores ſecum in ſervitutem abducit, et Tataris pro mancipiis vendit, in cunctos nullo ſexus aut aetatis diſcrimine ſaeviens, praeterquam in tormentorum libratores, quos ſtipendio conductos in rei bellicae uſum ſepoſuit; et, ita Lithuania caede, incendio ac praedis vaſtata, domum retro abiit.

VIII. QUA re irritati foederati eo maturius bellum contra Ericum Suecum, cujus temeritati has cladeis tribuebant, ſibi gerendum exiſtimaverunt; quo, importuni hoſtis et in viſceribus haerentis incommodo ſublato, ad arma in communem hoſtem conjungenda expeditiores eſſent. Primi Lubecenſes bellum ei denunciavere V Eid. Junias, publicato ſcripto, in quo novi regis Guſtavi parentis ipſius ingratitudinem exprobrabant; qui, auxilio, commeatu, pecunia a civitate ſua adjutus, et ad regium faſtigium evectus, pro tot beneficiis indignam gratiam bene meritis de ſe vicinis rependiſſet, Lubecenſium bonis direptis, ipſis ſaepius in carceres conjectis, ac compluribus ex iis crudeliter necatis, reipublicae veteribus privilegiis ac recentibus in regno ſublatis, et negotiatoribus Lubecenſibus complureis annos gravibus vectigalibus ac tributis indigne vexatis. Tum Erici ipſius, poſtquam pater vivis exemptus eſſet, erga ſe maleficia enumerabant; qui ad damna a parente illata etiam nova adjeciſſet,

et

VAR. LECT. [α] Manerius *Ed. Gen.* [β] Curtinaeo *Ed. Gen.* [γ] Penbrocii *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *le baron de Roos.* [b] *St. Leger.* [c] *Nevil, comte de Weſtmorland* [d] *le chevalier Guillaume Courtenay de Pouderham en Devonſhire.* [e] *la ducheſſe de Suffolk* [f] *Brandon.* [g] *Henry Grey, marquis de Dorſet & duc de Suffolk.* [h] *Henry lord Herbert, fils aîné de Guillaume comte de Pembroke.* [i] *Keies.* [k] *Stokes.* [l] *la Suede.* [m] *Polocz.* [n] *la Duine.* [o] *Polotta.* [p] *Peotricow.*

NOT. [1] Dele *Edvardo*: Lege *Wilelmo*. *C.*

[2] Dele *Edvardo*. Lege *Henrico*. *C.*

[3] Dele *aleatori perdito*: Lege *primario Aulae janitori* (Anglice *ſergeant Porter*); ut in poſterioribus Camdeni editionibus. Camdenus in prioribus Annalium editionibus, unde Thuanus hunc locum deſumpſit, Keium aulici aleatorum arbitri (*Anglice* Groom-porter) titulo deſignat: in poſterioribus tamen hic Camdeni error, qui Thuano in graviorem incidenti anſam praebuit, corrigitur, ut ſupra. *C.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX.

et navigationem Ruſſicam priore anno impediiſſet, [a] negotiatorum navibus ac mercibus in aperto ac libero mari captis; neque interea Caeſaris et ſeptemvirorum principum crebris item ac magni impendii delegatorum miſſitationibus quidquam obtinere ab eo potuiſſent. His rationibus adductos ſe dicebant, ut ei bellum denunciarent, ut, quae jure gentium, antiqui foederis et amicitiae ab ipſo impetrari non potuerint, armis repeterent. Quod ad navigationem Ruſſicam attinet, ita res habet. In Livoniae et Moſcorum confinibus [a] Narva eſt fluvius eum cognominibus ab utraque ripa oppidis: et Narva quidem Ruſſorum ob maleficia transfugis noſtris, aut iis, qui decoxerant, tanquam tutiſſimum perfugium patebat: ob id Livonis, prudente juxta et reipublicae Chriſtianae utili conſilio, navigatio illuc interdicta fuerat, ne commercio noſtrorum barbari rariores artes ipſis ignotas, et quae ad rem navalem ac militarem et praecipue tormentariam pertinent, edocerentur. Sic enim exiſtimabant, Moſcos, qui maximam ſeptentrionis partem tenerent, ubi claſſis poteſtas fieret, Narvae condito emporio et exſtructo armamentario, non ſolum in Livoniam, ſed etiam in Germaniam effuſo exercitu penetraturos. Ita memoria noſtra Turcos Genuenſium lucri cupiditate illectorum frequentatione rem navalem edoctos [b] Helleſpontum tranſmiſiſſe; et inde Graecis transfugis et piratis adjutoribus claſſe inſtructa Conſtantinopolim imperii orientalis caput; et mox Macedoniam, [c] Illyricum et univerſam [d] Peloponneſum in poteſtatem redegiſſe. Itaque maritimae orae civitates, miſſis Lubecam legatis, communi conventus in ea habiti decreto, Narvenſem navigationem omnem ita ſuſtulerant, ut pro infamibus omneis eos haberent, qui eo merces ſuas importarent, jure denique omni negotiationis interdicerent, et res eo importandas aut ibi comparatas auctionibus factis publicari fiſcoque addici debere pronunciarent. Eo metu deterriti negotiatores ad haec uſque tempora ab illa negotiatione abſtinuerant: adeo ut neque paulo honeſtiores homines ibi domicilium haberent, donec, impreſſione a Moſco in Livoniam facta et capto [e] Torpato, aliquot millia liberorum capitum in miſerabilem ſervitutem adducta ſunt, et, deducta Torpatum colonia, Lubecenſes, quibus commercii intermiſſio moleſta, et alioqui praeter quaeſtus jacturam nihil inhoneſtum videbatur, commercium, quod cum [f] Revalienſibus Livonis exercebant, propter Moſcorum potentiam intercluſo aut infeſto illo itinere, Narvam Ruſſorum tranſtulerant, fruſtra reclamante Gul. [g] Furſtembergico, qui periculum veritus, pactorum antiquorum Lubecenſeis admonere, opem poſcere, decreta de Narvenſi navigatione repetere non ceſſabat; et, ſi quid a ſuis peccatum eſſet, damnum reſarcire paratum ſe oſtendebat. Quibus rationibus victi conſules Lubecenſes, qui inſignem mutationem urbi haec provincialium aucupia allatura praeſagirent, et quantum periculum non ſolum ipſis ſed toti Germaniae immineret ab hoſte praepotenti tot ſucceſſibus tumido, qui ccc ciↃ armatorum ſecum trahebat, et militarteis aſtricta diſciplina tanquam conditione ſervos contineret, animo providerent, rurſus Narvicam navigationem omnino prohibuerunt; de cetero in auxiliis laboranti Livoniae ſummittendis, innata civitatibus procraſtinatione, ſegniores. Sed, cum nihilominus homines lucro illecti navigationem non intermitterent, Furſtembergicus, monito primum ſenatu, cum iis hoſtiliter agit: quare irritati Lubecenſes privilegia ſua contra obtendebant; quibus ſibi licere affirmabant, etiam durante inter Livonos ac Moſcos bello, in intima Ruſſiae penetrare; contra obnitentibus Livonis, qui id de terreſtri profectione non maritima intelligi debere contendebant. Itaque res in controverſiam coram Ferdinando Caeſare Viennae deducta et diu diſceptata eſt; qui ſecundum Lubecenſeis pro libertate potius quam e re Germaniae pronunciavit, et

decreto

VAR. LECT. [a] Lubecenſium negotiatorum *D f. o*

INTERPR. [a] *Nerva.* [b] *Stretto di Gallipoli.* [c] *la Dalmatie.* [d] *la Morée.* [e] *Derpt.* [f] *ceux de Revel.* [g] *le comte de Furſtemberg.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX. decreto non facultatem navigandi in Moſcoviam ereptam interpretatus eſt, ſed tantum proſpectum fuiſſe, ne arma et inſtrumenta bellica ac commeatus ad barbaros importarentur: eam porro ſibi de Lubecenſibus fiduciam eſſe, eos diligenter proviſuros, ne, ardente inter eos populos bello, ex armorum importatione ullum Imperio periculum crearetur. Quo decreto freti homines alioqui avaritia caeci non jam uniones, ut antea, zingiber, piper, cinnamomum et hujuſmodi luxus ac gulae lenocinia, ſed Caeſaris mente interdictas merces, ut ſulphur, ferrum, aes, cuprum, orichalcum et omnem machinarum materiam, ſpreto communi patriae periculo, ad hoſteis importare coeperunt. Itaque Livoni, qui ſe non ſolum auxiliis ſperatis ſed gratia et jure deſtitutos ab Imperio viderent, extrema neceſſitate coacti diverſi alii alio ſubſidium rebus ſuis quaeſiverunt; et Revalienſes quidem Sueci regis clientelae ſe crediderc: ceteri fere omnes patrocinium Sigiſmundi Poloniae regis elegere. At Ericus, qui [a] Revalia aliter potiri non poſſet, quam ſi navigationem Narvicam, non ſolum Livoniae ſed toti Germaniae detrimentoſam, prohiberet, quamvis memoria beneficiorum a Lubecenſibus acceptorum ob oculos obverſaretur, quae aliquanto tempore ejus conſilia remorata eſt, tandem de inhibenda navigatione cogitare coepit; eoque magis, quod Revalienſes ei perſuaſerant, vileis ſolummodo negotiatores eam ſuſcipere, ceterum primores civitatis a ſe ſtare, et ideo rem nullius eſſe periculi: facile enim aſſentiente ſenatu faecem plebeiam reprimi poſſe. Itaque jam anno ſuperiore Ericus ad ſenatum ea de re perſcripſerat, et expoſito rei periculo monuerat, ut civeis ſuos ab ea navigatione abſtinerent, aut ſaltem, ut fraudi obviam iretur, commeatus literas a ſe accipere tenerentur: niſi facerent, periculum Revalienſium negligere non poſſe. Ad has literas illi immane quantum exarſerunt, ſua privilegia imminui quiritantes, et injuſte eum facere, qui mare commune prohiberet, mox et aerem, quo vivimus, ſi diutius feratur, eadem ratione prohibiturus: itaque non remiſſo reſponſo naveis expediunt, et pretioſiſſimis mercibus in eas impoſitis Narvam inconſulto rege tendunt: a quo interceptae cum repoſcerentur, ille utendum occaſione ratus, eas quidem reſtituit; ſed conditionibus admodum duris, et quas initio Lubecenſes repudiarunt; ut nimirum domum publicam ſibi in urbe ſua concederent, foeduſque inirent, ut, quoties opus eſſet, militi conſcribendo in urbe locum darent. Sed mercibus caſu poſtea amiſſis, et legatis per [b] Haſniam, ubi de Dani ad bellum cum Sueco gerendum ſe comparantis conſiliis certo cognoverunt, itinere facto domum reverſis, conſules conditionibus rejectis et ipſi ad belli conſilia inclinavere, monito prius Ferdinando Caeſare; et ante omnia legatos ad Moſcum miſere, qui ſuam cauſam agi oſtenderent, et ſuppetias adverſus Succum libertatem publicam prohibentem peterent. A quo id reſponſi tulere, Lubecenſeis in finibus ſuis negotianteis ſe defenſurum; ceterum, ut eos in aliena ditione tueatur, foedere, quod cum Sueciae rege ſanxerit, prohiberi.

IX. Et his quidem rationibus ſeu coacti ſive inducti Lubecenſes bellum Sueco indixere: quorum exemplo Fridericus Daniae rex, quamvis arcta cognatione cum Sueco conjunctus, (quippe ambo ex duabus ſororibus Dorothea et Catharina Magni Saxonis filiabus prognati erant) praevalente ſeu vetere gentis utriuſque odio ſive recenti injuria, in eam rem pridie Kalend. Sextil. ſcriptum emittit, et Succum cognationis, quae ipſis arctiſſima intercedit, penitus oblitum, non ſolum vetera ac recentia foedera ac pacta inter majores atque ipſos inita ex mera inſoleſcentis animi libidine violaſſe dicit, ſed praeterea, quae ſibi ac ſuis moleſta et contumelioſa fore putaverit, nullo reſpectu feciſſe: id patere ex inſignium Danici ac Norvegici regnorum uſurpatione, quae ille ad contemptum ſuum et injuriam in ſigillis geſtet; ex invaſione item ditionum, quas in Livonia [c] Magno Opſalienſi epiſcopo ipſius fratri et Revalienſi

INTERPR. [a] *Revel.* [b] *Copenhague.* [c] *Magnus, evêque d'Hapſel.*

Revalienſi adminiſtratori hoſtiliter eripuerit. Addebat Danus, Magnum ab ipſo grandi pecunia oblata ad defectionem ſolicitatum, Danos variis injuriis affectos, libellos famoſos contra ſe in finitimis regionibus ſparſos, ac poſtremo pacis publicae in Germanico oceano, ex eaque pendentis navigationis maritimae per piraticam, latrocinia ac depraedationes conturbationem: naveis item Danicas ad navigationis publicae ſecuritatem in eo mari deſtinatas contra amicitiae jura captas; quibus injuriis non ſolum ſe, ſed omneis vicinos principes ac civitates ex alta pace in periculoſi belli neceſſitatem praecipitaſſe: ſe quidem id amplius diſſimulare non potuiſſe, ſed ad juſtam ſuorum ſubditorum et foederatorum defenſionem contra ambitioſum regem ac publicae tranquillitatis turbatorem juſta arma pro communi libertate induiſſe.

CIↃIↃLXIII.

Carolus IX.

Ad has denunciatorias literas Suecus, quamvis non ita a rebus ad bellum neceſſariis paratus, renidenti vultu reſpondit; regis Daniae arcta cognatione conjuncti, quoniam regali faſtigio emineret, ſe denunciationem ac fecialem accipere, quamvis longe diverſam de eo, qui nunquam a ſe laeſus eſſet, ſpem concepiſſet: Lubecenſium vero fecialem ad ſenatum [a] Stocolmiam, quae regni caput eſt, ablegat; ad contemptum addens, reges regibus, civeis ac ruſticos civibus ac ruſticis bellum indicere debere. Jam Danus ante denunciationem factam negotium dederat Gunthero comiti [b] Schuartsburgico, Georgio [c] Hollio, Hilmero [d] Monchauſeno, Danieli [e] Ranzovio, Hilmero [f] Quereno, Joanni [g] Wiſchio, Joſuae [h] Qualeno, ut equitum ac peditum delectus haberent, et ad diem condictam convenirent, inſtructa IIII grandiorum navium claſſe; quam praefecto Jacobo [i] Brokenhuſio ad maris cuſtodiam ſtatim [k] Bornholmiam ablegaverat, ut ex urbibus maritimis et aliis regionibus in [l] Sueciam navigaturos tranſitu prohiberet. Ad famam hujus belli Ericus [m] Brunſvicus, homo otii impatiens, qui faſtu et ſtolida taciturnitate vanis plerumque conſiliis rapiebatur, copias inſtruxerat, eaſque Friderico bellum adverſus Suecos geſturo detulerat; quibus cum ille minime uti vellet, Brunſvicus, qui militem ſine pecunia diu ſub ſignis teneri non poſſe judicaret, poſtquam ſuſpenſos omnium aliquanto tempore animos tenuit, quid moliretur quove tenderet, iter poſtremo in Weſtphaliam vertit, et [n] Warendorpium aſtu capit: repetitaque acceptae ab Henrico patruele, dum arma per Germaniam paſſim circumferret, injuriae veteris paeneque extinctae memoria, Bernardum [o] Raſfeldum Monaſterienſem epiſcopum et ſacri illius collegii ſodaleis hoſtiliter aggreditur; qui pacem poſtremo ab homine turbidi ingenii, cum aliter perniciem a finibus ſuis avertere non poſſent, XXXII CIↃ aureorum depenſis redemerunt. Inde Brunſvicus, [p] Albi ad [q] Beizeburgum tranſmiſſo, per [r] Luneburgenſem et Megalopolenſem ditionem ac Vandalicas civitates facto itinere ad [s] Boruſſiae fineis venit; ubi, acceptis mutuo II CIↃ aureorum a [ſ] Dantiſcanis, cum ingreſſu ab Alberto duce ſororio ſuo contrarias copias opponente prohiberetur, confluente undique ex vicinis provinciis milite, retro iter flectere coactus eſt, vexillis ſciſſis et diſſipatis copiis, tormentis etiam relictis et occultatis: et, cum in itu tanta celeritate uſus eſſet, ut Caeſarei legati nullibi eum deprehendere potuerint, in reditu fugae ſimili longe majorem feſtinationem adhibuit: quo conſilio profectionem eam ſuſcepiſſet, curioſis divinandum relinquens, cum ipſe fortaſſe cauſam ejus ignoraret. Interea Suecus, inſtructa XIX navium claſſe, cui Jacobum [t] Bagium praefecerat, Danicos excubitores prope Bornholmiam ipſo Pentecoſtes die, qui in Kalend. Junias incidebat, intercipit; et navem praetoriam cum Jacobo Brokenhuſio maris praefecto, ac II alias multaſque machinas bellicas et praeter milites claſſiarios amplius IↃCCC in poteſtatem redigit. Inde Suecica claſſis XIIII dies ad [u] Warni aeſtuaria commorata, quaſi jura amicitiae

INTERPR. [a] *Stockholm.* [b] *de Schwartzenburg.* [c] *Holle.* [d] *Monchauſen.* [e] *de Ranzow.* [f] *Querenheim.* [g] *Wiſch.* [h] *Qualen.* [i] *Brokenhauſen.* [k] *Bornholm.* [l] *la Suede.* [m] *le duc de Brunſwick.* [n] *Warendorp.* [o] *Ratzfeld, evêque de Munſter.* [p] *l'Elbe.* [q] *Beizenburg.* [r] *les duchés de Lunenburg & Mecklenburg.* [s] *la Pruſſe.* [ſ] *ceux de Dantzick.* [t] *Bagge.* [u] *Warnow r.*

CIƆIƆLXIII. CAROLUS IX.

amicitiae adhuc Suecis cum Daniae rege conſtarent, nam haec ante denunciatum bellum acta, nulli ex Danis toto [a] Roſtochienſium nundinarum tempore damnum aut moleſtiam intulit, Bagio illic ſe ad excipiendam Chriſtinam [b] Heſſi filiam regi deſponſatam ab Erico miſſum jactante. Verum poſt denunciationem, Fridericus, collectis ſtatim [c] Warburgi in Scania circiter IIII CIƆ equitum et XXXIIII CIƆ peditum, claſſe item L navium inſtructa, in quibus XIII Lubecenſium erant, et XVI claſſiariorum militum cohortes ac totidem fere nautarum vehebantur, praefecto Petro [d] Scharamo, dum Brokenhuſius captivus attineretur, Warburgo movet pridie Nonas Sextil. ſummaque celeritate uſus Suecum incogitantem opprimit: qui tamen, quamvis ad ſummas anguſtias praefracta audacia ſe conjeciſſet, non ſe in extremo periculo deſeruit; ſed, portubus munitis ac faucibus montium, qui Sueciam a Daniae finibus diſterminant, idoneo praeſidio firmatis, nemoribuſque ſuccenſis, hoſteis ab ingreſſu regni arcuit, et eorum conatus magna ex parte diligentia ſua irritos reddidit. Primus Dani impetus factus ad [e] Elſeburgum arcem; quae portum ſubjectum habet inter extremos Hallandiae et Norvegiae fineis, per quem unicum et ſolum toto eo regno in oceanum occidentalem exitus patebat; quam et corona cingit, tandemque a ruſticis, qui eam tenebant, exeunte Septembri deditam capit: Georgius Ranzovius, cum IIII peditum cohortibus loco impoſitus. Mox dimiſſus exercitus, et in hyberna ex ducum conſilio, qui ſatis hoc anno actum putabant, deductus eſt. Interea Auguſti Saxonis ſeptemviri et Philippi Heſſi interventu legati pacis ineundae inter reges gratia Roſtochium conveniunt; ſed irrito ſucceſſu, cum de commeatu, quo ſibi a Danicae claſſis praefectis caveri expetebat Suecus, conveniri non potuiſſet.

X. AT Ericus homo vafer et ſuſpicax, cum ſe videret non ſolum a Danis ac Lubecenſibus bello peti, ſed etiam a Sigiſmundo Auguſto Poloniae rege, cujus ſororem Catharinam Joannes frater Finlandiae dux, CXX CIƆ Joachimicorum mutuo datis, nuper uxorem duxerat, et recens abducta ſecum conjuge in patriam redierat, ex eoque conjectaret fratrem conſcium, aut etiam occulto cum regni hoſtibus pacto foederatum, peſtem domeſticam ante omnia e viſceribus evellendam ratus, primum belli impetum in eum convertit; captumque cum uxore ac tota ſamilia in oppido Finlandiae, cui Abo nomen, [f] Holmiam duci et publico judicio accuſatum in cuſtodiam dari ac pleroſque ipſius familiareis ſupplicio affici juber. Is quadriennium totum in carcere habitus, poſtea libertati reſtitutus, Ericum fratrem anno poſt vices alternante fortuna regno exutum carceri perpetuo mancipavit. Tum vero, jam ineunte hyeme, Ericus per Weſtgothiam cum XXX vexillis peditum et X equitum turmis, cum quadraginta item machinis progreditur; et [g] Helmeſtadium maritimum [h] Hallandiae oppidum, quod Chriſtianus [i] Manduelius et Joſua [k] Qualenus gnaviter defendebant, magna vi oppugnat: ſed, cum VII equitum alae et XXIIII peditum ſigna laborantibus obſeſſis juſſu Friderici miſſa ex [l] Ellebogi hybernis ſummo ſilentio ſuperveniſſent, acre proelium inter Danos ac Suecos commiſſum eſt V Eid. Nov. in quo Sueci III CIƆ ex ſuis deſiderarunt, ac praeterea XL machinas bellicas. Praecipua in eo virtus [m] Schuartsburgici comitis fuit; qui aliquoties, equo in glacie collapſo, deturbatus, hoſteis ingruenteis fortiſſime repulit, ac poſtremo in fugam vertit. Ericus, qui obſidioni interetat, de eventu veritus, triduo ante auxiliarium adventum ſimulata ad copias alias adducendas [n] Calmariam profectione ſe periculo ſubduxit; quem Schuartsburgicus cum equitatu iter Calmarienſe ingreſſus et inſecutus eſt, ſed mox re infecta rediit, et [o] Almogae in Scania hyemavit; erumpentibus inter haec Suecis, qui [p] Licoviam et Overſam arces, oppidumque [q] Sundebum vi paucis poſt diebus cepere.

XI. DUM

INTERPR. [a] *Roſtock.* [b] *le Landgrave de Heſſe.* [c] *Warburg en Schonen.* [d] *Sehram.* [e] *Helſingborg.* [f] *Stockholm.* [g] *Helmſtadt.* [h] *Halland.* [i] *Mandwel.* [k] *Qualen.* [l] *Ellebogen.* [m] *de Schwartzenburg.* [n] *Calmar.* [o] *Almogen en Schonen.* [p] *Lackow & Overſe.* [q] *Sundeby.*

XI. Dum haec inter reges gererentur, Gulielmus [a] Grombachius ob damna Melchiori Zobelo epiſcopo [b] Herbipolenſi in bello ſeu potius latrocinio publico, Alberti Brandeburgici auſpiciis anno hujus ſaeculi LII ſuſcepto, illata, proſcriptus et bonis ſpoliatus, cum nec ullis amicorum precibus nec principum ſummorum interventu eorum reſtitutionem impetrare potuiſſet, occiſo interea immani perfidia epiſcopo, quamvis de auctore non conſtaret, tamen quia ex ſuſpicione communi opinio invaluerat, ſcelus aut Grombachii inſtigatu aut ab ipſius emiſſariis patratum eſſe, eo diligentius ille cavebat, ne in ſodalium Wirtsburgenſium manus incideret; et, cum huc illuc incertis laribus diſcurſans diu per Germaniam erraſſet, tandem vitae vagae pertaeſus, ſcelus jam admiſſum novo crimine cumulare, et, quod precibus a Wirtsburgenſibus obtinere non potuerat, id inſigni facinore ab ipſis extorquere in animum induxit. Itaque IↃC equites ac totidem pedites mira celeritate ac ſilentio conſcribit; iiſque ad Sinnum amnem locum et diem condicit, pleriſque eorum, cui militaturi eſſent, ignaris: condicta die ipſe cum ſuis ex Coburgenſi agro progreditur, et Richardum [c] Keerem Herbipolenſis eccleſiae praepoſitum ad [d] Weſtervinkelum coenobium haud longe a [e] Wilhuſio oppido intercipit; ac VI Non. Oct. ſummo mane ad [f] Moenum, qua ſani [g] Buchardi arcem praeterfluit, recta tendit, ibique unoquoque equite in tergum peditem aſſumente vadum fluminis a piſcatoribus commonſtratum tranſmittit; et, cum portam Herbipoleos macellariam occluſam reperiſſet, ad piſcatoriam tranſit, eamque, cum non diligenter cuſtoditam et alioqui debilem ſciret, ferrulis in hunc uſum allatis aperit: qua pateſacta magno impetu irruens quatuor in locis, ad quae civeis vetere conſuetudine concurrere noverat, ſingula equitum ac peditum ſigna locat, ita facultate conveniendi civibus adempta: et ſtatim tubas ac lituos canere jubet, monitis praeconis voce civibus, ne domo pedem efferrent; nam non civeis ſed ſacri collegii ſodaleis peti. XII tantum interfecti, qui contra edictum incendium veriti ad tumultum egreſſi fuerant. Sic ad meridiem uſque in equis ſtetit, jejuno ad hoc tempus milite. Tum portis praeſidio firmatis, et armis a civibus acceptis, quibus ſuos minus bene inſtructos armat, quatuorviris urbis praefectis imperat, ne huic ſe cauſae implicent: non enim ſibi cum ipſis, ſed cum ſodalibus rem eſſe; quibus bonorum ſibi injuſte ablatorum reſtitutionem facientibus, ſine maleficio ſit diſceſſurus: quo facto, permiſſum, hoſpitium ut quod quiſque vellet occuparet. Itaque non ſolum privatorum aedes ſed coenobia virorum ac virginum hoſtiliter direpta; ac praecipue in ſodaleis ac ſacerdotes ſaevitum, quorum famulae non ſolum contumelioſe tanquam concubinae habitae, ſed etiam graviſſimis tormentis ſubjectae ſunt, ut ad detegenda, quae celata ſcirent, adigerentur. Ad tumultum Fridericus [h] Wirtsburgus epiſcopus in arcem confugerat; ex qua mox profugus in [i] Noricum ſe recepit, praeſidiariis interim in Grombachium aſſidue ex arce fulminantibus. Sed cum Grombachius, quaſi moram in urbe facturus, patibulum ad militis terrorem pro more in foro erigi, et metarores, nomina falſa quaſi venturorum aſcribenteis, ad hoſpitia aſſignanda aedeis circum ambire juſſiſſet; inſuper, ni ſatisfieret, non ſolum urbi incendium, ſed toti circum agro vaſtitatem minaretur, prolato etiam libro, quo epiſcopi ac ſodalium flagitia atrociter exagitabantur, quem ſe evulgaturum jactabat, veriti ſodales, ne minis facta reſponderent, tandem in has conditiones V poſt die cum ipſo tranſigunt; ut bona paterna et hereditaria ei ſtatim per delegatos reſtituantur, Erneſto [k] Mandeſloo et Willelmo [l] Steinio praecipuis amicis ac ducibus de damnis bello Albertino ab epiſcopo Herbipolenſi acceptis ſatisfiat; et illi quidem VI CIↃ talerorum, huic X CIↃ dependantur; et ad inſtaurationem arcis [m] Breitbachiae ex nemore [n] Bambergico

CIↃIↃLXIII.
Carolus IX.

INTERPR. [a] *Grombach.* [b] *de Wirtzburg.* [c] *Keere.* [d] *Weſterwinkel.* [e] *Wilhauſen.* [f] *le Mein.* [g] *St. Burchard.* [h] *l'evêque de Wirtzburg.* [i] *la Baviere.* [k] *Mandeſloe.* [l] *de Stein.* [m] *Breitbach.* [n] *de Bamberg.*

CIↃIↃLXIII. CAROLUS IX.

bergico materia ſuppeditetur: conventum item, ut memoria caedis Melchiotis epiſcopi aboleatur, neque de ea amplius in ſuſpectos inquiratur; litibus, quae in camera imperiali et coram Herbipolenſi epiſcopo contra Grombachium pendent, extinctis; Richardus Keeres, ubi de redemptionis pretio cum Juſto [a] Zeduvizio convenerit, dimittatur: additum poſtremo tranſactioni, ut, ſi Caeſarea vel regia majeſtas vel quivis alius aliquid contra hanc pacificationem ſuſcipere voluerit, epiſcopus coram Caeſare, camera imperiali, fiſcali et aliis, Grombachium ac complices defendere et indemneis praeſtare teneatur, atque adeo efficere, ut tranſactio haec confirmetur. Huic tranſactioni ſubſcripſere VIII nobiles pro epiſcopo: nomine Grombachii ipſe Erneſtus Mandeſlous cum Wil. Steinio.. Grombachius, militi ſtipendio ex pecunia a civibus accepta perſoluto, victor triumphans Herbipoli egreſſus eſt; dimiſſiſque copiis in arcem ſuam [b] Hellingenſem ſe contulit; in qua non diu ſolido gaudio frui potuit: nam Ferdinandus Caeſar, re cognita, cum ad Imperii ſecutitatem et auctoritatem ſuam pertinere judicaret, ut vis publica legibus reſraenaretur, facti indignitate permotus, officii ratione omnia Herbipoli acta reſcidit, ac Grombachium cum Steinio, Mandeſloo, Zeduvizio, Michaele [c] Fuſtlino et Theodorico [d] Picthio, tanquam praecipuis ducibus, publice proſcribit, et proſcriptos per Imperium denunciat, eo

CIↃIↃLXIV.

exitu, ut non diu poſt ſententiam in contumaces reos latam poena tardaverit. Anno ſequenti delegatorum ad repentina et inopinata Imperii negotia legati cum Caeſaris juſſu conveniſſent, Grombachius, ea re cognita, prolixum ad eos ſcriptum mittit; quo demonſtrabat, quam pacis publicae ſemper ſtudioſus fuiſſet, cui tamen locum apud adverſarios nunquam hactenus invenire potuerit: eo ſe conſilio ante quinquennium inſtructiſſimum exercitum, quem ex Galliis reducebat, ſeptemviris ſuadentibus, [e] Delvarti ſtatim dimiſiſſe, ac pro concordia [f] Auguſtae inſtitiſſe; ſed irrito conatu, quippe Herbipolenſis collegii ſodaleis ſacramento fidem aſtrinxiſſe, in nullam ſe cum Grombachio pacem aut reconciliationem conſenſuros: ita ſe neceſſitate et ſumma adverſatiorum iniquitate compulſum pro bonorum ablatorum recuperatione arma juſta ſumpſiſſe; nam ſemper licuiſſe per vim ſpoliato ſpoliatorem contraria vi expellere, et bonorum ereptorum poſſeſſionem vel cum offenſione publica recuperare: itaque jus ſuum negligere noluiſſe, ſed amicorum, inter quos CCCC nobiles numerentur, opibus et auxiliis fretum, occaſione rei gerendae ac fortunae beneficio uſum eſſe, et tranſactionem ab adverſariis oblatam acceptaſſe: nec vero proſcriptionis contra ſe a Caeſarea majeſtate decretae rationem haberi debere; quippe extra Imperium in Pannonia, ſeptemviris minime conſultis, et jam cauſa tranſacta, factae: proinde enixe a delegatis petere, ut interventu ſuo proſcriptionem aboleri, et, quo majoribus malis obviam eatur, tranſactionis factae formulam ab Herbipolenſibus ſodalibus ſervari curent. Ad quod ſcriptum Herbipolenſis epiſcopus, qui ex numero delegatorum erat, contrario ſcripto vehementi admodum reſpondit III Kal. Mart. quo, ſerie facti ſimplici propoſita, minas additas a Grombachio proſcripto dicit, niſi ſodales tranſactioni per vim extortae ſubſcriberent: tum eum immerito bonis ſpoliatum negat; quippe qui inter praecipuos vaſtatae Franconiae auctores fuerit: et mandata camerae de reſtitutione cum clauſula in vim ſimplicis citationis jure reſoluta dicit: neque vero principum interceſſioni locum datum, cum a prioribus delictis non ſolum non temperaverit, ſed ea multo atrocioribus cumulaverit: conjurationem item ſodalium contra Grombachium ab ipſo ad eos diffamandos more ſuo confictam: et in hoc Auguſtae ab Ordinibus conſenſum, ut, ſi caedis Melchioris [g] Zobeli Herbipolenſis epiſcopi ſe innocentem approbaret, bonis reſtitueretur; quod cum non fecerit, non videri eum ab illo ſpoliatum, qui citra dolum ſummo magiſtratu, hoc eſt, Caeſare mandante violentum graſſatorem juſtis armis repellat et propellat: immo

mirandam

INTERPR. [a] *de Zewitz.* [b] *Hellingen.* [c] *Fuſtlin.* [d] *Pubten.* [e] *Delvart.* [f] *Augsburg.* [g] *Zobel, evêque de Wirtzburg.*

mitandam nec ſetendam hominis proſcripti temeritatem, qui proſcriptionis ſenten- CIↃIↃLXIV.
tiam nulla juſta de cauſa evertere conetur. Nam ubi auditum, ut princeps, cum ſit CAROLUS IX.
lex animata, ob nota omnibus crimina pacis publicae violatores, etiam non conſultis ſeptemviris, proſcribere nequeat? aut propter bonum publicum, cum pars evidenter probabili defenſione deſtituitur, praetermittere citationem non poſſit? Ad extremum delegatos orat, ut, nulla Grombachiani ſcripti ratione habita, in coepta conſultatione pergant, quo publicae pacis perturbatores coerceantur, et tranquillitas in Imperio conſtituatur. Is porro conſultationis exitus fuit, ut, neceſſitate urgente, pro quiete publica conſervanda CIↃ IↃ equites communibus Imperii ſumptibus alendi conſciberentur.

XII. HAUD multo poſt IIII Eid. April. Fridericus Palatinus ſeptemvir et Chriſtophorus [a] Wirtembergicus in [b] Malbrunenſi monaſterio, quod eſt in Wirtembergica ditione VI a [c] Spira Nemetum milliaribus, ex compacto convenerunt, ut diu inter ipſos de praeſentia corporis Domini in ſacra coena agitatae quaeſtioni finis imponeretur. Adduxerat ſecum Palatinus ex theologis Michaelem Tillerum, Petrum [d] Boquinum Biturigem, Gaſparem [e] Olevianum Trevirum, Zachariam [f] Urſinum et Petrum Dathenum, et cum iis Chriſtophorum [g] Ehemium cancellarium, et Thomam Eraſtum ſumma doctrina et peracri judicio medicum, ac poſtremo Gulielmum Xylandrum utriuſque linguae apprime gnarum, ad haec philoſophiae et mathematicarum artium doctrina praeſtantem virum, qui notarii munere in eo colloquio functus eſt. Cum Wirtembergico venere [h] Valentinus Vannius, Jo. Brentius, Jacobus Andreanus, Theodoricus Schnefius, Baltazar [α] Bidenbachius, theologi, et cum iis Jo. [i] Fiſlerus et Hier. Gerardus; Lucas item Oſiander notarius ab iis delectus. Colloquium totum ſeptiduum duravit: nihilque aliud eo effectum, quam quod principibus ob alia negotia inde profectis, acta confecta, quibus ſubſcripſere ab utraque parte delecti, quae poſtea publicata ſunt; et ita colloquium, quod, ut controverſiae de graviſſima quaeſtione finis imponeretur, inſtitutum fuerat, majoris excitandae initium extitit.

XIII. ANTEA Ferdinandus Caeſar ad componendum bellum inter Daniae, Succiae ac Poloniae reges Chriſtophorum [k] Carolovicium, Maximilianus Bohemiae rex Henricum [l] Waldeſtenium, [m] Roſtochium miſerant; et eorum exemplo ac rogatu Saxo ſeptemvir Ericum Wolemarum [n] Berlepſchium, Henricus Brunſvicus Conradum [o] Suicheldum, Sigiſmundus Auguſtus rex Martinum [p] Cromerum epiſcopum Warmienſem nobilem patriae hiſtoriae ſcriptorem et Joannem [q] Coſtkam poſtea Palatinum [r] Sandomirienſem; Fridericus Daniae rex Othonem [s] Crumpenum equitum regni tribunum, Georgium [ſ] Roſencrantium, Henricum [t] Ranzovium et Joachimum [u] Hinkium decanum Bremenſem; Lubecenſes Hieronymum [v] Luneburgum conſulem et Hermanum [w] Wecheldum ſyndicum. Hi bimeſtre amplius Suecorum adventum praeſtolati, augente in dies rerum venalium in urbe pretio, tandem reverſo e Suecia [x] Minquitio Caeſaris nuncio hoc reſponſum tulere; regem, quandoquidem de conventu Roſtochii inſtituendo tempeſtive nihil ſignificatum ſit, et veteri more invaluerit, ſi quae inter Succiae ac Daniae reges controverſiae incidant, ut ad regni utriuſque limites legati mittantur, neminem hoc tempore Roſtochium miſſurum; quod ſi ad regni fineis accedere velint, ſuos mox praeſto fore. Quo reſponſo ſuperbiae ſimul et illuſionis pleno accepto, legati huc illuc diverſi abiere. Interea Succiae rex [y] Elsburgum aliquot menſeis irrito conatu obſidet; et, ne ſine ullo pretio diſcederet, excurſionibus in Hallandiam factis omnem agrum circa [z] Laholmum et Engelholmum

VAR. LECT. [α] Bidenbrachius *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *le duc de Wirtemberg.* [b] *Maubrun.* [c] *Spire.* [d] *Bouquin de Bourges.* [e] *Olevian de Trier ou Treves.* [f] *Urſin,* German. *Beer.* [g] *Ehem, chancelier de l'electeur Palatin.* [h] *Valentin Vanns, J. Brentzen, J. Andrea, Thierry Schnepff, Baltazar Bidembach.* [i] *J. Fiſler & Hierome Gerard.* [k] *Carlewitz.* [l] *Waldeſtein.* [m] *Roſtock.* [n] *Berlepſch.* [o] *Suicheld.* [p] *Cromer, evêque de Warmie.* [q] *Coſtke.* [r] *de Sendomir.* [s] *Crumpen.* [ſ] *Roſencrantz.* [t] *de Ranzow.* [u] *Hinken.* [v] *Lunenburg.* [w] *Wecheld.* [x] *Minquitz.* [y] *Helſinborg.* [z] *Laholm & Engelholm.*

CIↃIↃLXIV. holmum diripit: in Norvegia etiam [a] [1] Nidroſiam oppidum cum arce occupat, quae
CAROLUS IX. paucis interpoſitis menſibus a Danis recepta eſt.

XIV. EODEM tempore Sueciae naves XIX plenis velis in XI Danicas, quae ſe portu Bornholmienſi continebant, inexpectato invehuntur; caſque, quamvis animoſe admodum initio proelium capeſſerent, in fugam vertunt; praetoria, malo tormenti ictu dejecto, cum circumagi non poſſet, cum claſſis praefecto Jacobo Brokenhuſio, Cerva item, et tertia cui Hectori nomen, in Sueci poteſtatem venere; qui capto militi crudeliter illuſit: nam navibus impoſiti, et, cum Sueciae propinquaret, de promontorio in promontorium traducti, poſt duram famem poſtremo injurioſe tondentur, dictitante Sueco, Daniae regem morionibus cucullatis delectari; ac proinde eos monachorum more radi juſſiſſe. Inde Stocholmiam appulſi pontonibus bini ac terni tanquam canes venatici copulati tranſmittuntur, et per urbem ridiculo prorſus ſpectaculo in arcem deducuntur: unde rurſus, cum fidem obſtringere recuſarent, Daniae regi non militaturos, diverſi, pars [b] Veſaliam, pars [c] Weſtram, alii denique [d] Gripſcholmum ablegantur, ac duriſſimis compedibus nexi in obſcuros carceres conjiciuntur; ubi, accedente ad cruciatus alimentorum neceſſariorum denegatione, plerique miſerabiliter periere. Sed non diu eo ſucceſſu laetati ſunt Sueci. Nam cum rurſus Bornholmiam, ubi Danica ac Lubecenſis claſſis convenerant, petiiſſent, ibi ſummis utrinque viribus et obſtinatis per triduum certatum eſt. Primo die Jacobus [e] Bagius ex praetoria a Guſtavo olim conſtructa, cui Makelos nomen, quaſi nulli parem aut ab omni potentia liberam dicas, fortiſſime depugnavit: ſequenti die redintegrato proelio, cum averſo clavo Lubecenſes in latera harpagonibus injectis eam gnaviter oppugnarent, nitrato pulvere forte in ea accenſo, ignem concipiens navis cum CC tormentis majoribus depreſſa eſt, Bagio ſalvo et aliquot nobilibus, qui in Danorum manus vivi devenere; et ille quidem [f] Hafniam, ceteri nobiles [g] Lubecam deducti ſunt. Poſtea Andreas [h] Benonis filius, navis Sueciae praefectus, cum diu juxta [i] Warnemundam intra Roſtochienſem portum commoratus eſſet, et adducere navem a ſenatu juſſus, ne ullam fugae aut metus ſignificationem daret, huc uſque recuſaſſet, tandem a Danis undique oppugnatus, perforata tormentis nave et ſpe omni incolumitatis amiſſa, audax ex neceſſitate conſilium cepit; et igne in tormentarium pulverem, qui in nave erat, miſſo, cum nave conflagrare quam in hoſtis poteſtatem devenire maluit.

XV. DUM haec agerentur, Ferdinandus levi febre initio, mox vehementiore per ſemeſtre tentatus, accedente aqua intercute, quae maſſa ſanguinis corrupta jam ſe per tumorem inſolitum prodebat, cum ſummum diem inſtare praeſagiret, non tamen ſe ante feſtum Jacobo diem fatis conceſſurum affirmavit: nam ita Deum decreviſſe, ut, quemadmodum, aiebat, is peregrinus apud nos, ita ego Hiſpaniarum infans extra ſolum natale cum ipſo peregriner. Tandem VIII Kal. Sextil. qui Jacobo ſacer eſt, ſicuti praedixerat, placide in Deo obdormivit, cum LX annos, IX menſeis vixiſſet, Imperium ſolus VII annos adminiſtraſſet; princeps prudentia, juſtitia, liberalitate, manſuetudine, aſſiduitate, vigilantia nulli ſecundus; ſed ſupra eas omneis virtutes, pietatis in illo et pacis in domo Dei conſtituendae praecipuum ſtudium fuit. Nam ut in impetu Turcorum, cui impar viribus erat, ſuſtinendo ac frangendo mora et arte uti optimum factu experientia didicerat; ſic et in religionis negotio non igne et ferro graſſari, ad quod ipſum et Galliae regem plerique hortabantur, ſed colloquiis, diſputationibus, amicis collationibus, conciliis denique, ſive nationalibus ſive oecumenicis, rem gerere tutius judicabat. Itaque cum videret, concilio Tridentino jam ad exitum perducto, quantum ad Germaniam et ſuae ditionis populos, parum profectum,

INTERPR. [a] *Drontheim ou Trontheim.* [b] *Veſalien* [c] *Weſteras.* [d] *Gripſcholm.* [e] *Bagge.* [f] *Copenhague.* [g] *Lubec.* [h] *Benon.* [i] *Warnemunde.*

NOT. [1] Nidroſiam, a Nadero flumine. *Put.*

fectum, ſeroque animadverteret, ſibi a cardinali [a] Morono verba data, quo a poſtu- CIƆIƆLXIV.
latis ſuis et communibus cum rege Galliae initis conſiliis diſcederet, quod ab aliena CAROLUS IX.
ope tantis malis ſubſidium fruſtra expectaverat, a propriis ſibi ſumendum exiſtimavit; et, Maximiliani filii optimi juxta ac prudentiſſimi principis conſilio uſus, de controverſis Auguſtanae confeſſionis articulis amice conciliandis ſerio cogitare coepit. Qua in re opera Georgii Caſſandri viri optimi ac doctiſſimi, qui [b] Duisburgi tunc erat, uti voluit. Is ad exactiſſimam rerum ſacratum ſcientiam ſummum animi candorem ac moderationem addiderat, et in cognoſcendis hujus aevi controverſiis, rationibuſque, quibus baec tempeſtas utcunque ſedari et, ne major diſtractio et dilaceratio in eccleſia fiat, occurri poſſit, conquirendis omne vitae ſpatium contriverat. Ad eum igitur Ferdinandus XI Kal. Jun. literas dederat, quibus Viennam ad ſe ut veniret hortabatur: cumque ob continuos arthritidis dolores majorem anni partem lecto affixus facile ſe excuſaſſet, alteris ad eum Vienna Eidibus Quintilibus datis literis rogat, ut, quando ipſi praeſentia ſua inſtitutum reconciliationis opus promovere per valetudinem non licet, quod unum ſupereſt, ſcripto et conſilio illud adjuvet; collectoque doctrinae Catholicae ſummario, praeter antiqua et indubitata fidei Catholicae in confeſſione Auguſtana comprehenſa dogmata, quae ſemper fuerunt extra controverſiam poſita, etiam illos omneis articulos explicet, qui jam hinc inde inter eruditos utriuſque partis ad concordiam ſunt deducti, vel pro conſtituenda eccleſiae unitate ac quiete concedi et indulgeri, ſalva veritate Catholica, adhuc poſſunt, et quibus denique confeſſio Auguſtana expreſſe non contradicit, quamvis ab iis, qui eam amplectuntur, contra religionem Catholicam in dubium vocentur. Quod ille admirabili brevitate et moderatione praeſtitit, conſultatione de articulis inter Catholicos et Proteſtanteis controverſis edita, et ad Maximilianum Caeſarem, jam mortuo Ferdinando, miſſa; quae viro optimo, et qui animum ab omni affectu et partium ſtudio abduxerat, aequaque ac ſincera mente unicam veritatem a Chriſto proditam et apoſtolorum miniſterio per orbem univerſum diffuſam, partim literis conſignatam, partim priſca univerſali ac perpetua eorum, qui eccleſias poſt apoſtolos gubernandas receperunt, traditione conſervatam profitebatur, ultima et tanquam cygnea vox fuit: nam biennio poſt [c] Coloniae vivis exemptus eſt. Ferdinandus moriens ex Anna Ludovici [d] Pannoniae regis ſorore XV liberos reliquit; et in iis IIII maſculos ac XI filias, quarum Elizabetha ac deinde Catharina Sigiſmundo Auguſto Poloniae regi elocatae ſunt; ceterae ſingulis fere Germaniae et Italiae principibus nupſerunt. Sed nulla re felicior fuit, quam ſucceſſore Maximiliano, qui veſtigiis paternis inſiſtens rara prudentiae et aequitatis laude Imperium poſt ejus obitum adminiſtravit.

XVI. PAULO ante, XIII Kal. Jun. Jo. Calvinus, [e] Novioduni in Veromanduis natus, acri vir ac vehementi ingenio et admirabili facundia praeditus, tum inter Proteſtanteis magni nominis theologus, cum ſeptennium integrum variis morbis ac cruciatibus conflictatus eſſet, nec minus propterea in munere ſuo aſſiduus aut a continua ſcriptione abſtineret, tandem ex reſpirationis difficultate Genevae, in qua XXIII annos docuerat, obiit, cum paene quinquageſimum ſextum vitae annum expleviſſet. Poſt eum Martinus Borraeus Cellarius, [f] Stugardiae in Suevia natus, vir doctiſſimus, et praeter theologica aliis etiam ſcriptis editis clarus, [g] Baſileae peſte correptus moritur V Eid Oct. cum annos LXV exegiſſet. Qua ex eadem lue VI Kal. Dec. [h] Tiguri, ubi profitebatur, periit Theodorus Bibliander, vir multijugae eruditionis, valde ſenex; cui in munere ſuffectus eſt Jo. Gul. [i] Stukius: [α] ille quidem admodum tunc juvenis;

VAR. LECT. [α] *Lineae 4 uſque ad* novae bibliorum *deſunt* D. f.

INTERPR. [a] *Morone.* [b] *Duisburg.* [c] *Cologne.* [d] *Hongrie* [e] *Noyon en Vermandois.* [f] *Stutgard en Souabe.* [g] *Baſle.* [h] *Zurich.* [i] *Stuck.*

CIↃIↃLXIV.
CAROLUS IX.

venis; ſed quem, praeter exquiſitam in illa aetate eruditionem, ſingularis morum probitas adprime commendabat; cujuſque in colenda Chriſtianiſſimorum regum majeſtate eximia ſemper etiam deploratiſſimis temporibus fides extitit. Novae Bibliorum editioni anno CIↃ IↃ XLIII Tiguri publicatae, quam Leo Judae inchoaverat, et moriens, ut opus perſequeretur, collegis in fidem religioſe adactis tranſcripſerat, ultimam manum impoſuit Bibliander, [a] Conradi Pellicani et Petri [b] Cholini Tugienſis Graecae linguae peritiſſimi opera adjutus: quam tranſlationem in ſua editione biennio poſt ad veterem adjecit Robertus Stephanus, ſuppreſſa eorum, qui in illa laborarunt, mentione; et Hiſpani theologi diu poſt recognitam, per Gulielmum [c] Rouillium denuo [d] Lugduni excudendam curaverunt. Quod eo commemorandum duxi, ut verſionis tanti apud nos et Hiſpanos ipſos factae origo cognoſceretur; et inſigne documentum extaret, quid utilitatis ex adverſariorum libris et induſtria, ſi ſemoris odiis charitatem et aequitatem induamus, ad Dei gloriam capi poſſit. Hoc itidem anno Petrus Franciſcus [e] Jambularius, homo ſacris addictus, Latinis, Graecis et Hebraicis literis eruditus, qui multa ad linguae Etruſcae illuſtrationem conſcripſit, et noviſſimae antiquitatis hiſtorias Italicas, quae poſtea editae ſunt, exorſus, morte praepeditus, ultra annum ſalutis CIↃ CC praetexere non potuit, Florentiae fatis conceſſit. Nec multo poſt Andreas [f] Veſalius, [g] Bruxellis in Brabantia natus, praeſtantiſſimus medicus, et opere de fabrica humani corporis edito [α] clariſſimus, cum Hiſpaniae pertaeſus, petito a Philippo commeatu, cum Jacobo Malateſta [h] Ariminenſi copiarum ſenatus Veneti duce in Cyprum navigaſſet, [β] et ut voti in graviſſimo morbo, dum in aula Philippi commoraretur, nuncupati ſe religione exſolveret, inde Hieroſolyma profectus eſſet, a ſenatu Veneto honorificis ſtipendiis oblatis, ut [i] Patavii profiteretur, evocatus, dum redit, adverſis ventis ad [k] Zacynthum inſulam delatus in loco ſolitario vitam miſerabiliter finiit Eidibus Octobribus, cum vix quinquageſimum aetatis annum attigiſſet; ab aurifabro, qui forte illuc paulo poſt appulit, agnitus, et, ne eſca feris fieret, vili funere conditus. Nec ſilentio ſepeliri debet Gulielmus [l] Morellius, [m] Juliani ſano in Caletenſi Neuſtriae pago in re tenui natus. Is propria induſtria et in aliena juvanda rei literariae ſedulam quam diu vixit operam navavit, et accurata linguae Graecae peritia meruit, ut, cum Hadrianus Turnebus grande noſtri ſaeculi ornamentum typographiae regiae Graecae, quam ut publico prodeſſet minime dedignatus fuerat, in regiorum profeſſorum collegium cooptatus, cura ſe abdicaſſet, et quaereretur dignus tanto munere ſucceſſor, a Turnebo ipſo nominaretur; integrumque novennium edendis innumeris libris ac praecipue Graecis conſumpſit, ac tandem eleganti admodum Demoſthenis editione adornata laboribus confectus [n] Lutetiae defecit XI Kal. Martias. Annum clauſit Joannis [o] Buteonis mors, qui [p] Orontii Finaei mathematicarum artium apud nos inſtauratoris primum diſcipulus praeceptorem longe ſuperavit, cum eo de quadratura circuli acerbe poſtea digladiatus: is loco nobili natus, et ut perhibetur e Germania oriundus ad exonerandam, ut ſit, familiam, quae XX liberorum prole gravabatur, vitam monaſticam in [q] S. Antonii Viennenſis coenobio a puero profeſſus fuerat; ubi in otio vir ad literarum ac ſcientiarum illarum praecipue ſtudia natus multa ſcripſit, partim dum viveret publicata, partim ab opicis furibus ſuppreſſa: multa itidem adinvenit, in primis in muſicis inſtrumentis et machinis novis fabricandis ingenioſus, cujuſmodi complura induſtriae ſuae monumenta vir ab omni ambitione alienus, qui a labore et meditatione nunquam ceſſaret, tota vita, quae illi ad LXXV annum uſque a Deo prorogata eſt, edidit; cumque ob turbas civileis, quae toto regno, ſed maxime in [r] Delfinatu totum ſuperius

VAR. LECT. [α] clariſſimus, cum animi gratia cum Jacobo Malateſta Ariminenſi terreſtrium copiarum D f o. [β] *Hinc uſque ad* a ſenatu Veneto, *duae lineae, deſunt* D. f. o

INTERPR. [a] *Conrad Pellican.* [b] *Cholin de Zug.* [c] *Rouillé.* [d] *Lyon.* [e] *Giambullari.* [f] *Veſale.* [g] *Bruxelles.* [h] *de Rimini.* [i] *Padoue.* [k] *Zante.* [l] *Morel.* [m] *St. Julien au pays de Caux en Normandie.* [n] *Paris.* [o] *Boteou.* [p] *Orance Finé.* [q] *S. Antoine de Viennois.* [r] *Dauphiné.*

rius triennium ſaevierant, relicto aegre muſeo ſuo [a] Romanium conceſſiſſet, procul a libris ex moerore tandem contabuit.

XVII. REBUS Sueci fortuna, hoc anno, non ſolum bello ſed etiam extra arma, vario eventu illuſit. Nam Chriſtophorus marchio Badenſis Caeciliam Guſtavi filiam et Erici ſororem in uxorem accepit; nuptiſque [b] Stocholmiae celebratis, eam autumno ſequente per [c] Boruſſiam ac Vandalicas civitates ad ſuos traduxit. At extremo fere anno Adolfus [d] Holſatiae dux Friderici Daniae regis frater Chriſtinam Philippi Heſſi filiam uxorem duxit; nuptiaeque magna pompa [e] Gotorpii primario [f] Slevicenſis principatus oppido celebratae ſunt. Eam Ericus Succiae rex, bello inter ſe ac Danos excitato, ambierat, quo ſibi amicos et auxilia in Germania conciliaret; nec denegatam fuiſſe conſtat. Verum Heſſus, detectis Sueci abominandis conſiliis, interea Eliſabetham Angliae reginam per literas ad nuptias ſolicitantis, atque praetextu matrimonii cum filia ſua indigna rege molientis, ejus affinitate ſano conſilio repudiata, eam Adolſo in matrimonium tradidit. Eodem hoc anno Arnoldus [g] Ebervini filius [h] Benthemii et Stenfordiae comes, cum religionem antiquam in ditione ſua aboleviſſet, [i] Monaſterienſis epiſcopi eccleſiaſticae juriſdictioni deinceps parere recuſavit, miniſtro etiam epiſcopi mandata ex ambone Stenſordiae denunciantis in carcerem conjecto: unde ingens tumultus exortus, ut paulum res ab armis abeſſet, qui tamen vicinorum comitum et epiſcoporum interventu ſedatus eſt. In Saxonia item Auguſtus ſeptemvir [k] Naumburgenſem dioeceſim, epiſcopo mortuo, ſibi regendam tradi a collegio non adverſante obtinuit; ab eoque tempore Saxonis et Brandeburgici ſeptemvirorum Imperio ſubjectorum epiſcopatuum reditus in principum fiſcos redacti ſunt, corporibus collegiorum ſalvis, et diſciplina eccleſiaſtica ephoro et conſiſtoriis ſervata.

XVIII. HOC etiam anno Sigiſmundus Auguſtus rem feliciter adverſus Moſcos geſſit. Nam, cum Joannes magnus Ruſſorum princeps Lithuanorum legatos de pace miſſos aliquandiu detinuiſſet, conſcripto interea ingenti exercitu, tandem dimiſſos eoſdem ſumma celeritate ſubſecutus eſt, bipartitis copiis; quarum pars, duce [l] Serebernio [m] Smolenco, pars a [α] [n] Polotia duce [o] [β] Sniskio principis ſororio in Poloni ditionem eodem tempore populabunda impetum fecit. Sniskius in campis [p] Cnaſnicienſibus ad [q] Ulam fluvium caſtra poſuerat, Polotiae nuper captae ſucceſſu elatus, cum ſe Nicolaus [r] Ratzevilius Vilnenſis Palatinus, vir rerum geſtarum fama clarus, et in quo cum natalium ſplendore virtutes certabant, numero ſe imparem agnoſcens, quippe qui vix XV CIↃ hominum armatorum penes ſe haberet, aſtu ac virtute parem praeſtat. Nam, cognito hoſteis viribus fidenteis paſſim ſecuros ac palanteis ad praedas vagari, delecta manu ſecum aſſumpta, cum Gregorio [s] [γ] Chodkievicio caſtrorum praefecto inſidias locis idoneis ſtruunt, et ſilvis ac locorum anguſtiis tuti diſcurrentes fundunt, trucidant et in fugam vertunt. Erant in exercitu Ruſſorum XL CIↃ et Tartarorum conductorum XXX CIↃ: ex iis vario peſtis genere XXX CIↃ amplius abſumpta traduntur; fluminibus, quae glacie ſtabant, fugientium ac curruum fragore ac pondere reſolutis; quo caſu plerique hauſti ſunt. Tres duces primarii capti, et alii complures. Sniskius ſupremus Ruſſici exercitus dux graviter vulneratus cum fugeret, a ruſtico ſecuri, magno Lithuanorum, qui eum vivum captum malebant, dolore, occiſus eſt, et Vilnam delatus honorifice in Ruſſorum baſilica conditur. Ex Lithuanis vix XX deſiderati; IↃ CCC circiter graviter ſauciati. Quo cognito Serebernius parem fortunam veritus, omni apparatu bellico ac copioſiſſima ſupellectile abjecta, in pedes cum ſuis deſcendit; qui diverſi huc illuc per ſilvas fuga dilapſi ſunt, a ruſticis plerumque

VAR. LECT. [α] Poloskae *D. f. o. d.* [β] Soiskio *abique D.* f. o. d. [γ] Chodkieſvicio *D* f. o. d.
INTERPR. [a] *Romans.* [b] *Stockholm.* [c] *la Pruſſe* [d] *Holſtein.* [e] *Gortorp* [f] *duché de Sleſwick.* [g] *Eberwens.* [h] *Bentheim & Steufurden* [i] *l'evêque de Munſter.* [k] *de Naumburg.* [l] *Serebern.* [m] *Smolensko.* [n] *Polocko.* [o] *Suiski.* [p] *plaine de Knaſnizki.* [q] *Ula r.* [r] *de Ratzevill, palatin de Vilna.* [s] *Kotkewitz.*

CIↄIↄLXIV. que caeſi. Haec menſe Januario acta. Eo caſu repreſſa aliquantum Ruſſorum inſo-
Carolus IX. lentia: ſed cum rurſus IIII Eid. Jun. eodem anno illi, duce Georgio [a] Tovimakio [α] Jezerskio, arcem cum XIII CIↄ armatorum oppugnarent, Staniſlaus Patius Palatinus [b][β] Vitepſienſis, aſſumptis ſecum Iſidoro ſignifero Vitepſienſi et Jo. [c] Sniepорodo, cum II CIↄ levis armaturae progreditur, et cum hoſte felici proelio decernit, [*] CIↄ VIII ex iis caeſis et omni apparatu bellico ac tormentis ac ſignis captis. Tovimakius vix evaſit; qui tamen mox reſumptis viribus, cum Patius retro [γ] Vitepſiam victor ac ſpoliis onuſtus rediiſſet, eandem arcem rurſus obſedit, et poſt acerrimam oppugnationem telis igneis, quorum magnus in illis regionibus uſus eſt, quippe ubi oppida ac munitiones fere e materia conſtructae ſunt, ad extremum expugnavit. Ab eo tempore inter Lithuanos ac Moſcos vario marte diu poſtea certatum fuit, jam alternante vices fortuna, quae antea ad Moſcos inclinare videbatur: et [d] Sanguskovii Lithuani caſtrorum praefecti ductu aliquoties Moſcorum vires attritae, qui parva manu magnas hoſtium copias ſaepius fudit; [e] Suſam etiam et Ulam Ruſſorum arces, ſed irrito conatu, tentavit.

XIX. Initio hujus anni apud nos regio diplomate eccleſiaſticis facultas conceſſa eſt bona ſuperiore anno alienata redimendi: id juſtis eorum querelis datum, qui vili admodum pretio illa veniiſſe aiebant: nec tamen res citra controverſiam tranſacta eſt: nam nobilitas et plebeius ordo porrecto regi ſupplici libello ac publice edito interceſſerunt, et gravem ea de re querelam inſtituerunt, fidem regis appellantes, et auctoritatis regiae intereſſe contendentes, ut, quod fide publica propter neceſſitatem publicam veniit, penes emptores adempta omni repetitionis ſpe remaneret. Sed vicit ſacri Ordinis favor; permiſſumque ei, ut, aliis bonis, quae minus utilia viderentur, juſto pretio divenditis, bona illa, potius ſibi erepta quam publica auctoritate diſtracta, redimerent: eaque de re diploma in ſenatu recitatum eſt VII Kal. Febr. Semper ante ad hoc uſque tempus apud nos, cum in actis juridicis et aliis publicis notabatur annus, a Paſchali die ejus principium [δ] ducebatur: id vero, quia magnum non ſolum decretis et contractibus incommodum, ſed etiam in conſervanda rerum memoria obſcuritatem et plerumque ambiguitatem pariebat, incertis ac mobilibus Dominicae reſurrectionis diebus, [f] Hoſpitalius Lutetiae Pariſiorum condito edicto inter alia graviter ad litium ambages reſecandas et judiciorum ordinem corrigendum conſtituta ultimo edicti capite ſanxit, ut in poſterum anni initium a Kalendis Januariis putaretur; et ita in actis omnibus, archivis, inſtrumentis, contractibus, conſtitutionibus, edictis, diplomatis regiis ac literis ſcripturiſque omnibus privatis ſervaretur. Id alio edicto [g] Ruſſilione poſtea dato V Eid. Sextil. confirmatum: cum poſtea in curia propoſitum eſſet, exeunte anno, ne promulgaretur, interceſſit ſenatus, et caput illud in primis de anni ordinatione improbavit, quod tamen jam ab hoc anno in rationum regiarum curia obſervatum eſt, et poſtea paſſim etiam in ſenatu poſt [h] Moliniensem conventum locum habuit. Mox et, cum rex in [i] Caſtro Foſſatenſi, quod vulgo Mauri ſanum dicitur, eſſet, V Kal. Febr. edictum condit, quo loca vacua regii patrimonii in urbe per delegatos vendi et ad ejus ornatum in iis aedificari mandat; nominatim [k] Turriculas, in quibus ante ſexennium Henricus II ex vulnere in haſtiludio accepto deceſſerat. Eodem edicto [l] Engoliſmenſes aedes comprehenſae, quaeſito colore, quod ruinam minarentur, nec niſi magnis ſumptibus reſarciri poſſent. Id a regina

VAR. LECT. [α] Jezeriskio *D. f. o. d.* [β] Viteblienſis *D f. o. d.* [γ] Viteblіam *ubique* *D. f. o. d.* [δ] ducebatur: uti hodie adhuc fit in Anglia, Florentiae, et Romae etiam, in iis negotiis, quae in cardinalium conſiſtorio tranſiguntur; nam in iis, quae in Camera, uti vocant, peraguntur, annus a Natali Chriſti incipit. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Towmaki Jezersky.* [b] *de Witepſck.* [c] *Sniepored.* [d] *Sanguzkow.* [e] *Suſa & Ula.* [f] *le chancelier de l'Hoſpital.* [g] *Rouſſillon.* [h] *eſtats de Moulins.* [i] *S. Maur les Foſſez.* [k] *les Tournelles.* [l] *hoſtel d'Angouleſme.*

NOT. [*] *forté* VIII CIↄ. *C.*

regina procuratum, quae ſtatim promulgato edicto Turriculas dirui, foſſam compleri, CIƆIƆLXIV.
ſepti voluptuarii Turriculis annexi muros dejici et arbores caedi per regis abſentiam Carolus IX.
imperavit; et, ne ſcelerati loci memoria aut veſtigia ulla exſtarent, aream interiorem publicam fecit, et in eo ſingulis ſeptimanis equorum venalium forum conſtituit; exteriorem privatis publica auctoritate addixit, in qua domos, quae hodie viſuntur, exſtruerent. Ut vero damnum hoc aliqua ratione ſarciret, ad [a] Figulinas, quae infra [b] Luparam ſunt, et in ripa [c] Sequanae viridarium amoeniſſimum et aedes ſumptuoſiſſimas, quae media porticu cum Lupara conjungerentur, coepit exſtruere. Sed cum opus per tot annorum ſeriem, regina ſuperſtite, lente proceſſiſſet, poſt ejus mortem et pacata bella civilia ab Henrico IIII, qui nunc feliciſſime regnat, majore magnificentia conſummatum eſt.

XX. Tunc etiam detecta conjuratio, qua nulla audacior in regno memoratur, ac ſimul eluſa eſt. Mortuo Navarro, aemuli, qui nullam aliam religionis conſtituendae, quam ſemper rebus ſuis tanquam maxime ſpecioſam obtendebant, tutiorem ac certiorem viam viderent, quam ſi regni proceres, qui Proteſtantium doctrinae favebant, de medio tollerent aut in poteſtatem redigerent; ut eadem opera Philippi Hiſpaniarum regis, cum quo arctiſſimam familiaritatem colebant, gratiam inſigni facinore demererentur, de Joanna [d] Navarra, quae tunc [e] Podii in Benearni pago larem fixerat, Henrico item et Catharina filiis capiendis, ac coram inquiſitionis tribunali in Hiſpania ſiſtendis conſilium cepere; rei exequendae occaſione captata, quod Philippus ſub id tempus belli in [f] Africa gerendi cauſa magnas copias [g] Barcinonem convenire juſſerat: eoque ardentius huic conſilio auſcultaturum eum confidebant, quod patrato facinore non ſolum religioni, cujus ille ſe vindicem ambitioſa oſtentatione jactabat, proſpiciebatur, ſed de regno Navarrae, quod injuſte detinebat, etiam tranſigebatur: nam, ſublatis legitimis heredibus, amplius de eo controverſiam in poſterum moveri non poſſe. Ita autem compoſito ordine res facile tegi videbatur, ſi, [h] Tarraconem praemiſſa copiarum, quae Barcinone erant, parte, inde per montium interjectorum avia Podium peteretur: ſic enim citra ſuſpicionem militem induci, et nec opinato matrem cum filiis nullo negotio opprimi poſſe ſperabant. Miſſus ob id in [i] Aquitaniam quidam ordinum ductor ex Benearni pago nomine [k] Dominicus, jampridem a conjuratis ſubornatus, qui hominum provinciae ac locorum gnarus, cum quibuſdam provinciae regulis communicato conſilio, in Hiſpaniam ad Philippum et Ferdinandum [l] Alvarum Toletanum Albae ducem, penes quem ſumma armorum erat, proficiſceretur, et expoſita negotii magnitudine temporis commoditate utendum eſſe demonſtraret. Sed, medio tempore cum Guiſius in [m] Aureliani obſidione ultimum diem clauſiſſet, non tamen vel eo caſu moniti aemuli ab incepto deſtitere. Itaque rurſus datum Dominico negotium, qui interea in Aquitania ſubſtiterat, ut in Hiſpaniam pergeret, et olim data mandata praeſcripto ordine exequeretur. Ille igitur [n] Burdigala ad Albanum recta tendit, qui tunc Albam, petita a Philippo venia, ſeceſſerat: cum eo ſaepius collocutus, et re diligenter penſitata, ad Philippum remittitur; eique comes adjungitur Franciſcus [o] Alaba, qui poſtea oratoris munere apud regem in Gallia functus eſt. Tunc [p] Muſonii Philippus erat, loco ad Cataloniae, Arragoniae et Valentiae regnorum comitia peragenda deſtinato. Cum Alba Muſonium tenderet Dominicus, [q] Madriti, qua in itinere tranſeundum erat, ſubſiſtere ob graviſſimum morbum coactus eſt, praemiſſo interea Alabenſi, qui ei aditum ad Philippum pararet. Dum febre periculoſa laboraret, ad eum introductus ab hoſpite

INTERPR. [a] *les Tuilleries.* [b] *le Louvre.* [c] *la Seine.* [d] *la Reine de Navarre.* [e] *Pau en Bearn.* [f] *Barbarie* [g] *Barcelone.* [h] *Tarragone.* [i] *Guienne.* [k] *le capitaine Dimanche, Bearnois.* [l] *Alvarez de Tolede, duc d'Albe.* [m] *Orleans.* [n] *Bourdeaux.* [o] *de Alaba.* [p] *Monçon.* [q] *Madrid.*

CIↃIↃLXIV. CAROLUS IX.

hoſpite Annas [a] Heſperius [b] Neraci natus, ex Eliſabethae Philippi uxoris domeſticis, homo probus, qui aegrotum ſedula ope et omnibus humanitatis officiis ſublevavit, et ita in penitiſſimam ejus familiaritatem devenit. Cum vero Dominicus, a quibus miſſus eſſet, profeſſus, ei hoc nomine ſummam gratiam habituros eos diceret, ille, auditis conjuratorum nominibus, aliquid monſtri ſubeſſe ſuſpicatus, diſſimulatione tamen ſumma uſus eſt; et, quaſi illorum partibus faveret, ſciſcitari ab eo coepit cauſam profectionis, quam poſtremo ab homine parum cautae aut çerte morbo debilitatae mentis facile didicit; et, cum operam ſuam polliceretur, etiam mandatorum ipſius copiam habuit. Mox gravitate negotii apud ſe perpenſa, quomodo ei obviam iri poſſet, animo agitare coepit: et optimum factu exiſtimavit, ſi, re cum [c] Sanſtephano praeceptore et magno reginae eleemoſynario communicata, id poſtea ad ipſam referret. Igitur cum ad Eliſabetham retuliſſet, illa facti atrocitate perculſa et alioqui ſumma non ſolum propinquitatis ſed etiam amicitiae neceſſitudine cum Joanna conjuncta illachrimavit; et, cum ejus periculum ad totius regni dignitatem et incolumitatem pertinere exiſtimaret, protinus ad Joannem [d] Eberardum Sanſulpitium oratorem regium, qui tunc Muſonii erat, dat literas occultis notis ſcriptas. Sanſtephanus ipſe juſſu reginae ad Sanſulpitium ſcribit; et de hoſpitio, ad quod Dominicus Muſonii diverſurus eſſet, ſpecie habituque et amictu hominis ab Heſperio edoctus eum per literas de tota re certiorem facit. Quas literas tanta diligentia et fide homo ad id ab eleemoſynario delectus pertulit, ut Dominici Muſonium adventui praeverteret. Sanſulpitius his literis inſtructus ad diverſorium fidos ex ſuis mittit; agnitoque ex notis deſignatis Dominico, ejus quoque itus ac reditus per homines diſpoſitos obſervari curat: et ter quidem nocte intempeſta Dominicum ad Philippum per Alabenſem introductum comperit; quo magis ſibi maturandum exiſtimavit, ut ejus conatus anteverteret: [e] Rullumque ſibi fidum ab epiſtolis in aulam cum fiduciariis literis miſit, ut regem reginamque quamprimum de re omni certiores redderet; dato interim negotio, cum per [f] Aquitaniam tranſiret, Joannam moneret, ut ſuae ac filiorum ſaluti in tempore proſpiceret. Quod et ille ſedulo executus eſt; miſſis, poſtquam Baionam venit, ad Joannam per fidum hominem literis, quae totum conſilium et inſidiarum rationem complectebantur: inde per Burdigalam ad reginam contendit; quae intellecta re vix primo fidem habuit; adeo praefractae audaciae conſilium illud videbatur: ſed Sanſulpitii literis et Rulli relatione confirmata, qui Dominicum ipſum, cum ad Philippum introduceretur, ſe vidiſſe affirmabat, cum tamen ſubinde, nullas quippe literas a filia attulerat Rullus, miraretur et haeſitaret, [g] A. Momorantium equitum magiſtrum et Claudium [h] Albaſpineum quatuorvirorum a ſecretis epiſtolis principem acceſſi, et coram iis Rullum ſeriem conjurationis repetere jubet. Ea detecta, reſtabat, et ita Momorantio videbatur, ad rei veritatem penitus indagandam, ut Dominicus ex Hiſpania rediens caperetur; quo ex ipſius ore et literis ac ſecretis mandatis, quae ferebat, regi reginaeque plena fide de re omni conſtaret. Verum Dominicus, ab hominibus in aula obnoxiis, aut Philippi penſionibus, ut creditur, corruptis monitus, per aliam viam, quam qua venturus putabatur, iter habuit; et diſpoſitos ad ſe capiendum homines fefellit. Haec, ut ex Rullo ipſo et ex Heſperii indicis filiis accepi, ita ſcriptis eadem fide mandavi: qui et hoc addebant; Dominicum, antequam in Hiſpaniam proficiſceretur, in Aquitania cum Bl. Monlucio, I. P. [i] Scarſio Fari caſtelli Burdigalae praefecto, et [k] Aſpramontio Hortae vicecomite de ea re egiſſe, eiſque perſuadere voluiſſe, Joannam ita ab illis undique interclusam, ut, ſi ipſa vellet, elabi non poſſet. Certe Monlucius ab ea conjuratione, quam minime tamen explicat, alienum ſe fuiſſe in commentariis teſtatur; et ex reſponſo tunc dato ſatis

INTERPR. [a] *Eſperieu.* [b] *Nerac.* [c] *St Eſtienne.* [d] *Ebrard de St. Sulpice.* [e] *Rouleau.* [f] *Guyenne.* [g] *le conneſtable de Montmorency.* [h] *de l'Aubeſpine.* [i] *d'Eſcars, gouverneur du Château du Ha à Bourdeaux.* [k] *d'Aſpremont, vicomte d'Horte.*

ſatis animi motum declaraſſe, ut illius conſilii auctores intelligerent, res hujuſmodi ad guſtum ſuum non facere. Ita tam ſceleratus conatus ut irritus ſic impunitus fuit. Sic autem rerum peritiores judicant, reginam conjuratione detecta gaviſam; non tamen Dominicum capi voluiſſe, ne conjuratorum, quorum opera uti decreverat, potentiam et auctoritatem omnino infringere neceſſe haberet. CIↃIↃLXIV. CAROLUS IX.

XXI. TUNC rex ad [a]Fontem-bellaqueum hyemabat; quo legati a Philippo Hiſpaniae rege, pontifice, ac [b]Sabaudiae duce, in aulam venere ineunte Februario. Mandatorum capita haec praecipua erant; ut regem orarent, ut concilii nuper [c]Tridenti celebrati decreta per univerſum regnum ſuum diligenter obſervari curaret: quorum ut lectioni intereſſet, et in ea juraret, dies [d]Nancii in Lotharingia dicta ad VIII Kal. April. quo et omnes Chriſtiani principes conventuri eſſent, ibique de Sectario veneno, quod paſſim in Dei contumeliam ac publicae tranquillitatis perniciem graſſabatur, in commune conſultaturi. Hoc et petebatur, ut rex bonorum eccleſiaſticotum alienationem prohiberet; ac, ne aeris alieni diſſolvendi neceſſitate ſe excuſaret, paratos ſe oſtendebant Philippus et Sabaudus, quantum ad ſe attinet, in ſacri Ordinis gratiam jus ſuum remittere; regem vero contentum eſſe debere dono gratuito, quod illi libenter ad dotalem pecuniam ſibi promiſſam erogaturi ſint. Additum, ut ſeditioſos ac ſchiſmaticos exilio aut alia poena mulctet; et ſeverae animadverſionis in eos exemplum ſtatuat, qui templa deſtruxerint, bona ſacerdotum diripuerint, et regni hoſteis in Franciam introduxerint; ut gratiam ſeditioſis ultima pacificatione cum Proteſtantibus factam revocet, praecipue iis, qui in divinae Majeſtatis crimen incidiſſe comperientur; addito, tanti criminis gratiam non a principibus, ſed a Deo, in quem peccatum eſt, ſolo fieri poſſe: ut jus aequum inter ſuos reddi curet, et ſevere in conſcios et auctores caedis Guiſii deteſtanda nuper proditione interfecti citra diſſimulationem ac ſine ulla dilatione animadvertat. In id legati nomine principum ſuorum omnem operam, opes ac vireis prolixe deferunt. Ad haec puer rex a matre et Hoſpitalio inſtructus, Gratias habeo, inquit, dominis veſtris pro tam ſalutari ac laudabili, quod mihi dant, conſilio; ac vobis in primis, qui ob id dignati eſtis ad me venire: vobiſque confirmo, apud me fixum ratumque eſſe ſecundum antiquum ac laudabilem in eccleſia Romana obſervatum cultum vivere, et efficere, ut ditionum mearum populi juxta eum vivant: pacem in id feci, ut hoſteis regno expellerem: nunc nihil magis in votis habeo, quam ut jus aequum omnibus ditionum mearum ſubditis reddatur. De cetero, ut illi me excuſatum habeant, oro, ob eas cauſas, quas ſcriptis mandabo, ut ad vos perferantur. Haec acta pridie Eiduum Febr. Cum illi nihilominus urgerent, rex III Kal. Mart. reſpondit, ſibi opus eſſe, antequam ad eorum poſtulata reſpondeat, de re omni convocatis principibus ac praecipuis conſiſtorii ſenatoribus conſultare. Regina, eam legationem ambitioſe ab obnoxiis in aula procuratam interpretata, cum vereretur, ne, ſi quid obtinerent homines rerum novarum cupidi, inde nomen apud externos principes, inde potentiam ad partes in regno fovendas ſibi compararent, conatum omnino eludendum duxit: et extracto tempore diu deluſos legatos tandem cum ambiguis reſponſis dimiſit. Et quia mentio de concilio Tridentino per regnum admittendo a legatis facta fuerat, re in deliberationem deducta, Carolus [e]Molinaeus magni nominis juriſconſultus ac priſcae libertatis retinens conſultationem edidit; qua ob multas cauſas concilium nullum, vitio indictum, habitum et terminatum contra antiqua patrum decreta et regni Francici dignitatem ac libertatem contendebat. Qua re, qui religionis negotium concilio decidendum relinqui debere cenſebant, ut par eſt, graviter offenſi, pervicerunt in ſenatu Pariſienſi, ut Molinaeus, tanquam male de religione ſentiens, et ſeditionis ſcripto illo incentor, ignominioſe in carcerem conjiceretur: ex quo poſtea regis, cum [f]Lugduni

INTERPR. [a] *Fontainebleau.* [b] *Savoye.* [c] *Trente.* [d] *Nancy en Lorraine.* [e] *du Moulin.* [f] *Lyon.*

CIↃIↃLXIV. duni eſſet, VIII Kal. Quintil. diplomate emiſſus eſt, et plenae libertati reſtitutus; addita clauſula, ne quid ille in poſterum in vulgus edere injuſſu regis poſſet, de cetero ejus rei cognitione ſenatui eodem diplomate interdicta. Idem Molinaeus a nobilitate provinciae Picardiae conſultus ſuper Antonii [a] Crequii antea Namnetum epiſcopi Protestantibus admodum infeſti in epiſcopum [b] Ambianenſem inauguratione, an ea jure impediri poſſet, cenſuit, quoniam inſciis nec rogatis aut conſentientibus provinciae ordinibus electus eſſet, ejus creationem, inſtitutionem ac poſſeſſionem jure impediri poſſe, ea maxime ratione, quod patrum et univerſalium ſynodorum decretis, regum item Franciae, Clotharii, Caroli Magni et Ludovici Pii legibus, et Ordinum regni Aureliani ante triennium congregatorum et in ſenatu promulgatis decretis, ſancitum ſit, ut epiſcoporum electionibus etiam nobilitatis ac plebis auctoritas ac conſenſus interveniat. Itaque Antonius [c] Dallius Piquinius Ambianorum vicedominus nobilitatis Picardieae nomine intercesſit, et publico ſcripto cauſas expoſuit. Id actum menſe Martio; quod eam maxime, quam in ſenatu ignominiam tulit, Molinaeo maturaſſe creditur.

CAROLUS IX.

XXII. DUM haec agerentur, rex de regno luſtrando certus jam ſe in viam dederat, et [d] Fonte-bellaqueo profectus per [e] Senonum [α] Agendicum civitatem facto itinere [f] Auguſtobonam Tricaſſium venerat; ubi pax inter regem et Eliſabetham Angliae reginam promulgata eſt, III Eid. April. ſalvis utrinſque partis juribus, quae alter in alterius ditiones ſibi competere aiebat. Quod additum, propter clauſulam ultimis ad [g] Caſtrum Cameracenſe ante quinquennium pactis additam, ut poſt octennium [h] Caletum cum omni ſuo territorio Anglis reſtitueretur: quae tamen propter bella in Scotia et Gallia ipſa ab Anglis medio tempore excitata minime locum habuit. Laetitiam ex ea pace conceptam accenſis publice ignibus, ut in talibus rebus fieri ſolet, rex teſtatus eſt. Pacta regina [i] Windeſorae poſtea VI Kal. Nov. ſolemni jurejurando coram [β] Paulo [k] Foxio et Arthuro [l] Coſſaeo Gonnorio regiis oratoribus praeſtito rata habuit: receptique ab Anglis obſides. [γ] Poſtea rex ipſe coram [m] Hunſdono regulo, a quo et periſcelide donatus eſt, in foederis verba juravit. Eodem tempore foedus antiquum cum Helvetiis renovatum perſoluta grandi pecunia, miſſuſque Franciſcus [n] Deſpeus Vetuſvilla, vir ſumma dignatione et prudentia ac liberali ingenio praeditus, et cum eo Sebaſtianus [o] Albaſpineus [δ] Lemovicum epiſcopus, qui et ab Helvetiorum civitate fidem acciperent, et regis nomine interponerent.

XXIII. [p] TRICASSIBUS rex in [q] Ambaros divertit, ubi obvium habuit Carolum Lotharingiae ducem et Claudiam ſororem; ſummaque magnificentia exceptus pro ipſorum filio in ſacro luſtrico fidejuſſit; cui et Philippi nomine Petrus Erneſtus Mansfeldius [r] Lucemburgici principatus praefectus interfuit, et Chriſtierna avia Caroli parens: puer de avi nomine Henricus a rege dictus. Inde rex per [s] Divionem, Cabilonem et Matiſconem tranſiens Lugdunum venit; ubi arcem deſignari et muniri imperavit, amoto ab urbis praefectura Franciſco [ε] [t] Agutio Saltus comite, mitis ingenii viro, qui Proteſtantibus in occulto favere dicebatur, et [ς] Joannes [u] Loſſius unus ex ſtipatorum regii corporis dux ad tempus urbi praeficitur. Tandem, peſte per urbem graſſante, rex [x] Ruſſillionium ditionis Turnoniorum oppidum menſe Quintili ſeceſſit, ubi aliquandiu commoratus eſt. Eo crebrae a Proteſtantibus querelae venere, quod edictum nuper factum in pleriſque provinciis minime ſervaretur, quodque ipſi male a praefectis toto regno haberentur: et in comitiis quidem Burgundiae provinciae

VAR. LECT. [α] Agendicum *deeſt* D. f. o. d. [β] Paulo Foxio et Arthuro Coſſaeo Gonnorio *deſunt* D. f. o. d. [γ] *Haec ſententia deeſt* D. f. o. [δ] Lemovicum epiſcopus *deſunt* D. f. [ε] Saulio Saltus D. f. o. [ς] F. Loiſieus D. f. o.

INTERPR. [a] *de Crequy, evêque de Nantes.* [b] *d'Amiens.* [c] *de Dailly, ſieur de Piquigny, vidame d'Amiens.* [d] *Fontainebleau.* [e] *Sens.* [f] *Troyes.* [g] *Château Cambreſis.* [h] *Calais.* [i] *Windſor.* [k] *de Foix.* [l] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [m] *Cary, baron de Hunſdon.* [n] *de Scepeaux, mareſchal de Vielleville.* [o] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.* [p] *Troyes.* [q] *le Barrois.* [r] *le duché de Luxembourg.* [s] *Dijon, Chalons, & Maſcon.* [t] *d'Agout, comte de Sault.* [u] *de Loſſes.* [x] *Rouſſillon.*

vinciae ex ordinum ſententia decretum erat, ut contra libertatem conveniendi Proteſtantibus edicto conceſſam apud regem intercederetur, delegato ad id Jo. [a] Begato ſenatore Divionenſi viro docto, qui et luculenta oratione coram principe habita et apologia publice edita duas religiones in eodem regno admitti non debere, et vero id ad Dei contumeliam pertinere, nec citra publicae quietis detrimentum ferri poſſe, multis rationibus probare conatus eſt. Cui apologiae poſtea contrario ſcripto itidem publice edito reſponſum eſt. Sodalitates inſuper Sancti Spiritus nomine in ea provincia inſtitutae, de irreconciliabili bello adverſus Proteſtanteis indicendo.

XXIV. INTER haec et Philippi atque adeo Hiſpanorum pietas in publico et a concionatoribus paſſim laudabatur, gravique et auctoritatis regiae et nominis Gallici dedecore Philippi nomen ubique rebus noſtris admiſcebatur, quaſi ad Hiſpaniae regem cauſam religionis in Gallia conſtituere et regia edicta interpretari pertineret. [b] Crevantii item in agro [c] Auguſtodunenſi factus concurſus in Proteſtanteis, dum ad concionem audiendam convenirent; qui tamen ſuperveniente nobilitatis globo repulſus ac diſſipatus eſt: quod factum jam regina, cum [d] Lugduni eſſet, datis ad Andelotum literis excuſaverat. Praeterea de Carolo [e] Angenaco Cenomanorum epiſcopo, qui ſummam armorum praefecturam in ea provincia arripuerat, graves querelae in aulam allatae, et ſcripto a [f] Gervaſio Barberio Francurio comprehenſae, quod multa licenter, libidinoſe et avare non ſolum in Proteſtanteis, ſed etiam ex ea cauſa vel falſo ſuſpectos quotidie ab ipſius emiſſariis admitterentur. Ea de re libellus IIII Eid. Sextil. regi oblatus: cumque [g] Vetuſvilla equitum tribunus mandatum a rege accepiſſet, ut de iis querelis cognoſceret, ei univerſae provinciae nomine peculiaris libellus porrectus poſtea editus, quo epiſcopi ſequacium flagitia prolixe et acerbe exagitabantur. In Turonibus quoque facto a ſeditioſis impetu Proteſtantes, qui ad locum deſignatum concionis audiendae cauſa convenerant, injurioſe pulſi, occiſis quibuſdam, qui reſiſtere auſi erant, et ipſo paſtore in cathedra confoſſo.

XXV. ITAQUE quaeſtionis habendae cauſa eo miſſus Petrus [h] Seguierius praeſes et Stephanus Carletus ſenator, et iis mox ſuccenturiati Gulielmus [i] Briconetus et Germanus [k] Valla ſenatores; quibus poſtremo Gabriel [l] Myronus et ipſe ſenator in eodem munere cum plenioribus mandatis ſucceſſit. Dum is in [m] Turonibus et Andibus eſſet, et parum aequo jure cum Proteſtantibus, ut ipſi aiebant, ageret, patrata eſt [α] Gilberti [n] Curaei caedes, viri non minus virtute quam nobilitate clari, qui ſtrenuam operam Condaeo nuper proelio [o] Droccnſi navaverat. Is [p] Vindocini praefectus a Joanna Navarra impoſitus, cum impenſius Proteſtantibus faveret, et eorum doctrinae infeſtos ſeverius coerceret, facta conjuratione ab adverſae partis nobilitate, dum ad fratrem tendens in itinere venationi operam daret, inſidioſe interfectus eſt, haud prorſus ignaro rei, ut jactabatur, Carolo Angenaco Cenomanorum epiſcopo. Defuncti vidua, ea erat Franciſci [q] Aerodii Chemantii Franciſco I rege procancellarii filia, frater et amici protinus in aulam veniunt, de tam indigna caede ſibi ſatisfieri petentes. Ubi poſtquam aliquot dies commorati ſunt, vix tandem impetraverunt, uti quaeſtio caedis haberetur. Igitur ſuſpecti accuſantur et capiuntur: cumque in eo eſſent, ut tanquam convicti condemnarentur, annitente contraria factione et [r] Angenacorum Rambulictorum apud reginam gratia pollentium favore, regis mandatu dimittuntur. In iis capiendis Joachimus [s] Vaſſorius Cognerius defuncto amiciſſimus perperam quaedam et praeter mandata violenter feciſſe arguebatur: is eodem

decreto

VAR. LECT. [α] Philiberti *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Begat, conſeiller de Dijon.* [b] *Crevant.* [c] *l'Autunois.* [d] *Lyon.* [e] *d'Angennes, evêque du Mans.* [f] *Barbier Francour.* [g] *le mareſchal de Vielleville.* [h] *le preſident Seguier, & Charles conſeiller.* [i] *Briconnet.* [k] *du Val.* [l] *Myron.* [m] *Touraine & Anjou.* [n] *de la Curée.* [o] *de Dreux.* [p] *le gouverneur de Vendoſme.* [q] *Errault, ſieur de Chemans prés de Duretal en Anjou, Garde des Sceaux.* [r] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [s] *le Vaſſeur, ſieur de Cognée.*

CIↃIↃLXIV.
CAROLUS IX.

decreto citatur, ut facti cauſam redderet, addito, ni ſe ſiſteret, ut illius aedes ſolo aequarentur. Itaque ſe ille cum ſtitiſſet, protinus in carcerem conjicitur, ex quo vix tandem poſt multas juſſiones emiſſus eſt. Ceterum ſententiae ſeveritate vidua et amici territi ab accuſatione deſtiterunt, caede clari viri impunita, et querelis uberem ac ſpecioſam materiam ſuppeditante aula. Eodem tempore edicto condito decernitur, ut, quoniam, rebus foris pacatis, nihil regi antiquius eſſe debeat, quam ut pax in omnibus regni partibus conſtituatur, omneſque adeo turbarum occaſiones amoveantur, eae munitiones, quae urbibus defendendis ſuperiorum bellorum tempore fabricatae eſſent, deſtruerentur, quo pax ab omnibus ſine ullius periculi metu colatur, et regis fide, quam abunde edicto ſuo teſtatam habeant, Proteſtantes tuti in poſterum acquieſcant. Secundum haec Philibertus [a] Marſilius Sipetra [b] Aurelianum mittitur, qui munitionibus urbem firmiſſimam denudaret, et in [c] Banneriana porta, quae Lutetiam ducit, arcem aedificaret. Idem [d] Montalbani, Valentiae Segalaunorum, Ciſtertione et aliis locis per delegatos a rege factum; quod in perniciem ſuam fieri Proteſtantes ipſi interpretabantur. Cum vero Aurelianum opulenta per ſe urbs et ad magnas res opportuna in Alexandri regis fratris fide, cui portionis hereditariae loco attributa fuerat, minus tuto collocata videretur, principatu [e] Andium fratri pro compenſatione conceſſo, rex eam recepit, et reginae parenti donavit.

XXVI. JAM ante ad edictum additae erant novo reſcripto interpretationes; ne Proteſtantium paſtoribus liceret in aliis locis habitare, quam iis, qui in ſingulis praefecturis ad conciones eſſent deſignati; item, ne Proteſtantibus ſcholas ludoſve literarios aperire fas eſſet: quod eo conſilio factum illi dicebant, ne paſtoribus aegros libere inviſere et conſolationis officio defungi liceret, et doctrinae diſciplinaeque acciſis nervis, uti olim a Juliano Imperatore contra Chriſtianos factitatum hiſtoria ſacra memorat, religio ipſa omnino extingueretur. Item [f] Lugduni edictum fuerat, ne a Proteſtantibus in locis, per quae rex tranſiret, quamdiuve ibi eſſet, aut ullis regiis aedibus, conciones haberentur, ne Catholicorum videlicet exaſperatis animis inde turbarum occaſiones ſererentur. Dum rex [g] Ruſſilonii eſſet, ad eum viſendum officioſe acceſſit Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux. Nec multo poſt, inter multa alia, quae ſancte et prudenter auctore Hoſpitalio a rege decreta ſunt, edictum conditum eſt pridie Nonas Sextileis, in quo rex, multa de pacis conſervandae ſtudio praefatus, quoniam de pleriſque edicti capitibus ambigitur, et ad ſe unum ejus interpretatio pertineat, velle ſe controverſorum capitum explicationem ſcripto diſertiſſime complecti: et quod ad illud, quo religionis publice exercendae facultatem nobilibus facit, ſic intelligi vult; ut nobilibus et familiis eorum hoc peculiare beneficium conceſſum intelligatur: itaque iis interdictum, ne cuiquam illius beneficii, niſi ex ſubditorum ſuorum numero ſit, copiam faciant, poena perduellionis in non parenteis addita. Interdictum eodem diplomate, ne Proteſtantes ſynodi ſpecie conventus uſpiam agant, nec pecunias viritim tributi forma aut alio modo exigant; qui ſecus fecerint, poenam corpore luant. Et quia plerique, calcata ſacri Ordinis reverentia, et ejerato religioſae caſtitatis voto, ſuperiorum bellorum tempore, aut etiam poſt pacatos motus, nuptias contraxerant, eodem edicto ſancitum, ut viri carcerum rigore uxores ita ductas, mulieres item viros ſuos, relinquere, et ad priſtinam vitam reverti cogantur, aut perpetuo exilio mulctati intra duorum menſium ſpatium regni finibus excedant; ſi neglexerint, vir ad remigium, mulier ad perpetuam cuſtodiam adjudicatur. Quo edicto multum ſuperiori detrahi et incommodari ſibi Proteſtantes fremebant: quippe primo illo capite facultatem audiendarum commode concionum negari, multumque periculi creari e longinquo ad locum publicis conventibus deſtinatum proficiſcentibus: ſynodorum vero celebratione et pecuniarum collatione

prohibita

INTERPR. [a] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [b] *Orleans.* [c] *porte Banniere.* [d] *Montauban, Valence en Dauphiné, Siſteron.* [e] *Anjou.* [f] *Lyon.* [g] *Rouſſillon.*

prohibita omneis agendarum rerum rationes tolli, acciſis diſciplinae, qua eccleſia continetur, ſervandae nervis, et miniſterium ipſum prope deleri, ademptis mini-ſtrorum alendorum adjumentis: denique violenta matrimoniorum jam contractorum diſſolutione libertatem edicto conceſſam eripi, et duriſſimae ſervitutis compedes per abdicati ſacerdotii aut ejerati voti repetitionem conſcientiis injici. His de rebus cum ſociis Condaeus, qui in [a] Valeriana arce a [b] Santandreani uxore ſibi donata tunc erat, factus certior literis pridie Kalend. Sept. ad reginam datis expoſtulat, et prolixum commentarium mittit; quo querelae de edicto aut interpretatione aut contrariis edictis curiarumve decretis enervato, de caedium impunitate, (nam a pace facta CXXXII toto regno diligenter inito calculo miſeros homines odio religionis crudeliter occiſos numerari,) de injuriis ac praefectorum vexationibus continebantur. Ad eas rex, qui timeret, ne ſe longius abſente Proteſtantes aliquid molirentur, peramanter reſpondet; et nihil ſibi antiquius eſſe dicit, quam ut jus ex aequo cuique reddatur. Quod ad edicti interpretationes attinet, ſubeſſe cauſas eaſque graviſſimas, cur hoc fecerit, quas et ipſum, quippe ad quem regni incolumitas ac ſalus pertineat, probaturum confidat: ſic praeterea ſe exiſtimare, nunquam veniſſe Condaeo in mentem, ut regiam voluntatem pro arbitrio moderari vellet: ſi quid a praefectis ſuis aut aliis adminiſtris peccatum ſit, de illis has ſe ſumpturum poenas, ut omnes intelligant, ſibi praecipuum pacis ſtudium eſſe, et unice velle ac jubere, ut pacificationis edictum ubique conſtanter ac ſincere ſervetur, et inter ſubditos nullo religionis diſcrimine jus aequabile dicatur. Interea rex [c] Valentiam venit; ubi edictum extremo Sextili de tabernarum ac diverſoriorum toto regno inſtitoribus et pretiis rerum ad victum quotidianum neceſſariarum conditum, auctore et conſultore Julio [d] Brancatio Neapolitano, et ad ſenatum miſſum, urgente promulgationem [e] Fr. Momorantio: cujus nomine cum Brancatius magnam invidiam ſuſtineret, ſcripto edito ſe purgavit, et illud recte et regni bono factum multis verbis probare conatus eſt. Dein ad [f] Montelium Adaemari rex honorifice exceptus [g] Provinciam ſubjectam ingreditur, et per [h] Arauſionem, quam venerandae antiquitatis ruinis nobile, tam recenti bellorum clade foedum oppidum, [i] Avenionem Cavarum venit; ubi exquiſita magnificentia a Georgio [k] Armeniaco cardinali homine ad vanitatem gratioſo et pontificis praefectis itidem exceptus eſt. Erat tunc in regis comitatu Henricus Navarrae princeps, egregia indole puer, et jam tum in illa aetate generoſos et victricis olim fortunae indices ſpiritus prae ſe ferens; quem Joanna mater poſt detectam conjurationem, de qua diximus, in aulam miſerat, et appoſitis cuſtodibus diligenter ſervari curabat, ne aulicarum decipularum laqueis et amorum illecebris irretiretur. Avenione rex per [l] Aquas Sextias, [m] Arelato in itinere luſtrato, [n] Maſſiliam tandem ſumma pompa ingreditur, navalibus ſpectaculis praecipue delectatus. Ibi cum metus eſſet, ne crebreſcentibus Proteſtantium querelis aliqui motus ſuborirentur, rex edicto condito rurſus pacis ſibi praecipuum ſtudium eſſe teſtatur, et, ut edictum ejus cauſa factum religioſe ſervetur, imperat, graviſſimas poenas interminatus, ſi qui contra fecerint; quos poteſtatem regiam ad ſuum exitium experturos dicit, ſeriore poſt laeſam tam diu patientiam poenitentia: [o] Merindolium etiam Proteſtantibus in Provincia ad conveniendum religionis cauſa aſſignatum, cujus oppidani jam a Valdenſium temporibus a Romano pontifice defecerant. Inde rex Avenionem gratiſſimam ſibi urbem repetit; ibique tranſmiſſo [p] Rhodano in [q] Septimaniam deſcendens [r] Nemauſum petit, urbem Proteſtantium concurſu frequentem, quod plerique ex Provincia, ubi admodum iniquo jure cum illis agebatur, propter viciniam illuc confluerent. Ibi renovarae querelae ac praecipue de Henrico Momorantio Septimaniae praeſide, ut

minus

CIƆIƆLXIV.
Carolus IX.

INTERPR. [a] *de Valery.* [b] *Marguerite de Luſtrac, veuve du mareſchal de St. André.* [c] *Valence.* [d] *Brancaccio.* [e] *le mareſchal de Montmorency.* [f] *Montelimart.* [g] *Provence.* [h] *Orange.* [i] *Avignon.* [k] *d'Armagnac.* [l] *Aix.* [m] *Arles.* [n] *Marſeille.* [o] *Merindol.* [p] *le Rhône.* [q] *Languedoc.* [r] *Niſmes.*

minus ſibi aequo: quae tamen propter patris gratiam et auctoritatem rejectae aut cluſae ſunt; tradiro etiam in cuſtodiam [a] Clauſonio, quod liberius in praeſidem invectus eſſet, ceteriſque delegatis ſpe metuve mitigatis aut compreſſis, qui [b] [α] Monpelium et Biterras remiſſi ſunt, quo rex ſub exitum anni venit, atque ibi ſumma magnificentia ac damnoſo ſumptu ab oppidanis exceptus eſt.

XXVII. DUM haec in aula agerentur, in [c] Aquitania paulum res a motu inteſtino abſuit. Nam Fridericus [d] Foxius Candalae comes, Gaſtonis Foxii marchionis [e] Tranii gentilis ſui, hominis turbarum cupidi, conſilio uſus, et communicato cum Chriſtophoro [f] Atirenſium epiſcopo fratre, [g] Bl. Monlucio, [h] Gabriele Caumontio Lauſunio, [i] Scarſio et Mervilla Scarſii fratre conſilio, cum multa licenter a Proteſtantibus praeter edicta regia fieri, interſectis etiam inſidioſe pleriſque, obtenderent, armatos coegit, et foedere [k] Cadilliaci menſe Sextili proximo icto ac ſcriptis mandato quaſi bellum apertum iis denunciavit. Qua de re per Jacobum Benedictum [l] Largobaſtonum ſenatus Burdigalenſis primarium praeſidem certior factus rex, Imbertum [m] Platerium Burdillonium equitum tribunum in Aquitaniam miſerat, ut eos motus componeret; quem in Catholicorum partes propendere cauſati Proteſtantes, [n] Riverio quodam occiſo et ejus caede impunita, non plus de Candala quam de ipſo poſtea apud regem conqueſti ſunt: pro tempore tamen Burdillonii praeſentia repreſſis foederatorum conatibus, res quietiores in provincia fuere. Et haec apud nos hoc anno geſta ſunt.

XXVIII. IN Italia Nicolaus [o] Urſinus Petilianus, poſſeſſione a Coſmo dejectus, ut erat impigro et contumaci animo, nihil non tentabat, ut poſſeſſionem amiſſam recuperaret: cum vero Coſmus arcem Jo. Franciſco parenti commiſiſſet, qui eam [p] Urſo alteri ex filiis crediderat, Nicolaus, loci adeo opportuni recipiendi deſiderio et ultione in fratrem ardens, cum praeſidiariis aliquot agit, qui ſpe facta prodendae arcis rem Urſo aperiunt. Igitur condicta die cum Nicolaus [q] Sorano veniſſet, et delectos XL praemiſiſſet, illi intra munitionem accepti ſtatim pulvere ſubjecto accenſo in altum exploduntur ac diſcerpuntur. Ex iis V evaſere; qui capti et coram Caeſareis miniſtris quaeſtioni ſubjecti confeſſi ſunt, ſe a Nicolao ſummiſſos, qui haud longe abeſſet, eventum occulti conſilii opperiens. Ea de re inter patrem ac filium lis apud Caeſarem inſtituta fuerat; et vetuerat Caeſar, ne quid pendente lite uterque moliretur, poena addita, ut qui ſecus faceret jure ſuo privaretur. Itaque urgebat Jo. Franciſcus pater, ut, quoniam de conſilio Nicolai filii conſtaret, poenam commiſiſſe declaretur: ſed patre decrepito et abſente, quamvis Coſmi favore ſublevaretur, et Nicolai diligentia ac praeſentia factum eſt, ut poenarum abunde ſuorum clade luiſſe videretur, de cetero conatus ipſius impunitus eſſet.

XXIX. PERACTO tandem concilio, Philippus, qui controverſiam in eo de honorificentiori loco regi Chriſtianiſſimo moverat, apud pontificem per oratores ſuos inſtabat, ut in gratiam ſuam pronunciaret; quod ille recuſavit, ſaepius jus regis obtendens, et neceſſitatem ſententiae ferendae deprecabatur: quippe qui Philippo in occulto faveret, et non niſi manifeſta injuria contra regem judicare poſſet. Itaque diem de die ducens rarius publicas ceremonias indicebat, quod, quoties illae indicebantur, toties certamen inter oratores utriuſque regis oriebatur; et, ſi cui ex iis faveret, neceſſe erat, aut alterum a ſe alienaret, aut alteri injuriam [β] faceret. Qua re aeque uterque offendebatur: ſed Philippus maxime; qui hanc potentiae ac fortunae ſuae fiducia praerogativam tanquam ſibi debitam jam ſpe devoraverat, et importunis

apud

VAR. LECT. [α] Monpeſſulum *D. f. o. d.* [β] faceret. Intermiſſae idcirco aliquoties ceremoniae: qua re *D. f.*

INTERPR. [a] *de Clauſonne.* [b] *Montpellier & Beziers.* [c] *Guienne.* [d] *de Foix, comte de Candale.* [e] *Trans.* [f] *Aire dans la Gaſcogne.* [g] *Blaiſe de Montluc.* [h] *G. de Caumont, ſieur de Lauzan.* [i] *les ſieurs d'Eſcars & de Merville.* [k] *Cadillac.* [l] *Largebaſton, premier preſident du parlement de Bourdeaux.* [m] *de la Platiere, mareſchal de Bourdillon.* [n] *la Reviere.* [o] *Orſino, comte de Pitigliano.* [p] *Orſo.* [q] *Sorano.*

apud pontificem efflagitationibus ſecundum ſe pronunciari petebat. Coſmus ea CIↃIↃLXIV.
ſuper re conſilium rogatus, cum fruſtra apud Philippum egiſſet ut ab hac petitione CAROLUS IX.
deſiſteret, auctor erat pontifici, ut totum negotium ad càrdinalium collegium remitteret, et ita longis protelationibus indeciſum illud relinqueretur; interea neuter publicis ceremoniis intereſſet. Sed uterque repugnabat: nam Hiſpanus judicium urgebat, et noſter interea publico abſtinere nolebat. Philippus igitur, ut tergiverſantem pontificem cogeret, apta, ut ſibi videbatur, ratione uſus, minutae auctoritatis metum incutiebat; et, cum concilii publicationem et executionem prae ſe ferret, ejus decreta, etiam contra cardinaleis et epiſcopos facta, per omnia ditionis ſuae regna ac provincias, regis nomine, nuſquam mentione pontificis facta, promulgari imperabat. Quod pontificis animum inter multa injurioſe in ipſum ab Hiſpanis facta maximopere exulceravit, fruſtra mitigante ſenem iracundum Coſmo; et inde commoda ex potentiſſimi regis amicitia, inde periculum, ſi ab eo ſe alienaret, oſtentante. Tandem cum pergerent ei moleſti eſſe Hiſpani, Henricus [a] Clutinius Oiſellius regis orator, vir acer et Gallici nominis ſtudioſus, occaſione capta ab eo obtinuit, ut in antiqua poſſeſſione conſervaretur: et Penteeoſtes die in publicis ceremoniis principem locum ſecundum Caeſaris oratorem [α] tenuit. Ludovicus [b] Requeſenes, magnus Caſtellae commendator, tunc oratoris munere Romae ſungebatur Philippi nomine; qui a pontifice ejuſque legatis anno ſuperiore Tridenti, quantum in ipſis erat, cum rege Chriſtianiſſimo aequatus, jam aperte ad.ſedendi ante ipſum praerogativam aſpirabat. Nutante initio pontifice, Hiſpanus eundem in publicis ceremoniis ordinem, quem in concilio habuerat, ſervare ſe contentum oſtendebat: ſed cum nullam viam mediam admitteret Oiſellius, et juxta Caeſarem ſupraque Philippicum oratorem ſedere omnino vellet, pontifex tunc non ita bene erga Hiſpanos affectus jus ſe inter partes aequabiliter dicturum et regi Chriſtianiſſimo ſuam praerogativam ſervaturum Requeſeni ſignificavit. Is igitur, cum aliud non poſſet, ad proteſtationem faciendam ſe àdmitti petiit; adductiſque ſecum actuariis publicis ejus documentum ſibi tradi poſtulavit. Ea vero, non aequali cum rege Chriſtianiſſimo jure cenſeri regem Catholicum, ſed ei, ſive antiquitas et opes regnorum Hiſpaniae, ſive aliorum regnorum ac ditionum amplitudo, ac praecipuum religionis Chriſtianae propagandae et ſacrae ſedis apoſtolicae et eccleſiae Romanae defendendae ſtudium ſpectetur, potiorem dignitatis gradum deberi aiebat: ſi quid contra pontifex verbo, pollicitatione vel facto ſtatueret faceretque, quo potioris gradus Philippo debiti praerogativa in dubium vocaretur, vel aequalitate inter duos reges conſtituta, vel quandocunque ſententia in regis Chriſtianiſſimi favorem pronunciata, de ea ſe tanquam nulla et invalida et iniqua, utpote ſine rei cognitione, neque citata parte lata, ac praeterea de periculoſiſſimis motibus cum magno ſacrae ſedis et pontificis detrimento ac dolore ſecuturis proteſtari. Ad quae a pontifice coram [c] Piſano, Caeſio, Morono, Farneſio, ſancti Clementis, Borromaeo et Vitellio cardinalibus reſponſum: accipere ſe proteſtationem, ſic et in quantum de jure debet ac poteſt; ceterum ſe excuſatum cupere, quod partes non citaverit: nam nihil in eo negotio innovatum; tantum regi Chriſtianiſſimo locum, quem ſecundum Caeſarem ſemper in aula Romana principem tenuit, ſervatum: ceterum, ſi Philippus ita velit, ſe rem ad ſacrum cardinalium concilium aut Rotae Romanae auditores remittere, omnique alia in re, qua poſſet, ipſi gratificari paratum. Heic ad gratificandi mentionem ſubiratus Hiſpanus, interfatur, poſt tam gravem injuriam pontifici non integrum eſſe inquiens, ut

erga

VAR. LECT. [α] tenuit: unde indignatus Hiſpanus ſumma arrogantia contra pontificem proteſtatus. *D.* f. o. 33 *lineae ſequentes uſque ad* Haud multo poſt *deſunt* *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Clutin, ſieur d'Oiſel.* [b] *Requeſens.* [c] *Piſano, Carſi, Morone, Farneſe, de St. Clement, Borromeo, & Vitelli.*

CIↃIↃLXIV. erga Philippum in re ulla deinceps gratificatione utatur: quae verba, ſecundum Carolus IX. proteſtationem, admodum acerbe tulit pontifex: neque meruiſſe tam propenſum erga Philippum animum ſuum totque benefacta dixit, ut cum tali reſponſo dimitteretur. Haud multo poſt Requeſenes juſſu Philippi Roma ſine ulla publica ſignificatione diſceſſit, rerum cura cardinali [a] Pacceo commiſſa.

XXX. Eodem fere tempore Coſmus, cum [b] Piſis eſſet, apparatibus navalibus ad bellum, quod Philippus in Africa moliebatur, inſtruendis intentus, datis ad ordines ditionis ſuae literis publicam imperii adminiſtrationem in Franciſci (is jam XXIIII annum attigerat) grandioris natu filii manus reſignat; titulos ac dignitates ſibi ſervat; pio juxta ac prudenti conſilio, et ab iis ſemper principibus uſurpato, qui imperium recens partum in ſamilia firmaſſe et ad poſteros tranſmiſiſſe memorantur. Ea reſignatio, ut ſpeciem certae et quaſi delatae ſucceſſionis obtineret, magna pompa in urbe celebrata fuit, conſiliariis et quadraginta-octovirûm ſenatu coacto: gratiaeque publicae in templo actae; et ſplendido ac prope regali convivio omnes excepti in publicae laetitiae ſignum. Ab eo tempore Franciſcus res in Etruria adminiſtrare coepit, et non exſpectata patris per mortem ſucceſſione pater filiuſque gratiore inter pios ordine ſimul domini extiterunt. A patre filio attributus fuit Bartholomaeus [c] Concinus, homo rerum agendarum peritia probatus et ſibi fidus; ex cujus conſilio omnia fere gerebantur.

XXXI. Haud multo poſt [d] Sanpetrus Ornanus, cum inſito contra Genuenſeis odio conſilia rerum in Corſica novandarum abjicere non poſſet, cum CL Corſis [e] Maſſilia vicina ſolvit; et cum una triremi Gallica et altero minore navigio in inſulam tranſmiſit; ea ſpe, ut, ſi aliquod operae pretium ope exulum faceret, principem aliquem Chriſtianum ſucceſſu invitatum in partes pertraheret; ad extremum, ſi aliud non poſſet, Turcum inſulae immitteret. Is fruſtra antea et Turcum et principes Chriſtianos ſolicitaverat; quos hactenus ſurdos expertus, ſi fortuna coeptis arrideret, rebus ſuis ſavituros confidebat. Ea fiducia fretus ſine pecunia aut alio apparatu bellico inſulam ingreditur; et concurſu ad eum inſulanorum quorundam facto [f] Iſtriam capit; eaque capta, totam fere inſulam, exceptis oppidis et arcibus, quae praeſidio tenebantur, juris ſui fecit. Auxit viri apud ſuos potentiam, quod, cum Genuenſes ad famam adventus illius tumultuarie copias conſcripſiſſent et in inſulam miſiſſent, dux ſtrenuus et pugnandi peritus, belli rudes ac fere tirones milites loco ipſis iniquo ſtatim in ingreſſu adortus, eos nullo negotio fudit, III CIↃ caeſis, captis, in fugam verſis et armis exutis. Inde ad [g] Epiſcopatum, id oppido nomen, quod a [h] Baſtia XII milliaribus abeſt, caſtra promovet. Quo caſu perculſi Genuenſes et pejora veriti protinus in Hiſpaniam mittunt, et contra Ornanum auxilium depoſcunt.

XXXII. Hoc incidit in tempus, quo Philippus, collata a ſacro Hiſpaniae provinciarum ordine pecunia, quam a Pio IIII, cum minus ille ſibi, peracto jam concilio, ab Hiſpanis praeſulibus timeret, obtinuerat, poſtque interceptas Siciliae a Turcis triremeis, quas [i] Guimaranus ducebat, poſtque quaſſatam ac disjectam foeda tempeſtate Mendozae claſſem et multa capitum millia cum ea amiſſa, aliquid tentandum ratus, rurſus conſilium priore anno fruſtra tentatum de [k] Pignone expugnando capit. Scopulo undique praerupto Rupis Velezii nomen impoſitum eſt, ab oppido in continenti ſito, quod ſeſquimilliare nec amplius ab ea diſtat. Rei conficiendae cura demandata Garſiae [l] Toletano Petri filio, Cataloniae proregi et maris praefecto; qui [m] Barcinone VI Eid. Maii profectus [n] Genuam venit, et accepta Hiſpanorum, quae in [o] Inſubria militabat, legione, [p] Sabaudiae item ducis et Jo. Andreae [q] Auriae ac Nicolai et Auguſtini [r] Lomellinorum triremibus [s] Liburnum tendit; inde rurſus acceptis

INTERPR. [a] *Pacceo.* [b] *Piſa.* [c] *Concino.* [d] *Sampiero Ornano* [e] *Marſeille.* [f] *Iſtria.* [g] *al Veſcovado.* [h] *la Baſtia.* [i] *Guimaran.* [k] *Pignon ou Penon de Velez.* [l] *de Tolede.* [m] *Barcelone.* [n] *Gennes.* [o] *le Milanois.* [p] *Savoye.* [q] *Doria.* [r] *Lomellini.* [s] *Livourne.*

acceptis Coſmi Florentinorum ducis triremibus [a] Neapolim verſus navigat: miſſo CIƆIƆLXIV.
dein Sanctio [b] Leva, qui Siculas triremeis adduceret, et aſſumptis CIƆ IƆ Hiſpanis, qui CAROLUS IX.
in regno militabant, Barcinonem redit, et [c] Tarraconem uſque progreditur, Philippi mandata opperiens. Advenere mox Germanorum III millia, duce Hannibale [d] Altempſio; quos Jo. Andreas Auria navibus impoſitos portaverat. Inde miſſis Sanctio Leva et Alvaro [e] Baſſano cum XX triremibus, qui tormenta, commeatum ac reliquum belli apparatum Barcinone adducerent, ipſe [f] Malacam proficiſcitur: cumque regis [g] Luſitaniae auxiliares triremes nondum comparerent, tranſmiſſo freto [h] Herculeo [i] Gadeis uſque navigat; ubi acceptis tormentis et auxiliaribus copiis, quae [k] Cantabria huc tranſportatae fuerant, rurſus Malacam redit; quo interea Hieroſolymitanae triremes et Leva ac Baſſanus advenerant. Erant in tota omnino claſſe CL naves: VIII regis Luſitaniae, duce Franciſco [l] Bareto; III Sabaudiae ducis, quibus praeerat Andreas [m] Probana Leinius; IX Coſmi Florentiae ducis, ductore Jacobo [n] Apiano Plombini regulo; V Hieroſolymitani ordinis, ductore Petro [o] Giolio; XII Jo. Andreae Auriae, quarum IIII Marcello Auriae gentili ſuo et totidem Scipioni Pallavicino ab ipſo attributae; VIII [p] Hiſpalenſes, et XV ex ceteris Hiſpaniae regnis, ductore Alvaro Baſſano; XI Neapolitanae, quibus Sanctius Leva, et totidem Siculae, quibus Fridericus Carvajalis praeerant, comprehenſis in eo numero IIII, quas Joannes Cardona ducebat; III Marci Antonii [q] Columnae, duce Georgio Grimaldo; et IIII Nicolai et Auguſtini Lomellinorum, quas ducebat Vincentius [r] Vaccarius; IIII Marci [s] Centurionis; quibus accedebant XXIX circiter omnis generis navigia, et in iis XVI onerariae, quae commeatum ac machinas bellicas, in iiſque XVIII muraleis cum aliquot campeſtribus, vehebant; exiguum praeterea jumentorum numerum, quibus tormenta ac commeatus a mari, ſi opus eſſet, in interiorem regionem ſubveheretur. In ea claſſe erant peditum X CIƆ, CL equites: aderat et non contemnendus inſignis nobilitatis numerus, et Italicae praecipue, atque in primis equitum S. Stephani, ambitioſe ad id miſſorum a Coſmo, ut nuper inſtituto ordini dignitatem ex ea expeditione conciliaret. Iis praeerat [ſ] Chapinus Vitellius [t] Cetonae marchio, qui et magnus caſtrorum praefectus a Garſia creatus eſt; ſub quo idem munus exercebant [u] Carilius Quixada et Ludovicus Oſorius. Instructa claſſe IIII Kal. Sept. Garſias Malacae portu ſolvit; ſecundaque navigatione uſus, biduo litus Africae tenuit prope a [v] Pignone V CIƆ paſſuum; quem locum incolae turrim Alcalae vocant. Ibi expoſito milite ac machinis munitionem excitat, et omnem annonam in ea includit, appoſito IIII ſignorum praeſidio. Inde [w] Veleſium Gomerae vulgo appellatum, quod eſt in continenti oppidum, poſt triduum petit; ita compoſito agmine, ut dimidia pars Hiſpanorum primam aciem conſtitueret, quos Sanctius Leva ducebat, ſubſequentibus Hieroſolymitanis equitibus: iis vero cum ſummo imperio praeerat Vitellius: medii erant reliqui Hiſpani et auxiliares a Luſitaniae rege miſſi, duce Bareto: poſtremi Germani incedebant; quibus additi ſunt CCCC ſcloppetarii Hiſpani: his praefectus eſt Jo. Andreas Auria, qui omnia circumſpiceret, ac, ſi qui labore aut viae taedio deficerent, aut a ſignis dilaberentur, eos ad ordines redire cogeret; provideretque, ſi quis tumultus Mauris laceſſentibus a tergo ſuboriretur, ne ordines turbarentur. Cum ita instructa acie aliquantum itineris proceſſiſſent, IƆ circiter pedites ac CCCC equites hoſtium apparuerunt, qui, primam aciem laceſſere non auſi, in cujus fronte L ſcloppetarii et campeſtres machinae erant, ultimum agmen carpere, modo accedentes, modo refugientes, aggreſſi ſunt: quo in certamine egregiam operam navavit Auria, majore ſemper Maurorum quam noſtrorum detrimento.

INTERPR [a] *Naples.* [b] *de Leyva.* [c] *Tarragone.* [d] *Altemps.* [e] *de Baçau.* [f] *Malaga.* [g] *Portugal.* [h] *deſtroit de Gibraltar.* [i] *Cadix.* [k] *Biſcaie.* [l] *Bareto.* [m] *Provana de Leini.* [n] *Apiano, ſignor de Piombino.* [o] *de Giou.* [p] *de Seville.* [q] *Colonna.* [r] *Vaccaro.* [s] *Centurione.* [ſ] *Chiappino Vitelli.* [t] *Cetona.* [u] *Carillo di Quixada.* [v] *Pignon de Velez.* [w] *Velez della Gomera.*

mento. Tandem ad urbem perventum eſt, VI milliaribus a loco, ex quo moverant, diſtantem; quam oppidanis vacuam nacti, VI tantum minoribus machinis in ea repertis, praeſidio firmant. Tum, loco caſtris delecto, Vitellius ad ſitum Pignonis ex propinquo cognoſcendum proficiſcitur; quod ut commodius facere poſſet, natatu propius ad locum acceſſit. Proxima cura fuit de machinis muralibus ſubvehendis: et, quia in celeritate ſummum expeditionis momentum ponebat Garſias, per mare compendioſior via magis placebat, quamvis periculoſior, quippe cum navigia praetervehenda eſſent. Tum Auriae negotium datum et tormenta ſtatuendi et arcem quatiendi; cujus auctoritas nauticam turbam facilius et minus retractanter ad pericula ſubeunda eſſet impulſura. Arx in parvo promontorio ſita eſt, non amplius CCC paſſuum ſpatium in circuitu ambiente, in litore Mauritaniae e regione urbis Malacae, longe a freto [a] Gaditano circiter C paſſuum CIↃ, a continenti vero L non amplius paſſus disjuncto; de cetero undique praerupto, ut nullus ſit ad cacumen, in quo arx eſt, aditus, praeter anguſtae inter abſciſſas rupes ſemitae, arduum ac perdifficilem aſcenſum: moenia turriculas ac pinnas habent, priſco et Mauris uſitato munitionum genere. Rebus ad id omnibus comparatis ac tormentis adductis, locus leviter faſtigiatus ut opportunus delectus eſt; doliiſque vimineis terra oppletis pro aggere ante machinas ſtatutis, arx totum diem a terreſtri et maritima parte quaſſata eſt. Propugnaculis decuſſis, cum miſſis, qui ſtragem factam ſpecularentur, intellectum eſſet, majore profectu arcem pulſatum iri, ſi machinae in collem arci imminentem transferrentur, id negotii, quod magnae molis videbatur, rurſus Auriae datum eſt. Sed in ipſo conatu, praeſidiariis proxima nocte duabus ſcaphis, quas ad id paratas habebant, ſummo ſilentio excedentibus, re a transfuga intellecta, continuo praemittitur Auria, qui propius murum ſubiens, cum III Mauros nutu deditionem ſignificanteis obvios habuiſſet, ipſe cum XII tantum militibus primus arcem ingreſſus eſt; in qua XXX reliqui Turci erant, qui mox ſe illi tradidere. Et ita longae ac difficilis oppugnationis, adde, et incerti certaminis negotium, uno die confectum eſt. Garſias loco potitus CCCC Hiſpanorum praeſidium imponit; machiniſque ac ceteris belli apparatibus firmat; formamque novae munitionis, qua arx munienda videbatur, a Vitellio deſcriptam, ad Philippum mittit. In reditu ac navium conſcenſu plus periculi fuit. Nam Abdala Feſſae ac Marochi rex ad famam Chriſtianorum adventus magno exercitu conſcripto venerat, ac prope noſtrorum caſtra interea circumſederat, irrito conatu ſaepius tentata, quippe cum vicini colles atque edita loca undique Chriſtianorum praeſidiis tenerentur. Igitur in diſceſſu mutata agminis ratio: praemiſſis tironibus ac ſubitariis Hiſpanis, quibus minus fidebatur; medii Germani ſequebantur, veteranis Hiſpanis in extremo agmine conſtitutis: iis additae ſunt II validae ſcloppetariorum vexillationes, ac cum illis Vitellius, in cujus conſilio ac virtute Garſias magnum momentum ponebat: attributa et valida manus Auriae, eique negotium datum, ut videret, ne in conſcenſu quid tumultus ab inſtantibus Mauris excitaretur. Cum ad litus veniſſent, et jam primi in eo eſſent ut conſcenderent, ingens Maurorum peditum miſſilibus armatorum globus a tergo ingruit, et ultimum agmen invadit; eodemque tempore magna pars equitatus hoſtilis e collibus undique deſcendit, et in noſtros acrem impreſſionem facit, ſcloppetariorum ordinibus initio ſolutis. Nec res a ſummo periculo abſuit: nam inſtantibus Mauris noſtri cedentes paulatim in fugam vertebantur; niſi Vitellii virtus in tempore adfuiſſet, qui circum diſcurrens ac fugienteis prenſans ac ſiſtens et in proelium reverti cogens, hortando et Dei hominumque fidem obteſtando, tandem fuga repreſſa certamen reſtituit. Nec ſegniter interea rem gerebat Auria; qui, cum locum quendam editum occupaſſet, ut ex eo laborantibus ſuis auxilio eſſet, a Mauris circumventus equo ſuffoſſo in pedes deſcendere

INTERPR. [a] *deſtroit de Gibraltar.*

deſcendere coactus extremum periculum virtute et audacia praeſenti diſcuſſit; facto- CIƆIƆLXIV.
que cuneo per mediam aciem hoſtium erupit, et ad ſuos incolumis pervenit. Dum CAROLUS IX.
in eo eſſent, commodum ſuperveniente loricatorum delecta manu; a Garſia laborantibus ſuis ſummiſſa, aequatum proelium eſt, multiſque impreſſionibus modo hi modo illi cedebant, donec tandem repreſſis Mauris, cum per totum pugnae tempus primi, ac qui poſt illos deinceps erant, naves nunquam conſcendere intermiſiſſent; omnes conſcenderunt, amiſſis circiter cc ex ſuis, et in iis Ludovico Oſorio caſtrorum praefecto, ac Franciſco [a] Mauria graviter ſauciato, cum major Maurorum numerus, ut poſtea reſcitum eſt, in eo certamine cecidiſſet. Abdala, ante profectionem et in itinere et pugna accenſa et poſtquam noſtri conſcenderunt, ſaepius per internuncios ac caduceatores colloquium cum noſtris tentaverat: ſed, cum nullas conditiones admitteret Garſias, poſtquam biduum, ex quo copiae conſcenderant, in Africae ora commoratus eſt, opportunam tempeſtatem nactus ſecundo curſu Malacam incolumis appulit, et mox [b] Saonam perrexit. Conſilium erat Garſiae recta Bugiam tendere; qua capta Africae ora maritima antea latrociniis infeſta a piratis omnino liberaretur: ſed jam inclinata anni tempeſtate et Ornani in Corſica ſucceſſibus revocatus eſt. Is, dum bellum in Africa gereretur, [c] Portum-veterem ceperat, et [d] Baſtiam ac fanum Florentii tentaverat; brevique tota inſula potiturus videbatur, niſi in tempore ſuccurreretur. Coſmus ei in occulto favere putabatur, ab Ornano ipſius patrocinium inſulanorum nomine implorante ſolicitatus, qui et pulvere et pecunia eum juvit. Qua de re cum queſti eſſent Genuenſes apud Philippum, Coſmus continuo Franciſcum [e] Montacutum in Hiſpaniam miſit, qui factum, quod negare non poterat, excuſaret, et ſe a conſilio alieni invadendi alienum confirmaret. Commodum vero Genuenſibus accidit, ut, Ornano interim in inſulam profecto, is, qui Portum-veterem tenebat, ab ipſis corruptus eis locum dediderit: quo recepto in ſpem exturbandi Ornani non ſolum erecti ſunt, ſed minus auxilio ſibi egere viſi a ſuperfluis quoque ſumptibus ſibi temperandum eſſe exiſtimaverunt. Itaque Garſias Saona paucos Hiſpanos in inſulam miſiſſe contentus, exiguo profectu, quippe exulibus in montana per hyemem digreſſis, claſſem dimittit, et ad Siciliae praefecturam, decedente ex provincia Joanne [f] Cerda prorege, ſibi a Philippo deſtinatam proficiſci decrevit. In itinere ex Coſmi conſilio Romam divertit, ut rationes conciliandi cum Philippo pontificis iniret; ſed irrito ſucceſſu, exaſperatis ultra modum animis; de cetero inibi honorifice ob rem bene geſtam in ſpeciem exceptus: cum nihil proficeret, quantumvis annitente cardinali Paceco, [g] Neapolim contendit.

XXXIII. Eo tempore, nam neque hoc praeterire debuiſſe viſus ſum, Michael Angelus Bonarota Florentinus Romae deceſſit, cum aetatis annum xc ageret; noſtra aetate atque adeo poſt priſcos Graecos picturae, ſtatuariae et architecturae praeſtantiſſimus artifex; cujus nomine ut paſſim orbis perſonat, ſic pleriſque locis, ſed Romae et Florentiae praecipue, ſtupendi operis monumenta ejus viſuntur. Huic initio cum Raphaele [h] Urbinate pictore famoſiſſimo aemulatio fuit: ſed, mortuo in aetatis flore Raphaele, Michael, qui ad majora aſpirabat, longaevae aetatis beneficio facile principatum in praeſtantiſſimis illis artibus adeptus eſt, et ad mortem uſque tenuit; pleriſque ſuae induſtriae admiratoribus, raris aemulis aut imitatoribus relictis. Huic Coſmus, qui ſumme his artibus delectabatur, tantum honorem habuit, ut ejus corpus Roma Florentiam transferri curaverit, ut in patria ſepeliretur. Id ſumma pompa peractum, deducentibus funus xxc praeſtantiſſimis artificibus ad B. Laurentii aedem: ubi a Benedicto [i] Varchio publice laudatus et conditus eſt. Quae omnia quia fuſe Georgius [k] Vaſarius Aretinus praeſtantiſſimus pictor et architectus ſingulari libro complexus

INTERPR. [a] *Mauria.* [b] *Savona.* [c] *Porto Vecchio.* [d] *la Baſtia, & San Fiorenzo.* [e] *da Montauto* [f] *de la Cerda.* [g] *Naples.* [h] *d'Urbin.* [i] *Varchi.* [k] *Vaſari d'Arezzo.*

complexus eſt, vita ejus diligenter perſcripta et enumeratis operibus, de iis plura dicere ſuperſedebo.

XXXIV. CUM paulo ante fatis conceſſiſſet Ferdinandus Caeſar, Franciſcus Coſmi filius, nam omnia jam ejus nomine gerebantur, officioſe ad Maximilianum Caeſarem miſit Marium [a] Columnam et Julium [b] Ricaſolium, qui communem de patris morte conceptum dolorem teſtarentur, et poſt officioſa ſolatia ei de Caeſarea dignitate gratularentur. Mandatum ſingillatim Ricaſolio fuerat, ut cum [c] Antonio Albitio oratore ſuo, qui jam diu in ea aula manſerat, de Joannae nuptiis coeptum olim ſermonem cum Auſtriacis fratribus perſequeretur, et negotium illud ad exitum tandem perduceret. Alfonſus item Ferrarienſis eodem tempore Barbarae alterius ſororis ſibi promiſſae matrimonium urgebat. Sed quamvis de Joanna fratres conſentirent, obſtabat Sigiſmundus Auguſtus Poloniae rex, qui eam Joanni Sigiſmundo Joannis [d] Zapoliae et Iſabellae ſororis filio [e] Daciae principi petebat, adfinitate ut ipſi honorifica, ita Imperio et Auſtriacae familiae opportuna ac ſalutari: ſic enim fore, ut is, qui paterna hereditare Solimani neceſſario cliens eſſet, ea neceſſitate ſolveretur, et adfinitate cum Auſtriacis contracta Turcorum patrocinio renunciaret. Verum Joannes, qui ſe jam olim ſemper a Ferdinando ludificatum meminerat, et nunc ſpe nuptiarum, quas Franciſco deſtinatas ſciret, a filiis ejus lactari ſe crederet, a Georgio Bebeco perſuaſus conſilia patris reſumit, et rurſus ad Turcorum infelix patrocinium revolvitur; quorum ope violatis induciis nuper inter Ferdinandum et Solimanum pactis funeſtiſſimum bellum in [f] Pannonia excitavit, principio a [g] Zatmaro ducto Melchioris [h] Balaſſi caſtello, quod valido admodum praeſidio tenebatur. Factum excuſavit Joannes, quod Balaſſum perſugam et arcanorum ſuorum conſcium a Ferdinando contra decorum et pacis leges receptum diceret. Eo antem aſtu in eo capiendo uſus eſt: magnum armentorum numerum praemittit cum paſtoribus ac bubulcis, qui ingenti pulvere, cum oppidum praetervehcrentur, excitato, conſpectum praeſidiariis adimerent: pone ſequebantur 11 delectorum militum ſigna: ad repentinam illam nubem Balaſſus continuo mittit, qui quid eſſet viderent; cum illi armenta ſe tantum vidiſſe renunciarent, habita fide, praeſidiarii ſecuri quieverunt, donec praetervectis armentis, cum aer adhuc obſcurus eſſet, delecti accedunt, et, antequam [α] conſpici poſſent, impetum ab omni parte ſaciunt, et ita nec opinato caſu territis praeſidiariis locum exiguo negotio et in eo ipſum Balaſſum cum uxore, liberis ac theſauris capiunt. Quam injuriam in regni initio Maximilianus minime ſibi ferendam ratus, ultra modum contra Joannem excanduit; coactiſque ſtatim copiis [i] Caſſoviam praemittit, ut ejus impetum, ne ulterius progrederetur, retardaret, donec totis viribus et cum juſto exercitu ipſe in Pannoniam deſcenderet. Ea occaſione utendum ratus Franciſcus per Ricaſolium cum Caeſare agit, promiſſis in id bellum auxiliis et pecunia, ac poſtremo obtinuit, ut etiam Auguſtus Saxo ſeptemvir, qui eandem Joannam Friderico Daniae regi ſororio ſuo petebat, fruſtra fuerit. Tum rumore ſparſo, quaſi rex de ſorore Franciſco in uxorem danda ſpem feciſſet, ſuſpicio non ſolum Caeſari ſed etiam Philippo injecta fuit; qua et affectum eſt, ut arte, qua parens ejus [k] Senenſem ditionem a Carolo Caeſare extorſerat, eadem ipſe Joannam conjugem a Maximiliano impetraret. Tandem ex conſenſu Ferdinandi et Caroli fratrum ea Franciſco uxor deſtinatur; idque tabulis obſignatis confirmatur, ea lege, ut nuptiae intra annum luctus a morte patris celebrarentur.

XXXV. SUB id Romae detecta eſt conjuratio a fanaticis quibuſdam contra pontificem ſtructa; cujus dux erat Benedictus [l] Accoltius, Accoltii, qui olim purpurei galeri decus meruit, filius; qui complices habuit Petrum Accoltium gentilem ſuum, Antonium

VAR LECT. [α] videri ac praeveniri poſſent *D. f.*

INTERPR. [a] *Colonna.* [b] *da Ricaſoli.* [c] *Antonio delli Albizi.* [d] *Zapolie.* [e] *Tranſilvanie.* [f] *Hongrie.* [g] *Zatmar.* [h] *Balaſſi.* [i] *Caſſovie* ou *Caſchau.* [k] *de Siene.* [l] *Accolti.*

Antonium [a] Canoſſae comitem, [b] Pellicionem equitem, [c] Proſperum Hectoreum et Thaddaeum Manfredum, aere oppreſſos alieno nec ſatis ſanae mentis. Ille aut ſpe praedae aut etiam emendationis eccleſiae obtentu tantum facinus iis perſuaſerat: aiebat ſiquidem, Pium IIII non verum pontificem eſſe; eo ſublato alterum ſuffectum iri, qui Papa Angelicus diceretur, ſub quo eccleſiae concordia, caſtigatis erroribus, ſarciretur, additis vaticiniis de potentia ejus in omnem terrarum orbem: tum, patrata caede, gazam pontificis et cardinalis Borromaei praedae ceſſuram oſtendebat; inſuper arces, ditiones et montes aureos ſociis pollicebatur: et Antonio quidem [d] Ticinum, Thaddaeo Cremonam, Pellicioni Aquileiam, Proſpero denique annuos reditus ad V CIↃ aureorum inſana vanitate ſe daturum promiſerat: ſed cum ſemel atque iterum oblata occaſione ipſi Benedicto et Pellicioni, qui caedem faciendam redemerant, animus defuiſſet, petita toties audientia Accoltius, alioqui pontifici inviſus, et qui Genevae aliquandiu fuiſſe inſimulabatur, ſuſpectior eſſe coepit, et a quibuſdam delatus atque ob id cum ſociis noctu comprehenſus eſt; qui, tormentis ſubjecti cum rem faſſi eſſent, temeritatis et inſaniae ad hunc diem inauditae poenas capite luerunt.

XXXVI. PAULO ante Fridericus Borromaeus ſororis filius, Caroli cardinalis frater, deceſſerat, quem pontifex dignitate et opibus auctum praeter modum cupiebat; et cardinalis poſt fratris mortem ad vitam tranquillam et ſacerdotali ſimplicitati congruam, quam omni vita poſtea amplexus eſt, ſe contulerat. Igitur pontifex, ne ſine charitatibus eſſet, cum Auguſtum fratrem implacabili odio proſequeretur, totos affectus in Hannibalem [e] Altempſium et Marcum [f] Siticum cardinalem alterius ſororis filios convertit: quorum illum ſacrae Romanae eccleſiae gubernatorem creavit, eique ſororem Borromaei uxorem quamvis cognatione proximam cum magna dote deſtinavit: hunc ſummae negotiorum praefecit; unde pecuniae per fas nefaſque colligendae intentus, ingenio jam omnino renudato, nihil reliqui fecit, quo vel cum piaculo et alterius injuria, vexatione ac populi gravamine deſiderium expleret. Itaque et gratiam multarum rerum, quae concilio Tridentino prohibitae fuerant, palam et in occulto accepta pecunia fecit; et pontificiae ditioni ſubditos gravibus tributis oneravit, et multis ex nobilitate renovatis litibus periculum creavit. Joannem Franciſcum Vidium [g] Balnei comitem maxime vexavit, ſuſcitato oratore regio, qui ei controverſiam de pecunia bellis ſuperioribus prope Ceſenam intercepta moveret. Nec vel Coſmi interventu, cui ille ſemper antea militaverat, et tunc in Germania operam navabat, unquam placari potuit, quin eum quorundam caſtellorum amiſſione mulctaret. Moverat et Vitelliis litem de [h] Tiferno, quod id ſede vacante armis occupaſſent, et tranquillitatem publicam turbaſſent. Eandem ob cauſam Aſcanium [i] Corneum, bellica laude conſpicuum et ſummae exiſtimationis virum, Romae comprehenſum in molem [k] Hadriani conjici juſſit; et Cornelium Bentivolium ac ipſius fratres, qui Ferrariae apud principem in gratia florebant, poſtulari [l] Bononiae mandavit, quod ante XVIII annos in ea civitate, ob privatas cum Lippo [m] Giſolerio ſimultates, ejus domum pulvere ſulphureo ſubjecto et accenſo ſubvertiſſe dicerentur, diſcerpto in ea ipſo Lippo: nec, cum poſtularetur Bentivolius et de praerogativa dignitatis exciperet, quod, regii ordinis torquatus eques cum eſſet, coram rege tantum ſiſti poſſet, a pontificiis miniſtris auditus eſt. Ipſi etiam Alfonſo Ferrarienſium duci litem intentavit, quod miniſtris pontificiis in juriſdictione [n] Mutinae exercenda impedimentum cum attuliſſe diceret, et [o] Berzigellae praefectura Alfonſum ducis patruum privavit. Cum vero ſub id tempus Vidus Aſcanius Sfortia cardinalis deceſſiſſet, [p] camerarii dignitatem, quod antea nuſquam factum fuerat, turpi nundinatione

Vitellocio

INTERPR. [a] *Canoſſa.* [b] *il cavalier Pelliccione.* [c] *Proſpero d'Ettore.* [d] *Pavie.* [e] *Altemps.* [f] *Sitico Altemps.* [g] *Bagno.* [h] *Citta di Caſtello.* [i] *della Cornia.* [k] *Caſtel S. Angelo.* [l] *Bologne.* [m] *Ghiſolieri.* [n] *Modene.* [o] *Berzighella.* [p] *Camarlingo.*

[a] Vitelloclo Vitellio cardinali xxc aureorum CIↃ vendidit; et Alexandrum Sfortiam Aſcanii defuncti fratrem camerae clericum in cardinalium collegium cooptavit, non tam ut eum dignitate augeret, quam ut venale clerici camerae munus, quod per galeri adeptionem vacabat, pro conceſſae dignitatis pretio acciperet. Ipſe finito concilio ad omnia ſecurus ſpectaculis et variis oblectamentis totum tempus impendebat, ſtructo in Vaticano forma amphitheatrali loco, in quo ludos et haſtiludia ſaepius ſpectabat, de cetero exiguam prae ſe de paſtorali officio ſolicitudinem ferens; cumque multorum opinione parum concilii ultimi decretis proſpectum eſſet, creſcentibus in dies diſſidiis, majore quoque ſciſſura per ipſius negligentiam eccleſia in Germania, Britannia, apud nos, et jam in Belgio lacerabatur.

XXXVII. ITAQUE cum Ludovicum [b] Antenoreum hominem rerum agendarum peritum in Galliam ad regem miſiſſet, qui concilii Tridentini promulgationem procuraret, excuſationes regis facile admiſit; qui per ſuos miniſtros concilii decreta ſingillarim executioni ut demandarentur ſe curaturum recipiebat: ceterum publicam univerſi concilii promulgationem eo rerum ſtatu periculoſam deprecabatur, et de obſequio alioqui ſuo pontificem in poſterum bene ſperare jubebat. De legationis vero [c] Avenionenſis negotio, de quo fruſtra ſaepius actum fuerat, tunc demum inſtante regina tranſegit, et eam Alexandro Farneſio ablatam, cui compenſationis titulo patrimonii legatio attributa eſt, Carolo Borbonio cardinali conceſſit; accepto [d] Caſae-novae opimo coenobio in principatu Salucienſi, et cardinali Altempſio, qui jus in Avenionenſi legatione habebat, attributo. Quod eo libentius fecit, licet reclamante cardinalium collegio, quod et ſimul moleſtiam Farneſiis faceſſebat, et conciliato ſuis commodo, ſe interea magnis ſumptibus, quos in tuenda civitate et [e] Venaſcinenſi comitatu facere cogebatur, rege patrocinium ejus ſuſcipiente, et in id fidem ſuam obſtringente, liberabat..

XXXVIII. EODEM hoc anno pontifex miſſo in Germaniam [f] Vintimilienſi epiſcopo egerat, ut concilium Tridentinum promulgaretur. [α] Et Caeſar, quam ſe paratum ad obſequium oſtendebat, tam inſtanter urgebat, a Carolo [β] archiduce et Alberto [g] Baioaro monitus et ſuorum periculo incitatus, ut gratia calicis etiam non ſacerdotibus a pontifice fieret: eamque in rem Vienna ad eum literas dederat XVI Kal. Martias; cum Nonis Febr. Baioarus itidem ad pontificem ſcripſiſſet, quibus et calicis uſum petentibus concedi poſtulabat; idque ambo illi Morono et Lotharingo cardinalibus et archiepiſcopis [γ] ſeptemviris probari aiebant: tum etiam petebant, ut ratio iniretur, qua non ſolum ſacerdotes, qui aſſertis ſuis conjugiis ſe ipſos ab eccleſia ſeparaſſent, retentis utcunque in contubernio aſſertis illis uxoribus, eidem eccleſiae reconciliari poſſent; ſed etiam benigne indulgeretur, ut ad exiguas Catholicae religionis reliquias conſervandas iis locis, in quibus presbyteri eo numero, qui ſufficiat, haberi non poſſunt, ab epiſcopis viri laici juſtae aetatis ac doctrinae et vitae inculpatae ac bonae famae ad miniſterium altaris et alia ſacerdotalia munia ordinari et admitti queant: et alterum quidem conceſſit pontifex, alterum omnino negavit.. [δ] Quapropter Maximilianus Caeſar per Proſperum [h] Arcuenſem comitem datis ad pontificem literis IIII Kal. Dec. cum eo egerat, ut, quod ad ſacerdotum conjugia, aliquid de ſeveritate remitteret, et [i] Noricis, [k] Boiis, [l] Quadis, [m] Marcomannis et [n] Pannoniis ea in re gratificaretur: nam calicis conceſſionem eum fructum, quem optet, minime afferre poſſe, niſi et ea in parte penuria ſacerdotum laborantibus provinciis ſubveniatur: nec rem diutius differri debere; alioqui timendum eſſe, ne brevi eo deveniatur,

VAR. LECT. [α] Et Ferdinandus Caeſar *D. f.* [β] archiduce filio et Alberto Baioaro genero monitus *D. f.* [γ] Imperii ſeptemviris *D. f. o.* [δ] Quapropter, Ferdinando paulo poſt fatis concedente, Maximilianus Caeſar *D. f.*

INTERPR. [a] *Vetellozzo Vitelli.* [b] *Antinori.* [c] *d'Avignon.* [d] *Caſa nuova.* [e] *le Comtat Venaiſſin.* [f] *de Vintimiglia.* [g] *de Baviere.* [h] *d'Arco.* [i] *Baviere.* [k] *Boheme.* [l] *Sileſie.* [m] *Moravie.* [n] *Auſtriche, Carinthie, Carniole, & Hongrie.*

CIↃIↃLXIV.
CAROLUS IX.

deveniatur, ut ne hoc quidem remedium ſero adhibitum huic lethali eccleſiae vulneri ſanando ſufficiat; et beneficii ſperati procraſtinatione fiat, ut ſemper difficilior ejus ſit curatio. Addita erat literis ſuccincta argumentorum pto ſacerdotum matrimonio contra coelibatum enarratio, cum mandato, ut brevis ille commentarius cardinalibus communicaretur; cujus ſumma haec erat: Negari non poſſe utriuſque teſtamenti teſtimoniis uxores ſacerdotibus permitti, et conſtare, apoſtolos ipſos paucis exceptis conjuges habuiſſe; quod autem Chriſtus poſt eorum vocationem mandaverit, ut ſe ab uxoribus ſepararent, nullo loco reperiri: liquere item in prima orientali et occidentali eccleſia, uſque ad tempus prohibitionis a Calixto factae, ſacerdotum conjugia libera ac licita fuiſſe: proinde, cum natura noſtra fragilis ſit, omnium aetas ab adoleſcentia in malum prona, cum caro ſit ſtimulus peccati, et arctiſſima ſit continentiae via, paucique reperiantur, qui carnis ſtimulum non ſentiant, et in igne poſiti non ardeant, ſitque talis ignis concupiſcentiae ad perniciem devorans, Dionyſium Corinthi epiſcopum prudentiſſime Pinytum ſuffraganeum monuiſſe, ne coelibatus onus tanquam neceſſarium fratribus imponeret, ſed infirmitatis plurium rationem haberet: ſic Paphnutium in Nicaena ſynodo honorabileis confeſſum nuptias, et concubitum cum propria uxore caſtitatem eſſe aſſerentem, ſuaſiſſe patribus, ne coelibatus legem dicerent; gravem quippe eſſe cauſam, quae aut ipſis ſacerdotibus aut eorum conjugibus ſcortationis occaſionem praeberet: id, ſi olim ſancte ac ſapienter dictum, et, ut inde honeſtati hinc infirmitati hominum ſubveniretur, neceſſarium exiſtimatum eſt, nunc profecto hoc infelici ſaeculo verum eſſe, quo vix inter multos unus reperiatur, qui caſtum coelibatum praeſtet: nam omneis fere publicos eſſe ſcortatores, cum maximo animarum diſcrimine et populi offenſione: praeterea eam ſacerdotum penuriam eſſe ob vetitum matrimonium, ut ſcholae theologorum apud Catholicos vacuae ſint, et ſpretis epiſcopis omnes ad Sectariorum ſcholas profugiant, ibique quaſi quaſi manuum impoſitione accepta ſe paſſim ingerant, ſintque eccleſiae Catholicae, ſupra quam credi poſſit, dedecori; qui tamen, libertate conjugii permiſſa, omnes in eccleſia nobiſcum manerent: proinde ex eccleſiae bono videri, ut ipſa contra regulae ſeveritatem ea in re aliquid indulgeat, et liceat viris ſacram vitam profeſſis vel in coelibatu permanere vel matrimonium contrahere; dein, ut honeſti mariti, qui docti et rerum eccleſiaſticarum periti ſint, ad ſacros majores ordines admittantur; poſtremo, ut cum ſacerdotibus, qui jam antea contra conſtitutiones ſacras matrimonium contraxerint, in tanta miniſtrorum paucitate diſpenſetur, et ii per eccleſiam gratioſe tolerentur, ac denique, ut miniſtrare poſſint, ipſorum conſcientiis relinquatur: valde enim abſurdum eſſe, ſacerdotes conjugatos removere; ſcortatores vero, qui contra legem divinam et humanam ſimul peccant, delinquenteis pati: quod ſi ii caſtitatis voto aſtringendi videantur, certe ad ſacerdotium promoveri non debere, niſi qui provecta jam aetate ſint, et de quibus ſpes certa concipi poſſit, ut coelibatum pie et inviolate colant: nec vero ſatis firmum videri eorum argumentum, qui propter conſervanda bona eccleſiaſtica coelibatum mordicus retinendum cenſent; quippe iis reputandum eſſe, an deceat eccleſiam tot animarum periclitatione conſervandis bonis invigilare, cum eorum indemnitati per ſolemneis deſcriptiones et inventaria perque alias ejuſcemodi legitimas cautiones abunde proſpici poſſit. Quibus tamen rationibus et argumentis, quantumvis inſtante Caeſare et re ipſa urgente, nihil a pontifice, jam poſt concilium ſemel dimiſſum ſecuro, impetrari potuit.

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER TRIGESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

IN SCOTIA *de Mariae nuptiis agitur. Davidis Rizii Subalpini cantoris fortuna. Injecta ab Eliſabetha Angla per ſuos de Roberto Dudleio Leiceſtriae comite mentio: quem ſi Maria in virum deligeret, fore dicebat, ut ipſam parlamentaria auctoritate, ſi ſe ſine liberis decedere contingeret, regni heredem deſignaret. Guiſiani Auſtriacis procis in occulto favebant; regii utraſque nuptias averſabantur; illius ut indignas dotali regni Gallici vidua, horum ut ob potentiam ſuſpectas.* II. *Moravii potentia ſubnixi Proteſtantes Mariae importuni maturandis cum Henrico Darlaeo nuptiis occaſionem praebent. Henrici genus et proxima cum regina in ſpem ſucceſſionis cognatio.* III. *Nuptiae, non interveniente Eliſabethae conſenſu, quod urgebat Moravius, inſtante Rizio, peractae; pleriſque, et in iis Moravio, abſentibus; qui citati, quod non comparerent, exſilio mulctati ſunt. Moravius apud Anglam perfugium habuit; nec niſi poſt biennium in Scotiam reverſus eſt.* IV. *Caecilia Guſtavi Sueci filia marchionis Badenſis uxor gravida in Angliam venit, ab regina perhumaniter accepta; apud quam et puerum enixa eſt, cui Edvardo Fortunato nomen inditum.* V. *Mac-Cartius praepotens Hiberniae regulus ſupplex reginae ſiſtitur, in gratiam receptus. Giraldo Deſmoniae et Thoma Ormondiae comitibus inter ſe odia exercentibus, auſtralis pars inſulae miſere adflictata. Deſmonio revocato Warhamus a S. Leodegario praeſidis titulo mittitur.* VI. *Apud nos rex cum regina Biterris, Narbonae et Carcaſſonae aſperrimam hyemem initio anni expertus eſt.* VII. *Tumultus Pariſienſis, cardinali Lotharingo cum Aumalio fratre et Henrico Guiſio nepote in armis ad urbem veniente: cui ſe Franc. Momorantius, a veniente non monitus, oppoſuit, et poſtridie quam venit urbe diſcedere coegit. Libelli hinc inde ex hac occaſione ſparſi. Colinii a Coloniacenſibus Sebuſianorum regulis deducti.* VIII. *Cum rex jam Baionam ad colloquium cum Hiſpanis veniſſet, cauſa patrum Jeſuitarum in ſenatu acta. Origo et prima ſodalitii initia. Primum eorum votum ab Ignatio Loiola cum ſociis Lutetiae ad Montem-martyrum emiſſum. Petentibus, ut ſibi erudiendae juventuti ludum liceret aperire, interceſſit initio Pariſienſis epiſcopus, et poſtea academia et ſchola theologica; Jeſuitarum nomine ut arrogantiae pleno tunc rejecto. Leges in admiſſione prima appoſitae. De iis Caroli Molinaei conſultatio propoſita. Pro ſodalibus P. Verſorius, pro academia Steph. Paſchaſius verba fecit: pro rege peroravit Baptiſta Menilius. Amplius deliberandum cenſet ſenatus, ludi aperiendi interim conceſſa facultate.* IX. *Toloſae rex fratribus mutat nomina; et pro Alexandro et Hercule eos Henricum et Franciſcum vocat, patris et avi renovata memoria.* X. *Rex Burdigalam magna pompa intrat: ad poſtulata Proteſtantium reſpondet, minus aequo ſenatu: foederis a Candala initi memoriam abolet; novum contra Momorantios et Colinios factum eludit.* XI. *Inter luſus ac pompas Baionenſis colloquii ſecreta conſilia cum Albano de Sectariis exſtirpandis. Vipuſcoa et Biſcaia olim Cantabriae nomine comprehenſae provinciae magna Gallici nominis*

jactura

jactura ac injuria juriſdictioni Baionenſis epiſcopi a pontifice in Philippi gratiam eximuntur. XII. *Bellum cardinalitium a Petro Salſeda in Mediomatricibus excitatum.* XIII. *In reditu, cum rex Engoliſmam veniſſet, Proteſtantium querelas audivit; et inde Caeſarodunum facto per Andegavum itinere profectus eſt, conventibus in ſequentem annum Molinii Boiorum indictis.* XIV. *Res in Pannonia geſtae, Lazaro Sebuendio duce. Tocaium, aditu in Daciam commodum, magna vi oppugnatum; et, Fr. Nemethio, qui locum tuebatur, interfecto, deditum. Zatmarum munitum. Jo. Sigiſmundi interim circa Julam excurſiones. Erdeuda a Turcis capta, et praeſidiarii ad unum omnes interfecti. Dominarum-rivuli miſere vaſtati.* XV. *Caeſar pro calicis uſu et ſacerdotum conjugio apud pontificem inſtat.* XVI. *Conſilium de Melita inſula invadenda in Porta captum; in eamque expeditionem claſſis a Solimano inſtructa: Dragutes ſummae rei praeficitur.*

Ex auctoribus,

Jo. Leſlio epiſcopo Roſſenſi, Georgio Buchanano, L. Vicino P. P. L. Renerio Plancio, Actis publicis, Scriptis utrinque evulgatis, Fr. Lanovii comment. Jo. Bapt. Hadrianio, Bernardini Mendozae hiſtoria Belgica, pontificio diplomate, P. Bizaro, Jo. Leunclavio.

LIBER TRIGESIMUS SEPTIMUS.

IN Scotia Matthaeo [a] Stuarto Leviniae comite et Henrico [b] Darlaco filio ab exilio revocatis, cum Henricus ex Anglia Eliſabethae permiſſu in Scotiam Eidibus Febr. veniſſet, regina cum ut amitae ſuae filium et alioqui forma praeſtantem comiter accepit, et ex quotidiana conſuetudine amare coepit, frequenti jam ſermone, quaſi de juvene in virum aſciſcendo cogitaret. Nec id aegre nobilitas audiebat, ſed volente Anglorum regina id fieri cupiebat; nec illa averſabatur, utrique eodem conſanguinitatis gradu conjuncta; ſed nuptiarum auctor credi volebat: et vero ſic exiſtimabat, intereſſe ſua, ut propinquae ſuae potentia hac conditionis mediocritate coerceretur, ne ſupra quam vicinis eſſet tutum augeſceret: ſed praecipitem reginae voluntatem retardabat homo vili conditione citharoedi filius nomine David [c] Rizius [d] Auguſtae Taurinorum natus, qui inter aulica miniſteria [*] irrepſerat. Is ſcite pſallere a patre edoctus, nec inamoena voce praeditus, cum [e] Nicaeam in aulam Sabaudiae ducis profectus pro ſpe minime acceptus eſſet, [f] Moretium a Sabaudo in Scotiam miſſum ſequi decrevit: ubi, cum Moretius inde diſcederet, ſubſiſtere et fortunam rurſus experiri ſtatuit; eo maxime adductus, quod regina diceretur cantionum illecebris oblectari, nec ipſa muſices omnino imperita eſſet. Igitur, cum inter cantores Gallos in ea aula frequenter apparuiſſet, et ſemel atque iterum auditus placuiſſet, in eorum turbam cooptatus: ubi ſenſum reginae ac mores intellexit, ſenſim perfecit, ut non minore eſſet apud eam gratia, quam erat apud ceteros odio: inde alios partim calumniando, partim adulando, cum aut viliores reddidiſſet, aut etiam expuliſſet, fortunae blandientis beneficio uti decrevit; et majora paulatim negotia tractare coepit, donec ab [1] epiſtolis aſſumptus eſt. Jamque hominis tantum non mendici repentinus ad opes non mediocres progreſſus, et ſupra virtutem fortuna, ſupra fortunam arrogantia, et aequalium

CIƆIƆLXIV.

Carolus IX.

VAR. LECT. [*] irrepſerat; ex ea occaſione: Is *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Stuart, comte de Lenox.* [b] *le lord Darnley.* [c] *Riccio.* [d] *Turin.* [e] *Nizza.* [f] *le comte de Morette.*

NOT. [1] Lege *epiſtolis Gallicis.*

aequalium contemptus, et cum ſuperioribus aemulatio in multorum ſermones incurrerat; et, accedente procerum adulatione, qui hominis vaniſſimi inſaniam alebant amicitiam ejus captantes, ut fit, ſalutando, orationi ipſius ſubſerviendo, foribus obambulando, exitus ejus reditusque obſervando, jam eos ſpiritus induerat, ut ſibi rerum in Scotia arbitrium a fortuna delatum arbitraretur. Itaque, ut ſubſidium ſibi adverſus odium publicum compararet, Henricum nuptiis regiis deſtinatum omni aſſentationis genere ambiebat: perſuaſeratque credulo adoleſcenti, familiaritate cum eo contracta, ſua maxime opera fieri, quod regina eum adamaret. [a] Moravius, ab omni aſſentatione et ſimulatione alienus, hominem averſabatur: ob idque nuptiis, quibus ſe pararium praebebat Rizius, minus aequus credebatur. Contra ille in id unum incumbebat, ut, ſparſis diſcordiarum inter eum et Henricum ſeminibus, Moravium ab aula removeret: quo pulſo, vitae reliquum curſum ſibi inoffenſum pollicebatur. Nec invitus fecit [Moravius, * priſcae ſeveritatis [α] vir, ut ab aula ſecederet. Regina] vero, ut adverſam et inimicam illi factionem confirmaret, ab exilio revocavit Jacobum [b] Heburnum Bothuelium, [1] Georgium [c] Gordonium Sutherlandiae comitem, alterum Georgium Gordonium [d] Huntilaci comitis filium, atque hunc cuſtodia eductum priſtinae dignitati ac bonis reſtituit. Cum vero Bothuelium e Gallia reverſum de recentibus contra ſe inſidiis accuſaret Moravius, interceſſit regina precibus apud fratrem, monitis item per literas proceribus, ac minis poſtremo additis, ne diem judicii obirent. Conſilium etiam de exitio ei maturando captum dicitur, deſtinatis ad id Henrico et [e] Rizio, qui hominem [f] Perthi, [quo evocari debebat,] ſermone conſerto liberius, quo erat ingenio, reſponſurum, rixae inde occaſione captata, confoderent. Verum ab amicis monitus periculo praevertit: eoque Rizius antea retardandi auctor, nuptias praecipitandas reginae ſuadebat; veritus ne Moravius, quamvis ab iis initio minime alienus, ut qui revocandi ab exilio Henrici auctor fuerat, ob id irritatus eis impedimentum aliquod afferret. Ab iis nuptiis et avunculos averſos fore minime dubitabat regina; providebatque, ſi in longum rem extraheret, rurſus ab illis impedimentum ſibi parari. Dum conſultatur, venit ab Angla legatus, qui mirari ſe diceret, cur res tanti momenti praecipitaretur; peteretque, ut regina et Henricus, quibus pari ſanguinitatis gradu conjuncta eſſet, adhibita mora, accuratius id negotii perpenderent. Cum nihil ea legatione proficeretur, miſſus mox Nic. [g] [β] Throcmortonus, qui [h] Levinium ejusque filium moneret, in certum diem, qui jam praeteriiſſet, commeatum habere, et in Angliam utrumque redire juberet, niſi ſe exilio mulctari, et bona ipſorum in fiſcum redigi mallent. [γ] Injecta in occulto primum et de Roberti [i] Dudleii Leiceſtriae comitis, hominis Eliſabethae gratioſi, nuptiis; dein et palam a [k] Bedfordio et [l] Randolpho [m] [2] Bervici comite mentio; quem ſi Maria in virum deligeret, fore dicebat legatus, ut Angla parlamentaria, quam vocant, auctoritate, Mariam ſororem, et, ſi ſine liberis ipſam

D. ſ. [*Moravius, ut ab aula ſecederet; nempe integerrimus ac priſcae ſeveritatis vir, ſermones, qui de regina et Rizio jam paſſim differebantur, aequo animo pati non poterat. Regina*]

D. ſ. [*quo regina eum evocare debebat*]

VAR. LECT. * integerrimus ac priſcae *D. o. d.* [α] vir, et qui ſermones de ſecretis Rizii cum reginae congreſſibus jam paſſim aequo animo ferre non poſſet, ut ab aula *MS. Samm.* [β] Trocmortonus *D. ſ. o. d.* Trokmortonus *Ed. Gen.* [γ] *Hinc usque ad* maturandum rata *deſunt* 27 *lineae D. ſ. o. d.*

INTERPR. [a] *Jacques Stuart, comte de Murray.* [b] *Hepburn, comte de Bothwel.* [c] *Gordon, comte de Sutherland.* [d] *Huntley.* [e] *Riccio.* [f] *Perth.* [g] *Throckmorton.* [h] *le comte de Lenox.* [i] *Dudley, comte de Leceſter.* [k] *François Ruſſel, comte de Bedford, gouverneur de Berwick.* [l] *Randolph, ambaſſadeur d'Angleterre en Eſcoſſe.* [m] *Berwick.*

NOT. [1] Dele *Georgium*: Lege *Joannem*: et dele *alterum* in linea ſequenti. *C.*

[2] *Bedfordius praefectus fuit Berwici, ubi haec acta ſunt: Berwici comitis titulo nec Randolphus nec Anglorum ullus unquam gaviſus eſt: dele ergo* comite, *aut, ſi tibi placet, lege* Bedfordio Berwici praefecto et Randolpho mentio. *C.*

ipſam decedere contingeret, regni heredem declarandam curaret: ad Anglicanae quippe rei quietem ac ſecuritatem pertinere, ne Maria, ſi ad ſucceſſionem ordine legitimo vocetur, virum exterum, quem vix Angli ac ne Scoti quidem ferre poſſunt, in regnum ſecum adducat. Quod eo dicebatur, quod pro certo compertum habebat Eliſabetha, Guiſium Mariae avunculum antea dum in vivis eſſet de Ferdinando Maximiliani Caeſaris fratre, ac poſtea fratre ſublato Carolum [a] Lotharingum cardinalem de Carolo archiduce, nam Ferdinandus interea Philippinam [b] Velſeram clandeſtino matrimonio ſibi junxerat, in virum aſciſcendo, clam iis qui publicum apud nos adminiſtrabant, cum Maria egiſſe. Noſtri vero, qui Auſtriacorum nuptias tanquam ſibi ſuſpectas, alteras cum [c] Leiceſtrio ut indignas dotali regni Gallici vidua averſabantur, nil non agebant, ut Mariam ipſam amplioris, quam conventum erat, dotalitii ſpe, et Scotos priſtinarum libertatum et immunitatum in regno amplificatione promiſſa, uttaſque ad impediendum incitarent. Lotharingus ipſe cardinalis, qui ſpe Auſtriacorum exciderat, quod ab iis alienam Scotam videret, praeſentia et quae ſub oculos erant ſectandum eſſe intelligeret, in eo totus erat, ut Leiceſtrianas diſturbaret.

CIƆIƆLXIV.
CAROLUS IX.

II. INTEREA [d] Moravii potentia ſubnixi Proteſtantes, poſt male mulctatum [e] Fani Andreae archiepiſcopum, quod miſſis celebrandis non abſtinuiſſet, et ſacerdotes ob eandem cauſam, quamvis id in aula permiſſum erat, in carceres paſſim conjectos, cum reginae formidabiles eſſe coepiſſent, et illa, praeteritorum oblivione ſancita, ſtipendio judicibus, qui iis de cauſis cognoſcebant, aucto, ac poena capitali contra adulteros decreta, aſſiduitate etiam in cauſis audiendis, vix tumultuanteis placaſſet, poſtremo, ut ſe a contemptu vindicaret, et importunas noſtrorum et avunculi cardinalis ſeu querelas ſive commendationes eluderet, [α] maturandum rata ante omnia, ut dignitatem futuro marito conciliaret, edictum promulgat, quo Henricus comes [f] Roſſiae et [β] dux [g] Rotheſiae appellabatur. Tum [h] Sterlini proceres convocat, eos in primis, quos aut conſenſuros aut repugnare non auſuros aut denique minus moroſos fore arbitrabatur. Et multi quidem aſſenſere, hac lege, ne quid in religione recepta innovaretur: alii ſine ulla exceptione, ut gratum reginae facerent, ad id ſententias ſuas accommodabant: unus repertus eſt Andreas [i] Stuartus Ochiltrius, qui nunquam ſe aſſenſurum diceret, ut rex pontificiae religionis aſſumeretur. Abſuit a conventu Moravius, quamvis nuptias non improbaret, modo Angla volente et auctore conficerent, et religioni caveretur. Tum agitata illa horridae libertatis plena quaeſtio, Liceret reginae, defuncto marito, alium, quem vellet, ex animi ſententia virum ſumere? pleriſque cenſentibus in regnorum heredibus diverſum et aliud jus eſſe, quam in privatis ac plebeiis; quippe cum una opera et virum ſibi ſumerent, et populo regem darent: multoque aequius eſſe, ut populus foeminae maritum, quam foemina regem univerſis eligeret. His acceſſit ad rem accelerandam potentiſſimum telum ſuperſtitio. Nam maleficarum ex Anglorum et Scotorum regno praedictiones, ſi nuptiae circa Quintilis menſis finem conſummarentur, multa regibus commoda in poſterum promittebant: ſi aliter fieret, damna et ignominiam minabantur. Praeterea rumores de Eliſabethae morte ſparſi, die etiam praeſcripto, intra quem moreretur, non mediocriter Scotam urgebant. Sed foeminam per ſe praecipitem poſtremo impulit Rizius; qui plus apud eam, quam aut aequum aut ipſi decorum eſſet, poterat; et rerum arbitrium in regno penes ſe, reginae gratia fretus, retinere ſatagebat. Is ſiquidem, qui videret, ſi nuptiae conſentiente Eliſabetha et Scotica nobilitate coirent, duo ſuis rationibus in primis adverſa; primum in eis conficiendis nullam

VAR. LECT. [α] Itaque maturandum rata regina ante *D. f. o. d.* [β] dux Roteſaius aut Roſſiae appellabatur *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le cardinal de Lorraine.* [b] *Velſer.* [c] *le comte de Leiceſter.* [d] *le comte de Murray.* [e] *St. André.* [f] *Roſs.* [g] *Rotheſay.* [h] *Sterling.* [i] *Stuart, baron d'Ochiltrie.*

CIƆIƆLXIV. CAROLUS IX.

nullam ſuam fore gratiam; deinde Proteſtantium religionis, quam evertere meditabatur, incolumitati cautum iri; omnia moliendo tandem perfecit, ut nuptiae, quamvis infenſis Anglis nec Scotis ſatis aequis, praecipitarentur. Igitur, ut praedictionibus fidem datam appareret, IIII Kal. Sextil. et ita circa finem [1] illius menſis, Henricus Stuartus Mariam maximi regis quondam uxorem et ipſam regni illuſtris heredem uxorem ducit; et poſtridie [a] Edimburgi reges publico praeconio pronunciantur: iſque rex a [b] Ferguſio, qui ante natum Chriſtum CCCXXX annos in [c] Albium veniſſe dicitur, centeſimus ſeptimus numeratur. Nam Franciſcum inter reges ſuos non recenſent Scoti; nec Franciſcus ipſe in ſuis diplomatis uſquam regis Scotiae titulum ſibi ſumpſit. [α] Henrici, quia ex regio ſanguine prognatum eſſe ſaepius dictum eſt, genus altius repeti pretium videtur. Maria Jacobi II Scotorum filia Jacobo [d] Hamiltonio nupſit; ex eoque matrimonio Jacobus [e] Araniae comes natus, et [2] Maria, quae Matthaeo Stuarto [f] Leviniae comiti nupſit. Jacobus is, repudiata prima uxore et adhuc ſuperſtite, [g] Janetam Betoniam cardinalis Betonii amitam ſuperinduxerat; ex qua Jacobum Caſtri-Eraldi ducem ſuſcepit; unde factum, ut aemuli ſtatum ejus poſtea in dubium revocaverint. Ceterum ex Matthaeo et [2] Maria natus Joannes, qui ab Hamiltoniis, dum Jacobum V regem in libertatem aſſerere conaretur, occiſus eſt; ſuperſtite [3] Matthaeo altero, qui eo nomine Jacobo V longe chariſſimus, ex Margarita [h] Duglaſſia Henrici VIII Angli ex ſorore nepti, Henricum ſuſcepit Mariae reginae maritum.

III. NUPTIAE celebratae, abſentibus nobilitatis fere principibus, [i] Jacobo Caſtri-Eraldi duce, [k] [β] Gileſpico Argatheliae, Jacobo [l] Moraviae, [m] Alexandro Glencarniae, [n] Andrea Rothuſiae comitibus, ac compluribus aliis; qui per feciales citati, cum non paruiſſent, exilio mulctati ſunt, inimicis eorum, quod magis res exaſperavit, in aulam revocatis. Reges mox rebus ad cogendos rebelleis comparatis [o] Glaſcuam in armis venerunt, et miſſo ad rebelleis, qui [p] Paſleti ſe continebant, feciali, Hamiltoniam arcem dedi petunt: cum illi recuſarent, ad proelium ſe expediunt. Factionis adverſae duces inter ſe ſententiis diſcordabant: nam Hamiltonii nullam pacis firmam rationem eſſe contendebant, niſi regibus ſublatis: privatorum quippe ſimultates, ſaepe laborum taedio deponi, aut injurias magnis emolumentis compenſari; regum vero inimicitias nunquam niſi morte extingui. Contra Moravius et Glencarnius, qui intelligebant, eos non regni incolumitatem ſed privatas opes ſpectare, ut qui regina extincta proximi heredes eſſent, a caede et Hamiltonii imperio, quod nuper crudele et avarum experti fuerant, abhorrebant, et mitiora conſilia probabant; et conſultius factum iri dicebant, ſi naſcentia mala levioribus remediis curarentur: nam ſemper fuiſſe in Scotia obſervatum et poſteris ad imitationem relictum, uti in regum vita et moribus occultiora vitia diſſimularent, dubia mollius interpretarentur, manifeſta eatenus ferrent, dum ne perniciem publicam ſecum traherent. Quae ſententia vicit. Proceres, extenuatis viribus, tempori obſequendum rati, Hamiltonium ac poſtridie Edimburgum proficiſcuntur: inde cum ab arce infeſtarentur, nec amici e longinquis regionibus tam celeriter, quam res poſtulabat, convenire poſſent, regibus prope veſtigiis eorum haerentibus, auctore Joanne [q] Maxvallio Hereſiano [r] Dumfriſium verſus tendunt. Reges retro Glaſcuam reverſi, Leviniae

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Henrici genealogia, 10 lineae, uſque ad* Nuptiae celebratae *deſunt* D. f. o. d. [β] Gileſpio *D. f. o.*

INTERPR [a] *Edimburg.* [b] *Fergus* [c] *Albion al la Grande Bretagne* [d] *le lord Hamilton.* [e] *Arran.* [f] *Lenox.* [g] *Janette Beaton, fille du chevalier David Beaton de Crich en Fiſa.* [h] *Douglaſs.* [i] *Jacques Hamilton, duc de Châtelleraut.* [k] *Gileſpick* ou *Archibald Campbel, comte d'Argyla.* [l] *Murray.* [m] *Alexander Coningham, comte de Glencairn* [n] *Andrew Leſly, comta de Rothes.* [o] *Glaſgow.* [p] *Paſley.* [q] *Maxwel, lord Harries* ou *Herries.* [r] *Dumfreis.*

NOT. [1] *ſcil.* Quintilis.
[2] Dele *Maria*: Lege *Eliſabetha*. Vid Crawford's Peerage of Scotland, p. 191. *C.*
[3] Matthaeus hic filius erat Joannis in proelio prope Limnuchi pontem pridie Non. Sept A. D. CIƆ IƆ XXVI conferto a Jacobo Hamiltonio occiſi. *C.*

viniae comite in regionibus ad occaſum hybernum vergentibus vicario relicto, [a] Sterlinum et inde in mediam [b] Fifam progrediuntur; et, partim adacta in fidem nobilitate, aliis qui in Angliam ſeceſſerant varia poena mulctatis, conventus juridicos ad inquirendum de conjurationis reliquiis indicunt. Tum Edimburgo eductus exercitus VII Eid. Oct. Dumfriſium verſus iter ingreditur. Heic Maxvallius, homo impiger et conſilio manuque promptus, quaſi pro partibus ſupplex venientibus obviam procedit, et gratia de parte patrimonii ſoceri ſui impetrata ad ſuos redit; oſtenditque, nihil in ſe opis eſſe: proinde ſibi conſulant, et in Angliam propinquam, quo mox ipſos ſecuturus ſit, confugiant. Ita diſſipata rebellium factione, rebus pro arbitrio conſtitutis, reges exeunte Octobri Edimburgum revertuntur, et conventus in proximum menſem Martium indicunt; quibus bona exulum publicarentur, nomina albo nobilium eraderentur, ac inſignia lacerarentur. [c][α] Moravio aliiſque exulibus cum latebras praebuiſſet Eliſabetha, et Moravium in occulto Anglicis partibus addictiſſimum pecunia per [d] Bedfordium juviſſet, expoſtulavit Maria; nullumque aliud reſponſum a ſorore tulit, quam mutuas expoſtulationes, quod illa Anglos rebelleis [e] Yaxleium, Standonum et Walſhum et [f] O-Nealum Hiberniae regulum recepiſſet, conſilium contra ſe cum pontifice agitaviſſet, neque ſatis de piraticis Scotorum depraedationibus feciſſet. Interea Rizius aulam proceribus vacuam nactus nihil non agebat, ut temporis beneficio uteretur, et potentiam firmaret, aſſidue hortando reginam, ut factionum principes ferro everteret: ad haec ſtipatorum operam neceſſariam eſſe; ſed quia Scoti erant, nec proinde in caedem nobilitatis conſenſuros eos appareret, primum injecta mentio de Germanis accerſendis, natione erga dominos fida. Dein, re diligentius apud ſe perpenſa, Rizius, commodius id rationibus ſuis ratus, de Italis conducendis cogitare coepit, conterraneis ſuis, et quos perinde magis in poteſtate ſuturos crederet: ad haec homines, [β] ut Scoti aiebant, ad quodvis facinus promptos, ſub regulis natos et educatos, bellis nefariis aſſuetos, et, qui procul domo in Britannia nihil charum haberent, ad res turbandas magis idoneos judicabat. Igitur e Flandria vicina accerſiti vagi milites; ſed ſinguli fere, et per intervalla, ut res magis lateret. Ita creſcente in dies Rizii potentia apud reginam, ſenſim apud eam regis auctoritas vileſcebat, poſt praecipitatas adeo nuptias ſecuta ſtatim poenitentia: quod omnibus paulatim haud obſcuris indiciis patuit. Nam cum in nuptialibus acclamationibus vir ejus rex publice pronunciatus eſſet, in diplomatis poſtea regis et reginae nomina appoſita ſunt, et nomine utroque ſervato mutatus ordo eſt, ita ut reginae primum, regis nomen poſtremum ſcriberetur. Tandem, cauſata viri frequentem venationibus occupati abſentiam, qua fieret, ut multa aut non ſuo tempore fierent aut omnino praetermitterentur, obtinuit, ut ipſa pro ambobus ſubſcriberet; Rizio, quo res indignior eſſet, ei ſubſtituto, qui publica diplomata ferreo typo pro rege ſignaret. Ita regem omni dignitate ſpoliatum, ut cujus nec amicitia cuiquam eſſet fructuoſa, nec ira formidabilis, ad majorem contemptum aſperrima hyeme [g] Peblium ablegat; ut procul a concilio et publicorum negotiorum conſcientia abeſſet, et omnium beneficiorum gratia ad ipſam ſolam redundaret. [γ]

IV. Sub id Caecilia [h] Guſtavi Sueci filia Erici ſoror ex ultimo ſeptentrione in Angliam venit, ut Eliſabetham inviſeret, a qua perquam magnifice excepta eſt; quae ex Chriſtophoro Badenſi marchione filium, dum Londini eſſet, apud hoſpitam ſuam peperit, cui Eliſabetha Edvardi, ad renovandam fratris memoriam, ac praeterea Fortunati nomen impoſuit.

V. Nec

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur, 6 lineae, de mutuis Mariae et Eliſabethae expoſtulationibus, uſque ad* Interea Rizius *deſunt D. f. o. d.*

[β] ut Scoti aiebant *deſunt D. f.*

[γ] *Hic ſequitur, in D. f. T. 2. lib. 35. ut D. o. T. 3. lib. 37. rerum Scoticarum, continuata ſerie narratio; quae in Ed. Gen. et in hac noſtra, lib. 40. ſub An. 1566, legitur.*

Quae ſequuntur de Caecilia, rebuſque Hibernicis, 17 lineae, uſque ad In Gallia initio, *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Sterling.* [b] *Fiſe.* [c] *le comte de Murray.* [d] *le comte de Bedford.* [e] *Yaxley, Standon, & Walſh.* [f] *O-Neal.* [g] *Pebles.* [h] *Guſtavus Ericſon, Roy de Suede.*

CIↃIↃLXIV. CAROLUS IX. V. Nec multo poſt Donaldus [a] Mac-Cartius praepotens [b] Hiberniae regulus ſupplex ad pedes reginae advolutus ſe et ſua omnia ipſius clementiae ita permiſit, ut iis, beneficio ejus, ipſe heredeſque ſui maſculi ex legitimo matrimonio procreati in poſterum fruerentur; quibus deficientibus, ampliſſimae quas in inſula habebat poſſeſſiones Anglicae coronae cederent: viciſſim a regina comitis [c] [α] Glencar et [1] Tegus filius [d] Valentiae reguli titulo ornatus eſt. Quo tempore Giraldo [e] Deſmoniae et Thoma [f] Ormondiae comitibus aliiſque inter ſe capitalia odia atrociter exercentibus [g] Momonia Hiberniae pars auſtralis ſummopere adflictata eſt; eaque de cauſa inteſtinis tumultibus prudentiſſima regina laxamentum quaerens, Deſmonium ad ſe in Angliam evocavit, miſſo in inſulam [h] Warhamo a S. Leodegario rerum Hibernicarum conſultiſſimo, qui primi praeſidis munere ſumma cum integritatis et ſolertiae laude defunctus eſt.

VI. In Gallia initio anni rex [i] Biterris cum regina ac reliquo aulae comitatu [k] Narbonam venit, urbem dignatione et antiquitate, cujus paſſim in ea monumenta viſuntur, praecipuam, ut quae non ſolum [l] Septimaniae, ſed vicinae tractos [m] Rhodanum Provinciae toti olim nomen dederit. Inde aſpera admodum hyeme [n] Carcaſſonam contendit, quae duplex medium [o] Atacem ſatis amplo inter utramque urbem ſpatio interjecto habet: a meridie ortum verſus in colle ſuperior urbs ſita eſt, in eaque epiſcopus ſedem habet; in ima urbe in plano poſita juriſdictio regia exercetur. Ad epiſcopalem urbem, quam vulgo civitatem vocant, rex venerat; ex qua cum poſtridie, qui in Eidus Januarias incidebat, imam urbem regia pompa ingredi deſtinaſſet, nocte, quae illam diem praeceſſit, tanta mole et impetu nix incubuit, viciniſque adeo montibus, ut, everſis apparatibus ad eam magnificentiam extructis, rex totos X dies obſeſſus diem B. Vincentio feſtum expectare coactus ſit; quo in ima urbe honorifice exceptus fuit: et ſeniores a majoribus accepiſſe et in archivis perſcriptum eſſe aiebant, ante CXXIII annos Mariam [p] Andinam Caroli VII uxorem toto trimeſtri a nivibus VI pedum altitudinem ſupergreſſis obſeſſam in eadem urbe moram feciſſe.

VII. Dum rex Carcaſſonae haereret, nuncius de tumultu Pariſienſi ad eum venit. Carolus cardinalis Lotharingus, Roma poſt celebratum concilium rediens, antequam [q] Jonvillam ad parentem viſendam veniret, literas ad reginam miſerat, quibus quo in periculo verſaretur oſtendebat; undique ab amicis admoneri, inſidias ſibi ab inimicis ſtructas: itaque opus habere cuſtodia ad corpus tegendum; proinde petebat, ut ſibi cum regis venia ac bona gratia liceret armatos ſtipatores habere. Nec iniquum petere viſus eſt; et diploma ea de re a regina impetraverat V Kal. Mart. anno praecedenti, Jacobi [r] Burdini unius ex quatuorviris a ſecretis epiſtolis manu ſubſcriptum. Id poſt publicatam pacificationem ſeveris admodum edictis prohibitum nuper Eidibus Decembris fuerat, addito provinciarum praefectis mandato, ut viderent, ne qui cum armis incederent, aut urbes ingrederentur. Ubi cardinalis Jonvillam venit, Lutetiam accedere certus, ut ſe populo oſtentaret, et clientes poſt longam abſentiam viſeret, amicos undique evocat; in primiſque dat literas ad Claudium [s] Aumalium fratrem, qui [ſ] Alneti erat, ut ſibi venienti ad [t] Nantolium cum armis occurreret. In itinere in [u] Sueſſionibus Condaeum officioſe inviſit; ſive quod id ad famam prodeſſe exiſtimaret, ſive ut eum ad partes ſuas pertraheret, oſtentatis Annae [v] Ateſtinae fratris viduae formoſiſſimae et excellenti ingenio praeditae foemi-

oae

VAR. LECT. [α] Glencarniae *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Mac-Carty More.* [b] *Irlande.* [c] *Clancar*, hodie *Clancarty.* [d] *le baron de Valentia.* [e] *Deſmond.* [f] *Ormond.* [g] *Munſter.* [h] *Warham de St. Leger.* [i] *Beziers.* [k] *Narbonne.* [l] *Languedoc.* [m] *le Rhône.* [n] *Carcaſſone.* [o] *riviere d'Aude.* [p] *d'Anjou.* [q] *Jonville.* [r] *Bourdin.* [s] *le duc d'Aumale.* [ſ] *Anet.* [t] *Nanteuil.* [u] *Soiſſons.* [v] *d'Eſte.*

NOT. [1] Dele *Tegus filius.* Camdenus, unde locus deſumptus, dicit Donaldum honore comitis *Glencar* et baronis *Valentiae* titulo inveſtitum eſſe, de *Tego* filio nihil prorſus affirmat. Filii tamen comitum primogeniti ſecundo patris titulo, quod ad nomen non ad pariatus jura et praerogativas attinet, more apud Anglos recepto, gaudent. *C.*

nae nuptiis, quae ad conciliandam inter diſſidenteis amicitiam plurimum momenti afferre poſſe videbantur. Id certe Momorantios et Colinios maxime anxios habuit; veritos ne Condaei ingenium, ad omnia invictum, amorum illecebris et cardinalis artibus deceptum ſuccumberet. Nam paulo ante Helionora [a] Roia uxor, pietate * erga virum et caſtimonia inſignis foemina, deceſſerat; a quo tempore in vagos amores effuſus multum de priſtinae vitae ratione remiſerat, et metus non levis inceſſerat paſtores, qui circa eum erant, ne paulatim ſolutiore vita a religionis ardore, quem hactenus prae ſe tulerat, alienaretur; ob idque inſtabant, ut quamprimum de alteris nuptiis ſerio cogitaret. Soluto colloquio, cardinalis inſtitutum iter perſequitur; et, cum Lutetiae propinquaret, amicos evocatos omneis ſere obvios habuit, et cum iis [b] Dionyſii fanum venit, adducto ſecum Henrico Guiſii defuncti fratris grandiore natu filio. Quod ubi Franciſcus [c] Momorantius urbis ac peninſulae Francicae praefectus cognovit, vir ingentis animi et probi, qui alioqui perſpectum cardinalis vaſtum et recentibus odiis exaſperatum ingenium haberet, id ab eo fieri interpretatus, ut ipſius patientiam periclitaretur, eam vim contraria ſibi vi repellendam duxit: ut erat tamen exactus aequi et recti cultor, monere prius illum voluit, ut comitatum armatum regiis edictis prohibitum dimitteret, nec ſpecie bellica urbem regni principem ac turbis obnoxiam tempore ſuſpecto ac rege abſente ingredi in animum induceret. Sed, cum propter utrinque veluti denunciatas nuper inimicitias parum decorum exiſtimaret, ſi primus ad eum mitteret, ut tamen, quod ſui conſilii eſſet, aliqua ratione ſignificaret, VI Eid. Jan. mane in ſenatum venit; ubi permultos ſciebat Guiſianorum partibus addictos eſſe, qui dicta ejus ad ipſum deſerrent; et a rege ac regina ſibi in primis injunctum eſſe docet, quod et ipſi ſciant, ut neminem cum armis per ipſorum abſentiam urbem accedere ſineret: audire tamen, nonnullos eſſe, qui ſpreta regis ac praefectorum auctoritate per regnum in armis diſcurrant et urbem circumvolitent; quos, niſi officii deſertor eſſe velit, pati non poſſit: ceterum providere, ſi illi in audacia pergant, res citra tumultum tranſigi non poſſe: itaque ſui officii duxiſſe, ea de re ſenatum monere, ut ipſe auctoritatem ſuam interponat; nam ſibi pro ratione muneris commiſſi certum eſſe curare, ut regia edicta ſerventur; et omni ope eniti, ne privatorum temeritate regis ac legitimi magiſtratus auctoritas infringatur. Quibus dictis, ad [d] Luparam pergit, et, quanquam de diplomate cardinali a regina conceſſo aliquid audiviſſet, quia tamen illud exhibere cardinalis neglexerat, id ad contemptum et injuriam ſuam pertinere ratus, omni ratione ipſius in urbem ingreſſum ſibi impediendum eſſe exiſtimavit: contra cardinalis, licet de Momorantii conſilio ab amicis certior factus, qui frequentes ad eum e propinquo ibant ac redibant, tamen nullis rationibus adduci potuit, ut diploma exhiberet; quod et de eo Momorantio conſtare diceret, et Guiſiani nominis ac exiſtimationis ſuae intereſſe dicerent, ne ſibi neceſſitas ab inimicis impoſita vulgo crederetur; in ea praecipue urbe, in qua tot clientes ac beneficiarios haberent, et plebem ob religionis cauſam, quam Guiſiani obtendebant, Momorantiis, qui Condaeo ac Coliniis favere credebantur, infeſtam pro ſe, ſi opus eſſet, arma ſumpturam confidebant. Inter eos, qui ad eum itabant, Joannes [e] Huraltus Boetallerius, legatione Veneta nuper obita clarus, qui olim in cardinalis gratia floruerat, et ipſius favore ad honores provectus fuerat, tunc vero in Momorantii amicitia florebat, cum ſe medium interponere vellet, et cardinalem amice moneret, ut prudenter in hoc negotio ſibi conſuleret, nec virum generoſum ad faciendi neceſſitatem adigeret, quod uterque poſtea infectum mallet, ab homine impotenter irritato nihil aliud pro reſponſo praeter exprobrationes

VAR. LECT. * erga virum *deſunt* D. f.

INTERPR. [a] *de Roye.* [b] *St. Denis.* [c] *le mareſchal de Montmorency, gouverneur de Paris & de l'Iſle de France.* [d] *le Louvre.* [e] *Hurault, ſieur de Boiſtaillé.*

exprobtationes contumelioſas tulit, quod tot beneficiis a ſe affectus ſumma perfidia et ingratitudine ultro ad inimicorum partes tranſiiſſet. Itaque conſilium ejus tanquam ſuſpecti rejicit, ſpretoque omni periculo in viam ſe dat eodem die; et, ne videretur cum tanta multitudine armata abuti gratia a regina conceſſa, iter cum [a] Aumalio fratre dividit, qui cum majore copiarum parte per aliam portam urbem ingreditur. Cum mediam viam confeciſſet, occurrit venienti quaeſitor ſuccinctus cum equitibus paludamento regio amictis a Momorantio miſſus, cujuſmodi quaeſitores ſingulis equitum tribunis attributi ſunt, qui regis ac ptaefecti nomine ſuos arma ponere juberet. Quod imperium ut contumelioſum cardinalis contempſit; quippe cum in ſuae dignationis viros hujuſmodi hominibus, quorum juriſdictio ad latrones tantum et vagos ac ſine lare maleficos homines porrigatur, nullum jus eſſet: et nuſquam intermiſſo itinere ad urbem tendit; quo Momorantii opinione citius pervenit, ita ut ingreſſu portae, quod Momorantius facere ſtatuerat, prohiberi non potuerit. Dumque ille viam [b] Sandionyſiam pertranſiret, juxta Innocentii ſanum Momorantium obvium habuit, et Antonium [c] Croium Porciani principem, qui cum numeroſa nobilitate illuc accurrerat. Heic Momorantius cum primos ſtitiſſet, et, reſiſtentibus Guiſianis, unus et alter utrinque in conflictu cecidiſſent, cardinalis rem aliter, quam ſibi perſuaſerat, eveniſſe videns, homo meticuloſus ſtatim cum Guiſio puero in pedes deſcendit, et in proximam tabernam confugit, huc illuc diſſipatis ſuis: in quos fugienteis quo minus vim facerent ſuos inhibuit Momorantius; ſariſque habuit, hominis in regem contumelioſi, uti aiebat, et erga ſe injurioſe audacis temeritatem metu incuſſo repreſſiſſe. Cardinalis ſub veſperam exiguo comitatu per vicos minus frequenteis ad [d] aedeis Cluniacenſeis, quo jam ſui ſe receperant, contendit; in regione urbis magis a ptaefecto remota, et in qua fere egens plebs partibus ſuis, ſicuti rebatur, addictior habitat: eodem et Aumalius per aliam portam ingreſſus diverſa via ſe contulit. Ibi inſomnem noctem ac ſolicitam cum ambo egiſſent, mane major rerum pertubatio fuit, cum Momorantius, motum aliquem veritus, per vicos cum armatis diſcurrens paſſim tabernas clauſas aperiri juberet, et aedeis ipſas Cluniacenſeis, in quibus cardinalis cum Guiſio et Aumalio latebat, eodem comitatu ſaepius praetervcheretur, ſuis per laſciviam multa inſolenter in cardinalem jactantibus. Tandem, cum tota urbe trepidaretur, togatus ab amicis cardinalis, et a ſenatu monitus, ut majoris motus evitandi cauſa urbe excederet, diploma exhibuit: datumque poſtridie negotium Claudio [e] Guioto rationum regiarum magiſtro, viro probo ac publicae tranquillitatis ſtudioſo, qui [f] Mercatorum praefectus II erat, ut Momorantium adiret, et nomine ſenatus ac Chriſtophori [g] Thuani primarii praeſidis et Aegidii [h] Burdini cognitoris regii eum rogaret, tranquillitati publicae hoc condonaret, ut cardinali poſtridie urbe exire liceret cum armis, regio quidem edicto prohibitis, ſed ipſi ad ſui defenſionem diplomate regio conceſſis; cujus exemplum a Guioto prolatum eſt. Cui in haec verba reſponſum eſt a Momorantio; graviter peccaſſe cardinalem, qui iſtuc temporis cum armis prohibitis non exhibito diplomate nec conſulto prius praefecto in urbem venire auſus fuerit: ceterum, ſi numerum et nomina eorum, quos cum armis ſecum per peninſulam Franciae ducere cupit, cum diplomatis exemplo forma idonea deſcripti ediderit, facturum ſe, quod ſui ſit officii: nam ad ſe pertinere, ut videat, ut ſummum rerum arbitrium penes regem et praefectum, qui ejus vicem fungitur, maneat; in idque ſe vitam profundere paratum oſtendit, ut cardinalis et alii, quicunque in praefectura ſua ſunt, intra legum terminos coerceantur, et ſub regis ac praefectorum ipſius patrocinio vivere diſcant: id ad regis obſequium et ſuum decus atque etiam ſecuritatem pertinere: intelligere ſe nihilominus cardinalem

INTERPR. [a] *le duc d'Aumale.* [b] *rue S. Denis.* [c] *de Croy, prince de Porceau.* [d] *Hôtel de Clugny.* [e] *Guiot, ſieur de Charmeaux, maitre des comptes.* [f] *Prevoſt des Marchands.* [g] *de Thou.* [h] *Bourdin, procureur general.*

cardinalem et ſuos, de injuria ſibi ſacta, cum eos contra edicta regia in armis incedenteis pridie repulit, poenas repoſcituros palam jactare, quamvis id jure fecerit, idque ſe facturum eo ipſo die frequenti ſenatu praedixiſſet; ac, niſi feciſſet, indignum ſe collatis a rege honoribus procul dublo reddidiſſet. Hoc reſponſum [a] Faleſii amanuenſis manu ſubſcriptnm Guioto datum, quod tanquam acerbitatis nimiae plenum prudenter ab eo ſuppreſſum fuit; ut tamen ejus notitia ad cardinalem et Aumalium, ſed ſine injuriae repellendae neceſſitate, pervenerit. Ita cardinalis poſtridie cum fratre Aumalio et Guiſio urbe vix ſalutata digreditur: et ipſe quidem in [b] Campaniam et Mediomatrices contendit; [c] Aumalius cum armatis aliquandiu circa urbem vagatus eſt; quod rurſus novis motibus cauſam dedit. Nam Momorantius, qui propter [d] Colinios magnam ſe invidiam ſuſtinere minime ignorabat, eorum tamen opera ſibi in poſterum rebus ita confuſis utendum providebat, Gaſparem Colinium maris praefectum domi privata negotia curantem accerſit, qui XI Kal. Febr. magno comitatu ad urbem venit: et, convocato concilio, cui Cl. [e] Guferius Boſius hipparchus interfuit, coram Chriſtophoro Thuano, Renato [f] Balieto, P. Seguierio et Chriſtophoro Harlaeo praeſidibus, et [g] Boetallerio, cauſas evocati Lutetiam Colinii aperit; nimirum, ut de ſecuritate publica conſtituenda, adverſis tot rumoribus, in commune conſulerent. Inde arrepta occaſione Colinius, multa de ſe et egregia fide ac voluntate praefatus, falſas ſuſpiciones purgat, et tanquam inimicorum artibus conficta commenta eorum ambitione perſtricta elevat. Idem coram mercatorum praefecto et XL circiter ex omni civium Pariſienſium numero delectis facit, repetita etiam priſtini temporis memoria, quo ipſe urbis praefectus coeptae tunc ad [h] Antonianam portam mnnitioni, magno non ſolum urbis praeſidio ſed etiam ornamento, principium dederat. Inde in ſenatum cum Momorantio venit; ubi, pauca de ſe ſummo temperamento locutus, operam et obſequium univerſis et ſingulis defert. Poſtridie caſtrum [i] Vicenarum ad [k] Alenconium ducem ſalutandum proficiſcitur; eodemque die Lutetiam redit; ubi privatis negotiis cum aliquot dies impendiſſet, III Kal. Febr. domnm, unde venerat, revertitur. Miſſi interea a Momorantio Audoenus [l] Turinus, ab Aumalio Bertrandus [m] [α] Foeſſius Crenaeus, qui diverſis rationibus inde factum excuſaret, inde de eo apud regem conquereretur. Sed Annae Momorantii auctoritate factum eſt, ut rex judlcium ſuſpenderet; et, quia rumor erat, inde Aumalium, hinc Colinium in armis eſſe, et metuebatur, ne ex ea occaſione per regis abſentiam in urbe res turbarent, datum negotium Michaeli [n] Seureo equiti Hieroſolymitano, qui regis nomine ad eos proficiſceretur, et utrinque arma deponere, ſocios dimittere, ac quieſcere juberet. Hic exitus tumultns Pariſienſis fuit; in quo Momorantii prudentiam plerique tunc requirebant, qui potentes inimicos leviſſimo damno irritare quam perdere, cum poſſet, maluerit. Certe Condaeus, ſive ob recens colloquium, ſive qnod re vera ita ſentiret, factum improbavit, ſubinde dictans, Momorantium, ſi quidem joco ageret, plus quam debnerit, ſi ſerio, minus quam oportuit, feciſſe. Poſtea contrariis ſcriptis utrinque pugnatum: et publicatus quidem [1] liber eſt a Momorantio relationis ſpecie, cujus auctor putatur Ludovicus [o] Renerius Plancius, is de quo in hiſtorla Franciſci II diximus; quo Claudii Guioti mercatorum praefecti et urbis aedilium fides, obſequium et aequitas laudatur, et obiter Guiſianorum ambitio perſtringitur, eorum conſiliis artibus et conatibus per narrationem artificioſe exagitatis, addito etiam de eventu in futurum triſti augurio: quae omnia tanquam ab inimicis profecta, ideoqne pro tempore minime credita, exitus tandem magna ex parte approbavit.

VAR. LECT. [α] Foſſius *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Falaiſe.* [b] *Champagne & le Pays Meſſin.* [c] *le duc d'Aumale.* [d] *les Colignis.* [e] *Gouffier de Boiſy, grand ecuyer.* [f] *les preſidents Baillet, Seguier, & de Harlay.* [g] *de Boiſtaillé.* [h] *porte S. Antoine.* [i] *Vincennes.* [k] *le duc d'Alençon.* [l] *de Turin.* [m] *de Foiſſy, ſieur de Crenay.* [n] *de Seure.* [o] *Regnier de la Planche.*

NOT. [1] *liber.* Le livre eſt intitulé, *Le Devis des Marchands.* Put.

CIↃIↃLXV. CAROLUS IX.

approbavit. A Lotharingis et eodem tempore pnblicata eſt epiſtola [a] Hannonii nobilis nomine; qua Guiſianorum cauſa excuſatur, et motuum culpa in Momorantios rejicitur, qui religionis ac regni perturbatores foveant, et conſilio, opibus ac viribus juvent. Ad eam rurſus contraria epiſtola reſponſum eſt; qua Hannonius ille falſo nomen ſuum a cardinali Lotharingo uſurpatum conteſtatur, et multum in Guiſianos tanquam ambitioſos et alieni avidos invehitur. Eam epiſtolam mox aliud ſcriptum ſubſequitur; quo ad priorem illam Hannonii epiſtolam fuſius reſpondetur, extenuata Lotharingorum origine: et, quia illi Colinios humili loco natos dixerant, nobilitatem eorum a [b] Coloniacenſibus Sebuſianorum regulis repetit. Ad ea omnia poſtremo epiſtola ſub [c] Campani nobilis nomine, quando Hannonii jam exploſum fuerat, a Lotharingis reſponſum fuit: nec finis ſcribendi fuiſſet, niſi ſenatus Pariſienſis auctoritatem ſuam interpoſuiſſet, et hujuſmodi ſcripta, tanquam libellos famoſos et ad quietis publicae perturbationem ſpectanteis, publice vendi decreto prohibuiſſet.

VIII. HAUD multo poſt, dum rex longe abeſſet, [d] Baionam ad colloquium cum Hiſpanis condictum profecturus, Jeſuitarum cauſa magna contentione in ſenatu agitata fuit, libello ab iis menſe Februario curiae oblato, quo liberam ſibi erudiendae juventutis facultatem, in qua ab academiae Pariſienſis rectore, quem vocant, impediebantur, petebant. Qua de re antequam dico, de eorum origine, inſtitutis ac progreſſu quaedam praemittere pretium duxi. Petrus Antonius Carafa, qui cardinalis ac poſtremo pontifex fuit, et Paulus IIII dici voluit, collegium ſacerdotum inſtituerat, qui a conſortio hominum ſegregati in ſolitudine contemplationi vacarent: iique a loco, ubi vitam in [e] [1] Iapygia degebant, [f] Theatini ſive Quietini appellabantur. Hujus aemulatione ſive exemplo Ignatius Loiola [g] Cantaber, militiae, ex qua nullum aliud decus aut emolumentum quam membrorum mutilationem reportarat, pertaeſus, vitae quietae ſe addixit; et, poſt profectionem in Italiam ac in Palaeſtinam, in patriam anno hujus ſaeculi XXIIII reverſus, cum XXXIII aetatis annos ageret, [h] Barcinone operam literis dare coepit. Ibi vitae aſtrictioris jam tum comites habuit Calliſtum quendam Hieroſolymitanae peregrinationis ſocium, [i] Artiagam et Cazerem Hiſpanos, et Joannem adoleſcentem Gallum. Poſtea, Barcinone, [k] Compluti ac Salamanticae feſtinato ſtudio infeliciter in literis laboraſſe ſe ſentiens, Lutetiam quadriennio poſt migrare conſtituit: ubi cum experientia cognoviſſet, eam eſſe humanae conditionis et ſuam imbecillitatem, ut in plura uno eodemque tempore vix atque aegre ſufficiat, damnata priore feſtinatione et compendiis omiſſis, regia via incedere et ſtudiorum ſuorum novum initium ordiri decrevit; et, poſt repetita Latinae linguae rudimenta, philoſophiae operam dedit ſub Joanne Pena, praeſtantiſſimo philoſopho ſimul et mathematico; ac demum theologiae in Dominicani coenobii gymnaſio, adſcitis ſtudiorum ac vitae ſeverioris ſociis, Petro [l] Fabro Allobroge doctrinae Ariſtotelicae peritiſſimo, Franciſco [m] Xaverio Cantabro, (is haud multo poſt Joannis [n] Luſitaniae regis rogatu ex pontificis auctoritate miſſus in orientem, tota Indiae matitima ora inter pericula ac ſummos labores peragrata, in penitiſſimas Japoniorum terras verbi Dei lumen primus intulit; et, magno infidelium numero ad Chriſtum adjuncto, in ipſo [o] Sinarum aditu poſtremo vita exceſſit anno hujus ſaeculi CIↃ IↃ LVI) Jacobo [p] Laine Seguntino, qui deinde ſocietati ab Ignatio inſtitutae poſt ipſius mortem praefuit, Alfonſo [q] Salmerone Toletano Graecis ac Latinis literis excultiſſimo, Nicolao [r] Bobadilla Palentino, Simone [s] Roderico Luſitano, Claudio [t] Graccho et Joanne Codurio Gebennenſibus, denique [v] Paſcaſio Broeto Ebrodunenſi; qui

INTERPR. [a] *Lettre d'un ſeigneur du pays d'Hainault.* [b] *de Colognac en Breſſe.* [c] *Lettre d'un gentilhomme Champenois.* [d] *Bayonne.* [e] *Terra d'Otranto.* [f] *Chietini.* [g] *du pays de Biſcaye.* [h] *Barcelone.* [i] *Artiaga & Cazeres.* [k] *Alcala de Henares, & Salamanca.* [l] *Favre Savoiard.* [m] *Xavier Biſcayen.* [n] *Portugal.* [o] *la Chine.* [p] *Lainez, natif d'Almaçan en Caſtille prés de Siguença.* [q] *Salmeron de Tolede.* [r] *Bovadilla de Palencia.* [s] *Rodriguez Portugais.* [t] *le Jay, & J. Codur du dioceſe de Geneve.* [v] *Paſquier Brouet d'Embrun*

NOT. [1] *Iapygia:* hodie *Terra d'Otranto,* antiq *Salentina et Iapygia.* Put

qui omnes, cum eo Luteriae communibus ſtudiorum et pietatis ſacris initiati, tandem conſpirantibus animis in aede ſuburbana, quae [a] Mons-martyrum vulgo appellatur, poſt confeſſionem et ſumptum Chriſtianum viaticum voto ſeſe ſinguli obſtrinxere, emenſis theologiae ſpatiis, continuo mortalibus rebus nuncium remittendi, atque in paupertate perpetua gloriae divinae ſalutique animae ſerviendi; et nominatim Hieroſolymam ad conſtitutam diem eo conſilio navigandi, ut in infidelium inſtructionem toto pectore incumberent, palmamque martyrii ſtudioſe captarent: quod ſi facere prohiberentur, anni circumacto ſpatio, Romam adirent, ſuamque operam pontifici Chriſti vicario, ſine ulla pactione vel temporum aut locorum exceptione, deferrent. Id actum XVII Kal. Sept. anno hujus ſaeculi XXXIV. Anno ſequenti Hiſpaniam Loiola aeger repetit; moxque [b] Venetias ad exolvendum votum profectus eſt; ibique primum ſacris initiatus, collectis huc illuc diſperſis ſociis, omiſſo Hieroſolymam proficiſcendi conſilio, Romam cum [c] Fabro et Laine petit. Ei in aedem haud ita longe ab urbe in via militari ingreſſo, ut preces faceret, et a ſenſibus abſtracto, memorant qui ejus acta ſcripſere, Deum Patrem viſum, qui JESU Filio crucem bajulanti et crudeliſſimis affecto cruciatibus ipſum Ignatium ac ſocios commendaret, et ſe iis Romae propitium fore ultro reciperet: atque inde Ignatium poſtea ſocietati a ſe inſtitutae JESUS nomen indidiſſe. Ita Romam conveniunt Ignatius ac ſocii, tecto recepti a Quirino [d] Garzonio cive Romano, ad villam Minimorum fratrum coenobio proximam. Ibi conſtituta ſocietas; quae initio Romae exagitata, et a Bartholomaeo [e] Guidicione Lucenſi cardinali novis religionibus adeo non amico, ut librum de iis ad numerum certum redigendis ſcripſerit, improbata, poſtremo a Paulo III approbata eſt, promulgato diplomate V Non. Oct. CIƆ IƆ XL, cum miſſi antea pontificis juſſu ab Ignatio operarii in varias agri Chriſtiani vineas eſſent; quod ſocietati illi peregrinationis apoſtolicae exordium fuit. Addita lex fuerat, ne plures LX in univerſum ſocii numerarentur, quae triennio poſt diplomate dato pridie Eidus Mart. ſublata eſt, praepoſito ſocietati ipſo Ignatio. Aucto numero, diſtributi per provincias ſocii: relictus in Italia Laines: miſſi, Broetus in Galliam, Petrus Caniſius in Germaniam, Antonius Araozius Cantaber in Hiſpaniam, S. Rodericus in Luſitaniam, Fr. Xaverius in Indiam. Cum vero Eliſabetha Roſella, quae Ignatii ſtudia Barcinone initio foverat, Romam cum aliquot mulierculis veniſſet, ut ad normam ac praeſcriptum ſocietatis nuper inſtitutae vitam ipſae agerent, Ignatius curam ſe foeminarum ſuſcipere negavit poſſe; et tandem a pontifice impetravit, ut ſocietati, quae ſe ad omnium gentium beneficium ſine ulla regionum aut temporum exceptione vicario Chriſti mancipaſſet, ab ejuſmodi munere vacatio in perpetuum daretur. Tenuit et, ut Claudius [f] Jaius, cui Ferdinandi Romanorum regis commendatione [g] Tergeſtinus epiſcopatus in Iſtria delatus fuerat, excuſaretur. Ita in ſpeciem omni ambitionis et divitiarum ſuſpicione a novo ordine amota, alia deinde a ſodalibus ab eodem Paulo III anno ante mortem privilegia conceſſa ſunt, quae Julius III deinde firmavit. Poſtea, Paulo IIII ad pontificatum evecto, qui Ignatio adverſaturus ob nonnullas offenſiones putabatur, ſocietas multum crevit: ſub eoque ipſe Ignatius vigiliis et jejuniis maceratus ſexageſimo quinto aetatis anno, poſt confirmatam ſocietatem XVI, deceſſit: in cujus jecoris vena, quae porta dicitur, Rinaldus [h] Columbus, qui corpus ejus ſecuit, treis lapillos reperiſſe ſe ſcriptis prodidit. Hic finis Ignatii fuit, ſocietatis, quae poſtea in tantum crevit, ut principibus ipſis formidoloſa eſſe coeperit, fundatoris. Eodem fere tempore Gulielmus [i] Pratenſis Claromontanus epiſcopus, cardinalis Pratenſis filius, cum novis ſodalibus ſupra modum faveret, eis Claromontanam ſcholam Lutetiae attribuit; (unde et Claromontanae ſcholae ſodales, ſuppreſſo

INTERPR. [a] *Mont-Martre.* [b] *Veniſe* [c] *Favre.* [d] *Garzoni.* [e] *Guidiccione de Lucques en Italie.* [f] *le Jay.* [g] *de Trieſte.* [h] *Colombo.* [i] *du Prat, evêque de Clermont en Auvergne.*

CIↃIↃLXV.
CAROLUS IX.

ſuppreſſo Jeſuitarum ſuperbo et ambitioſo, ſicuti tunc multis videbatur, nomine, aliquandiu appellati ſunt) et moriens teſtamento ultra XXXVI CIↃ aureorum legaverat, ea lege, ut [a] Billonii et Mauriaci in Arvernis, ſchola inſtituta, juventuti erudiendae incumberent. Igitur ante Ignatii deceſſum Broetus in Gallia commendatione Caroli cardinalis Lotharingi, cujus et nomen diplomati appoſitum eſt, ab Henrico II impetraverat, anno hujus ſaeculi L, ut juxta pontificium diploma ſocietas in regno reciperetur, et ſodalibus ex eleemoſynis aedeis et ſcholam Lutetiae, non etiam in aliis urbibus, conſtruere, ibique juxta normam ordinis vivere liceret. Quod diploma quadriennio poſt cum in curia lectum eſſet, III Nonas Sextil. ſenatus cenſuit, ut regium ac pontificium diploma epiſcopo Pariſienſi nec non theologorum Pariſienſium collegio communicaretur; quibus auditis, de re omni decerneretur. Secundum haec theologica ſchola Kalend. Dec. ejuſdem anni ſententiam ſuam ſcripto comprehenſam edidit: cujus ſumma haec erat; Novam hanc ſocietatem, appellatione inſolita JESUS nomen ſibi vindicantem, tamque licenter quaſlibet perſonas, quamlibet illegitimas, facinoroſas et infameis nullo delectu admittentem, quae nulla re ab aliis ſaecularibus in ritu, ceremoniis ac vivendi norma, quibus monachorum ordines diſtinguuntur, differret; ad haec, tam multis privilegiis, libertatibus et immunitatibus, praeſertim in ſacramentorum adminiſtratione, in praeſulum et ſacri Ordinis praejudicium, immo etiam principum ac dominorum et magnum populi gravamen, contra ſcholae Pariſienſis privilegia, donata eſſet; videri monaſtici Ordinis honeſtatem violare, ſtudioſum, pium et neceſſarium virtutis, abſtinentiae, ceremoniarum et auctoritatis enervare exercitium; immo praebere occaſionem libere ab aliis votis deficiendi, debitam praeſulibus obedientiam ſubſtrahere, dominos et eccleſiaſticos et alios ſuis juribus injuſte privare, perturbationem in civili et ſacra adminiſtratione, querelas, lites, diſſidia, contentiones, aemulationes, rebelliones variaſque ſciſſuras inducere: his de cauſis hanc ſocietatem in religionis negotio periculoſam videri; ut quae pacem eccleſiae conturbet, monaſticam diſciplinam evertat; et magis ad deſtructionem quam ad aedificationem pertineat. Hac theologorum Pariſienſium ſententia territis ſodalibus, cum tempori obſecundandum ducerent, et novi ordinis invidiam tempore mitigatum iri ſperarent, altum de ea re ſilentium fuit uſque ad Franciſci II tempora; ſub quo potientibus rerum Guiſianis, qui impenſe huic novo ſodalitio favebant, patres intermiſſum negotium perſequuntur, et ante omnia juxta ſenatus-conſultum Euſtochius [b] Bellaius epiſcopus Pariſienſis ſententiam rogatur; quam ille ſcriptis mandavit. Ea ſocietatem illam, ut novos omneis ordines, ſumme periculoſam, et his temporibus ad motus potius concitandos quam eccleſiae concordiam ſarciendam inſtitutam, aſſerit: in primis Jeſuitarum nomen, ut arrogantiae plenum, improbat; quippe cum ita ſolis ſibi tribuant, quod eccleſiae Catholicae competit, quae proprie fidelium congregatio dici poteſt, cujus caput eſt Chriſtus: illi vero cum hoc nomen ſolis ſibi ſumunt, et hoc dicere videri, ſolos ſe eccleſiam conſtituere. Tum multa in privilegiis ei a Paulo III conceſſis ineſſe dicit, quae juri communi pugnent; epiſcoporum, curionum et univerſitatum auctoritati ac poteſtati praejudicent: ac proinde conſultius eſſe, ut, quandò ad Turcorum et infidelium inſtructionem et verbi Dei apud illos populos promulgationem a pontifice auctorati ſunt, in locis, qui iis vicini ſunt, domicilia ſodalibus aſſignentur; uti olim in Chriſtiano limite Rhodienſes equites excubare juſſi ſunt. Quibus ſententiis a rege in conſiſtorio lectis et expenſis, inſtigante cardinali Lotharingo, diplomate dato VII Kal. Maii anni CIↃ IↃ LX curiae mandatur, ut, nulla habita theologorum Pariſienſium et epiſcopi ipſius interceſſionis ratione, tam pontificia quam regia diplomata in ſocietatis gratiam facta promulget. Et, quanquam ſodales porrecto ſenatui libello ſupplici ſe juri communi ſubjicerent, et juribus

ac

INTERPR. [a] *Billon & Mauriac.* [b] *du Bellay.*

CIƆIƆLXV. CAROLUS IX.

ac privilegiis contra illud a pontificibus conceſſis, et epiſcoporum, collegiorum, curionum, univerſitatum auctoritati, eccleſiae Gallicanae et pactionum inter reges ac pontifices initarum juri praejudicantibus, renunciare ſe teſtarentur; nihilominus ſenatus VIII Kal. Mart. decreto facto negotium omne ad concilium univerſale aut eccleſiae Gallicanae conventum remittit, ut ab eo novus ordo approbaretur. Tandem cum [a] Poſſiaci juſſu regis praeſules de religionis negotio, ſicuti ſupra demonſtravimus, magno numero, Franciſco [b] Turnonio cardinali Lugdunenſi archiepiſcopo praeſide, conveniſſent, VII Kal. Oct. referente Bellaio epiſcopo Pariſienſi, et pluribus conditionibus appoſitis, conventus, juxta poteſtatem ei a curia factam, cauſa cognita, novam ſocietatem admiſit et approbavit ſub ſocietatis et ſcholae nomine, non etiam ordinis recenter inſtituti, ea lege, ut aliud quam ſocietatis JESU aut Jeſuitarum nomen aſſumant, in ipſoſque ſocios epiſcopo in ſua dioeceſi, ut in alios ſacerdotes, juriſdictio ſalva maneat: ut nihil agere in epiſcoporum, collegiorum, curionum, univerſitatum aut aliorum ordinum praejudicium illorumve juriſdictionem ac functionem poſſint; ſed juxta juris communis praeſcriptum regantur, privilegiiſque ei contrariis renunciare teneantur. Additum; ni pareant, aut in poſterum nova a pontificibus privilegia obtineant, ut approbatio praeſenti decreto facta jam nunc revocata intelligatur. Secundum haec, ſodales tandem in [c] Claromontana ſchola Lutetiae ludum aperiunt: cui magnam celebritatem plerique viri docti, qui ſe ſocietati illi addixerant, conciliaverunt; et in primis Joannes Maldonatus Luſitanus, vir philoſophicis ſtudiis et theologiae ſcientia clariſſimus. Sed, cum univerſa Pariſienſis academia eorum libertatem interpellaret, rurſus res ad ſenatum devoluta eſt: et ſodales porrecto ſupplici libello petierunt, ut ſenatus auctoritatem ſuam interponeret, ne poſthac in juventute erudienda impedirentur. Antequam res in ſenatu agitaretur, ab academia conſultus Carolus [d] Molinaeus, conſultatione ſcriptis mandata, quae poſtea et publicata eſt, reſponderat, Juſtiſſimam cauſam videri ſubeſſe, cur univerſitas Pariſienſis pro muneris neceſſitate Jeſuitis novum opus nunciaret, eoſque, ut ab hujuſmodi novitatibus deſiſtant, via juris compelleret, his fere rationibus: quod novum collegium inſtituerent, contra antiqua atque etiam ſynodica decreta, ac concilium generale in primis ſub Innocentio III Romae celebratum anno CIƆ CCXV, quae certis finibus et intra modum haec nova collegia ad vitandam in ſacro Ordine perturbationem coerceri voluerunt: item, contra placita curiae, quibus haec nova Jeſuitarum ſecta jampridem exploſa eſt: quod contra ſolemne delectorum cardinalium cum aliquot praeſulibus Nicaeae Pauli III juſſu congregatorum concilium id fiat, qui novos religioſos, quos vocant, novaſque ac fictitias religiones admitti prohibuerint; nam idem ante eos cenſuiſſe Petrum [e] Alliacum cardinalem, [f] Armachanum archiepiſcopum, Gulielmum de [g] S. Amore et Joannem Gerſonum, duo inſignia ſcholae Sorbonicae olim lumina: quod multitudine ſimilium conventuum, magno reipublicae incommodo, non mediocriter ſinguli graventur; metuſque ſit, ne, hac ſemel in regno recepta ſecta, paulatim, ut ſunt rerum novarum apud nos cupida ingenia, graſſante exemplo quaſi ſerpigine multiplicetur, magno non ſolum populi onere, ſed etiam ſacri Ordinis diſpendio: quod eorum inſtitutio non ſolum ad ſingulorum ordinum detrimentum, ſed univerſi regni periculum ſpectet; et jure prudentiſſimus quiſque vereatur, ne ſpecie libertatis commeantibus ultro citroque Italis et Hiſpanis, quibus praecipue haec ſecta conſtat, arcana regni per exploratores ad hoſteis emanent: id vero tanti habitum eſſe, ut ob eam cauſam epiſcopos jure divino inſtitutos a munere repelli poſſe reſponderint et ipſi pontifices, et poſt eos juris pontificii viri conſultiſſimi: ad haec, collegium ſodalium minime approbatum, proinde et illegitimum eſſe; in idque inſtitutum videri, ut morientium facultatibus inſidientur: quod in

INTERPR. [a] *Poiſſy.* [b] *le cardinal de Tournon, archevêque de Lyon* [c] *college de Clermont à Paris.* [d] *du Moulin.* [e] *de Allhaco.* [f] *d'Armagh en Irlande.* [g] *de St. Amour.*

CIƆIƆLXV. CAROLUS IX.

in media academia, cui ſubjici et parere nolunt, novum ludum aperiant, quod non ſolum monſtroſum, ſed ſeditioni proximum ſit: poſtremo, quod in academia innumeris ſcholis ac collegiis etiam abundanti ſuperfluant, novas ſuperſtitiones invehant, et faſcinatis plebis ingeniis edicta pacificatoria et quietem publicam jam nunc violent, et porro majore mole conturbaturi ſint. Secundum haec cauſa ſenatu frequenti agitata eſt. Pro ſodalibus Petrus [a] Verſorius magni nominis patronus, laudata multum eorum origine, quam modo memoravimus, et inſtitutione, peroravit. Stephanus [b] Paſcaſius contra pro academia Pariſienſi diſſeruit; et ſectam eam ambitioſam et fucatae religionis plenam appellans, in Hiſpania natam, Lutetiae adultam, Venetiis excitatam, Romae initio exagitatam, poſtremo receptam et privilegiis immodicis et jure communi exorbitantibus donatam, poſtea apud nos theologorum Pariſienſium ſententia damnatam, et item a Pariſienſi epiſcopo rejectam fuiſſe dixit: nunc vero gratuitae puerorum inſtitutionis ſpecie graſſari, et inde familias captatis teſtamentis exhaurire, inde juventutem ſpecie religionis corrumpere, et faſcinatis per ſuperſtitiones puerorum ingeniis jam nunc ſeditiones et defectiones in regni perniciem aliquando erupturas moliri. Tum inter plura eorum vota illud exagitat, quo praepoſito ſuo, qui ſemper ab Hiſpaniarum rege deligitur, quemque tanquam Deum praeſentem in terris venerari ſe aiunt, obedientiam, quam caecam appellant, per omnia et in omnibus pollicentur. Mox Ignatium Loiolam cum Martino Luthero comparat, et ambos diverſa ratione in idem conſpirare demonſtrat; ut legitimam magiſtratus auctoritatem labefactent, diſciplinam eccleſiaſticam enervent, omnia divina et humana jura confundant. Deinde in ambitioſum eorum nomen invehitur; quod cum Sectarii alii ante cc annos uſurpaſſent, ab eccleſia rejecti, et juſto Dei judicio ac flagello omnino diſſipati perierunt: hoc nomine nihil aliud agi, quam ut inter ejuſdem religionis profeſſores ſciſſura conſtituatur; et Jeſuitae alii ſint, alii Chriſtiani. Quod vero adeo ſe erga pontificem obſequentes praebeant, eo magis ſuſpectos eos Gallis eſſe debere, qui pontificem quidem tanquam caput et principem eccleſiae agnoſcunt, ſed ita ut ſanctis decretis et oecumenicis conciliis tanquam inferior parere teneatur; nihil adverſus regnum ac reges pronunciare, aut contra curiae placita, aut in praejudicium epiſcoporum intra eorum fineis decernere valeat. Tum ſubjicit, novis Sectariis iſtis ſemel admiſſis, totidem hoſteis intra regni viſcera ali; qui, ſi contingat, ut, excandeſcente perverſa bile, in nos arma vertant pontifices, regi nominique Gallico bellum indicturi ſint. Poſtremo, verſa ad ſenatores oratione, Vos, inquit, qui nunc Jeſuitas toleratis, aliquando ipſi, ſed ſero credulitatem veſtram accuſabitis, cum conniventia veſtra effectum videbitis, ut horum aſtu, dolis, ſuperſtitione, diſſimulatione, praeſtigiis ac malis artibus publica tranquillitas non ſolum in hoc regno ſed etiam per univerſum orbem Chriſtianum periclitetur. Poſt eum replicavit Verſorius: ac demum Baptiſta [c] Menilius, vir ingenio et probitate clarus, [d] cognitoris regii partes ſuſtinens; qui, increpita initio patronorum utrinque acerbitate, poſtquam de novis ordinibus et periculo in eorum admiſſione non ſolum quantum ad religionem ſed etiam quantum ad civilem adminiſtrationem multa dixit, tandem contra Jeſuitas peroravit, qui, utpote voto obligati, in ſcholae Pariſienſis corpus ad juventutem erudiendam nullo modo cooptandi eſſent; et a ſenatu petiit, videret, in quam rem Claromontani epiſcopi legatum converti poſſet aut deberet, ut memoria teſtatoris ac voluntas alio genere conſervaretur. Cauſa biduum integrum agitata, ſenatus, ſive futuri ſecurus, ſive odio Proteſtantium, quibus debellandis iſti homines nati credebantur, de negotio amplius deliberandum cenſuit, libertate interim ſodalibus publice ludum aperiendi et juventutis erudiendae conceſſa. Id Nonis Aprilibus decretum.

IX. REX

INTERPR. [a] *Verſoris.* [b] *Paſquier.* [c] *du Manil.* [d] *procureur general.*

IX. Rex interea [a] Carcaſſona per [b] Arrii caſtrum [c] Toloſam Tectoſagum venit: quo loco totius provinciae ordines et vicinarum delegatos convenire juſſerat. Ibi dum eſſet, mutatum ex reginae voluntate Alexandri regis fratris nomen; iſque Henricus de patris nomine dictus eſt: et mox mandatum, ut frater ejus, qui prius Hercules vocabatur, et in [d] Vicenarum-caſtro relictus fuerat, deinceps Franciſcus appellaretur, patris et avi nomine in iis renovato. Multum et ibi de Blaſio Monlucio queſti Proteſtantes: querelas tamen ille, cum in aulam veniſſet, praeſentia ſua diſcuſſit. CIↃIↃLXV. Carolus IX.

X. Tolosa rex [e] Burdigalam in Biturigibus Vibiſcis venit; ubi majore quam alibi pompa exceptus eſt v Eid. April. ccc armatis equitibus obviam profectis, cum externarum nationum turmis quaſi captivis, in quibus erant Graeci, Turci, Arabes, Aegyptii, Taprobanenſes, Indi, Canarienſes, Mauri, Aethiopes, Canibali, Americani, Braſilienſes; quorum duces pro ſe quiſque propria lingua ad regem verba fecerunt, interperte adhibito, qui ſingulorum verba explicabat. Inde rex per [f] portam, cui a Rubro galero nomen, et viam latiſſimam ejuſdem nominis ingreſſus eſt: cumque ad [g] Medullianam portam veniſſet, per machinam demiſſa virgo in concha regi civitatis claveis obſequioſe obtulit. Qui in urbe Proteſtantium doctrinae addicti erant, jam ſuperiore anno poſtulata ſua regi, dum [h] Valentiae eſſet, obtulerant, ad quae perbenigne a rege reſponſum fuerat, et diploma ea de re a rege impetraverant; quod tamen ut in ſenatu promulgaretur, intercedente cognitore regio, urbano magiſtratu et aedilibus, nuſquam obtinere potuerant: tandem, poſt adventum regis, ut mandatorum ejus rationem ſenatus habuiſſe videretur, decrevit, ut diploma regium, quo reſponſa ad poſtulata Proteſtantium continebantur, non in curia ſed a [i] Praetore Aquitaniae promulgaretur, novo prorſus more, quo minor eſſet promulgationis auctoritas. Poſtulata autem haec fere erant: ne quibus fraudi eſſet aut periculum crearetur, qui pſalmos vernacula linguâ domi privatim canerent, aut iis, qui ſacros libros aut interpretationes divenderent: item, ne cui in panem, quem vulgo benedictum vocant, collationem faciendi, aut ad eleemoſynas ſtipem per templa colligendi, aut domos, ante quas publicae ſupplicationes haberentur, aulaeis exornandi neceſſitas imponeretur: artificibus liberum eſſet, diebus feſtis domi et clauſis tabernis operari: nemo cogeretur in judicio tacto S. Antonii, quod Burdigalae ſumme religioſum habetur, brachio jurare; neque, ſi recuſet, juramentum adverſae parti referatur: qui reſtitutionum beneficia a principe impetraſſet, non cogeretur ratione jurisjurandi jam facti gratiam ab epiſcopo aut curione obtinere. Poſtremo ſancitum, ut Proteſtantes nullo religionis diſcrimine cum Catholicis ad publica munia admitterentur. Dum rex Burdigalae eſſet, renovatae etiam contra Henricum [k] Foxium Candalam et foederatos querelae: verum cognitione habita rex, quod in ea cauſa pleríque ex proceribus involverentur, rem oblivione ſepeliendam cenſuit, et publico decreto de iis, quaecunque a Candala et ſociis facta eſſent, ut ſuo juſſu factis amplius quaeri noluit; ejuſque rei cognitionem ſibi ſumpſit, et omnibus interdixit. Rex tandem certus Baionam uſque excurrere, ut ibi cum ſorore Eliſabetha Hiſpaniarum regina et Philippi delegatis colloqueretur, Burdigala diſcedit; et per [l] Vaſates facto itinere [m] Marſani-montem venit; quo in loco nuncium de ſororis adventu opperiri ſtatuit. Ibi ad famam recentis Lutetiae motus, cum non vanus omnino rumor de foedere arcano inter quoſdam regni magnates contra Colinios ac Momorantios ineundo acceſſiſſet, deque eo interceptis [n] Aumalii ad Renatum [o] Ellebovium fratrem literis vi Kal. Mart. ſcriptis conſtaret, in quibus Ludovici [p] Borbonii Monpenſerii, Sebaſtiani Lucemburgici Martigii, Joannis Broſſii Stampenſis, Franciſci Regii Chavignii et Caroli Angenei

INTERPR. [a] *Carcaſſone.* [b] *Caſtelnau-dary.* [c] *Toulouſe.* [d] *Vincennes.* [e] *Bourdeaux.* [f] *porte du Chapeau rouge* [g] *porte de Medoc.* [h] *Valence.* [i] *le Prevoſt de Guienne.* [k] *de Foix, comte de Candale.* [l] *le Bazadois.* [m] *Mont de Marſan.* [n] *le duc d'Aumale.* [o] *le marquis d'Elbeuf.* [p] *de Bourbon duc de Monpenſier, Seb. de Luxembourg vicomte de Martigues, J. de Broſſe duc d'Eſtampes, Fr. le Roy ſieur de Chavigny, & C. d'Angennes evêque du Mans.*

Angenei Cenomanorum epiſcopi tanquam jam foederatorum mentio fiebat, regina exemplum verita, ne factiones ex factionibus ſererentur, et ita paulatim regis nomen et auctoritas extingueretur, xv Kal. Jun. frequenti conſiſtorio regem inducit, qui, quid de foederibus ſecretis, pecuniarum collatione, de conſiliis cum exteris principibus initis, armorum appatatibus intellexerit, coram procetibus declarar, et, quid ipſi ea de re reſciverint, ut edant, jubet: quod juſſi illi faciunt, quam demiſſe poſſunt, regem rogantes, ne tale quidquam de ſe credat, qui ab hujuſmodi pernicioſis factionibus alieni ſint, iiſque nuſquam participaverint aut nomina[a] dederint, vitam ac opes pro regia auctoritate tuenda, edictis ejus ac mandatis ſervandis, profundere parati: inſuper fidem obſtringunt, nuſquam ſe arma niſi mandante rege ſumpturos. Ea de re acta confecta, quibus proceres, qui aderant, ſubſcripſere: inter quos quidam ex iis erant, qui in Aumalii literis memorabantur, et nuper in aulam venerant. Actis additum, regem velle ac jubere, ut ea ad alios principes ac regni proceres qui non adſint, tranſmittantur, ut et ipſi aliorum exemplo ſubſcribant; ſi qui facere recuſaverint, eos regem pro factionum complicibus, ac proinde pro auctoritatis ſuae contemptoribus, publicae tranquillitatis hoſtibus ac laeſae majeſtatis reis habiturum: mandare praeterea, ut omnes, qui quid de hujuſmodi rebus cognoverint, ad ſe continuo deferant, quos patrocinio regio tutos eſſe jubeat. Monlucius in commentariis ſcribit, ſe ſuper ea re a rege ſententiam dicere rogatum cenſuiſſe, ut damnato ac rejecto illo foedere novum rex iceret, quo fidem principum ac procerum exemplo ſuo ptaciret ac ſacramento obſtringeret; conſiliumque illud ut optimum ac ſalutare regem ſecutum eſſe. Monlucium ita cenſuiſſe, cum hoc ipſe ſcribat, ut inficias non ierim, ſic regem Monlucii conſilium ſecutum eſſe, ut credam, acta modo memorata non me ſinunt; quae hujuſmodi clandeſtina foedera ſubditorum inter ſe, ut in regis ac publicae quietis perniciem facta, damnant. Regem vero quid attinet cum ſubditis paciſci, et fidei jusjurandum exigere, niſi ut, quantum illis in eo tribuat, tantum de ſua auctoritate detrahat, eoſque ad factiones et partes in regno fovendas invitet et exemplo ſuo aſſuefaciat?

XI. ACCEPTO tandem de Eliſabetha ventura nuncio, rex Baionam petit; unde mox Henricum fratrem praemittit, qui in [a] Cantabriae finibus obviam ſorori iret. In ejus comitatu erant Franciſcus Borbonius [b] Delfinus princeps Monpenſerii filius, Henricus [c] Lotharingus Guiſius qui poſt motum Pariſienſem in aulam venerat, Helionorus [d] Aurelianus Longavillae dux, [e] Damvilla equitum tribunus An. Momorantii equitum magiſtri filius, Honotatus [f] Sabaudus Villarius, Philippus [g] Rheni comes, [h] Franciſcus Juſtus Turnonius, Timoleon [i] Coſſaeus Briſſaeus, Carolus et Gulielmus Momorantii, Franciſcus [k] Carnavenoius, Renatus [l] Villaclarus, Jacobus [m] Balangerius Monſaleſius, alii. Cum iis profectus Henricus pridie Pentecoſtes, qui dies in v Eid. Jun. incidebat, [n] Joannis fanum in Pyrenaei pylis, et poſtridie, tranſmiſſo [o] Marquerio amne, qui terram Franciam ab Hiſpania diſterminat, [p] Arvaniam praetervectus Eliſabethae venienti occurrit; quam poſt honorificas ſalutationes ac complexus ad [q] Sebaſtiani fanum comitatus eſt: quo mox Ferdinandus Alvarus [r] Toletanus Albae dux ad eam magno comitatu venit, aurei velleris torquem Philippi nomine ad regem deferens, ut hac ſpecie occulta conſilia cum rege ac regina communicanda tegerentur. Rex venienti ſorori obviam proceſſit ad regni uſque fineis, ampliſſima ac regali pompa: cum eo erant Henricus Navarrae princeps, Carolus Borbonius cardinalis, Monpenſerius

VAR. LECT. [a] dederint, quaſque ex animo deteſtentur, vitam *D. f.*

INTERPR. [a] *Guipuſcoa.* [b] *le prince Dauphin d'Auvergne.* [c] *de Lorraine, duc de Guiſe.* [d] *d'Orleans, duc de Longueville.* [e] *le mareſchal de Damville, fils ſecond du Conneſtable.* [f] *de Savoie, comte de Villars.* [g] *le Rhingrave.* [h] *Fr. Juſt, ſieur de Tournon & de Rouſſillon.* [i] *de Coſſé, comte de Briſſac.* [k] *de Carnavalet.* [l] *de Villequier.* [m] *de Balaguier, ſieur de Monſalez.* [n] *S. Jean Pied de Port.* [o] *Marquery,* ſelon la Popeliniere l. 10, p. 381: mais on ne connoit cette riviere aujourdhui que ſous le nom de *Bidaſſe,* Hiſp. *Bidaſſoa.* [p] *Arvany.* [q] *St. Sebaſtien.* [r] *de Tolede, duc d'Albe.*

ſerius et [a] Rupiſurionius Borbonii fratres, Jacobus Sabaudus [b] Nemoroſii dux; Ludovicus [c] Guiſius, Laurentius Strozzius, cardinales; Ludovicus [d] Gonzaga Nivernii dux, [e] An. Momorantius magiſter equitum, [f] Bordillonius equitum tribunus, [g] Boſius hipparchus, [h] Bl. Monlucius, Arturus [i] Coſſaeus Gonnorius, [k] Sipetra, [l α] Lanſacus, alii. Regina parens etiam ultra amnem tranſmiſit, ut effuſius deoſcularetur ac complecteretur filiam: rex in ripa remanſit, ut porrecta manu e navigio exeuntem exciperet. Poſt complexus, quales inter principes ac fratres eſſe ſolent, mediam eam Henricus regis frater et Borbonius cardinalis [m] Baionam uſque deduxerunt. Nuſquam effuſior Gallica nobilitas in ſumptus, ſic enim regina voluerat, nuſquam major in convivia, ſpectacula, haſtiludia, pompas nocturnas et hujuſmodi voluptuarios apparatus impenſa facta, ut potentia noſtra genti ſuperbae et oſtentationis plenae contraria vanitate oſtentaretur. Illuc etiam ultro accerſitus fuerat Petrus Ronſardus, audebo dicere, poſt Auguſti aetatem poeta praeſtantiſſimus, qui verſus in pompis illis recitatos fecit, qui et hodie ſumma cum ingenii illius admiratione et legentium oblectatione in manibus omnium teruntur. Sic autem toti dies ludis tranſigebantur, ut non aliam ob cauſam, quam oblectationis gratia Eliſabetha a fratre adducta eſſe videretur; et ita credi volebat regina, quae in epiſcopi aedibus hoſpitium ſibi ſumpſerat: juxta quas ex materia opere tumultuario domum exſtrui curaverat, aulaeis et pannis pretioſis regaliter inſtructam; in qua Eliſabetha pernoctabat. In eam ad filiam per mediam porticum, ita ut non niſi a conſciis conſpiceretur, crebro noctu commeabat regina parens, et cum Albano, qui plena mandata a Philippo habebat, ſermones in arcano conſerebat. Heic ſacrum foedus inter utrumque regem ſancitum ſcribunt Proteſtantes, genus hominum ſuſpicax, religioni veteri conſtituendae et novae exſtirpandae ac prorſus evertendae; in quod fides utrinque data, et promiſſa, cum neceſſitas poſtularet, viciſſim auxilia, Hiſpano ad bellum in Belgio gerendum, regi ad Proteſtanteis in regno ad obſequium reducendos, utrinque ad pontificiam auctoritatem conſtituendam. Id verum necne ſit, tempora, quae deinde ſecuta ſunt, plenam fidem apud poſteritatem facient. Sane Jo. Baptiſta [n] Hadrianius, qui ſumma fide ac prudentia ſecundum Franciſcum Guicciardinum hiſtoriam ſcripſit, et ex Coſmi Etruriae ducis commentariis, ut vero ſimile eſt, multa hauſit, in colloquio illo, quod et inſtante pontifice habitum eſt, et cui Philippum ipſum intereſſe cupiebat pontifex, de liberanda a Proteſtantium peſte Francia actum eſſe prodidit: et ad ultimum in Albani ſententiam itum, qui ita Philippo videri aiebat, ut ſumma capita decuterentur, et exemplo veſperarum Sicilienſium cuncti ad unum Proteſtantes ferro trucidarentur: et, quia jam tunc de conventu [o] Molinii habendo rumor ſparſus erat, optimum factu viſum, ut eo loci convenientium undique magnatum ſtrages fieret, ſignoque dato ubique per Franciam ceteri exterminarentur: ſed, quod aut non omnes illo coiviſſent, aut alias ob cauſas intempeſtivum id videretur, rem in aliud tempus dilatam, quae ſeptennio poſt, uti decreta tunc fuerat, Lutetiae commodiore loco et occaſione executioni demandata eſt. Addit Franciſcus [p] Lanovius, ex Albani ore hanc vocem exceptam, in ranunculis capiendis inutilem operam inſumi; ſalmonum ac majorum piſcium piſcationi ſerio incumbendum eſſe: ab eo vero tempore Condaeum et Colinios ab amicis, qui in aula erant, de ſanguinariis illis conſiliis monitos, in commune conſultaviſſe, et, cum ſuſpecta aulae conſilia haberent, rebus ſuis in poſterum cautius proſpexiſſe. Ex occaſione graſſantis in Gallia Sectarii mali poſtulatum

CIƆIƆLXV.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] Lanſacus, Roſtinius, *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le prince de la Roche ſur Yon.* [b] *Nemours.* [c] *les cardinaux de Guiſe & de Strozzi.* [d] *de Gonzague, prince de Mantoue, duc de Nevers, à cauſe de ſa femme Henriette de Cleves, ſœur aînée de François & Jacques de Cleves, ducs de Nevers.* [e] *le conneſtable de Montmorency.* [f] *le mareſchal de Bourdillon* [g] *de Boiſy, grand ecuyer.* [h] *Blaiſe de Montluc.* [i] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [k] *le ſieur de Ciperre.* [l] *de Lanſac.* [m] *Bayone.* [n] *Adriani.* [o] *Moulins.* [p] *de la Noué.*

CIↃIↃLXV. CAROLUS IX.

poſtulatum ab Albano Philippi nomine fuerat, ut regis edicto conveniendi ad conciones libertas in urbibus in limite poſitis revocaretur, ne malum contagione in vicinas provincias ſerperet, et commoditate ob proximitatem illecti plerique ex altera ditione in alteram migrarent: ſed, intercedentibus apud nos Proteſtantibus et libello edito iniquitatem poſtulati exaggerantibus, Albani deſiderio minime ſatisfactum fuit: eo tamen colore poſtea obtinuit a pontifice Philippus, ut [a] Vipuſcoa et Biſcaia, Cantabriae olim nomine comprehenſae provinciae, quae Baionae epiſcopo ſuberant, ab ejus poteſtate ac dioeceſi divellerentur, magna Gallici nominis jactura et injuria. Quam eandem ob cauſam [b] Cameracenſis et Tornacenſis epiſcopatus a [c] Rhemenſi jurisdictione, cui ſubjecti erant, ut divellerentur, jam a pontifice impetraverat, ſicuti loco ſuo diximus. Et haec quidem Baionae acta. Cum vero ſuperiore anno ingens bellum in [d] Pannonia exarſiſſet, et Turci magno navali paratu jam [e] Melitam obſidione cingerent, [f] cubicularius a Solimano ad regem miſſus, ut amicitiam cum prioribus regibus contractam cum eo renovaret, [g] Maſſiliam ſub id tempus appulit. Cumque a [h] Polinio Garda triremium praefecto in aulam deduceretur, rex, veritus ne praeſentia ejus Hiſpani proceres offenderentur, eum [i] Aquis Tarbellicis ſubſiſtere juſſit, ac poſt Eliſabethae et Albani diſceſſum perbenigne audivit, et, amicitiae veteris tuendae ſpe confirmata, de cetero muneribus oneratum dimiſit.

XII. CUM adhuc ad montem-Marſani eſſet, belli cardinalitii, ita ab adverſariis cognominati, nuncius ad eum venit, a Carolo Lotharingiae duce ſororio ſuo, qui anxiis literis ad reginam datis, quid regis voluntatis eſſet, per eas ab indulgentiſſima ſocru petebat. Origo hujus fuit, quod cardinalis antea libello Maximiliano Caeſari porrecto, quo ſe ratione epiſcopatus [k] Metenſis tanquam Caeſaris beneficiarium et S. Imperii principem profitebatur, juriſdictionem ac territorium Metenſe ipſi commendaverat, et contra inimicorum violentiam, incurſiones ac vexationes Caeſaris auctoritate defendi ac muniri petierat; eaque de re literas, quas patrocinii vulgo vocant, edicti ſpecie III Non. Maii impetraverat: quas cum [l] Jonvilla [m] Rembervilleriam in Vogeſi pago profectus IIII Kal. Quintil. alieno ac ſuſpecto tempore in [n] Mediomatricibus publicare vellet, praeter ſpem accidit, ut Petrus [o] Salſeda homo Hiſpanus, quem ille ſummi praefecti dignitate in epiſcopatu Metenſi auxerat, et ampliſſimorum vectigalium redemptorem conſtituerat, renunciata ſtatim ea dignitate, et ſe pro praefecto regio gerens, interceſſerit, et cardinalis mandata literis illis annexa, quo minus executioni demandarentur, inhibuerit, quouſque rex de iis cognoviſſet, et auctoritas ipſius ad ea acceſſiſſet. Id cardinalis ad contumeliam ſuam pertinere exiſtimans, et alioqui privatae auctoritatis vel cum aliena injuria ſtudioſiſſimus, aegerrime tulit: et cum [p] Vici, cujus arcem in poteſtate habebat Salſeda, et [q] Marſalii, quod regio praeſidio ab eodem Salſeda tenebatur, non poſſet, Rembervillerii, [r] Baccarae et [s] Mediovici literarum exempla, nam ipſas literas penes ſe habebat cancellarius, qui tunc [t] Argentinam profectus fuerat, publicari jubet. Unde, rixa inter eos orta, cum cardinalis Salſedam ab inimicis ſuſcitatum, ſumma ingratitudine ac perfidia epiſcopi ac bene meriti de ſe viri principis auctoritatem labefactare conari, diceret; ſe vero rem minime novam facere, qui epiſcopatum, quem in Caeſaris et Imperii fide eſſe nemo ambigeret, ipſe deceſſorum ſuorum exemplo Caeſaris patrocinio commendaverit: Salſeda contra regis nomen obtenderet, et cardinalem non recte facere diceret, qui implorata Caeſaris et Imperii ope, aut regis, qui [t] Diviodurum Mediomatricum et ejus ditionem tenet, obſequium ejerare, aut infirmitatem accuſare videretur: nam poſtquam foedere cum S. Imperii primoribus ante annos XIII icto tres Lotharingiae

INTERPR. [a] *Guipuſcoa.* [b] *de Cambray & de Tournay.* [c] *de Reims.* [d] *Hongrie.* [e] *Malte.* [f] *un Chaoux.* [g] *Marſeille.* [h] *le baron de la Garde dit le capitaine Polin.* [i] *Acqs.* [k] *de Mets.* [l] *Joinville.* [m] *Rembervilliers au pays de Voſge.* [n] *pays Meſſin.* [o] *Salſede bailly de Vic.* [p] *Vic.* [q] *Marſal.* [r] *Baccarat.* [s] *Moyenvic.* [t] *Strasbourg.* [t] *Mets.*

Lotharingiae civitates in regum Franciae fidem acceptae ſint, non opus fuiſſe epiſcopis, aut vero potuiſſe eos, ſalva regis majeſtate et auctoritate, alio confugere, ut patrocinium ſibi compararent; idque inauditum ab eo tempore fuiſſe. Interea, ejecto [a] Alberſtorfii praefecto a cardinali impoſito, Franciſcus [b] Turrius a Salſeda imponitur, qui loco regis nomine praeeſſet, ſummiſſis item Meti militibus, qui et [c] Vici arcem et Alberſtorfium praeſidio tenerent, haud occulto Jacobi [d] Monbronii Auſancii favore, qui civitati regis nomine praefectus ſumma diſſimulatione in eo negotio utebatur, eventum ſcilicet rerum, et quam in partem res in aula acciperetur, opperiens. Itaque cardinalis celeritate utendum ratus, evocato ſtatim [e] Aumalio fratre, [f] Nancium concedit; ubi, re cum Lotharingiae duce communicata, de communi injuria illuſtriſſimae familiae facta quamprimum vindicanda deliberatur: et Vicum ſine mora oppugnari placuit. In eam rem copiae coactae, cum mandatis XVI Kal. Sextil. datis; quibus cardinalis ſuos, ut ſibi in armis praeſto eſſent, monebat, injuriam a Salſeda factam ulturos. Lotharingiae dux, quanquam in ea occaſione auxilia gentili ſuo negare honeſte non poſſet, tamen quia dubitabat de regis mente, et alioqui ſuſpectum habebat cardinalis ingenium, et potentiam ejus non ſolum ut regiae auctoritati pernicioſam ſed ut ſibi ipſi in poſterum noxiam reformidabat, literas ad [g] Hoſpitalium Rupium cancellarii fratrem dat IIII Eid. Quintil. et, ut reginae ſententiam ac voluntatem ſuper cardinalis et Salſedae controverſia ſuo nomine exquirat, rogat. Literae ad Rupium, antequam nuncius ab Auſancio miſſus in aulam veniret, perlatae ſunt: et per eum regina certior facta continuo ad Salſedam ſcribit; et mirari ſe dicit, cur nullas ab eo de re tanti momenti literas acceperit; proinde jubet, ut ad ſe quamprimum ſcribat. Cardinalis interea Vici obſidionem urget, et, per [h] Lincrium, quem cum ſummo imperio exercitui praefecit, oppido capto, ad arcem tormenta a Lotharingo duce mutuo ſumpta admovet: nam fruſtra ab Auſancio petierat, ultro citroque commeantibus, qui de re componenda inter partes agerent. Et convenerat initio, ut Vicenſis arx et Alberſtorfium in manus Auſancii traderentur, deducto Salſedae praeſidio, quouſque rex de re tota decerneret. Nec conditiones recuſare auſus erat cardinalis, ne regium obſequium omnino excutere et ejus voluntati obniti videretur: ſed re prolata cum interea obſeſſorum in arcto res eſſent, Lincrio ab obſidione poſt conditiones oblatas diſcedente, Chriſtophorus [i] Baſſumpetra, qui ei ſucceſſerat, nuſquam verberationem intermittere voluit; et ita, antequam negotium tranſigi poſſet, arx dedita et ſupellex, quam copioſiſſimam ac ditiſſimam in ea habebat Salſeda, a victore capta ac direpta eſt. Quo facto, Baſſumpetra cardinalis juſſu mox Alberſtorfium ducit: ſed acceptis interea regis literis, quibus Vicenſis arcis praecipitatam obſidionem ſibi dolere ſignificabat, vim ſuſtinuit cardinalis; et, ut Jacobus ordinum ductor Auſancii nomine Alberſtorfio imponeretur, deducente inde ſuos Salſeda, aſſenſit, ne, ſi ulterius progrederetur, excuſationi locus non eſſet. Nam ſciebat, quid aemuli de ipſo vulgo jactarent; nimirum, eum [k] Trevirorum archiepiſcopo et Nicolao [l] Polvillerio Haganoae praefecto, homine, ſi quis alius, nomini Gallico infeſtiſſimo, qui poſt acceptam ad [m] Quintini fanum cladem in [n] [1] Seguſianos cum Germanis deſcenderat, per literas et internuncios saepius egiſſe, quod ille minime negabat, et nunc occulta conſilia cum ipſis in regni perniciem agitare. Quos rumores ut obſequii aliqua ſpecie purgaret, optimum factu exiſtimavit, ad pacis conditiones dimiſſis copiis inclinare. Et haec ad VI uſque Eid. Sextil. in [o] Mediomatricibus acta.

XIII. DE

INTERPR. [a] *Alberſtrof.* [b] *de la Tour.* [c] *Vic.* [d] *de Montberon, ſieur d'Auzance.* [e] *le duc d'Aumale.* [f] *Nancy.* [g] *Pierre de l'Hoſpital, ſieur de la Roche.* [h] *de Linerez.* [i] *de Baſſompierre.* [k] *Trier ou Treves.* [l] *le baron de Polweiler, gouverneur d'Haguenau.* [m] *St. Quintin.* [n] *la Breſſe.* [o] *pays Meſſin.*

NOT. [1] Lege *Sebuſianos.* Vid. Tom. I. lib. XIX. C.

CIↃIↃLXV.
CAROLUS IX.

XIII. De reditu deinde cogitatum: et [a] Neraeum rex praecipuum Joannae [b] Navarrae domicilium venit, ubi religionis antiquae uſum reſtituit; et, per [c] Aginnum Nitiobrigum ac [d] Veſunam Petrocoriorum facto itinere [e] Engoliſmam tandem devenit, urbem majorum ſuorum imaginibus et monumentis nobilem, ſed ultimo bello ruinis mirum in modum deformatam, templis non ſolum deſtructis, ſed etiam ſepulchris apertis, et comitum cadaveribus disjectis, ſicuti ſupra demonſtravimus. Ibi ad eum venit Jacobus [f] Bueardus, propter nobilitatem et rerum agendarum ſolertiam inter Proteſtanteis magni nominis; qui magna facundia orationem in conſiſtorio XVI Kal. Sept. habuit; qua ſe a proceribus, qui religionis emendationi ſtudent, miſſum dicit, ut juxta regis mandatum nuper [g] Marſanio ad eos tranſmiſſum, cui propterea libentiſſime ſubſcripſerint, quae ad ipſius obſequium et tranquillitatem pertinere exiſtiment, ad eum deſerant: duo autem eſſe in primis, de quibus regem commonefaciendum duxerint; de quetelis quotidianis Proteſtantium, qui ſuos contra regia edicta vexari et impune paſſim interfici clamitant; uti [h] Caeſaroduni nuper in Turonibus et [i] Blocſis acciderat, magiſtratibus et provinciarum praefectis ad maleficia conniventibus: qua admiſſa impunitate, verendum ſit, ne plerique, cum in regis obſequio nullum praeſidium reperiant, deſperatione adacti ad extrema remedia confugere cogantur: alterum eſſe, quod videant in [k] Campaniae limite, et agro [l] Baſſiniaeo praecipue, injuſſu regis, Lotharingum cardinalem copias cogere, et ſuis auſpiciis in [m] Mediomatricibus contra eos, qui regis nomen propugnent, bellum gerere; cujus audaciam minime regi ferendam putent, cum in perſona Salſedae regia auctoritas procul dubio oppugnetur, et ea armorum praeludia majoris belli principia ſint, quod cardinalis nunc mente agitet, et externorum principum, quibuſcum ſecreta conſilia foveat, opibus adjutus aliquando geſturus ſit, ſi ſibi haec impune eſſe ſentiat: his initiis patientiam regis tentari: proinde petere Proteſtanteis, ut publicae ſecuritati aequabili jure conſtituto conſulatur, et graſſatorum licentiae ſevera criminum caſtigatione obviam eatur; ne patrocinium, quod a regia auctoritate innocentes quaerunt et expectant, aliunde et a ſe ipſis ſpreta regia auctoritate emendicare cogantur. Ad ea benigne a conſiſtorio reſponſum eſt; et ſpes per reginam facta melioris in poſterum conditionis, regia auctoritate conſtituta et ſopitis factionum ignibus. Ibi rex aliquandiu commoratus [n] Niortium, et Thoartium, [o] Tremolliorum oppidum in [p] Pictonibus ac tranſmiſſo [q] Ligeri [r] Andegavum venit; ubi magnifica pompa exceptus eſt VI Eid. Nov. et in arce hoſpitium ſibi ſumpſit. Poſtridie per [s] Salmuriam Caeſarodunum in Turonibus venit; ubi rurſus renovatae Proteſtantium querelae adverſus Franciſcum [t] Regium Chavignium, et jam tum aperte adverſus Monpenſerium ipſum, quod inique ac minus clementer erga ipſos ſe gererent: quas rurſus regina eiſdem verborum blanditiis eluſit. Inde Blocſas itum; unde quiſque ad reficiendum ſe ex longo itinere ad ſua divertit, conventibus in ſequentem annum [t] Molinii Boiorum indictis, quo rurſus proceres convenire juſſi ſunt.

XIV. Eodem anno Maximilianus Caeſar, cum de bello in [u] Pannonia gerendo cogitaret, Lazaro [v] Schuendio, rebus magnis ſolerter olim ac fortiter geſtis illuſtri viro, ſed poſt Sebaſtianum [w] Vogelſpergerum amicum irae Caeſaris traditum, obſcuriore fama, ſummam belli adminiſtrandi cum pleniſſima poteſtate commiſit: ſub quo, praeter Andream [x] Bathorium, Melchiorem [y] Balaſſum et Gabrielem [z] Perenium proceres Hungariae, Germani feliciter hoc bello militarunt, Joannes Ruberus [aa] Pixendorfius, Jacob. [bb] Schutenburgius, Henricus [cc] Gleizentala et Joannes [dd] Aſcenburgius equitum duces; peditum vero Jo. [ee] Wernecherus, Rudolfus [ff] Salius, alii. His ducibus,

INTERPR. [a] *Nerac.* [b] *la Reine de Navarre.* [c] *Agen.* [d] *Perigueux.* [e] *Angoulesme.* [f] *de Boucard.* [g] *Mont de Marſan.* [h] *Tours en Touraine.* [i] *Blois.* [k] *Champagne.* [l] *Baſſigny.* [m] *pays Meſſin.* [n] *Niort & Thouars.* [o] *les ſieurs de la Tremoille.* [p] *Poictou.* [q] *la Loire.* [r] *Angers* [s] *Saumur* [t] *le Roy, ſieur de Chavigny.* [t] *Moulins en Bourbonnois.* [u] *Hongrie.* [v] *Schwendi.* [w] *Vogelſperghen.* [x] *Bathori.* [y] *Balaſſi.* [z] *Fereni.* [aa] *Pixendorf.* [bb] *Schutenburg.* [cc] *Gleizentala.* [dd] *d'Aſcenburg.* [ee] *Wernher.* [ff] *Salis.*

ducibus, Schuendius anni hujus initio non exiguas Germanorum equitum ac peditum copias in agrum [a] Scepicienſem, ita a Gepidis dictum, educit; et, conſultatione inter eos habita, ante omnia [b] Tocaium, quod a Franciſco [c] Nemethio cum valido praeſidio tenebatur, duci placuit, arcem natura et arte firmiſſimam et in [d] Daciam aditu commodam. Itaque Schuendius pridie Kalend. Febr. Popendorfium rei tormentariae praefectum, attributo ei militum vexillo, cum machinis et omni apparatu bellico [e] Caſſovia [f] Guneium verſus praemittit; ipſe cum univerſo exercitu ſubſequitur, et ad Tocaium caſtra promovet, miſſis Germanis, qui [g] Kereſtrum oppidulum in itinere, ad commeatus ſubvectionem et militem ſeminudum in tanto frigore ſublevandum opportunum, occuparent ac munirent: quod feliciter illis ſucceſſit, Tocaienſibus praeſidiariis fruſtra illud flamma ſubjecta corrumpere aliquoties enixis, et a Germanis non ſine caede fortiter repulſis. Tocaium [h] Tibiſco et [i] Bodrogio amnibus alluitur. Nocte quae diem anteceſſit, propter Bodrogium jacto aggere, tria tormenta ad quatienda luto obducta ſepimenta diriguntur; et mane defenſacula ac turres, in quibus apparatus bellicus hoſtium repoſitus erat, decuti vehementi impetu coepere; et, promotis propugnaculis, ita ut arci imminerent, obſeſſi ad ictus patuere: tum in colliculo, qui fluvio imminet, duobus tumulis excitatis, et machinis IIII diſpoſitis in nudatotum ſtationes magna impreſſio facta, et, quod locus ſumme idoneus videretur, cum Caeſariani aggreſſi ſunt. Foſſorum penuria, et terra ob intentiſſimum frigus ad opera facienda inutili, parum initio proficiebatur: pertinaci tamen et improbo labore annitente milite ampliati aggeres, et cuneus introductus: ſequenti nocte valde intempeſta, inter Tibiſcum et Bodrogium aliud vallum ducitur, et muralibus machinis firmatur; et ita priore aggere producto mane V tormentis impoſitis in arcem verberatio intenditur: qua totum diem continuata, ſubſtructio ingens, quam obſeſſi ad Bodrogium produxerant, et cui adeo fidebant, cuniculis actis paene dejecta eſt, cum tanta ruina, ut, ni injuria temporis, glomerante nivem et in oculos inſolita vi ejaculante vento Caeſariani prohibiti fuiſſent, in ipſam arcem eodem die evaſiſſent. Ultra Tibiſcum ſeorſim ab aliis Balaſſus ducta foſſa ſe muniverat, aditusque omneis ac vias Pannoniis ſuis et [k] Heidonibus inſederat. Nec Gabriel [l] Perenius ceſſabat; qui, commoditate rivuli ex Bodrogio circa Tocaium a Nemethio circumfuſi uſus, arctius obſeſſos ſtringebat. Interea cuneis ſemper productis, IIII Eid. Febr. igne injecto, inſignis illa ac vaſta moles concidit, hianteque magno ſpatio Caeſarianis ad invadendum animus datus, qui non providerant alteram eſſe in receſſu arcem. Itaque, non exſpectato Schuendii juſſu, praepropera feſtinatione impetum faciunt, infauſto cruentoque exitu: ſed mox a duce in foſſas retracti, cum non tam repulſi quam, ut ſe ad ultimum impetum faciendum compararent, revocati, obſeſſis viderentur, Nemethius extrema veritus ad Schuendium ſupplex mittit, et conditiones de deditione proponit: quibus a Schuendio generoſe ſemel atque iterum rejectis, ſuprema impreſſione facta, moles illa, inexpugnabilis hoſti credita, expugnatur, et tormenta egregie inſtructa cum ea capiuntur, praeſidiariis in interiorem munitionem compulſis. Jamque ſubſidia et apparatus ad defenſionem inſtructi contra arcem vertebantur, cum obſeſſi omni ſpe auxilii deſtituti colloquium poſcunt: eſſe quod Schuendio aperire velint, nec ingratum nuncium fore. Secundum haec, egreſſi aliquot Nemethii mortem ſignificant, accepto circa tempora vulnere pridie interfecti: proinde ſe diutius neque velle neque poſſe pertinaces eſſe; tantum liceat ſibi honeſtis conditionibus egredi, et corpus heri ſui ad ſepulturam, quo velint, deportare, ſalvo item uxori Nemethii mundo muliebri: additum conditionibus, ne adverſus Caeſarem cujuſquam auſpiciis deinceps ſtipendia facerent. His tranſactis, CCCL excedunt, ſed fere ſauciati, cum uxore Nemethii; quae, licet mariti ſuoſque

CIƆIƆLXV.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Zepſy.* [b] *Tokay.* [c] *Nemethi.* [d] *Tranſilvanie.* [e] *Caſchau.* [f] *Gencz.* [g] *Kereſtrer.* [h] *la Triſſe ou Tiſſa.* [i] *Bodrog.* [k] *Heiducques.* [l] *Pereni.*

ſuoſque non exigui pretii theſauros aveheret, Bathotio, Balaſſo, et Petenio reclamantibus et contra deditionis legem id fieri cauſantibus, Schuendii tamen auctoritate, qui vel cum aliqua jactura fidem datam religioſe ſervandam diceret, quo mious iis ſpoliaretur obtinuit. Mox [a] Zerencium in fidem acceptum eſt: et Joannes, qui de [b] Zatmari defenſione deſperaret, incenſam munitionem Caeſarianis reliquit invitus; quam Schuendius ob naturalem ſitus commoditatem ſtatim inſtaurandam curavit. Tranſmiſſo dein Tibiſco, [c] Erdeuda, Cuvara, Bathorium, Vibania, fanum Andreae, quod Sendereviam vulgo dicunt, in poteſtatem venerunt. Interea Joannes in inferiori Pannonia ope Turcorum continuas excurſiones faciebat juxta [d] Julam; et, cum [e] Temeſvarenſis praefectus eodem IIII CIↃ Turcorum cum II majoribus et VIII minoribus tormentis duxiſſet, [f] Pacotam obſeſſam brevi in poteſtatem redigit, et mox [g] Jeoem et Deſemem minoris momenti circa Julam arces, quo eam tandem undique cinctam minore negotio expugnare poſſet. Dum ad Joannem undique copiae confluerent, ut jam juſtum exercitum ſub ſignis haberet, praeſidiarii Zigetho egreſſi, abſente Nicolao [h] Zerino comite, CC fere Raſcianos caedunt, pleroſque capiunt: ſed in reditu, dum ſolutis ordinibus incedunt, ab hoſtibus auxilio ſuis ſupervenientibus circumventi profligantur, ita ut ex IↃ C Caeſarianis vix duo incolumes evaſerint. Dum haec a Joanne agerentur, Schuendius Zarmarum feſtinatis operibus muniebat: et, cum Turci, loco vicioo capto, opera impedire conati eſſent, Germani egreſſi hoſtem, VII ſignis captis, in fugam vertunt; pars caeſi, pars fluvio hauſti, pauci incolumes ex ſtrage domum reverſi ſunt. Inde Schuendius, relicto Eraſmo [i] Magero, qui loco praeeſſet, [k] Caſſoviam contendit, ut neceſſatia ad bellum compararet. Nec ceſſabat Joanoes; qui Turcorum copiis adjutus Etdeudam, paulo ante a Schuendio occupatam, cui [l] [*] Saxoniae dux praeerat, Kalendis Jun. ducit: et, cum obſeſſos in arctum redegiſſet, ſummiſſi a Schueodio CC pedites auxiliares intra oppidum accepti ſunt: ſed, recentibus ſemper a Temeſvarae praefecto ſupervenientibus, poſt crebras oppugnationes et eruptiones utrinque factas, in quibus Lauemburgus occiſus fuit, cum hactenus obſeſſi vi vinci non potuiſſent, poſtremo fame expugnati ſunt, cum edulia omnia et equos ipſos conſumpſiſſent; ac ſe tandem Purpurati arbitrio dedere coacti pridie Nonas Quintil. ad unum omnes crudeliter trucidantur, oppido mox ſolo aequato. Dum haec agerentur, undique copiae Caſſoviam Caeſaris auſpiciis ſub Nicolao Zerino et Eccio [m] Salmenſi comitibus confluebant; et jam magous ac numeroſus equitatus convenerat. Nec ceſſabatur in Croatia ac proviociis Caroli Auſtrii ditioni ſubjectis; ubi noſtri cum Boſniae purpurato aliquoties congreſſi ſuperiores fere ſemper evaſere; ſed locis adeo aſperis et impeditis, ut victor victum inſequi oon poſſet. Tandem Caeſariani cum hoſteis patentioribus campis in Savi ripa ad pugnam prolectaſſent, totis viribus utrinque pugnatum eſt; noſtrique victoria potiti et diu fugieoteis inſecuti magna ſtrage edita etiam machinas et omnem apparatum bellicum ceperunt. Et accidit, ut in oppido, cui Rivuli-Dominarum oomen, [n] Neoſtadium Germani vocant, oppidani Germanorum, qui in praeſidio erant, duce [o] Gleiſmenero, pertaeſi, cum Joanne conveoerint: cumque die condicta igne accenſo ſigoum edidiſſent, Germani quod erat coojectantes, antequam Joanoes propinquaſſet, arma corripiunt, et in oppidanos tanquam proditores impetum faciunt, eoſque peſſime habuere, ne foeminis quidem aut pueris parcentes. Tum, igne in oppidum immiſſo, in arcem ſe recipiunt; quod fere totum, antequam Joannes cum Turcis superveniſſet, conflagravit: moxque Germani vitam ſalvam pacti deditionem fecere. Schueodius et ipſe ad pugnam egreſſus, et poſt levia aliquot proelia

magnam

VAR. LECT. [*] Lauemburgus praeerat *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Zerencz.* [b] *Zatmar.* [c] *Erdeud, Kwar, Bathor, Wibania, Zenderew.* [d] *Giula.* [e] *de Temeſwar.* [f] *Pakota.* [g] *Jene & Deſenne.* [h] *de Serin.* [i] *Mager.* [k] *Caſchau.* [l] *le duc de Saxe-Lawenburg.* [m] *de Salms.* [n] *Neuſtadt,* Hung. *Bania.* [o] *Gleiſmeners.*

magnam impreſſionem in Turcos fecit; quam illi, etſi numero ſupetiores, tamen inſidias veriti, oon ſuſtinuere, et accepto damno retro pedem tulere. Jamque appetente autumno, et Turcis ad praeſidia ſua recedentibus, nullo negotio Schuendius oppidum nuper a Germanis incenſum et Erdeudam ipſam recepit, cum roto adjacente rerritorio, ur nihil praeter Pacotam locorum ea aeſtate a Joanne captorum penes Turcos remanſerir: tamque proſpero victoriae curſu uſus eſt Schuendius, ut, opem implorante Joanne, Solimanus ſucceſſum veritus, non totis tantum ei viribus ſuccurrere, ſed ipſe expeditioni ut intereſſet, neceſſarium duxerit. Miſſo interim Georgio [a] Hoſſutoto [b] Byzantium Caeſar Solimani mentem periclitari ſtatuit, an induciis pactis ſtare vellet: nam [c] Cernovichius eodem ante a Caeſare miſſus nuper redierat, ambigua ſpe pacis. Dumque in eo eſt, Salmenſis, qui [d] Rabae ſeu Javarino praeerat, tttt Eid. Oct. conſilio cum Judice [e] Albae regalis, quae non plus VIII milliaribus a Javarino abeſt, de urbe tradenda inito, eo cum ſuis magno ſilentio contendit, mane porta ad emittendas pecudes patefacta, Turcos nihil tale metuenteis oppreſſurus. Verum Caeſar, qui nuper Hoſſutotum Byzantium miſiſſet, veritus oe eo facto ſpem de pace factam ſibi omoino praeeideret, nuncio celeriter ad Salmenſem miſſo eum ab incepto deſiſtere jubet: et ille quidem, quamvis aegre, paruit; quippe qui victoriam jam ſpe devoratam ſibi e faucibus eripi doleret. Turci vero hac machinatione detecta XL oppidanos rei conſcios crudeli ſupplicii genere palis transfixere, Judice [f] Palotam atque inde Viennam cum miſera familia ſe recipiente et opem Maximiliani implorante. Secundum haec dimiſſus a Caeſare exetcitus, et revocatae ab Auguſto ſeptemviro auxiliares copiae domum reverſae ſunt.

XV. PARTE diverſa, Maximilianus, primis imperii auſpiciis, ditionum ſuarum populos, partim captata quibus poterat juſtis ratiooibus ipſorum beoevolentia, partim impendentis periculi oſtentatione, ad conſtantiam hortabatur; et pecuniam, homines, arma ac cetera ad tantum bellum neceſſatia patabat: cumque videret in Bohemia praecipue et Pannonia ſuperiore paſſim fremere homines, quod de calicis in coena uſu et conjugio ſacerdotum, quod a concilio Tridentino expectaverat, ſibi non ſatisfieret; ur eos placatiores et paratiotes ad omnia haberet, et ipſe apud pontificem urgebat, ut promiſſa, quorum ſpem Ferdinando et ſibi a pontifice per cardinalem [g] Moronum, dum concilium urgeret, factam meminerat, tam neceſſario tempore repraeſentarentur. Nec abnuebat omnino pontifex, cujus poteſtati hoc negotium a concilio indeciſum permiſſum fuerat, a Morono perſuaſus, et ab ea re antea non ita alienus: ſed cardinalis [h] Paceci inſtigatu Philippus exemplum in [i] Belgio veritus Petrum [k] Avilam eodem tempore, quo Caeſarem legatos miſſurum intellexerat, Romam mittit, qui pontificem ab eo conſilio dehortaretur, tanquam Chriſtianae eccleſiae ſumme pernicioſo; his maxime rationibus: quod minime expectandum eſſet, ut ea re Sectarii placati ad officium redirent; ſed potius verendum, ne hoc illis ad majora audenda animos faceret: nam ita ingenium eorum eſſe, ut non iniquum petant, ut aequum ferant, ſed potius ab iis, quae aequitatis ſpeciem in ſe habere videntur, ducto initio, per ea ad iniqua poſtulata impetranda ſibi gradum faciant: itaque potius eſſe, ut ſpes omnis illis praecidatur, et moneantur, ad unionem eccleſiae pertinere, ne plus iis quam aliis concedatur, ut, cum unius et ejuſdem eccleſiae membra ſint, eadem ſacra, ritus, ceremonias cum ceteris colant. Itaque pontifex, inſtante cardinalium collegio, re dilata et renovata in poſterum ſpe, in praeſentiarum Caeſaris petitionem eluſit.

XVI. INTERIM Solimanus, cum initio ad preces Joanois Tranſilvani auxilia adverſus Auſtrios petentis inclinare videretur, ſuorum conſiliis revocatus impetum eo anno in Melitenſeis equites vertit; quos cum ante in Rhodi expugnatione incolumeis

INTERPR. [a] *Hozzathotbi.* [b] *Conſtantinople.* [c] *Cernowick.* [d] *Raab* ou *Javarin.* [e] *Stul-Weiſſenburg.* [f] *Palota.* [g] *le cardinal Morone.* [h] *Paceco.* [i] *Pays bas.* [k] *d'Avila.*

CIↃIↃLXV. Carolus IX. lumeis dimiſiſſet, tanti beneficii immemores cum Hiſpano perpetuo ipſius hoſte ſtudia ſua ad ſe oppugnandum conjunxiſſe impatienter ferebat. Ad haec, continuis excurſionibus infeſtam Aſiae et Africae oram facienteis, et commoditate [a] Pignonis ſuperiore anno capti nunc paſſim toto mari libere diſcurſanteis, quo modn tot regnorum et palmarum imperator ſalva Othomanici nominis majeſtate diutius pati poſſet? quin et mulieres religionem injiciebant; quae commercia Mecham, urbem in Arabia ſepulchro Mahumetis nobilem, religionis cauſa adeuntium per praedones nefarios interrumpi, magno non ſolum probro ſed etiam pietatis detrimento exprobrabant. His accedebant [b] Haſanis Algeriae proſultani Hariadeni [c] Ahenobarbi famoſi illius piratae filii, et Dragutis [d] Tripnlitani praetoris importunae voces; qui actum eſſe de Africae ora dicebant, quam diu Melitenſe propugnaculum quaſi potentiae ſuae repagulum objiceretur, et contra, [e] Melita capta, ex tam opportuna inſula gradum in Siciliam et Italiam vicinam fieri, atque adeo in Hiſpaniam, claſſibus in inſula firmatis, quibus ex propinquo omnia circa Chriſtianorum maria infeſtari ac commeatu maritimo intercludi poſſent. Itaque in hanc ſententiam propendens, ut interim vafro commento Caeſarem partim gravi ſumptu exhauriret, partim ne ulterius progrederetur inhiberet, epiſcopum [f] Cibinienſem ablegat, qui eum ad pacem cum Joanne colendam hortaretur. Venit et Viennam ad Caeſarem cum Joannis mandatis Stephanus Bathorius, Sigiſmundi Auguſti Poloniae regis, qui Joannis avunculus erat, orator. Verum haec aſtute gerebantur a Turcis, ut a curſu victoriae Maximilianus, cui omnibus rebus impar erat Joannes, avocaretur, et Solimanus interim vireis ſuas alio poſſet convertere. Igitur Hieroſolymitanis equitibus, quorum ex [α] omnibus Chriſtianis tantum porentiam navalem reformidabat, non contentus Rhodum cum omnibus in [g] Aegeo, Aſia, Graecia caſtellis, arcibus ac territoriis et nuper Tripolim ademiſſe, cum eos omnino exterminatos cuperet, claſſem quantam maximam poteſt inſtruit, et ad bellum neceſſaria comparat: ſimul [h] tegi Cirthae beneficiario ac Draguti imperat, ut quas poſſint claſſeis expediant: inſuper mittit peritos, qui habitu mercatorum Melitam proficiſcantur, et lnca explorent, et murorum altitudinem ac foſſarum profunditatem, aſpectu partim aeſtimando partim funibus clam permenſi, ſitum praeterea ac formam arcium in tabella depictam ad ſe referant. Cum de tanto apparatu Turcorum per orbem Chriſtianum allatum eſſet, nec adhuc certo conſtaret, quo tanta belli procella incubitura eſſet, ſuſpenſis et attonitis hominum animis, plerique expeditionem in Pignonem ſuſceptam quamvis felicem improbabant, quod ea irritatum Solimanum parvo profectu ducerent. Dum in incerto fluctuant animi, Garſias [i] Toletanus Siciliae prorex, [k] arci Tunetanae metuens, raptim claſſe contracta in [l] Africam trajicit, et in itinere, exſcenſione in Melitam facta, Joannem [m] Valetam Pariſotum ordinis principem convenit, et, ſi quidem in eum belli moles incumbat, praeſto affutura a Philippo auxilia ſpondet: et, cum ille penuriam inſulae oſtenderet, magnaque contentione ageret, ut ex Sicilia commeatus Melitam importaretur, precibus expugnatus ſe hominem cum mandatis [n] Drepanum miſſurum recipit, qui rem frumentariam expediat, annonamque, quantam in illis anguſtiis liceret, in inſulam ſubvehendam curet. Quibus promiſſis confirmatus Valeta, magni et acris animi vir, oppidum atque arces munire, bellicos apparatus comparare, annonae providere ac tota inſula denique delectus habere coepit. Sub id Garſias [o] Tunetem appulit; et, arce, cui tunc Alfonſus [p] Cueva praeerat, nam mox in eo munere Alfonſus Pimentellus ſucceſſit, ad portus fauces bellicis omnis generis apparatibus atque aucto praeſidio firmata, eadem celeritate, qua venerat, in Siciliam revertitur;

VAR. LECT. [α] hominibus Chriſtianis *Ed. Gen.* 1620.

INTERPR. [a] *Pignon ou Penon de Velez.* [b] *Haſſan, dey d'Alger.* [c] *Barbaroſſa.* [d] *de Tripoli.* [e] *Malte.* [f] *d'Hermanſtadt.* [g] *l'Archipelago.* [h] *le Roy d'Alger tributaire.* [i] *de Tolede.* [k] *la Goulette.* [l] *Barbarie.* [m] *de la Valette Pariſot.* [n] *Trapani.* [o] *Tunis.* [p] *de la Cueva.*

revertitur; [a] Meſſanaeque ſedem, ſi Turci in Melitam arma vertant, ut opportuno loco ſibi belli tempore deligit. Inde duo Hiſpanorum ſigna ad Valetam mittit, qui [b] Syracuſis ſolventes triremibus devecti ſunt a Jo. Cardona triremium Siculorum praefecto. Eodem ſtatim appulerunt CCCL Itali juſſu Valetae conſcripti, et cum iis copioſus commeatus, onerariis navibus advectus, quas dominis perſoluto ſtipendio Valeta retinuit. Quibus de rebus factus certior Philippus, qui videret in Melitae periculo ſalutem Siciliae atque adeo totius Italiae agi, extemplo ducibus provinciarum ac praefectis claſſium imperat, ut Garſiae praeſto ſint: ſimul ad beneficiarios et amicos principes Italiae ſcribit, ut XX CIↃ peditum non quidem ita ſcribant, ut illis jam ab eo tempore ſtipendia procedant, ſed nomina dari jubeant, fidemque accipiant, illos, cum appellati fuerint, ad ſigna conventuros: quod factum, ut impenſae nimiae parceretur. Interea claſſis Turcica IIII Kal. April. [c] Byzantio ſolvit; quae in [d] Peloponneſum venit, et [e] Methones portum tenuit. In ea erant ex [f] Aſiae minoris praeſidiariis VII CIↃ; ex praeſidiariis [g] Lesbi inſulae CIↃ; [h] praetorianorum item, qui robur Turcici exercitus exiſtimantur, IIII CIↃ IↃ; inſuper XIII CIↃ voluntariorum ex quodam hominum genere, qui vectigalibus ſacerdotum apud eos aluntur; ex praeſidiariis Thraciae, quam hodie Romaniam vocant, CIↃ CC; ad extremum III CIↃ voluntariorum ex omni hominum colluvie ſpe rapinae confluentium: quae omnes copiae ſummam XXX CIↃ armatorum conficiebant. His terreſtribus copiis cum ſummo imperio praeerat Muſtaphas purpuratus, bello exercitatus dux: ibique recenſito exercitu claſſem conſcendit, quam Pialis purpuratus ejus praefectus Conſtantinopoli adduxerat. In ea erant triremes CXXX; quibus acceſſere X praeſidiariae Rhodiorum ac II praeſidiariae [i] [1] Mitylenes, item aliae XVII; ut numerus earum, quae remigio aguntur, CLIX eſſet. His additae erant onerariae naves, quae commeatum et bellicum apparatum portabant, XXII. Ad hanc claſſem, poſteaquam ad Melitam appulit, et aliae ſe [α] adjunxere.

CIↃIↃLXV.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] adjunxere, ut ſuo loco dicemus *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Meſſine.* [b] *Siragoſa en Sicile.* [c] *Conſtantinople.* [d] *la Morée.* [e] *Modone.* [f] *Natolie.* [g] *Metelin.* [h] *Janiſſaires.* [i] *Metelin.*

NOT. [1] *Mitylenes,* Urbs inſulae Lesbi primaria; quo nomine etiam inſula vocatur. *Put. L.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER TRIGESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

CLASSIS Turcicae ad Siciliae litora appulſus, et in Melitam deſcenſus. II. Hermetis arx oppugnata, in qua Dragutes lethaliter ſauciatus, ac poſt XIX diem impetu capta. III. Inde verſa vis ad S. Michaelis arcem. IV. Cardona auxilio veniens, et quid ad Hermetis arcem actum eſſet adhuc ignorans, a Quinzaeo equite mendacio laudabili decipitur, et arcem adhuc a noſtris teneri credens copias ad Scalae portum exponit. V. Garſiae Toletani fruſtrationes in ſubſidio mittendo. VI. Quinzaeus ex vulnere, et mox H. Valeta Pariſotus moritur. VII. Valetae ſummi magiſtri ad omnia invicta ac praeſens virtus. S. Michaelis arx et urbs ſimul tentatae. VIII. Poſt varias conſultationes et altercationes tandem, Garſia duce, claſſis auxiliaris, diu ante ventis jactata, in Melitae conſpectum venit: cujus adventu ſoluta IIII menſium obſidio. IX. Clades in obſidione et in diſceſſu ſeu fuga Turcorum. X. Caeſaris ſorores, Barbaram Ferrarienſis, Joannam Franciſcus Medices, in uxorem accipiunt. Alexander Farneſius cum Maria Luſitana nuptias Bruxellis celebrat. XI. Pii IIII mors. XII. Equitum S. Lazari origo. Sodalitium a Pio IIII renovatum, Joannoto Caſtellionaeo magno magiſtro ordinato, quae dignitas poſtea a Gregorio XIII in Sabaudum poſt Joannoti mortem tranſlata eſt. Ejus apud nos reliquiae. XIII. Crebrae eo anno clarorum virorum mortes: Joannis Tuttavillae Villabonii, Philiberti Marſilii Sipetrae, Caroli Borbonii Rupiſurionii, Joan. Friderici Saxonis, Joannis Rantzovii, Joachimi Nehauſeni, Georg. Sigiſm. Seldii, Joan. Ungnadii Sonnekii, qui ſacra biblia in linguam Turcicam et Croaticam transferenda curaverat, Nic. Ratzevillii Olicae ducis: XIV. Virorum literis illuſtrium; Alexandri Aleſii Scoti, Joannis Matheſii, Joannis Langii, Conr. Geſneri, Hadriani Turnebi, Anton. Goveani, Gulielmi Philandri, Kyriaci Strozzae, Joannis Grollierii. XV. In Livonia Parnoviam urbem a Suecis occupatam Poloni recipiunt. Pugna navalis inter Danos ac Suecos, in qua Sueci vicerunt. XVI. Navigatio nova, mari per hoc bellum clauſo, ab Anglis et Belgis in Moſcoviam ſuſcepta. XVII. Pacificatio inter Danum et Suecum fruſtra tentata. Caeſar commeatum Suecis interdicit. XVIII. Roſtochium, occaſione captata ex ſenatus et plebis in urbe diſſenſione, Joan. Albertus Megalopolenſis dux, qui jus in ea ſibi cum Ulrico fratre vindicabat, accepto a Caeſare diplomate, oppugnat, et a civibus admiſſus praeter Caeſaris voluntatem poteſtate ſibi facta utitur. Ad res componendas delegati ab Auguſto ſeptemviro et ordinum inferioris Saxoniae circulis veniunt. Cives inter ſe reconciliantur. Joan. Albertus, qui inſcio fratre expeditionem ſuſceperat, Ulricum cum copiis intra urbem admittit. Juris, quod Megalopolenſes ſibi vindicant, initia. Arx in urbe a Joan. Alberto inchoata, et tandem in Caeſaris tanquam ſequeſtri manus tradita. XIX. Re utcunque compoſita, Joan. Albertus turbarum cupidus ad Albertum Brandeburgicum Boruſſiae ducem haud pacatiore animo principem ſe confert. Pauli Schalichii apud eum gratia; qui tandem exortis turbis profugit, relicto Joan. Funccio chronologici

operis

operis ſcriptore pravorum conſiliorum conſcio, qui capite luit. XX. *Magdeburgi Auguſtana confeſſio recepta, annitente Sigiſmundo Brandeburgico archiepiſcopo. Idem a Raceburgenſi epiſcopo factitatum.* XXI. *Henricus Julius Brunſvicus puer Halberſtadenſis epiſcopus a collegii ſodalibus magno errore delectus.* XXII. *Monaſterienſi epiſcopatu Bernardus Ruſeldius ob concubinarum interdictum uſum collegii ſodalibus inviſus ultro cedit, et ejus loco Joannes ab Hoia jam Oſnaburgenſis epiſcopus eligitur.* XXIII. *Mors Wolſangi Anhaltini principis, Joannis Draconitae, Leonardi Fuchſii, M. Hieronymi Vidae Cremonenſis, Benedicti Varchii, Aloiſii Cornari, Caroli Molinaei juriſconſulti apud nos celeberrimi, Guliel. Rondeletii, Georgii Caſſandri, Lucae Fruterii, Joan. Petri Perpiniani. Joan. Valentini Gentilis dignus vita exitus.*

Ex auctoribus,

Uberto Folieta, Coelio Auguſtino Curione, Cl. Grangaeo, Petro Salazario, Anton. Franc. Cirneo, Hieron. comite Alexandrino, Davide Chytraeo, S. Schardio, Onufrio Panvinio.

LIBER TRIGESIMUS OCTAVUS.

METHONE [a] claſſis profecta vento ſecundo [1] xx Kal. Jun. [b] Marzam Siroccum, qui ad ortum vergit, unum ex inſulae portubus tenuit: in quo cum mari fluctibus aſpero jactaretur, in aliam ſtationem, quam [c] Majarum vocant, conceſſit. Etſi memini, me ſuperius, cum de Tripoli a Turcis expugnata agerem, de [d] Melitae ſitu aliquid dixiſſe, tamen locus poſtulat, ut heic de ea rurſus verba faciam. Inſula eſt in Siculo mari inter Siciliam et [e] Africae oram poſita, a [f] Pachyno Siciliae promontorio LX paſſuum CIↃ, ab urbe Tripoli in Africae ora ſita et a minore [g] Syrti CCLXX milliaribus diſtans; ipſa ambitu ſuo complectitur LX CIↃ paſſuum, cum longitudo XX CIↃ ſit, latitudo circiter XII: lateri, quod occidentem ſpectat, parva quaedam inſula praetenditur, quam veteres [h] Gaulon, recentiores Gozim vocant, freto latitudinis IIII CIↃ paſſuum interjecto. In media fere inſula urbs eſt Melita cognominata; a qua VIII CIↃ paſſuum ſpatio portus abeſt, in quem omnis vis belli incubuit. Is eſt ſinus ab oſtio aquilonem et Siciliam ſpectante CIↃ circiter paſſus introrſus retractus, quem lingua ab interiore ſinu ad oſtium portus excurrens medium ſecat duoſque ſinus facit: in extrema lingua ſcopulus exſurgit, in cujus apice arx eſt munitiſſima, quae [i] Hermetis vulgo appellatur; ſinus ad laevam [k] Marza Muſſetus dicitur, nonnulloſque receſſus exiguos habet. Latus ejus, quod ad dextram eſt, quatuor receſſibus iiſque ſatis amplis excavatur, quos tres intercurrentes lingulae dividunt; in quarum una oppidum, cui [l] Burgo nomen eſt, valido munimento cinctum; in ejuſque linguae extrema parte arx et ipſa firmiſſima, cui [m] S. Angeli nomen, loco edito poſita: in altera proxima lingua arx eſt etiam munitiſſima, quae [n] S. Michaelis appellatur: totum illud ſpatium, quod eſt a media ad extremam linguam, munimento amplexa. Quae arces validiſſimis praeſidiis firmatae erant delectorum Gallorum, Italotum et Hiſpanorum; quorum CIↃ Valeta in armis habuit, CIↃ praeterea navaleis ſocios perſpectae virtutis et

CIƆIƆLXV.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Modone.* [b] *Marza Scirocco* [c] *calla del Muggiaro.* [d] *Malte.* [e] *Barbarie.* [f] *Capo Paſſaro.* [g] *Secco di Palo.* [h] *le Goze,* Ital. *Gozzo.* [i] *de S. Elme.* [k] *porto di Marza Muſſeto.* [l] *il Borgo.* [m] *S. Angelo.* [n] *di San Michele.*

NOT. [1] Dele XX *Kal. Jun.* Lege III *Eid. Maii.* Put.

CIↃIↃLXV.
CAROLUS IX.

et IↃ oppidanos, quibus accedebant inſulanorum ſcloppetis armatorum IIII CIↃ. Ipſius ordinis equites aderant IↃ numero; et in arce S. Angeli L delecti, duce [a] Garzerano Roſſo Tarraconenſi. Arx S. Michaelis valido unius ſigni, duce Aſdrubale [b] Medice, ac navalium ſociorum duarum triremium praeſidio firmata eſt: in quam ſe incluſit Petrus [c] Montanus maris praefectus, qui poſtea ordinis princeps fuit, cum magno Italorum numero, et in iis Franciſco [d] Zanoguerra et Carolo [e] Rufo ſingularium triremium praefectis. In arce [f] Hermetis LX armati erant; quibus poſtea additi [α] LX Ordinis equites, et unum Hiſpanorum vexillum: ac loco praeerat Ludovicus [g] [β] Brolius. [h] Gaulos inſula XXC armatorum praeſidio tenebatur, duce [i] Janoto Torrelia Majoricenſi. Urbi veteri praefectus eſt Petrus [k] Meſquita Luſitanus, adjuncto Joanne [l] Vagnonio cum VI equeſtris ordinis viris et delecta CL peditum manu. Campeſtri regioni praeerat Gul. [m] Coperius ordinis tribunus cum XXX ordinis ejuſdem viris, qui cum IↃC armatis ac CC inſulanis, qui equo merebant, diſcurreret, et ad ſubita praeſto eſſet. Poſtero die claſſis reverſa in Marzam Siroccum ſequenti nocte copias per otium exponit. Prima luce inſequentis diei valida Turcorum manus ad Catharinae fanum, id vico nomen eſt, qui ab oppido II CIↃ paſſuum diſtat, procedit: cui Valeta, poſt ſupplicationes et inter nos uſitatam XL horarum precationem, IↃ, qui occurrerent, oppido emittit ad iter et conſilium hoſtium cognoſcendum. Ibi pugnatum inter eos, et noſtri numero impares initio cedere coacti ſunt; donec, re ex muris conſpecta, nonnulli equitum et cum illis magna armatorum multitudo, duce Jo. [n] [γ] Eguerra Euboeae adminiſtratore, ea erat equitis illius dignitas, laborantibus ſuis accurrunt: quorum adventu redintegratur proelium. Tandem Melitenſes poſt obſtinatam pugnam Turcos cum damno avertunt: LX ex iis deſiderati, multi praeterea vulnerati. Poſtero die Muſtaphas cum XII ſignis ad oppidum accedit, locum e propinquo contemplaturus, adducto ſecum Ribera equite captivo, ut eum, quem jam ſaepius de rebus noſtris interrogaverat, et tunc de ſitu et firmitate oppidi, qua parte verberatio inſtitui deberet, coram interrogaret. Sed, diſploſione ex oppido facta, et erumpentibus noſtris, loci luſtratione omiſſa, jam ſe ad fortiter pugnandum accingit, pejore tamen ſuorum conditione, ex quibus CL in eo conflictu periere; ex noſtris equeſtris ordinis vir unus cum XI militibus; ac XXX vulnerati.

II. TUM, conſilio habito inter hoſtium duces, placuit, ut ante omnia Hermetis arx oppugnaretur: qua expugnata portum [o] Muſſetum in poteſtate eſſent habituri, longe tutiorem ſtationem, quam portus Siroccus futurus eſſet. Itaque Muſtaphas tripartito copias diſtribuit, et cum parte ad Hermetis arcem accedit, partem ad eam oppidi munitionem, quae [p] Provincialis vulgo a Provincia noſtra appellatur, cognoſcendam mittit, tertiam ad machinas advehendas. Qui ad moenia ſpeculanda ſubierant, tormentorum ictibus repulſi ſunt: qui ad machinas fuerant miſſi, bidui ſpatio XII ad Muſſetum attraxerunt, ope boum, quorum ex praeda ſuppeditabat illis copia, inſulanorum pervicaci ſocordia, qui armenta ac greges intra oppidum ac civitatem ante Turcorum adventum adducere moniti imperium neglexerant. Tormentis adductis, mox aggeres excitantur: ac die ſequenti, duobus tormentis in colle ſtatutis, catenam, qua ſinus oppido et S. Michaelis arci interjectus clauditur, naveſque, quae inibi erant, et aedificia objecta petere cum damno occipiunt: quo die, is fuit VIII Kal. Jun. [q] Uluzalis Calaber, ita a noſtris contumelioſe vocatus, quaſi emanſorem Halim dicas, cum a ſuis praefectus maris appellaretur, primus ſecundum Hariadenum [r] Ahenobarbum cum praefectura maris dignitatem purpurati in porta Solimani promeritus, Alexandria, cujus praeſidio praeerat, cum VI triremibus Melitam appulit,

VAR. LECT. [α] XL *D. f. o.* [β] Brolia *D. f.* [γ] Eguarra *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Garzerano Rox Catalan.* [b] *de Medicis.* [c] *di Monte.* [d] *Zanoguerra.* [e] *Rufo.* [f] *S. Elme.* [g] *Broglio Piedmontois.* [h] *le Goze.* [i] *Giannoto Torrellas de Majorque.* [k] *Meſquita Portugais.* [l] *Vagnone.* [m] *Copier, mareſchal de l'Ordre.* [n] *d'Eguerra, baillí de Negrepont.* Les autres le nomment *d'Equarras.* [o] *Marza Muſſeto.* [p] *de Provence.* [q] *Ulucciali de Calabre.* [r] *Barberoſſa.*

appulit, ſeque cum reliqua claſſe conjunxit. Joannes [a] Cerda maris praefectus ſub id tempus ad Valetam venit, validum praeſidium ac res neceſſarias ad defenſionem petens, et arcem corporis tabe diuturna confecti inſtar eſſe dictitans, quod aſſiduo nutrimento egeat. Ille vero, etſi Cerdam vera dicere intelligeret, et tot ſortium virorum pernicie moveretur, tamen, quia auxilia promiſſa ſerius adventura, et, ſi ab arce defendenda deſiſteret, hoſtes mox oppidum circumſeſſuros providebat, eos, vel cum certo ſuorum exitio, quantum poſſet, in illa obſidione diſtinere ſtatuit; et Cerdam, bono animo eſſe jubens, cum CL delectorum ſupplemento remittit. Interea Dragutes, cujus erat magna apud Solimanum auctoritas, et, quo inconſulto, ne quid terra aut mari molirentur, purpuratis imperatum fuerat, cum XIII majoribus ac II minoribus triremibus, quibus CIƆ CCCC bellatores portabantur, advenit, a toto exercitu honorifice exceptus. Is, cognita belli gerendi ratione, conſilium purpuratorum improbaſſe dicitur, quod non a Gauli inſulae et in ea arcis expugnatione ac proximae civitatis exorſi eſſent; nam iis captis et ſubmittendorum a Chriſtianis auxiliorum viam intercludi, et ubera, a quibus tota inſula alatur, veluti praecidi: contra Muſtaphas excuſare; ac ſe eo conſilio ab [b] Hermetenſi arce initium ſeciſſe dicere, ut, portu Muſſeto occupato, in tutam ſtationem claſſem perduceret: cui conſilio nihil debuiſſe praeverti. Itaque omnem operam adhibet Muſtaphas, ut diligentia ac labore rei difficultates ſuperaret. Et, quia tota inſula quaſi perpetua et continenti petra conſtat, et aggeres faciendi in locis aſperi ac nudi ſoli nulla erat facultas, ex trabibus atque aſſeribus inter ſe compactis veluti murum ducit, quem palea et limo refereiebat, quo munimento hoſtes ab ictibus tegebantur. Quod opus ut celerius ad effectum perduceret, XL triremeis remigibus nudaverat, eorumque opera utebatur. Pridie Kalend. Junias coepta verberatio, ſtatutis contra arcem XIIII muralibus tormentis, et in primis ad munimentum paulo ante ab arce diſtinctum ac recenter exſtructum ictus dirigunt: quod et Dragutes obliqua verberatione ab extremo cornu portus Muſſeti, quod freto interjecto eſt e regione arcis, IIII majoribus machinis quatere inſtituit. Eo continua pulſatione decuſſo ac dejectis pluteis, et ita inutili reddito obſeſſis machinarum uſu, dum noſtri quaſſata reficiunt, pateſacta obſtruunt, et aggeres intus indeſeſſo labore excitant, Turci munimenta proferunt, quibus brevi ad foſſam perductis propius arcem ſubeunt, et circumvallare omni ex parte aggrediuntur. Jamque ad litus dextra in oppidum verſum pervenerant, II in eo loco machinis et magna vi ſeloppetariorum locatis, ut navigia ad res neceſſarias obſeſſis ſubvehendas huc illuc commeantia impedirent: laeva vero continuato munimento propugnaculum attigerant, quod Muſſetum portum ſpectans ab ea parte veluti eminenti latere arcem tegebat, jungebaturque arci muro quodam e lapidibus ſine calce coagmentatis; quem murum L ſeloppetarii defendebant. Ii cum infeſtam noctem aſſiduis Turcorum ejaculationibus habuiſſent, tandemque vigilia fracti ſolute negligenterque agerent, hoſtibus, vigile interfecto, per feneſtram ad uſum tormentorum apertam ingreſſis et impetum facientibus, pavore exanimati, pars ex ponte ligneo, qui prope propugnaculum erat, in foſſam praecipitant, pars a Turcis trucidantur. Turci propugnaculo potiti, more ſuo magnis clamoribus et ululatibus laetitiam ſignificantes, cum eodem impetu arce ſe potituros ſperarent, in foſſam deſcendunt, et, ſcalis ſed brevioribus admotis, poſt acre proelium repulſi temeritatis ſuae poenas luerunt, CCCC ex ſuis amiſſis, cum ex noſtris tantum L cecidiſſent. Interea Raphael [c] Silvagus ad Garſiam miſſus, ut auxilia maturaret, Meſſanam venerat, cum quo Camillus [d] Medicinus Meleniani marchionis nothus filius ad pontificem eandem ob cauſam a Valeta legatus fuerat. Ibi Garſias promiſſa prolixe confirmat; et, ſe ante diem XIII Kal. Sextil. ea repraeſentaturum et Melitam advolaturum, ſpondet. Et ita

INTERPR. [a] *de la Cerda.* [b] *S. Elme.* [c] *il cavalier Selvago Genoveſe.* [d] *il cavalier Camillo de Medici di Milano, figliuolo naturale del marcheſe di Marignano.*

CIↃIↃLXV.
CAROLUS IX.

ita cum IIII triremibus remittitur Silvagus; cum quibus, ſuperato [a] Pachyno, cum ulterius ſine periculo progredi non poſſet, omiſſis iis et celoce conſcenſa portum longe graviore diſcrimine ſubiit, crebra glandium grandine a Turcis, qui adventum ſenſerant, petitus. Inde mox a Valeta remittitur, ut praeſentia ſua Garſiam urgeret, neque a latere illius diſcederet, priuſquam copiae conſcendiſſent. At propugnaculo potiri Turci, ſarmentorum faſcibus magna copia comportatis ac ſuper extructis, illud ad altitudinem murum aequantem exaltant, in eoque II machinas muraleis ſtatuunt, nuſquam verberationem intermittentes, demiſſis etiam in foſſam ſagittariis, qui continua ejaculatione obſeſſos inceſſerent. Ad haec, pontem ex antennis navium validis funibus conſtrictum, ea latitudine, quae quatuor armatos ſimul incedenteis caperet, erigunt, humoque ſuperaggeſta ſternunt, ne ignibus ſuperne emiſſis incendi poſſet; cumque eum muro arcis ab extimo foſſae labro conjungunt, in quo conſiſtentes murum excavare incipiunt, ea amplitudine, ut nonnulli eorum cavo recti a ſupernis ictibus laedi non poſſent. Contra obſeſſi, hoc cognito, e regione illius loci interiorem murum ducunt, foeminis emiſſis, quae in oppidum a [b] Valeta acceptae ſunt, et ſauciis, in quorum locum e recentes ſummiſſi. [c] Eguerra, qui arci cum Ludovico [d] Brolio praeerat, cum ex vulnere in priore illo proelio accepto praegravaretur, et Brolius ob ſenectam ut minus idoneum ſe excuſaret, Melchior [e] Monſerratus ſuffectus eſt: ſub eoque Miranda ordinum ductor egregiam admodum operam in obſidione navavit. Interea [f] Silvagus [g] Syracuſas appulerat; ubi II ſacri Ordinis triremeis nactus, quas [h] Cornuſonus ducebat, ei Valetae avunculi verbis imperat, ut CCCC auxiliareis, qui eo convenerant, navigationis ratione, quae tutiſſima videbatur, demonſtrata, in inſulam portaret: is tamen, cum Gaulum inſulam appuliſſet, et ex oppidanis [i] Antoſegae ſinum et omnia circum a Turcis teneri cognoviſſet, meliori tempori tot virtute praeſtanteis viros reſervandos ratus, Syracuſas reverſus eſt. In arce metu cuniculi tunc tumultuatum fuit; miſſique ad Valetam, qui amplius durari non poſſe oſtenderent; proinde ea ipſa nocte navigia mittat, quae ipſos in oppidum trajicerent: id ni faciat, ab extrema deſperatione conſilium capturos; omneis enim arce erupturos, certiſſimoque exitio Turcos aggrediendo ſe ſponte expoſituros, ut armati potius et pugnando cadant, quam deformi mortis genere vitam finiant, aut ruina oppreſſi animaque incluſa ſuffocati, vel capta arce more pecudum ſine certamine jugulati. Id cum aliquantum perturbaſſet Valetae animum, viſum tandem factu optimum, ut quidam ad obſeſſos mitterentur, qui re inſpecta vanum cuniculi metum oſtenderent, et eos ad obſidionem ſuſtinendam hortarentur: in iis erat [k] Conſtantinus Caſtriotus, qui arcem defendendam eſſe contendebat, et ſe inter defenſores futurum profitebatur. Mox obſeſſi, ex ſumma trepidatione receptis animis, contrario ignominiae metu, Valetae renunciant, non ſe quidem arcem deſerere nunquam in animo vere habuiſſe, ſed negligentia eorum, qui extra arcem ſunt, et neceſſaria in tempore non ſuppeditant, tumultum excitatum eſſe. Nec ceſſabant Turci; qui ante diem XIII Eid. Jun. propugnaculum in portum Muſſetum verſum malleis et vectibus aſſidue tundendo ita excavaverant, ut veluti per gradus in illud aſcendi poſſet; et, ponte inſtituto nondum perfecto, quamvis non tantum ex ſummo muro decuſſiſſent ut ſcalae altitudinem ejus aequarent, veſana ferocia adacti arcem omnibus viribus adoriri conſtituunt. Itaque ſigno dato, ſcalis ad murum appoſitis, bipartito agmine impetum faciunt, funeis quoſdam in ſublime jactantes, quibus dolia viminea humo referta, quae defenſores ſui tegendi cauſa oppoſuerant, harpagonibus apprehendere conabantur. Ita totis viribus connixi eorum nonnulli, manibus eminentia ſaxa prenſantes, ac veluti muro arrepentes, in pinnas muri evadunt;

ſigniſque

INTERPR. [a] *Capo Paſſaro.* [b] *de la Valette, grand maitre* [c] *d'Eguerra* [d] *Broglio.* [e] *le commandeur de Monſerrat* [f] *Selvago.* [g] *Saragoſa en Sicile,* Ital. *Siracuſa.* [h] *de Cornuſſon.* [i] *le golfe d'Antoſega.* [k] *Conſtantino Caſtrioto.*

ſignisque in doliis illis defixis, artificioſos igneis in arcem jaculari incipiunt. Verum ab obſeſſis acriter reſiſtentibus repulſi cum magna ſtrage, quamvis geminato ſaepius impetu, audaciae ſuae poenas dedere, non ſine defenſorum damno. Per ea tempora Medicinus Romam venerat, et a pontifice patruo inſtante Joſepho [a] Cambiano Ordinis apud ipſum oratore ID pedites impetraverat; quorum dux primo creatus Lucas Antonius [b] Thomaſſonus Interamnas vetus miles, de quo bello Provinciali facta mentio eſt: ſed poſtea, illo mandatum munus recuſante, in ejus locum ſuffectus eſt Pompeius [c] Columna, C peditibus additis; cum quibus ille e veſtigio Terracinam petit, ibi claſſem praeſtolaturus: qua tardius adveniente, ſerior quoque ejus appulſus [d] Meſſanam fuit. Interea non ceſſabat [e] Silvagus Garſiam urgere, ut, dum auxilia promiſſa convenirent, ſaltem CIↃ Hiſpanos ſummitteret; quo ſubſidio ſi Valeta juvetur, non deſperare, quin obſidio ad XIII Kal. Quintil. protelari poſſit: intra quod tempus, ſi auxilia compareant, et IX CIↃ armatorum tantum efficiant, Turcos procul dubio, non tentata praelii alea, protinus inſula exceſſuros: jam enim ad XX CIↃ bellatorum redactos eſſe, et quotidie in pede reſerendo ignaviae ſuae ſigna haud obſcura dare, cum non ſenſim neque ordinibus ſervatis ſed effuſa fuga cedant. Id ſcripto comprehenſum cum Silvagus Garſiae, ſic enim ille voluerat, dediſſet, ad Philippum ſe miſſurum recepit, in auxiliis expediendis piger et anxius, neque ſatis fidei aut animi toto obſidionis tempore prae ſe ferens: qua re non occultam infamiae labem nomini ipſe ſuo concepit, et priorem gloriae famam non parum obſcuravit. Ad arcem interim laborabatur, et obſeſſi laboribus ac vigiliis fracti animo paulatim linquebantur; qui tamen utcunque a Valeta confirmati opera intermiſſa repetunt, et ollis pice et ignibus artificioſis refertis ſuperne dejectis pontis majorem partem incendunt. Igitur, cum ſpes de ponte non procederet, Turci pomiferas arbores ac vineta paſſim tota inſula ſuccidunt; et inde ingentem vim ſarmentorum, quo foſſam complerent, in caſtra comportant; captis inſuper nonnullis Chriſtianorum navigiis a Piali, qui ex captivis noſtris cognoverat, non plus XL triremeis in portu Meſſanae tum eſſe, et Joannem Andream [f] Auriam nondum adveniſſe: itaque ab eo metu ſecurus, LXX triremibus exarmatis, remiges ad opera facienda eduxerat. Inde foſſa aliquatenus repleta, placuit periculum fieri, ecquid animi in defenſoribus eſſet: ſcaliſque admotis vis facta a Turcis, qui acriter a noſtris repulſi ſunt; terque intermiſſum praelium et reſtitutum ſub veſperam continuato conatu, ſed irrito ſucceſſu, non tamen ſine ſpe arcis potiundae. Muſtaphas, cum totam inſequentem noctem continuata quaſſatione inquietam feciſſet, ſummo mane omnes copias ad vim ultimam inferendam inſtruit. Ibi acrius quam antea pugnatum, et poſt longum certamen jam L circiter ex hoſtibus totis viribus connixi in murum munitionis Muſſeto portui oppoſitae evaſerant; in qua infrequentiores erant defenſores, cunctis ad arcis partem ponte junctam, in quam major belli vis incubuerat, verſis: quo conſpecto, ex oppido Valeta machinam in eum locum collimat; cujus certo ictu aliquibus Turcis exanimatis, ceteri ſe ex arce praecipites dejiciunt. Cum VI horas continuas pugnatum eſſet, ſexies eo ſpatio repetita pugna, tandem Turci omnia experti, cum IↃ CCC ex ſuis amiſiſſent, nec pauci ex Chriſtianis cecidiſſent, retro pedem referunt, magna noſtrorum, qui extra arcem erant, laetitia. Continuo Valeta ſocios ex arce deductos curandos diſtribuit, novo CL armatorum praeſidio ſummiſſo, et cum illis haud exiguo operarum numero; ad hoc, magna copia centonum, anchoralium funium, et aliorum id genus ad tegendos bellatores aptorum. Cum urgeret Garſiam Silvagus periculum oſtentando, ille rurſus tergiverſari; et ſe Hiſpanorum loco Italos miſſurum dicere; atque, ut tempus duceret, Chapinum Vitellium abſcotem

CIↃIↃLXV. CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Cambiano.* [b] *Tomaſſoni da Terni.* [c] *Colonna.* [d] *Meſſina.* [e] *Selvago.* [f] *Doria.*

tem cauſari; quem ad copias in Etruria cogendas profectum, ſimul ac reverſus eſſet, [a] Melitam eſſet miſſurus. Tandem pudore ac precibus victus, inſtante Signorino [b] Gatinara Meſſanae priore, qui militem ſuo ſumptu ſcripturum ſe offerebat, modo praeberet prorex trajiciendi facultatem cum delecta Hiſpanorum cohorte, IIII triremeis mittit; quarum II ſacri Ordinis erant, a Cornuſſono Syracuſas reductae; dato mandato Joanni Cardonae triremium praefecto, ut, ſi, cum Melitam venerit, arcem [c] Hermetis expugnatam offenderit, nullo modo exſcenſionem faciat. Continuata interim verberatione obſeſſi dies noctesque fatigabantur: nec triremes ſegnes erant; nam, a portu Sirocci in S. Pauli et Georgii ſinus concedentes, inde ipſae quoque a parte maritima noſtros infeſtabant. Ibi dum Dragutes foſſae propior et ſecurior murorum ruinam contemplatur, a periculis cavendis, ad imperandum quae opus facto erant, mente averſa, diſploſo forte ex arce tormento et in parietem foſſae adverſam illiſo, fragmentum lapidis reſiliens aurem hominis tanta vi percuſſit, ut ſopitus plane conciderit, magnam vim ſanguinis ex faucibus ac naribus evomens, inde a ſuis pro mortuo tranſlatus. Tandem Muſtaphae diligentia munimentum ad effectum perductum eſt, quod ab ora foſſae exteriore uſque ad maris litus ad oppidum pertinens ducebatur. Quo facto, cum obſeſſorum paucitas recentibus ex oppido auxiliaribus, qui quotidie ſummittebantur, renovari amplius non poſſet, intercluſo commercio, Turci x Kal. Quintil. jam tertio univerſa copiarum vi oppugnationem tentant tripartito agmine, nec abſimili ſuperioribus ratione. Sed atrocior eo pugna fit, quam antea, quod diuturnior, quippe ad veſperam uſque producta; et, inter pugnandum multis ex noſtris nube ſagittarum ſauciatis, qui ex munimento in portu Muſſeto excitato, tanta altitudine, ut munimentis arcis exſtaret, a Turcis in confertos jaculantibus inceſſebantur. Nox proelium diremit; ſed proelio ipſo atrocior ac miſerabilior, quippe inter gemitus morientium ac vulnera colligantium, exſpectatione certae mortis, et adempta omni auxilii ſpe, tranſacta. Miſſo tum nuncio, qui natatu ad oppidum pervenit, obſeſſi rem in extremum diſcrimen adductam monent, amiſſis pleriſque in ultima pugna, et iis, qui ſuperſint, aut vulneribus confectis aut ex labore ita debilitatis, ut non ſolum ad arma ſuſtinenda ſed ne ad membra quidem regenda vireis ſuppeditent. Itaque, ni ſuppetiae ea nocte mittantur, nihil morae eſſe, quin ſtatim poſtero die Turci arce potiantur, et, quos ſors pugnae reliquos fecerit, quaſi pecudes crudeliter ad unum omneis jugulent. Igitur Valeta, non tam periculo, quod ante providerat, ſuorum territus, quam miſeratione commotus, omnem ſalutis eorum expediendae rationem inivit: et quanquam exigua ſpes eſſet, intercluſis aditibus, auxilii ſummittendi, tamen quatuor cymbas inſtruit bellicis apparatibus armatas; quae, ter tentato tranſitu, nunquam ad arcem pervenire potuerunt, [d] Piali vias obſidente, qui Muſtaphae monitu XXC triremeis ad portus fauces appulerat, magno ſcapharum numero litori praetento, et militibus ad ea loca diſpoſitis, in quae ſubſidia ſummiſſa exſcenſionem facere ſolebant. Itaque mane noſtri, fletibus omiſſis et exuto mortis metu, in arcem ſeſe omnes contrahunt; ubi edito extremo virtutis conſtantis ſpecimine a ſuperante hoſtium numero tandem expugnati ſunt: qui reliqui ex certamine fuerunt, irrumpentibus Turcis, plerique ſe praecipites e moenibus dejecere; ex quibus pauci nando ad oppidum pervenere, ceteri undis hauſti aut a ſcaphis huc illuc diſcurrentibus comprehenſi interfecti ſunt. Pejor conditio eorum fuit, qui in Turcorum manus devenere: nam exquiſitis cruciatibus fere enecati ſunt: in equeſtris ordinis viros praecipue victoris immanitas graſſata eſt, qui pedibus ſuſpenſi, inteſtinis foedum in modum etiam avulſis, inter ſummos dolores exſpirarunt. Hoſtes clamoribus ingentibus, qui mos eorum eſt, laetitiam teſtari frequentia ſigna in pinnis arcis ſtatuunt. Eo mox venit Muſtaphas, qui, ex ejus exiguitate quanta in oppido

capiendo

INTERPR. [a] *Malte.* [b] *Gatinara, prieur de Meſſine.* [c] *St. Elme.* [d] *Piali, Baſſa.*

capiendo moles reſtaret conjiciens, exclamaſſe fertur, Quid parentem facturum putemus, cujus nos exiguus hic filius tam longa oppugnatione diſtinuit? Siquidem obſidio XIX dies duraverat; cujus extremus, quo capta fuit arx, in pervigilium D. Joannis Baptiſtae incidit; in quo Turcorum IIII CIƆ iique ex ſortioribus, ex noſtris CIƆ CCC iique praecipui equeſtris ordinis viri et clari ordinum ductores, periiſſe traduntur: inter quos praecipue commendata Mirandae peritiſſimi ducis Hiſpani virtus, qui, toto obſidionis tempore cum conſulendo, providendo, omnibus locis occurrendo nullas ſtrenui militis ac ducis partes non egregie impleſſet, ad extremum vulneribus conſectus, cum membrorum ope ad incedendum deſtitueretur, ad locum pugnae deferri voluit; ubi, ſuos cohortando ad mortem ſortiter oppetendam, ipſe cum iis interſectus eſt. Eodem die, ne ſolido arcis captae gaudio fruerentur hoſtes, Dragutes ex vulnere accepto deceſſit, in cujus conſilio, aſtu, rei bellicae intelligentia, maxima erant ad res gerendas momenta.

III. ARCE capta, Muſtaphas noſtris omnino animos concidiſſe et ad quaſvis conditiones Valetam deſcenſurum exiſtimans, turmam equitum mittit; qui, cum arci S. Michaelis propinquaſſent, conſiſtentes, candidum vexillum extollunt, pacifici colloquii ſignum: paulo poſt ſenex quidam procedit, qui a noſtris comprehenſus ac vinctus oculis velatis ad Valetam adducitur. Is, cognito ſenem de conditionibus deditionis acturum veniſſe, impetum cepit eum furcae affigendi: ſed, re ad concilium relata, decretum eſt, jus gentium in nuncio valere debere; itaque cum verbis atrocibus dimittitur, addito, ne amplius ipſe aut quiſquam alius ea de cauſa ad ſe revertatur; ſi venerit, capitis poena temeritatem luiturum. Summa conditionum, uti poſtea reſcitum fuit, haec erat: ut Valeta cum ſuis inſula, re ſalva, excederet, et compenſationis loco inſulam opportunam in [a] Aegeo mari acciperet, in qua ipſe ac nobilium equitum cohors domicilium collocaret, et pro qua honeſtum vectigal Imperatori penderet. Hac ſpe dejecti hoſtes, promotis caſtris, aggerem ad S. Michaelis arcem ducunt, a fronte contra obſeſſorum ictus tectum, cum terga nulla munitione tegerentur.

IV. SUB id tempus Cardona cum auxiliaribus in Melitae conſpectum venit; [b] Martinezumque Hiſpanum, ad ſtatum belli et Hermetenſis arcis, ac locum, in quem exſcenſionem tuto facere poſſent, cognoſcendum, praemittit ad Meſquitam civitatis praefectum. Sed eum antevertit [c] Spiritus Bruneſajus Quinſaeus, qui a [d] Silvago monitus, quid Garſias Cardonae alioqui non ita bene animato mandati dediſſet, prius in inſulam deſcendit, et obvios monet, ut conſentanea ſecum dicant; moxque ad Cardonam revertitur, et laudabili aſtu arcem Hermetenſem adhuc a noſtris teneri mentitur, ſed res in eum ſtatum adductas, ut, ni propere laborantibus ſuccurratur, de ea actum ſit. Quo audito, Cardona ad locum, qui [e] Petra-nigra dicitur, copias exponit VI a civitate milliaribus. Poſtero die via, quam Valeta commonſtraverat, denſa ſorte ac peropportuna nebula exorta, quae Turcis conſpectum adimebat, aliquo circuitu noſtri incolumes ad [f] Scalae portum, [g] Muſſeto vitato, perveniunt; qui unus locus, cum cetera omnia circa oppidum hoſtium cuſtodiis clauſa eſſent, ſtationibus ac munitionibus erat intermiſſus. Ibi ſcaphas a Valeta miſſas conſcendunt, et ſine damno intra oppidum accipiuntur, effuſa omnium laetitia, cunctiſque eorum fidem ad coelum tollentibus, et tanquam ſervatores adveniſſe clamantibus, qui nimirum, cum extra omne periculum eſſent, ſeſe ac ſalutem ſuam in tanta diſcrimina ſponte obtuliſſent. Quo cognito, Muſtaphas ſuam negligentiam increpuiſſe dicitur, qui aditum cuſtodia non clauſiſſet, ſtatimque eum productis munimentis et firma ſtatione vallavit. Tum ex indicio Philippi Laſcaris ad nos tranſugientis multa intellexit Valeta, quae ad praecavenda pericula ei in commodum verterunt. Philippus ex

INTERPR. [a] *l'Archipel.* [b] *Martinez.* [c] *le chevalier Eſprit de Brunifay Quincy.* [d] *Selvago.* [e] *Pietra negra.* [f] *Marza Scala.* [g] *Marza Muſetto.*

CIƆIƆLXV. CAROLUS IX.

ex illuſtri illa, cujus nomen praeferebat, ſamilia ortus, cum in [a] Patrae expugnatione puer captus fuiſſet, clementiorem herum nactus, res Chriſtianorum occulta benevolentia ſemper reſpexerat; et quanquam a Turcis opibus et honoribus auctus in equeſtrem [b] ſaphiorum, quos vocant, ordinem lectus eſſet, mente divinitus monita, omni re ſpreta, ubi ſe occaſio obtulit, nando ad nos transſugit. Is autem narrabat, Muſtapham reſponſo Valetae ultra modum exacerbatum omni vi S. Michaelis arcem aggredi ſtrato muro decreviſſe, et a colle Hermetenſi eam furioſa pulſatione quaſſare. Itaque Valeta de peritorum conſilio vallum ex validis antennis et navium malis contextum ab ea litoris parte exſtruere ſtatuit, quo Turcos ab acceſſu moenium averteret. Verum extremo in litore cum ea duritia ſoli eſſet, ut in ea pali defigi non poſſent, vallum XV circiter pedes introrſum retractius ducere coactus eſt; atque, illi parti oppidi, quae Germanicae ac Anglicae nationibus deſendenda obtigerat, timens, nonnullas ſcaphas catenis inter ſe colligatas ibi demerſit, quibus ab ea parte ingreſſus Turcis obſtrueretur. Praeterea jam ante, poſt [c] Hermetenſem arcem captam, veritus ne Turci catenam, quae a litore oppidi ad Hermetenſe litus ducta portum claudebat, perfringerent, ſublataque libere per omneis ſinus diſcurrendi facultatem haberent, tranſlata ea et ab oppido ad arcem S. Michaelis ducta ſinum medium clauſerat, ut ſaltem ea pars ab illorum excurſionibus tuta eſſet, edicto gravi propoſito, ne quis ad oppidum aut civitatem ullum Turcum captivum faceret, ſed captum mox interficeret: ut Turci ſcirent, crudelitatis ſuae ultores eſſe, et inter noſtros omni ſpe gratiae adempta nemo de deditione cogitaret, ſed omnes certiſſimo ſuppliciorum metu ad fortiter dimicandum et extrema cuncta perferenda [α] confirmarentur, nullamque aliam ſalutis ſpem quam in virtute ſibi repoſitam exiſtimarent. Secundum haec Turci machinis in colle Hermetenſi, ſicuti index monuerat, directis III Non. Quintil. oppidum ab ea parte, quae angulum caſtelli S. Angeli, vulgo roſtrum dictum, reſpicit, ſimulque S. Michaelis arcem quatere incipiunt; ac brevi magnam ſtragem edunt, continuata dies noctesque verberatione, ut reficiendi ac muniendi facultas non eſſet, muro alioqui ab ea parte, utpote minus ſuſpecta, infirmo, et exigua craſſitudine, nec pomoerio firmato.

V. INTEREA [d] Silvagus, qui [e] Meſſanam redierat, ut auxilia maturaret, cum Garſia aperte altercari, Deum hominesque teſtari, et datam fidem repoſcere; neque cum Garſia tantum ea libertate uti, ſed palam concionantis in morem vulgo vociferari, fidem non ſervari, et Garſiae praepoſtera prudentia ſeu potius ignavia ac negligentia totum Hieroſolymitanum Ordinem Chriſtiani nominis hoſtibus prodi. Contra Garſias initio non quidem auxilia recuſare, ſed more ſuo perplexe reſpondere ac multa cauſari; mox, ut Silvagum vidit ſparſis in plebem querelis ſibi audientiam magnoſque hominum concurſus facere, ſuaeque dignitati et exiſtimationi ex eo periculum haud dubie creari, excuſare moras: nam recepiſſe ſe quidem Valetae ſubſidio venturum; verum ea ſpe promiſiſſe, quae ipſum deficeret: nam CXXV triremeis a Philippo promiſſas ad XC reductas eſſe, numerum imparem ad potentiae Turcicae impetus ſuſtinendos: ad haec, ab ipſo Philippo moneri, ita ſubſidia Melitenſibus mittenda caveat, ne in manifeſtum exitium claſſis, in qua una Chriſtianarum rerum ſpes ac ſalus contineatur, temere projiciatur: itaque tempus petere, dum cum univerſis ducibus, ubi convenerint, deliberet, et in tempore obſeſſis ſuccurrat. Et, ut curarum caput ſibi Melitae liberationem eſſe Silvago approbaret, quaedam ſe interea commentum eſſe oſtendit, ut, quod viribus deerat, ars ſuppleret: quae tamen tanquam oſtentationis aut tergiverſationis tegendae cauſa ab eo dicta rei nauticae periti videbant. Dum in eo ſunt, Jo. Andreas Auria advenit; qui, intellecto Melitenſium periculo, omnino iis ſubveniendum eſſe cenſuit; et ſe cum III triremibus,

quae

VAR. LECT. [α] inflammarentur *D. d.*

INTERPR. [a] *Patras.* [b] *Spahis.* [c] *St. Elme.* [d] *Selvago.* [e] *Meſſine.*

quae CIↃ CC delectos portarent, expoſita conatus perficiendi ratione, ad oppidum penetrare paratum oſtendit. Quod cum primo laudaret Garſias, exacto etiam ab Auria ſolemni promiſſo praeclara cogitata exſequendi, mox ſententiam occulta invidia mutavit; et Auriam ad portandas a Chapino Vitellio in Etruria conſcriptas copias, et claſſem Hiſpanienſem, quae [a] Genuam appulerat, remiſit: conſilii tamen exequendi, ne aut illud omnino rejicere aut obſeſſorum periculum contemnere videretur, curam Pompeio Columnae pontificiarum triremium praefecto commiſit, cum Jo. [b] Lugnio, et Franciſco Zanoguera; qui, Valeta ante monito, et ab illo ſigno aditus intercluſi et revertendi accepto, re infecta, in Siciliam rediit. Dum oppidum et arces arctiſſima obſidione premerentur, cum aſſiduis Turcarum miſſilibus ab arce ad S. Michaelis ſcaphis commeatus abſumeretur, Valeta ex P. [c] Montani arcis praefecti conſilio adverſus hoc incommodum hoc commento uſus eſt; pontem ex ſuperpoſitis cadis ac tabulis inſtratis ea latitudine extruxit, quae binos armatos ordine incedenteis caperet, eumque ab arce ad oppidum perduxit, tutiore per eum et expeditiore deinceps commeantibus tranſitu. Verum, cum ſub id tempus Aſanes, is quem praecipuum hujus belli incentorem [a] diximus, Algeriae proſultanus, cum XXVIII minoribus ac II majoribus triremibus veniſſet, quibus II CIↃ egregiorum bellatorum portabat, ob eum adventum tam opportunum laetitia incredibili perfuſus, Muſtaphas, ſcaphis circiter L in portam oppidi nocturno aſtu introductis, et in eas II CIↃ bellatorum impoſitis, quibus Uluzalis praeeſſe juſſus eſt, a terreſtri parte VI CIↃ armatorum collocat, cum quibus utrinque oppidum invadere ſtatuit. Ac luce prima, quae in Eidus Quintilis incidebat, naviculas a linguae litore movere jubet, quae magnis clamoribus ſublatis arcem petunt, cum prius vallum inibi erectum funibus revellere fruſtra conati eſſent. Eodem tempore altera acies terreſtri itinere moenibus ſuccedit. Qui a parte maritima veniebant, quo minus exſcenſionem in loca aequa facerent, vallo prohibiti, ad roſtrum, quo vallum productum non erat, flectunt; et in promontorium, in quo roſtrum exſtructum eſt, arduum et iniquum exſcendentibus locum, exſcenſionem faciunt, prae pugnandi ardore omnis periculi immemores, quamvis a noſtris ſuperne crebris ſcloppetorum ictibus peterentur; et ſcalis ad roſtrum magno numero erectis eniti tentant, parte ad ruinas ſolo fere aequatas tendente, ubi inter ipſos et obſeſſos veluti aequo campo conſerta pugna acriter dimicatum eſt. Cum diu et obſtinatis animis a parte maritima ac terreſtri pugnatum eſſet, et clamoribus inde Turcorum hinc morientium gemitibus et machinarum ac ſcloppetorum fragore omnia perſtreperent, poſt magnam Turcorum veſana inſania ſe inferentium caedem, noſtri poſtremo validis procerum et militum ducibus, Petro [d] Giolio, [e] Fr. Ruizio et [f] Spiritu Burneſaio Quinſaco, ſubſidiis ſubinde a Valeta ſummiſſis, firmiores, et Montani ubique diſcurrentis et omnia magna ac minima impigre obeuntis praeſentia confirmati, creſcentibus animis, Turcos jam impreſſionem facere non valenteis in fugam vertunt: multi in fuga inſequentibus Chriſtianis interfecti; plures ſcaphas conſcendunt, qui trepidantes ac ſine ordine et ſe mutuo urgentes trudenteſque in mare decidunt; qui ſcaphis accepti ſunt, ipſis conſcendentium multitudine praegravante demerſis, naufragio perierunt: multi, qui ſcaphas praeſto non habuere, amenti trepidatione ſe in mare projicientes, cum nandi ignari eſſent, undis hauſti ſunt, miſerabili ubique ſpectaculo, cum brevi omne circum mare cadaveribus, capitibus ac membris a corpore truncatis, ſcutis, galeis, loricis ubique fluitantibus conſtratum eſſet: tantum incolumes IↃC ad ſuos redierunt. A parte terreſtri minor ſtrages fuit, CCCC tantum occiſis; ex noſtris deſiderati XC delecti, et aliquot ordinis

CIↃIↃLXV.

CAROLUS IX.

VAR. LECT. [a] diximus, Hariadeni Ahenobarbi filius, Algeriae *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Genes.* [b] *de Lugny Bourguignon.* [c] *di Monte.* [d] *de Gion* [e] *Ruis de Medine.* [f] *Eſprit de Brunſay Quincy.*

CIↃIↃLXV. CAROLUS IX.

ordinis equeſtris viri. Franciſcus Zanoguera, Simo [a] Melo Luſitanus, et Gordius centurio major, ac poſtremo Fridericus [b] Toletanus Garſiae filius, Rodericus [c] Cardines et Bruneſaius Quinſaeus graviter vulnerati.

VI. QUINSAEUS, cum egregiam operam ſemper in ea obſidione navaſſet, tum, inſigni aſtu eluſis Garſiae mandatis, Cardona etiam decepto, auxilia tam neceſſario tempore in inſulam introduxiſſet, ex vulnere illo poſtea deceſſit. Captivi juſſu magni magiſtri ad unum omnes ſunt jugulati. Nec proinde obſeſſi ceſſabant: nam, dum moerore ac pudore confuſus Muſtaphas quaſſatione intermiſſa machinas alio, unde majorem ſe facturum ſtragem arbitrabatur, transfert, ſumma contentione in opere aſſidui intra paucos dies quaſſata refecerunt, et pateſacta aggeribus obſtruxerunt, ut de integro muri eſſent quatiendi; excepta ea parte, quam Melchior [d] Robles caſtrorum praefectus, vir militari experientia clarus, cum [e] Carolo Ruffo tuendam ſuſceperat, quod ibi Turci aggerem ita promoviſſent, ut altitudine ſua paene murum arcis aequaret. Igitur, ut eam partem, quae vulgo [f] Bromola appellatur, aliqua ratione firmaret Valeta, totum illud maris brachium in longitudinem ad intimum uſque ſinum catena ex validis antennis contexta jungendum curavit; proviſis ingenti numero artificioſis ignibus, et magna copia ahenorum calida pice refertorum ad loca oppugnationibus obnoxia, quibus ſubeuntes hoſtes perfunderentur. Mox, mutata a Muſtapha oppugnandi ratione, murus, qui refici non poterat, cum ipſius ſtrages pro munimento obſeſſis eſſe videretur, ſubtus ligone et malleo excavari coeptus: ſed intus ducta profundiore foſſa irritus labor hoſtium fuit. Itaque, mutato rurſus conſilio, munitionem, quae paene murum ad litus contingebat, uſque ad caſtellum in Bromolam vergens, producere inſtituit; et diverſa parte munimentum ſuper ipſo foſſae aggere excitat, ea altitudine, ut bellatores ab ictibus ex arce oppidi emiſſis tegerentur. Tum pontem in ipſa foſſae ora, exemplo alterius ad arcem Hermetenſem aedificati, ex immanibus antennis ac praegrandibus navium malis nocte defixis exſtruunt; quem, licet non ita noſtris detrimentoſum, tamen magnus magiſter emiſſa bis noctu delecta manu cum comburere fruſtra tentaſſet, poſtremo negotium dat Henrico Valetae Pariſoto fratris filio, ut extremum conatum ad pontem tollendum faceret; qui juvenili ardore incenſus interdiu cum delectis arce erupit, eo conſilio, ut ſublicas fune injecto apprehenderet, quo deinde a praeſidiariis ex arce contracto et adducto ſublicae revellerentur, ponſque corrueret: ſed in ipſo conatu ſcloppeti ictu juvenis concidit, a ſuis in arcem relatus: quem caſum patruus ejus conſtantiſſime tulit, cum diceret, felices exiſtimare ſe illos, qui pro Dei cauſa vitam profunderent, ſatiſque ad ſalutem et gloriam videri vixiſſe, qui animam Deo, quam ei debebant, tam religioſe tamque decore reddidiſſent. Dein alia atque alia ratione fere noſtris damnoſa idem tentatum, equitibus ſingularum nationum, qui ſingulas oppidi et arcis regiones defendendas ſuſceperant, magno mortis contemptu munia interim impigre obeuntibus; ex quibus multi quotidie aſſiduis certaminibus gravia vulnera accipiebant, nonnulli ex aegritudinibus et nimio labore contractis morbis decedebant, ut neceſſe eſſet, novos in locum ſauciorum aut mortuorum ſufficere.

VII. SED Valetae praecipua virtus fuit; qui ad alias imperatorias virtutes, quas toto illo obſidionis tempore plurimas edidit, etiam ſummum mortis contemptum attulit: cumque intellexiſſet, Muſtapham ſolemni ſacramento ſaepius confirmaſſe, ſe, cum oppido potitus eſſet, nullius vitae parciturum, uno Valeta excepto, quem in triumpho ductum ante magnum Imperatorem ſiſtere deſtinaret, frequenti procerum conſeſſu teſtatus eſt, ſi ita caſus ferret, ut luctuoſo exitu res terminaretur, ſe ut laborum fuerit ſic mortis ſocium fore; et, potius gregarii militis ſumpto habitu, ut ignotus in turba pugnans occumberet, in mediam certaminis molem ſe projecturum,

quam

INTERPR. [a] *de Mello Portugais, & Gordes ſergent major.* [b] *de Tolede.* [c] *de Cardinez.* [d] *Robles.* [e] *don Carlo Ruffo.* [f] *la Bormola.*

quam commiſſurum, ut, immanis Barbari beneficio uſus, ſe triumpho ad ipſius gaudium et Solimani gloriam amplificandam reſervaret. Interea continua verberatione LX muralium machinarum Muſtaphas S. Michaelis arcem et oppidum ſimul pulſavit, diverſis partibus, ut Valetam, quem in tanta copiarum paucitate ad omnia ſuffecturum non putabat, ab oppidi defenſione averteret; tantaque id contentione actum, ut nonnulli ſcribant, interdum ex ipſa Sicilia per tantum locorum intervallum fragorem exauditum eſſe.

VIII. JAMQUE aquam, ne deficeret, quod ejus in ea inſula ſumma penuria eſt, Valeta viritim admetiri coeperat; et res admodum in arcto erant, quod celocibus ſubinde per captas occaſiones furtim emiſſis Garſiae demonſtrabatur; et ſeri nimium auxilii, cujus ſpe hactenus obſeſſi ſe ſuſtentaverant, metus hominum mentibus inſidens, ſupra cetera omnia mala angebat; quod, ſi diutius extraheretur, vanum omnino erat futurum. Nec in caſtris quidem hoſtium res ſatis laetae erant; in quibus a re frumentaria laborabatur, tam longinquis ſubvectionibus ac variis de cauſis ſaepius impeditis: ad hoc continuis laboribus coeloque intolerandis caloribus aeſtivis infeſto conflictati Turci vario morborum genere et inprimis alvi profluvio quotidie abſumebantur. Tum, certi auxilii et claſſis C triremium et XL onerariarum navium jam paratae et propediem adventurae fama crebreſcente, anxius Muſtaphas ultra modum animi diſcruciabatur; et, quod unum poterat, omnem operam dabat, ut periculo, quod providebat, diligentia ſua praeverteret. Contra, Garſias magnum magiſtrum promiſſa ſpe jam certiore confirmare, et, ut totum Sextilem, cum jam Julius in exitu eſſet, duraret, hortari: nam veniſſe libera Philippi mandata: ſe vero omnia ſumma facere ac porro facturum, ut copiae, quae a ſe non minore deſiderio Meſſanae quam ab ipſo Melitae exſpectentur, quamprimum conveniant. Tum moram praeteriti temporis excuſat; et, dum claſſis advenerit, Cornuſſonum cum Ordinis ſacri triremibus et delecta manu ſummittit, quibus conventa ſigna edit; ſimul et onerarias, quod impeditioris navigationis eſſent, Syracuſas praemittit. Nec ab indeſinenti verberatione interea ceſſabatur; qua non ſolum moenia et propugnacula ſternebantur, ſed aedificia et interiora arcis et oppidi evertebantur, ut nihil tuti aut quieti, ne intra quidem cubicula aut triclinia, ſupereſſet: neque tamen noſtri propterea animum deſpondebant, aut tot malis frangebantur, quo minus ſeu ſponte ſeu exemplo Valetae, cujus conſtanti et captum humanum exſuperante virtute rem ſtare omnes fatebantur, quae ſui muneris erant pro ſe quiſque impigre obirent: et, quia Turci e parte [a] Caſtellana vulgo dicta muro ſuccedentes a prominenti turri infeſtabantur, foſſam lapidibus complere inſtituunt, quos parietem foſſae muro oppidi adverſum demolientes inde comportabant, cum contra noſtri locum magna contentione purgarent: ſed, praevalente operarum multitudine, quibus Turci abundabant, noſtri purgando loco non ſufficiebant. Jamque Muſtaphas de claſſe noſtra certior per duas triremeis a Piali ſummiſſas, qui extremae eſſe dementiae intelligeret, exſangueis copias et longis laboribus confectas recentibus Chriſtianorum opponere, de obſidione ſolvenda cogitare coeperat: ſed, adverſante Uluzali, res in concilium deducta eſt; et vicit ea ſententia, quae obſidioni haerendum eſſe cenſebat. Igitur, ſemper continuatis operibus, jam in foſſa et moenibus tuto verſabantur, ut cuniculos ſine impedimento agere poſſent. Sed caſus incidit, qui conatus eorum pateſecit, angulo unius ex propugnaculis ſubtus terra excavata procidente, et in ſpecum Andrea [b] Magnatoino Hiſpano ſtrenuo milite cum aliis penetrante, et ita labore plurium dierum inutili reddito. Tandem Muſtaphas, die qui Kalendas Sextil. ſecutus eſt, arcem iterum tentat, impetu facto ad eam partem, quam Carolus Ruffus tuebatur: ſed, gnaviter reſiſtentibus noſtris, poſt multarum horarum certamen, poſtremo repulſi ſunt;

non

INTERPR. [a] *de Caſtillo.* [b] *Munatonez.*

non ſine damno noſtrorum, qui a machinis undique diſploſis inter pugnandum infeſtabantur. Jam foſſa, quae Caſtellanam regionem ſpectat, paene a noſtris purgata, rurſus ruderibus, caementis et alia materia complanata erat: cumque inter levia certamina quatuor dies extracti eſſent, VII Eid. Sextil. Muſtaphas, III CIƆ armatorum, qui oppidum ab ea parte aggrederentur, miſſis, ipſe cum VIII CIƆ ad arcem S. Michaelis vadit. Miſſilibus tantum fere ad oppidum actum. Ad arcem longe atrociſſimum et quale nullum antea certamen fuit, non miſſilibus tantum ſed cominus gladiis et haſtis utrinque re geſta. Crudele inprimis fuit compoſitorum ignium ab utraque parte emiſſorum ſpectaculum; ut totus ille locus, in quo pugnabatur, e longinquo ſpectantibus ardere videretur; miſerabiliſque erat varia peſte pereuntium facies, cum alii igne correpti horribili mortis genere conflagrarent, alii ex alto praecipitati capite illiſo comminuerentur, alii ſcloppetorum ac tormentorum ictibus diſcerperentur, quorum capita ac membra a corpore reſilientia toto aere circumvolare cernebantur. Sed maxime noſtri a machinis ſuperne diſploſis infeſtabantur; quibus animos praeter inſitam virtutem faciebant mulieres, pueri, et ſenio confecti, qui ad partem periculi capeſſendam aderant, metu inevitabilis fati, ſi in Turcorum poteſtatem venirent, naturam vincente: eaeque ad loca, in quibus maxime laborabatur, accurrentes, qua poterant, pugnanteis adjuvabant ſaxis miſſilibus et aqua ad reſtinguenda incendia comportata, et interdum ſe diſcriminibus miſcentes, et ſaxa, ferventem aquam et calidam picem in ſubeuntem hoſtem devolventes. Intererat ipſe Muſtaphas, qui, cum primoribus huc illuc diſcurrens, cedenteis in pugnam redire cogebat; monens et obteſtans, ſi paululum modo conarentur, loco mox potituros; quae res tot exhauſtis laboribus finem eſſet impoſitura. Tandem, cum pugna per quatuor horas ſemper recrudeſcens duraſſet, et jam noſtri viribus magis quam animis deficerent, Valeta de eventu anxio et mirante, Muſtaphas ſuos repente revocat. Cauſa trepide omiſſi proelii, ut poſtea cognitum eſt, haec fuit; quod P. Meſquita civitatis praefectus, cum in ſpecula eſſet, igneis, quos diximus, e longe conſpicatus, cum S. Michaelis arcem conflagrare et a Turcis maxime premi putaret, ut illos a proelio averteret, Joannem [a] Lugnium et Vincentium [b] Venturam cum ſcloppetariorum equitum turma miſerat, qui caſtra hoſtium invadentes in eam partem forte impetum fecere, in qua ſaucii et aegroti erant, quorum magna edita ſtrage tantum tumultum in caſtris excitarunt, ut praetoriani, veriti auxilia Chriſtianorum adveniſſe, Muſtaphae rem renunciandam exiſtimarent; qui monitus, et eadem qua illi ſuſpicione perculſus, ſtatim omiſſa pugna, effuſo curſu ad ſuos rediit. Poſtea, re comperta, indignatus tam trepide intermiſſum certamen, verberationem repetit ad eandem partem: ſed, ducta interius a noſtris foſſa, parum proficiebatur; maxime, poſtquam egregio Franciſci Guevarae commento ſacci ex rudi ac craſſo panno conſuti et terra minute confracta ac cribrata plurimoque humore madefacta infarti ad aggeres firmandos adhibiti ſunt; quibus effectum eſt, ut ab immanis magnitudinis tormentis, quae aggeres craſſitudine XX pedum penetrabant, vallum ſeptem tantum pedes introrſus penetraretur. Cum vero Cornuſſonus cum II triremibus, quas dixi, in conſpectum inſulae veniſſet, et aditus omneis interclusos offendiſſet, non tam ſuorum periculum veritus, quam ne Chriſtianorum conſilia ad hoſtem emanarent, rurſus in Siciliam revertitur, Jo. [c] Bariento Salazario cum ſcapha dimiſſo, qui [d] Gaulum et inde ad civitatem appulit: ubi, accepto a praefecto equitum ac peditum praeſidio, tranſverſis itineribus ſilentio noctis adjutus prope caſtra acceſſit; praeſidioque ſubſiſtere juſſo, ipſe cum quinque equitibus loco commodo latens luce appetente hoſtium caſtra, ſitum, et omnia quae in tali re cognoſcenda erant, contemplatus ad ſuos redit. Interea Garſias, qui incertis cogitationibus ad hunc diem jactatus fuerat, cum jam

INTERPR. [a] *de Lugny* [b] *Ventura.* [c] *Bariento de Salazar.* [d] *le Goze.*

CIↃIↃLXV.
CAROLUS IX.

jam rem differri non poſſe ſed de ea ſtatuendum eſſe intelligeret, rem ad concilium defert. Is a conſilio navalis pugnae, ad quod illum hortabatur Jo. Andreas Auria, ſemper abhorruerat, nec ullis hortatibus aut auctoritate a ſententia deduci poterat, cum ſe in tam praecipitem caſum totam claſſem regiam projecturum negaret; qua amiſſa, omnia regnorum Philippi litora praeſidiis nudata Turcorum incurſionibus expoſita manerent. Itaque, ea cogitatione depoſita, de ope terreſtri via ferenda rationem inire coepit: eamque ob cauſam primorum concilium cogit; cui interfuit inter alios Aſcanius [a] Corneus, e carcere, in quem ſupra conjectum eum diximus, liberatus a pontifice, hoc aegre, et Philippi enixis precibus, dante. Ibi Garſias, cujus cauſa convenerant, demonſtrat; ac, quoniam maritima via et pugna navalis non placeat, reliquam eſſe terreſtrem viam: in eam porro duas deliberationes incidere; alteram eſſe, quaenam ratio ſit expedienda copiarum tuto et furto in inſulam trajiciendarum; alteram, an omnino trajiciendae ſint, ſubſidioque, ac, ſi res ferat, terreſtri certamine, decernendum. Et quidem inter claſſis praefectos, qui primi ſententiam rogati ſunt, conveniebat, copias trajici tuto poſſe; et rei conficiendae expeditam rationem demonſtrabant. Inter terreſtreis duces plus contentionis fuit: nam Alvarus [b] Sandaeus bello dux clarus, ſive quod recens e manibus Turcorum elapſus eorum potentiam reformidaret, ſive ut Garſiae tergiverſationem auctoritate ſua adjuvaret, profectionem diſſuadere auſus eſt; et nec officio nec utilitate obligari Philippum cenſuit, ut manifeſto cum periculo ſuppetias ſacro ordini ferret; his fere rationibus: quod et numero triremium impares eſſent et militum; quippe cum claſſis hoſtilis XXC triremibus conſtaret, et in ea adhuc ad minimum XVI CIↃ bellatorum ſuperarent, noſtra claſſis non plus LX triremium ad ſummum VIII CIↃ militum trajicere poſſet: augere vero iniquitatem virium, quod Turci in ſevera diſciplina educati ad labores et pericula ſubeunda non ſolum fortes ſed obſequioſi eſſent; noſtri contra, aut tirones, aut deliciis et otio enervati, plerumque pugnam detrectarent, vixque viſo hoſte ſigna desererent: proinde, cum omnis auxilii ferendi ſpes interclusa ſit, ad Valetam ſcribendum, ut conſilium ſibi capiat; et, ut olim [c] Rhodo [d] Villerius, ſic ipſe ſuis incolumitatem pactus, ex [e] Melita quam honeſtiſſimis poterit conditionibus diſcedat: qua capta, nec res Philippi funditus everſas, nec ſpem ejus recuperandae, tam vicina Sicilia, praereptam eſſe exiſtimandum ſit. Perorantem Sandaeum excepit Aſcanius Corneus: et contra ſuppetias citra flagitium Melitenſibus denegari non poſſe cenſuit; idque ſine periculo fieri poſſe demonſtravit, ſi, cum in inſulam appulerit claſſis auxiliaris, quod commode fieri poſſe jam nauticae rei periti communi conſenſu affirmarant, et expoſitis ad civitatem copiis, ad oppidum et hoſtium caſtra, quae VIII paſſuum millibus hinc abſunt, ſenſim caſtra promoventes incederent, et, loco quotidie munito confidentes, nullique ſe diſcrimini offerentes, paulatim ad ſuos perveniant: nam tum fore, ut aut Turci, Melitae capiendae ſpe depoſita, claſſem conſcendant, aut, ſi in propoſito perſtiterint, relicta obſidione, vim in Chriſtianas copias vertant; et, quamvis obſidionem non omnino ſolvant, tamen laxatis excubiis recentium ſubſidium intra oppidum accipiendi, et Valetae ac ſuis a laboribus ſe reficiendi, tempus et otium datum iri, dum interim auxiliares nullam pugnandi copiam hoſti facientes vallo ſe continebunt, et commeatu altero trajecturas copias in tuto expectabunt: quibus appulſis, procul dubio, ſi cum Turcis confligendum ſit, non ſolum numero ſed et virtute et commoditate longe ſuperiores futuri ſint. Quam in ſententiam cum omnes inclinarent, Garſias pudore victus ipſe aſſenſit: decretumque eſt, quamprimum Auria copias Etruſcas, quas Chapinus Vitellius conſcribebat, advexiſſet, omni ope obſeſſis ſuppetias ferendas eſſe. Nec multo

INTERPR. [a] *della Cornia.* [b] *di Sande.* [c] *Rhodes.* [d] *de Villiers de l'Iſle-Adam.* [e] *Malte.*

CIƆIƆLXV. CAROLUS IX.

multo poſt Salazarius ex Melita redit; et a Vincentio [a] Anaſtaſio literas ad Corneum affert, quibus ille ſitum inſulae, oppidi formam, naturam, locorum intervalla, et ſtationes ad claſſem appellendam idoneas, ad haec, formam caſtrorum hoſtilium, et cetera, quae in tali re cognoſcenda erant, prolixe ac diligenter perſcribebat. Expectabatur et Jo. Cardona cum claſſis parte, qui [b] Panhormum miſſus fuerat ad onerarias remulco trahendas; et Sanctius Leva, qui [c] Tunetum ad [d] Guletam profectus fuerat, ut inde ſupplementum hominum et apparatus bellicos Melitam deportaret. Interea hoſtes, cum, quae expugnare hactenus fruſtra tentaverant, evertere decreviſſent, partitis copiis, Muſtaphas S. Michaelis arcem, Pialis oppidum vincendum ſortiuntur. Inde accenſa aemulatio inter eos, quod penes illum belli confecti ac victoriae decus futurum videretur, qui primus viciſſet. Itaque omni vi connixi integrata verberatione arcem et oppidum quatiunt: reſque eo acrius geritur, quod ſub id tempus literae a Solimano venere, quibus purpurati Melitam omni ratione in poteſtatem redigere, et, ſi ante hyemem non poſſent, in inſula hyemare, jubebantur. In eam rem IIII CIƆ de remigio detracta armant, et oppugnationem omnibus viribus faciendam pronunciant, praeda militi promiſſa. Igitur ante XV et XIIII Kal. Sept. duabus violentis impreſſionibus oppugnandum oppidum et arcem tripartito aggrediuntur. Ibi utrinque acriter ac diu pugnatum, multis ab utraque parte occiſis. Cumque Valeta ad murum regionis [e] Caſtellanae vehementer laborari accepiſſet, jamque hoſteis in ſummum evaſiſſe, eo accurrit; et, praeſentia ſua facto ſuis gnaviter reſiſtentibus animo, mulieribus in ipſum certamen incredibili audacia irruentibus, Turci repulſi ſunt. Cum vero diurnae oppugnationes non procederent, noctu impetum, cum luna pernox eſſet, faciunt, ſed irrito ſucceſſu, et cum damno dejecti. Mox prima luce certamen redintegrant, non tam locorum potiendorum ſpe, quam ut laſſitudine tandem obſeſſos, cum alia re non poſſent, varia jam peſte abſumptos, expugnarent. Quo factum, ut cautius obſeſſi agerent, et in repellenda hoſtium vi non ſtatim extra munitionem caput proferrent, ne certis ac deſtinatum petentibus ictibus aperti exponerentur. Dum pugnatur, nuncius trepidus ad Valetam venit, perditas res exclamans; nam Turcos ab ea parte, quam dixi, irrupiſſe. Et jam res in arcto erant: verum obſeſſi, praeſentia rurſus Valetae confirmati, alacriores inſurgunt, et Turcos evertunt ac proturbant, [f] [1] Laurentii Vaſconis virtute et audacia diſcuſſo periculo, qui hoſteis pluteum, quo defenſores tegebantur, ligonibus ac malleis ſuffodienteis, cum delectis praecipites dejicit. Ad S. Michaelis arcem cum initio minus acriter pugnatum eſſet, rati hoſtes laſſitudine confectos noſtros minus ad reſiſtendum in poſterum alacres, cum aliquantum ſpatii quieviſſent, mox pugnam repetunt: eademque virtute cum damno repelluntur, Franciſco Guevara, in hac, ut in ceteris oppugnationibus, egregiam operam navante. Is enim pugnae ſe inſerens, et ad loca, in quibus laborabatur, diſcurrens, Chriſti cruci affixi imaginem paſſim circumferebat; addens, ſanguinem, quem Deus pro ipſis fuderat, nunc ab ipſis repetere. Quibus verbis accenſi noſtrorum animi, incertum majore gloriae deſiderio an periculi contemptu, dimicabant; quippe cum res non ſolum miſſilibus, ſcloppetis, ſed gladiis, ac praecipue artificioſis ignibus, utrinque gereretur; verum iniqua Turcorum conditione, qui ex ſuperiore loco a defenſoribus magnopere infeſtabantur: nam ex illis multi igne correpti, horribili mortis genere, ambuſti e pugna diſcedebant. Inſequenti die, nuſquam nocte intermiſſa quaſſatione, denuo vim faciunt; parique qua prius obſeſſorum virtute cum jactura repelluntur. Sed maxime omnium angebat Muſtapham, quod ex transfugis cognoverat, Chriſtianos bono et magno animo eſſe, neque ullius neceſſariae rei inopia premi; ternos enim

INTERPR. [a] *Anaſtagi.* [b] *Palerme.* [c] *Tunis.* [d] *la Goulette.* [e] *le poſte de Caſtille* [f] *Cencio Guaſconi*

NOT. [1] Lege *Vincentii Vaſconis.* C.

enim panes ſingulis ac grandem vini lagenam in die viritim diſtribui: cum contra annona apud ſuos, pulvis item et apparatus bellicus, deficere inciperet, inprimiſque globi; ut emiſſos colligere cogerentur; et in [a] Lotophagitidem vicinam, [b] Graeciam ac Syriam uſque miſſae onerariae ad commeatum portandum tardius adveniebant. Ipſe, qui decreverat in inſula juxta Solimani imperium hybernare, ut transfugia in Siciliam impediret, catena ex immanibus antennis et malis navium contexta portum clauſerat. Interim Garſias, poſt Cardonae et Levae adventum, delectis ex tota claſſe LX triremibus, quibus VIII CIↃ bellatorum portabantur, et, ut ad curſum celeriores eſſent, omnibus impedimentis detractis, [c] Meſſana ſolvens [d] Syracuſas venit; ubi magnum procerum numerum offendit, qui ex omnibus orbis partibus eo convenerant. Ibi cum in concilio ageretur de primario quodam viro [e] Gaulum, ubi primum appellenda erat claſſis, praemittendo, qui cum oppidi praefecto de ſignis conveniret, Jo. Andreas Auria ſe obtulit; et, quamvis Garſias occulta invidia id impedire initio conaretur, quippe qui rem longe minorem eximia illius dignitate eſſe diceret, ad finem tenuit, ut mitteretur. Is, praemiſſo Martinezio, cum interim foeda tempeſtate aliquot dies jactatus eſſet, poſtquam bis conventum ſignum conſpexit, retro ad Garſiam redit; qui e Syracuſarum portu ſolvens IX Kal. Sept. [f] Lenoſam tendebat. Sed, cum in itinere navem a [g] purpuratis in Lotophagitidem miſſam intercepiſſet, adverſa tempeſtate incumbente, cum neque Lenoſam neque [h] Lampadoſam tenere potuiſſet, ad [i] Pantalaream iter flexit; ubi rurſus ventis crebro variantibus, effuſiſſimoque imbre aſſidue decidente, claſſis toto mari ſparſa ac disjecta eſt; quae vero conglobatae naves remanſerant, ſe viciſſim urgentes atque inter ſe incurrentes, roſtra ac proras perfringebant. Tandem, ſedata tempeſtate, claſſis [k] Fagianam tenuit, quae inſula haud longe ab urbe [l] Drepano Siciliae adjacet: ibi dierum aliquot quiete a nauſea et jactatione refecto milite, et fruſtra exſpectato Auria, Lenoſam venit; ubi cum ſigna cum Gaulenſibus conventa cognoviſſet edita, nuncio laetus inſtitutum iter jam ſecurus perſequitur: ſed cum nocte pars claſſis, quam Cardona ducebat, deerraſſet, dum Garſias, pluribus ſcaphis ad hominem indagandum circummiſſis, errabundus diſcurrit, a luce oppreſſus eſt; qua omnia aperiente tandem univerſi convenerunt; ſed ea vice copiarum in inſulam exponendarum commoditate amiſſa, quippe cum ſe a Turcis conſpectos minime dubitarent. Itaque retro Pachynum redeunt; et ad locum [m] Poxalem dictum exſcenſionem faciunt; ubi CIↃ IↃ amplius a ſignis diſceſſerunt. Rurſuſque ex ea occaſione fluctuari animo coepit Garſias, re de integro ad diſputationem revocata. Verum poſt reditum Auriae ab eo confirmatus, et alioqui invidiam veritus, ſi ipſe ſolus tanto omnium ardori defuiſſet, et unanimem procerum conſenſum ac deſiderium in ea neceſſitate fruſtraretur, tandem ad iter ſe accingit, rebus antea conſtitutis et ſcripto editis. Quinque duces praefecti exercitui; [n] Alvarus Sandaeus, qui legioni [o] Neapolitanae, [p] Sanctius Londonius, qui [q] Mediolanenſi, [r] Conſalvus Bracamontius, qui [s] Sardae, Vincentius Vitellius, qui Italicae praeeſſet; Aſcanius [t] Corneus caſtrorum praefectus creatus eſt. Penes eos, pronunciatum, ut ſecundum Garſiam imperium eſſet; idque rectum eſſet, quod major pars cenſuiſſet. Nec ceſſabant interea Turci in opere aſſidui, compluribus ſubterraneis ſpecubus excavatis, eo conſilio, ut cuniculis actis et incenſis, quaſdam oppidi partes ſubverterent: quod ut prohiberent obſeſſi, contrarias foſſas itidem in opere aſſidui ducebant. Jamque ad Caſtellanam regionem hoſtes munitionem altitudine aequam ac proximo muro ſuperextantem ad moenia uſque perduxerant, ejuſque area complanata ac dilatata firmam ſcloppetariorum ſtationem pluteis corio contectis vallatam impoſuerant; unde

INTERPR. [a] *le Gerbo.* [b] *Romelie.* [c] *Meſſine* [d] *Siragoſa.* [e] *le Goze.* [f] *Iſola della Lenoſa.* [g] *les Bachas.* [h] *Lampedoſa.* [i] *Pantalaria.* [k] *Iſola della Favignana.* [l] *Trapani.* [m] *luogo chiamato Pozzallo.* [n] *de Sande* [o] *de Naples.* [p] *Sancho de Londonno.* [q] *de Milan.* [r] *Gonçalo de Bracamonte.* [s] *de Sardaigne.* [t] *della Cornia.*

CIϽIϽLXV.
CAROLUS IX.

unde obſeſſi magnum primo detrimentum accepere: nec defuere, qui ſuaderent, quoniam ultra locus defendi non poſſet, oppidum et S. Michaelis arcem deſerendam, et in S. Angeli arcem confugiendum eſſe. Verum illud conſilium magno et conſtanti animo abominatus Valeta, [a] Claromontio, notae virtutis ac perſpectae audaciae viro, negotium dat, delecta manu ei attributa, et Franciſco Guevara comite adjuncto, ut in munitionem hoſtilem impetum facerent; qui impigre noctu per feneſtram ob id in muro factam egreditur, et in aggerem enixus ſtationem Turcorum loco deturbat, nonnullis obtruncatis; magnoque operarum numero eo adducto locum munit, et valido praeſidio firmat. Quo facto, Turci, qui viderent peſtem eam, quam Chriſtianis excitato aggere machinati fuerant, in ſe ipſos vertiſſe, cum omnem ſpem oppidi a regionis Caſtellanae parte potiendi depoſuiſſent, pridie Kalend. Sept. ad inferiores oppidi partes oppugnationem transferunt; tantaque celeritate uſi ſunt, ut, priuſquam noſtri cuniculos agere potuerint, quibus hoſtem moenibus ſuccedentem ſubverterent, praeſurnia ad ipſa pervenerint, raptiſque nonnullis cadis pulvere oppletis ſe in tutum receperint. Eodem die impetu ad S. Michaelis arcem facto, Turci poſt longum certamen itidem cum damno repulſi ſunt, quamvis decuſſo munimento oppoſito ſimplex tantum tabulatum remanſiſſet. Mox ſuperveniente imbre, cum noſtri receſſiſſent, hoſtis, ratus eos ſtationes deſeruiſſe, denuo impetum facit: ſed praeter ſpem, frequentibus ad ruinam defenſoribus accurrentibus, etiam cum damno inde expulſus eſt. Ita cum vi aperta toties repetita, aſtu etiam ac variis belli commentis, infeliciter oppugnationem tentaſſet Muſtaphas, ad civitatem vim convertere ſtatuit; ad quam cum delecta manu cum veniſſet, eruptione valida et crebris tormentorum ictibus exceptus, haud minorem in ejus quam in oppidi oppugnatione molem eſſe intellexit. Cum vero in hoſtium caſtris fremerent milites, quaſi ſedentibus ad ſpectaculum ducibus ipſi tanquam vilia ac deſpecta capita Chriſtianis trucidandi objicerentur, Muſtaphas in ipſa foſſae ora ante arcem tentorium ſtatuit; atque ibi, proceribus in concilium adhibitis, cum capita contuliſſet, [b] Aſanes Algeriae proſultanus ſe principem in murum conſcenſurum, et ſigna Turcica in muro fixurum, profeſſus eſt: et ita tumultuantis jam militis querelae quadantenus ſedatae ſunt. Noſtri quoque, cum laſſitudine potius quam animis deficere viderentur, non parum confirmati ſunt, evulgato Franciſcani monachi ſpectro et coeleſti oraculo, quod vir ille pius poſt longa jejunia ac continuas preces inaudiviſſe ſe affirmabat; Divinum ſcilicet Numen exoratum Melitam ac ſacrum ordinem ſervaturum. Cumque Turci ſubterraneos ſpecus aſſiduis operibus fodiſſent, et longe introrſus oppidum multis in partibus penetraſſent, noſtri contrarios cuniculos agunt; quibus ineunte Septembri indito igne, Turci, ſolo, in quo ſtabant, everſo, in ſublime rapti diſcerpuntur. Diverſa parte, ad S. Michaelis arcem cum tota propugnacula fere occupaſſent, ita ut locis ſubtus excavatis tecti conſiſterent, et, muro jam cum ipſorum aggeribus conjuncto, tantum tabulati craſſitudine obſeſſi ab hoſte defenderentur, illud etiam uncis, quibus praelongas haſtas praefixerant, apprehenſum revellere, et aliis rurſus haſtis cuſpide falcibus haud abſimili apprehenſas noſtrorum haſtas perfringere; nitebantur; ſed irrito ſucceſſu, praevalente adverſus Turcorum pertinaciam invicta Chriſtianorum virtute. Nec ulla ſpes alia purpuratis ſuperabat, quam ut, quos vi et aſtu vincere hactenus non potuerant, tandem fame expugnarent. Interea Garſias Syracuſano portu ſolvens ac Siciliae litota legens promontorium [c] Saccae tenuit, et ſecundiſſimis ventis flantibus in Melitae conſpectum venit, verſus [d] Gaulum itinere directo; ex qua primis intendentibus tenebris accepto ſigno movit, et laetus fretum ingreditur, in quo Turcicas XL. triremes eo die fuiſſe, ac ſole in occaſum inclinato diſceſſiſſe, cognovit. Ibi a periculo ſecurior lucem opperiri ſtatuit ad exponendas copias. Itaque prima

INTERPR. [a] *de Clermont.* [b] *Haſſan, dey d'Alger.* [c] *Capo di Sciacco.* [d] *le Goze.*

prima luce, quae fuit VII Eid. Sept. freto trajecto, ad illud litus Melitae, e regione CIↃIↃLXV.
[a] Comini exiguae inſulae, quod vulgo [b] Melegae promontorium dicitur, claſſem ap- CAROLUS IX.
pellit; et, cum minus IIII horarum ſpatio ſuos expoſuiſſet, qui ad VI CIↃ redacti
erant, magna tormentorum vi diſploſa, qua adventus ſubſidii Valetae ſignificabatur,
Siciliam ad ſecundum commeatum accipiendum repetit. Jam enim copiae in [c] Um-
bria conſcriptae [d] Caietam convenerant, et inde propediem [e] Meſſanae expectaban-
tur. Interea duces ad civitatem, quae VIII millibus paſſuum aberat, compoſito ag-
mine tendunt; ſed tardo admodum inceſſu, quippe jumentis deficientibus et onuſto
milite, ut tantum tria milliaria eo die confecerint. Inde tertiis, nec citius, caſtris,
ad urbem venerunt; et loco idoneo a [f] Corneo ante capto conſidunt, cujus frons ar-
dui aſcenſus clivo, latera duo ipſa urbe et ſubjecto coenobio claudebantur. Ibi a
Valeta literas accipiunt, quibus ſignificabat, Turcos cognito ipſorum adventu abſtu-
liſſe tentoria, et vaſis conclamatis militem in claſſem impoſuiſſe. Itaque, cum tridui
ibi ſpatio ſe refeciſſent, rurſus trepidus nuncius ab obſeſſis venit, Turcos mutato
conſilio rurſus exſcenſionem feciſſe, et cum Chriſtianis confligere ſtatuiſſe, moxque
brevi affuturos. Cauſa mutati conſilii fuerat, quod Muſtaphas, cum ex transfuga
[g] Granatenſi cognoviſſet, exiguas trajectas copias, ſed Garſiam Siciliam repetiſſe, et
majores, quae praeſto venturae ſint, ſecundo commeatu portaturum, praevertendum
ratus, aſſentiente Aſane Algeriano, fortunam periclitari decreverat; dum diceret,
non ſolum ſibi dedecoroſum, ſed etiam fraudi apud Solimanum futurum, ſi ipſi ad
primum Chriſtianorum ſtrepitum tanquam examen apum perterriti ſubito evolaviſ-
ſent: quamvis contra ſentiret Pialis; qui, flore ac robore exercitus amiſſo, imbel-
leis ceteros aut laboribus confectos cum delectis ac recentibus committere periculo-
ſum dicebat. Verum is, duorum conſenſu victus, dum Muſtaphas terreſtri itinere ad
noſtros vaderet, claſſis ad [h] S. Pauli ſtationem appellendae negotium ſibi ſumpſit. No-
ſtri vero protinus ſuos in aciem educunt: et Corneus quidem intra caſtra ut ſe conti-
nerent cenſebat; at Sandaeus, qui principem locum inter duces obtinebat, ut me-
moriam, puto, conſilii de non tentanda expeditione obliteraret, et Corneo aemulo
obtrectaret, ſpreto Cornei conſilio, cum Chapino Vitellio in planitiem deſcendit;
et, quamvis fateretur ſuperiorem locum, quem tuendum cenſebat Corneus, tutio-
rem eſſe, tamen nunquam Turcos eo ſubituros affirmabat; atque ita occaſionem egre-
giae ac certae adverſus imbelleis, et praeteritis malis jam victos, victoriae e manibus
ereptum iri. Cum contra diceret Corneus, et Deum atque hominum fidem obteſta-
retur, ſi quid cladis acceptum eſſet, non penes ſe ſed ipſos culpam fore, ardore mi-
litum victus et ipſe in planitiem deſcendit. Jamque Turci apparere coeperant; ſed
colle proximo, ad quem occupandum flexo itinere contendebant, a noſtris duce Cha-
pino dejecti. Cum terga cedentes ad ſuos uſque compulſi eſſent, Muſtaphas de even-
tu veritus ſtatim litus repetit; atque in itinere, cum ab amenti trepidatione neque
animus neque ſenſus homini conſtaret, bis equo decidiſſe dicitur. Dum recipiunt ſe
Turci, fugientibus quam pugnantibus magis ſimiles, plerique inter conſcendendum a
noſtris inſequentibus caeſi, multi nando, aut ſcaphis nimio pondere demerſis, undis
hauſti, foedius quam in ipſa pugna perierunt, Chriſtianis crebra tormentorum ab ho-
ſtili claſſe diſploſione vix ab inſequendo et caedendo repreſſis.

IX. IN ea fuga II CIↃ Turcorum deſiderata, ut ex transfugis poſtea cognitum eſt:
ex noſtris non plus quam XIII. Nuſquam majore vi a potentiſſimi imperii copiis
omni re inſtructis oppugnatio facta, nuſquam majore defenſorum virtute repulſa fuit.
Admirationi in primis fuit immanium tormentorum ab hoſtibus relictorum ſpecies:
nam quaedam ex iis globos lapideos CCC pondo, alia globos ferreos LX, alia denique
XXC

INTERPR. [a] *Comine.* [b] *punta della Meleza.* [c] *la Romagna.* [d] *Gaeta.* [e] *Meſſine.* [f] *Aſcanio della Cornia.* [g] *de Grenada.* [h] *Calla di San Paolo*

xxc torquebant: et inita exacta ratione amplius LX millia emiſſionum a curioſis numerata ſunt. Omnino in illa obſidione maxime omnium memorabili, quae IIII menſeis continuos duravit, ſingularibus libris ab [a] Hierooymo comite Alexandrino, Uberto [b] Folieta, Coelio Secundo Curione, Petro [c] Salazario, et omnium copioſiſſime ab Ant. Franciſco [d] Cirneo, et ex noſtris a Claudio [e] Grangaeo deſcripta, ex Turcis perierunt XX CIƆ; quorum XII CIƆ bellatores fuerunt, cetera turba remiges ac nautae: ex Chriſtianis in arcibus [f] S. Hermetis, Michaelis, et in oppido, IX CIƆ omnis ſexus et aetatis vario mortis genere abſumpta ſunt; in quibus fuerunt amplius III CIƆ bellatorum: ut de omni numero, cum obſidio ſoluta eſt, IƆ C tantum bellatores, equeſtris etiam ordinis viris, ex quibus CCLX in ea occiſi ſunt, connumeratis, ſuperfuerint. His acceſſit foeda oppidi facies, moenibus proſtratis, oppidoque ipſo in circuitu paſſim ſuffoſſo, omnibus intra oppidum dirutis atque quaſſatis aedificiis, ut non effigies oppidi ab interitu ſervati, ſed capti ac deſtructi ab hoſtibus et poſt direptionem relicti, videretur. Inde duces ad Valetam adeunt: a quo honorifice ſalutato viciſſim peramanter accipiuntur, effuſis utrinque inter complexus lachrimis, ſive ex recenti triſtium caſuum et tot fortiſſimorum virorum nuper amiſſorum memoria, ſive ex ſecura tot laborum exantlatorum recordatione et inſperato praeſenti gaudio, obortis; et poſt gratias magna verborum honorificentia actas dimittuntur. Hoſtes, trepida fuga conſcenſis navibus, recta in Graeciam curſum direxere, circa Siciliae litora e portu Syracuſano a Garſia conſpecti; qui, ex eo et literis Valetae certior factus, obſidionem ſolutam eſſe, ſecundi commeatus trajiciendi labore levatus eſt. Ad eum venerant ex noſtris, poſt [g] Baionae ſpectacula et nocturnas pompas damnoſis ſumptibus celebratas, Philippus [h] Strozzius Petri equitum tribuni filius, Timoleoo [i] Coſſaeus Briſſaci equitum tribuni item filius, Rogerius [k] Sanlarius Bellogardius, [α] Petrus [l] Burdellius Brantolmienſis, [m] Hardoinus Villerius [β] Riverius, et ante eos Renatus [n] Voerus Palmii vicecomes Turonum praefectus; qui ſerius profecti, a Garſia tamen peramanter excepti et honorifice appellati ſunt. Garſias inde, ne nihil egiſſe videretur, L triremeis ex omni numero deligit, et in iis VII Coſmi Florentinorum ducis, quae expeditiores viſae ſunt; in quas impoſitis delectis Hiſpanis, et adducto ſecum Chapino Vitellio, ad perſequendam claſſem hoſtilem orientem verſus vela facit; et in Cithaeronis inſula aliquandiu in anchoris ſtetit, occaſionem opperiens, ſi forte ſecuri Turci claſſem dividerent: ſed juſto ſerius excurſione facta, fruſtra fuit; jamque exeunte Septembri, retro Meſſanam, nullo operae pretio facto, reverſus eſt. Felix ac praeter ſpem ſolutae obſidionis exitus cum noo mediocri invidia oneraret Garſiam ob miſſa ſerius auxilia, quamvis nihil ille Philippi injuſſu feciſſet, tamen prudentiſſimus rex, ut omnem rei ſuſpicionem a ſe moveret, alienum ſemper ab eo tempore animum a Garſia prae ſe tulit; quem a Sicilia et omni publica adminiſtratione remotum in aedibus ſuis privatim Neapoli conſeneſcere paſſus eſt. Fama de Turcorum diſceſſo paſſim per Italiam ſparſa, gratiae Deo actae et ſupplicationes decretae; Romae in primis, obi in publicae laetitiae ſignum ignes vario artificio per noctem accenſi ſunt.

X. RELIQUUM anni nuptialibus feſtis impenſum eſt. Nam Alexander [o] Farneſius, Octavii Parmenſis et Margaritae Philippi ſororis filius, avunculi beneficio [p] Mariam Luſitanam proxima cognatione cum ipſo conjunctam uxorem duxit [q] Bruxellis; quo nuper cum [r] Lamorallo Ecmondano ex Hiſpania, ubi longo tempore in aula manſerat, et P. Erneſto comite Mansfeldio, ad matrem venerat. Barbara et Joanna Caeſaris ſorores ſuperiore anno Alfonſo Ferrariae duci et Franciſco Florentinorum principi

VAR. LECT. [α] Petrus Burdellius Brantolmienſis *deſunt* D. f. o. [β] Riparius *D.* f. o.

INTERPR. [a] *il conte Girolamo Aleſſandrino.* [b] *Foglieta.* [c] *de Salazar.* [d] *Cirni* [e] *de la Grange.* [f] *S. Elme & S. Michel.* [g] *Bayonne.* [h] *Strozzi, fils du mareſchal de Strozzi.* [i] *de Coſſé, fils ainé du mareſchal de Briſſac.* [k] *de S Lary, ſieur de Bellegarde.* [l] *de Bourdeilles, ſieur de Brantoſme.* [m] *Hardouin de Villers, ſieur de la Riviere.* [n] *de Voyer, vicomte de Paulmy, bailli de Touraine* [o] *da Farneſe, fils d'Octavio duc de Parme.* [p] *Marie de Portugal.* [q] *Bruxelles.* [r] *Lamoral, comte d'Egmond.*

principi deſponſatae fuerant. Franciſcus igitur, jam anno luctus exacto, ad Caeſarem mittit [a] Clementem Petrae comitem, ut matrimonium jam conventum cum Joanna ipſius ſorore tandem peragerctur; qui et Ferdinandum et Carolum Joannae fratres adiit, et principis nomine, ut Florentiam uſque venire et ſororis nuptias praeſentia ſua honeſtare dignarentur, rogavit: verum illi ſe excuſaverunt, quod eo tempore longius a finibus ſuis citra periculum abeſſe non poſſent. Inde Cracoviam uſque in Poloniam perrexit, ut Catharinam Sigiſmundi uxorem et Joannae ſororem viſeret: cumque Sigiſmundus abeſſet, et in Lithuaniam ad res contra Moſcum ordinandas profectus eſſet, Vilnam uſque excurrit, eodem officio apud eum defunctus. Miſſus et Joannes Paulus [b] Caſtellii comes ad [c] Baioariae et ad Cliviae duces, qui ambo geminas Joannae ſorores in matrimonio habebant: et is quidem a Baioaro impetravit, ut Ferdinandus filius in Italiam veniret, et nuptiarum celebrationi intereſſet. Secundum haec Franciſcus ipſe in Germaniam magno comitatu profectus eſt, Joanna ſponſa in itinere [d] Oeniponte ſalutata: inde Viennam ad Caeſarem contendit; a quo honorifice exceptus, ac dimiſſus, per [e] Pragam, ubi Ferdinandus hyemabat, iter habuit; unde mox ſumma celeritate domum reverſus eſt. Convenerat, ut eodem tempore Barbara et Joanna in finibus Italiae [f] Tridenti ſiſterentur, et eo uſque Caeſaris ſumptibus, dein ſponſorum impenſa, domum utraque deduceretur. Eae perhonorifice a Chriſtophoro Madrucio cardinali Tridenti, cujus civitatis ipſe epiſcopus erat, homine liberali ac ſupra privatum ſplendido, exceptae ſunt; quo cardinalis [g] Vercellenſis, et mox Borromaeus per Italiam omnem legatus, nomine pontificis venere: et Barbara quidem in manus Aloiſii [h] Ateſtini cardinalis Ferrariae ducis fratris conſignata eſt, Joanna Paulo Jordano Urſinae familiae principi et Coſmi genero tradita. Inde ambae, Ferrariam illa, haec Florentiam, ſumma pompa et comitatu deductae; ubi ſumma magnificentia utriuſque nuptiae poſtea celebratae ſunt.

XI. SED publicam eam laetitiam nonnihil turbavit ſubitus de pontificis morbo nuncius; qui Borromaeum, ab avunculo Franciſci nuptiis intereſſe juſſum, ex via Romam revocavit. Is in tempore avunculo adfuit; qui tamen ex morbo, ex vita intemperanter acta contracto, tandem octavo aegritudinis die deceſſit V Eid. Dec. cum annos LXVI, menſes VIII, et dies IX exegiſſet; pontificatum tenuiſſet annos V, menſes XI, dies XV. Corpus ejus baſilicae Vaticanae illatum et lateritio ad tempus ſolio conditum fuit. Eo pontifice, Italiae pax, urbi et provinciis ejus ditioni ſubditis quies, rerum ad vitam neceſſariarum copia, publica incommoda vel pauca vel nulla fuere. Moribus variis: Quamdiu privatus vel ſub pontificibus in prioribus magiſtratibus vixit, egregius fama vitaque habitus eſt: mox creatus pontifex, magiſtratu mores prodente, mutavit; et in concilii quidem celebratione qualem ſe praebuerit ſupra demonſtravimus. Eo abſoluto, omni metu ac ſolicitudine ſolutus, ingenio ſuo libere utens, in multa, quae non ita ab omnibus probabantur, prorupit; palam iracundus, occulte invidus, ad audiendum impatiens ac difficilis, in reſponſis acerbus, dominandi cupidus; vafer et ſummus diſſimulandi artifex, cum tamen ſimplex et hebetior haberi vellet; natura timidus, promptus tamen ad occultandam audaciae ſpecie formidinem; parum beneficiorum memor, pecuniae avidus, et ad eam undique corradendam vel cum aliena injuria attentus; in ſervanda parum cautus, ut quo pontifice ſeſtertiorum bis millies hauſtum ſit; quorum tamen major pars in opera publica ac fabricas expenſa eſt: in victu cibi vinique profuſus, et in voluptates pronus; quae ei ſupremum diem acceleraſſe creduntur. Sororum filiis nimium indulſit: et, cum ſub tempus carnis-privii illius anni Hannibalem Altempſium cum cardinalis Borromaei ſorore matrimonio junxiſſet, dote non perſoluta, tunc in extremis agens C aureorum CIↃ, ſi tamen ſe mori contigiſſet, donavit: quae ſumma poſtea ab ejus ſucceſſore ad dimidiam

INTERPR. [a] *il conte Clemente Pietra.* [b] *Caſtelli.* [c] *les ducs de Baviere & de Cleves.* [d] *Inſpruck.* [e] *Prague.* [f] *Trente.* [g] *de Vercel.* [h] *d'Eſte.*

CIↃIↃLXV. CAROLUS IX.

diam redacta eſt. Cum fratre Auguſto Meleniani marchione, cui ex privatis odiis infeſtus erat, poſt pontificatum adeptum nunquam reconciliari voluit; cum is unus eſſet, in quo homo ad vanitatem gloriae cupidus decus familiae renovare ac firmare poſſet.

XII. Hoc anno ſodalitium [a] equitum S. Lazari Hieroſolymitani, quod origine antiquiſſimum paulatim obſoleverat ac plane jacebat, a Pio IIII excitatum, multis ampliſſimiſque privilegiis, honoribus, immunitatibus, ad inſtar aliarum militiarum, ab eo ornatum ac donatum eſt, diplomate ea de re facto IIII Non. Maias; quod poſtea Pius V altero pontificatus ſui anno conſtitutione VII Kal. Febr. et altera III Eid. Sextil. partim revocavit, partim moderatus eſt. Hujus initia repetunt a temporibus Baſilii magni et Damaſi I, circa annum Chriſti CCCLXIII, cum Julianus imperio praeeſſet; et ejus antiquitatis fidem facere aiunt tot ptochotrophia et noſocomia Lazari nomine per orbem Chriſtianum ſparſa: ſed, prima inſtitutione per barbarorum incurſiones et injuria temporis collapſa, Innocentius III et Honorius III circa annum Chriſti CIↃ CC ejus patrocinium ſuſcepere; et poſtea Gregorius IX et Innocentius IIII privilegia multa conceſſere, et creandi magiſtri ordinis novam formam praeſcripſere: quae omnia Alexander IIII ſumma liberalitate confirmavit: et, cum Fridericus [b] Ahenobarbus multas eis poſſeſſiones in Calabria, Apulia, ac Sicilia atttribuiſſet, eas poſtea pontificum Nicolai III, Clementis IIII, Joannis XXII, Gregorii X, Urbani VI, Pauli II, Leonis X permiſſu retinuerunt, et magna acceſſione locupletaverunt; ſed intermortua ejus in pleriſque dignitate; quam Pius IIII ei reſtituit, [c] Joannoto Caſtellionaco magno ordinis magiſtro creato. Poſtea, cum ille Vercellis anno hujus ſaeculi LXII deceſſiſſet, Gregorius XIII, quo majorem huic militiae dignitatem conciliaret, ejus principatum in Emmanuelem Philibertum [d] Sabaudiae ducem contulit; qui anno ſequenti, equitum conventu [e] Nicaeam indicto, eos ſacramento ſolemni tanquam magnus magiſter in fidem adegit, et novas decorando ordini leges ac ritus pontificis auctoritate confirmatos condidit, conjunctis ac confuſis in unum S. Mauritii, a quo Sabaudiae duces genus repetunt, et Lazari ordinibus, qui antea diſtincti erant; et duo praeterea hoſpitia, unum Nicaeae, alterum [f] Auguſtae Taurinorum, eis attribuit. [α] Idem apud nos ſodalitium ab initio inſtitutum fuit; quod cum omni ope enixi eſſent S. Joannis Hieroſolymitani equites aemuli, ut antiquarent, tandem, pontifice Innocentio VIII, tenuerunt, ut omnino extingueretur, et Hieroſolymitano confunderetur, diplomate ea de re anno CIↃ CCCCXC condito; quod a Joannitis diu ſuppreſſum cum ad notitiam S. Lazari equitum perveniſſet, ab eo tanquam abuſive decreto appellatum fuit ad ſenatum Pariſienſem anno CIↃ IↃ XLIIII; in quo, cauſa agitata, [g] Aegidio Magiſtro fiſci patrono perorante, ſecundum appellanteis pronunciatum fuit; et revocato pontificio diplomate decretum, ut Joannitarum et Lazarinorum equitum ſodalitia deinceps diſtincta et ſeparata eſſent. Ab eo tempore, quod illi aperte non potuerant, aſtu aggreſſi, nihil non fecerunt, ut ſodalitium Lazarinum, ſi non omnino abolerent, ſaltem ejus memoriam paulatim obſcurarent, principatu ejus penes ſe ſemper retento, uſque ad Aematum [h] Caſtum, virum natalibus clarum, ſed fide et virtute clariorem; qui, quanquam Melitenſis eques, militiam Lazarinorum, cujus princeps erat, inſtaurare in animum induxit; et, S. C. Pariſienſis auctoritatem ſecutus, bona patrimonialia, a deceſſoribus ſuis fere dilapidata, ab injuſtis poſſeſſoribus, quantum in ipſo fuit, avocare inſtitit: quo in laudabili coepto cum defeciſſet, in ejus locum ſuffectus eſt Philibertus [i] Nereſtanus, vir modeſtia et fortitudine praeſtans, cui militia haec priſtinum decus ſuum reſtitutum olim debitura eſt.

XIII. MULTORUM

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Lazarinorum equitum extinctione et reſtitutione, uſque ad* Multorum tane, 18 *lineae, deſunt* D. f. o.

INTERPR. [a] *les chevaliers de S. Lazare.* [b] *Barbaroſſa.* [c] *Janot de Chaſtillon.* [d] *Savoye.* [e] *Nizza.* [f] *Turin.* [g] *Gilles le Maitre.* [h] *le commandeur de Chaſtes.* [i] *de Nereſtan.*

XIII. Multorum ſane bello ac pace clarorum virorum mortibus fuit hic annus inſignis. CIↃIↃLXV. Nam apud nos [1] Joannes [a] Tuttavilla Villabonius in Normaniae præfectura [b] Bullionii ducis legatus, natalium ſplendore illuſtris, jam ſenio confectus, deceſſit; Carolus IX. cum ei paulo ante Franciſcus [c] Deſpeus Vetuſvilla equitum tribunus [d] Rotomagi, rixa ex verborum acerbitate forte exorta, quod minus ſe reverenter pro dignitate, quam obtinebat, ab ipſo habitum indignaretur, ſtricto repente gladio brachium abſcidiſſet: quae injuria inani brachii abſciſſi per plateas traducti et honorifice tumulati pompa, nec alia praeterea ſatisfactione, homini vano reſarcita eſt. Nec multo poſt Philibertus [e] Marſilius Sipetra, regis pueritiae moderator, homo probus et virtute militari clarus, cui nihil antiquius regis incolumitate ac patriae tranquillitate erat, morbo ſe lethali urgeri ſentiens, commeatum ab alumno petiit, ut ad [f] Tungrenſeis aquas valetudinis cauſa proficiſceretur, monita prius regina, ut, ſi regnum ſalvum cuperet, operam daret, ut Guiſiani et Colinii reconciliarentur: nam factiones in regno ab his duabus familiis foveri, earumque diſſidia occaſionem inteſtinis motibus praebere. Inde cum [g] Leodicum in Eburonibus veniſſet, morbo oppreſſus, antequam aquis uti poſſet, exeunte Septembri deceſſit. Menſe ſequenti ſecutus eſt eum Carolus Borbonius [h] Rupiſurionius, Monpenſerii frater junior, princeps manſuetudine et aequitate inſignis. Is poſt Baionae ſpectacula, quibus interfuit, [i] Belloprατum in Andibus redierat; ubi febre violenta correptus optime meritam de patria animam Deo reddidit, et in vicino [k] Belli-fontis coenobio ſepultus eſt, nullis relictis liberis: nam unicus ejus filius ante quinquennium miſerabili caſu [l] Aureliani perierat, ut ſuo loco diximus. In Germania eodem menſe Joannes Fridericus, Joannis Friderici Saxonis, a ſuis Conſtantis dicti, quondam ſeptemviri, filius natu minimus, adverſa valetudine ſemper conflictatus, tandem [m] Jenae deceſſit, cum XXVII annum attigiſſet. Corpus ejus [n] Winariam deportatum et curante Jo. Willelmo fratre in majorum monumento conditum eſt. Pridie Eid. Dec. Joannes [o] Ranzovius, antiquae nobilitatis eques [p] Holſatus, longinquis peregrinationibus, et continuis ſub III Daniae regibus pro republica bello et pace exantlatis laboribus, et nuper bello [q] Thietmarſico feliciter confecto clarus, in patria obiit, cum annos LXXIII exegiſſet, Henrico et Paulo filiis gloriae ac virtutis paternae heredibus relictis. Quo eodem die Joachimus [r] Nehauſenus, velleris aurei eques et Bohemiae cancellarius, magnis et honorificis muneribus ſub Ferdinando et Maximiliano defunctus, Proteſtantium hoſtis acerrimus, cum petito commeatu mane ciſium conſcendiſſet, dum [s] Viennae pontem tranſit, rupto pontis jugo, cum ciſio et equis in Danubium deplorando caſu praecipitatus ac ſubmerſus eſt, ciſiario uno enatante et ſex equitibus qui eum comitabantur ſalvis. Nec multum mitiore fato extinctus eſt ante eum pridie Nonas Maii eodem anno Georgius Sigiſmundus [ſ] Seldius, cujus ſaepius mentionem fecimus, Caroli V et Ferdinandi vicecancellarius, dum ex praedio Viennam rediret, ciſio, in quo cum Joanne Ulrico [t] Zazio vehebatur, tum forte pſalmis legendis intentus, inter eundum excuſſus, et capite ad ſaxum illiſo lethaliter vulneratus. Extremo deio anno Joannes [u] Ungnadius Sonnekius, vir et natalium ſplendore et [α] induſtria propria clarus, jam aetate gravis, fatis conceſſit in [v] Wintricia Sueviae arce; et inde [w] Tubingam tranſlatus, atque jubente Chriſtophoro [x] Wirtembergico prope Ulrici parentis ſepulchrum conditus.

VAR. LECT. [α] virtute propria *D. f.*

INTERPR. [a] *d'Eſtouteville, ſieur de Villebon, lieutenant general pour le Roy en Normandie.* [b] *le duc de Bouillon.* [c] *de Scepeaux, mareſchal de Vielleville.* [d] *Rouen.* [e] *de Marcilly, ſieur de Cipierre.* [f] *les eaux de Spa.* [g] *Liege.* [h] *le prince de la Roche ſur Yon.* [i] *Beaupreau en Anjou.* [k] *Bellefontaine.* [l] *Orleans.* [m] *Jena.* [n] *Weimar.* [o] *de Rantzow.* [p] *d'Holſtein.* [q] *de Dietmarſen.* [r] *Newhauſer.* [s] *Vienne en Auſtriche.* [ſ] *Selden.* [t] *Zazius.* [u] *Ungnad de Sonnek.* [v] *Wintrix en Souabe.* [w] *Tubingen.* [x] *le duc de Wirtemberg.*

NOT. [1] Le P. Anſelme dit qu'il mourut à Rouen le Samedy 18 Aouſt 1568. Hiſt. Geneal. Vol. 2. p. 1569. *C.*

conditus. Is, cum antea Stiriae et Carinthiae ſub Ferdinando praefuiſſet, religionis cauſa patriam reliquit; et, oblato a Chriſtophoro Wirtembergico hoſpitio uſus, aliquandiu [a] Uraci ſubſtitit: ubi, cum incredibili propagandae religionis deſiderio arderet, immenſis quoque ſumptibus biblia ſacra et theologorum aliquot ſcripta in linguam Turcicam et Croaticam converti et ad geotes illarum linguarum peritas transferri curavit; laudabili ſane, et digno quod ad poſteritatem tranſmittatur, pietatis exemplo, quodque principes et qui majoribus opibus ſubnixi ſunt deinceps imitentur. In Lithuania vero v Kal. Jun. mortalitatem exuit Nicolaus [b] Radevillus, Olicae dux et palatinus Vilnenſis, Sigiſmundi Auguſti perfamiliaris, ut qui Barbaram Radevilli patruelem uxorem ſecundam duxerit; vir ingenio ac virtute excellens, cujus ſolertiae debetur Livonia Polonici juris effecta, ſicuti ſupra demonſtravimus. Hic Proteſtantium doctrinam amplexus, Vilnae in Lithuania in aula ſua fano Joannis oppoſita conventus ſacros primus habuit, et propriis ſumptibus ſacra biblia ex Hebraicis ac Graecis fontibus tranſlata [c] Sarmatis ſuis lingua populari dedit: moriens liberos quatuor reliquit; Chriſtophorum titulorum heredem, Georgium, qui poſtea in cardinalium collegium cooptatus, Albertum, qui Annam Gotardi [d] Curlandiae ducis filiam in uxorem habuit, ut accepti a patre beneficii gratia filio rependeretur, et Staniſlaum; qui omnes, abjecta patris religione, majorum ſacra ſecuti ſunt.

XIV. Nec minus hominibus literarum doctrina claris hic annus funeſtus fuit. Nam Alexander [e] Aleſius Scotus, magni inter ſuos nominis theologus, [f] Lipſiae, in qua xx annos docuerat, xvi Kal. April. deceſſit: et poſt eum Joannes [g] Matheſius Roclicienſis Nonis Octobr. qui in valle [h] Joachimica diu docuit, regione metallis foeta: et ex ea occaſione de foſſilium natura multa lingua Germanica ſcripſit: cum vero mane concionem de filio viduae in vitam a morte revocato habuiſſet, et in futura vita ſingulos pios parentibus ſuis et amicis reſtitutum iri et ſe mutuo agnituros Lutheri exemplo docuiſſet, tribus poſt concionem horis pari fere cum Luthero morte ereptus eſt, haud ita ſenex, quippe qui vix li annum exceſſiſſet. Eo ſenior atque adeo octogenarius Jo. Langius, [i] Leobergae in Sileſia natus, medicinae artis praeſtantiſſimus, quam et doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, Heidelbergae, ubi apud Palatinos ſeptemviros diu principem locum tenuit, xi Kal. Quintil. obiit. Extremum tandem annum clauſit Conradi [k] Geſneri Tigurini mors omnibus ſaeculis deploranda, et eo magis, quod vix annum aetatis xlix attigerat; viri longiſſima vita digniſſimi, et quam exegiſſe videbitur iis, qui aetatem ejus ex librorum, quos plurimos ac utiliſſimos confecit, induſtria ſua illuſtravit et edidit, non ex annorum, quos vixit, numero metientur. Is primum ſtudiorum tirocinium in Gallia [l] Lutetiae Pariſiorum et Avarici Biturigum fecit: inde in omni literarum genere excellens, et linguae Latinae ac Graecae peritiſſimus, peragrata Italia, in patriam rediit, ubi medicinam fecit, et philoſophiam publico ſtipendio profeſſus eſt; cujus eam praecipue partem, quae hiſtoriam naturalem ſpectat, copioſiſſimis ſcriptis explicavit: antiquorum quoque complura monumenta praecipue theologorum primus in lucem edidit. His acceſſit praeter doctrinam, quae in eo eximia fuit, incredibile juvandae reipublicae literariae ſtudium, quo uſque ad ultimum vitae ſpiritum flagravit, cum lue peſtifera correptus, jam viribus linquentibus, ad ordinandam non rem domeſticam ſed ſupellectilem librariam e lecto ſurgeret, ut, quae vivus publicare non potuerat, ita diſponeret, ut poſt mortem ejus ad reipublicae utilitatem edi poſſent. Huic ſtudio, abjecta omni alia, praeterquam ſalutis aeternae, cura, intentum, et pluſquam vires ferre poterant diligenter incumbentem, cum vaſa ſe colligere quaſi diſceſſurum amicis diceret, mors eum, qui nunquam otioſus in vita fuerat, oppreſſit, et extremos optimi viri labores

INTERPR. [a] *Aurach.* [b] *Ratzivil, duc d'Olika & palatin de Vilna.* [c] *Polonois.* [d] *Courland.* [e] *Hales Eſcoſſois.* [f] *Leipſick.* [g] *Mathez de Rochlitz.* [h] *Joachimſthal.* [i] *Lemberg* ou *Lewemberg.* [k] *Geſner de Zurich.* [l] *Paris & Bourges.*

laboꝛes reipublicae quaſi invidere viſa eſt; qui tamen non omnino perierunt: nam, CIↃIↃLXV.
eo mortuo, ex illius bibliotheca ita ab eo ordinata, tanquam ex locupletiſſimo penu, Carolus IX.
pleraque poſtea in lucem prodierunt, curante Gaſpare [a] Wolfio; quae deſiderium ip-
ſius quotidie renovant. Mortuum laudavit Joſias Simlerus, et elegantiſſimo carmi-
ne Theodorus Beza, quo inter alia naturam eum tanquam fidum ſuorum ſacrorum
antiſtitem plorare dicit, mutam deinceps futuram, niſi ipſe mortuus loquatur. An-
nus et hic abſtulit apud nos maximum hujus aetatis ornamentum, Hadrianum Turne-
bum, [b] Andelii ad Sequanam familia nobili ſed in tenui re natum, virum omni virtu-
tum omniumque literarum genere inſtructiſſimum; qui, politioris initio literaturae
Graecae ac Latinae dein philoſophiae in ſchola Pariſienſi profeſſor regius, plurima
rarae eruditionis monumenta edidit: et praematura tandem morte, ſtatim poſt edita
illa aeternitate digna Adverſaria, ſumma omnium ordinum, ad quos univerſos unius
mors pertinere viſa eſt, moeſtitia, rebus humanis exemptus eſt pridie Eid. Jun. cum
tantum LIII annos vixiſſet. Hujus corpus, quo die mortuus eſt, uti teſtamento man-
daverat, paucis amicis illud deducentibus, nullaque funebri pompa, in ſcholaſtico-
rum coemeterio hora nona veſpertina conditum eſt, ubi ſepulturae locum delegerat:
quo etiam loco praeſtanti doctrina medicum Jacobum [c] Silvium paucis ante annis ſe-
peliri voluiſſe meminerat. Quemadmodum boni omnes ac literati vivum ſummo-
pere dilexerant, ita in eo mortuo laudando incredibili aemulatione certarunt: et
quidem ei Joannes [d] Auratus, Dionyſius Lambinus, profeſſores regii; Petrus Ron-
ſardus, Germanus [e] Valens poetae; Joannes [f] Paſſeratius, Alfonſus [g] Delbenius
qui poſtea epiſcopus Albienſis fuit, Nicolaus denique [h] Vergetius, Angeli illius Cre-
tenſis elegantiorum Graecae linguae characterum ad omnem admirationem et oculo-
rum jucunditatem formatoris filius, diverſa parte Joannes [i] Mercerus, Lucas [k] Frute-
rius, alii, epitaphiis carminibus parentarunt: et, ut erant tunc ſciſſa ob religionis
novos motus ſtudia, mortuum quiſque vindicabat; dum ſimul et antiquae religionis
retinentes, et novam profitentes, ad utras partes moriens ille inclinaſſe diceretur, mul-
tum momenti partibus ſuis allaturum fuiſſe credunt. Paulo poſt, menſe Septembri,
Antonius [l] Goveanus debitum naturae perſolvit. Is genere [m] Luſitanus, ſed adopti-
one (ſicut ipſe, quo erat animi candore, palam profitebatur) Gallus, cum puer et li-
terarum rudis ab Andrea Goveano patruo in Galliam adductus eſſet, tanta felicitate
in humanioribus ſtudiis ingenium exercuit, ut nemo purius Latine ſcriberet, nemo
verſus elegantius pangeret: in philoſophia vero Ariſtotelica tantum profecit, ut ejus
patrocinium jam tum in illa juvenili aetate contra Petrum Ramum ejus importunum
oppugnatorem magna cum laude ſuſceperit: poſtea, quaſi omnium ſcientiarum ae-
que capax ingenium illius eſſet, quodque ſinguli in ſingulis, ipſe unus in omnibus
praeſtare poſſet, ab Aemilio [n] Ferreto, qui [o] Avenione jus civile docebat, cum [p] Lug-
duni privatis ſtudiis intentus deſideret, ad illius perplexae ſcientiae profeſſionem
evocatus eſt; in qua rurſus exiguo tempore tantos progreſſus fecit, rationem veram
enodandarum ex antiquitate ſpinoſarum juris quaeſtionum ſtatim animo complexus,
ut Jacob. [q] Cujacius, cum [r] Toloſae ante undecim annos in Ulpiani Titulos ſcriberet,
jam tum teſtatum reliquerit; Goveanum ex omnibus juris Juſtinianei interpretibus,
quotquot ſint aut fuere, unum eſſe, cui, ſi quaeratur quis excellat, palma deferen-
da ſit. Certe ex Cujacio ipſo, cum [s] Valentiae ei operam navarem, et poſtea, ſae-
pius audivi, ita ſe de Goveano ſemper ſenſiſſe; et laudabili aemulatione tunc veritum
eſſe, ne is ſperatam in ea profeſſionē gloriam, quam aſſiduo ſtudio et longa vita om-
nium conſenſu poſtea meruit, ſibi praeriperet. Igitur Goveanus Toloſae primum,
dein

INTERPR. [a] *Wolf.* [b] *Andely ſur Seine.* [c] *du Bois.* [d] *J. Dorat, Denis Lambin.* [e] *Vaillant, ſieur de Pimpont.* [f] *Paſſerat.* [g] *Delbene, evêque d'Alby.* [h] *Vergece Candiot.* [i] *Mercier* [k] *Fruter.* [l] *Govea.* [m] *Portugais.* [n] *Ferret.* [o] *Avignon.* [p] *Lyon.* [q] *Cujas.* [r] *Toulouſe.* [s] *Valence en Dauphiné.*

dein [a] [α] Divonae Cadureorum, poſtea [b] Valentiae et Gratianopoli, jus civile magna auditorum frequentia profeſſus eſt, impolitorum interpretum, qoorum tantus numerus eſt, mole rejecta; et ardente apud nos bello Gallia, quam ſummopere dilexerat, in Italiam pulſus, et in aula Philiberti Sabaudiae ducis Margaritae commendatione honeſtum otium nactus, nam et in privatum principis concilium ſenator cooptatus eſt; morbo ex immodico, ot fertur, peponum eſu contracto, [c] Auguſtae Taurinorum deceſſit; unus, rara hoc aevo gloria, communi doctorum ſuffragio hoc adſecurus, ut et poeta elegantiſſimus et ſummus philoſophus et praeſtantiſſimus juris interpres ſimul haberetur; quod coelo Gallico, in quo a teneris probe inſtitutus fuerat, vir gratus acceptum referri volebat. Gulielmum Philandrum [d] Caſtellione ad Sequanam oppido natum, qui et hoc anno obiit, paene praeterieram, quando is, antequam e vivis excederet, ſe quodammodo ipſe ſilentio ſepelivit: quanquam ſcripta egregia, quae in Vitruvium, cum Romae in Georgii [e] Armeniaci, tunc Franciſci I oratoris, dein in cardinalium collegium cooptati, familia eſſet, publicavit, ſatis plenam fidem apud omneis faciunt, qualis is quantuſque fuerit, et quid denique in antiquitate Romana et politiore literarura illuſtranda, quae tunc primum excoli incipiebat, tum in omni ſcientiarum genere, et in mathematicis praecipue, praeſtare potuerit, ſi non aliam a priſtina diligentia et ſobrietate vivendi rationem poſtea inſtitiſſet. Verum is, poſtquam magno ordinum urbis conſenſu civitate Romana donatus eſt, cum relicta Italia in Galliam reverſus eſſet, non ſolum reliquum vitae tempus abjectis ſtudiis inutiliter elabi, ſed etiam ſegnitie ingenii acumen hebeſcere, paſſus eſt; et tandem ſui oblitus, et amicis, quibus ob raram eruditionem notus erat, obliviſcendus, Toloſae, non tam ſenio effoetus quam otio marcidus, deceſſit x Kal. Mart. anno aetatis LX, a munifico Maecenate civitatis archiepiſcopo praeteritorum memoria meritorum ad B. Stephani in porticu ſepultus. Multa ille de pictura et ſtatuaria antiquorum pollicitus, multa et in mathematicis commentarus fuerat, quae etiam ſe Toloſae vidiſſe quidam ſcripſere, quam ſummo ſtudioſorum deſiderio ſemper expetita, tam magno eorundem detrimento hactenus ſuppreſſa. Quod ſi verum eſt, profecto exorandos plagiarios illos cenſerem, ut tanti viri ſcripta, potius ſuppreſſo auctoris nomine et alieno ſubſtituto, quod P. Gillio accidiſſe diximus, ederent, quam tam eximiis et in publicum utilibus laboribus rem literariam defraudarent. Abſtulit et hic annus [f] Kyriacum Strozzam Florentinum patricium, qui ex morbo calculi ſtudioſis familiari, VIII Eid. Decembreis, anno climacterico ſuo deceſſit Piſis, ubi XX annos Ariſtotelem interpretatus eſt, cum VIII annis ante [g] Bononiae profeſſus eſſet, et rurſus antea admodum juvenis in academia Florentina legiſſet ac diſputaſſet, ut illic mos viget, ac poſtea linguam Graecam et philoſophiam ſumma cum laude docuiſſet. Libris Politicorum VIII, qoi extant, nonum et decimum Graeca lingua conſcriptos adjecit, quibus tanti viri ſtylum et mentem exprimere conatus eſt: libros etiam de prima philoſophia ex Arabum commentariis ſupplevit. [β] His merito ſuo adnumerabitur Joannes [h] Grollierius, honeſtiſſima ac perantiqua familia [i] Lugduni natus; ex qua orti Imbertus [k] Solanus et Antonius [l] Serverius Grollierii gentiles, qui turbulentis his ultimis Galliae temporibus regni cauſam regiumque nomen conſtantiſſime tutati ſunt. Joannes is, cum ab adoleſcentia literarum guſtum et incredibilem amorem hauſiſſet, in eo juvenili aeſtu arctiſſimam cum Gul. [m] Budaeo jam ſene amicitiam coluit; et admirandum ejus de Aſſe opus, cum Gallicarum copiarum in [n] Mediolanenſi principatu quaeſturam adminiſtraret, Venetiis ab Aldo Manutio excudendum curavit, anno hujus ſaeculi XXII: tantumque obvia in literatos humanitate homo

Gallus

VAR. LECT. [α] Divonae, quam alii Albiam vocant, Cadurcorum *D. d.* [β] *Hoc Grollierii elogium deeſt D. f. o.*

INTERPR. [a] *Cahors.* [b] *Valence & Grenoble.* [c] *Turin.* [d] *Chaſtillon ſur Seine.* [e] *le cardinal d'Armagnac.* [f] *Kirico Strozzi.* [g] *Bologne.* [h] *Grollier.* [i] *Lyon.* [k] *du Soleil.* [l] *de Servieres.* [m] *Budé.* [n] *le Milanois.*

Gallus in Italia meruit, ut, quo qoiſqoe doctiſſimus tunc erat, ita in ejus benevolentiam ſe inſinuare approperaret. Itaque Lud. [a] Caelius Rodiginus, vir aevi illius tota Italia celeberrimus, antiquas lectiones ſuas illi, tanquam eximio literarum fautori, et ſecundum ptincipem ſuum munificentiſſimo literatorum Maecenati, nuncupavit. Excluſis dein Italia Gallis, in regno quaeſturam, cum id munus nondum numero viluiſſet, ſumma fide ac diligentia exercuit; et in eodem literarum amore perſeveravit, inſigni nummorum antiquorum et optimae ootae librorum ſupellectile comparara; quos nullis ſumptibus parcens vir munditiae et elegantiae io omni vita aſſuetus pari elegantia ac munditia ornatos ac diſpoſitos domi tam curioſe aſſervabat, ot ejus bibliotheca cum bibliotheca Aſinii Pollionis, quae prima Romae inſtituta eſt, componi potuerit: tantaque copia librorum fuit, ut poſt tot ejus in amicos largitiones, tot varios caſus, quibus illi jactati ac male habiti ſunt, instructiores bibliothecae, quae hodie Lutetiae et aliis regni locis viſuntur, nnn alio majore quam a Grollierianis libris ornamento commendentur. Nummi aerei, qui optimi, cum Lutetia in Provinciam migraſſent, jamque in eo eſſent ot in Italiam exportarentur, regis Chriſtianiſſimi cura effectum eſt, ne tanto theſauro Gallia defraudaretur; eoſque grandi pretio redemptos in muſaeum ſuum cum aliis priſci aevi monumentis inſerri mandavit. Grollierius autem, dum ſerin rerum pulcherrimarum ſtudio occupatur, homo alioqui inoocentiſſimus, ab invidis inſidioſe accuſatus, de fortunis ac paene de capite diſcrimen adiit; ac fortaſſe oppreſſus fuiſſet, niſi innocentiam ipſius, qua ſola, nec ulla praeterea amicorum ope implorata, ille confidebat, onn indefenſam reliquiſſet Chtiſtophotus [b] Thuanus parens meus; qui ſumma, qua pollebat in ſenatu et in urbe, auctoritate hactenus uſus eſt, ut booos a calumniatoribus, tenuiores a potentioribus, doctos ab ignorantibus opprimi non pateretur. Tandem in eodem vitae tenore, eandemque munditiam et elegantiam ſervans, vir de republica et literis optime meritus ad octogeſimum ſextum annum pervenit; atque hoc anno XI Kal. Nov. in aedibus ſuis Lutetiae deceſſit, in ſuburbio ad inſigne S. Vincentii, quod nunc Germani dicitur coenobium, juxta majus altare ſepultus.

XV. EODEM tempore in Livonia [c] Parnoviam urbem et portum a Suecis ante triennium occupatum, Poloni, Germanorum equitum, qui Sueco ante militaverant, prnditione, ut putatur, receperunt. Res autem ſic acta eſt. Ex dimiſſis a Sueco poſt ſtipendia ſoluta Germanis quidam in urbe remanſere, qui cum aliis, qui ad Polonum et Gotardum [d] Cutlandiae ducem Poloni legatum tranſierant, pacti ſunt, ut pateſacta porta die condicta ſeſe admitterent. Illi igitur, quaſi oppidanis vale dicturi ante diſceſſum, amicis convivium in domo ſenatoris portae vicina, penes quem claves portae erant, veſperi apparant; in qua, tum ceteris tum hoſpite ſenatore praecipue ſomno vinoque ſepultis, clavibus portae potiti, ſocios equites, qui pridie XII milliaria confecerant, intro citra certamen accipiunt; qui ſtatim Germanis, ſi ſe contineant, parſuros deounciant, obvios Suecos trucidant. Id actum [α] II Kal. Maii. Sueci, qui ſuperfuere, in arcem confugiuot: quam, cum XL amplius diebus poſtea tenuiſſent, tandem pridie Pentecoſtes, qui in V Eid. Junii eo anno incidebat, cum omnibus bellicis ioſtrumentis dedidere. Praeſidiarii oppido et arci a Polono impoſiti; qui cum ſucceſſu inſolentiores ad moenia uſque Revaliae crebro excurrerent, tandem a Suecis in quetecto urbi vicino, ubi caſtra metati fuerant, circumventi ac profligati ſunt. Cum vero Germani ea de cauſa apod exteras gentes ſumma fidei fluxae infamia laborarent, Moſcus, veritus ne ſimili ſeu aſtu ſeu ptoditione [e] Torpatum amitteret, Germanos omneis ex urbe in interiora regni abduxit. Tota hyeme Danorum et Lubecenſium naves in mari Baltico ad Suadenſem portum cum excubias egiſſent, ut

VAR. LECT. [α] III *D.f.*
INTERPR. [a] *Celio da Rovigo.* [b] *de Thou.* [c] *Pernau.* [d] *Courlande.* [e] *Derpt.*

ut omnem ex eo oppido, quod praecipuum Suecorum in Germania armamentarium erat, bellici apparatus importationem in regnum Sueciae prohiberent, XI Kal. Jun. Suecica claſſis, quae XLVIII navibus omnino conſtabat, ex improviſo apparuit, quae excubitores diſſipavit. Naves IIII ad [a] Griphiſwaldam aufugerunt; Pomeraniae ducum interventu ſervatae, ea conditione, ut, milite et nautis dimiſſis, in eo loco ad finem uſque belli manerent. Ita libero a Danicis excubitoribus mari, LX circiter naves e locis maritimis vicinis ſolventes in Sueciam trajecerunt. Victrix Suecica claſſis Kal. Junii ad [b] Lubecae portum et [c] Dravi oſtium pervenit: quo fruſtra tentato, regreſſa [d] Hafniam verſus ſupra [e] Maeoniam et Falſterboam in conſpectu Hafniae et [f] Elbogiae complureis dies ſtativa habuit; et a Belgis aliiſque per fretum [g] Thulenſe in hoc orientale mare ingreſſis vectigal Danis pendi ſolitum exegit, Danorum navibus nondum bellico apparatu inſtructis; quae ubi cum Lubecenſibus convenere, infauſti augurii caſu praetoria Lubecenſis, cui Angelo nomen, igne, quem nautae indiligentius habebant, conflagravit. Mox ſecutum atrox ac diuturnum proelium; quo quidem ſuperiores Sueci diſceſſere, ſed non citra jacturam. Danorum praetoria, quae CIↃ C claſſiarios milites portabat, cum biduum a ſex Suecis undique cincta ſe ſtrenue defendiſſet, tandem, claſſiariis omnibus caeſis aut ſauciis, cum vix XXV integri ſupereſſent, una cum ipſo Othone [h] Rudio maris praefecto in Suecorum poteſtatem devenit. Major item Danica navis, cui Chriſtophoro nomen, machinarum ictibus perforata in profundum demerſa eſt. Lubecenſis praetoria, Maurus dicta, a quinque Suecorum quaſi circumvallata, cum, una depulſa, aliae ſemper recentes ſuccederent, tandem, multis amiſſis ac CCC vulneratis, poſt longum unius diei certamen incolumis ſe ex proelio recepit. In eo conflictu Suecorum naves, Leo, Gryphus, Cycnus [i] Finnonicus, et Hercules perierunt: Sangeorgiana a Danis cum milite capta fuit. Ea potiti victoria Sueci maris orientalis poſſeſſionem ea aeſtate et autumno retinuerunt. Interim Ericus terreſtreis copias per [k] Weſtgothiam traduxit, ut ſuis in [l] Elſeburgae obſidione laborantibus ſuppetias ferret: quam ubi ſolutam intellexit, ne nihil egiſſe videretur, ad [m] Warburgam oppidum, et [n] Hallandiam arcem ad mare munitiſſimam vires convertit, eamque menſe Sextili vi capit; quam mox Dani recipere ſperantes fruſtra fuere. Verum conatus eorum non omnino irritus ceſſit: nam, cum Daniel [o] Ranzovius Danici exercitus dux novas Suecorum copias adventare, ut in arce obſeſſis praeſto eſſent, cognoviſſet, obſidione ſoluta, hoſti ad [p] Suarteram fluvium occurrit, et XIII Kal. Nov. commiſſo proelio Suecos in fugam vertit, machinis Suecorum omnibus captis; ſed eo minore laetitia, quod multos ſtrenuos viros, et in his circiter L ex nobilitate praecipua, amiſit.

XVI. DUM bello Danico ac Suecico mare quaſi clauſum eſſet, nec Angli per mare Balticum tuto navigare aut cum Moſcis ad Narvam Livoniae commercia exercere poſſent, novum iter ad Moſcos ſibi patefecere; totamque Norvegiam, [q] Finmarchiam, [r] Scricfinniam, [s] Finlappiam et Biarmiam, ultra gradum latitudinis ſeptuageſimum tertium praetervecti, et inde meridiem verſus flexo curſu, ad B. Nicolai portum axi ſeptentrionali ad LXVIII longitudinis gradus ſubjectum pervenere: quorum exemplo Belgae eandem navigationem poſtea ſecuti ſunt.

XVII. NEC ceſſabant interim vicini principes ac civitates, qui commercio intercluſo magna incommoda ſentiebant, per legatos Danum ac Suecum urgere, ut ad pacem inclinarent. Et Pomeraniae quidem duces ad utrumque ea de cauſa miſerant Jacobum [ſ] Cizevicium et Andream [t] Borchium; qui re infecta rediere, quamvis uterque rex a pacis conſiliis minime abhorrere nec ſanguinis effuſione gaudere ſe profiterentur.

INTERPR. [a] *Gryp ſwald* [b] *Lubeck.* [c] *la Trave* [d] *Copenhague.* [e] *les iſles de Mom & Falſter.* [f] *Ellebogben.* [g] *le Deſtroit du Sund ou de Dannemark.* [h] *Rud.* [i] *de Finland.* [k] *Weſtro-Gotland.* [l] *Helſingborg.* [m] *Warsburg.* [n] *Halland.* [o] *de Ranzow.* [p] *Schwarter.* [q] *Finmark.* [r] *Scricfinland.* [s] *la Finlap, partie de Lapponie.* [ſ] *Citzewitz.* [t] *Borck.*

rentur. Maximilianus autem Caeſar ſtatim poſt [a] Roſtochienſem conventum ſuperiore anno pacificationis cauſa inſtitutum, ſed ab Erico non ſatis tempeſtive praemonito recuſatum, per Friderici Daniae regis et Auguſti Saxonis ſeptemviri legatos ſollicitatur, ut imperiali mandato omnem ex Germania armorum commeatum ac mercium importationem in Sueciam prohiberet: qua in re cum Ulricus [b] Mortiſius Saxonis ſeptemviri cancellarius non bona fide verſatus eſſet, ut qui, bello minime neceſſario Suecum a Dano vexari credens, Germaniae negotiationes propterea impediri non debere exiſtimaret, et per amicos in aula Caeſarea mandati promulgationem moratus eſſet, a Saxone inſtigatu uxoris Dani ſororis dignitate motus, et in ejus locum Georgius [c] Cracovius ſuffectus eſt. Demum urgentibus illis, Caeſar prius promulgari mandatum noluit, quam interpellato rurſus de concordiae rationibus ineundis Sueco, miſſoque ad eum nuncio, ut controverſias cum Polono, Dano, ac Lubecenſibus ſibi permitteret, et interea inducias coleret. Cum is diutius detineretur, mandatum tandem Decembri menſe, cum Viennae eſſet, promulgavit.

XVIII. DIVERSA parte, cum Roſtochii tumultuaretur, inter ſenatum ac plebem orta diſſenſione, ex eo, quod ſenatus publicarum rationum jus ad ſe traheret, plebs contra auctoritatem ſuam intercedere debere contenderet, [d] Megalopolenſes duces Jo. Albertus et Ulricus, qui jus ſibi in ea civitate a multis ſaeculis vindicabant, ſed propter infirmitatem contra potentiores civeis agere fruſtra huc uſque tentaverant, occaſionem juris antiqui reciperandi opportunam rati, eam minime ſibi praetermittendam exiſtimarunt: itaque, re ad Ferdinandum ſuperiore anno delata, ille, qui nihil magis expeteret, quam pacem in Germania ſervari, Jo. Alberto mandat, ut cauſae diſceptationem ſuſcipiat, et has controverſias juris via compeſcat. Id eo facilius impetratum, quod ſyndicus et conſul urbis, ab Alberto, uti creditur, promiſſis ſive alia re inducti, a Caeſare Roſtochienſium nomine petierant, ut controverſiarum cognitio ad Megalopolenſeis fratres, qui pari auctoritate ditionem eam adminiſtrabant, deferretur; quamvis plerique prudentiores ſuaderent et inſtarent, ut controverſias intra moenia componerent. Sed praevalente ſyndici auctoritate res ad principes delata, et aliquoties coram ipſis [e] Guſtrovii et Dobberani ſuperiore anno agitata fuit nullo ſucceſſu. Inter haec Ferdinandi Caeſaris morte mandato priore finito, alterum, eodem ſyndico inſtigante, a Maximiliano impetratur, ad Jo. Albertum ſolum directum, quo ei diſſidiorum inter Roſtochienſeis amice vel jure componendorum poteſtas fiebat; addita clauſula, ut, extrema neceſſitate flagitante, partem inobedientem armis coercere poſſet. Eo fretus Albertus, fratre Ulrico inconſulto, et re tantum cum Joanne Brandeburgico communicata, cauſatus nihil ratione inter pertinaciter diſſidenteis profici, copias conſcribit, et XIIII Kal. Nov. caſtra prope [f] Neuſtadium ad Eldam, cum equitatu, cui [g] Reimarus Winterſeldius praeerat, promovet. Inde praemiſſus Reimarus cum patere principi acceſſum, ut convenerat, renunciaſſet, conſultatum inter duces, an, cum peditum cohortes nondum adeſſent, tantam urbem, vallo, foſſa, ac muris munitiſſimam, cum equitibus ſolis, qui in capitibus platearum catenis objectis arceri facile poſſent, tentari expediret; et placuit peditatum neceſſario expectandum eſſe. Princeps ad pagum, cui [h] Polchovio nomen, divertit; ubi, mutato conſilio, non urbis vireis ſed civium animos tentare aggreditur. Igitur venientibus ad ſe ſenatus et civium legatis, nam eos commune periculum etſi inter ſe diſſidenteis conjunxerat, Caeſaris mandatum proponit; et ejus juſſu, ut res eorum amice vel jure componeret, et priſtinam civitati quietem reſtitueret, veniſſe, nec ullam, ſi pacifice admittatur, vim illorum reipublicae, bonis, privilegiis et immunitatibus illaturum ſe profitetur: ſi vero non pareant, ſibi a Caeſare mandatum dicit, ut totius inferioris Saxoniae circuli auxilia adverſus eos cogat. Roſtochienſes hac oratione

INTERPR: [a] *de Roſtock.* [b] *Mordeyſen.* [c] *Cratau,* ou *Cracovie.* [d] *les ducs de Mecklenburg.* [e] *Guſtrow & Dobberau.* [f] *Newſtadt ſur l'Elde.* [g] *Reimar Winterfeld.* [h] *Polchow.*

CIƆIƆLXV. tione perculſi, alioqui a rebus omnibus ad defenſionem imparati, et peſte, quae
CAROLUS IX. IX CIƆ capitum in urbe paene abſumpſerat, exhauſti, poſt varios tractatus, ultro citroque commeantibus legatis, nominis Caeſarei revereotia et ſyndici hortatibus perſuaſi, cum datis literis manu propria ac ſigillo firmatis princeps ſe promiſſa religioſe ſervaturum recepiſſet, poſtridie, qui in Simoni et Judae diem ſacrum iocidebat, portam aperiunt. Acceptus intra urbem princeps cum fidem rurſus dediſſet, pridie Kaleod. Nov. ſenatu et LXVIII viris in curiam vocatis, mandata Caeſaris publice recitari jubet. Tum, longa oratione commemoratis ſuperiorum temporum diſſidiis, et exagitata civium adverſus principem ac ſenatum contumacia, LX virorum concilium abrogat; literas item, quibus, ingruente graviorum negotiorum mole, tribunos eligendi et intercedendi concilio facultas a ſeoatu facta fuerat, exhiberi, et exhibitas igni aboleri, imperat: qua re ſenatus, qui civeis ſibi adverſanteis in ordinem redactos et priſtinam auctoritatem reſtitutam videret, ultra modum initio laetabatur, et principis juſtitiam, aequitatem, et egregiam erga ſe voluntatem immodicis laudibus extollebat: ſed mox ea laetitia in moeſtitiam vertit; etenim prioceps poſt biduum portarum claveis a ſenatu repoſcit; ſtatimque reliquum exercitum in urbem introducit, quem IX poſtea menſeis aluerunt: dein et LXIII Joachimicorum CIƆ in belli ſuſcepti ſumptus numerari ſibi jubet: poſtremo arma etiam civibus ademit; ut non jam de controverſiis inter ſe componendis, ſed de placando Alberto et intolerabili jugo a cervicibus liberis repellendo, conſultarent. Dum in eo ſunt, et ſumma diſſimulatione Albertus nihil praeter civitatis tranquillitatem cupere ſe dicit, et rebus coostitutis exercitum ſine ooxa dimiſſurum ſemper confirmaret, intervenit aliud, quod res paene compoſitas plane diſturbavit. Nam Ulricus Alberti frater, cum ſe inſcio expeditionem ſuſceptam et a Roſtochienſibus fratrem admiſſum indignaretur, conſcripto milite et relicto [a] Buzoviae praeſidio, Brunſvicam proficiſcitur, ut auxilia ab inferioris Saxoniae ordinibus eo loco congregatis obtineret. Maximilianus ipſe, qui mandatis ſuis aliter uſum Albertum atque voluiſſet doleret, literis Vienna Kalend. Dec. datis, valde diſplicere ſibi hanc Alberti expeditionem teſtatus eſt; et ſtatim militem dimitti mandat. Verum, Alberto ipſius Caeſaris imperium cauſante, quodque modum executioni praeſcriptum egreſſus eſſet excuſante, nec cuiquam alii moleſtiam aut periculum ſuo milite creaturum ſpondente, rurſus Caeſar mandatum prius repetit, et cautionem Roſtochienſibus datam de privilegiis eorum non violandis ſervari, ac fundos et praedia in prima obſidione occupata reſtitui jubet. Cumque rem omnem ad Megalopolenſium fratrum certamen redire cerneret, Bogiſlaum Felicem [b] Haſſenſteinium ioferioris [c] Luſatiae praeſidem et Erneſtum [d] Rechebergum delegat, qui inter fratres jus dicerent, et copias dimitti curarent; eo magis de hoc diſſidio componendo ſolicitus, quod alterum ex fratribus Dano, cujus affinis erat, alterum Sueco favere intelligeret; et vereretur, ne ex ea occaſione bellum externum in Germaniam attraheretur, et ita auxilia ad bellum Turcicum oeceſſaria retardarentur. Ii ergo cum legatis Auguſti ſeptemviri et ordinum inferioris Saxoniae pridie Kalend.
CIƆIƆLXVI. Januar. Roſtochium venere; ubi jam conſules ac reliquum ſenatum, ſyndici inſtigatu ſi non vocati, ſaltem admiſſi cum exercitu principis, poenitere coeperat; qui, cum a Caeſaris delegatis et circuli Saxoniei ordinibus militem dimittere juberetur, vi mandati ob inteſtinas in urbe diſſenſiones eum retineri neceſſarium eſſe reſpondebat. In his anguſtiis cum cives verſarentur, ſuaſo Haſſenſteinii, quod prius facere debuerant, tandem, ut omnem retinendi exercitus praetextum Joanni Alberto adimerent, ſenatus ac cives mutua injuriarum deprecatione inter ſe reconciliantur: quod ille, quia ſe inſcio factum erat, quaſi clandeſtinam contra ſe conſpirationem ioterpretatus, oe tumultus cauſa deeſſet, Joannem [e] Palſardum et Valentioum [f] Neomanum, quorum inſtigatu

INTERPR. [a] *Buzow.* [b] *Haſſenſtein.* [c] Germ. *Lauſſnitz,* vulgo *Luſace.* [d] *Rechberg.* [e] *Palſfard.* [f] *Neuman.*

inſtigatu factum dicebat, ut concordia contra ſe iniretur, in vincula conjicit; qui vix Caeſaris delegatorum interventu de injuria expoſtulantium tandem ab eo liberati ſunt. Mox, ubi publicam ac juſtam retinendi exercitus cauſam ſibi deeſſe vidit, cum Ulrico fratre, qui ad rei famam cum exercitu et ipſe advenerat, et quo excluſo et invito ſolus initio urbe potiri velle videbatur, de jure, quod in illa civitate ſibi vindicabat, tranſigit, et, ignaris Caeſareis delegatis, cum intra urbem cum copiis ſuis accipit: nec rationes deerant, quibus Megalopolenſes jus ſuum tuerentur. Nam Roſtochium olim majoribus ſuis a Joanne Danorum rege Erici fratre circa annum CIↃ CCCXXV venditum aiebant: illos vero civitatem poſtea multis privilegiis, immunitatibus ac denique Scholae inſtitutione donaviſſe et ornaviſſe uſque ad annum CIↃ CCCCXIX: verum civeis ab eo tempore acceptae gratiae immemores indignam gratiam bene de ſe meritis Megalopolenſibus principibus rependiſſe; et praecipue Jo. Alberto et Ulrico fratribus ſua jura repoſcentibus non citra contumeliam adverſatos eſſe, rerumque ſuarum firmitudine fretos ſuperbe omnem ſatisfactionem ipſis denegaſſe: nunc tempus veniſſe, ut, quod juris via hactenus non potuerunt, id, niſi ſatisfiat, armis conſequantur. Intromiſſus Ulricus, ex compoſito minas et indignationem prae ſe ferens, vix delegatorum interventu oblatis LX [a] Joachimicorum CIↃ in exercitus conſcripti ſumptus erga civeis placari potuit: quibus acceptis, privilegia eorum ſe conſervaturum et militem dimiſſurum pollicitus eſt. Delegati, qui parum ſe proficere cernerent et Caeſaris auctoritatem intervenire neceſſarium ducerent, quo cum de re omni praeſentes melius edocerent, civibus valere juſſis, urbe diſcedunt: ſtatimque poſt eorum diſceſſum fratres, propoſitis quibuſdam legibus, quae pietatis ſpeciem prae ſe ferebant, ut a cultu divino principium feciſſe viderentur, dirutis ad meridionalem urbis portam foro vicinam moenibus, arci exaedificandae fundamenta jaciunt. Et Ulricus quidem deprecantibus civibus aſſentiebatur, ut aedificatio intermitteretur, ſi Albertus a propoſito abduci poſſet: quod ut ab eo obtinerent, concordiae conditiones iniri placuit, quae ab ipſo propoſitae et frequenti ſenatu recitatae cum iniquae et intolerabiles viderentur, fratres re infecta Roſtochio diſcedunt, relicto in urbe praeſidio et arcis inchoatae aedificatione nuſquam intermiſſa. Tum praeſidiarii, ut juſſi erant, omnia violenter agere, civeis tanquam ſuſpectos in vicinas arces captivos abducere, ligna, lateres, calcem, aſſeres in arcis conſtructionem civibus imperare, et, tanquam conceſſa in praedam urbe, omnia licenter agere ac ferre: vixque tandem urgente apud Caeſarem Antonio [b] Witerſemio, et lite de ſpoliatione inſtituta, poſt complures citationes decretum eſt, ut arx in Caeſaris tanquam ſequeſtri poteſtatem permitteretur: et aliquanto rurſus tempore elapſo, controverſia omnis poſt longam et indigniſſimam calamitatum ſeriem eo anno compoſita eſt: egregio interim civitatibus liberis exemplo, ut diſſenſiones domeſticas fugiant, et, ſi quae inciderint, eas amice componant, nec praevalentibus adverſus publicam utilitatem privatis odiis potentiorum opem implorent; ne iis, ut tunc Roſtochienſibus, idem accidat, quod equo Aeſopeo, de communibus herbis cum cervo depugnanti; meminerintque, olim Romanos inter [c] Aricinos et Ardeates arbitros delectos, cum partes diſſidii nullum finem facerent, ſibi rem, de qua ambigebatur, addixiſſe, et ita utroſque jure ſuo privaſſe. Fratres Roſtochio egreſſi inde diverſi abeunt, Ulricus domum, Albertus in [d] Boruſſiam contendit ad Albertum Brandeburgicum ſocerum ſuum, ut ex rerum inibi turbatarum occaſione, ſi poſſet, emolumentum caperet.

XIX. ALBERTUS is, ut ſuo loco diximus, cum Teutonici ordinis princeps eſſet, poſt longum et damnoſum cum Sigiſmundo Poloniae rege bellum, tandem cum avunculo tranſegerat his legibus; ut, abolito Teutonico ordine, qui ſe Imperii Germanici majeſtate adverſus Poloniae reges tuebatur, ipſe ducta uxore Boruſſiam principatus

INTERPR. [a] *Joachims-Talers.* [b] *Witterſheim.* [c] *ceux de l'Ariccia & d'Ardea.* [d] *la Pruſſe.*

CIↃIↃLXVI. CAROLUS IX.

principatus nomine tanquam Polonici regni beneficiarius acciperet: verum homo novarum rerum cupidus, cum tota vita multa inconſtantiae in religionis negotio exempla dediſſet, etiam in civili adminiſtratione pravis uſus conſultoribus plurima contra tranſactionis leges innovavit. Tunc vero ingraveſcente aetate paene delirus, nam hoc anno ſeptuageſimum ſextum annum agebat, evertendae plane reipublicae conſilium iniit, auctore Paulo [a] Scalichio, qui a Scaligeris Veronenſibus [1] originem repetebat, et, cum eruditionis variae ſpecimen editis aliquot libris, aemulatione magni illius Joannis Pici, ut doctrina longe inferior, ſic moribus longe diſpar, dediſſet, paulatim ſe in Alberti gratiam vana doctrinae et pietatis opinione inſinuaverat, amplis praediis ac poſſeſſionibus a credulo principe donatus; cujus ingenio abutens, quo potentiam ſuam in ea aula magis firmaret, ei perſuaſerat, ne [b] Prutenis ſuis nimium fideret; quippe cum Germanus eſſet, et illi inveterato odio Germanos proſequerentur: itaque res ſuas ita ordinaret, ut ſumma negotiorum a Germanis adminiſtraretur, ultimae ſuae voluntatis executionem Brandeburgicis agnatis ſuis committeret. His rationibus praeoccupatum decrepiti ſenis animum eo impulit, ut Chriſtophorum Crucium aulae praefectum, Borkium, Eliam Canicium et alios provinciae proceres quaſi ſuſpectos removeret; novos et ſuis molitionibus faventeis homines adſciſceret, et in iis praecipue Matthiam [c] Horſtium ſcurrilitate fere ſola gratum, Joannem [d] Funccium, qui, concionandi munere relicto, praepoſtera ambitione ad civilia munia obeunda ſe contulit, [e] Steinbacchium et Joannem Snellium: ipſe tempeſtatem imminentem praeſagiens, quaſi in Galliam profecturus cum legatione libera, ut novo principi ſponſam regiam impetraret, nam ea vanitate hominis creduli animum impleverat, cum XXX equitum comitatu abiit. At novi vicarii, cum fremere Prutenos ſentirent, Paulo [f] Vobiſſero duce, militem conducunt; eique CC Joachimicorum CIↃ in ſtipendium addicunt, ea lege, ut, niſi certis penſionibus repraeſentarentur, ex Prutenis Albertinae ditionis ea extorquere poſſet. Dum haec agerentur, venit ad ſocerum Jo. Albertus Megalopolenſis, adducto ſecum Laurentio [g] Kircovio, cujus fideli et ſolerti opera in Roſtochienſi negotio nuper uſus fuerat. Is, Horſtio arcta familiaritate conjunctus, per eum a ſene decrepito Scalichii pravis conſiliis faſcinato impetrat, ut teſtamentum, quod jam fecerat, et cui Sigiſmundi Poloni auctoritas acceſſerat, revocaret, et novum conderet; in quo de filii tutela et provinciae adminiſtratione permulta a priore teſtamento diſſidentia conſtituebat, utroque teſtamento Megalopolenſis cuſtodiae tradito. Quibus de rebus, querela per Fridericum et Eliam Canicios fratres et Crucium aulae praefectum inſtituta, cum Sigiſmundo conſtitiſſet, ille rem ad regni Polonici et ſuam auctoritatem pertinere ratus, ut beneficiarius princeps cum ſubditis ſuis aequo jure ageret, nec ſe ſpreto et inconſulto de rebus ſuis, quibus per aetatem et animi debilitatem ſupereſſe non poterat, contra beneficii conceſſi legem ſtatueret, ex comitiis Lublinenſibus delegatos in Boruſſiam mittit, cum regio decreto, quod illi provinciae ordinibus VI Kal. Sept. proponunt. Eo rex Paulum Scalichium ex toto regno ac Boruſſia proſcribebat, et praediorum donationes illi ab Alberto factas abolebat, veteres conſiliarios a principe depoſitos vel relegatos reſtituebat, novis a gubernatione remotis; mandabatque, ut prius ac nuper factum teſtamentum a Megalopolenſi repoſceretur, et ſibi traderetur, et ut jus ſucceſſionis in principatu Boruſſiae, quod ſenex princeps ſeptemviro Brandeburgico tribuiſſet, caſſum eſſet: inſuper decernebat, ut nullas novus dux penſiones Boruſſis niſi ipſis volentibus

INTERPR. [a] *Scalich.* [b] *ceux de Pruſſe.* [c] *Horſt.* [d] *Funck.* [e] *Steinbach, & J. Snel.* [f] *Vobiſſer.* [g] *Kircow.*

NOT. [1] De hac origine Vide *Reſponſa juriſconſultorum, qui habentur in univerſa Europa longe clariores, de origine, gente et nomine Pauli Scaligeri, commilitonis et principis regni Hungariae, Dynaſtae magni principatus utriuſque terrae Hunnorum, marchionis Veronae, domini Creutzburgi in Pruſſia,* &c. *adverſus Albertum Truchſium Wetzhauſum et alios obtrectatores: collecta partim a judice hujus controverſiae duce Pruſſiae, partim a Joanne Malmediano juriſconſulto, partim a Chriſtophoro Rechſtein Lucemburgenſi.* Coloniae 1667. 8vo.

lentibus imponeret: ſi quae ipſi cum ſubditis controverſiae eſſent, inter eos jus ſe aequabile dicturum; privilegia item ordinum Boruſſiae, et tranſactiones cum principe initas ſe ſervaturum declarabat. Quae omnia ut praeſentibus delegatis Albertus exequeretur, rex jubebat, poteſtate ipſis, ni ille pareret, facta, ut, communicato cum provinciae ordinibus conſilio, rempublicam conſtituant, querimoniis ſatisfaciant, ſedatis motibus ac diſſenſionibus, pacem reſtituant, in malorum auctores animadvertant, ſumptus aulae non neceſſarios minuant. Quae mandata totis Septembri et Octobri menſibus delegati executioni demandarunt, primum inſtituta totius provinciae nomine contra Joannem Funccium, Horſtium, Snellium et Steinbacchium accuſatione; qui ex vinculis cauſam dicere juſſi, cum a principe delegatis regiis traditi eſſent, in curia cuſtoditi et ſeorſim catenis vincti et in jure interrogati, tandem tanquam novarum rerum molitores ac publicae tranquillitatis perturbatores ad mortem damnati ſunt. Steinbacchio vitae gratia facta; de ceteris in [a] Regii-montis foro ſupplicium ſumptum v Kal. Nov. Funccio crimini inter alia datum, quod ſeni principi ſtolidi juxta et pernicioſi conſilii auctor fuiſſet, ut, quando neminem in [b] Boruſſia fidum ſubditum haberet, ad gentileis ſuos in Germaniam ſe reciperet. Is, Oſiandri et pravarum ejus opinionum initio ſectator, poſtea recantaverat, et principem locum in gratia principis tenuerat; qua dum homo imprudens abutitur, hero ſuo dedecus et ſibi perniciem conflavit: alioqui doctus, et opere chronologico, quod tanquam exactiſſima ratione putatum ab eruditis omnibus maxime probatur, de republica bene meritus. Dum haec agerentur, tranſactio ſeu unio inter illuſtriſſimum principem et Boruſſiae ordines inita per regios delegatos confirmata eſt, v Non. Oct. cujus haec praecipua capita erant: Ut duo epiſcopatus in Boruſſia inſtaurentur, [c] [1] Sambienſis et Pomezanenſis; et ante Paſchaleis ferias duo idonei praeſules, conjunctis conſiliariorum principis, VIII delectorum ex nobilitate, et totidem ex urbibus ſuffragiis, a principe inſtituantur: quorum delicta civilia per principem; [a] eccleſiaſticorum, ſi in doctrina vel ritibus delinquant, per ſynodum, cognoſcantur ac puniantur: paſtores propter Oſiandriſmum exulantes in Boruſſiam revocentur. Et ita civilis adminiſtratio inſtituatur, ut ad munia publica indigenae nobiles idonei adhibeantur et exteris praeferantur. Tributa nova princeps ſubditis non imperet; nullam cauponam novam intra unum ab urbe milliare, ſine peculiari permiſſu inſtituat. Conventus provinciae liberi ſint. Immoderatae uſurae et iniquae donationes revocentur. Miniſtros non neceſſarios dimittat, et ſumptibus moderetur. Mandatum, quo Scalichii ſecuritati cavetur, et libelli famoſi ab eo editi, aboleantur. Judices ita in provinciis ordinentur, ut ex tribus a qualibet nominatis unum princeps eligat. Nullum foedus cum ullo principe aut rege, abſque regis Poloniae aut Boruſſiae ordinum conſenſu, ineat. Privilegia, jura, libertates, immunitates ac conſuetudines provinciae tueatur. Si ſecus faxit, nec ad humillimas ſubditorum preces factum mutet, liberum ſit ordinibus provinciae abſque ulla rebellionis aut ſeditionis culpa ad regiae majeſtatis patrocinium confugere, et pactorum inter regem ac principem initorum vi privilegiorum defenſionem ab eo poſtulare. Paulo poſt epiſcopatus reſtituti et vectigalibus aucti ſunt: et Sambienſi Joachimus Morlinus ex Brunſvicenſi eccleſia revocatus, Pomezanenſi Georgius Venetus nobilis Prutenus, [d] Colberga Pomeraniae oppido, ubi a patria exulabat, accerſitus, praefecti ſunt. Dum haec agerentur, inter Suecos ac Danos, ad fauces per quas [e] Holmiam itur, juxta [f] Gothlandiam aequo diu marte pugnatum fuit: ſed caſus victoriam Suecis ſine pugna poſtea detulit. Nam cum praefectus maris Danicus nobilem quendam in ambiguo illo certamine occiſum [g] Wisbone Gothlandiae oppido ſepelire ſolemni pompa decreviſſet, et, fruſtra praemonente

VAR. LECT. [a] eccleſiaſtici *D. f.*
INTERPR. [a] *Konigsberg.* [b] *la Pruſſe.* [c] *de Sambien & de Pomeſan.* [d] *Colberg.* [e] *Holm.* [f] *Gothland.* [g] *Wisbuy dans l'iſle de Gothland.*
NOT. [1] L'evêque de Sambien a ſa reſidence à Konigsberg, & celui de Pomeſan à Marienwerder. *P.*

CIↃIↃLXVI. CAROLUS IX. nente inſulae praefecto, ne naveis in vadoſo portu figereot, Danica ac Lubeceoſis claſſes conjunctae ad oppidum appoliſſent, orta tepente tempeſtas utramque claſſem horribili vi procellarum quaſſatam ac disjectam, in qua circiter IX CIↃ hominum erant, cum ipſo thalaſſiatcha Joanne Laurentiano, et Bartholomaeo [a] [*] Tinnapello Lubecenſi conſule, miſerabili ac luctuoſo naufragio abſumpſit. Diverſa parte Daniel Ranzovius terreſtrium Daniae copiarum praefectus, excurſiooe in Smalandiam facta, aliquot circumjaceoteis pagos ac municipia vaſtavit ac diripuit; nihilqoe fere aliud memorabile toto eo anno inter eos geſtum eſt.

XX. In Saxonia quoque res per epiſcopos muravere. Nam cum Sigiſmundus Brandeburgicus, Joachimi II ſeptemviri filius, jam XIIII annos Magdeburgenſem archiepiſcopatum adminiſtraſſet, ad Proteſtantium doctrinam, quae tum paſſim recepta erat, inclinare coepit; et, cum novam eccleſiaſticae diſciplinae formam ſecundum eam doctrinam, exploratis prius multorum ſententiis, animo meditaretur, rebus humanis exemptus eſt, magno collegii ſodalium, qui conſilia ejus adjuvabant, dolore; quorum et poſtea votis in ejus locum ſuffectus eſt Joachimus Fridericus, Joannis Georgii ſeptemviri Brandeburgici filius eo tempore unicus. Is ex conſilio ſodalium inchoatam a patruo doctrinae ac diſciplinae mutationem ad exitum perduxit, et Magdeburgi in primario civitatis templo primum paſtorem Auguſtanae confeſſionis Sigifridum [b] Northuſanum inſtituit. Cum vero, mortuo Sigiſmundo, Joannes Mansfeldius comes [c] Rotemburgeoſem arcem ad Salam, archiepiſcopo, donec aes alienum, quod ipſe ei debebat, diſſolveretur, pignori datam, et Georgio [d] Schaunburgio comiti ab ipſo attributam, ſede vacante, occupaſſet; et, collegio urgente, ut Schaunburgius ſpoliatus reſtitueretur, non ſolum pertinaciter recuſaret, ſed [e] Konderam oppidum vicinum conſimiliter captum diripuiſſet; ordines provinciae militem conſcribuot, et ſpe citius Rotemburgeoſem arcem, in quam ſe Joaones comes eadem temeritate, qua locum ceperat, incluſerat, obſeſſam expugnant, et Joannem captum [f] Salinas deducunt; ubi ex moerore anno ſequenti in cuſtodia miſerabiliter periit. [g] Raceburgenſis quoque eccleſia, ejerato pontifice, confeſſionem Auguſtanam amplexa eſt, inſtituto a Chriſtophoro Megalopolenſi epiſcopo, qui ſecuodum eam publice doceret, Georgio [h] Uſelero.

XXI. Contra Halberſtadenſes ſodales, qui in majorum religiooe retinenda ſummam conſtantiam ſemper ſervaverant, quo eam magis firmarent, et eadem opera magno ſe aere alieno a prioribus epiſcopis contracto levarent, oovo praepoſterae prudentiae et domeſticae parſimoniae commeoto utrique conſultum exiſtimantes, infantem bimum Henricum Julium Henrici Brunſvici ducis acerrimi priſcae religionis propugnatoris oepotem hac lege eligunt, ut CIↃ tantum Joachimicos quotannis acciperet, reliquis epiſcopatus vectigalibus ad aes alienum diſſolveodum ſepoſitis. Qua in re quam pernicioſe errarunt, dum hereditariam io religione perſeverantiam exiſtimant, tam ſpe ſua decepti ſunt; Julio ad Proteſtantium doctrinam delapſo, et graviore aere poſtea epiſcopatum onerante.

XXII. Eodem fere tempore Bernatdus [i] Rasfeldius Monaſterienſis epiſcopus, cum mandatum a pontifice accepiſſet de concubinis removendis, et illud in dioeceſis ſuae ſynodo recitari juſſiſſet, immane quam collegii ſodales antea ex aliis cauſis exacerbati concubinarum inſtigatu contra exarſerint: quorum pertaeſus vir optimus, ultro epiſcopatu ceſſit VIII Kal. Nov. et ſe, dum vitam in ſecuritate obſcuram quam cum periculo ſplendidam mavult, ad otium ac quietem cootulit. In cujus locum Joannes [k] ab Hoia, jam epiſcopus Oſnaburgenſis, et antea Camerae imperialis praeſes, electus eſt; vir illuſtri gentis ſplendore, eruditiooe, munificentia cum paucis comparandus, et omni denique commendatione dignus, niſi ex ſodalium contagioſa ſocietate

VAR. LECT. [a] Tunapello *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Tinnapel.* [b] *natif de Northauſen.* [c] *de Rotenburg ſur Sale.* [d] *de Schaumburg.* [e] *Kondere.* [f] *Salins.* [g] *Racenburg.* [h] *Uſeler.* [i] *Rasfeld, evêque de Munſter.* [k] *de Hoyen, evêque d'Oſnabrug*

eletate prioris vitae exercitiis intermiſſis ſtatim mutaſſet, et priſtinam famam ac praeclaras animi dotes diſpari vitae exitu obſcuraſſet.

XXIII. EODEM hoc anno Wolfangus princeps Anhaltinus, qui Auguſtanae confeſſioni anno XXX hujus ſaeculi oblatae ſubſcripſerat, anno aetatis LXXIIII fatis conceſſit, nullis relictis liberis: et ante eum Joannes Draconites ſeptuagenario major Witembergae obiit XVI Kal. Maii; coepto bibliorum, aemulatione Origenis et alterius [a] Complutenſis editionis, quintuplici nec perfecto opere, clarus. Quem brevi poſt ſecutus eſt VI Eid. Maias Leonardus [α] Fuchſius [b] Wendingae oppido Rhaetiae natus; qui ſumma cum laude medicinam Ingolſtadii, ac dein [c] Onolsbachii fecit, et, publicata ſtirpium hiſtoria magnam laudem adeptus, tandem Tubingae LXV aetatis anno deceſſit. [β] Paulo poſt V Kal. Oct. Marcus Hieronymus Vida Cremonenſis, ante XXXV annos a Clemente VII [d] Albae Pompeiae ad Tanarum epiſcopus creatus, qui primus inter Italos poſt Jacobum Sannazarium poeticam ad res ſacras tranſtulit, et verſibus elegantiſſimis ac puriſſimis provinciam ſuam excoluit, in eadem, qua vixerat, pietate placide ad Deum migravit, Albae in eccleſia ſua ſepultus; eique poſtea a civibus ſuis, de quibus tam bene meritus erat, exequiis in majore urbis templo magna frequentia celebratis, et publicis elogiis honorifice parentatum eſt. [γ] Obiit et eodem anno, qui fuit illi climactericus, XVI Kal. Dec. Benedictus [e] Varchius, cujus quae ſoluta et numeroſa oratione [δ] Etruſce ſcripſit, merito inter doctos magno in pretio habentur. Vixit ſumma animi libertate, procul ambitu, et ſine avaritia, et in eadem ſimplicitate deceſſit Florentiae, in Camaldulenſium ſodalium templo ſepultus. [ε] Aloiſius [f] Cornarus, rarum et memorandum vitae longae, quam ad centeſimum annum, integris animi et corporis ad extremum uſque ſpiritum ſenſibus, produxit, exemplum, heic in memoriam revocandus eſt. Is, ex illuſtriſſima Venetae nobilitatis familia ortus, defectu natalium a reipublicae honoribus et adminiſtratione excluſus eſt. Uxorem [g] Utinae in [1] Iſtria Veronicam ex [h] Spilimbergica familia duxit; et, cum ampliſſima bona poſſideret, nihil non fecit, ut prolem ex ea tolleret: tandem et votis ad Deum conceptis et medicorum ope uxoris dilectiſſimae ſed jam provecta aetate frigiditatem ſuperavit; et, cum minus putabat, illa ex marito concepit et filiam enixa eſt, quam ille Joanni Cornaro [i] Fantini filio ex Cypria Cornarorum ſtirpe opulentiſſima elocavit, ex eaque ſed jam ſene nata nepotes et pronepotes magno numero vidit. Nam Joannes ex Clara, ita filia vocabatur, VIII maſculos et tres foeminas ſuſcepit. Infirmitates ex intemperantia in adoleſcentia contractas Aloiſius ſobrietate et victus moderatione emendavit, et propenſionem ad iram ſubitam rationis vi temperavit, ut, quam infirma valetudine et ira impotenti in florenti aetate fuerat, tam proſpera corporis conſtitutione et miti natura in ſenectute fuerit: qua de re et libros conſcripſit, jam ſenectutem ingreſſus: quibus prioris vitae confuſae et poſtea emendatae rationes explicat, et ſibi longiſſimam vitam pollicetur. Nec ſpe ſua falſus eſt, nam centenario major hoc anno [k] Patavii, ubi larem fixerat, placida et ſine doloris ſenſu morte deceſſit, uxore ſuperſtite, quae virum chariſſimum haud multum aetate minor paulo poſt placidiſſimo itidem obitu ſecuta eſt; utrique ad B. Antonii ſine pompa, ſic enim teſtamento caverant, ſepulti. [ς] Apud nos Septembri menſe Carolus [l] Molinaeus Lutetiae Pariſiorum, unde ortus erat, fatis conceſſit; juris antiqui et Gallici

VAR. LECT. [α] Fuchſius Rhaetus qui *D.* f. o. d.
[β] *Hic ſequitur in D.* f. o. d. *de Valentini Gentilis morte narratio, quae in Ed. Gen. ad hujus libri finem habetur.*
[γ] *Hoc Varchii encomium ſequitur Rondeletii elogium in* D. d.
[δ] Etruſco ſermone fecit, merito *D* f. o. d.
[ε] Aloiſii Cornari elogium *deeſt D.* f. o. d.
[ς] Molinaei et Rondeletii quae ſequuntur elogia leguntur in *D.* f. ad p 311 et in *D.* o. T. 2. p. 884.

INTERPR. [a] *d'Alcala de Henares.* [b] *Wendingen.* [c] *Anſpach* [d] *Alba ſur le Tanaro.* [e] *Varchi.* [f] *Cornaro.* [g] *Udine dans le Frioul.* [h] *Veronica de i Signori de Spilimbergo.* [i] *Fantino Cornaro, che per ſopranome ſi chiamano dell' epiſcopia, caſa per allora molto ſtimata in Cipro.* [k] *Padoue* [l] *du Moulin.*

NOT. [1] Dele *Iſtria*: Lege *Foro Julii.* Put.

CIↃIↃLXVI. Gallici conſultiſſimus; cujus notae in jus conſuetudinarium noſtrum ac aliae doctiſ-
CAROLUS IX. ſimae lucubrationes apud nos pro ratis juris deciſionibus habentur. Hic eſt, qui, Parmenſis belli initio, condito ab Henrico II edicto in depravatam curiae Romanae in ſacerdotiis diſpenſandis diſciplinam, cum publicato in edictum illud commentario in graviſſimam offenſionem incidiſſet, a patria hanc indignam meritis ſuis gratiam retulit, ut ſolum vertere cogeretur: cum autem ab exilio revocatum [a] Momorantius equitum magiſter, cujus ille negotia in foro Pariſienſi procurabat, regi commendaret, En, inquit, hominem, qui, quod cum XXX bellatorum CIↃ facere nequiviſti, ut Julium pontificem placatum haberes, libello edito perfecit. Poſtea etiam conſultationem in concilium Tridentinum eadem libertate ſcripſit, quae et illi perniciem creavit. Ante annum, cum turbarum a Proteſtantibus toto regno excitatarum virum optimum taederet, iſque ſe quaſi illorum fautorem in crimen vocari indignaretur, libellum ſupplicem ſenatui obtulerat Februario menſe; quo petebat, ut in eos anquireretur et legibus ageretur. Praecipua accuſationis capita erant; quod ſpecie religionis ſeditioſos coetus agitarent; pecuniam ſine regis mandato ſequacibus ſuis imperarent; conſiſtoria celebrarent; diaconos, ſeniores alioſque adminiſtros inſtituerent, ſtipendiis ex plebis ſubſtantia eis attributis: quod his in conſiſtoriis miniſtri principem locum obtinentes, de omnibus cauſis, ſpreta regii magiſtratus juriſdictione, cognoſcerent; effraenem multitudinem erronea doctrina a ſe imbutam ad libertatem et licentiam vocarent; ipſi fere exteri et hoſpites, nullaque legitima vocatione ad miniſterium vocati, et Genevenſis adminiſtrationis ſive civilis ſive ſacrae diſciplinam ad evertendum regnum inveherent; eccleſiaſticos in ſua functione impedirent; denique, omnia facerent, ut fidem regis ſubditorum ſolicitarent. Privati autem contra ſe illorum odii has cauſas afferebat; quod confeſſionem Auguſtanam, quae in Germania obtinet, Genevenſi et Helvetica tolerabiliorem dixiſſet, et, in commentariis in conſuetudines Pariſienſeis, fanaticos eos et ſeditioſos vocaſſet: ea propter illos in concionibus, ſynodis et ubique palam ipſum traducere, domeſticos, qui ſe obſervent, corrumpere; et amanuenſeis, ne eorum opera uti queat, minis, pretio, blanditiis ſeducere. Vir bonus ac ſimplex, qui patriae charitate, ſupra quam dici poteſt, inflammabatur, cum emendationem in religione, quam tantopere optabat, in licentiam et factiones verſam videret, admodum indoluit; ac, ſi vita ſuppeteret, religioſe promiſit, fore ut exemplo ſuo ſcriptiſque multos ab errore paſſim graſſante revocaret: in eaque cogitatione paulo poſt animam Deo reddidit ſexagenario major. Idem hic annus et nobis Gulielmum [b] Rondeletium [c] Montiſpeſſuli natum, medicinae arte praecellentem, abſtulit; a Franciſco Rabelaeſo noſtrate nihilominus contemptim appellatum in iis libris, quos ingenioſa magis quam omnino irreprehenſibili jocandi libertate ſcripſit. Et certe ejus ſcripta ejuſmodi ſunt, ut tantae de ſe opinioni ſive excitatae ſive ſparſae non reſpondeant. Unum eſt quod hominis nomen maxime poſteritati commendavit, quod de piſcibus edidit: ſed eo minore laude, quod illud potius alienae induſtriae quam ſuae debuit, nimirum ex Gulielmi [d] Pellicerii epiſcopi Montiſpeſſulani, viri rara eruditione ornati, commentariis concinnatum; quod doctiſſimarum annotationum, quas ille in Plinium ſcripſerat, magno literarum diſpendio amiſſarum aut hactenus ſuppreſſarum pars erat. [α] His addemus duos Belgas; Georgium Caſſandrum [e] Caſanto inſula III a [f] Brugis Flandrorum leucis diſſita oriundum, qui et inde ſibi nomen confinxit: de eo, quoniam ſupra ad annum LXIIII in Ferdinandi Caeſaris elogio tam multa diximus, pauciora nobis nunc ſuperſunt dicenda; ſatiſque erit, ſi in viro et utriuſque linguae peritia et antiquitatis cognitione ac rerum poſtremo ſacrarum diligenti ſcrutatione praecellenti raram hoc aevo modeſtiam commendaverim,

mendaverim,

VAR. LECT. [α] *Haec Caſſandri, Fruterii, et Perpiniani elogia deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *le conneſtable de Montmorency.* [b] *Rondelet.* [c] *Montpellier.* [d] *Pellicier.* [e] *Iſle de Caſſandt.* [f] *Bruges.*

mendaverim, et iis, qui ingenium in contentionibus hodie exercent, ad vitandam acerbitatem in exemplum propoſuerim. Nam tot dotibus inſtructus ille nunquam faſtu intumuit, contumeliis petitus nunquam paria reddidit, nullumque ullius arrogantiae ferocis veſtigium vel in moribus vel in ſcriptis ejus deprehenſum fuit. Poſtquam Brugis diu docuit, in [a] Cliviam a Willelmo principe evocatus ad diſcutiendum Anabaptiſtarum cauſam, [b] Duisburgi aliquandiu haeſit: inde in Germaniam perrexit, et cum Cornelio Galtero ſtudiorum munifico comite [c] Coloniae in Ubiis larem fixit, et, poſt conſultationem de controverſis Proteſtantium articulis juſſu Ferdinandi Caeſaris ſcriptam et ad Maximilianum miſſam, arthritidis doloribus confectus III Non. Febr. pie defecit anno aetatis LII, ad B. Franciſci funus proſequente magiſtratu urbis et academia deductus, et ante ſummum altare cum honorifico elogio a Galtero amicó individuo ſepultus. Caſſandrum ſequitur Lucas Fruterius itidem Brugenſis, qui Lutetiae cum pleriſque Belgis, et inter eos Jano Duza, Oberto Giſanio, Jano Lernutio, degens proxima aeſtate, dum pilae ludo ſe intemperanter exercet, frigida pota ſtatim in morbum, quem ferre non potuit, incidit, et, cum vix annum XXV attigiſſet, vivis exemptus eſt, raptimque elatus et in vicina B. Hilarii aede conditus. Is in puriore literatura cum excelleret, et jam multa commentatus eſſet, properata morte praepeditus omnia ea Giſanii judicio ac fidei commiſit; qui pari fide minime iis uſus creditur, vixque lite Jano Duza mota exorari potuit, ut paucula, quae ex tanta jactura velut ex magno naufragio exiguae tabulae ſuperant, ſint publicata. Ultimus dicetur Petrus Joannes [d] Perpinianus, [e] Illicis Conteſtanorum in Valentina diœceſi natus, qui mira ad eloquentiam indole fuit: ejuſque periculum cum in prima adoleſcentia [f] Conimbricae in Luſitania feciſſet, inde in Italiam venit, et ſumma illa lumina, M. Antonium Muretum et Paulum Manutium in ſui admirationem traxit: Lutetiamque miſſus, ut Jeſuiticae ſocietati, cui nomen dederat, et quae tunc apud nos exagitabatur, dignitatem conciliaret, habitis aliquot ad Pariſienſeis orationibus, praematura morte, cum vix quadrageſimum annum aetatis attigiſſet, ſub anni exitum in [g] Claromontana ſchola obiit, magno ſui relicto ſtudioſis deſiderio, ad S. Benedicti tumulatus. Hoc eodem anno Joannes Valentinus [h] Gentilis Conſentinus [i] Bernae in Helvetiis ſupplicio capitali affectus eſt V Eid. Sept. qui ante octennium, ob ſparſas de ſacra Dei Trinitate pravas inter Italos opiniones, Genevae comprehenſus ex ſenatus ſententia ad ignominioſam poenam damnatus fuerat; ob id per compita urbis traductus, et errorem ſuum publice deteſtari juſſus: cumque contra fidem datam inde aufugiſſet, ſectarium idem virus denuo inter fratres diſſeminare convictus, dilatam priori ſceleri poenam non effugit.

INTERPR. [a] *Clèves.* [b] *Duysbourg.* [c] *Cologne* [d] *de Perpignan.* [e] *Elche au roiaume de Valence en Eſpagne entre Alicante & Origuella.* [f] *Coimbra en Portugal.* [g] *college de Clermont.* [h] *Gentile de Coſenza.* [i] *Berne en Suiſſe.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER TRIGESIMUS NONUS.

EPITOME.

PIUS V in pontificem eligitur ex Giſleria familia. Carafae dignitati priſtinae et honoribus reſtituti. II. Julii Zoanneti, Petri Carneſeci, Aonii Palearii ſupplicia. III. Lex de lupanaribus Romae. IV. Pontificis mores et ingenium. V. Urbs nova Melitae, de magiſtri tam bene de re Chriſtiana meriti nomine, Valeta appellata. VI. Chios, antea Genuenſium, in Turcorum poteſtatem ex qua occaſione venit; a Piali citra negotium ſubjugata. VII. Auguſtana comitia: in quibus actum de Finaliana cauſa, de Oldenburgica controverſia, Monferratenſi, Vinarienſi, et religionis negotio, cui Jo. Franciſcus Commendonus cardinalis nomine pontificis interceſſit; ejus mandata; in Palatinum ſeptemvirum irrita molitio, Auguſto Saxone ſeptemviro ſocietatem detrectante. VIII. Durum Caeſaris ad legati regii ſuper matrimonio Eliſabethae filiae cum rege poſtulata reſponſum. IX. Carolus archidux Hungariae comitia Poſonii celebrat. X. Grombachius proſcribitur. XI. Joannis Sigiſmundi ad Pannoniae proceres inſolentia plenae literae, quibus Thordae contraria indicit comitia. XII. Atnaſcum haud longe ab Agria a Turcis captum. Pugna ad Sigethum commiſſa hoſtes a Nicolao Serinio fugati. XIII. Auxiliares Germanorum copiae: et Solmani in Hungariam deſcenſus. XIV. Veſprinium a noſtris receptum, et Tatta a Salmenſi expugnata. XV. Tatari a Schuendio caeſi. XVI. Pons admirandi operis in Danubio a Solimano C. Caeſaris aemulatione intra XII dierum ſpatium ſtratus. XVII. Sigethum obſidetur; et Sextili menſe, Turcis, ut rentur, auſpicato, ſumma vi oppugnatur. Serinii virtus et occubitus. Tandem expugnatur Sigethum. XVIII. Solimani mors, aſtu Mechmetis purpuratorum principis, dum Selimus certior fieret, et in caſtra veniret, celata. XIX. Jula Turcis deditur; et dedititii caeduntur. XX. Selimus, rebus Conſtantinopoli ordinatis, in caſtra venit: paternas exſequias ſolemni ritu peragendas Achmeti purpurato committit. XXI. Diſcedente Selimo, Joannes Sigiſmundus, Perthavi purpurati copiis adjutus, Tocaium tentat. Tatarorum per Daciam inaudita ſaevities; qui a Joanne ſemel atque iterum caeſi in Podoliam poſtremo Polonicae ditionis deſcendunt, et tandem ad internecionem a palatino provinciae delentur. XXII. Caeſar Viennam et Brunum in Marcomannis ad conventus peragendos redit. XXIII. Novus morbus in Hungaria exortus. XXIV. Apud nos Molinii in Boiis conventus peraguntur. XXV. Hoſpitalii oratio: eam ſecutum edictum; quo edictum ante biennium factum et poſtea Ruſſilonii firmatum denuo confirmatur, multaque praeterea judiciario ordini emendando et publicae tranquillitati conſtituendae ſanciuntur. XXVI. Fr. Momorantius cum cardinali Lotharingo et Colinii cum Guiſianis in ſpeciem reconciliantur, poſtquam G. Colinius ſe ſolemni jurejurando purgavit. Haec coram A. Ateſtina uxore et Carolo cardinali fratre acta, abſente Henrico Guiſii filio, qui ſub id ex Pannonica expeditione in aulam redierat. XXVII. Rambulietus in Angliam miſſus ad pacem firmandam, qui Norfolcium et Leiceſtrium regis nomine conchyliato torque donavit. XXVIII.

Jacobi

Jacobi Sabaudi Nemoroſii et Franc. Roanae agitata cauſa. Collatio Pariſienſis cum theologis Pariſienſibus a Monpenſerio inſtituta. XXIX. *Simonis Maii graſſatoris ſupplicium Lutetiae ſumptum.* XXX. *De Lugduno tentato in aulam allatum; cujus ad ſecuritatem Petrobuſerius Cambaretus a rege praeficitur.* XXXI. *In Foxenſi principatu denuo tumultuatur. Multa utrinque intemperanter acta. Tandem Gul. Jouſa ſuperveniente motus compoſiti.* XXXII. *Diploma pontificium de Vipuſcoa et Biſcaia a Baionae epiſcopo exempta; quod tamen non niſi poſt A. Momorantium mortuum et pulſum aula Hoſpitalium executioni demandatum fuit.*

Ex auctoribus,

Jo. Bapt. Hadriano, Simone Schardio, Bernardini Bocatelli epiſcopi Redon. literis et commentariis, P. Bizaro, Jo. Leunclavio, Martino Rulando, L. Vicino P. P. Jo. Serrano, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae, Actis publicis, archivis Curiae Pariſienſis.

LIBER TRIGESIMUS NONUS.

ROMAE cum [1] Eid. Dec. anni ſuperioris Pius IIII e vita migraſſet, cardinales poſt novendiale ſacrum in conclave incluſi ſunt, ut novum pontificem eligerent. CIↃIↃLXVI. CAROLUS IX. Erant inter eos factiones: quarum unius, quae potentiſſima habebatur, principes erant Carolus [a] Borromaeus et Marcus [b] Siticus Altempſius, ſororum nuper defuncti pontificis filii; quippe cum Pius ipſorum avunculus diverſis creationibus XLVI cardinaleis in collegium cooptaſſet, et tunc tantum in conclavi L cardinales erant: tres praeterea aliae factiones erant; quarum principes Alexander [c] Farneſius, Hippolytus [d] Ateſtinus et Ferdinandus [e] Medices; et Farneſius quidem a Paulo III avo creatos cardinaleis in poteſtate habebat, Ateſtinus partes Gallorum, Medices Hiſpanas fovebat. Initio, conſentientibus fere collegarum in Joannem [f] Moronum ob merita et eximiam prudentiam ſuffragiis, cum rogaretur Michael [g] Giſlerius cardinalis Alexandrinus, an et ipſe aſſentiretur, ſpatium ad deliberandum petiit, tantiſper dum ſacrum celebraſſet. Quo peracto, reſpondit, non poſſe ſe ob ſuſpiciones de eo conceptas, et ob quas a Paulo IIII in carcerem conjectus fuerat, aſſentiri: ſuaque auctoritate pervicit, ut ceteri aſſenſum ſuſtinuerint, et Moronus in pontificem electus non fuerit. Ejus eligendi auctor fuerat Borromaeus; qui, eo rejecto, mox Gulielmum Sirletum produxit, quem et excellens eruditio et vitae integritas commendabant. Verum, quo minus is eligeretur, occulta ſimultate Altempſii, quam cum Borromaeo aemulo exercebat, effectum eſt: qui, quamvis ſaepius dejeraſſet, nunquam ſe aſſenſurum, ut monachus in pontificem eligeretur, ut potentiam ſuam in pontifice creando oſtentaret, cum aliter non poſſet, vota ſua in cardinalem [h] Alexandrinum profeſſione Dominicanum conjecit; qui ſtatim frequenti cardinalium concurſu VII Eid. Jan. duabus ante noctem horis in pontificem electus eſt; ac in Borromaei et Altempſii gratiam ex conſilio cardinalis [i] Columnae Pius V appellari voluit: atque, ut ſe gratum erga eos approbaret, L aureorum CIↃ Hannibali Altempſio, qui Borromaei ſororem in uxorem duxerat, dotis nomine, et Friderico Serbellono itidem eorum cognato ob egregia merita et optime navatam in [k] Avenionenſi praefectura operam X aureorum

CIↃ

INTERPR. [a] *Borromeo.* [b] *Scitico Altemps.* [c] *da Farneſe.* [d] *da Eſte.* [e] *de Medicis.* [f] *Morone.* [g] *Ghiſilieri.* [h] *le cardinal Aleſſandrino.* [i] *Colonne.* [k] *d'Avignon.*

NOT. [1] Lege V *Eid. Dec.* Put.

CIƆIƆLXVI. CAROLUS IX.

CIƆ ex aerario publico numerari juſſit. Is ex [a] Boſco exiguo agri [b] Alexandrini municipio ortus, [c] Giſleria familia admodum humili; quam tamen poſtea blandientes quidam ejus fortunae ex [d] Bononia oriundam ſcripſerunt, quae ob factiones in urbe exortas tandem ejecta ſit per portam, quae, ab eo tempore clauſa, demum ſub Pio V aperta fuit, et Pia de ejus nomine appellata. Aliam et ejus familiae illuſtrandae rationem adulatorie commenti ſunt. Nam [e] Conſilierios, qui Romae inter familias nobileis habentur, ita ob factiones nomen immutaſſe ſomniati ſunt, cum prius Giſterii vocarentur; et pontifex hoc commentum auctoritate ſua confirmans decrevit, ut ii non jam Conſilierii ſed Giſterii deinceps appellarentur. Anno aetatis XIIII ob rei familiaris tenuitatem in S. Dominici ordinem allectus, tantum inter ſuos continentiae et aſtricti moris opinione valuit, ut accedente aetate ad praecipua munia obeunda vocatus ſit, et tandem [f] Comi in Mediolanenſi principatu inquiſitioni praepoſitus, ob jurisdictionis odium magnas cum collegii illius civitatis ſodalibus, qui ſe Ferdinandi Gonzagae Inſubrum praeſidis auctoritate tuebantur, contentiones exercuit. Inde ſui fama ſparſa, [g] Bergomum Venetae ditionis civitatem miſſus eſt: ubi in ipſum Georgium [h] Medolacum, qui ante eum inquiſitioni praepoſitus fuerat, inquiſivit; et, ne quid ad ſummam audendi libertatem deeſſet, [i] Victorem Superantium urbis epiſcopum poſtulavit. Sed violentam illam jurisdictionem ſenatus nomine eluſit Nicolaus [k] [α] Pontanus urbis praefectus, qui poſtea Venetiarum dux creatus eſt, [β] Michaele urbe faceſſere non citra contumeliam juſſo: cujus injuriae ille memoriam ſervavit, cum ad eum jam pontificem ſenatus Venetus ſolemnem legationem pro more decreviſſet, et legationis principem Pontanum doctrina ac rerum uſu virum praeſtantiſſimum cum tribus aliis patriciis conſtituiſſet: nam Pontanum nunquam admittere in conſpectum voluit, cauſatus eum parum digne et honorifice de ſanctae ſedis dignitate ſolitum loqui: quapropter, eo rejecto, reliqui tres officio defuncti ſunt. His et aliis in exercenda illa jurisdictione contentionibus fama ſeveritatis quaeſita, meruit apud Paulum IIII, ut anno hujus ſaeculi LVII in cardinalium collegium cooptaretur: et, cum antea ipſe et tres alii cardinales ſummi inquiſitores creati eſſent, et periculoſum prudentioribus videretur, ſupremam poteſtatem uni committere, novum cardinalem ſolum cum ſumma poteſtate obeundo illi muneri praefecit; poteſtatem illam, quae invicta adverſus omneis eſſe deberet, numero debilitari dictitans; quippe qui experientia didiciſſet, quod alii graviter et ſevere decreviſſent, alios humanitate praetexta mitigantes plerumque corrumpere. Eam poteſtatem cum ille inter Dominicanos fratres adultus ſub pontifice inquiſitioni juſto impenſius favente in omneis, quamdiu is vixit, odioſa ſeveritate exercuiſſet, et eandem ſub Pio IV retinere vellet, plerumque offendit; cum novus pontifex immoderatae et adeo inviſae potentiae, quo benevolentiam a populo Romano pariter et a ſacro Ordine, qui jurisdictione illa multum vexatus fuerat, iniret, fraenum injici utile et neceſſarium exiſtimaret. Itaque parum abfuit, quin hominem horrida libertate in conſiſtorio paſſim [γ] utentem in [l] Hadriani molem conjici aliquoties juſſerit. Tandem, ubi pontifex creatus fuit, jurisdictionem, quam ſub aliis tanta ſeveritate exercuerat, et ipſe ſeveriſſime exercuit, et per alios cum magna nec toleranda multorum vexatione exercendam curavit; populo ad ejus electionis famam fremente et indignante, ob recentem adhuc Pauli IV memoriam, a quo iſte ad honores provectus ejus quoque acta et memoriam reſtituturus credebatur. Nec omnino vanus metus fuit: nam ut injuriarum tenaciſſimus ſic beneficiorum non immemor erat, ubique gratitudinis laude affectata. Itaque prima cura ei fuit, ut de Caroli cardinalis Caraſae et [m] Paliani ducis illius fratris cauſa rurſus cognoſceretur, an rite vel ſecus damnati eſſent: et plerique

etiam

VAR. LECT. [α] Pontius *ubique* *D. f. o.* [β] homine urbe *D. f.* [γ] abutentem *D. f.*

INTERPR. [a] *Boſco.* [b] *d'Aleſſandria della paglia* [c] *Ghiſilieri.* [d] *Bologna.* [e] *Conſiglieri.* [f] *Como dans le Milanois.* [g] *Bergamo.* [h] *Medolaco.* [i] *Vettor Soranzo.* [k] *da Ponte.* [l] *Caſtel S. Angelo* [m] *Paliano.*

etiam ex iis, qui judicio interfuerant et contra eos pronunciaverant, ſententiam, quam CIƆIƆLXVI.
in gratiam ſuperioris pontificis dixerant, ut novo pontifici gratificarentur, retracta- CAROLUS IX.
runt, et non recte judicatum affirmarunt. Igitur Caraſis ſama, tituli, honores, bona reſtituta: et, cum [a] Balnei comes antiquas poſſeſſiones Antonio Caraſae olim marchioni [b] Montisbelli a Paulo IIII attributas tempore interregni reciperaſſet, ob idque a Pio IIII moleſta lite diu vexatus eſſet, poſtremo Romam citatus, et, cum ſe in jure ſtitiſſet, in carcerem conjectus, rurſus tempore ultimi interregni evaſiſſet; ob id veritus, ne contra ſe tanquam contumacem ſententia ferretur, et Antonius Caraſa in poſſeſſionem controverſorum locorum reſtitueretur, cum eo tranſigere coactus eſt interventu cardinalis Columnae: et X CIƆ aureorum eam moleſtiam redemit.

II. INITIO ſtatim pontificatus magna ſeveritatis exempla edidit; praecipue in cauſa religionis, conquiſitis paſſim per Italiam criminis hujus ſuſpectis et Romam attractis. Julium [c] Zoannetum, qui [d] Patavii domicilium contraxerat, ob eam cauſam a ſenatu Veneto impetravit et Romae damnatum crudeli ignis ſupplicio affecit. Eodemque tempore magiſtrum palatii Florentiam miſit, qui Petrum [e] Carneſecum, arctiſſima cum Mediceis neceſſitudine conjunctum et diu Margaritae Sabaudiae ducis uxoris familiarem, dedi poſtularet. Is vero, cum pontificis literas Coſmo porrexit, Petrum Coſmi ipſius menſae aſſidentem invenit: verum Coſmus, qui gratiam pontificis obvio obſequio et quavis alia ratione demereri in animum induxiſſet, neglecto amici periculo, cum ſine ulla cunctatione tradidit; qui Romam perductus, accuſante cum Achille [f] Statio Luſitano, homine non illiterato ſed proſtitutae fidei, qui Carneſeco ab epiſtolis fuerat, convictuſque, quod cum Sectariis in Germania, et in Italia cum Victorio [g] Columna marchionis [h] Piſcarii vidua et Julia Gonzaga, lectiſſimis [a] alioqui foeminis, de pravitate Sectaria ſuſpectis, amicitiam coluiſſet, tandem ad ignem damnatus eſt. Poſtea et Aonius [i] Palearius, cujus eruditionem ſingularem ſcripta ipſius teſtantur, eadem poena affectus eſt Romae; cum convictus eſſet dixiſſe, inquiſitionem eſſe ſicam diſtrictam in literatos.

III. IN meretrices etiam, quarum Romae a multo tempore frequens ac publicum mercimonium erat, multa ſevere decrevit; quas et urbe quamprimum excedere aut nubere, et, ſi non obtemperarent, publice flagellis caedi juſſit. Cum vero moneretur, inter tot coelibes, ſublatis foeminis, majoris vitii, quod Romanis jam olim B. Paulus exprobravit, periculum ſubeſſe, ita eas tulit, ut lupanari includerentur, nec, ut prius, libere per totam urbem interdiu noctuve vagarentur; ratus, pudore utrinque incuſſo, et illas priori vitae renunciaturas, et viros infamiam veritos ad ea loca non ituros: quae vero in meretricia profeſſione morerentur, in ſterquilinio defodi mandavit. Interceſſit initio urbis ſenatus, a ſacro Ordine, qui palam non audebat, clam inſtigatus, hoc decreto hoſpitiorum pretia viloſcere et ad nihilum redigi, et libertatem antiquam tolli, idemque, quod dixi, periculum imminere dictitans, nec matronarum pudicitiam inter tot coelibes integram et inconcuſſam aliter ſervari poſſe, niſi priſtina libertas reſtituatur: nihilominus in propoſito manſit pontifex; et, cum rurſus inſtaret ſenatus, ſubirato vultu interminatus eſt, niſi caſtigationem admitterent, ſe urbe migraturum et alibi ſedem Romanam translaturum.

IV. MULTA quoque in civili adminiſtratione eadem ſeveritate ſed minus prudenter conſtituit; quibus potius terrorem ſui quam amorem legum et obſequium ſubditorum animis inſinuavit. Ob id permultis diffugientibus tam viris quam foeminis, cum magna ſolitudo in urbe eſſet, varii ſermones jactabantur, aliis eximium religionis a Sectaria pravitate vindicandae et vitae emendationis ſtudium in eo laudantibus, aliis moderationem et majorem prudentiam in eo requirentibus; ſicque judicabant optimi

VAR. LECT. [a] alioqui *deeſt* D. f.

INTERPR. [a] *Bagno.* [b] *Monte-bello.* [c] *Zannetti.* [d] *Padoue.* [e] *Carneſecchi.* [f] *Statio Portugais.* [g] *Colonne.* [h] *Peſcara.* [i] *Paleario.*

CIϽIϽLXVI. CAROLUS IX.

optimi quique, ſi quidem pontificia dignitas paſtorali officio ſolo contineretur, in Pio v nihil fere deſiderari potuiſſe; ſed, quando ei dignitati annexa eſſet principalis poteſtas, pleraſque virtutes, quae principem decent, et ad publicam adminiſtrationem neceſſariae non niſi longo rerum uſu parantur et excoluntur, praeterea requiri, quas ille, in umbra et inter monachorum greges educatus, non haberet: nam aliter in coenobiis, aliter in aula degi: et rurſus, aliud eſſe monachis imperare, aliud regnare. Certe rogatis amicis, cum de publico rumore ab iis cognoviſſet, nihil aliud reſpondiſſe fertur, quam populum plus in ſua morte doliturum, quam de adepto pontificatu gaviſus eſſet. Cum vero in principe laudari praecipue ſciret juſtitiam, magnitudinem animi, clementiam, liberalitatem et prudentiam; ita juſtitiam amplectebatur, ut exacta juris obſervantia plerumque injurioſe peccaret: ita vero a clementia abhorrebat, ut tamen feram et implacabilem naturam diſſimularet, cum, multa de clementia honorifice praefatus, poſtremo illam exacta nocentium caſtigatione contineri diceret: magnitudinem autem animi cum in civili adminiſtratione et privatis actionibus minime prae ſe ferret, In paſtorali poteſtate venditanda nimius fuit, et plerumque ab ea exorbitavit; ut qui prudentia et rerum experientia, quae non niſi aſſidua negotiorum tractatione quaeritur, minus valeret: quod vel ex mandatis, quae Jo. Franciſco [a] Commendono cardinali ad Caeſarem dedit, mox patuit. Ab avaritia potius alienus quam liberalis erat; et erga pauperes et adflictos miſericors, quam beneficus: nam magnam pecuniam ſtatim in egenos et varias neceſſitates erogavit: atque, ut adflictis Caeſaris rebus ſubveniret, LX aureorum CIϽ ultro detulit; et, quamdiu bellum duraret, L CIϽ ſingulis annis in poſterum pollicitus eſt.

V. PRAETEREA Hieroſolymitano ordini ob ſuperioris anni cruentam ac damnoſam obſidionem penuria omnium rerum laboranti ſtudioſe ſubvenit; et ordinis principi novam urbem in illa terrae lingua, in qua [b] S. Hermetis arx capta a Turcis ſita erat, magnis operibus molienti, XV CIϽ aureorum ſingulis menſibus, quouſque munitiones ad eam altitudinem perductae eſſent, ut contra hoſtileis impetus defendi poſſent, numerari juſſit: quae urbs poſtea de nomine magni magiſtri ex equitum decreto ob egregia ejus in ordinem merita [c] Valetana appellata eſt.

VI. PONTIFICEM de proſperitate Chriſtiana ſolicitum multa hoc primo magiſtratus anno male habuerunt: in primis [d] Chios a Turcis occupata. Ea inſula eſt in mari [e] Aegeo inter [f] Leſbum et Samum, CXXV millium paſſuum in circuitu patens, olim libera, poſtea ſub Genuenſium ditione, quibus eam Andronicus Palaeologus [g] Byzantinus imperator anno CIϽ CCCXLVI ob egregiam navatam operam ipſorum ope in regnum, unde ſpoliatus erat, reſtitutus, donaverat: quanquam Ubertus [h] Folieta potius a Genuenſibus juris hanc ſpeciem praetexentibus occupatam armis, duce Simone [i] Vignoſo, quam donatione quaeſitam ſcribat. Dein, cum Mahumetus Turcarum imperator cunctas deſpotarum [k] Peloponneſi ditiones, [l] Trapezuntem, [m] Sinopen, ceteraſque urbes quas Chriſtiani in Ponto tenebant, ſub jugum miſiſſet, poſtremo claſſem ad Graeciae litus reduxit, et Mitylenen, a qua inſulae hodie nomen, oppugnavit: cujus periculum cum ad ſe pertinere Chii cognoſcerent, apud quos Juſtiniani rerum potiebantur, ne prorſus in ſervitutem redigerentur, ſponte ſua tributum obtulere, cujus nomine quotannis X aureorum nummûm CIϽ, quos ducatos vocant, pendebantur; ac praeterea in purpuratos, genus hominum rapacitatis et avaritiae plenum, ad duo millia diſtribuebantur: tanti illis ſua libertas conſtabat. Pialis igitur, poſt infelicem Melitenſem expeditionem, ne nihil egiſſe videretur, Chion in poteſtatem redigendam ſuſcepit. Cauſae praetexebantur, quod exploratis Turcorum conſiliis, quae ob vicinum et liberum commercium illis patebant, anno

ſuperiore

INTERPR. [a] *Commendone.* [b] *St Elme.* [c] *cité de la Valette.* [d] *Scio.* [e] *l'Archipel.* [f] *Metelin & Samo.* [g] *de Conſtantinople.* [h] *Foglietta.* [i] *Vignoſo.* [k] *la Morée.* [l] *Trebiſonde.* [m] *Sinabé* al. *Sinope.*

ſuperiore Melitenſibus, quae in eos Turci molirentur, nunciaſſent: deinde, quod CIƆIƆLXVI.
biennii tributum Solimano non ſolviſſent. Quod avaritia legati res ipſorum Byzan- CAROLUS IX.
tii apud portam procurantis factum erat; qui etiam donanda Mechmeti purpuratorum principi et aliis munera in ſuos uſus verterat. His adjungebatur, quod Chriſtiana mancipia, quae quotidie ab urbe ad ipſos profugiebant, et inde domum ad ſuos remittebantur, receptarent. Et paulo ante ferebatur, Mechmetis ipſius nobile quoddam mancipium in Chion ſe contuliſſe, cujus ille vel reſtitutionem vel pretium ab eis poſcebat. Id vero cum per legatum reſciviſſet ſenatus Chienſis, qui ſciret, quanti ſua intereſſet, primarium virum placatum habere, e veſtigio pecuniam mittit, quae Mechmeti perſolveretur: verum legatus, eadem avaritia corruptus, eam quoque intervertit. Has ob cauſas Pialis, accepto a Mechmete Chienſibus ob privatam injuriam infeſto Solimani mandato, feriis Paſchalibus claſſem, quae xxc triremium erat, ad vicum in adverſo Ioniae litore, cui Paſſagio nomen, appulit. Injecerat ſuſpicionem infeſti Turcorum animi, quod proximo anno, cum claſſis ex ᵃ Melita ᵇ Byzantium rediret, in itinere, ut aſſueverat, ad inſulam non appulerat: qui metus intempeſtivo eorundem adventu auctus eſt: de quo ubi cognovit ſenatus, duos e ſuo numero ad purpuratum miſit, qui receptum in portu ſuo navigiis, commeatum, et quicquid opportunum foret, benigne ac prolixe offerrent. Ille, exceptis comiter legatis, ſumma diſſimulatione uſus, propter ferias Paſchaleis, quae eo forte die, qui in XVIII Kal. Maii incidebat, celebrabantur, quod non eo die ad inſulam appelleret, ſe excuſavit, et, nolle ſe ritus ac ſacra eorum interpellare, reſpondit. Poſtridie ſummo mane claſſem totam inſtruit; et tribus locis, quoniam unus capiendae claſſi ſatis non erat, portum prendere juſſit: ipſe, exeenſione facta, per vicinos hortos aliquantiſper ſpatiatus, mox, conſcenſo equo, in collem, unde arcem deſpicere poſſet, aſcendit; ubi, cum omnia pacata videret, in praetorianam triremem rediit, miſſo nuncio ad urbis praeſidem et duodecimviros, urbis regendae praepoſitos, ut ad ſe venirent: nam habere ſe a Solimano mandata magni momenti, de quibus cum illis capita conferre velit, antequam claſſem in Apuliam deducat. Senatus, etſi periculi, quod impendebat, non ignarus, habita tamen deliberatione, ad Pialim eundum cenſuit; ne, ſi recuſarent, quod aſtu moliebatur, vi perficeret, captaque occaſione inſulam ferro et igne vaſtaret. Miſſus igitur praeſes cum duodecimviris, qui initio in ingreſſu praetorianae comiter in ſpeciem excepti: ingreſſis mox compedes injectae: ſtatimque expoſiti in terram praetoriani, ~~qui palatium~~ civitatis, in quo ſenatus haberi ſolebat, in poteſtatem cum arce citra certamen redigunt; vexillo, in quo S. Georgii cum cruce rubra effigies expreſſa erat, ſummoto, et Turcico erecto. Idem per univerſam inſulam, cum nemo reſiſteret, citra tamen cujuſquam caedem, factitatum eſt: tantum in urbe primarium templum, quod B. Petro ſacrum erat, depraedati Turci; ubi cum unus eorum, dum ciborium, in quo ſacro-ſancta hoſtia condita erat, profanis manibus contrectat, praeſulem loci rogaret, num hic ipſius Deus et illa ſuae fidei myſteria eſſent, et ille ita eſſe reſpondiſſet, ciborium in terram projicit. Quo viſo, praeſul incredibili dolore perculſus, ſtatim flexis genibus projecta colligens, Me prius, inquit, oro, interfice, quam haec ſacro-ſancta myſteria pedibus conculcari videam. Motus eſt vehementi praeſulis affectu barbarus; et ultro ab injuria temperavit. Tum cuncta Chriſtiana templa ſolo aequantur, unico S. Dominici excepto, quod ritibus Turcorum initiatum eſt: nec non et, ſublato omni imperio, Turcicus judex illis datur. Quo facto, ipſius praeſidis ac duodecimvirorum familiae, cum aliis primariis, Conſtantinopolim quinque navigiis mittuntur, et inde in varias regiones deportantur, donec tandem inſequentibus annis regis noſtri interventu miſeri cives patriae reſtituti ſunt; iiſque

INTERPR. ᵃ *Malte.* ᵇ *Conſtantinople.*

CIↃIↃLXVI. iiſque umbra quaedam adminiſtrationis priſtinae ac judiciorum conceſſa eſt, ſalva tan-
CAROLUS IX. tum ad judicem Tureicum provocatione: quod eo facilius a Solimano impetratum, oe Chriſtianis incolis alio migrantibus [a] Chios deſerta oulli Tureis in poſterum eſſet uſui. Inde Pialis abducta claſſe recta [b] [1] Iapygiam contendit; et litus oppoſitum legens, expoſito interdom milite, innumetas praedas fecit, multa capna in miſeram ſervitutem abduxit, nullo alio praeterea operae pretio facto: quippe cum Philippus in [c] Salenrinos, [d] Brutios, [e] Samoites ac Dauniam firma praeſidia in tempore miſiſſet, quae utramque oram maritimam et muoita loca tuerentur; quod et fecerat pontifex [f] Centumcellis, in [g] Piceno item claſſe inſtructa.

VII. Inter haec Caeſar, miſſo [h] Bizantium ſuperiore anno [i] Hoſſututo, quamvis de induciis non deſperaret, tamen per indicia et captivorum confeſſiones certior factus, Turcos ad arma [k] Pannoniae inſerenda ſe comparare, et [l] Julam ac Sigethum oppugnare decreviſſe, ſe quoque ad bellum parat: et in primis [m] Javatioum muniendum et milite ac commeatu firmandum curat; quo et omneis copias, ut loco admodum commodo et opportuno, convenire voluit, per totam Norici oram edicto promulgato, ne quis vinum aut frumentum extra ſuam ditionem venderet, aut exportari fineret; cavitque, quae jam vendita nondum tamen tradina eſſent, ne inde abduci poſſent. Sigethum item auxiliareis aliquot mittit, et [n] Vicecomitem Inſubrem cum duabus cohortibus in caſtra proficiſci jubet, mandatis paſſim diſtriburis ad conſcribendum milirem. Cumque vireis proprias et opes tantae potentiae ſuſtinendae pareis non eſſe provideret, comitia ordinum Imperii [o] Auguſtam Vindelicorum indicit, ubi in commune ad propulſandos communis hoſtis impetus conſultaretur, et in eam rem ſumptus ac vireis ſuppeditarentur. [α] Eo ipſe ante alios principes venit, qui diverſis ex cauſis initio ſe excuſabant: et hae quidem vulgo a cunctis fere Saxoniae ordinibus ac Vandalicis civitatibus obtendebantur; quod, bello inter vicinos priocipes ardente, a finibus ſuis citra periculum abeſſe non poſſent. Itaque Caeſar per legatos non ceſſabat urgere apud Danum ac Suecum; ut inrer eos aliqua concordiae ratio iniretur. Nec in ſpeciem recuſabat Suecus: qui, ut ſe pacis publicae ſtudioſum oſtenderet, Caeſaris rogatu controverſiae judicium Pomeraniae principi ac Joanni Friderico Saxoni matris ſuae fratri permiſerat. Sed et aliae difficultates inciderant, quae in cauſa erant, cur tam ciro ad comitia venire non poſſent: diſſidia oimirum nuper exorta inter Jo. Friderici Saxonis quondam ſeptemviri filios; inter quos, fratre minore natu nuper defuncto, cum conveniſſet, ut alternis gubernarent, major natu ſive aetatis praerogativa ſive ex conventione prior rebus praefuit; qui poſtea dulcedine imperandi illectus, uti putabatur, alteri cedere noluit. Hinc odia inter eos accenſa; in quibus Thebanorum fratrum exemplum veriti cognati principes omoem operam dabant, ut naſcenteis odiorum igneis, antequam in incendium evaderent, reſtinguerentur. Palatinus ſeptemvir cum Auguſto ſeptemviro [p] Lipſiae ob id conveniunt; ubi res diverſis colloquiis agitata cum exitum non haberet, tandem ad comitia Imperii remiſſa eſt. Eodem tempore accidit, ut Philippus [q] Heſſus Cattorum princeps nuptias Ludovici alterius ex filiis cum Hedwige Chriſtophori [r] Wirtembergici filia celebraret; ad qoas more gentis cum molti principes invitati eſſent, id quoque in cauſa fuit, cur ſerius et ipſe et illi principes Auguſtam venirent. Igitur, cum tam cito adeſſe oon poſſeot, legatos cum plenis mandatis mittunt, qui ſuo nomine in comitiis agerent. Sed rem impeditiorem ratus Caeſar, quam ut de ea cum legatis agi poſſet,

VAR. LECT. [α] Eo Maximilianus ante *D. f.*

INTERPR. [a] *Scio.* [b] *Terra d'Otranto* al. *le Royaume de Naples.* [c] *Terra d'Otranto.* [d] *l'Abruzzo.* [e] *Puglia piana* al. *la Capitanata.* [f] *Civita vecchia.* [g] *Marca d'Ancona.* [h] *Conſtantinople.* [i] *Hozzuskobi.* [k] *Hongrie.* [l] *Giula & Zighet.* [m] *Raab.* [n] *viſconti Milanois.* [o] *Augsburg.* [p] *Leipſick.* [q] *le Landgrave de Heſſe.* [r] *le duc de Wirtemberg.*

NOT. [1] Iapygia eſt compriſe dans la Terra d'Otranto. Collenuccio met l'Abruzzo pour tous ces noms anciens qui ſuivent. *Pat.*

poſſet, eorum adventum opperiri ſtatuit. Interea alia privata negotia in aula tracta- CIↃIↃLXVI.
bantur: et jam tum de Elizabetha Caeſaris filia cum rege Galliae matrimonio jun- CAROLUS IX.
genda mentionem injecit Bernardinus [a] Bocatellus Redonum epiſcopus. Auditus et Sabaudiae ducis orator, qui controverſiam de [b] Montisſerrati principatu contra Mantuae principem in comitiis renovare inſtituerat. Introductus et Philippi nuncius, qui ejus nomine peteret, ut ſibi IIII Germanicas legiones, ducibus [c] Paride, qui mox deceſſit, Alberico [d] Lodronio, Jo. [e] Baptiſta Arcuenſi et Hannibale [f] Altempſio, conſcribere liceret; ex quibus X ſigna [g] Guletam in ſaucibus [h] Africae ſitam, reliqua in [i] Ciſalpinae Galliae praeſidia ac [k] Neapolim mitterentur, ut, ſi quid rurſus Turci in Melita et vicinis locis molirentur, praeſto eſſent. Nec difficultet id impetratum. Haſtiludia etiam carnis-privii tempore inſtituta, et aſſueta ſpectacula, ut ex laeta rerum facie cuncti de laeto rerum ſucceſſu bene ſperarent. Tandem principes venere. Primus quidem Joachimus II Brandeburgicus ſeptemvir in viam ſe dederat; ſed morbo correptus retro domum abiit, miſſo Jo. Georgio filio ac nepotibus cum egregio nobilium comitatu. Poſt eum [l] Moguntinus ſeptemvir, et mox [m] Colonienſis et Trevirenſis ſeptemviri, [n] Salſeburgenſis archiepiſcopus, Willelmus [o] Clivenſis, et [p] Holſati duces Dani. Paucis diebus interjectis, Auguſtus Saxo ſeptemvir cum ampliſſimo comitatu, et Gulielmus [q] Saxo Winarienſis, cui cum Jo. Friderico fratre de ditionis diviſiooe lis erat, Georgius Fridericus marchio [r] Onolsbachii, Philippus [s] Rheni comes, Otho [ſ] Truchesſius Auguſtanus. Affuit et Teutonici ordinis, quamvis jam aboliti, uti ſupra demonſtravimus, magnus magiſter; qui, ut ſuum et Imperii jus ſervaret, diploma a Caeſare impetravit. Tandem comitiorum factum initium VII Kal. April. Ibi Caeſar, auxiliorum contra Turcam expedicodorum neceſſitate propoſita, enixe rogat principes et Imperii ordines, ne, quam Carolo V et Ferdinando ab eodem hoſte laceſſitis operam tam propenſa voluntate detulerint, tam neceſſario tempore et in ipſis imperii primordiis ſibi denegent: nam Turcam totis viribus Viennam Germaniae propugnaculum oppugnare decreviſſe: in hujus amiſſione, praeter jacturam, etiam ipſorum decus verti, et ad ipſorum ignominiam procul dubio redundaturum, niſi Germania florentiſſima totius Europae regio atque hactenus invicta tam gravi periculo praevertat, et neceſſaria auxilia in tempore adhibeat: nec vero dubitare, quin eodem ſtudio, quo erga majores ſuos affectos ſe ſemper oſtendiſſent, nunc conjunctis ſecum viribus ac ſtudiis enixuri ſint; ut et amplitudo Imperii illaeſa ſervetur, et communis hoſtis conatus impediantur: quod ſi fecerint, ſe viciſſim operam daturum, ne tanti beneficii, quod ad communem Germaniae dignitatem et utilitatem ſpectet, memoriam unquam ex animo deponat. His dictis, Albertus [t] Baioariae dux Caeſaris nomine haec capita propoſuit, de quibus in comitiis decerneretur: ut ratio iniretur, qua haereſes in pace religionis non comprehenſae ex Imperio eliminarentur: ut VIII CIↃ equitum et XL peditum CIↃ contra Turcos conſcriberentur; quibus in treis annos ſtipendia per VIII menſeis ſolverentur, eaque collatio in ſignata pecunia fieret, quae tota, prout occaſio urgeret, in bellum impenderetur: imperialis item Camerae emendandae ratio iniretur, et, quod in ea ſancitum eſſet, locum haberet: decreta de publica tranquillitate et moneta ſervarentur: diſſidia inter principes de praecedendi ordine componerentur: poſtremo de [u] Fioalio in Liguria controverſia jam diu in comitiis agitata terminaretur; et ſubditis ditionis illius edicto Caeſareo mandaretur, ut quamprimum arma deponerent. Secundum haec, ante omoia, decreta auxilia adverſus Turcam majora quam antea cuiquam Caeſarum, et majori animi alacritate, cum plerique, praeter promiſſa auxilia Imperii nomine,

INTERPR. [a] *Bochetel, evêque de Rennes.* [b] *le marquiſat de Montferrat.* [c] *Paris.* [d] *Lodrone.* [e] *il conte Giovan Batiſta d'Arco.* [f] *Altemps.* [g] *la Goulete.* [h] *Barbarie.* [i] *Lombardie.* [k] *Naples.* [l] *de Mayence.* [m] *de Cologne & de Treves.* [n] *de Saltzburg.* [o] *le duc de Cleves.* [p] *les ducs d'Holſtein.* [q] *de Saxe Weimar.* [r] *Onsbach al. Anſpach.* [s] *le Rhingrave.* [ſ] *Truchſes d'Augsburg.* [t] *Baviere.* [u] *Finale.*

CIƆIƆLXVI. Carolus IX.

nomine, etiam privatas opes et operam ſuam in eam militiam ultro deferrent. Dein miſſus Finalium Parthinus, qui Caeſari erat a conſiliis, cum praefecto Tridentino, cujus auctoritate et interventu lis inter [a] Carrectos et loci ſubditos componeretur. Agitata et Antonii [b] Aldenburgici et regis Daniae atque Holſatiae ducum controverſia; cum Aldenburgicus [c] Delmenhorſti ac ceterarum ditionum ſuarum beneficium auctoritate Caeſaris firmari peteret; illi etiam ſibi, ut proximis agnatis ex eadem ſtirpe prognatis, idem beneficium, in quo jus ſucceſſionis ab inteſtato haberent, concedi poſtularent: nam regem Chriſtianum I comitem Aldenburgenſem fratri ſuo Gerardo ea conditione comitatus partem donaſſe, ut extincta Gerardi prole ad ſuos poſteros ea rediret. Ad quae Aldenburgenſis replicabat: Delmenhorſtanam ditionem non a Gerardo hereditate acceptam; ſed, cum multos annos in aliena poteſtate fuiſſet, ſolius comitis Antonii periculo ac ſumptu primum quaeſitam eſſe: deinde ditionem [d] Harpeſtedenſem conjugii nexu recens comitatui acceſſiſſe: quod vero ad ipſum comitatum Aldenburgenſem attineret, quem a Gerardo hereditate acceperit, facile conjunctam beneficii gratiam Antonium Holſatis conceſſurum, ſi illi viciſſim comites Aldenburgenſeis velut proximos agnatos ac coheredes in [e] Slevici et Holſatiae principatibus beneficii jus habere patiantur: nam Gerardum Antonii avum illiuſque poſteros ad ſucceſſionem in Slevici, Holſatiae et [f] Stormariae ditionibus, poſt Chriſtiani ſtirpis interitum, ſolemnibus literis [g] Haſniae ſcriptis vocatos eſſe. Venit et eodem Sabaudiae dux et poſt eum [h] Mantuanus, de [i] Monſertatenſi principatu diſceptaturi. [k] Winarienſes fratres, quae per Palatinum et Saxonem ſeptemviros componi non poterant, diſſidia a comitiis dirimi petebant. Sed urgente belli Turcici mole, omnes hae controverſiae, et caput etiam de religione, in aliud tempus dilâta ſunt. Comitiis interfuit Joannes Franciſcus [l] Commendonus cardinalis Pii V pontificis nomine, cum ex Polonia rediret, acceptis ab eo [m] Auguſtae mandatis; nec non Marcus Siticus Altempſius itidem cardinalis, ſed tanquam epiſcopus [n] Conſtantienſis et Imperii princeps. Cum pontifex novus ex oratoris, quem in aula Caeſarea habebat, et aliorum literis didiciſſet, in comitiis Auguſtanis inter alia capita, quae proponi debebant, de ratione componendorum religionis diſſidiorum actum iri, id ad ſuam atque adeo Romanae ſedis omnium aliarum matricis auctoritatem pertinere ratus, Commendono enixe injunxit, ut, ſi religionis negotium in comitia deduceretur, ipſe ſuo nomine publice proteſtaretur; et pontificem in cunctos, qui aderant, tam ſaeculareis, quos vocant, quam eccleſiaſticos principes, divinae cenſurae gladium diſtricturum interminaretur; et contra Caeſarem in primis, quem et imperio ac regnis et ditionibus, ſucceſſionibus et juribus, quae in Hiſpaniae regnis ei competebant, privaturus eſſet. Bene autem evenit, quod viro moderationis ac ſummae prudentiae negotium commiſſum eſt; qui veritus, ne ea proteſtatione magis animi exaſperarentur, quam idoneum remedium malo, quod timebatur, pro tempore adhiberetur, aliam rationem deliberationis illius impediendae ſibi ineundam exiſtimavit: reque cum Caeſare communicata, et ſpe ab eo facta negotii in aliud tempus rejiciendi, ad pontificem ſcripſit, et, proteſtatione ea nihil opus fuiſſe, monuit. Verum homo imperioſus, et qui nullas rationes voluntati ſuae contrarias admitteret, alteris mandatis enixe magis quam prius injunxit, ut, ſi mentio ulla de religionis negotio in comitiis fieret, publice proteſtaretur, et Caeſarem atque alios principes pontificis nomine a communione Chriſtiana excluderet. Sed neque ſecundis mandatis miniſter hero prudentior paruit: et commodum accidit, ut, cum ſecunda mandata venerunt, jam illud caput in aliud tempus dilatum eſſet. Non ceſſabat tamen pontifex Caeſarem imperioſe per Commendonum monere, ne quid tale in deliberationem in co-

mitiis

INTERPR. [a] *caſa del Carretto.* [b] *le comte d'Oldenburg.* [c] *Delmenhorſt.* [d] *de Harpſted.* [e] *les duchés de Sleſwick & de Holſtein* [f] *Stormar.* [g] *Copenhague.* [h] *le duc de Mantoue.* [i] *le marquiſat du Montferrat.* [k] *les ducs de Saxe Weimar.* [l] *Commendone.* [m] *Augsburg.* [n] *de Conſtance.*

mitiis deduci in poſterum pateretur: in eo pernicioſe peccaſſe Carolum V; qui, dum CIƆIƆLXVI.
ſe negotiis ſacris immiſcet, confeſſionem Auguſtanam a Philippo Melanchthone CAROLUS IX.
conſcriptam in comitiis proponi paſſus eſſet, et alio poſtea remedio auctoritate Caeſarea intempeſtive uſus, dum ita religioni conſultum putat, religionem in diſcrimen revocaverit: id rerum confuſioni et turbis, quae poſtea in Germania incrementum ſumpſerint, cauſam dediſſe; facturumque melius maximum alioqui imperatorem fuiſſe, ſi venienti malo, cujus principia ſemper infirma ſunt, mature ac validis remediis occurriſſet: nunc, libertate peſſima in Imperio permiſſa, ſpiritum vertiginis inter Germanos regnare, et, quot homines a vera Romana religione diſſident, tot Sectas eſſe, fluctuantibus in incerto opinionum ſalo ingeniis, et cum locorum mutatione pariter mutantibus: eam opportunam occaſionem a Deo oblatam videri, ut malo tempeſtivum remedium adhibeatur, diſſidentibus partibus, quae bene convenientes difficilius ad officium reduci poſſent: inprimis procurandum eſſe, ut concilium nuper Tridenti celebratum ubique in Germania publicetur; et, ſi per univerſam Germaniam non poſſit, ſaltem in civitatibus, quae majorum religionem retinent, promulgetur, [a] Salſeburgi, Conſtantiae, Eiſteti, Auguſtae, Friſingae, Paſſavii, Brixinae ac Tridenti: et, quoniam epiſcopi, quo minus dioeceſanas ſynodos celebrare poſſint, eo impediuntur, quod metropolitani, a quibus initium fieri debuit, nondum ſuas celebraverint, agendum cum [b] Moguntino ac ceteris archiepiſcopis, uti concilium Tridentinum in ſynodis ſuis recipiant; ut eorum exemplo ſuffraganei in dioeceſi quiſque ſua illud publicandum curent: monendum vero Colonienſem, ut confeſſioni juxta concilium Tridentinum promulgatae, et in cujus verba per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, [c] Sarmatiam, [d] Pannonias paſſim epiſcopi, etiam in Germania plerique, juraverunt, et ipſe ſubſcribat; ſi facere detrectet, cenſurae eccleſiaſticae ſubjiciatur, et ſeptemvirali dignitate abdicetur: providendum item Caeſari, quandocunque contigerit Magdeburgicum praeſulem nuper electum fatis concedere, ne ſeptemvir Saxo in eam matricem totius Germaniae eccleſiam, uti jam in treis vicinos epiſcopatus fecerit, manus injiciat: eandem de [e] Argentinenſi epiſcopatu ſolicitudinem eſſe debere: libros Sectariorum et improbatae lectionis, quantum fieri poteſt, prohibendos eſſe; pios ubique et publicandos cum cura et diſſeminandos: praemia viris doctis a praeſulibus opulentis proponenda; et ſeminaria ubique in civitatibus juxta concilii Tridentini praeceptum inſtituenda: poſtremo, agendum cum Caeſare ac reliquis Imperii principibus, ut quamprimum Palatini ſeptemviri audacia, qui aliam a confeſſione in comitiis recepta amplectatur, et praeſules vicinos et in ditione ſua et ubique diverſis vexationibus oppugnet, auctoritate Imperiali coerceatur. Quod de Palatino addidit, non fruſtra fuit. Nam Commendonus, captata occaſione, cum videret Chriſtophorum [f] Wirtembergicum et Wolſangum [g] Baioarum Bipontinum infeſtis animis in Palatinum ferri, qui, praeter duas Catholicam et Auguſtana confeſſione comprehenſam doctrinam, nullas alias in Imperio admittendas contendebant, ita enim in comitiis decretum eſſe, Caeſarem adit; et, ut tam pulchram occaſionem Sectarium virus ex Imperio expellendi minime praetermitteret, monuit; quod ille non ſegniter fecit: habitoque ſuper ea re principum concilio, Palatino denunciatum eſt, ut ſeptemviratu cederet, quem Caeſar in ejus filium libenter collaturus eſſet; aut Calvinianae Sectae paſtores ditione ſua excluderet. Sed, cum ille, niſi cauſa cognita, Calvinianam religionem damnari minime aequum eſſe diceret, et id communis hoſtis atque adeo pontificis aſtu fieri, ut commiſſis inter ſe Imperii principibus publicam Germaniae pacem turbaret, Auguſtus

Saxo

INTERPR. [a] *Saltzburg, Conſtance, Aichſtadt, Augsburg, Friſingen, Paſſau, Brixen, & Trente.* [b] *Pelecteur de Mentz* ou *Mayence.* [c] *Pologne.* [d] *Hongrie & Auſtriche.* [e] *Strasbourg.* [f] *le duc de Wirtemberg.* [g] *de Baviere, duc de Deux Ponts.*

CIϽIϽLXVI.
CAROLUS IX.

Saxo ſeptemvir jam totus in bellum contra gentileis ſuos intentus, et qui vereretur, ne, turbata Imperii quiete, illi majores animos ſimul ac vireis ſumerent, interceſſit; et cum aliis principibus, qui Palatinum oppugnabant, conſilia ac vireis conjungere recuſavit: et ita conatus Commendoni et aliorum principum irritus evaſit.

VIII. VENERAT ad comiria Kalend. Maiis ad Caeſarem Bernardinus [a] Bocatellus Redonum epiſcopus de nuptiis regis cum Maximiliani filia acturus; a quo, quinque poſt diebus, Hiſpanorum et Thomae [b] Perrenoti Chantoneti in primis, qui res Philippi apud eum procurabat, conſiliis et violentia circumvento, reſponſum indignum juxta et inſolentiae plenum ſcriptis mandatum tulit. Eo praefatus Caeſar, ſibi gratiſſimum accidiſſe, quod ſereniſſimus et Chriſtianiſſimus rex arctiorem adfinitatem ſecum exoptet, exiſtimare quoque ſe ait, hoc regis deſiderium a bono ac ſincero animo proficiſci; qui ſciat, quo arctioribus vinculis Caeſarea majeſtas et univerſa inclyta domus Auſtriaca cum ipſo inclytoque Franciae regno conſociata fuerit, eo quietiorem et pacatiorem quoque fore totius Chriſtianae reipublicae ſtatum, plurimique momenti allaturam hujuſmodi conjunctionem ad propagandam divini nominis gloriam, et propulſandam vim ac potentiam Turcicam, quae Chriſtianorum diſcordiis in eam excrevit magnitudinem, ut jam non formidoloſa ſolum, ſed, niſi conjunctis animis ac viribus obviam illi propediem eatur, procul dubio Chriſtiano orbi perniciem ſit allatura: ſe vero non citius reſponſum dediſſe, quod de ea re prius ſereniſſimum et Catholicum Hiſpaniarum regem fratrem ac patruelem ſuum chariſſimum, quicum arcta adeo neceſſitudo ſibi intercedat, ut alter alterius negotia citra ullum fere diſcrimen eodem loco, quo propria, habeat, conſulendum duxerit. Licet igitur non deſit, cui majeſtas Caeſarea minorem natu filiam, nam de grandiori jam ſtatuiſſe, pro dignitate et commodo inclytae domus Auſtriacae elocare poſſit, tamen, quia majorum ſuorum veſtigiis inſiſtens publicam Chriſtiani orbis et ſacri Imperii Romani, cujus jura ac ditiones tueri, reciperare et augere teneatur, utilitatem privatis commoditatibus ſemper antepoſuerit, non recuſare, quin his conditionibus matrimonium a rege expetitum contrahatur: Ut ante omnia rex [c] Metenſem, Tullenſem ac Virodunenſem epiſcopatus, quae ſunt inſignia ſacri Imperii Romani membra, in priſtinam libertatem ac eum ſtatum reſtituat, in quo erant, [α] priuſquam ab Henrico regis parente occupati ac diſtracti fuiſſent: ut rex confeſtim bona fide ac ſine ulla diſſimulatione expreſſe renunciet paci et amicitiae principis Turcorum, ſeque Caeſari contra illum conjungat, atque, ut univerſo terrarum orbi de iſtiuſmodi conjunctione ac foederatione certo conſtet, mox valida auxilia in regnum Hungariae deſtinet, eaque in limite ſumptibus ſuis alat: additum, ut ipſi Caeſari, ſi contigerit, ut inter Chriſtianiſſimum et Catholicum reges bellum oriatur, liberum ſit cum Catholico rege defenſionem jurium domus Auſtriacae et Burgundiae ſuſcipere. His conditionibus [β] Caeſar ſe de matrimonio cum rege tranſigere paratum oſtendit: et a Redonenſi petit, ut reſponſum hoc non ſine matura deliberatione factum ad regem perferat. Poſtridie quam traditum reſponſum eſt, et Non. Maii, Redonenſis ad Caeſarem cum ſcripto redit: et illud ſe legiſſe dicit; ex quo cognoverit, indignam honorifica adeo regis erga Caeſarem voluntate, quam et adfinitate arctiore cumulare jam a triennio expetiverit, gratiam referri: ac ſe exiſtimaſſe, ſi quidem rationes Caeſaris non ferrent, ut de eo, quod ſuum eſt, libere ſtatuere poſſet, ut honeſtiore erga regem excuſatione uteretur; et regem quidem eam in bonam partem accepturum fuiſſe: nunc conditiones, quae proponerentur, non matrimonii eas, ſed pacis leges videri, quae victo a victore praeſcriberentur: nec vero eo res regis redactas eſſe, quicquid Hiſpani jactitent, ut quidvis pati et facere cogatur; qui quidem extra matrimonii cauſam,

cum

VAR. LECT. [α] priuſquam a piae memoriae ſereniſſimo quondam rege Henrico regis parente *D.* f.
[β] a rege adimpletis et acceptatis, nec aliter, Caeſar *D.* d.

INTERPR. [a] *Bochetel, evêque de Rennes.* [b] *Perrenot de Chantonet.* [c] *de Mets, Toul, & Verdun.*

Digitized by Google

cum ſe belli Turcis inferendi occaſio obtulerit, ut primarium inter Chriſtianos principes regem decet, in ſumptuum et periculi partem ultro ſit venturus: ſed nolle, ut potius uxori ſuae quam ſibi orbis Chriſtianus ob id obſtrictus ſit: nam alioqui aequalia omnia eſſe, et dignum regem tali conjuge; eaque verborum modeſtia hactenus negotium tractatum, ut expetendum fuerit, alia ratione ab eo diſcedi: nec magis ad rem facere, quod quaſi proteſtationis loco additum eſt; ſi quidem bellum inter reges oriatur, adfinitate cum rege contracta minime prohiberi Caeſarem, quo minus Catholico regi contra regem Chriſtianiſſimum ſe conjungere poſſet: nam id praemature dici, quippe firma inter duos reges pace et amicitia: quod ſi accideret, ut inter ſe diſſiderent, tamen hoc ad Chriſtiani principis officium pertinere, ne cum prior laceſſeret, a quo nullam injuriam accepiſſet, ſive ejus filiam in uxorem duxerit, ſive non duxerit: quod ſi aliter ſentiret, tamen expectandum fuiſſe, dum rex cum pactis ad id adigere vellet, ut ſuperveniente inter reges bello neutrius partibus ſe addiceret: tunc enim, nec prius, tempeſtivum fore mentem ſuper ea re ſuam aperire. Quae omnia non a ſe dicantur, ut Caeſarem ulterius de matrimonii negotio urgeat, quod pro omnino abrupto habeat, nec vero regem in poſterum de eo verba facturum, ſed ut apud eum in parte juſto dolore ſe exoneraret, ex ſcripto illo minime ad regis amicitiam ac dignitatem reſpondente concepto: ceterum Caeſarem rogare, excuſatum ſe habeat, ſi neque ſcriptum illud accipiat, neque quidquam earum conditionum ad regem referat. His dictis, cum inſtaret Caeſar, ut reſponſum ſcripto mandatum ſibi traderet, recuſavit Redonenſis; et a ſe pariter atque a Caeſare dicta nihil ad rem, de qua agebatur, facere reſpondit: et ita a Caeſare dimiſſus eſt; qui poſtea Redonenſis animum ſimul et prudentiam laudavit, cum ſe a Chantoneto et Hiſpanis deceptum intelligeret, nihil aliud molientibus, quam ut rebus noſtris vel cum Caeſaris jactura incommodarent: quod et Caeſar per Philippum comitem Rheni, qui aderat, rebus noſtris valde addictum, Redonenſi non obſcuris verbis significandum curavit. Regina per literas Alſonſo Ferrarienſi negotium dederat, ut de eo matrimonio cum Caeſare ſermones fereret: ſed, temporum habita ratione, e re ac dignitate regis viſum eſt,. ut ſuperſederetur. Ita negotium illud omnino tunc intermiſſum eſt, quod quadriennio poſt retractatum ac tandem confectum [α] eſt.

CIƆIƆLXVI.
CAROLUS IX.

IX. DUM haec [a] Auguſtae agerentur, Carolus Caeſaris frater indicta [b] Poſonii comitia celebravit; tam facileis Hunnicorum procerum animos nactus, ut non ſolum univerſis ejus poſtulatis in tam juſta ac neceſſaria cauſa aſſentirentur, ſed etiam ultro in eam expeditionem profecturos ſe profiterentur, ſi aut Caeſar vel quiſpiam ex ejus fratribus huic bello intereſſet. Quibus confectis, Viennam ſine mora tendit, et eandem gratiam ab Auſtriacis impetrat, collationibus pecuniarum ex provinciae conſenſu imperatis ad munitiones urbis inſtaurandas et aliis in eam rem utilibus decretis factis. Sub exitum comitiorum Auguſtus ſeptemvir, qui cum CIƆ IƆ equitibus egregie inſtructis venerat, ſolitis ceremoniis magna pompa diploma a Caeſare ſuſcepit. Eadem gratia [c] Winarienſium fratrum et Palatini ſeptemviri abſentis legatis facta.

X. IN his comitiis praeterea III Eid. Mart. Gulielmus Grumbachius, qui [d] Herbipolim ante triennium inſidioſe occupatam diripuerat, cum Erneſto [e] Mandeſloo et Gulielmo [f] Steinio ac ſociis, qui apud Joannem Fridericum Saxonem in arce [g] Gothana receptum habebant, publice denuo proſcriptus eſt.

XI. INTEREA Joannes Tranſilvanus, ſumptis regis [h] Pannoniae, [i] Illyrici, Croatiae ac Stiriae electi titulis, literas ad urbes, proceres ac nobilitatem provinciarum illarum dat; quibus ſignificabat, Turcorum imperatorem per literas a cubiculario ad ſe allatas ſibi ſerio mandaſſe, ut univerſos regni Pannonici ordines ad obſequium ac

fidem

VAR. LECT. [α] eſt; ut ſuo loco videbimus. *D. f.*

INTERPR. [a] *Augsburg.* [b] *Presbourg.* [c] *les ducs de Saxe-Weimar.* [d] *Wirtzburg.* [e] *Mandeſloe.* [f] *Stein.* [g] *de Gotha.* [h] *Hongrie.* [i] *Dalmatie.*

CIↃIↃLXVI.
CAROLUS IX.

fidem ſibi amice praeſtandam hortaretur: rem ſibi admodum gratam fore, ſi mutuam inter ſe concordiam tuerentur, ac ſuum obſequium certantibus erga ſe ſtudiis conteſtarentur, ne toties copias militareis inſtruere, bellumque damnoſis ſumptibus parare, ac tam laborioſa itinera ſuſcipere cogerentur: itaque ſibi in tempore conſulerent, antequam ipſe in Pannoniae fineis penetraret; nam ſero de ſalute, hoſte ſemel intra viſcera accepto, cogitaturos. Quibus Solimani mandatis ſatisfaciens, pro ſui muneris functione ac propenſa voluntate, qua erga rempublicam afficiatur, hos officioſe ac benigne hortatur, ut, ſi ſe ſalvos cupiant, jam tandem reſipiſcant, et mature in commune conſulant, et, dum licet, perniciem patriae, ipſis liberiſque eorum imminentem avertant: ſe pro ſua clementia daturum operam, ut nunquam ipſum ſui diſſimilem experiantur; et apud Solimanum enixurum, ut reipublicae Chriſtianae ſalutem ac communem patriae utilitatem ſibi praecipuam eſſe intelligant. Ob id [a] Thordae comitia indicit VI Eid. Mart. quo ſi ſinguli venire non poſſint, ut ſumptibus parcatur, pretium videri, ut quatuor viros auctoritate ac prudentia praeſtanteis ad comitia cum plena tranſigendi facultate tranſmittant. Hujus epiſtolae cum complura exemplaria per Pannoniam et finitimas provincias divagarentur, Schuendius, qui tunc ad [b] Ungnanum morabatur, ad illam reſponſum protinus conſcribi ſuo tanquam Caeſaris per eas provincias legati nomine curat IIII Non. Mart. quo ex occaſione literarum Tranſilvani ſuco plenarum proceres hortabatur, ut a Joanne ſibi caverent, patrocinium communis Chriſtianorum hoſtis oſtentante, quaſi Turcorum tyrannus de ſalute ipſorum ſollicitus eſſet, aut eorum, quae ad ipſorum incolumitatem pertinent, curam gerat; cum contra, CC abhinc et amplius annis, et ipſe ac ejus majores nihil magis in votis habuerint et elaboraverint, quam ut florentiſſimum hoc olim regnum vi et armis et, cum aliter non poſſent, inſidiis, dolis et excitatis inter proceres diſſenſionibus everterent: neque vero de fide eorum aut prudentia dubitaret; ſed ſui officii exiſtimaſſe, eos commonefacere, ut nihil de priſtino ſtudio erga patriam ac Caeſarem remittant, et ad bellum non modo juſtum ſed neceſſarium ſe parent, quippe pro aris et focis ſuſceptum, et cujus proinde felicem a Deo exitum ſperare debeant; ſibique perſuadere Tranſilvanum, qui tot calamitatibus cauſam dederit, debitas impietatis poenas mox daturum. Poſtremo univerſis nomine Caeſaris mandat, ut poſthac cum Tranſilvano nihil commercii habeant, nec, niſi contumaces haberi et graviſſima ſupplicia experiri velint, quenquam ad ejus conventus ablegent.

XII. JAM et Joannes et Turci in armis erant; et [c] Ainaſeum oppidum praecipuo milite nudatum haud longe ab [d] Agria per abſentiam praefecti ſcalis admotis inopinato aggreſſi IX Kal. Maii vi capiunt, trucidatis defenſoribus. Quo ſucceſſu inflati cum caſtra ad Sigethum promoviſſent, egreſſo in occurſum Nicolao Serinio cum delectis acriter et diu pugnatum fuit quatuor horarum ſpatio; ac poſtremo hoſtes in fugam compulſi Quinqueeccleſias ſe receperunt.

XIII. SUB id tempus, ſolutis Auguſtae comitiis, Caeſar praecipuis ducibus Germanis mandat, ut militem paſſim conſcribant; qui fere ii erant; Philibertus marchio Badenſis, Georgius [e] [α] Helfeſtenius, Nicolaus Hatſtatus, Gul. [β] Wallerthumbius, Ludovicus Ungnadus, Buchardus Barbius, Jacobus [γ] Schullembergius, Chriſtophorus Schellendorfius, Georgius Praunus, Guntherus comes Schuartzenburgicus, Chriſtophorus Liechtenſtanius, Zacharias Grumbergus, et Bernardus Hardecus. Inde Caeſar Viennam contendit, quae ſuperioris olim Pannoniae nunc Auſtriae metropolis eſt; in qua fere domicilium ſibi delegit. Mox nuncius ad eum venit, Solimanum

VAR. LECT. [α] Helfenſtanius *D.* f. o. [β] Vellerthumus *D.* f. o. [γ] Schellemburgus *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Torda.* [b] *Ungnano* [c] fortè *Hamaski*, qui eſt proche d'Agria. [d] vulgo *Egger & Erla* [e] *les comtes G. Helfenſtein, de Hatſtadt, Wallerthumb, Ugnad, de Barby, de Schulemberg, de Schellendorf, de Praun, Gonthier comte de Schwartzenburg, Chr. de Lichtenſtein, Z. de Gromberg, & B. de Hardeck.*

Digitized by Google

manum ipſum [a] Byzantio egreſſum magnis itineribus per [b] [1] Sophiam Moeſiae urbem CIƆIƆLXVI.
et [c] Niſam in Bulgariam cum LXX CIƆ armatorum perveniſſe, atque [d] Taurunum con- CAROLUS IX.
tendere, praemiſſis Hali [e] Perthao purpurato et compluribus provinciarum praetoribus, dato item negotio equitum tribuno Aſiae minoris, ut per Gallipolim tranſiens cum acceptis ibi copiis ſecum jungeretur. Ubi vero Taurunum venit, Joannes ad eum profectus eſt cum muoeribus, et ad conſpectum admiſſus tutelarem ejus manum deoſculatur, gratias agens, quod clientem ſuum tam ſtudioſe ab injuria tueri pergeret. Interea Schuendius [f] Huſtum oppidum arcta obſidione cinctum oppugnabat; quoque propius hoſtem ſciret, eo magis obſidionem urgebat. Diverſa parte, purpuratus [g] Budenſis Palotam oppidum, quod octavo lapide a [h] Javarino abeſt, haud longe ab [i] Alba-regali, VIII Eid. Jun. obſideri coeptum, cum octiduana pulſatione fere moenibus denudaſſet, praefectus loci Georgius [k] [α] Thuvrius, vir ſtrenuus, et qui jam aliquot impetus ſumma virtute ſuſtinuerat, graviter ex fragmeoti ſaxci ictu reſiliente vuloeratus eſt: magnoque in periculo oppidum erat, urgente obſidionem purpurato, ut ante adventum Solimani operae pretium aliquod feciſſe videretur; et deſenſores in eo erant, ot abjecta auxiliorum ſpe de deditione cogitareot; cum metu de auxiliaribus a tergo venientibus injecto Turci ſubito obſidiooem ſolvunt, abductis ſecum tormentis, uno tantum relicto ante conſracto, et aliquot cadis ſulphureo pulvere et farina plenis, quibus noſtri potiti ſunt. Veoerat Javarinum Georgius comes [l] Helfeſtenius, adductis ſecum XII peditum vexillis. Is XVIII Kal. Quintil. plauſtra XC pabulatum emittit, adjunctis IƆ CCCC delectis peditibus; quos conſpicati exploratores Turci, majores copias eſſe rati, quam re vera eſſent, trepidum nuncium ad purpuratum afferunt; qui miſſos ſuſpicatus, ut obſidionem ſolverent, mox vaſa conclamari jubet, et praeter ſpem obſeſſorum a Palota diſcedit; cujus ſtatim muri ab hoſte diruti, aucto arcis praeſidio, inſtaurati ſunt. Jamqoe IIII Germanici peditatus legiones convenerant, ducibus Romero, [m] [β] Wallerthumbio, Balderduno, Helſeſtenio et [n] Polvillerio. Equitum Teutonicorum XX CIƆ fuiſſe memorant, IIII Hungarorum egregie armis inſtructorum. Auxiliares item externi et complures in exercitu numerati ſunt. Nam Sabaudus CCCC equites ſcloppetarios ſummiſit: Coſmus Florentinorum dux III CIƆ peditum ad Caeſarem miſſa ſuis ſumptibus alebat: Willelmus Gonzaga Mantuae dux, pecunia, reſpublicae item Genuenſis et Lucenſis, eum adjuverunt: Ferrariae vero dux Alfonſus [o] Aeſtious, ultra C aureorum CIƆ Caeſari commodata, cum magno nobilium fortiſſimorum ~~virorum~~ numero bello intereſſe voluit: atque alii plerique ex diverſis Europae partibus reguli, proceres ac nobiles, ſola rei fama impulſi, ſumma alacritate in caſtra confluebant. Claſſem quoque Caeſar in Danubio inſtruxerat; in qua erant XII triremes, ac XXX naves onerariae, quae III CIƆ ſcloppetariorum fere Italorum, quibus praeerat [p] [γ] Flacchus Germanus militiae Melitenſis eques, et pleraſque praeterea machinas portabant, ab omoi ſagittarum injuria tutae.

XIV. INTERIM, dum omnes ad Javarinum coovenirent, Eccius [q] Salmenſis comes loci praefectus cum potiore copiarum parte Palotam, quae inſtaurabatur, venit. Ibi relicto commeatu et impedimentis, cum delectis equitibus [r] Veſprioium, quod II CIƆ paſſuum abhinc abeſt, urbem amplam nec ſatis munitam excurrit, ut loci ſitum e propinquo contemplaretur, reliquo exercitu exiguo iotervallo ſubſequi juſſo. Propinquantibus praecurſoribus, loci praefectus tormenta in noſtros diſplodi jubet; quorum diſploſiooe cum pars moenium ruinoſa et vetuſtate infirma corruiſſet, Salmenſi

VAR. LECT. [α] Thurigerus *ubique* D. f. o. d. [β] Wallerthumbio *deeſt* D. f. o. d. [γ] Blachus D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Conſtantinople.* [b] *Sofia en Bulgarie.* [c] *Niſſa.* [d] *Belgrade.* [e] *Pertau Baſcha.* [f] *Huſt.* [g] *baſcha de Bude.* [h] *Raab.* [i] *Stul-Weiſſenburg.* [k] *Thuvry.* [l] *d'Helfenſtein.* [m] *de Wallerthumb.* [n] *le baron de Folkweiler.* [o] *da Eſte.* [p] *Flacck, chevalier de Malte.* [q] *le comte de Salms.* [r] *Veſprin.*

NOT. [1] Sofia ſur les confins de la Servie & de la Bulgarie: Moeſia inferior nunc Bulgarie. *Put.*

CIƆIƆLXVI.
CAROLUS IX.

menſis caſum in omen vertit; et, cum captis Turcorum exploratotibus intellexiſſet, praefectum loci conſilio Chriſtianis incommodandi oppido egreſſum magnam praeſidii partem ſecum duxiſſe, ſtatim copias accedere juſſit, quae noctis interventu nihil eo die molitae ſunt: ſed, ſtatim ſummo mane ſcalis admotis, cum praeſidiarii fruſtra noctem ruinis ſarciendis impendiſſent, impetum faciunt; et teſtas artificioſis ignibus ardentes in interiora jaculati portas exuſſerunt, et oppido potiti vigiles trucidarunt, praecipuis fruſtra in arcem confugientibus et ſubter fornices latentibus; qui inde producti ad unum fere interfecti ſunt, quod non ita pridem captivos magno numero Chriſtianos ſumma immanitate occidiſſent. Proceribus quibuſdam captis parcitum, qui ſtatim [a] Poſonium, ut in arce aſſervarentur, ſub cuſtodia miſſi ſunt. [b] Salmenſis Thuvrio cum idoneo praeſidio Veſprinii cuſtodiae impoſito Javarinum redit. Succeſſum hunc triſtitia admixta turbavit, nuncio allato, noſtros, qui [c] Leventium oppidum haud procul a montanis caſtellis tuebantur, cum ad hoſtem invadendum egreſſi eſſent, a diſpoſitis inſidiis circumventos, pluteiſque illorum partim vulneratos partim captos; inter quos fuit Barthol. [d] Horvatus, vir eximia virtute ac militari peritia clarus. Inde [e] Tattam ſive Theodatam a noſtris itum, quod eſt oppidum inter Javarinum ac [f] Comaram, ex quo Caeſarianis multum damni inſerebatur. Id valde exiguum eſt; et diſtat a Danubio introrſus contra Comaram paucis milliaribus Hungaricis. Salmenſis XIIII Kal. Sextil. prima luce copias admovet; et conſpecto quodam Turco de facie ſibi noto colloquium poſcit, quod a praeſidiariis permiſſum eſt: per eumque denunciat obſeſſis, ſi ultconeam deditionem faciant, ſe illos incolumeis, ſalvis rebus, dimiſſurum. Cum negaret Turcus, illos aſſenſuros, et exiguam moram peteret, dum reſponſum a Budenſi praefecto peterent, hac lege, ut nihil interim utrinque moveretur, noſtri poſt aliquod ſpatium vim faciunt, et pari vi intus res a praeſidiariis geritur; qui XXIIII muralibus machinis continua diſploſione noſtros arcebant. Salmenſis contra VI admotis [g] Viroduno negotium dat, ut ea parte, qua magna ſtrage moenia dejecta erant, cum ſuis vim faceret. Cum vero res periculo non careret, ſi ab una parte obſeſſos adoriretur, ille ſic ſuos diſtribuit: in vallis ſiniſtro latere CIƆ ſceloppetarii locati, qui umbilico tenus aqua extarent; et totidem ad eam murorum partem, quae pulſatione diruta erat: ipſe cum II CIƆ peditum oppidi portam profectus illico invaſionis ſignum dat. Praeſidiarii, qui totam belli molem ad ruinam incubituram putarent, eo accurrunt univerſi; et contra noſtros, aqua tranſmiſſa, irrumpenteis totis viribus dimicant. Interim Salmenſis ad portam impetum facit: qua refracta nec opinato ingreſſus, undique circumventos defenſores fere trucidat, L tantum, qui ſe in turrim incluſerant, ſalvis, qui deditionem fecere. In iis erant loci capti et Veſprinii praefecti, et quidam alii duces primarii, qui Viennam ſub cuſtodia tranſmiſſi ſunt: ubi, rei bene geſtae nuncio ad Caeſarem IX Kal. Sextil. allato, gratiae Deo actae et ſupplicationes decretae. Mox [h] Geſterum caſtellum ab incolis Turcis metu adventantis Salmenſis deſertum: quorum exemplo [i] Vethaimenſes, Iſchochiari, Sanbochiani, et aliorum caſtellorum incolae, flamma ptius injecta, Strigonium ſe receperunt; quo et iturus Salmenſis putabatur. Ita pacata circum regione, quae antea a praedonibus, quos Hungari [k] Heidones, Poloni Coſacos, Dalmatae [l] Uſcochos, Turci et [m] Illyrici Martelloſos, [α] Germani [n] Freibuteros vulgo nominant, huc illuc libere diſcurrentibus infeſtabatur; proxima cura fuit omnia comparare, quae ad potentiſſimi hoſtis adventantis impetus ſuſtinendos neceſſaria eſſent, et interea, copiis ad Javarinum contractis, ejus motus ac progreſſus obſervare. Et Maximilianus pius princeps, qui vireis humanas citra divini Numinis gratiam debileis ac-

VAR. LECT. [α] Germani Freibuteros *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Presbourg.* [b] *le comte de Salms.* [c] *Lewentz.* [d] *Horwat.* [e] Germ. *Totes & Dotis,* Hung. *Thatan.* [f] *Comar.* [g] *Verdun.* [h] *Geſtern.* [i] *ceux de Vithan, Iſchoki, Sanbochi.* [k] *Heiducques.* [l] *Uſcoques.* [m] *Sclavons Marteloſſes.* [n] *Freybeutters.*

Digitized by Google

ac fluxas ſciret, ante omnia inſtituerat, ut Viennae et in caſtris ad tintinnabuli ſonitum omnes in genua procumbentes publicis precationibus pro communi ſalute quotidie defungerentur. Itaque paſſim videre erat, in urbe per vicos et extra per vias cunctos ad ſignum ſtatim genua flectere, et, ſi in equis eſſent, mox ex equo ad preces faciendas deſcendere. Omnia item ſpectacula, luſus, tripudia et hujuſmodi lenocinia, quibus homines ad voluptatem alliciuntur, edicto prohibita. Sub id tempus Hadrianus [a] Baleonus, vir militari laude inſignis, Viennam ex Italia venit feſtinatis itineribus; qui poſtea Italis auxiliaribus a Caeſare praefectus eſt. Eum paulo poſt Alfonſus Caſtaldus ſubſecutus eſt cum copiis ſuis. Venere et a Sabaudo CCCC ſclopetarii equites egregie inſtructi, ductore [b] Camerano comite viro ſtrenuo: et a Coſmo auxiliares miſſi, ductore Aurelio [c] Fulgoſio. Multi etiam reguli ac proceres ad famam exciti ex diverſis orbis partibus huic militiae ultro nomen dedere. Ex noſtris Henricus Lotharingus ducis Guiſii in [d] Aureliani obſidione interfecti filius adhuc puer, innata genti animi magnitudine jam in illa aetate decoris bellici cupidus, [*] cum delecta Gallicae juventutis manu in caſtra venit: et mox Timoleon [e] Coſſaeus, Philippus Strozzius, [f] Vidus Sangelaſius Lanſacus; qui, priore anno cum [g] Melitam ſerius veniſſent, perluſtrata Italia in [h] Pannoniam conceſſere. Ex Britannica nobilitate [1]Thomas [i] Smithus, Gulielmus [k] [α] Gorgeus, Henricus [l] [β] Champernounus, Philippus [m] [γ] Butſhidus, Richardus [n] [δ] Grenvillus et Thomas [o] [ε] Cottonus. Albertus [p] Laſcus illuſtris Sarmatiae regulus, qui in Pannonia multa caſtella poſſidebat, ne indociae inter Polonos et Turcos pactae violari viderentur, ipſe non tanquam Polonus, ſed veluti unus e Pannoniae regulis cum ſuis Pannonico habitu indutis, ii III CIƆ Sarmatae equites erant, ad Caeſarem venit. Ibi quid facto opus eſſet conſultantibus, initio placebat [q] Strigonium ducendum eſſe; quo capto magnum operae pretium fieri, et Turcos ab oppugnatione [r] Julae et Sigethi abduci. Verum alii contra diſputabant, obſeſſo Strigonio neceſſitatem aleae proelii ſubeundae imponi, tam vicino Solimano: quod cum vitandum eſſet, ne uno certamine, cujus exitus anceps ſit, totius Chriſtiani orbis vires in diſcrimen vocarentur, eam obſidionem in aliud tempus magis opportunum differendam videri. Quam in ſententiam abiit Maximilianus: et in praeſentiarum ſatis habuit, [s] Noricos ac Pannonicos fineis tueri; juſſo Salmenſi copias ſuas a [t] Tatta, quae longius a Danubio aberat, quam ut illuc commode commeatus convehi poſſet, in caſtra adducere.

XV. SUB id tempus Schuendio, qui certo conſilio in Pannonia ſuperiore et agro [t] Cepuſienſi, dum Caeſar caſtris ad [u] Javarinum poſitis cum numeroſiſſimo exercitu hoſtium motus ac progreſſus obſervaret, ſubſiſtere juſſus fuerat, cum Tataris, Joannis rogatu a Solimano excitis, res fuit. Nam, cum illi late cis et trans Tibiſcum curſitantes praedis abactis omnia infeſta facerent, et homines cujuſvis aetatis ac ſexus partim trucidarent partim in ſervitutem raperent, ſuſtinuit primo impetum Schuendius, eos quippe numero ſuperiores adoriri nequaquam tutum ratus, dilato in hoc uſque tempus proelio, quo praecocium fructuum et uvarum maturarum eſu homines voraces ſemetipſos conficerent: tum eos morbis languidos et numero non parum deminutos adortus, ad X CIƆ nullo prope negotio cecidit, et finibus ejecit, praetorum Turcicorum, quorum ductu in Pannoniam deſcenderant, altero interempto, altero lethaliter vulnerato: deinde Georgii Bebeci, qui a Caeſare ad Joannem tranſfugerat,

D. f. [*] *ex conſilio cardinalis patrui,*

VAR. LECT. [α] Georgius *D.* f. o. Georgaeus *Ed. Gen.* [β] Cambernonus *D* f. o. Champernonus *Ed. Gen.* [γ] Budaſaltus *D.* f. o. Budſallus *Ed. Gen.* [δ] Greivevillus *D.* f. o. [ε] Gottonus *D.* f. Vottonus *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Baglione.* [b] *le comte de la Chambre.* [c] *Fregoſe.* [d] *Orleans.* [e] *de Coſſé, comte de Briſſac.* [f] *Guy de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [g] *Malte.* [h] *Hongrie.* [i] *Smith.* [k] *Gorge.* [l] *Champernoun.* [m] *Butſhide.* [n] *Grenville.* [o] *Cotton.* [p] *Laski, palatin de Pologne.* [q] *Gran.* [r] *Giula & Zighet.* [s] *Auſtriche.* [t] *Dotis.* [t] *Zapſy.* [u] *Raab.*

NOT. [1] Dele *Thomas*: Lege *Joannes.* C.

CIↃIↃLXVI. CAROLUS IX. fugerat, et cum Turcis ſe conjunxerat, arces aliquot [a] Zabaticam, Pelſozitim, Gombazzecum, Craſnahurcam, Gadigen, aliaque his vicina caſtella ac munitiones expugnavit. Jamque Solimanus in eo erat, ut [b] Tauruno progrederetur, cum miſſi praecurſores trajecto Dravo noſtris occurrerunt, haud longe ab arce [c] Sicloveſcha, quos Serinius de hoſtium adventu per exploratores certior miſerat, ducibus Gaſpare Alapiano, Nic. Cobacho, et multis aliis delectis centurionibus, qui, ſi occaſio rei bene gerendae ſe offerret, incautos invaderent. Hi palanteis ſummo mane nacti, metu injecto quaſi major numerus ſequeretur, caedunt, pleroſque in fugam vertunt, duce ipſorum graviter ſauciato, et poſtea in paluſtribus locis, ubi ſe occuluerat, extincto. Filius ejus cum aliis captus et Sigethum abductus cum praeda ingenti; In qua, praeter camelos, equos, mulos et alia jumenta, multa quoque vaſa aurea et argentea reperta ſunt, nec non multum auri et argenti ſignati. Univerſo exercitui Caeſar praefecerat Ferdinandum fratrem, et per ejus abſentiam Guntherum [d] Schuartzenburgicum; Paulum item [e] Jaderenſem tormentorum praefectum creaverat. Ipſe pridie Eidus Sextil. Vienna diſcedit, imperatorium vexillum Joanne Friderico duce Pomeraniae praeferente, et recta [f] Altemburgum, quod II CIↃ paſſuum a Javarino abeſt, contendit; quo jam Bohemus equitatus venerat, in VII cohortes diſtributus, quae ſuis ſumptibus merebant: item equitatus a Sileſia et Luſatia ſummiſſus, cui [g] Teuſelus et Schuartzenburgicus praeerant. Eodem tempore ad Caeſarem venit ex Italia Proſper [h] Columna, Angelus [i] Caeſius et Nic. Gambara, ſinguli cum comitatu ſuo; et poſt eos Alſonſus [k] Ateſtinus Ferrarienſis cum CCCC nobilibus egregie ornatis, CCC ſcloppetariis, C levioris armatutae ac totidem cataphractis equitibus, ductoribus Cornelio Bentivolio et [l] Herculano Conrario, quaſi ad ſpectaculum egregie inſtructis. Venere et in caſtra Wolfangus et Richardus [m] palatini Neoburgici, et [n] Baioarus minor natu princeps.

XVI. INTEREA Solimanus, tranſito [o] Savo, quo [p] Dravum quoque, qui, e Valeriae ſeu Stiriae regionum ac Noricis montibus ortus, [q] Mora accepto, in Danubium evolvitur, copias trajiceret, admirandi operis pontem ſtruere aggreſſus, ultra milliare porrectum et XIIII cubitos latum XII dierum ſpatio inchoavit et abſolvit, XXV CIↃ hominum in eo opere uſus, aemulatione Caeſariani illius pontis ſumma celeritate et ſolertia olim ſupra Rhenum ſtrati. Nam princeps ille, nulli majorum ſuorum animi magnitudine inferior, etiam hiſtoriarum lectione delectabatur, et Caeſaris commentarios in linguam vernaculam vertendos curaverat; cujus imperii veluti ſucceſſor ſic virtutum ac gloriae dignus heres haberi volebat. Ita autem opus, pluries jam, ſed irrito ſucceſſu, propter aquarum violentiam tentatum, inſtituerat; ut, ubi trabes ac tigna propter latitudinem, rapiditatem et altitudinem fluminis deſtitui commode non poſſent, lintribus incommodum illud ſuppleretur, ac magnis navigiis, quae ferreis ac validis catenis invicem connectebantur, ſupra quae pontem juſſit continuari: atque ita exercitum omnem in alteram ripam commode trajecit VI Non. Quintileis. [r] Muſtaphas Boſnienſis praefectus, [s] Catambeius, ac plerique alii primarii duces, flumine tranſmiſſo, [f] Ottovum verſus iter habuere; et XII Kal. Sextil. [t] Quinqueeccleſias pervenerunt: unde ad [u] Albam-regalem proficiſci juſſi ſunt, ut [v] Budenſi praefecto praeſto eſſent, ſi quid noſtri ab ea parte molirentur. Hos ſequi juſſus Haſſan-begus cum multis militum cohortibus: nec multo poſt [w] Aſiae minoris purpuratus cum magno Sangiacorum numero, ponte ſuperato, in planitie [x] [α] Muaſcenſi imperatori ſuo praetorium erexit; qui mox illic eodem itinere advenit, et

quintis

VAR. LECT. [α] Muatſchenſi *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Zabathka, Pelſwcbz, Gombazzek, Kraſnawrka, Gadg.* [b] *Belgrade.* [c] *Siclowerſch.* [d] *le comte de Schwartzenburg.* [e] *de Zara.* [f] *Altenburg.* [g] *Teufel.* [h] *Colonna.* [i] *Ceſi.* [k] *da Eſte.* [l] *Hercolino Contraru.* [m] *les comtes palatins & ducs de Neuburg.* [n] *de Baviere.* [o] *la Save.* [p] *la Drave.* [q] *le Muer.* [r] *Muſtapha, beglerbey de Boſnie.* [s] *Catamberg.* [f] *Ottow.* [t] *Cinq Egliſes.* [u] *Stul-Weiſſenburg.* [v] *le baſcha de Bude.* [w] *Natolie.* [x] *de Mohacz.*

quintis caſtris [a] Sigethum verſus caſtra promovit, quae primo ab oppido lapide Non: CIↃIↃLXVI.
Quintil. ad Laurentii fanum metatus eſt, cum biduo ante [b] Oroſſanum Budae purpu- CAROLUS IX.
ratum, quod negligenter in ſuo munere verſatus eſſet, capite plecti juſſiſſet.

XVII. SIGETHUM, ab Anthemio quodam regulo, uti indigenae aiunt, conditum, ad [c] Pannoniae confinia in lacu ſpatioſo mediocris altitudinis ſitum, undique circumfuſis paludibus cingitur; et ab una tantum parte continenti conjungitur, qua frontem duobus propugnaculis validis munitam pandit ex aggere ac tignis connexis ſtructam, inſtar murorum Gallicorum, quorum Caeſar mentionem facit: duplici oppido ac duplici arce conſtat: frons meridiem verſus obvertitur, ad ortum et occaſum latera ſpectant, ad quae duobus tantum pontibus utrinque acceſſus patet. Scrinius, qui loco praeerat, cognito Turcorum adventu, vocatis in arcem interiorem proceribus, civibus, ac militibus, coram iis ſolemne jusjurandum concipit; quo, ita ſe Deus trinus et unus adjuvet, cum iis victurum ac moriturum, et fidem Deo ac Caeſari ſummo magiſtratui datam ſervaturum pollicetur: et idem ſacramentum ab ipſis exigit, Caeſarique ac ſibi ipſius legato obſequium praeſtari petit. Tum, ſi ſe in obſidione occumbere contingat, ſuo loco Gaſparem Alapianum ſummum ducem deſignat; legibus inſuper propoſitis ad diſciplinam militarem pertinentibus, in quas illos juramento adigit: Ut, ſi quis obedientiam duci aut centurioni denegaverit, aut imperium detrectaverit, et contra ipſum gladium ſtrinxerit, impune interficiatur: ſi quis epiſtolam a Turcis acceperit aut legerit, pariter occidatur; quod ſi per ſagittam miſſas aut aliquo loco diſpoſitas invenerit, eas duci ſuo ſtatim exhibeat, qui eas igni tradere teneatur: qui ſtationem injuſſu ducis ſui deſeruerit, ſtranguletur: ſi duo occulta quaedam conſilia tractare et inter ſe muſſitare deprehenſi fuerint, ambobus gula ſine mora frangatur; et, qui talia viderit vel audierit, et familiaritatis cauſa indicare noluerit, eadem poena afficiatur. His et aliis ad annonae inter militem parce diſtribuendae curam edictis propoſitis, patibulum in arce majori erigi jubet, eique militem, gladium in ducem quendam ſtrinxiſſe convictum, ad exemplum affixit: et, ut omnem gratiae et conditionis honeſtae ſpem commilitonibus ſuis praecideret, Mahumetum ducem primarium homicidiis in via Sigethenſi crudeliter patratis infamem in crucem ſuſtulit. Tum nobilibus ac militibus in majore oppido degentibus imperat, ut ſuas aedeis demoliantur paleamque exſportent: in nova autem urbe habitantibus, ut ſtramen in domos transferant, quo civitas, quae alioqui lignis et ſepibus cingebatur, cum opus eſſet, igne injecto facilius conflagraret. Tum luſtratae copiae; et inventi omnino ſunt bellatorum II CIↃ CCC, nec plures oppidani, exceptis mulieribus ac pueris. Ante Solimani adventum, [d] Aſiae praetor et [e] Akauſkius purpuratus cum XC CIↃ Turcorum eodem venerant: quo mox et C CIↃ bellatorum confluxere, et e veſtigio cum noſtris ab exortu diei ad meridiem uſque intra ſepta velitario certamine depugnant. Poſtridie illi ipſi duces cum X CIↃ inde abeunt; et mutato hoſpitio apud [f] Simelchovium quadrante milliaris ab arce, in edito colle a Sigethi vineis non longe diſſito, conſidunt; ſtatimque ibi et ſequentibus diebus, donec Solimanus advenit, cum noſtris dimicarunt, pluribus ex ſuis deſideratis, qui tormentis manuariis ex arce diſploſis enecati ſunt. Ubi Solimanus venit, Sigethanis vineis adjacentem collem occupat, ſtativis in eo collocatis; unde univerſis machinis, quas ſecum adduxerat, diſploſis, quaſi initium obſidioni fecit. Secundum haec, Turci aggerem ad oppidum novum ducunt, et foſſa ac vallo muniunt, vimineis doliis terra oppletis et ad tormentorum noſtrorum ictus oppoſitis; ac demum VI Eid. Sextil. tribus locis locum pulſant. Halis purpuratus tormentorum praefectus aggerem jacere, et infra arcem interiorem noctu munitionem juxta regium hortum in ipſa palude

ſeu

INTERPR. [a] *Zigbet.* [b] *Oroſſan.* [c] *Hongrie.* [d] *baſcha de Natolie.* [e] *Akauski baſcha.* [f] *Simeleoff.*

ſeu foſſa arcis moliri, eoque muraleis machinas ſtatuere, aggreditur; ac poſtridie pulſationem inchoat, qua a diluculo ad ultimum crepuſculum continuata, arcis interioris turrim et tintinnabula in ea confregit. Nec nocte quidem verberatio intermiſſa; multis ex defenſoribus interfectis. Quo factum, ut [a] Serinius, conſpecta ſuorum clade, novum oppidum prima luce incendi et veteris arcis portas occludi juſſerit; quam hoſtes omni vi expugnare connituntur; et ſtructis pontibus ex materia, ruderibus et terra compactis, quibus munimenta ex ſaccis, vellere ac ſuccida lana ſtipatis, impoſuerunt, propius acceſſere, a noſtrorum ictibus pluteorum illorum ope defenſi, ita ut noſtri contra reſiſtere non auderent. Tandem, XIIII Kal. Sept. facto impetu, poſt longum et utrinque maxime cruentum et obſtinatum certamen vetus oppidum expugnant; in quo deſiderati plures ordinum ſtrenui ductores, qui in arcem confugere nequiverunt, Turcis eos ad pontem praelongum in lacu ſtratum, ex quo ab oppido in arcem ibatur, ſumma velocitate antevertentibus, crudeliter trucidati. Turci oppido potiti, per paludes ac foſſas fere ea tempeſtate deſiccatas, et tantum limo et alto luto fatiſcenteis, ruderibus, arbuſtis, ac faſcibus binas vias muniunt, eaſque cratibus jactis ſternunt: ac biduo poſt Halis per aggerem ita munitum arcem interiorem adoritur; unde poſt acrem pugnam poſtremo rejectus eſt, amiſſis multis ex ſuis, et in his [b] Miſerkio purpurato, et duobus praeterea ſignis, quae laeti noſtri ſecum abſtulere. Cum vero univerſis viribus oppugnationem tentare decreviſſent, ei diem IIII Kal. Sept. deſtinant, quo B. Joannis Baptiſtae decollationis memoria celebratur, magna fiducia proſperi ſucceſſus, ex eo concepta, quod Belgradum ſive Taurunum illo ipſo die ante XLV annos a Solimano captum meminiſſent, et caeſum in acie Ludovicum regem ad [c] Mogacium, [d] Rhodum item et Budam eo die captas: nec ſolum eum diem, ſed totum Sextilem menſem occulto quodam auſpicio non ſolum Solimano ſed etiam Selimo ipſius parenti feliciſſimum extitiſſe: nam eodem menſe magnum Iſmaelem in [e] Calderanis campis, et Campſonem Gaurum [f] Memphiticum regem ad [g] Singam ab eo devictos. Quin et memorabant, eodem menſe [h] Methonen in [i] Peloponneſo a Bajazete in poteſtatem redactam. Nondum tamen ad eam rem neceſſariis paratibus inſtructis, uti ferebatur, ſed revera aegritudine Solimani, quam mors ſecuta mox eſt, ingraveſcente, oppugnatio dilata in IIII Nonas menſis inſequentis; cum interea praetoriani minime ceſſarent, ſuffoſſa nocturnis laboribus munitione magna, quae colli contermina erat, et aperta per cuniculos via, ut ad interiorem ſepem penetrare potuerint, quo magnam ſiccae materiae copiam, aſſeres, paleam ac pulverem nitratum comportarunt. Igitur Nonis Septembribus Turci majus exterioris arcis propugnaculum incendunt, igne partim ſua vi partim ventorum violentia tantas vireis ſumente, ut poſt longum certamen bis repulſis Turcis, cum jam incendium ad nitratum pulverem perveniſſet, cujus magna copia in exteriori arce juxta portas minoris arcis erat, tandem Serinius cum ſuis in interiorem arcem extrema neceſſitate compulſus ſe recepit; ſtatimque occludi portas jubet, excluſis foris compluribus egregiis bellatoribus, mulieribus et infantibus, qui varia peſte, rixantibus de praeda Turcis, ferro flammaque perierunt, aut in miſeram ſervitutem abducti ſunt. Jam non pontibus aut foſſa noſtri ab hoſtibus diſtinguebantur, ſed quaſi ad manus venerant, muro tantum interpoſito. Nam moenia exterioris arcis etiam interiorem ambitu ſuo complectebantur, praetento muro continuo, per quem ex majori in minorem arcem recta ſine anfractu adiri poterat; interiore arce in angulo veluti alterius poſita, nec ullum praeter majorem arcem propugnaculum, quo defenderetur, habente, aut alia denique aedificia, exceptis uno et altero conclavi, in quo Serinius habitabat, et aliquot domibus, in quibus pulvis ſulfureos aſſervabatur. Nam commeatus, cujus ingens erat et in pluréis dies ſuffectura copia, tormenta praeterea omnia

INTERPR. [a] *le comte de Zrin ou Serin.* [b] *Miſerki.* [c] *Mohatz.* [d] *Rhodes.* [e] *de Calderan.* [f] *le Sultan d'Egypte.* [g] *Singa* [h] *Modone.* [i] *la Morée.*

CIƆIƆLXVI. CAROLUS IX.

omnia in majori arce amiſſa aut hoſti ceſſerant, aut incendio abſumpta fuerant. In interiori nullus fere commeatus ſupererat; adeo ut per hoc triduum, quod ab illa die ad ultimam impreſſionem interceſſit, mulieres et infantes fame ſitique miſerabiliter exanimarentur. Tantum duo majora tormenta et XIIII mortaria, quae vocant, ex omnium numero ſuperabant. Biduo poſt, cum noſtri intus omnium rerum penuria laborarent, et ad exiguum numerum redacti eſſent, Turci eadem ratione, qua majorem arcem aggreſſi fuerant, obſeſſos adoriuntur; et, ſub veſperam injecto igne, qui totam noctem vi ventorum impulſus tantum incendium excitavit, ut nulla ope humana reſtingui poſſet, poſtridie totis viribus ad impetum faciendum ſe comparant. Heic Serinius, cum nihil opis ſupereſſet, et in horas minui ſuos numero atque animis concidere videret, conſilium ex neceſſitate capit; et, mortis ſecuritatem prae ſe ferens, pretioſa veſtimenta ſua promi jubet, eaque pro lorica induit: galeae item loco galerum ſumit ex villoſo ſerico, pala, in qua magni pretii adamas incluſus erat, et ex qua pennarum ardeatinarum faſciculus criſtae inſtar aſſurgebat, inſigni: gladios praeterea IIII ex armamentario produci imperat; quorum unius acie tentata cum ſibi deligit, alios inter amicos diſtribuit, haec arma ſufficere ei dictitans, qui expeditius pugnare quam diutius cum morte certa luctari mallet. Tum claveis a cubiculario allatas in tunicam interiorem inſui jubet; et una C aureos, ejus, qui ſe interfecto potitus eſſet, praemium: et ita ad duces et milites, qui in aciem inſtructi cum in platea praeſtolabantur, exit; apud quos hac oratione uſus dicitur. Venit dies, commilitones ac fratres chariſſimi, qua praeſtiti viciſſim inter nos juramenti fidem exſolvamus; et, qui una viximus, ſumma concordia et fido erga principem ac patriam obſequio, una quoque plena in Deum, pro cujus cauſa pugnamus, fide, moriamur. Quo res redacta ſit, videtis: inde incendio a tergo omnia depaſcente urgemur, hinc fame et miſerabili tot mulierum et infantium ejulatu premimur; nihilque, niſi in conſtantia, praeſidii reliquum eſt, ut, quicquid Deus decreverit, fortiter et intrepide ſubeamus: cum hoſte paciſci, cujus toties fluxam fidem experti ſumus, non ſolum ignaviae, ſed etiam imprudentiae pars eſſet; quapropter in eum eadem alacritate, qua tot ejus impetus ſuſtinuimus, Deo et bona conſcientia freti vadamus, antequam ab incendio abſumamur, aut laudabili relicta memoria, aut, ſi per eorum ſtragem forte elabimur, immortalem gloriam, quamdiu vita ſuppetet, adepturi. Quibus dictis, et nomine JESUS ter inclamato, ipſe, praeeunte praetorio vexillo, quod Laurentio [a] Juraniſchio geſtandum dederat, portas arcis aperiri jubet, mortario ferreis fruſtis referto prius diſploſo; cujus fumo conſpectum hoſti adimente defenſus, ſtricto gladio, cum exigua parma ante ſuos exit, ſequentibus ſuis; et in ponte, poſt aliquod certamen undique a praetorianis circumfuſus, et multitudine telorum obrutus, tandem acceptis tribus vulneribus concidit; eoque cadente, cum retro, qui ſequebantur, in arcem confugere vellent, fugientibus immiſſi Turci, magna ſtrage edita, et arce potiti ſunt. Servatae tantum mulieres et infantes, et in captivitatem morte pejorem abducti: ceteri fere omnes trucidati, paucis exceptis; quos pileis et galeris Turcicis tectos, veluti perſonatos, quidam redemptionis pretium inde ſperantes, efferati militis furori ſubduxerunt. Nec incruenta Turcis ea victoria fuit; quippe in conflictu, ictibus, ruina aedificiorum, concipiente ignem ſulphureo pulvere, flammiſque et alia peſte ad III CIƆ Turcorum perierunt: tantaque ſtrages utrinque edita eſt, cruore paſſim exundante, ut non niſi per cadavera in arce incedi poſſet. Et audiebatur in caſtris hoſtium confuſus ejulantium clamor, publicam de capto Sigetho laetitiam minuente privatorum moeſtitia. Serinio caput amputatum, et a [b] praetorianorum duce ad Solimanum, quem vivere credebat, miſſum: quod Mechemetes, cujus tum conſilio et auctoritate omnia adminiſtrabantur, ad Muſtapham Budae praeſidem tranſmiſit;

INTERPR. [a] *Juraniski.* [b] *Paga des Janiſſaires.*

CIↃIↃLXVI. Carolus IX.

miſit; qui illud panno holoſerico involutum ad Caeſarem perferendum curavit. Is porro, lamentabili ſpectaculo, ut debuit, affectus, illud perhonorifice Baltazari filio, laudata patris virtute, omniaque a ſe benevola pro tantis erga ſe illius meritis pollicitus, tradidit; qui acceptum in arcem Seacaturnam paternam tranſtulit, et in monumento majorum peractis magna pompa exequiis non ſine lachrimis ad B. Helenae ſepelivit. Periere in ea obſidione XVIII CIↃ equitum, VII CIↃ praetorianorum, et in iis [a] Miſerkius, [b] Ali Perthavus, ſupremus cubicularius, camerarius ſive rei nummariae ſummus praefectus, omnes purpurati.

XVIII. Ita Sigethum VIII Eid. Quintil. oppugnari coeptum tandem VI Eid. Sept. vi captum eſt, cum Solimanus pridie Nonas ejuſdem menſis ultimum vitae diem in caſtris clauſiſſet, aliquot epilepſiae paroxyſmis primum tentatus, ac poſtremo apoplexia enectus; princeps inter ſuos pietate, juſtitia, magnitudine animi et continentia ac denique fide inſignis, et in quo nihil praeter veri Dei notitiam facile deſiderares. Agebat, cum moreretur, annum aetatis LXXVI: imperium tenuit annis XLVI et VI menſibus; eodem menſe, quo Carolus Caeſar a Germaniae proceribus declaratus eſt, ad imperium evectus. Sic vero vitae curſum inſtituerat, ut in imperio militari, quodque pacis artes neſcit, ſemper fere alternis annis poſt expeditionem aliquam ſuſceptam interquieſceret, proſpera fortuna fere uſus, amplificatis finibus, et [c] Pannonia in Europa, et Armenia in Aſia, Turcici juris factis; interdum et adverſis conflictatus; ſuperiore anno accepta memorabili ad Melitam clade, et domo duorum filiorum ac tot nepotum nece funeſtata, quo pacem in familia atque adeo in Othomanico imperio conſervaret. Tria illi ad ſummam felicitatem ac votum ſummum defuiſſe memorant; quod Viennam Germanici Imperii propugnaculum ac veluti clavem, quam ſibi deberi, poſt Conſtantinopolim a Mahumete proavo captam, tanquam Imperii heredi, jactabat, in poteſtatem redigere, templum [d] Byzantii a ſe ſtupendi operis inchoatum, et aquaeductus aemulatione Romanorum inceptos conſummare non potuerit: quorum votorum ſi compotem eum fortuna ante mortem feciſſet, omnium ſe regum fortunatiſſimum exiſtimaſſet. Hujus mortem ſumma calliditate ac prudentia Mechemetes purpuratorum princeps longo tempore occultavit; noctu archiatro defuncti clam necato, ne per eum res emanaret; veritus, ne, ſi praetoriani ac ceteri milites maturius de Sultani morte cognoviſſent, tumultu in caſtris excitato tentoria gazamque regiam cum Chriſtianorum et Hebraeorum rebus pro more diripuiſſent, ac ſpoliis et praeda hac onuſti minus ducum dicto audientes neminis auctoritate contineri ſe amplius in officio paterentur: quae rerum apud hoſtes confuſio ac licentia Caeſari, egregiis ac numeroſis copiis ex toto orbe Chriſtiano ſummiſſis inſtructo, peroptatam procul dubio rei bene gerendae occaſionem praebere potuiſſet. Cum autem reliqui purpurati, centuriones, ac praetoriani praecipue, ſumma ſui principis videndi cupidine tenerentur, nec parva ſuſpicio illorum animis haereret, cum e vita migraſſe, jamque res ad occultos motus ſpectare videretur, Mechemetes aſtu eorum deſiderium eluſit: nam mox cadaver ſolito cultu ornari juſſit, illudque in ſublimi ſella collocatum cupidis procul oſtendit, ita callide re aptata, ut omnes eum revera in humanis adhuc eſſe crederent. Quo facto, cum tentorio egreſſus, tanquam accepto a Sultano mandato, praetorianos vocaſſet, et gravi oratione ad urgendam oppugnationem hortaretur, accidit, ut recens heri mortui ſenſus animo ſuccurreret, et lachrimas ab imprudente vel etiam invito excuteret. Verum animadverſo ex ſecretis militum ſuſurris, hinc nonnullos ex ejus vultu et oculis adhuc rubentibus colligere ac plane ſibi perſuadere, imperatorem in vivis eſſe deſiiſſe, mox ad ſe rediens et ex caſu occaſionem capiens, vehementi animi dolore caute diſſimulato, non ſe deflere imperatoris mortem, qui valeat et paene aegritudine omni liberatus

INTERPR. [a] *Miſerki baſcha.* [b] *Hali Pertau baſcha.* [c] *Hongrie.* [d] *Conſtantinople.*

liberatus ſit, ſed omnium aſtantium ac ſui ipſius vicem deplorare; quibus neceſſe eſſet, ſic enim Solimanum interminatum eſſe, intra tridui ſpatium aut vincere aut crudeli ſupplicii genere perire. Quibus verbis ſerio ac compoſito ad gravitatem vultu prolatis, non ſolum ſuſpicionem mortis Solimani purgavit; ſed milites ita inflammavit, ut coeptae obſidionis, cujus proſperum exitum fortuna illis huc uſque inviderat, ſupremum conatum imponere decreverint, impetu ad utramque arcem facto; quas poſtremo, hac oratione ſeu territi ſive perſuaſi, expugnaverunt.

XIX. DUM Solimanus in Sigethi obſidione haereret, Perthavus purpuratus cum XL CIↃ bellatorum exercitu ex Turcis et Tataris conſtante, ejus juſſu, adjunctis praeterea Joannis et Temeſvarienſis purpurati copiis, [a] Julam ducit, arcem munitiſſimam in lacu [b] Sarcadio ſitam ad [c] Pannoniae et Daciae fineis. Loco praeerat Ladiſlaus [d] Keretſchenius, qui bellum acriter et animoſe cum Turcis hactenus geſſerat. Aquarum inundatione coactus Perthavus initio ab obſidione recedere viſus eſt; et abeuntem inſecuti noſtri ultimum agmen carpſere, multoſque ex hoſtibus interfecere: qui, mox recedentibus aquis, illuc reverſi, oppidum arctiſſima obſidione cinxerant, et continuata complureis dies pulſatione verberaverant, interdum erumpentibus noſtris; qui, animadverſo remiſſius hoſteis agere, noctu impreſſione facta multos ex iis interfecere, captis machinis bellicis; quas, cum curribus ac jumentis deſtituti ſecum abducere non poſſent, clavis ferreis per ſpiramenta adactis confixerunt: tandem, cum LX dierum oppugnationem ſuſtinuiſſent, Keretſchenius, habito cum Georgio [e] Bebeco, ultimi [α] belli inter Maximilianum et Joannem incentore, colloquio, deditionem certis legibus IIII Non. Sept. cum VI Non. Quintil. ante oppidum obſideri coeptum eſſet, fecit; licet futurum nunciaſſet Schuendius, ut Turci intra triduum obſidionem ſolverent. Inter deditionis leges convenerat, ut praeſidiarii incolumes, rebus ſalvis, dimitterentur. Cum igitur Keretſchenius ad Perthavi praetorium adductus eſſet, humaniter primo exceptus eſt; donec deditii vix CIↃ ab oppido paſſus progreſſi a duabus Turcorum cohortibus invaduntur, Germanis gnaviter initio ſe defendentibus: ſed numero impares ad extremum trucidati ſunt, paucis beneficio noctis et vicini arundineti elapſis; inter quos Bernardus [f] Rotenavus fuit cohortium centurio, qui ad Caeſarem profectus Keretſchenium accuſavit, et Julam ab eo proditam affirmavit; cum Hungari, qui deditioni interfuerant, contra illum excuſarent, et, communicatis prius cum Germanis conſiliis, ſemper deditionem diſſuaſiſſe dicerent: illos vero partim neceſſitate partim honeſtis hoſtium conditionibus ac pollicitationibus inductos, praefectum ad deditionem faciendam compuliſſe. Sed, ſive ignavia ſive perfidia praefecti Jula amiſſa eſt, certe ille longe ſaeviſſimas facti poenas anno ſequenti dedit. Nam, cum ſub idem tempus, in tumultuaria inter Caeſarianos, qui [g] Javarini erant, et Turcos, qui ad [h] Albam regalem caſtra habebant, pugna, Mahumetus Albae ipſius praefectus a Georgio [i] [β] Thuvrio extra ordines procurrente captus eſſet, qui ſe poſtea exſolutis L aureorum CIↃ redemit, et Keretſchenius cum eo permutari ſperaret, quippe cujus filius cum Arachi aulae Caeſareae praefecti, qui Mahumetum in poteſtate habebat, filia matrimonio conjungendus erat; re tamen ob neſcio quas cauſas protelata, poſtremo [k] Tauruno [l] Byzantium ductus eſt: ubi, conquerentibus quam plurimis de injuriis praeter belli jura ab eo acceptis, nam aliis juſſu ejus nareis, aliis os praeſectum, pleriſque vitam vario tormentorum genere ademptam, Selimus novus Turcorum imperator, querimoniis iis graviter affectus, cum tandem accuſatoribus donavit, ut ex eo poenas arbitratu ſuo ſumerent. Ii vero ſtatim hominem traditum dolio clavis acutis perforato includunt, quo e mon-

VAR. LECT. [α] belli, uti jactabatur *D. f.* [β] Thurigero *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Giula.* [b] *Zarkad.* [c] *Hongrie, & Tranſilvanie.* [d] *Kereczeni.* [e] *Bebek.* [f] *Rotenaw.* [g] *Raab.* [h] *Stul Weiſſenburg.* [i] *Thuvry.* [k] *Belgrade.* [l] *Conſtantinople.*

CIↃIↃLXVI. tis faſtigio per decliviora praecipitato, miſere cruciatus horribili ſupplicii genere tandem expiravit: nec filius paternae execrationis expers fuit; qui, nullis relictis liberis, non ita multo poſt obiit, caſtellis, pagis et aliis facultatibus ampliſſimis ad alienos devolutis. Ita [a] Jula ac Sigethum duae fortiſſimae Pannoniarum munitiones eodem tempore fere in poteſtatem Turcorum venere: in quo rerum peritiores Caeſaris et ejus belli conſiliariorum prudentiam deſiderarunt; qui, cum nihil aggredi ſed caſtris continere ſe decrevissent, ex tam numeroſo exercitu majora praeſidia utrique arci non impoſuerint, quae utriuſque loci expugnationes remorari potuiſſent: nam procul dubio eſſe, ſi poſt mortem Sultani majus negotium in oppugnando ſuperfuiſſet, milites ac praetorianos ipſos certam perniciem, quam ante oculos propoſitam habebant, veritos, ambigua inter vitam ac mortem de Solimano fama, tumultum in caſtris excitaturos fuiſſe, nec Mechemetis aſtum tam feliciter fore proceſſurum. Nunc, morte illius in id fere tempus incidente, quo aut jam capta Jula aut Sigethum facile captu erat, pronum fuit homini ſagaci et ſumma potentia freto eam occultare, laſcivientibus victoria recenti Turcis, et ad praedas jam libere ſurſum ac deorſum diſcurrentibus: quam licentiam illis libenter indulgebat Mechemetes, alioqui diſciplinae retinentiſſimus, ut tantiſper, occupatis in iis diſcurſionibus militibus, animi eorum a praeſentis rerum ſtatus cogitatione avocarentur, donec certior factus de morte patris Selimus ad urbem proficiſci et, ibi conſtitutis rebus, etiam in caſtra quam primum venire poſſet.

CAROLUS IX.

XX. Is ſiquidem, ſtatim mortuo Solimano, ad Selimum, cujus filiam in matrimonio habebat, tunc in Magneſia trium dierum ab urbe itinere in Aſia agentem, ſumma celeritate literas dederat, a janitorum praefecto et medico obſignatas, cumque de morte patris certiorem fecerat. Quibus ille perlectis, nulla mora interjecta, ſummo ſilentio Chalcedonem venit, e regione urbis; ubi a Boſtange purpurato hortulanorum praefecto pro more phaſelo praetoria exceptus et Byzantium trans [b] Boſphorum vectus fuit, praemiſſis, qui [c] Scanderem purpuratum, quem Solimanus diſcedens urbi praepoſuerat, monerent, ut omnia ad pompam et ingreſſum neceſſaria ſtudioſe maturaret. Ab eo, ſimul atque in urbem venit, in palatium ac gynaeceum deductus, in ſolio imperatorio ſedit, illius cubiculi gemmis et omni re pretioſa ad barbaricum faſtum ornati, quod ſolis Sultanis Othomanica gente prognatis occupare fas eſt. Inde per urbem acclamationes more majorum factae, ut aeterna pace frueretur, et in perpetua eſſet memoria ac beatitudine anima regis Sultani Solimani, multoſque annos viveret Sultanus Selimus Chanus, felicique auſpicio ejus imperium coaleſceret. Idem edictum per Thraciam et alias provincias promulgatum eſt, ne prius parentem deceſſiſſe quam filium paterni ſceptri poſſeſſionem adeptum omnes intelligerent. Poſtridie, qui in diem VIII Kal. Oct. incidebat, e palatio prodiit Selimus, ſuique videndi copiam populo fecit, et in equo ſedens ad ſepulturam Jobi venit; qui locus eſt moenibus contiguus, ubi Othomani ſacrificia ſolemnia peragunt. Ibi caeſo magno animalium numero, cibiſque coctis innumeris, funebre epulum egenis cum non mediocris ſummae aſprorum erogatione praebuit: eademque pompa ac plauſu circumfluentis turbae, quo venerat, in palatium rediit. Dum haec fierent, per Scanderem praetorianos paternae mortis adhuc ignaros ex omnibus circumpoſitis locis evocari in oppidum haud procul ab urbe juſſerat, praetextu mittendi ad Sigethanam obſidionem militaris ſupplementi: quos, jam Selimo in paterno ſolio collocato, ille adlocutus, obitum Solimani et Selimi felicem inaugurationem denunciat, et pro direptionibus in obitu principum receptis c Sultaninorum CIↃ eis offert, haud ingrata novi Sultani liberalitate, quam praetoriani ea lege acceperunt, ut in poſterum ampliora militaturis ſtipendia largiretur. His actis et inauctoratis praetorianis,

Selimus

INTERPR. [a] *Giula & Zighet.* [b] *Détroit de Conſtantinople.* [c] *Scander baſcha.*

Selimus v Kal. Oct. urbe diſcedit, et magnis itineribus ad exercitum contendit; quem obviam haud procul Tauruno habuit, adhuc Solimani morte incerta, cujus cadaver lectica regio apparatu ornata et undique cooperta vehebatur. Is, dum viveret, cum ſaepe podagra tentaretur, eo vehiculi genere uti conſueverat; eoque minus novum militi videbatur, ſi in ea laetitia ipſe non in equo ſedens, ſed veluti in lecto diſcumbens incederet. Ex habitu Selimi id, quod erat, protinus conjecere praetoriani. Is enim caſtris propinquans, vili admodum et exiguo capitis tegumento atraque penula et ſagulo indutus, ubi primum lecticam aſpexit, ex equo deſcendit, et cum eo omnes purpurati et juſtitiae miniſtri, qui ipſorum lingua Cadileſcheri vocantur, eodem fere ornatu: tum, aperta lectica, ſuper corpore paterno flevit, et in publicum moeſtitiae ſignum per omnem exercitum, ut vexilla cuſpide in terram verſa traherentur, imperavit: ſtatimque ſecutum eſt ingens ac mirum inter omneis aliquanto tempore ſilentium; cujus interſtitio Selimus candidiſſimum tegumentum lintea in ſpiras circundante faſcia et gemmis undiquaque refulgens capiti circumpoſuit, et regio amictu ornatus alium equum ad id deſtinatum, et quem nulli niſi imperatori conſcendere jus eſt, conſcendit: et mox in equos inſilicre ceteri purpurati ac primores, cadavere in lectica rurſus adductis utrinque plagulis tecto. Tum vexilla novi Sultani erecta cum acclamationibus, quibus Selimus imperator ab exercitu ſalutabatur, cunctique ordine ad eum accedentes in obedientiae ac ſervitutis ſignum ejus manus deoſculantur. Inde poſt cadios populis, et conſuetum donativum praetorianis datum, Conſtantinopolim paternum cadaver avehi, et in mauſoleo, Zunam ipſi vocant, quod ipſe ſibi vivus extruxerat, condi jubet; cura ejus rei mandata Achameti purpurato, qui Solimani neptem in uxorem duxerat, et [a] Fethatae janitorum praefecto, qui, deducentibus provinciarum praefectis ac praetorianis, cum vexillo regio urbem x Kal. Dec. pervenere. Funus ibi exceptum eſt frequentiſſimo mortalium concurſu, praeeunte eo, quem illi Muphtim vocant, et qui apud eos juris, religionis et omnium ſacrorum rex eſt. Eum ſubſequebatur Scanderes purpuratus urbis praefectus, camerae ſive aerarii praepoſiti, qui [b] Dephterdarii vulgo appellantur, aliique praetores, omnes atrati, eorum terga plebis innumera multitudine claudente. Exemptam e lectica ſandapilam ſive arcam ligneam praecipui praetores per vices erectarum in ſublime manuum palmis ſuſtinebant, ſicque per urbem geſtabant, ejulantibus interim Taliſmanis et Hoggiis; ſacerdotum haec illis ſunt nomina; et ad ſepulchri locum uſque Ieſſum quendam Mahumetano ritu lamentabili voce concinentibus. Depoſito in mauſoleo cadavere, inſtratus ſandapilae pannus eymarilis praeſtantiſſimus, et ſupra hunc alius intertextus: ad latus acinax poſitus, index profuſae bello vitae: ad caput collocatum e lino ſubtiliſſimo ſpiris concinnatum candiſſimum turbinatum tegmen, quod illi [c] Tulipantum appellant, quo vivus uti conſueverat, cum nigris ardearum pennis: pone caput in pavimento poſiti cum candelabris rotundi, ſed pyramidali forma, ingentes cerei; qui tamen nunquam accendi ſolent: tum adhibiti ſacerdotes illi, quos diximus; qui ſuperſtitione gentis recepta humi divaricatis cruribus ſedentes preces perpetuo quaſdam ad defuncti caput obmurmurarent. Antequam Selimus ad exercitum veniſſet, ſtatim poſt Sigethum captum [d] Babozam oppugnaturos quoſdam e ſuis miſerat, qui dedi arcem juberent. Id licet ſe facturos praeſidiarii negaſſent, tamen, cum eam contra vim tantam defendi non poſſe ſcirent, incenſam deſerunt: quorum exemplum [e] Sachani et Zorgenſes ſecuti ſunt. Inde ad praedas verſi Turci in [f] Illyrico aliquoties a Caroli Caeſaris fratris copiis caeſi ſunt; qui juxta [g] Slunam fluvium in [h] Balbotio pugna conſerta ad IIII CIↃ in fugam vertit, capto ipſo Boſnae purpurato; reliquos omneis procul dubio deleturus, niſi metu tam formidabilis exercitus ubique ſe effundentis impetum ſuſtinuiſſet, et caſtris ſe ad oppidum

INTERPR. [a] *Ferhate capitzilar-kibaia.* [b] *Deſterdart.* [c] *le Turban.* [d] *Babotzka.* [e] *ceux de Sacka & Seborgo.* [f] *Sclavonie.* [g] *Sluna.* [h] *Balbotz.*

CIↃIↃLXVI. oppidum [a] Cotornum inter [b] Savum et Muram continere ſatis habuiſſet, dum Turci,
CAROLUS IX. rapinis, caede et incendiis paſſim graſſantes, etiam ad [c] Sabariam uſque, quae a Caeſaris ac [d] [1] Sempronii caſtris in Norici finibus haud amplius II CIↃ paſſuum abeſt, praedabnndi excurrerent.

XXI. HAUD multo poſt Selimus aſperitate hyemis urgente Pannoniam reliquit, Perthavo purpurato negotio dato, ut cum validis Turcorum, Walachorum et Tatarorum copiis Joanni Tranſilvano, qui bellum contra Caeſarem perſequebatur, praeſto eſſet. Cum in itinere eſſet, juxta [e] Taurunum obviam habuit [f] Hoſſutotum Caeſaris legatum, quem [g] Byzantium ablegatum ad pacis conditiones incundas diximus. Sed, intellecta Solimani morte, in viam ſe dederat, ut Viennam rediret. Huic Selimi videndi non etiam alloquendi facultas fuit, Mechemete, illum ad Solimanum miſſum, dictitante, et, eo mortuo, nihil eſſe, quod cum Selimo ageret: a quo ſi ipſius rex aliquid impetratum vellet, alium deſtinaret, aut ipſe cum novis mandatis rediret. Addidit, peſſime rationibus ſuis conſulturum Maximilianum, niſi quam primum pacem a potentiſſimo imperatore peteret; ſatiuſque ei ab initio fuiſſe, ſi eaſdem pacis conditiones, quae antea cum Ferdinando initae fuerant, conſtanter ſervaſſet: proinde mirari ſe, cur tam temere praepotentem principem ad arma provocaverit: notam eſſe illius imbecillitatem; cum eoque praeclare actum, quod fata Solimanum nuper e vivis exemiſſent: ſi Sigethi expugnationi ſuperfuiſſet, effecturum, ut ipſum et Germanos omneis temeritatis ſuae et audaciae ſerio poeniteret. Tandem Selimus V Eid. Dec. Conſtantinopolim venit, ab univerſa civitate ingenti plauſu ac laetitia exceptus, tanquam laurearum ac palmarum patris heres; quae tamen illi magno conſtitere: nam ultima illa expeditione plus LXX CIↃ varia peſte periiſſe memorant, qui res non ultra verum exaggerant. Joannes interea, ne nihil ageret, fretus Perthavi auxiliaribus copiis, Tocaium, quod ſuperiore anno a Schuendio occupatum fuerat, captis etiam in eo, praeter ingentem rerum ad bellum neceſſariarum copiam, XXX majoribus ac minoribus tormentis, reciperare ſtatuit; quod eſſet locus in [h] Pannoniae et Daciae finibus ſitus, magni ad res ſuas vel tutandas vel prolatandas momenti; ad haec poſitu firmus, duobus amnibus [i] Tibiſco et Bodrogo circundatus. Munitioni Schuendius Jacobum [k] Ramigerum praefecerat, cum valido praeſidio; et, intellecto Joannis conſilio, ad Caeſarem miſerat, qui majora ſubſidia poſtularet: qui continuo Henricum [l] Staupicium cum CIↃ Germanis equitibus, VI peditum vexillis, ſtipendio et annona neceſſaria miſit. Jamque admotis decem tormentis et coepta verberatione, [m] Tocaium in maximas anguſtias redegerat Joannes, cum trepidus nuncius ad eum venit, X CIↃ Tatarorum, quos Selimus defendendi eum cauſa cum Turcis ac Walachis reliquerat, totam Daciam per ſeditionem populari, et inaudita crudelitate paſſim in fortunas ac corpora hominum nullo ſexus et aetatis diſcrimine graſſari: quapropter obſidionem ſolvere poſt octiduum coactus eſt; ne, dum iſtic pertinacius haereret, ſuos ad internecionem deleri fineret. Nam, praeter incendia ac direptiones, horrida memorabantur; infantes videlicet diſſecatos et verubus transfixos ad ignem torreri, et toſtos ab illis devorari: praeterea Chriſtianorum hoſtium carnes quotidie edere, et, quod exquiſiti cibi loco ducunt, mulierum mamillis veſci. Igitur Joannes, ubi in Tranſilvaniam venit, primum eos per legatos amice hortatus eſt, ut illinc diſcederent, et ab injuria ac maleficio abſtinerent. Quod cum illi facere recuſarent, ipſe cum ſuis, palanteis et incautos adortus, ad VI CIↃ trucidavit; et inde [n] Waradinum rediit, quo illum ultionis rabie incenſi [o] Scythae circumſident. Is vero, qui videret locum neque natura neque operibus ſatis munitum

INTERPR. [a] *Kzakhontburn.* [b] *la Save & le Muer.* [c] *Sabaria* ou *Sarwar.* [d] *Oedenbourg ville de l'ancienne Noricum.* [e] *Belgrade.* [f] *Hozzuthothi.* [g] *Conſtantinople.* [h] *Hongrie & Tranſilvanie.* [i] *la Teiſſe & le Bodrog.* [k] *Raminger.* [l] *Staupitz.* [m] *Tokay.* [n] *Waradin.* [o] *Tartares.*

NOT. [1] Sempronii caſtra, *Germ.* Oedenburg, *Hung.* Sopron, in Hungariae et Auſtriae confinio. *P.*

munitum eſſe, ut cum adverſus tot hominum turbam admotis tormentis tueri poſſet, clam noctu egreſſus in tutiora loca ſe recepit; ubi collectis viribus rurſus populabundos aggreſſus multa millia ex illis cecidit, et innumeros captivos, quos barbari in miſeram ſervitutem abducebant, et in iis complureis nobileis matronas ac virgines in oppido [a] Beregazio captas recepit, lamentabili ubique rerum facie, praecipue circa [b] Caſſoviam, unde cccc circiter praetoriani, omni licentiae ac ſaevitiae genere uſurpato, IↃ cccc fere captivos ſecum avehebant, ingenti ſui terrore paſſim incuſſo, praeſertim circa Danubium, [c] Wagum et Arabonem degentibus. Inter haec, [d] Albae praeſidiarii egreſſi [e] Geſternum et Vitanum ſuperiore aeſtate a noſtris occupata receperunt; ita ut Palota, Veſprinium ac Tatta tam vicino hoſte jam in ſummo diſcrimine verſarentur. Tandem Scythae illi, poſt unam et alteram a Joanne acceptas cladeis, Getis aliquot et praetorianis ſpe praedae ad illos ſe adjungentibus auctiores, Ruſſiam et Podoliam, quae provinciae regi Poloniae parent, converſo impetu deflexerunt; ubi, omni ſaevitiae genere graſſati, poſtremo provinciae palatinum in quodam oppido obſident, adductis ſecum XII muralibus machinis. Verum ille, non minus vetuſtate familiae quam bellica virtute nobilis, cum delectis quos habebat crebro erumpens, ad extremum machinas praedonibus eripuit, et iis ademptis immaneis crudelium bellatorum reliquias ad internecionem delevit.

XXII. DIVERSA parte Caeſar, cum videret omneis hoſtium copias aut omnino abiiſſe aut in hyberna conceſſiſſe, Viennam cogitare coepit; prius dato negotio Eccio [f] Salmenſi comiti, ut [g] Javarini ruinae, quae ex improviſo incendio acciderant, ſarcirentur, attributa ei in eam rem pecunia. Nam antea III Kal. Oct. cum in cujuſdam militis contubernio ex coci incuria ignis accenſus eſſet, flammis a noto, qui vehementiſſimus tunc flabat, vireis ſumentibus, aedificia fere omnia, ut quae ex materia arida conſtabant, conflagraverant, excepto praetorio et aede primaria, ſolidis lapidibus exſtructa. Ab incendio et immune fuit raro fortunae beneficio templum, in quo ſulphureus pulvis aſſervabatur: quod ſi ignem concepiſſet, totum a fundamentis oppidum everſum fuiſſet. Vix dici poteſt, quanti ea clades non oppidanis et exercitui ſolum ſed univerſae provinciae conſtiterit; cum eo tanquam in tutiſſimum perfugium plurimi negotiatores et qui finitima loca incolebant, merces, ſupellectilem et omnia pretioſa ſua aſportaſſent: quae omnia pariter cum aedificiis igne abſumpta ſunt. Caeſar inde magno regulorum comitatu Viennam venit, cum Ferdinando fratre, qui in Bohemiam conceſſit. Mox dimiſſi [h] Marcomanni et Bohemi: dimiſſae item Germanicae legiones; ex quibus ſelecta III ſigna ante diſceſſum a caſtris, et inſulae Comarae praeſidio impoſita ſunt. Ex Auſtriacis complures [i] Sempronium miſſi et in reliqua finitima oppida, ut cum aliis repentinas hoſtium illac ad praedas excurrentium populationes prohiberent. In oppidum [k] Caniſanum, quod haud longe a [l] Sigetho abeſt, miſſus eſt Thaius nobilis cohortium centurio, cum CIↃ equitibus et totidem peditibus. Poſtea Alſonſo [m] Ateſtino, [n] Guiſio, [o] Strozzio, [p] Briſſaco, Aurelio [q] Fulgoſio, Hadriano [r] Balcono ac denique [s] Camerano et ceteris proceribus actae peramanter a Caeſare gratiae: qui omnes brevi poſt ex aula domum quiſque reverſi ſunt. Secundum haec indicti conventus Auſtriae ordinum; quorum initium Viennae IIII Kal. Dec. factum eſt. Cum illi omnia ultro Caeſari deferrent, viciſſim ab eo petebant, ut confeſſione Auguſtana jam diu a ſe experita ſibi in poſterum uti liceret: quod poſtulatum cum Caeſar diu eluſiſſet, poſtremo inſtantibus ordinibus ab eo reſponſum eſt, ut, quoniam aliam ab ea, quam ipſe profiteretur, fidei rationem profiteri

INTERPR. [a] *Beregzas.* [b] *Caſchau.* [c] *Wag, & Raab r.* [d] *Stul-Weiſſenburg.* [e] *Geſtern & Vitbau* [f] *de Salms.* [g] *Raab* [h] *ceux de Moravie.* [i] *Oedenburg.* [k] *Canſcha.* [l] *Zighet.* [m] *d'Eſte, duc de Ferrare.* [n] *le duc de Guiſe.* [o] *Philippe Strozzi.* [p] *le comte de Briſſac.* [q] *Fregoſe.* [r] *Baglioni.* [s] *le comte de la Chambre.*

CIↃIↃLXVI. CAROLUS IX.

profiteri vellent, ſtatim venditis bonis ex provincia diſcederent. Ita peractis comitiis Viennenſibus, Caeſar [a] Brunum in Moravia et Troppam conceſſit; ubi et conventus ordinum provinciae habuit: unde rurſus Bohemiam ad expedienda itidem auxilia, et inde [b] Poſonium in Pannonia profectus eſt.

XXIII. [α] AMBIGUI cum Turcis, aut potius, ut fere ſemper, detrimentoſi nobis belli exitus, novo morbo principium dedit, qui, corrupto cadaverum foetore per vias paſſim jacentium aere, multos contagione ſerpens invaſit, et Hungaricus ab eo tempore dictus eſt: cumque aliquanto poſt conquleviſſet, XXVIII poſt anno in comitiis Ratiſponenſibus violentior recruduit, et, vulgo tritus, antea formidoloſus, proceres etiam multos aut abſumpſit aut periculoſe adflixit. Ex popularium is febrium genere ſtatim correptos lenticulari incendio vexabat, puſtulis et maculis maligna ebullitione toto corpore pullulantibus, qui morſus quaſi pulicum et exilientium ac manui occurrentium ſcintillarum ſenſum referebant: deleterium etiam habitum eſt, quod peſtilenti ſua venenoſitate pleroſque quantumvis natura robuſtiſſimos interimeret: cor iis, qui inconſtanti juxta et ancipiti lue laborabant, languebat, viribus mox concidentibus; languoremque illum proxime dolor capitis ſaevus, coma, paraphrenitis et ſpaſmus ſequebantur, cum inaequalitate febris, quae nunc tertiana ſimplex, nunc notha apparebat, cum et vera continua eſſet. Quo de morbo ejuſque cauſis, ſignis et curatione cum poſtea Martinus Rulandus Caeſareus medicus ſingulari opere copioſe ſcripſerit, haec inpraeſentiarum, quantum ad propoſitum faciebat, ediſſeruiſſe ſatis habui.

XXIV. APUD nos rex puer adhuc, ſed major pronunciatus, cum [c] Bloeſis poſt iter Baionenſe hyemaſſet, [d] Molinium in Boiis menſe Januario ſe contulit; quo regni proceres ſuperiore anno domum remiſſos condicta die acciverat; in primis Colinios fratres et [e] Franciſcum Momorantium Annae magiſtri equitum filium, ut cum Guiſianis reconciliarentur. Nam, diſcordias eorum partes in regno fovere, et a [f] Sipetra, monitus paulo antequam moreretur, didicerat, et prudentiſſimi quique ita ſentiebant. Ne tamen privatorum potius quam reipublicae cauſa conventus haberi videretur, acciti et eodem tempore ex cunctis regni curiis primarii viri; ut querimoniis univerſae Galliae, quas rex biennali per totum regnum luſtratione collegerat, ſatisfieret, et ex eorum ſententia graſſantibus malis opportuna remedia adhiberentur. Ii fuere Chriſtophorus [g] Thuanus Pariſienſis ſenatus princeps, et Petrus [h] Seguierius praeſes, Joannes [i] Daſius Toloſani, Jacobus Benedictus [k] Largebaſtonus Burdigalenſis, Jo. [l] Truchius Gratianopolitani, L. [m] Faber Divionenſis curiae primarii praeſides, et H. [n] Purnarius Aquenſis ſenatus praeſes; viri dignitate et integritate conſpicui: quibus in cubiculum vocatis, ubi aderant regina parens, Henricus [o] Andium dux, Carolus Borbonius cardinalis, Ludovicus Condaeus princeps, [p] Monpenſerius, Delfinus ejus filius, Carolus et Ludovicus Lotharingi cardinales, Nemoroſii, Longavillae et Nivernii duces, Annas magiſter equitum, et cum eo Odetus cardinalis, Gaſpar maris praefectus et Franciſcus peditatus Gallici praefectus Colinii fratres, Momorantii ſororis filii, Imbertus Platerius [q] Burdillonius, Damvilla Annae magiſtri equitum filius, et Franciſcus Deſpeus Vetuſvilla tribunus equitum, Ludovicus

Sangelaſius

VAR. LECT. [α] *Hinc uſque ad* Apud nos 17 *circiter lineae deſunt D.* f. o. d. *qui omiſſorum loco habent:* Nec Schuendius interea ceſſabat: qui Zatmarum Bebeci illius adeo noſtris, ob eas quas diximus cauſis, infeſti caſtellum aſperrima hyeme expugnandum ſuſcepit. Verum haec omnia ad ſequentem annum pertinent.

INTERPR. [a] *Brinn en Moravie & Troppau en Boheme.* [b] *Presburg en Hongrie.* [c] *Blois.* [d] *Moulins en Bourbonnois.* [e] *le mareſchal de Montmorency, fils ainé du conneſtable.* [f] *le ſieur de Cipierre.* [g] *de Thou, premier preſident.* [h] *Seguier.* [i] *Daffis, premier preſident du parlement de Toulouſe.* [k] *Largebaſton de Bourdeaux.* [l] *Truchon de Grenoble.* [m] *le Fevre de Dijon.* [n] *Fourneau d'Aix.* [o] *d'Anjou.* [p] *le duc de Monpenſier, le prince dauphin d'Auvergne, les cardinaux de Lorraine & de Guiſe, les ducs de Nemours Longueville & Nevers, le conneſtable de Montmorency, le cardinal de Chaſtillon, l'amiral de Coligny, & le ſieur d'Andelot colonel general de l'infanterie Françoiſe.* [q] *les mareſchaux de Bourdillon, Damville, & Vielleville.*

[a] Sangelaſius Lanſaeus, Ludovicus [b] Ognius Cauniae comes, [c] Jacobus Cruſſolius, CIƆIƆLXVI.
Honoratus [d] Sabaudus Villarius, comites, Bertrandus [e] Simieua Gordius, cuncti torquati equites; Joannes [f] Morvillerius Aureliani, Jo. [g] Monlucius Valentiae, Sebaſtianus [h] Albaſpineus Lemovicum epiſcopi. Rex eoram iis, ſe totas ditiones ſuas primis regni auſpiciis peragraſſe ait, ut et ſubditorum ſuorum praeteritis annis et poſtremis bellis civilibus diverſo peſtis genere vexatorum querimonias audiret, iiſque optima ratione proſpiceret: ob id eos tam celebri conſeſſu congregaſſe, ac rogare et vero auctoritate regia jubere, ut in eam rem ſumma vigilantia ac cura incumberent, ſicuti de eorum egregio erga ſe ac rempublicam ſtudio plane confideret; quo et Dei voluntati pareatur, conſeientia ſua exoneretur, plebs levetur, et juſtitia priſtinae dignitati et puritati reſtituatur. CAROLUS IX.

XXV. TUM Hoſpitalius cancellarius orditur; et, multa de graviſſimis reipublicae malis praefatus, ea a prava juſtitiae adminiſtratione poſtremo proficiſci collegit; cui proinde idoneis remediis medicinam afferre oporteat: id regem biennii peregtinatione abunde intellexiſſe: neque vero res alio quam ſuo ac proprio nomine appellare poſſe; itaque ſic ſentire, ſic loqui; toto ſuo regno per concuſſiones ac latrocinia ab iis, qui jus dicunt, flagitioſe peccari; quae flagitia adeo gravia citra culpam diſſimulare non poſſit: ea vero ab impunitate et nimia licentia ali; quae duae certiſſimae rerumpublicarum peſtes in iis praecipue imperiis graſſantur, in quibus principes eliguntur, ur Romae decedentibus Caeſaribus olim, et nunc etiam pontificum morte quotidie accidit; apud nos etiam, ubi nulla interregna ſunt, cum principes annis minores ſucceſſione ad regnum vocantur: nam tunc ſceleſtum quemque, quaſi patefacta ad concuſſiones, vexationes ac ſeditiones porta, nihil non audere; cunctos vero dignitate aut publico munete ſibi commiſſo tanquam re ſua ac patrimonio ad publicam injuriam abuti, conculcata Numinis reverentia, principis auctoritate ſpreta, et nulla utilitatis publicae habita ratione: nec vero tempora accuſanda aut malignitati hominum ea praetexenda eſſe; nam nullis temporibus impediri aur judicem, quin rectum ſervet, aut theologum, quin bona fide ſcripturam interpreretur, neque prudentem belli ducem, quin bene rem bellicam adminiſtret et regem regnique fineis tueatur: proinde errata hominum caſtiganda, coſque ad officium reduci, potius quam tempora, quae fere hominum mores ſequuntur, inculpati debere: itaque optimum factu videri, ut bonae ac ſanctae leges regia auctoritate ex optimorum ac prudentiſſimorum ſententia condantur, quae religioſe et inviolabiliter in poſterum ſerventur: nec inficias ire, quod vulgo jactatur, abunde legum in Gallia eſſe, ex eaque multitudine, ſicuti ex nimio judicum numero, litium copia abundare Galliam; ſed et hoc verum eſſe, novis malis exorientibus, ad ea comprimenda novis remediis opus eſſe; et, abolitis deſuetudine aut licentia antiquis legibus, novas, quibus praeſentia mala curentur, et miſeriae publicae proſpiciatur, condendas: ita, novis ſectis paſſim naſcentibus ac graſſantibus, ad eas prohibendas et exſtirpandas novis Theodoſii, Valentiniani et aliorum imperatorum conſtitutionibus opus fuiſſe: et nunc quoque e re publica videri, ut novae leges condantur; quae niſi ſerventur, id cum non niſi miniſtrorum ipſorum culpa et avaritia accidere poſſit, eos graviter ac ſevere puniendos, et ex inferioribus ſubſelliis ac minoribus regni curiis hujuſmodi peſteis et miſerae plebis hirudines exterminandas; ſupervacuos judices omnino reſecandos, qui plebis ſanguine et litium procreatione tantum alantur; preſidialeis curias in inferioribus tribunalibus aut omnino aut ex parte tollendas, iiſque de publico augenda ſtipendia, ſublatis honorariis, quae vulgo a partibus crogantur: uam damuare

INTERPR. [a] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [b] *d'Ogñies, comte de Chaunes* [c] *Jacques de Cruſſol, ſieur de Beaudiſner, (aprés la mort de ſa mere, ſieur d'Acier) puis duc de Cruſſol.* [d] *de Savoye, comte de Villars* [e] *de Smiane, ſieur de Gordes.* [f] *de Morvilliers, evêque d'Orleans.* [g] *de Montluc, evêque de Valence.* [h] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.*

nare ſe magnopere publicum juſtitiae mercimonium. Tum in potentiam regiam ejuſque jura excurrens, ferre regem non poſſe, dixit, ut, qui legum promulgandarum jus tantum habent, ejus interpretandi poteſtatem ſibi ſumant: Id enim ad ſolius legum conditoris, hoc eſt, principis auctoritatem ſpectare: neque itidem probare, ut magiſtratus juridici ejurentur, niſi forte a parentibus jam emeritis in filiorum gratiam, ſi quidem illi idonei et capaces reperiantur: itaque in nominationibus, quae a ſupremis curiis fierent, prenſationes, et pravum, qui inoluerit, motem tollendum. Dein, in latum de curiarum regni origine, auctoritate, ordinatione campum digreſſus, de ſuperfluo camerarum numero reſecando ac minuendo et ad primam inſtitutionem reducendo egit: ac diu diſputavit, an expediret, ut potius ſtatarii quam ambulatorii, ut olim, ſenatus eſſent, et ſtipendia eis majora de publico praeberentur, ſi id aerarii vires ferre poſſent, abolita ea quae fit a partibus honoraria pecuniae erogatione, et ita omni munerum ſordide captandorum occaſione praeciſa: ut cenſurae judices ſubjicerentur, et quiſque eorum rationem muneris ſui reddere teneretur: quibus rationibus ſubinde colligebat, judices potius biennaleis et triennaleis quam perpetuos conſtituendos eſſe. Tum multa alia judiciario ordini corrigendo et civili adminiſtrationi inſtaurandae propoſuit: de quibus cum pluribus deliberationibus ſententiam, qui aderant, rogati dixiſſent, poſtremo edictum conditur menſe Februario, a loco Molinienſe vocatum, magnae in regno auctoritatis ac nominis, quod LXXXVI capitibus abſolvitur: quibus partim edictum ante biennium Lutetiae factum, et poſtea, cum rex [a] Ruſſillionii eſſet, diplomate novo firmatum, denuo confirmatur; et quaedam alia ad judiciarii ordinis emendationem, litium ambages reſecandas, et tranquillitatem publicam pertinentia ,prudenter juxta et graviter decernuntur, et tanquam a rege in conſiſtorio decreta referuntur. Inter alia decernitur, ut damnati ad alicujus ſummae ſolutionem poſt quatuor menſeis a die ſententiae rite denunciatae vinciri poſſint, nec niſi ceſſione facta bonorum liberentur: quoque obviam falſitatibus et litium ambagibus iretur, ut probationes rei, quae C librarum ſummam excederet, tantum per contractus et ſyngraphas admitterentur, omni alia rejecta per teſteis probatione: ut ſubſtitutiones in infinitum factae intra quartum ab inſtitutione gradum coercerentur, eaeque et omnes pariter inter vivos donationes publice recitarentur, et in acta juriſdictionis domicilio eorum, qui ſubſtitutiones ſeu donationes fecerint, proximae referrentur; idque intra VI menſeis fieret a die mortis teſtatoris aut factae donationis; alioqui pro irritis haberentur: ut donationes omnes inter vivos mutuae, reciprocae oneroſae, propter matrimonium factae et aliae quaecunque in poſterum inſinuarentur, et in acta juriſdictionis locis aut rebus donatis proximae referrentur intra IIII menſeis; alioqui pro irritis haberentur, tam reſpectu creditorum donatarii quam heredum donantis: ut rerum in aleae ludo a minoribus perditarum repetitio eſſet; eaque ipſis minoribus, parentibus, tutoribus, curatoribus competeret: ut [b] ſodalitates praetextu religionis inter plebeios inſtitutae, commeſſationes, convivia, [c] phallagogia, ut quae ſuperſtitioni, turbis, laſciviae, rixis ac monopolis cauſam praebeant, omnino tollerentur. Edicto in curiam allato et deliberatione habita, ob capita quaedam alia intercedendum ſenatus cenſuit. Itaque, ubi rex Lutetiam rediit, poſt auditos a curia delegatos novum diploma VI Eid. Quintil. ad ſenatum mittitur, quo ad curiae poſtulata reſpondebatur; quod ſimul cum priore edicto in ſenatu recitatum eſt X Kal. Sextileis, addito, ut pro capitibus illis in commentario curiae notatis amplius apud regem intercederetur. Tandem edictum omnino locum habuit, promulgato X Kal. Januar. diplomate, quo ad ultima curiae poſtulata reſpondebatur, et edictum illud confirmabatur; ad cujus fere praeſcriptum in ſupremis regni curiis et inferioribus ſubſelliis hodie jus dicitur.

XXVI. ANTEQUAM

INTERPR [a] *Rouſſillon.* [b] *confrairies, aſſemblées, & banquets.* [c] *baſtons de confrairies.*

XXVI. Antequam rex [a] Molinio Lutetiam veniret, reconciliati fuere in ſpeciem Colinii cum Guiſianis; quae praecipua conventus cauſa fuerat. Ibi diſceptata inter partes ultro citroque cauſa, cum Gaſpar Colinius maris praefectus ſe ſolemni ſacramento purgaſſet, neque caedis Guiſiani ducis auctorem fuiſſe, aut in eam unquam conſenſiſſe, rex auctoritatem ſuam interpoſuit, et eos amicos eſſe juſſit: ii vero in amicitiae ſignum ſe mutuo coram rege complexi ſunt, fide utrinque data, ob praeterita alteros alteris minime in poſterum ſuccenſuros. Haec inter Annam [b] Ateſtinam Guiſiani defuncti viduam et Carolum Lotharingum cardinalem fratrem acta: non etiam Henricum Guiſii filium, qui nuper ex Pannonia reverſus aderat, et jam in illa aetate magnam virtutis paternae indolem prae ſe ferens ſummam de ſe ſpem apud multos excitaverat. Is compoſito ad diſſimulationem vultu ita in eo negotio ſe geſſit, ut omnes intelligerent, quamvis minime contradiceret, non tamen iis, quae inter alios tranſacta eſſent, obligari; et, quandocunque occaſio ſe offerret, ipſum neque animis neque opibus ei defuturum. Reconciliati et cardinalis Lotharingus et Franciſcus Momorantius; cum ille minime animo ſpernendae regii praefecti auctoritatis diploma commeatus a regina impetratum exhibere ſuperſediſſe affirmaret; et hic minime laedendi aut injuria cardinalem afficiendi conſilio, ſed regiae auctoritatis tuendae cauſa, ei cum armatis occurriſſe profiteretur. CIƆIƆLXVI. CAROLUS IX.

XXVII. [α] Cum rex ineunte anno Molinium tenderet, Jacobum [c] Angenuum Rambulietum in [d] Britanniam miſerat, ut de pace nuper firmata Anglorum reginae gratularetur; [β] qui, poſtquam regis loco [e] Windſorae ſolemni pompa ſedit, viciſſimque regis nomine ac reginae permiſſu Thomam [f] Howardum Norſolciae ducem et Robertum [g] Dudleium Leiceſtriae comitem viros toto regno primarios conchyliato torque publica ceremonia donavit: id exeunte Januario [γ] [h] Weſtmonaſterii actum.

XXVIII. Eodem tempore lis olim agitata inter Franciſcam [i] Roanam et Jacobum [k] Sabaudum Nemoroſium, et, ſuperſtite Navarro, qui Roanae cognatae patrocinabatur, intermiſſa, demum renovata, et praevalente hinc Nemoroſii gratia, inde odio religionis Proteſtantium, cui Roana addicta erat, praegravante, interventu pontificis deciſa eſt, ſchedula Nemoroſii de matrimonio praeſentibus verbis contracto irrita pronunciata. Moxque Nemoroſius Annam Ateſtinam Guiſii viduam in uxorem duxit; nuptiaeque ad [l] Mauri Foſſatenſis fanum haud longe a Lutetia celebratae ſunt: quibus rex ac regina, ut majorem auctoritatem rei conciliarent, interfuerunt. Nec multo poſt celebratae nuptiae inter Franciſcum Borbonium Monpenſerii filium et Renatam [m] Andinam Nicolai [δ] Andini marchionis [n] Mezeriae heredem; quas et rex ac regina praeſentia ſua cohoneſtarunt. Monpenſerius vero, qui doleret, Franciſcam Borboniam filiam Henrici Roberti [o] Marciani Bullionii ducis uxorem Proteſtantium religionem, a qua ille admodum alienus erat, amplecti, quo utrumque ad majorum ſacra retraheret, diſputationem inſtituit inter Simonem [p] Vigoreum et Claudium Sanctium magni nominis theologos; quorum ille archiepiſcopus [q] Narbonenſis, hic [r] Ebroicenſis epiſcopus poſtea fuit; et Joannem [s] Spinam, ac Carolum Barbaſtum Benearnenſem olim Carmelitam, utroſque Proteſtanteis: cumque is intereſſe non potuiſſet, Hugo [t] Sotellus Rozerius ejus vicem ſupplevit; ob idque, cum ob libellum quendam de poteſtate magiſtratus editum in carcerem conjectus fuiſſet, cuſtodia emiſ-

ſus

VAR. LECT. [α] *Haec de Rambulleti in Angliam legatione narratio deeſt* D *f. o.* [β] a qua ille periſcelidis inſignibus perhonorifice Vindeſorae donatus eſt, viciſſimque *D.* d. [γ] Weſtmonaſterii *deeſt D.* d. [δ] Andegavenſis *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Moulins.* [b] *d'Eſte.* [c] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [d] *Angleterre.* [e] *Windſor.* [f] *Howard, duc de Norfolk.* [g] *Dudley, comte de Leiceſter.* [h] *Weſtminſter.* [i] *de Rohan.* [k] *de Savoye, duc de Nemours.* [l] *S. Maur les Foſſez.* [m] *d'Anjou.* [n] *Mezieres.* [o] *de la Marck, duc de Bouillon.* [p] *Vigor, & Cl. de Saintes.* [q] *de Narbonne.* [r] *d'Evreux.* [s] *de Spina, & C. Barbaſte de Bearn.* [t] *Sureau natif de Rozoy en Tierache,* dit auſſi *du Rozier.*

NOT. [a] *Lege* loco inter S. Georgii equites Windſorae ſolemni pompa ſediſſet, viciſſim regis nomine *C.*

CIↃIↃLXVI. ſus eſt. Collatio Lutetiae celebrata in aedibus Nivernianis coram duobus notariis, et
CAROLUS IX. acta colloquii poſteà Lutetiae publicata ſunt: cujus is eventus fuit, ut poſt longam et animoſam diſceptationem, exiguo partium nuſquam convenientium profectu, et eorum praecipue, quorum cauſa collatio habita fuerat, utrinque diſceſſum ſit.

XXIX. ACCIDIT et tunc caſus, qui conciliationem procerum nuper [a] Molinii factam paene conturbavit, et aulam novis ſuſpicionibus miſcuit. Quidam Simon [b] Maius nomine, homo ſceleratus, meritorium in via publica haud longe a [c] Caſtellione Gaſparis Colinii ad [d] Lupam arce exercebat; qui, quod ab omni urbano praedio ſeparatas aedeis, ideoque ad latrocinia et caedes opportunas, haberet, in ſuſpicionem venit, quaſi vitae Colinii ab inimicis ſubornatus inſidiaretur. Ob id cura et mandatu illius comprehenſus, cum crimine confiсto verum regere et Colinii accuſationem elevare ſperaret, interrogatus reſpondit, a Colinio tentatum ſe, an reginae regis parenti vitae inſidias ſtruere vellet, pecunia etiam oblata; quod cum recuſaſſet, ob id captum et falſis criminibus oneratum. Verum judices, probationibus diligenter expenſis, cum non tam verbis hominis vitae ſupplicio eximendae aut prorogandae cupidi fidem adhibendam cenſerent, quam rem ex flagitioſa ipſius vita aeſtimarent, reum ad mortem damnarunt, et poena latronum affectum membris confractis rotae imponi juſſerunt. Ita compreſſi pro tempore rumuſculi, quibus jam tota aula factionibus diviſa perſtrepebat; non etiam animorum motus, qui ex ea occaſione recentibus adhuc odiis rurſus exacerbati ſunt.

XXX. TUNC et allatum eſt in aulam, Proteſtanteis [d] Lugduni, in qua urbe nimium quam multi erant, aliquid moliri: et, cum in aedibus arci vicinis ſubterraneus ſpecus cuniculi forma repertus eſſet, aucta inde ſuſpicione, arx majore praeſidio et commeatu ac machinis firmata eſt; praepoſituſque ei [e] Petrobuſerius Cambaretus, vir primaria in [f] Lemovicibus familia, nec minus bellica laude clarus.

XXXI. EODEM tempore tumultuatum in [g] Foxenſi comitatu et [h] Benearni pago; qui duo principatus Joannae [i] Labretanae Navarrae reginae ditionis ſunt, et ad Pyrenaeum pertinent. Et res quidem in Benearni pago ita compoſitae ſunt, ut, quamvis Proteſtantes numero vincerent, Catholici tamen antiquam poſſeſſionem in ſacris majorum colendis retinerent. In Foxenſi comitatu majus negotium fuit; et, ut diverſa rerum conditio, ita longe diſſimilis exitus. [k] Apameae, quae Foxenſis comitatus civitas eſt, Robertus [l] Pellevaeus, Nicolai, qui poſtea cardinalis fuit, frater, praeſul erat Jo. [m] Barbanſoni loco; qui, quod ſolutam vitam amplecteretur, a Pellevaeo rogatus et exiguam penſionem pactus in ejus gratiam ultro ſe epiſcopatu abdicaverat; poſtea fluxam ſucceſſoris ſui fidem expertus, cum eoque nequicquam moleſta ac diuturna lite diu ac poſtremum indeciſa luctatus. Is epiſcopus, cauſatus, Non. Martiis anni CIↃ IↃ LXIII, quo edictum pacificationis ultimae conditum fuerat, Proteſtanteis Apameae publicum conveniendi uſum intermiſiſſe, ne proinde in ea convenire poſſent, impedire conabatur; quippe cum cautum illo ſit, ut iis in locis tantum conveniendi facultas eſſet, in quibus uſque ad illum Martii diem publice ac libere Proteſtantes conveniſſent. In eam rem ſecretas probationes fieri curaverat: et, cum [n] edicto Cremii anno ſuperiore facto decretum eſſet, ut ex magiſtratibus, qui civili adminiſtrationi in urbibus ac oppidis praefuturi quotannis ab urbis aut oppidi concilio deliguntur, bini eligerentur, quorum delatis ad regem nominibus, quem vellet, rex auctoritate ſua aſſumeret; is etiam curaverat, ut, cum Catholici et Proteſtantes pari numero in concilio urbis nominati eſſent, rejectis Proteſtantibus, tantum Catholici a rege aſſumerentur, qui conſulum titulo urbem adminiſtrarent. Poſtea, re, clam oppidanis, in regio conſiſtorio agitata, et habita fide ſecretis illis probationibus,

VAR. LECT. [a] Loniam *ubique* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Moulins.* [b] *de May.* [c] *Chaſtillon ſur Loing.* [d] *Lyon.* [e] *Pierrebuffiere, ſieur de Chambaret.* [f] *le Limouſin* [g] *de Foix.* [h] *Bearn.* [i] *d'Albret.* [k] *Pamiers.* [l] *de Pellevé.* [m] *de Barbanſon.* [n] *l'Edit de Cremieu.*

bationibus, decretum fuerat, ne alterius quam Catholicae religionis Apameae uſus eſſet: mandabaturque Damvillae Septimaniae praeſidi, curaret, ut regium decretum executioni demandaretur. Quod ubi Proteſtantibus innotuit, illi protinus miſſo Simone [a] Senerio apud regem intercedunt; et, quamvis inſtante Navarrae regina, quae urbis pari jure cum epiſcopo domina eſt, nihil impetrare potuerunt, praevalente cardinalis Lotharingi potentia, cujus gratia epiſcopus ſublevabatur. Proteſtantes vero, cum ab aulae gratia excidiſſent, ac moleſte ferrent ſe libertate, quam quadriennium jam totum habuiſſent, in poſterum privari, poſſeſſionem, non quidem publice, ſed in privatorum aedibus convenientes, retinere ſtatuerunt. Id turbis occaſionem dedit, cum Catholici regium decretum urgerent, Proteſtantes, non auditos ſe et ex falſis probationibus dolo epiſcopi illud factum, contenderent. Moris erat, ut diebus feſtis plebs vexillis, quae ad id parata erant, explicatis, comeſſabunda per urbem diſcurreret, et choreas ſumma petulantia et laſcivia agitaret: eamque libertatem ſacri collegii ſodales tuebantur: qua et Proteſtantium conciones interturbabant, et multa proterve dicto factoque in eos admittebant. Eorum praecipui duces erant [b] Mauleonus Durbanus collegii ſodalis et [c] Bruſſius conſul, qui et Auguſtinianorum templum muniviſſe et comportatis armis firmaſſe dicebantur. Nec Proteſtantes ab iis laceſſiti ab injuria temperabant. Acciditque, ut XIIII Kal. Jun. dum choreae ante Dominicanorum templum pertranſirent, a puero ſaxa in conſertam turbam contumelioſe projicerentur: incenſiſque ex ea occaſione ad ſeditionem animis, ad [d] Ulmetum, quod ab urbe ſeparatum ſuburbium urbi tamen conjungitur, fit concurſus: ſed conſulum et [e] vicarii interventu tumultus citra ſanguinem ſedatus fuit, decreto facto, ut diebus feſtis a chorearum et comeſſationum laſcivia abſtineretur. Verum, appetente Pentecoſtes tempore, religionis ſpecie comeſſatorum licentia continuata eſt, inter ſupplicationes diſcurrentibus perſonatis hominibus, et argenteis ſigillis in foro ad Proteſtantium offenſionem propoſitis. Quibus rebus irritatis illis, facile res ad ſeditionem rediit; in qua vicarius, dum turbis obviam ire parat, paene vitae diſcrimen adiit: et nocte proxima a ſacri collegii ſodalibus, ſive ſibi metuentibus ſive ut adverſarios opprimerent, CL milites conducti, qui, duce [f] Rupibrunio, intra arcem epiſcopi urbi proximam admiſſi ſunt. Inde crebrae velitationes inter oppidanos; in quibus plerique hinc inde vulnerati. Tum et ad Bruſſii aedeis factus a Proteſtantibus impetus, igne etiam in eas injecto, quo mox illae cum quinque proximis conflagrarunt: ab incendio ad caedeis verſi animi: et Bruſſius ipſe poſt incenſas aedeis ſuas interfectus. [g] Sonſiecus alter e conſulibus vitam pactus ſe dedidit, et cum LX ſociis in arcem a vicario deductus eſt; quo et [α] plerique cum collegii ſodalibus, cum non alia ſalutis expediendae via eſſet, ſe ſtiterunt. Carmelitarum coenobium, interfectis aliquot e ſodalibus, direptum eſt. Quibus peractis, cum minime dubitarent Proteſtantes, quin et provinciae praeſes et ſenatus [h] Toloſanus id ſiniſtre interpretarentur, ad Gulielmum [i] Jouſam mittunt, qui factum excuſarent, et principium ſeditionis a Durbano et Bruſſio factum oſtenderent. Miſſus paulo poſt vicarius in aulam eadem de cauſa. Interea ad Auguſtinianorum coenobium victores ducunt, quod a Durbano tenebatur, [1] qui a Sonſieco, ut ſe dederet, hortante, minime auditus eſt; ſed nocte inſequenti cum CCC loco deſerto per [k] Calinpanam portam egreditur. Coenobium direptum et imagines templi dejectae; quod et idem in D. Franciſci aede, et in urbis valetudinario factitatum. Id actum Non. Jun. Poſtridie et Dominicanorum aedes capta ac direpta eſt. Ita Proteſtantes urbe potiti, adverſariis aut interfectis aut ejectis; ex quibus [l] Pulvarelius quidam eremita Auguſtinianus cum [m] Foxium oppidum arce munita

VAR. LECT. [α] plerique e collegii *D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Senier.* [b] *Mauleon D'urban* [c] *la Brouſſe.* [d] *fauxbourg de l'Ourmet.* [e] *le viguier.* [f] *Roquebrune.* [g] *Sonpebies.* [h] *le parlement de Toulouſe.* [i] *de Joyeuſe.* [k] *porte de Cailloup.* [l] *Polvareil.* [m] *Foix.*

NOT. [1] qui Sonſiecum, ut ſe dederet, hortantem, minime audivit;

CIↃIↃLXVI.
CAROLUS IX.

nita inſigne, a quo regioni nomen, profugiſſet, vix ex pavore collecto ſpiritu, oppidanis trepide renunciat, Catholicos omneis ab Hugonotis [a] Apameae jugulatos; et ad vindictam viciſſim de Hugonotis ſumendam hortatur: qui a plebe pronis auribus auditus eſt. Igitur, [b] Marchiandis ducibus, Proteſtantes vi domibus extracti ad XXXV interficiuntur: ceteri, periculo ſociorum excitati, arma corripiunt; et conjuncti S. Vincentii portam a Marchiandis clauſam vectibus ac ſecuribus vix tandem remoliuntur, et in proxima montana aufugiunt. Interim Apameenſes, cum ſero furoris poeniteret, [c] Solanum ex regionis nobilitate hominem ſtrenuum evocant, qui urbi cum ſummo imperio praeeſſet; et, ut culpam tegerent, Catholicis, qui pauci remanſerant, ut ſacrum etiam ad tintinnabulorum pulſum celebraretur, poteſtatem fecere: verum andito, Joannem Nogaretum [d] Valetam et Seipionem equitum ductorem a Jouſa in urbem miſſos, aliquantum turbati ſunt. Conditiones a Valeta propoſitae hae fuere: ut captivi Apameae et Foxii utrinque liberarentur: externi milites utrobique introducti dimitterentur; et arma privatis adempta in aedeis publicas deponerentur: cetera regis, a quo propediem mandata expectabantur, voluntati permitterentur. Tandem Proteſtanres, aequitati Valetae confiſi, cujus moderationem perſpectam habebant, ejus mandatis paruerunt. Retenti tamen externi milites, non ad urbis ſed ad ipſorum rutelam, quod in agro ruſticis infeſtis tutum perſugium non habere dicerent. Inde res, Odeto [e] Foxio Carmanii comite et Joanne Monlucio [f] Valentino epiſcopo ſuas partes interponentibus, jure agi in ſpeciem coepere: ſed, Jouſa, miſſo [g] Sarlaboſio, cum hoſpirium militare in urbe ſibi et III peditum ſignis aſſignari petiiſſet, animi rurſus conſciorum commoti ſunt; et, cum ſe excuſarent initio oppidani, immunitates ſuas ac privilegia cauſati, inſtante Sarlaboſio, ad extremum omnino recuſarunt, miſſis ab utraque parte ad regem nunciis, qui inde factum acerbarent, hinc oppidanorum nomine mitigarent. Interim a III Non. Quintil. arma ex aedibus publicis, in quibus depoſita fuerant, reſumpta oppidanis reſtituuntur; et infeſta circa urbem omnia fuerunt, donec Jacob. [h] Angeneus Rambulietus a rege cum ampliſſimis mandatis ad res componendas miſſus venit: quem mox [i] Rabatus et Caumontius vicecomites ex primaria Foxenſis principatus nobilitate Proteſtantium partibus addicti oppidanorum rogatu adierunt; et vim atque injuriam, quae non ſolum Apameenſibus ſed toti provinciae a Jouſae milite inſcrebatur, deprecati, operam ſuam deferunt; ſpondentque ſore, ut, modo moderatio adhibeatur, res ex regis deſiderio componatur. Inſtabat et per ſuos Navarraea, ut regiis miniſtris pareretur. Secundum haec induciae factae, Sarlaboſii copiis paulum remotis; et x Kal. Sextil. Rabati interventu praeſidiarii omnes numero IↃ C ſcloppetarii urbe dimittuntur; cum quibus conſcii quoque egreſſi ſunt. Poſtridie Rambulietus cum Sarlaboſio ac militari, quam ducebat, manu, explicatis ſignis et tympanis, urbem ingreditur ſine oppidanorum injuria. Inde digreſſus Foxium proficiſcitur, ut de ſeditione a [k] Pulvarelio Auguſtiniano excitata et Proteſtantium caede cognoſceret. Mox Jouſa ipſe cum C equitibus honorifice et obſequioſe in ſpeciem exceptus Apameam venit; quem poſtea Joannes [l] Daſius ſenatus Toloſani praeſes cum VI conſiliariis delegatis, qui de cauſa cognoſcerent, ſecuti ſunt. Auditis teſtibus, et pro tempore rebus conſtitutis, facta etiam ſpe, ex aequo jus utrique parti dictum iri, nam viduae defunctorum hinc inde lamentabili ſpectaculo ipſos prenſabant, diſcedunt. Conſcii XVIII, qui aufugerant, interim menſe Septembri capti et ſub cuſtodia Toloſam ducti; qui ramen fere carcere elapſi ſunt: iique poſtea, ſive quod ſuſpectum ſenatum Toloſanum haberent, ſive innocentiae ſuae haud ſatis fiderent, propoſitis apud regem ſuſpicionum cauſis, impetraverunt, ut cognitio ad alios judices remitteretur, et de cauſa ſenatus Pariſienſis

INTERPR. [a] *Pamiers.* [b] *les Marchiands,* fortè *les Merciers, qui eſt une famille à Pamiers.* [c] *du Soulan.* [d] *de la Valette.* [e] *de Foix, comte de Carmain.* [f] *de Valence.* [g] *Sarlabos.* [h] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [i] *les vicomtes de Rabat & de Caumont.* [k] *Polvareil.* [l] *Daffis.*

Pariſienſis cognoſceret: ſed mox Lotharingi cardinalis interventu decretum regium ſuper ea re factum revocatur, et cognitio rurſus ſenatui Toloſano committitur. Tandem in fugitivos ac contumaces tanquam laeſae majeſtatis reos fertur ſententia; qua ipſi ad patibulum damnantur, bona fiſco addicuntur, detractis in templorum deſtructorum inſtaurationem XL CIƆ librarum; gravique poena propoſita edicitur, ne quis eos hoſpitio, viatico, ope aliave re ulla juvet; ſed cuncti in illos tanquam publicos graſſatores et quietis patriae hoſteis inſurgant, et, ſi capere non poſſint, reſiſtenteis interficiant. Ii ergo in Pyrenaeum vicinum ſe receperunt juxta [a] Tabernas, adducto ſecum Martino [b] Tachario in [c] Angronia valle olim Subalpinae regionis paſtore. Ibi aliquamdiu huc illuc diſperſi latuerunt: ſed, cum neceſſitate adacti, et, ut ipſi aiebant, injurias inimicorum ulturi, poſtea ad rapinas diſcurrerent, irritatis ruſticis et in eos conjurantibus, proditi ac circumventi ſunt VII Kal. Jun. anni inſequentis a Tilladeto, qui juſſu B. Monlucii III ſigna peditum conſcripſerat, ut nobilitatis [d] Foxenſis armatos conventus ex occaſione privatae ſimultatis [e] Solani et [1] Rupimenteli natos impediret. Tacharius captus, et Foxium primum cum galero ad ludibrium albo et roſario ad collum appenſo quaſi in triumphum ductus, et poſtea Toloſam, ubi ſenatus decreto ad mortem damnatus et ſupplicio affectus eſt [α].

CIƆIƆLXVI.
Carolus IX.

XXXII. Hoc anno inſigne praejudicium a Pio V, aſtu Hiſpanorum ex calamitate noſtra occaſionem aucupantium, Francico nomini factum; nec minore eorum, qui in aula rerum potiebantur, flagitio diſſimulatum, [f] Vipuſcoa, quae [g] Cantabriae pars eſt, a [h] Baionenſis epiſcopi juriſdictione exempta. Color quaeſitus, quod, Francia Sectario veneno infecta, metus eſſet, ne, ſi populi illi in cauſis eccleſiaſticis a Gallico epiſcopo, cui ſuberant, jus petere cogerentur, ultro citroque commeando peſtem contagione conceptam ſecum in Hiſpaniam ab eo malo adhuc puram paulatim attraherent. Itaque pontifex nimis facilis diplomate pridie Kalend. Maias dato his de cauſis ſe perſuaſum dicit, ut Philippi tanquam aequum petentis pio juxta ac laudabili deſiderio ſatisfaciendum cenſuerit; et Baionae epiſcopo ac [i] Auſcitano praeſuli, cui Baionenſis ſubjicitur, mandat, ut in [k] Pampelonenſi ſeu [l] Calagurritana dioeceſi intra ſex menſeis viros vitae inculpatae ac doctrina excellenteis ex Hiſpaniarum regnis oriundos tanquam vicarios et officialeis ſuos conſtituant, qui de Vipuſcoenſium cauſis cognoſcant; ni intra tempus praefinitum faciant, tam Pampelonenſi archiepiſcopo quam Calagurritano de iis cauſis per vicarios et officialeis ſuos cognoſcendi eodem diplomate poteſtatem facit, cenſurae adjecta ſanctione tam in Baionenſem quam Auſcitanum, ſi ſuas deinceps in Vipuſcoenſium cauſis partes interpoſuerint: quod tamen locum habere intelligatur, quamdiu errores Sectarii in Franciae regno durabunt. Id tunc decretum, non niſi poſt biennium, jam mortuo [m] A. Momorantio et pulſo aula [n] Hoſpitalio, ardente apud nos civili bello, ad Baionenſis epiſcopi notitiam pervenit: quo minus mirandum eſt, ſi de tanta injuria apud pontificem ſicuti debuit minime expoſtulatum fuerit. [β]

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur uſque ad hujus libri finem deſunt D. ſ. qui horum loco habet Molinaei, Rondeletii et Farrni elogia.* [β] *Hic ſequuntur in D. o. Molinaei, Rondeletii et Farrni elogia.*

INTERPR. [a] *lieu nommé les Cabanes.* [b] *Tachard.* [c] *vallée d'Angrogne en Piedmont.* [d] *de Foix.* [e] *du Soulan, & de Roquemorel.* [f] *Guipuſcoa.* [g] *Biſcaie.* [h] *de Bayonne.* [i] *d'Auſch.* [k] *de Pampelone.* [l] *de Calahorra.* [m] *le conneſtable de Montmorency.* [n] *le chancelier de l'Hoſpital.*

NOT. [1] Dele *Rupimenteli*. Lege *Rupimorelli*. Put.

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS.

EPITOME.

BELGICORUM tumultuum altius repetita initia. Belgii-deſcriptio, origines, ſucceſſio, crebri per intervalla motus; publica hodie adminiſtratio. II. *Inquiſitionis Hiſpanicae, per novorum epiſcoporum creationem et concilii Tridentini promulgationem, introductae metus.* III. *Turbantibus primum animis, Ecmondanus in Hiſpaniam a Margarita Parmenſi miſſus et benigne auditus.* IV. *Inter Anglos et Belgas de commercio diſſidium.* V. *Philippi mandata Parmenſi tranſmiſſa.* VI. *Foederatia Belgica contra Hiſpanienſeis ad Gertrudis-fanum inita.* VII. *Libellus ſupplex a* CCCC *e primaria nobilitate Parmenſi oblatus, qui ex habitu et inſignibus, quae geſtabant, Geuſii per ludibrium vocati ſunt.* VIII. *Placitorum moderatio, dum nova ab Hiſpanis imperia acciperet Parmenſis. Aronſionis princeps Antuerpiam ad placandam plebem mittitur, eodemque tempore Montinius et Bergenſis marchio in Hiſponiam legati decernuntur.* IX. *Ad Centronum oppidum in Eburonibus denuo foederati conveniunt, et ſcriptum publicant; ad quos a Parmenſi Arauſionenſis et Ecmondanus miſſi.* X. *Dum cum foederatis agunt, undique de ſtatuis et imaginibus per templa dejectis et confractis affertur.* XI. *Inter Proteſtanteis diſſidia. Ad conciones conveniendi facultas data. Noercarmius Valencianas, a quibus ob viciniam noſtram plus metuebatur, cum valido praeſidio mittitur.* XII. *In Scotia regis novi faſtidio ſubeunte, Rizius in flagranti apud reginam gratia; eoque regi ſuſpectus eſſe coepit, repoſito Cocheroni exemplo, qui inſolito favore ex latomo Marriae comes effectus magnas turbas alim in regno excitaverat.* XIII. *Ex Matthaei parentis conſilia rex cum exulibus et proſcriptis a regina reconciliatur; et per Mortonium et Lindeſium, cum Patricio Ruveno recommunicata, Rizii caedes imperatur et patratur. Poſt caedem Rizii Moravius in aulam ab exilio a ſorore revocatur.* XIV. XIII *Kal. Quintil. regina gravida filium parit: inde occaſio arripitur de regni Anglicani ſucceſſione in Anglia ipſa diſputandi: et Penbrochiae ac Leiceſtriae comites Eliſabetham urgebant, ut de nuptiis cogitaret, a quibus illa ob impedimentum naturale maxime abhorrebat.* XV. *Occiſo Rizio, Bothuelius rerum potitur.* XVI. *Puer regius Sterlini ſocro lavacro abluitur. Carolus rex, Philibertus Emmanuel Sabaudus, et Eliſabetha per legatos officio pia defuncti ſunt: et Jacobus Carolus dictus eſt. Cum de foedere Edimburgenſi per Bedfordium Maria urgeretur, ſe excuſavit.* XVII. *Rex ex morbo adhuc debilis Sterlino, ubi decubuerat, Edimburgum lectica defertur; et paucis poſt diebus* IIII *Eid. Feb. immani parricidio necatur. De auctoribus varii rumores ſparſi: in aulo jactatum, ex Huntilaei et Argathelii comitum fide, Moravium et Mortonium comites conjuratione inita ſcelus ſuaſiſſe et perpetraſſe. Rationes in medium allatae, ducto altius initio.* XVIII. *Vincentius Laureus Montisregalis epiſcopus in Scotiam a pontifice legatur, qui Lutetiae ſubſiſtere coactus eſt, et, rebus ob paricidium turbatis, ad reginam tranſmittere non potuit.* XIX. *Nuptiae Mariae cum Bothuelio.* XX. *Foederatio procerum pro incolumitate regii pueri*

contra

contra Bothuelium ; ex qua ad arma ventum. Moravius, petita a regina venia, in Galliam concedit. Cum acies utrinque inſtructae ſtarent, diſcedente Bothuelio, regina ad foederatos venit et retinetur, indignis modis ab iis habita. Mater Moravii ei in cuſtodia comes addita, quae contumelioſior erga ipſam fuiſſe jactabatur. XXI. *Regina regnum ejerare cogitur, proteſtatione prius in occulto facta.* XXII. *Moravius e Gallia revocatus, prorex creatus, reginae rogatu regis pueri curam et regni adminiſtrationem ſuſcipit : dura ad eam captivam et contumelioſa verba.* XXIII. *Variae de regina inter proceres dictae ſententiae. Interdictus ad eam legatis noſtris et Anglis aditus.* XXIV. *Bothuelii in Dania capti miſerabilis exitus.* XXV. *Motus in Hibernia. Hugonis Tir-Oeniae comitis gens a Cono-O-Neal repetita, factiones, diſſidia, defectiones. Shani poſt* V *quam rebellaverat annum caedes.*

EX AUCTORIBUS,

C. Caeſare, Immanuele Demetrio ſive Meterano, Joanne Parvo, Bernardino Mendoza, Hier.. Franco Coneſtagio, Rogerio Tritonio, Georgio Buchanano, Jo. Leſlio, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.

LIBER QUADRAGESIMUS.

ANNUS hic rebus toto orbe geſtis inſignis, ſicuti ſupra demonſtravimus, tum maxime motibus Belgicis memorabilis fuit : nam ab eo calamitatum ſuarum initium repetunt Belgae, coepto tum civili bello, quod jam totos XXXIII annos, cum haec ſcribo, florentiſſimas illas provincias exercet : de quo dicturus, prius de [a] Belgio ipſo ejuſque limitibus ac provinciis, principum ſucceſſione, ac denique malis inteſtinis, quaedam explicanda exiſtimavi. Belgium Galliae tertiam partem conſtituere veteres ; et ab oriente Rheno, a meridie Sequana, ab occidente et ſeptentrione Oceano claudi ex C. Caeſare et veteribus notum eſt. Hodie ejus pars magna a rege, Lotharingiae duce, [b] Baioaris palatinis, [c] Cliviae duce, [d] Trevirenſi et Colonienſi praeſulibus, [e] Leodicenſi denique epiſcopo poſſidetur. Reliquum Belgium, de quo nunc ſermo eſt, Philippo Auſtriaco paret, et Flandria vulgo a nobiliſſima ejus provincia dicitur : ſed frequentius [f] inferioris pagi nomine indigetatur, a ſitu ; quod nulli fere montes in eo ſint, et fluvii plerique per eas regiones prono curſu in mare ferantur. Germani quoque, qui per vicinas provincias extra naturaleis limites inundatione populorum ſe ejecerunt, totum illum tractum Germaniae inferioris appellatione donarunt : idque ſe jure ſuo facere exiſtimarunt, quod plerique ex iis populis lingua Flandrica, quae ex Germanica detorta eſt, utuntur ; quanquam et ex illis multi ſint, qui [g] Walonum linguam, hoc eſt, Gallicam, atque adeo ex Romana deductam uſurpant. Et vero inferioris Germaniae nomen recens eſt. Nam in antiquis notitiis et ſub Valentiniano, qui anno ſalutis CCCLXXIX fatis conceſſit, totus ille tractus utriuſque Belgicae nomine comprehendebatur. Nec meliore jure Belgium Germaniae nomine cenſeri videtur, quam aut Aſia, in qua Scythae tanto tempore rerum potiti ſunt, Scythia eſſet, aut melior Italiae pars, in qua Langobardi, Britannia, in qua Angli-Saxones, et Gallia, in qua Franci regnum tenuerunt, qui omnes populi Germaniae ſunt, Germania vocari poſſet. Porro Belgium, quod hodie Auſtriacis paret, in XVII provincias diſtribuitur : quarum quaedam vere ad Germaniam pertinent, quippe trans Rhenum ſitae,

CIƆIƆLXVI.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Pays-bas.* [b] *les princes de la maiſon de Baviere, comtes palatins.* [c] *Cleves.* [d] *les archevêques de Treves & de Cologne.* [e] *de Liege.* [f] *Pays bas.* [g] *langue Wallone.*

CIƆIƆLXVI. ſitae, Friſia Occidentalis quae dicitur, ad alterius differentiam, quae ortum verſus

CAROLUS IX. porrigitur, [a] Zutphanienſis comitatus et [b] Tranſiſclana regio; quae eſt peninſula inter Rheni brachium inferius, quod [c] Arnhemium alluit, et [d] Iſalam fluvium poſita: et tamen eae provinciae Belgii ſeu inferioris pagi, et, ut Germani volunt, Germaniae inferioris nomine comprehenduntur; quanquam re ipſa ad veram ac ſuperiorem Germaniam pertineant. De provinciis ſingillatim dicere earumque civili adminiſtratione, conſiliis, inſtitutis, ſupervacuum fuerit; cum haec omnibus fere nota ſint, et ab aliis diligenter propriis libris perſcripta: tantum hoc interfari liceat, nullas populoſiores aut opulentiores provincias toto orbe terrarum eſſe; ut in quibus CCVIII urbes moenibus clauſae, CL oppida, quae urbibus clauſis magnitudine et opibus pares ſunt, VI CIƆ CCC paroeciae numerentur, cum ambitu non plus quam CCCXL milliaria Flandrica totus ille tractus complectatur. De ſucceſſione comitum Flandriae nunc pauca attingemus: quoniam ei tanquam nobiliſſimae provinciae, et a qua ceterae hodie nominantur, aliae quoque adfinitatibus, foederibus, bellis veluti accreviſſe videntur. Igitur Flandria, in qua olim Pleumoſii, Grudii et Gorduni erant, jam a tempore [e] Clodovei, ejecto a Gandenſibus, quod erat caput gentis, Romanorum praeſidio, ſicuti ejus annales teſtantur, in Francorum poteſtatem conceſſit, juriſque Francici effecta eſt, una cum Arteſiae comitatu: poſtea Carolus magnus CCCIII a Clodoveo anno [f] Lidericum Harlebecanum Flandrici litoris cuſtodem conſtituit, magnumque [g] ſaltuarium creavit, temporario imperio, quod Flandriae praefectis hactenus reges noſtri conceſſerant, in perpetuum ei attributo: eoque jure poſteri ejus uſi ſunt uſque ad Balduinum cognomento [h] Brachiferreum, qui LXX anno poſt nefanda temeritate Juditham Caroli Calvi filiam, quae, Edelulpho Anglo-Saxonum rege [*] priore mortuo, [i] Silvanectum ſeceſſerat, clam patre, ſed conſentiente fratre, rapuit: reque interventu pontificis tandem compoſita, et celebratis ex patris conſenſu [k] Autiſſiodori nuptiis, a ſocero Flandriam, marchionatus ſeu comitatus titulo, accepit. Ab eo ad Arnoldum VIII nuſquam interrupta recta ſerie, in eadem familia principes Flandriae praefuere; donec [l] Robertus Friſius, occiſo Arnoldo Balduini [m] Montenſis fratris filio, et excluſo Balduino [n] Hannoniae comite Arnoldi fratre, ordinem legitimum turbavit; ex eoque quaſi vaga ejus provinciae poſſeſſio fuit uſque ad [o] Theodoricum Alſatiae comitem Theodorici filium, qui Gertrudem Roberti Friſii neptem in matrimonio habuit. Nam, hujus filio Philippo ſine liberis decedente, res omnis ad Margaritam rediit anno ſalutis CIƆ C XCIV; quae Balduino Balduini Hannoniae comitis filio nupſerat: et ita XX a morte Arnoldi anno Flandriae principatus non armis vindicatus, ſed jure adfinitatis repetitus Arnoldi legitimi heredis poſteritati reſtituitur. Poſtea Balduino Margaritae filio, qui orientis imperium adeptus eſt, decedente, duabus tantum relictis filiis, Margarita Joannae ſorori ſuperſtes Gulielmo [p] Dampetrae ex [q] Arcembaldorum Borboniorum familia regulo nupſit; et inde, Borbonii, maſculis heredibus ex Balduini Brachiferrei ſtirpe deficientibus, Flandriam tenuerunt, et, patrio nomine ac gentis inſignibus relictis, in Flandriae familiam tranſierunt: eorumque genus manſit uſque ad Ludovicum a Gulielmo quintum, qui, unica filia nomine Margarita ſuperſtite, fatis conceſſit: haec deinde Philippo [r] Burgundionum duci Caroli V fratri matrimonio juncta eſt; unde Burgundionum domus, cui Auſtriaca tandem ſucceſſit, ſumma Ludovici XI ſapientiſſimi alioqui principis imprudentia, qui odio, quod implacabile adverſus eam gentem coquebat, caecus, quam filio uxorem dare poterat, Maximiliano Auſtriaco nubere paſſus eſt. Hiſque initiis Auſtriaca gens, ante Rodolphum haud ita dives et potens, poſtea in Germania aucta, et poſt contractam illam adfinitatem orbi terrarum formidabilis

INTERPR. [a] *de Zutphen.* [b] *pays d'Overiſſel.* [c] *Arnheim.* [d] *Iſſel r.* [e] *Clovis.* [f] *Liderick Harlebeck.* [g] *grand foreſtier.* [h] *bras de fer.* [i] *Senlis.* [k] *Auxerre.* [l] *Robert dit le Friſon.* [m] *de Mons.* [n] *Hainaut.* [o] *Thierry, comte d'Alſace.* [p] *Dampierre.* [q] *Archambaud de Bourbon.* [r] *Bourgogne.*

NOT. [*] priore viro ſuo mortuo.

daбilis magnitudinis ſuae incrementa cepit. Belgas autem Gallorum fortiſſimos CIↃIↃLXVI.
cum tradit C. Caeſar, hanc rationem addit, quod a cultu atque humanitate provinciae longiſſime abeſſent, minimeque ad eos mercatores ſaepe commearent, atque ea, quae ad effoeminandos animos pertinent, importarent. Quae ratio hodie ceſſat: quippe nullae provinciae nunc importatis mercibus magis abundant, nullaeque gentes longinquiores navigationes ſuſcipiunt, aut in opificiis, quae luxui ſerviunt, majore ſolertia laborant. Verum ut in frugalitate antiqua ita in praeſenti copia priſtinos animos et contumaciam genti inſitam ſemper retinuerunt, et libertatis amittendae metu ad quoſvis rumuſculos facile ſe commoverunt: quod ut clarius perſpiciatur, breviter et per indicem motus in iis provinciis ſecutos, repetita altius memoria, explicabo. Conſtat, Flandriae principes jam a Liderico et Balduino Brachiferreo in fide regum Francogalliae fuiſſe, donec aetate noſtra Franciſcus I juri, quod regibus noſtris in eos erat, tranſactione renunciavit. Itaque, Ferdinando ante CCCLX et amplius annos ad conventum, qui de bello Anglis inferendo in Sueſſionibus indictus fuerat, reſpondere detrectante, Philippus Auguſtus ira incenſus magno comitis malo in Belgium duxit, eumque, Anglorum et Germanorum ipſiuſque Caeſaris [a] Othonis IIII, qui aderat, viribus ſuperbum, cruentiſſimo et infeſtiſſimis animis commiſſo ad [b] Bovinas proelio profligavit. Captus et ipſe Ferdinandus, et in cuſtodia eo uſque habitus, donec pacem XI anno poſt, cujus toties in percutiendis foederibus memoria deinceps renovata eſt, ſolemni more juravit. Cui cum poſtea ſtare nollet Guido Dampetra, magnis ſe bellorum difficultatibus implicuit; quorum hic exitus fuit, ut, quo non praeſtiti obſequii culpam et ſummam contumaciam elueret, anno CIↃ CCC ſe Flandriamque regis arbitrio permittere ſit coactus. Ab eo tempore per CC amplius annos Flandri aut in nos aut in principes ſuos fere continuis rebellionibus bacchati ſunt. Nam ſtatim anno poſt [c] Brugis tumultuatum eſt, duce [d] Petro Regio infimae ſortis homine, ob vectigalia ad ſumptus a rege factos ſuperioribus bellis exſolvendos imperata. Quorum exemplo Gandenſes anno ſequenti rebellaverunt; eoque res a plebeio furore devenit, ut juſto proelio Philippus rex decernere coactus ſit ad [e] Curtracum; ubi, rebus noſtris Roberti [f] Atrebatis et Rodolphi [g] Nigellani temeritate profligatis, auctoritatem, quam a plebe laeſam ulturi ibamus, paene amiſimus. Quater inde in Flandriam noſtri duxere: ſed ſemel tantum re bene geſta reverſi ſunt; et laetitia ea, ſecuta mox [h] Pabulana clade, in qua rex ipſe periculum vitae adiit, multum delibata eſt. Tandem [i] Inſulana pace poſt quinquennium facta bellum magis dilatum quam compoſitum eſt. Itaque ſexennio poſt, cum Petrus ille priſtinos animos reſumpſiſſet, mitigatis Inſulanae pacis conditionibus, novam pacem redimere coacti ſumus: acceptis tamen pignoris loco [k] Duaco et Inſula, quae regio praeſidio tenerentur, donec a comite regi de belli ſumptibus plene ſatisfactum eſſet. Ita comes carcere liberatur; qui, promiſſa ſibi ab Enguerrano [l] Marinio non repraeſentari cauſatus, rurſus ſuis auctor fuit, ut arma infauſta reſumerent. Inde ſub Ludovico Hutino et mox Philippo Longo continua rebellionum ſerie Flandria fluctuavit, Gandenſibus interim, ne qua tumultuandi occaſio praetermitteretur, quaſi ab externis quies eſſet, ad domeſticos motus converſis. Tandem anno illius ſaeculi XX induciae pactae et ſponſaliriis, ut fieri aſſolet, firmatae: ſed triennio poſt Brugenſes ob [m] Sluſas a [n] Namurcenſi occupatas rebellaverunt; et, re a rege lenitate ſumma uſo compoſita, rurſus anno ſequenti plebs auctis inde animis in nobilitatem, quam invidioſo nomine [o] liliatam, quod pacis ſtudioſa partibus noſtris faveret, appellabat, inſolenter inſurrexit: cujus ferociam cum ſera ſeveritate reprimere vellet Ludovicus comes

CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Othon* IV dit *le ſuperbe*. [b] *Bouvines*. [c] *Bruges*. [d] *Pierre le Roy*. [e] *Courtray*. [f] *d'Artois*. [g] *de Neſle*. [h] *deffaite de Mons en Pavele*. [i] *de Lille*. [k] *Douay*. [l] *de Marigny*. [m] *l'Eſcluſe*. [n] *le comte de Namur*. [o] *les porte-lis*.

CIↃIↃLXVI. CAROLUS IX.

comes, [a] Curtraci obſeſſus paene periculum vitae adiit, trucidatis in conſpectu ipſius pleriſque e nobilitate, ipſoque vix elapſo, cui carcer loco ſummi beneficii, ne a furentibus diſcerperetur, contigit. Nec uno crimine contenti Brugenſes ultro Gandenſibus, qui pro principe ſtabant, et [b] Aldenardenſibus arma intulerunt, duce [c] Rargero: ſed clade accepta, in qua IↃ CCCC ex ſuis amiſerunt, tumidi ſpiritus paulatim remiſere; et, urgente pontificis cenſura, principem, quem nuper ſupplicem contempſerant, ultro ſupplices adiere. Ita pax, quae [d] Arcenſis dicta eſt, percutitur, quam, vix anno vertente, audita Caroli pulchri morte, quaſi omni metu ſoluti, Brugenſes violavere. Verum Philippus Caroli propior ſobrinus et heres, primis regni auſpiciis tantam injuriam, quae ad ſuarum rerum exiſtimationem pertineret, non ferens, ducto in Belgium exercitu et commiſſa diu ambigua pugna ad [e] Caſletum ad IX CIↃ rebellium cecidit. Nec multo poſt [f] Sigerus Jaſſonius turbarum incentor, cum collectis belli reliquiis denuo bellum inſtaurare conaretur, captus et merita poena ac crudeliſſimo ſupplicii genere affectus eſt. Nec diu propterea Flandri quievere, quamvis haud multo ante a pontifice [g] Avenionem evocati in Philippi verba juraſſent. Nam impellente Jacobo [h] Artevella, homine de vulgo, qui cerviſiam optimam miſcebat, rurſus plebs in nobilitatem partibus noſtris addictam majore quam antea furore exarſit, ſparſo malignorum ore, Anglos lanae commercio, quod praecipuum plebis Belgicae opificium eſt, interdicturos, niſi Gallorum partes deſererent. Nullum perniacioſius eo bellum cum Anglis geſſimus; ipſis etiam Flandris damnoſum; qui poſtremo Artevellae, quem obvio favore ſecuti fuerant, pertaeſi, ut eſt ingenium plebis, orta Gandavi ſeditione, cum ille eo vecordiae veniſſet, ut de abdicando principe referre auſus eſſet, captus et merita poena anno illius ſaeculi XLV et X a ſeditione coepta affectus eſt. Mox et ſub [i] Ludovico Maleano eandem ob cauſam, quamvis duce interfecto, tumultuatum eſt: cum novellus princeps nollet, rege, quem fortuna deſeruerat, relicto, in Angli partes tranſire; ob id patriam relinquere coactus, ubi ad ſuos rediit, Brugis textores, genus hominum ad ſeditiones natum, varia poena affecit. Tandem cum Anglo foedere Dunkerkae certis conditionibus percuſſo tranſegit. Nec tamen Brugenſium exemplo territi fuere textores Gandenſes et [k] Hiptenſes cives; qui rebellionis ſuae debitas mox poenas luerunt, partim morte, partim exilio mulctari. Nec multo poſt, quamvis cuncti poſt contractam nobiſcum adfinitatem, hoc eſt, ductam a Maleano Caroli V filiam, omnia pacata fore in Belgio augurarentur, [l] Albatorum factio exorta eſt, ob immodicas exactiones ſupplendo aerario nimiis largitionibus exhauſto impoſitas. Factionem eam ſecutum eſt Philippi Artevellae regnum, quod biennio coeptum ſimul et finitum eſt. Brugae ſub eo expugnatae, et Maleanus in iis captus, occiſis III CIↃ hominum. Quam injuriam Carolus VI poſtea ultus eſt, XX CIↃ Flandrorum proelio [m] Roſebecano caeſis, et ipſo Artevella, qui ſe pro principe gerebat, oppreſſo. Maleanus poſtea deceſſit, relicta ampliſſimi imperii unica herede Margarita, quae Philippo Burgundioni regis patruo nupſit. Inde, deſcendente in Belgium rege, ut rebelleis ad officium reduceret, foedus percuſſum eſt cum novello principe; cui accedente nominis Gallici dignatione, majorem quoque a feroci plebe venerationem habitum iri cuncti arbitrabantur: ſed contra evenit: nam vix unquam adduci potuerunt, ut ad pedes Philippi procumbentes praeteritorum veniam peterent; adeo ut Margarita uxor, ut omnem repetendorum armorum occaſionem generoſo viro praecideret, ultro pro civibus maritum publice exorare coacta ſit. Exinde ſub Philippo Burgundione et Joanne Philippi filio, quaſi calamitatum noſtrarum ſpectatores ſederent Belgae, per XXVI amplius

INTERPR. [a] *Courtray.* [b] *Oudenarde.* [c] *Ratger.* [d] *d'Arkes en Flandre* [e] *Mont-Caſſel.* [f] *Zegbere Janſone.* [g] *Avignon.* [h] *d'Artevelle.* Les Hiſt. François l'appellent *d'Artevelle.* [i] *le comte Louis* dit *de Malle.* [k] *d'Ipres.* [l] *la bande des Chaperons blancs.* [m] *bataille de Ratsbecque.* Les Hiſt. François diſent *Roſebec.*

plius annos quieta fuere omnia; niſi quod apparitores regii, dum juſſu ſenatus Gandenſibus diem ad cauſam Lutetiae dicendam dicerent, injurioſe pulſati ſunt, ne tumultuandi, credo, jus tam longo temporis ſpatio praeſcriberetur. Poſtea inciderunt calamitoſa ea Galliae tempora, quae Belgas a ſeditionibus domeſticis ad juſta in ſpeciem pro principe ſuo arma, ſed contra nos, quibus primam fidem debebant, averterunt. Sed poſt [a] Atrebatenſe foedus, quo Joannis mors dedecoroſis admodum conditionibus expiata eſt, et irritam [b] Caleti obſidionem, rurſus ad animum redierunt; et [c] Gandenſes ac Brugenſes, quae ſunt duae totius Belgii potentiſſimae civitates, contra Philippum rebellarunt, occiſo etiam Joanne [d] Villerio Inſuladamo equitum tribuno, capta et recepta Lutetia famoſo duce, dum cum principe anno CIↃ CCCC XXXVII Brugas ingrederetur. Brugenſes ob id Immunitatum parte adempta mulctati. Nec Gandenſes propterea reſipuerunt; qui anno duodecimo poſt optimates urbe exigunt; et, captis armis, quater caeſi tamen animos minime remiſere, donec, totis viribus ad [e] Gaueram periclitati, Philippum, quem ante motam ſeditionem ſeverum ſenſerant, mitem et placabilem poſt victoriam ſunt experti. Militaria tamen ſigna, quibus ſublatis ſeditiones ciebant, illis adempta; et reipublicae ordinatio, a Philippo pulchro inſtituta, in meliorem formam ex principis ſententia mutata eſt. Rurſus ſub Carolo pugnaci Gandenſes ſuſtulere animos, a rege, ut eorum annales memorant, incitati: qui motus intra initia ſua ſedatus eſt; et ab eo tempore per totum novennium quievere Flandri. At ſub Maximiliano, qui Mariam Caroli heredem uxorem duxerat, cum foedere [f] [α] Carſanti icto anno praecedentis ſaeculi LXXXV immunitates ac privilegia ſua imminuta quererentur civitates, redintegrata factio eſt, et ſeditione exorta ipſe Brugis, ne ſimilis in [g] Malcanum olim admiſſi flagitii memoria periret, comprenſus ac ſub cuſtodia habitus eſt. Ab eo tempore, quaſi naturalis motis oblitis illis populis, per LIII amplius annos pacatum a domeſticis motibus [h] Belgium fuit; procellaeque rebellionum, quae ad quoſvis ventos tantas tam facile tempeſtates evehebant, reſediſſe omnino videbantur; cum injurioſo et gravi Mariae Hungariae reginae dominatu preſſi ſive ſuopte ingenio incitati Gandenſes antiquos animos reſumpſere anno hujus ſaeculi XXXVIII; ſed infeliciſſimo ſucceſſu, ut ſupra demonſtravimus.

II. HIS animis praediti majorumque exemplis inſtructi Belgae, haud mirum ſi, ad luxum et nimias opes accedente potentiſſimo ad mentes commovendas religionis telo, arma non facile poſtea deponenda ſumpſerunt. Origo ab inquiſitionis Hiſpanicae metu fuit, qui jam XX ab hinc circiter annis regnum Neapolitanum turbaverat, et nuper variis ſuſpicionibus noſtrorum mentes implevit. Eam per novos epiſcopos paſſim a Paulo IIII inſtitutos ſenſim invehi, libertatem ipſorum carpi, privilegia et immunitates labefactari, jam ante multoties conqueſti fuerant proceres. Necdum memoria exciderat, quod Philippus Belgio excedens eo conſilio praeſidium Hiſpanorum in provincia relinquere voluerat: quod cum procerum precibus exoratus non feciſſet, relicto tamen cardinali Granvellano cum mandatis [i] Parmenſi datis, ut ex ejus ſententia rempublicam adminiſtraret, duriſſimum et omni cuſtodia militari gravius jugum liberis cervicibus impoſitum videbatur. Nam hominem ſupra quam dici poteſt illi oderant; quem humili loco natum, et ideo magnatibus infeſtum, perpetuo ipſorum libertati, ut Hiſpanis gratificaretur, per calumnias inſidiari aiebant. Is cum in novorum epiſcoporum inauguratione archiepiſcopus Mechlinienſis creatus eſſet, quaſi inquiſitionis princeps, primatum in totum Belgium uſurpaverat, adempta [k] Rhemenſi, Trevirenſi et Colonienſi archiepiſcopis juriſdictione, et [l] Monaſterienſi ac Leodicenſi dioeceſi non parum deminuta: eaque in re praecipuo adminiſtro utebatur [β] Franciſco Sonnio

VAR. LECT. [α] Caſſanti *D. f. o. d. Ed. Gen.* [β] Jo. *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *d'Arras.* [b] *Calais.* [c] *ceux de Gand & de Bruges.* [d] *de Villiers, ſieur de l'Iſle-Adam* [e] *Gauere.* [f] *Caſſant* [g] *de Malle.* [h] *Pays-bas.* [i] *la ducheſſe de Parme.* [k] *de Rheims, Treves, & Cologne.* [l] *de Munſter & de Liege.*

Sonnio theologo, qui Antuerpienſis epiſcopus deſignatus fuerat. Inde excitatae magnae querelae, non ſolum illorum, quos dixi, ſed collegiorum ac monachorum, qui ſua coenobia ac ſacerdotia ad novos epiſcopos alcodos, cum aliunde vectigalia non ſuppeterent, transfuſa moerebant. Miſſus et ex Parmenſis ac concilii ſententia ad Philippum [a] Florentius Momorantius Montinius velleris aurei eques, qui de ſtatu provinciarum, et periculo, quod impendebat, plenius ac certius regem edoceret: iſque cum ambiguo reſponſo dimittitur, ſpe tamen facta, fore ut tranquillitatis publicae harum provinciarum ratio haberetur. Intercedebant et civitates, atque Antuerpia in primis, quae inquiſitione commercium ac libertatem, qua fere celebritas illius maximi toto orbe emporii conſtat, cum omnino impediri provideret, ad Philippum in Hiſpaniam delegatos e ſuo numero miſit Godofridum [b] Sterkium urbis praetorem, Urſelium ſenatorem et Jacobum Weſenbechium urbis ſyndicum; qui III Eid. Jun. a rege auditi, non niſi Decembri menſe inſequenti hoc vagum reſponſum tulerunt; Antuerpienſeis nequaquam inquiſitione moleſtatum iri. Quo reſponſo accepto, cum unus e delegatis domum rediiſſet, ſenatus cum negotiatoribus egit, qui vix unquam ſibi perſuaderi paſſi ſunt, Hiſpanica promiſſa ſincera fore, ſi Sonnius epiſcopus novae epiſcoporum inſtitutionis auctor et inſtigator admitteretur. Itaque delegati tandem a rege impetrant, ut novi epiſcopi introductio in praeſens omitteretur; id actum III Non. Sextil. anni CIↃ IↃ LXIII. Interea in urbe religionis negotium calebat; et, cum plerique ob Sectarium crimen capite plecterentur, non occulta plebis murmura paſſim exaudiebantur. Jamque a verbis ad facta res devenerat: et, cum Chriſtophorus [c] Fabritius quondam Carmelita ad ſupplicii locum ductus eſſet, ſeditione excitata carnifex lapidum grandine circumfuſus ſemi-uſtulatum corpus relinquere coactus eſt: cumque in publico damnatos producere non auderent, novum genus ſupplicii commenti ſunt, quo miſeros homines capitibus ad genua ligatis in vaſe aquarum pleno mergebant, et ſenſim ſuffocabant. Neque tamen id citra tumultum, plebe ſemel accenſa et carceribus undique obſeſſis, ita ut plerique clathris refractis aut funibus ſubminiſtratis et alia plebis ope evaſerint. In Friſia [d] Leovardienſes et Groeningenſes, in Geldria Ruremondenſes et Daventrienſes, ut novos epiſcopos reciperent, perſuaderi non poterant: et, qui jam inaugurati erant in aliis civitatibus, contra collegia ſua exortis rixis ac controverſiis paſſim indecenter et exuto veluti omni pudore rixabantur. Concilium Tridentinum biennio ante repetitum acceperat finem. Tum, ex cardinalis conſilio, omiſſa inquiſitionis adeo cunctis ordinibus inviſae mentione, praetextu promulgandi concilii, quod ſanus quiſque et de religione bene ſentiens citra flagitium recuſare non poſſe videbatur, placita publicantur; quibus executioni demandandis eadem quae prius ſeveritas adhibita, et eo magis de Sectario crimine ſuſpecti quaſi jam convicti et per concilium damnati ubique exagitabantur. Inde majores pariter quam antea exortae querelae; et querelis plebis acceſſere procerum murmura, et poſtremo apertae inimicitiarum contra cardinalem denunciationes. Et ipſi quidem [e] Arauſionenſis, [f] Egmondanus, et Hornanus, datis ad Philippum literis manu propria ſcriptis, non aliam pacandi Belgii rationem ſe videre affirmabant, quam ſi cardinalis, cujus adeo populo inviſum nomen erat, a gubernaculis removeretur; in cujus odium ac contumeliam videre erat famulos eorum manicis purpureum morionis cucullum acu depictum geſtare. Verum, cunctis fere cucullo hoc cardinalis galerum ſignificari conjicientibus, mox illi cuculli loco faſciculum jaculorum ſubſtituerunt, quo animorum in regis obſequium concordiam conteſtabantur: ipſe vero cardinalis concordem in ſe procerum conjurationem

INTERPR. [a] *Floris de Montmorency, baron de Montigny.* [b] *Sterck Amptman de la ville, c'eſt à dire, principal officier; Urſelle Eſchevin, & J. Weſembeck penſionaire de la ville.* [c] *Fabritius.* [d] *ceux de Leeuwaerden & Groeninghen, & de Ruremond & Deventer.* [e] *Guillaume de Naſſau, prince d'Orange.* [f] *les comtes d'Egmond & de Horn.*

conjurationem initam interpretabatur. Itaque, cum ſe peti cerneret, et, qua erat ingenii ſolertia et ſagacitate, animo provideret maximas brevi in Belgio tempeſtates excitatum iri, vitae metuens, in [a] Sequanos ſeceſſit, ut periculo praeverteret; et [b] Veſontione, unde oriundus erat, aliquantum temporis contrivit, eventum rerum ibi opperitutus, et ex longinquo conſilia tutius et citra ſuſpicionem emiſſariis ſuis miniſtraturus. Id inter alia gratiſſimum accidit Parmenſi, quae, hominis faſtum et arrogantiam impatienter ferens, magna ſe per ipſius abſentiam moleſtia liberatam exiſtimabat. Verum haud diu pleno gaudio frui potuit. Nam mox, per cardinalirios ſive Hiſpanienſeis, ſic emiſſarii illius vocabantur, quem rebatur abſentem, conciliis quaſi praeſentem intereſſe cognovit: cumque tria concilia ſuprema Philippus e Belgio diſcedens inſtituiſſet, quibus ſingularum provinciarum juriſdictiones, conſeſſus et alia concilia veluti ſubeſſent; primo, in quo res ad imperii ſtatum pertinentes agitabantur, praeerat Parmenſis, cum aurei velleris equitibus, provinciarum praefectis et aliis delectis proceribus; et ii quidem publicae tranquillitati ſtudebant: alterius, quod ſecretum appellabatur, Ulricus [c] Viglius ab Ayta Zuichemus praeſes erat cum aliis delectis: ultimum, in quo aerarii negotia tractabantur, Carolus [d] Barlaimontii comes cum delectis item regebat; et, in his duobus poſtremis qui ſedebant, cardinalitiae fere factionis erant, quorum quidam etiam concilio ſtatus intererant. Inde orta inter eos diſcordia, cum Hiſpanienſes hanc tantam concilii ſtatus auctoritatem aegre ferrent, cauſati ab eo occaſiones quaeri, quibus tam in judiciario quam quaeſtorio negotio ipſos apud regem traducerent. Id vero illi ipſi non ſegniter faciebant, et Parmenſem ut lenitate nimia et diſſimulatione turbas ac ſeditiones alentem apud regem criminabantur.

CIↃIↃLXVI.
CAROLUS IX.

III. QUAPROPTER, ut calumniatoribus os obſtrueret, ex concilii ſententia [e] Lamorallus Egmondanus in Hiſpaniam legatur, vir perſpectae fidei, et recentibus meritis apud Philippum, uti rebatur, chariſſimus. Is per Galliam itinere facto in Hiſpaniam contendit, et coram Philippo libere meritorum fiducia locutus, qui metus ſeditionum a ſevera edictorum publicatione Belgio impenderet, multis verbis oſtendit: nam ad inquiſitionis nomen omnium animos cohorreſcere, et ob id proceres ac nobilitatem fremere, ſenſim libertatem priſtinam carpi: plebem vero per urbes, oppida, pagos, de commercio impedito queri; nec ſacrum Ordinem id ſatis aequo animo ferre, qui patrimonium ſuum ad quorundam ſibi ſuſpectorum libidinem in alios, atque adeo privatum emolumentum, verti indignetur, inſtitutis novis epiſcopatibus, cujus rei utilitas ad paucos, damnum ad univerſos pertineat: his malis non aliud remedium quaeri poſſe, quam ſi edicta illa ac placita de religione omnino revocentur, aut ſaltem mitigentur, novi epiſcopi aboleantur, priſtina libertas reſtituatur. Peramanter Egmondanus in ſpeciem exceptus et auditus, et honorifice dimiſſus, facta ſpe, futurum ut petitionibus propediem in parte ſatisfieret, cum hoc reſponſo et aliis amplis promiſſis oneratus in patriam redit; ubi eadem fide, quae illi in Hiſpania data fuerat, populareis ſuos de principis benignitate bene ſperare jubet. Huic etiam datum negotium, ut, vocatis tribus epiſcopis, totidem theologis ac juris divini humanique conſultis, tantae molis rem ex regio mandato decidendam proponeret. Ii fuere Martinus [f] Rithovius epiſcopus Hiprenſis, Antonius [g] Thavetus Atrebatum praeſul, Jodocus [h] Raveſtenius Tiletanus, et Vilmarus [i] Bernardinus. Haec ita palam agebantur, ignaro fraudis ipſo Egmondano, cum arcanis literis interim moneretur Parmenſis, curaret, ut inquiſitoriae factionis antiſtites nihil de priſtina placitorum ſeveritate remitterent. Sed, ſive diſſimulatio ea ab initio Philippi fuit, ſive poſtea mutavit,

longe

INTERPR. [a] *la Franche Comté.* [b] *Beſançon.* [c] *Viglius ab Ayta, ſieur de Zwichem.* [d] *de Berlaymont.* C'eſt le nom de la famille. [e] *Lamoral, comte d'Egmond.* [f] *Rithove, evêque d'Ipres.* [g] *Thavet, evêque d'Arras.* [h] *Joſſe de Raveſtein, natif de Tielten.* [i] *Bernartz.*

CIↃIↃLXVI. longe aliter evenit. Nam a ſuis perſuaſus, accedeotibus etiam cardinalis et ejus Carolus IX. factioni addictorum literis confirmatus, ſeveritatis exemplo erga Belgas uti conſtituit, et inquiſitione Hiſpanica invecta provincias illas a Sectario veneno omnino expurgare: quam ſi admittere recuſeor, tum regi religione jurisjurandi a ſe praeſtiti, interveniente pontificis auctoritate, ſoluto, fas fore Hiſpanos et extraneos ad eas perdomandas introducere, eaſque non pro patrimonialibus ſed pro recens quaeſitis et vi ſubjugatis habere, regnumque in his conſtituere, et victoris arbitrio novas leges ſancire, ac poſtremo, proceribus et aliis, qui inter eos eminent, de medio ſublatis, reliquos poenae metu ad perfectam, quam vocant, obedientiam adducere.

IV. Id ſaevum et Belgio pernicioſum, ipſi tandem Philippo infauſtum, conſilium motus novos maturavit; qui tamen annum et amplius retardati ſunt, occupatis interim animis in componendo ioter Anglos et Belgas antea exorto diſſidio, ex eo quod Angli inquiſitionis metum cauſati commercium alio transferre conabantur, et vectigalia plus media parte intenderant, panni exportandi pretio ultra modum aucto, ita ut pannorum negotiatio aſtute Belgis ſubſtracta penes ipſos eſſet. Nec contenti Angli, etiam ſtatuto publico opificia pleraque Belgica in inſulam importari prohibuerant: cui contrario decreto Belgae IIII Eid. Dec. anni [a] CIↃ IↃ LXIV obrogarunt, prohibita mercium Belgicarum in Anglia interdictarum importatione. Ita, cum utrique utriſque incommodarent, negotiationem a Belgis [a] Emdam Friſiae orientalis comitum emporium paulatim avertentibus Anglis, actum inter partes, ut eo diſſidio minime amicitia mutua intermitteretur; et [b] Didaci Guſmaoi Silvae interventu Philippus cum curia Anglicana aliquot poſt diebus pactione, quae mox in Anglia et Belgio publicata eſt, tranſegit. Inde conventus anno inſequenti Brugis indictus circa Paſchales ferias; quo a regina venere Antonius [c] [a] Browous Montacuti vicecomes periſcelidis eques, Nic. [d] Wottonus Cantuatienſis decanus, et Walterus [e] Haddonus juriſcooſultus; a Philippo [f] Florentius Momorantius Montinius, in cujus abſentis locum [g] Philippus Momorantius Hacicurius ſuffectus eſt, Chriſtophorus [h] Aſſonvillius et Joachimus [i] Aegidius. Poſt longas et obſtinatas altercationes cum nihil confici potuiſſet, menſe Septembri intermiſſa comitia, et in VIII Kal. April. anni ſubſequentis dilatum negotium, quo turbae exortae: et, cum fruſtra delegati ab utraque parte uſque ad XI Kal. Quintil. componendo diſſidio incubuiſſent, ſparſo rumore, quaſi Philippus brevi in Belgium venturus eſſet, comitia ſuſpenduntur, donec de re tota ad regem praeſentem referretur.

. V. Interea ſub exitum anni LXV Margarita a Philippo literas accepit; quibus mandabatur, ut placita tam nova quam vetera patris ſuoque juſſu de religione facta exacte ſervarentur: nam credere ſe nimia lenitate factum, ut malum tam longe lateque ſerpat; proinde ſi qui judicum ſeditioois metu mandata exequi reformidaot, eis ſignificetur, alios in eorum locum, quibus plus animi et fiduciae ſit, ſubſtitutum iri: nam talium virorum antiquae religionis et regiae majeſtati debiti obſequii retinentium copiam in his regionibus mioime defuturam. Additum erat, quantum ad inquiſitionem, velle majeſtatem regiam, ut ſacroſancti illius officii praeſidibus in ſui muneris executione omoes praeſto ſint; illudque per eos exerceatur, ſicuti hactenus factum fuerit, et eis divino ac civili jure competit: rem qoippe non novam eſſe, ſed parentis ſui temporibus uſurpatam. Itaque injungitur Parmenſi, oe de hac re adeo neceſſaria amplius deliberari permittat, ſed eam protinus executioni demandet: ſic enim gratiſſimum majeſtati regiae facturam. Cooeilium item Tridentinum ut recipiatur,

VAR. LECT. [a] Broueinius *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Embden.* [b] *Diego Guzman de Silva.* [c] *Brown, vicomte de Montacute.* [d] *Wotton, Doyen de Cantorbery.* [e] *Haddon.* [f] *Floris de Montmorency, ſieur de Montigny, frere de Philippes comte d'Horne.* [g] *Philippes de Montmorency, ſieur d'Hachicourt, oncle de Philippes comte d'Horne.* [h] *d'Aſſonville.* [i] *Gilles.*

NOT. [a] en 1563. ſelon Meteren.

piatur, ejuſque decreta religioſe ſerventur, iiſdem literis mandabatur: quarum CIƆIƆLXVI. exempla ſtatim Parmenſis ad provincias mittit, additis ſuis mandatis, quibus praeci- CAROLUS IX. piebat ſingulis et univerſis, ut regiae voluntati omnes parerent; quoque id commodius perficeretur, jubebat, ut civitates unum ſemper ex ſuis ſenatoribus ſemeſtri hoc munere functurum delegent, qui inquiſitoribus juriſdictionem ſuam exercentibus adſideat; in cujus locum ſexto quoque menſe alium ſufficiant, qui decreta concilii Tridentini exacte ſervari curet, ſeduloque quid in eo negotio agatur indicet: ut tertio quoque menſe ſaltem, quo in ſtatu religio ſit, cognoſcatur; et, ſi quae difficultates ſuboriantur, eis per delegatos a ſua celſitudine proſpiciatur. Tum ſynodi provinciales juxta concilium Tridentinum paſſim a novis epiſcopis habitae: in quibus decretum eſt, ut curiones paroeciatum ſuarum familias omneis deſcribant; novi inquilini a ſuo curione teſtimonium adferant, ſe Catholicos Romanos eſſe, ubi et quando matrimonium contraxerint, praeterea profitentium nomen, cognomen, domicilium a curione annotetur, ratio et numerus infantium ſacro lavacro regenerarotum, patrinorum item ineatur: ludimagiſter nullus admittatur, cujus fides non ſit perſpecta; eique libri juventuti praelegendi praeſcribantur: obſervetur item, an pauperes ex eleemoſynis viventes, Catholici Romani ſint. Praeſcriptum item, ut peccata confiteantur, Euchariſtiam ſumant; ni faciant, eleemoſynis priventur. Quibus decretis publicatis immane quam omnium animi commoti ſunt. Primi Brabantiae Ordines intercedunt, et ſalvo juramento de privilegiis provinciae conſervandis a concilio ac rege praeſtito locum habere non poſſe reſpondent. Itaque mandatorum ſeveritatem deprecantur: ſin minus, ſe apud Belgii Ordines de iis queſturos illorumque opem imploraturos declarant. Sed contra provinciales ſynodi affirmabant, nihil novi ſubeſſe: nam caput hoc, de inquiſitione paſſim antea in Belgio et in Gallia ipſa uſurpata, intelligendum; a qua et ab epiſcopi juriſdictione Antuerpiam liberam fore decretum eſſet: nec latius Tridentinum concilium accipiendum, quam moderationes ac praeſcriptiones ſuper eo publicandae declarant. Cum nihilominus recuſarent Ordines, et ſemper contra [a] Parmenſis inſtaret, publicati clam libri famoſi et ſparſa carmina ac dicteria ab iis, qui receptae in Germania et apud Helvetios doctrinae in occulto addicti erant; et baſilicarum, curiae ac praetorii valvis affiguntur: quin et curarunt, ut libellus in manus Parmenſis perveniret; quo, quibus modis aulae placitis, inquiſitioni, epiſcoporum decretis a Belgii Ordinibus reſiſtendum eſſet, explicabatur; et emiſſariorum artes, doli, machinationes detegebantur; additis in eos minis, qui libertati patriae perfidioſe inſidiabantur, aut metu vel ſocordia publicam cauſam deſererent. Quod Parmenſis cum ad ſeditionem et a ſeditione ad defectionem ſpectare provideret, habito concilio, ſcriptum IX Kal. Apr. Bruxellis evulgat, cujus ſumma erat: quando compertum eſſet, nullam ab anno CIƆ IƆ L in Brabantia habitam inquiſitionem, majeſtatis regiae nequaquam ſententiam eſſe, ut provinciales nunc ea graventur; verum ut eorum libertas et immunitates ſerventur; nec aliter concilii Tridentini decreta quam cum moderatione, prout ipſorum privilegia poſtulant, admittantur. Qua re cum non mediocriter gaviſa eſſet plebs, Ordines votorum in parte compotes ulterius pergunt, et actorum auctoritatem regio ſigillo firmatam a Parmenſi poſcunt, petuntque publice ſibi caveri, nullo tempore inquiſitionem pontificiam aut regis nomine civilem in Brabantiam introductum iri; ſed de omni crimine, etiam Sectario, judicem ordinarium cogniturum, placitis de religione promulgatis per appoſitas conditiones mitigatis. Ad haec nihil aliud a Parmenſi reſponſum eſt, quam ſe de re omni cum velleris aurei equitibus ac ceteris concilii ſupremi conſiliariis deliberaturam: quo quidem in concilio de moderatione placitorum ac decretorum ad regem mittenda actum eſt, ſalva et incolumi religione Romana et regia auctoritate.

VI. SED,

INTERPR. [a] *la ducheſſe de Parme.*

CIↃIↃLXVI.
CAROLUS IX.

VI. SED, frementc interim plebe, et in nobilitatem in agris, ubi vulgi furote facile opprimi poterat, degentem, per ſcripta paſſim ſparſa invehente, ipſamque officii ſui eſſe admonente, ut plebem regi nobilitatis gratia plura conceſſuro conciliaret, nobiles incitante eos periculo, et iis, qui in occulto Proteſtantium doctinae favebant, inſtigantibus, ad [a] Gertrudis fanum haud longe ab Antuerpia conveniunt, et ſoedus pro libertate patriae feriunt: et, Quandoquidem, inquiunt, extranei quidam, neque Dei gloriae ſtudentes, neque in rem regis aut patriae commodum, ſed ut ambitionem et immanem ingluviem exſatient, maximo regis ſubditorumque ejus diſpendio ſpecioſum religionis et publicae quietis velum obtendentes, apud regem pervicerunt, ut ſevera de religione decreta, quod ante promiſerat, non ſolum non mitigentur, ſed etiam inquiſitio omnibus aeque ordinibus inviſa et formidabilis invehatur, unde Belgii perniciem maturari, regium obſequium labeſactari, libertatis et privilegiorum immutationem mox ſecuturam procul dubio ſit; hujus mali avertendi cauſa, Deum immortalem conteſtamur, nos pro obſequio, quod majeſtati regiae debemus, pro charitate patriae et communi libertate ſoedus pepigiſſe; ſacramentoque fidem obſtringimus, nos, ne placitorum aut alius cujuſvis rei praetextu inquiſitio introducatur, impedituros. Palamque profitemur, nihil in ea re contra Dei honorem, regis aut Ordinum majeſtatem tentare aggtedive; ſed id unum cupere, ut ad eorum ſecuritatem conſilia, vitam, opes impendamus, et conjurationibus, ſeditionibus ac turbis omni ratione reſiſtamus. Ibi et de legatione ad Maximilianum Caeſarem regis patruelem mittenda actum eſt, ut illius interventu placitorum gratiam a rege impetrarent.

VII. TUM conſcriptus ex omnium conſenſu libellus ſupplex, quem Parmenſi condicta die Belgii Ordinum nomine oblaturi eſſent. Conventus principes erant Henricus [b] Brederodius ex illuſtri Hollandiae comitum gente prognatus, [c] Ludovicus Naſſovius principis [d] Arauſionenſis frater, [e] Florentius Pallas Culemburgi comes, [f] Bergenſis item comes, et alii: qui cum Bruxellis conveniſſent, CCCC amplius numero admitti a Parmenſi petunt; et Nonis April. ex Culemburgi comitis aedibus prodeuntes quini quaternique magno ſilentio et ordine ad palatium tendunt, veſtibus ſubcineritii coloris fere induti, lances ligneas pileis affixas, nummum item aureum de collo bullae inſtar dependentem gerentes, in cujus antica parte regis effigies, in poſtica duae manus firmiter in fidei ſignum junctae per perae ſubjectae medium extenſae erant, cum hac inſcriptione: [g] FIDI AD MANTICAM USQUE. Haec veluti factionis ſoederatorum inſignia fuere. Poſtquam admiſſi ſunt, Brederodius pro ſociis verba fecit: eoque ſe veniſſe dicit, ut ſimul omnes ſupplicem libellum, qua poſſint animi demiſſione, coram porrigerent. Ad haec, conqueritur, ſe ſociosque ſeditionis, turbarum et perfidiae falſo inſimulari: proinde orare, ut accuſatores nominentur ac praeſentes ſiſtantur, ut, utra pars culpae obnoxia ſit, cognita cauſa, decernatur. Parmenſis accepto libello lecturam ſe ſtatimque reſponſum reddituram reſpondit; et ita ſoederatos dimittit. Dum digrediuntur, Barlaimontius ultra modum iis infeſtus contemptim monuit Parmenſem, non eſſe cur ab hujuſmodi nebulonibus ſibi metueret: nam omnes aut habitu aut re mendicos eſſe, et, Walonum lingua ſive Gallica, Geuſios. Ex quo dicterio invaluit poſtea, ut qui Hugonoti apud nos, in Belgio [h] Geuſii appellarentur. Nos eodem quo noſtros nomine Proteſtanteis eos deinceps vocabimus. Poſtridie, convocato frequentiori concilio, Parmenſis libellum palam legi jubet: cujus ſumma haec erat; foederatos, pro obſequio, quod principi ſuo debent, et charitate, qua erga patriam affecti ſunt, maluiſſe reprehenſionis periculum incurrere, quam officio deeſſe; eoque conſilio conveniſſe et libellum obtuliſſe, ut periculo, quod a turbis Belgio imminebat, praeverterent: petere igitur, ut inquiſitionis

INTERPR. [a] *Ste Gertrude.* [b] *de Brederode* [c] *le comte Ludovic de Naſſau.* [d] *le prince d'Orange* [e] *Floris de Pallant, comte de Culemburg* [f] *le comte Vanden Berghe.* [g] *Fideles au Roy juſqu'a la beſace.* [h] *les Gueux.*

ſitionis jugum iotoletabile omnino a liberis cervicibus removeatur, et, qui ejus ſtabiliendae cauſa inſtituti ſunt, novi epiſcopi aboleantur, placitorum ſeveritas mitigetur, eorumque executio temittatur, libertate conſcientiae cuique permiſſa: id periculo communi ac privato etiam monitos orare; quippe qui in praediis ſuis degentes plebis furentis ac ruſticorum, quos minime inquiſitionem laturos ſcirent, injutiis expoſiti ſint: conteſtari interim Deum de obſequio et fide ſua; et, ſi quidem preces publicae negligantur, aut interceſſionis ſuae ratio non habeatur, uti a turbis ac ſeditionibus, quae inde procul dubio ſuboriturae ſint, innocentes habeantur. Lecto libello, variae dictae ſententiae: et [a] Philippus Momorantius comes Hornanus quoquo modo plebem placandam eſſe cenſuit; alioqui rempublicam haud dubium in ſeditionis diſcrimen adductam; nam neque nobilitatem neque ipſam Parmenſem, niſi tempori cedat, a confuſae multitudinis furore tutam fore. Sed Hotoani, qui ad tranquillitatem publicam tantum ſpectabat, ſententia ſic ab Hiſpanienſibus accepta eſt, quaſi minis Patmenſem adigere vellet ad ſubſcribendum incivili foederatorum libello. A qua tandem reſponſum datum eſt, bonae erga foederatos voluntatis plenum: quorum poſtulatis ſatisfieri poſſe ex animo cupiat: ſed ea hujuſmodi eſſe, ut propria auctoritate nihil praeſtare poſſit: nam regis mandatis prohiberi; quem ſuper ea re adeundum cenſeat, quemque literis ac precibus, quantum in ſe erit, ipſis conciliatura ſit: interim orare ac jubere, videant ipſi, ne quid detrimenti quies publica accipiat: ſe curaturam, ut inquiſitores ita ſe prudenter ac moderate gerant, ut gratiam ei omnes ſint habituri: ſperare inſuper, interventu apud regem ſuo futurum, ut hae provinciae ab inquiſitione liberentur. Biduo poſt eodem redeunt foederati; et Parmenſi gratias agunt pro benigno adeo reſponſo: ſed illud petunt amplius declarari; ſeque iis, quae a rege et Belgii Ordinibus decernentur, parituros recipiunt, vitamque ita in poſterum inſtituturos, ut merito culpari non poſſint. Orant interim, ut, quando intellexerint adverſarios ſtatuiſſe libellum ſupplicem typis mandare, bona fide, nullo apice detracto aut addito, edatur. Tum, laudata eorum egregia voluntate, Parmenſis viciſſim petit, ut ſe intra modeſtiae limites contineant, nec clandeſtinis coitionibus ſuis plures ad ſe illiciant. Rurſus illi Parmenſi gratias agunt, inſtantque, ut ipſa coram curia declaret, in bonam partem accipere ſe, quae ipſi feciſſent. Illa, ſe ita credere, nec aliud reſpondit.

VIII. Inde cum non ſine murmure diſcederent, auctore Chriſtophoro Aſſonvillio, miſſus ad eos Philippus [b] Lalanius Hocſtrati comes cum [c] Bertio a ſecretis epiſtolis, qui in ipſorum conventu Parmenſis nomine fidem daret, nihil in cauſa religionis ante acceptum regis reſponſum a curia conſtitutum iri. Decernuntur in Hiſpaniam legati [d] Momorantius Montinius et Bergenſis comes aurei velleris equites, qui placitorum ac decretorum de religione mitigationem impetrarent: qui longe aliter, quam rebantur, accepti ac poſtremo male mulctati, ut poſtea dicemus, tamen initio cum ambiguis reſponſis diu detenti ſunt: quod non mediocriter Belgarum ſuſpiciones auxit; promulgata interim temporaria ac fiduciaria placitorum moderationis formula, quae multis indignationem, univerſis riſum movit. Nam loco ſummi beneficii ea decretum, ut Proteſtantes miniſtri, eorum hoſpites, et qui offenſioni cauſam darent, non flamma ſed ſuſpendio necarentur; qui animum ſententiamque mutarent, gladio, vulgus in errorem labens exilio, caſtigarentur. Formula ſingulis provinciarum Ordinibus a curia propoſita, ut eam ratam haberent. Et [e] Atrebates quidem, Hannonii ac Namurcenſes ei ſubſcripſerunt: dein et in Flandria et Brabantia promulgata eſt, non vocatis Batavis, Zelandis, Friſiis et aliis, quod ii privilegiis et immunitatibus ſuis fulti minime aſſenſuri crederentur. Et haec plebe, quae Proteſtantium

INTERPR. [a] *Philippes de Montmorency, comte de Horne.* [b] *de Lallain, comte d'Hooghſtrate.* [c] *Berti.* [d] *Floris de Montmorency, ſieur de Montigny; & le comte Vanden Berghe.* [e] *ceux d'Artois, de Hainaut, & de Namur.*

CIƆIƆLXVI. CAROLUS IX.

ſtantium doctrinae fere addicta erat, clam acta; crebreſcentibus interea rumoribus de legatorum infauſto in Hiſpaniam adventu, de regis contra Sectarios et eorum fautores indignatione, de claſſis ad eum in Belgium portandum apparatu, de Erici Brunſvici, qui ſub Philippo merebat, in Germania delectibus in id habitis, ut inquiſitoribus et novis epiſcopis cum manu armata ad omnia praeſto eſſet. His addebatur ab Hiſpanienſibus, legatos non ſincere ſed ſimulate et blande in ſpeciem a rege acceptos, tempus opperiente, dum coacta pecunia et milite conſcripto ipſe inopinatam in Belgium exſcenſionem faceret: quo et cardinalis Granvellanus venturus ſit, ut, qui ex nobilitate a religione ac regia majeſtate defecerunt, ſceleratae temeritatis poenas luant. His accenſa rumoribus plebs, cum nihil boni ab Hiſpania expectaret, publice ad conciones conveniendi audaciam ſumit, ut ea libertate animos ſuis faceret, et adverſariis numeri in dies creſcentis oſtentatione metum incuteret. Jamque paſſim, ab Hipris facto initio, in Flandria, Brabantia, Geldria ac Friſia conciones publice habebantur patentibus campis et aliis locis opportunis, confluente ad eas paſſim plebe, initio inermi, dein ad tutelam corporis cum gladiis, ac poſtremo cum ſcloppetis. Et ineunte Junio in [a] Campo Lario prope Antuerpiam ad Borgerhutum Germanice et Gallice habitae conciones. Unde tumultum veritus Antuerpienſis ſenatus ad Parmenſem ſcribit; et eam, ad motus ſedandos ut in urbem venire et in ea commorari velit, hortatur. Quae cum ſuper ea re tempus ad deliberandum popoſciſſet, interea VI Kal. Quintil. edictum proponit in conventicula habenteis admodum ſeverum, quod tamen inefficax fuit. At Proteſtantes, creſcente cum numero audacia, ſenatui libellum porrigunt V Non. Quintil. quo multis rationibus nituntur probare, conciones, quae antea in occulto habebantur, nunc ob auditorum numerum palam haberi debere; ac proinde motus ac confuſionis vitandae cauſa locum ſibi in urbe aſſignari petunt: id magiſtratum poſſe; quod privilegiorum auctoritate adducta confirmant. Et vero duas religiones citra periculum admitti poſſe exemplis demonſtrant. Senatus libellum protinus ad gubernatricem mittit: eamque, ut ad urbem venire in eaque commorari dignetur, iterum rogat: quod tamen illa, niſi introducto ſecum militari praeſidio, a quo Antuerpiani abhorrebant, facere recuſavit. Ne vero motus cauſa deeſſet, Brederodius eo tempore et Carolus [b] Brimeus Megae comes ad urbem, non petita venia, venere, ob longe diverſas rationes civibus ſuſpecti: ille quod Proteſtantium princeps in Belgio haberetur; hic quod aſtu militem, quem circa [c] Campiniam habebat, introducere velle crederetur. Quapropter, jam incaleſcente plebe, majoris motus vitandi cauſa urbe excedere coactus eſt. Mox eo a Parmenſi cum plena poteſtate Willelmus [d] Naſſovius Arauſionis princeps miſſus; cui urbem ingreſſuro III Eid. Quintil. obviam prodiit ſenatus cum Brederodio aliiſque nobilibus. Dum per urbem equitaret, acclamatum a plebe VIVANT GEUSII, increpante eos Arauſionenſi, et futurum brevi, ut, temerariae vociferationis eos poeniteret, praedicente. Tum convocato ſenatu, quid mandati a Parmenſi haberet, aperit; et cum ſingulis urbis collegiis agit, ut, ſopitis diſſenſionibus ac ſublata diffidentia, tranquillitatem in urbe conſtituerent. Dum in eo eſſet, ſic comperiebat; ſenatum non ſatis fidere civibus et mercatoribus alienigenis, quamvis Proteſtantium doctrinae addictis; contra, civeis et alios urbis incolas ab aulae miniſtris ſibi metuere, nec viciſſim ſenatui fidere, quem de milite introducendo cogitare ſuſpicentur; Proteſtanteis denique omnia tuta timere, et a cunctis aeque ſibi cavere; rurſus, nec inter eos bene convenire, eamque occultam diſſenſionem a ſenatu ali, qui Auguſtanae confeſſioni addictis contra Calvinianos in occulto faveat: ſed eos ſimul junctos viribus in urbe praepollere, adeo ut, quandocunque vellent, eam in poteſtatem redigere poſſent: itaque minus tutum videri, ut vi cogerentur; ſed contra amice ac leniter monerentur,

INTERPR. [a] *un champ nommé Flaer, ſitué près de Borgerhout.* [b] *de Brimeu, comte de Meghem.* [c] *Pays de Kempen.* [d] *de Naſſau, prince d'Orange.*

CIƆIƆLXVI.
Carolus IX.

tur, ut arma deponerent, et in civium manus traderent. Tandem conventum, ut cives excubias agerent, et ſecuritate praeſtita Proteſtantes ad arma deponenda placide inducerentur, intermiſſis ad tempus concionibus, donec ex Ordinum Belgii ſententia de re omni decerneretur. Jamque fama de milite a Brunſvico conducto et per Friſiam licentioſe vagante percrebuerat: et [a] ſuccinctus quaeſitor, quem illi Droſſardum vocant, per Brabantiam ad maleficos comprehendendos cum armatis lictoribus obequitans ſuſpicionem injecerat, quaſi ad conciones in agro convenientibus vim afferre vellet; ex eo auctam, quod eodem tempore vehicula armis plena et naves [b] Mechliniae bellicis machinis oneratae viſae eſſent. Itaque jam non pacati in ſpeciem ſed tanquam in aciem prodeuntes Proteſtantes armis instructi incedebant; quod non mediocriter animos omnium futuri metu anxios turbabat, quos vix praeſentia ſua Arauſionenſis minas precibus interdum addens continere poterat.

IX. Tandem foederati, qui Belgii Ordinum, in quibus ultimam ſpem repoſuerant, cogendorum mentionem antea injectam plane evaneſcere, aulicorum, ut aiebant, aſtu, cernerent, ad [c] Centronum in Eburonibus Leodicenſis epiſcopi oppidum conveniunt; et inde [d] Araſchotum et Dufflam poſtea venerunt: ad quos juſſu [e] Parmenſis miſſi Arauſionenſis et Egmondanus, qui tanquam diſceptatores cum eis agerent, et [f] Montinium ac Bergenſem in Hiſpaniam eorum gratia decerent ablegatos, viros et auctoritate et fide praecipuos: nihil interea a ſe poſt ſupplicem libellum oblatum in inquiſitionis et placitorum cauſa tentatum. Proinde regi praeteritorum oblivionem ſancire cupienti juſtam ipſis ſuccenſendi cauſam non praeberent; ſed in obſequio perſeverarent, et inſolentem Sectariorum improbitatem cohiberent, qui ſeditionem, quam animo meditabantur, Gallorum inſtigatu ſe excitare paratos jactitabant: interea conciones, quantum in illis ſit, impediant: nam, qui ad eas populum inſtigant aut alias conniveant, turpiter praevaricatos a foedere et libelli ſupplicis praeſcripto deflexiſſe. Ad haec delegati ſcripto reſpondent; et gratias ſe celſitudini ejus agere aiunt, pro miſſis ad praefectos mandatis, ſed non ut oportuit ſervatis: [g] Tornaci tamen, Inſulae, Montibus in Hannonia, Atirae, Atae, Bruxellis nullam eorum fere habitam rationem, plurimis in carcerem ob religionem conjectis: ſe quidem concionibus ac conventibus aliis impediendis omnem diligentiam adhibuiſſe; ſed, plebe in ſuſpicionem adducta, quod reſponſum, a gubernatrice intra duos menſeis pollicitum, nondum ex Hiſpania advenerit, et univerſorum Belgii Ordinum conventus, de quo ſpem conceperit, nulla amplius mentio habeatur, nihil impetrari potuiſſe: quod vero Gallos his ſe turbis immiſcere dicat, id vero ſe neſcire; et paratos eſſe, ſi ita ſit, ſtatim conſcenſis equis externae violentiae ſe opponere: verum hoc rerum ſtatu regis ſubditos impetere minime conſultum videri: et, quando cauſae calumniandi quaerantur, quaſi ipſi auctores populo fuerint ad conciones conveniendi, non recuſare, quin ſe ab ea calumnia purgent crimenque rebellionis diluant: et, quanquam plerique eorum Proteſtantium doctrinam amplectantur, nequaquam tamen religione impediri, quo minus fidem et obſequium regi debitum ſervent: nec vero regis clementiae diffidere; verum foederatos ſic exiſtimare, quando nullius ipſos criminis conſcientia arguat, nihil opus ſe habere illa, cujus Parmenſis ſpem oſtentat, praeteritorum oblivione: nam nihil admiſiſſe, quod venia aut condonatione egeat. His addebant alias querelas; quod jam tanquam perduellionis rei ac convicti omnium ſermonibus paſſim proſcinderentur, quod eorum conſortia aurei velleris equites, proceres et alii vitarent, fama ſparſa, regem propediem venturum, qui de ipſis poenas ſumeret; jamque tranſitum per Galliam petiiſſe, et Sabaudiae ducem operam in id ſuam ei detuliſſe: inſuper ſacrum Ordinem in belli ſumptus gran-

dem

INTERPR. [a] *le prevoſt des mareſchaux*, ou *le bailli, qu'on nomme en Brabant le Droſſart.* [b] *Maline.* [c] *S. Truyen* al. *S. Tron au pays de Liege.* [d] *Arſchot & Duffele.* [e] *la ducheſſe de Parme.* [f] *le baron de Montigny, & le comte Vanden Berghe.* [g] *Tournay, Lille, Mons en Hainaut, Aire, Aeth, Bruxelles.*

CIↃIↃLXVI. dem pecuniam ſuppeditaturum: ea propter ipſos, quorum ſecuritati minime caveatur, privatae tutelae cauſa in Germania, quod diſſimulare nolint, amicos comparare, quorum auxilio, ſi opus ſit, utantur: id vero pernegare, ſe cum Gallis quidquam conſilii iniiſſe: proinde petere, ut ipſa foederatis idonee caveat: cautionis vero ſe loco accepturos, ſi illa Arauſionenſem, Egmondanum et Hornanum dignatione et fide praecipuos viros conſiliis adhibeat, nihilque niſi his vocatis in eo negotio decernatur. In eam rem libellum [a] Trudinopoli nuper a ſe in Centronibus conſcriptum offerunt; quo ſe arma depoſituros mandatiſque ac decretis conventus Ordinum obtemperaturos pollicebantur, ea lege, ut per nobileis ſecuritati ſuae caveri, ſi quid turbulenti homines contra ipſos molirentur, jubeat: inſuper petunt, ut quoſdam ex foederatorum nobilium numero, qui huic negotio attendant, in unaquaque provincia conſtitui curet; addito, ni mature motibus jam excitatis obviam eatur, fore, ut Galli perpetui Belgii hoſtes inter diſſenſiones domeſticas in Belgium introducantur. Magna reſponſum illud invidia oneravit Hornanum et Egmondanum; quorum aequitati dum confidere ſe declarant, ſuſpectam fidem apud Philippum et Hiſpanienſeis reddiderunt: quod illis, ut prudentiorum opinio eſt, poſtea exitium maturavit. Metus etiam de Gallis extremo libello additus maxime anxiam habebat Parmenſem; ut rationem ſibi ineundam exiſtimaret, qua, dum clarius a rege reſponſum acciperet, foederatorum aliqua in parte deſideriis ſatisfieret.

CAROLUS IX.

X. SED ecce, dum in eo eſt, undique affertur de templis, ſacellis, ſtatuis et imaginibus paſſim a furente plebe expilatis, dejectis ac confractis. Nam, poſtquam Egmondanus Flandriae praeſes provincia diſceſſit, a Parmenſi Bruxellas accitus, ſtatim plebs tumultuari coepit; et tumultibus, ut fit, peſſimi quique admiſti nebulones cum ſcortis, primum menſe Sextili circa [b] Hipras, inde per alias urbes et oppida, templa ac ſacella violenter occupant, diripiunt et ſtatuas atque imagines deturbant, tam confuſo impetu, ut a quo factum ſit initium ignoretur. [c] Balcolii in Hannonia idem factitatum. Cum vero, ſerpente exemplo et laſcivia, quidam Brugis idem conarentur, a [d] Dognio civitatis praetore portis obſeratis prohibentur. In ipſo autem aſſumptae in coelum B. Virginis pervigilio in Geldria, cujus praeſes erat [e] Megae comes, [f] Noviomagenſes primarii cives, Ludovici cujuſdam cucullati et Calvini doctrinam amplexi, qui aliquot conciones in oppido in Judaeorum coemeterio habuerat, audacia offenſi, cum ad Joannitarum conveniſſent, ut de Ludovico illo expellendo conſultarent, reluctantibus pleriſque, re irrita diſceſſum eſt. Sed nuſquam majore rabie quam Antuerpiae Imaginarium bellum exarſit. Nam, cum Arauſionenſis accitu Parmenſis Bruxellas veniſſet, poſtridie ejus diei, quo in ſolemni ſupplicationum pompa majus B. Virginis ſimulacrum per urbem traductum in ſuo ſacello rurſus collocatum erat, cum jam nihil ab alienatae plebis furore metuendum videretur, juvenes quidam ante ſacellum aditumque templi nugantes contumelioſis verbis in pompam ludere coeperunt; cum unus ex iis mirari ſe diceret, quid metuens illud numen tam mature ſe in nidum ſuum recepiſſet: eodemque tempore ab alia templi ampliſſimi parte male-feriati homines concionatorum ſermones joco exprimere et irridere aggrediuntur, et creſcente laſcivia unus adulta jam aetate ambonem conſcendit, et ex eo ſocios ridicula oratione alloquitur; in quem dum illi rudera ac pulverem ludendo conjiciunt, et ille contra adverſarios ſudibus protrudit, jam incaleſcente pugna, navicularius quidam inſolentiam indignatus irrumpit ab alio ſuggeſtus latere, et concionatorem violenter deturbat. Is vero mox ab aliis impetitur, et vix vulnere in crure accepto evaſit. Inde ad magiſtratum perductus cum rem geſtam narraſſet, confeſtim excubitores accurrunt, et, juſſo egredi populo, templum claudunt. Die ſequenti, qui fuit XIII Kal.

INTERPR. [a] *S. Truyen*, al. *S. Tron*, autrement appellé *Centron*, pource que là eſtoient les Centrons dont Ceſar fait mention. [b] *Ypres*. [c] *Bailleul en Hainaut*. [d] *D'Ognies, penſionaire de la ville*. [e] *Meghem*. [f] *ceux de Nimegue*.

Kal. Sept. nonnulli rurſus juveoes ac oebulooes ſub tempus veſpertinatum preeum, pueris ſecum ductis, per eos multa contumelioſe in B. Mariae ſimolacrum effutiunt; ita ut anus, quae eereolos pro valvis templi vendebat, indignabunda, jactis primo ſordibus, mox in oculos eorum involaret. Rixa ex eo orta, ad quam compeſcendam ſuperveniens, cum armatis apparitoribus, Joanoes [a] Immerſellus urbis praetor, cum, fruſtra elauſis praeter onam templi janois, poſtremo ob tumultum ſibi metuens auſugiſſet, plebs die heſterna coeptum joco certamen ſerio repetit, et alterum altero incitante, poſtquam acclamatum a pueris eſt VIVANT GEUSII, quaſi ſigno dato univerſi impetu ruunt, et antè noctem mediam exactam omnia ſacella effracta, altaria dejecta, imagioes ae ſimulacra diſturbata aut aſportata; clauſtra etiam majoris templi referata ſunt. Admiſcente dein ſe perditorum hominum turba, ad alia templa diſcurrunt, ae cocoobia ram virorum quam foeminarum eodem feſtinato furore vaſtant, funalibus paſſim ooctem vincentibus, ut nihil illos per tenebras quantumvis oeeultum ſugere potuerit. Haec tota nocte ante ſolis ortum acta, tanta inter profuſam multitudioem animorum conſeoſione et ordine, ut nulla rixa, nullum de praeda certamen inter eos fuerit, et, quod fidem fere ſuperat, inter tot lapidum, dum ſimulacra demoliuntur, rainas, in taota turba oullus vulneratus ſuerit. Interea magiſtratus ac reliqui cives, et in iis plerique Proteſtantium doctrinae addicti, qui haec per ſeditionem et privata auctoritate fieri minime probabant, excubiis per vicos diſpoſitis, trepidabant; cumque ſurorem popularem impedire nequiviſſent, et de templis actum viderent, merito verebantur, ne homines perditi praeda illecti a templis ad privatorum domos diripiendas verterentur. Cui periculo ot praeverterent, cum eeteras urbis portas elauſiſſeot, unam apertam reliquerunt: per quam iconoclaſtae mane egreſſi ptimum B. Bernardi coenobium ſeſquimilliario ab urbe, deinde alia vicina templa ac ſacella in agro vaſtant, altaribus ae ſtatuis dejectis: quod civibus poſtea exprobratum fuit, qui religionem templorum privarae ſecuritati ac ſuis ſortunis poſthabuiſſent. In urbe vero toto eo die ae biduo ſequenti continuatae ſacrarum aedium direptiones, nemine contra dicere aut ire auſo. Tandem, dum Chriſti eruci affixi ſimulacrum ingeos egregie deauratum funibus cunctanter tractimque dejicere eonantur, forte accidit, ur in velleris aurei equitum inſignia ſuper exedras depicta ineiderit, eaque confregerit: qua re jam patientia ſe in juſtam indignationem vertente, magiſtratus ac plerique cives arma ſumunt, et multitudinem e plebis faece talia molientem avertuot propelluntque, quibuſdam ex iis comprehenſis, et mox in ſoro partim ſuſpenſis partim exilio et alia poena ad exemplum mulctatis. Quo facto, conciones, majoris tumultus vitandi cauſa permiſſas, impedire ſatagunt, propoſito edicto ſub eapitis poena, ut ab imaginum violatione eeſſaretur, et omnia erepta et ablata repraeſentarentur, et ad tribunos urbis regionumque praefectos intra XXIIII horas deferrentur. Id Proteſtantibus per Jacobum [b] Weſembechium fuir ſignificatum. Multa reddita, et in euriam eivitatis relata fuere, opificum ac eeterorum civium collegiis ſumma ſedulitate allaborantibus, ur inſigneis picturas e manibus plebeculae blanditiis extortas ob artis praeſtantiam conſervarent. Proteſtantes vero, qoi ſactum illud in ſuam invidiam vergere viderent, cum prius Jacobum [c] Heidenum conſulem adiiſſent, ſcripto x Kal. Sept. evulgato ſe purgant; et bellum Imaginarium, ſe ignaris et invitis, exeitatum teſtantur; quod etſi factum euperent, nam ad Dei gloriam pertinere, ur pravi iſtiuſmodi cultus omnino aboleantur, tamen, quia ſine magiſtratus auctoritate factum ſit, minime probare: et vero ſorta, rapinas aliaque exinde violenter acta ſe ex animo deteſtari, ae cutaturos, ut per paſtores ſuos euncti admoneantur ablata reſtituere et in magiſtratuum manus conſignare: nam magiſtratum a Deo inſtitutum, eique ex Dei mandato obediendum, et

CIƆIƆLXVI.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *le ſieur d'Immerſelles.* [b] *Weſembech.* [c] *Vander Heyden Bourguemaitre.*

et vectigalia ac tributa pendenda ſe agnoſcere; ac paratos eſſe, ſi jubeantur, fidei et obſequii jusjurandum repetere. Tum locum ad conveniendum ſibi dari petunt: excuſantque, quod jam templis quibuſdam, dum certa aedes ipſis aſſignaretur, ad conciones uterentur. Poſtremo orant, ut edicto prohibeatur, ne alius alium religionis cauſa injuriis, contumeliis aut alia re dicto factove laedat. Igitur iis a magiſtratu conceſſum, quo templa conſecrata ſervarentur, ut in nova urbe convenirent: concionatori inſuper [a] Kilii ſuburbii Auguſtanam confeſſionem profitenti permiſſum, ut ad Georgii conciones haberet. Dum haec agerentur, crebris literis a magiſtratu [b] Arauſionenſis rogabatur, ut ad urbem veniret; qui, ſive diſſimulatione uſus haec per ſuam abſentiam fieri mallet, ſive neceſſitate eos adigere vellet, venire noluit, niſi ea conditione, ut ſe ſuaque, et omne urbis adminiſtrandae jus ſuae poteſtati committerent; quod antea facere recuſaverant. Celebrato igitur urbis concilio, tandem decretum eſt, ut Arauſionenſi obſequium a civibus deferretur; liceretque ei ſub Parmenſi rempublicam plena poteſtate adminiſtrare, excubias et praeſidia militaria diſponere, leges, prout ipſi e re communi et tranquillitate publica videretur, praeſcribere, dummodo privilegiis et antiquis conſuetudinibus nullum inde praejudicium fieret. His conditionibus Arauſionenſis Antuerpiam redit VII Kal. Sept. rebus compoſitis. Sed exemplum jam ad alias urbes ac civitates permanaverat. [c] Mechliniae idem auſi turbidi homines a magiſtratu prohibiti ſunt. At [d] Lirae, cum aliter multitudini reſiſtere non poſſet magiſtratus, ultro ſe curaturum recepit, ut ſtatuae et alia, quae offenſioni cauſam praebebant, e templis tollerentur: quod et ſedulo fecit, vacuatis templis et ablatis mox quae iconoclaſtarum anteſignanos ad praedam allicere potuiſſent. [e] Bredae vero, Bergae ad Somam, item ad [α] [f] Silvam-ducis in Brabantia, in Flandria [g] Gandavi, Hipris, [β] Teneramondae, Aloſti, Aldenardae, Tornaci et Valencianis plebs libere graſſata eſt. [h] Trajecti ad Moſam idem factitatum; nec non [i] Dordraci, Amſterodami, Delfis, Hagae, Harlemi, Brielae ac Lugduni in Batavis, in [γ] Zelandiae denique inſulis, [k] Campoverae et Vliſſingae, in Friſia [l] Groeningae, [m] Leovardiae et aliis ejuſdem provinciae locis, [n] Campis, Swolae et Daventriae oppidis Tranſiſelanis, [o] Arnhemii, Venloae, Hardevici, Ruremondae ac Neomagi in [p] Geldria. [q] Middelburgi cum id ſenatus et [r] Sagittariorum collegium diu fruſtra impediviſſent, tandem plebis violentiae ceſſere; quae, non contenta aras ac ſimulacra evertiſſe, vinctos ob religionem ab epiſcopo ſolvi et a magiſtratu ſibi tradi petunt. XXII carcere emiſſi: et, ne latius ſeditio ſerperet, conciones magiſtratus permiſſu in templis a novis paſtoribus habitae. Toto Belgio diſcurrentibus iconoclaſtis, [s] Parmenſis non ſolum reipublicae ſed et ſuae ſaluti timere coepit: et primo de relinquendis Bruxellis conſilium ceperat, et [t] Montes in Hannonia retro concedere; quo a praefectis provinciarum cum valido praeſidio deducenda erat. Verum a [v] Viglio Zuichemo praeſide monita, civeis portas urbis claudere eique abeundi facultatem negare decreviſſe, mutata ſententia, Petrum Erneſtum Mansfeldium comitem urbis cuſtodiae praeficit; qui ſenatum urbis in baſilicam convenire jubet; quo ipſe, et Arauſionenſis antequàm Antuerpiam rediret, [u] Egmondanus et Hoctratanus comites venere; qui fide ipſorum Parmenſem in urbe manere ſtatuiſſe aiunt, ea lege, ut diligenter caveant, ne conciones in urbe habeantur, neve vis templis inferatur: inſuper rogare ac jubere, ut Mansfeldio in omnibus obediant; quod cum cives ſe facturos recepiſſent, fidemque obſtrinxiſſent, vehementi metu paulum levata Parmenſis mox majore pavore

conſternatur

VAR. LECT. [α] Buſcum *ubique* *D.* f. o. [β] Duremondae *D.* f. o d. [γ] Mattiacorum denique *D* f. o. d.

INTERPR [a] *du Kiel.* [b] *le prince d'Orange.* [c] *Malines.* [d] *Liere.* [e] *Breda, Berg-op-zoom.* [f] *Bois-le-duc.* [g] *Gand, Ipres, Dendermonde, Aloſt, Oudenarde, Tournay, & Valenciennes.* [h] *Maeſtricht.* [i] *Dort, Amſterdam, Delft, la Haye, Harlem, la Brille, & Leyde.* [k] *la Veere, & Fleſſingues.* [l] *Groningue.* [m] *Leeuwarde.* [n] *Campen, Swol, & Deventer en Over-iſſel.* [o] *Arnheim, Venlo, Harderwick, Ruremonde, & Nimegue.* [p] *Pays de Gueldres.* [q] *Middelburg.* [r] *confrairie des Archers.* [s] *la ducheſſe de Parme* [t] *Mons en Hainaut.* [v] *Viglius, ſieur de Zuichem.* [u] *les comtes d'Egmond & d'Hooghſtrate.*

conſternatur, nuncio ſecreto allato, factioſos decreviſſe ea nocte imagines confringere, Joan. [a] Ligneum Barbanſonum Arembergium et [b] Barlaimontium comites interficere, ipſamque comprehendere. Is arte ab iis, qui Proteſtantibus favebant, injectus Parmenſi metus, eo conſilio, ut ipſa vel iniquis conditionibus cum illis paciſceretur. Nec opinione ſua falſi ſunt. Nam illa defectionem univerſam verita cedendum tempori cenſuit, et ex procerum et aliorum conſiliariorum ſententia aſſenſit, ut iis locis, quibus ante eum diem, id autem actum x Kal. Sept. conciones habitae fuerant, deinceps haberentur, lege adjecta, ut arma deponerent; idque locum haberet, donec a rege ex Ordinum aſſenſu aliter ſtatutum eſſet: quod et ſcripto foederatis de pace agentibus tradito et a ſe ſubſignato firmavit. Juſſi cum foederatis agere Arauſionenſis, Egmondanus, [c] Hornanus, Momorantius Haecurius et Aſſonvillius; a foederatis delegati [d] Ludovicus Naſſovius, Euſtochius Fiennius, Georgius Montinius Noiella, Montinius Vilerſius, alii complures: inter quos poſt crebra colloquia tandem convenit, ut Parmenſis ſcripto a ſe ſubſignato et evulgato quaſi cum iis paciſceretur. Id publicatum x Kal. Sept. eoque Parmenſis, dum certius reſponſum a rege acciperet, declarat, regem conſentire, ut inquiſitio, de qua conqueſti erant, ceſſet: item, ut novum placitum decernatur; verum, an per univerſos Belgii Ordines, nondum regem apud ſe conſtituiſſe: tum, ut omnis ſuſpicio ac diffidentia illorum, qui rem ad regem mala fide delatam metuant, aboleantur, praeteritorum oblivionem ex ipſius regis mandato ſancit; ipſiſque cavere, et ſecuritatem publicam forma, qua velint, praebere ſe paratam demonſtrat, dummodo fidem obſtringant, ſe nihil contra regis auctoritatem et publicam tranquillitatem per ſe aut per alios in poſterum tentaturos molituroſve; verum operam omnem adhibituros, ut cuncti ad officium reducantur, turbae ac tumultus componantur, plebs ſeditioſa coerceatur, a templorum, coenobiorum locorumque ſacrorum ſpoliatione ac vaſtatione abſtineatur; atque in primis ut in hujuſmodi ſacrilegiorum, violentiarum et deteſtandorum ſcelerum auctores ac perpetratores ſevere legibus animadvertatur; curaturos inſuper, ne ſacro Ordini, juſtitiae adminiſtris, nobilibus et aliis majeſtatis ſuae ſubditis injuria aut vis inſeratur; neve conciones locis hactenus a concionibus liberis habeantur; ubi haberi poſſunt, ne ad eas cum armis conveniatur; ut omnes extranei, qui ſe his turbis immiſcuerant, rejiciantur; item, omni ope enixuros, ut auctoritate, qua apud plebem pollent, efficiant, ut arma deponat, et ſe decretis ac placitis a majeſtate regia et Belgii Ordinibus de religione ac quiete publica conſtituendis ſubjiciat, et parituram recipiat. Addita biduo poſt et ſecuritatis formula; qua Parmenſis fidem obligat, nihil nobilibus cauſa ſupplicis libelli, foederis initi, aut aliorum ab iis huc uſque factorum dictorumve ratione, a ſua majeſtate aut a ſe imputatum iri: idque ſibi ac regi ita placere declarat; mandatque praefectis, equitibus torquatis, et concilii ſtatus ſupremo praeſidi, ac concilio privato, omnibus juris praefectis, ut fidem ac ſecuritatem foederatis datam religioſe ſervent, eaque illos frui citra ullum impedimentum ſinant. Eodem die viciſſim illi, accepto Parmenſis ſcripto, fidem denuo codicillo obligant, ſe leges ab ipſa praeſcriptas bona fide ac ſincera impleturos. Inde Parmenſis ad omneis provincias ac judices literas dat; eis ſignificans, regiam majeſtatem velle et intelligere, ut vetus ac vera Catholica religio ſervetur: proinde praefecti ac magiſtratus videant, ne, dum rex ipſe veniat et praeſens de omnibus decernat, quidquam detrimenti publica res accipiat, ſed interim motus ſedentur et ſeditioſi coerceantur.

XI. SECUNDUM haec ubique in oppidis conciones permittuntur, iis locis, quibus VIII Kal. Sept. aut ante publice celebrabantur. Securitati item ſingulorum, quamvis

INTERPR. [a] *de Ligne, prince de Barbançon, comte d'Aremberg.* [b] *le comte de Berlaimont.* [c] *le comte de Horne, Montmorency ſieur d'Hachicourt, & le ſieur d'Aſſonville.* [d] *le comte Ludovic de Naſſau, Euſtache de Fiennes ſieur d'Eſquerdes, George de Montigny ſieur de Noyelles, de Montigny ſieur de Vilres.*

CIƆIƆLXVI. CAROLUS IX. quamvis religione diſcrepantium, inita ex communi conſenſu ratione, proſpicitur, adjecta clauſula, donec a rege, ejus concilio aut Belgii Ordinibus aliter decernatur. Negotio religionis in ſpeciem compoſito, cum nihil Proteſtantes ab adverſariis timerent, inter ſe mox digladiari coeperunt: et Auguſtanae confeſſionis ſocii Matthiam Flaccium Illyricum centuriarum eccleſiaſticarum concinnatorem, Dominicum Spangenbergium, Joannem Vorſtium, [a] Hermannum Hamelmanum, alios acciverant: ex Geneva et Anglia vicina, quae Helveticam confeſſionem ſequuntur, alii item acceríiti venerant; quorum poſt aliquot diſceptationes, annitente Marco [a] Pereſio inſtitore Hiſpano ditiſſimo, qui illis favebat, praevaluit auctoritas; ita tamen, ut utriuſque confeſſionis publicus uſus in urbe [b] Arauſionenſis permiſſu admiſſus ſit. Digreſſi Bruxellis nobiles quaſi votorum compotes domum abeunt; praeſides provinciarum quoque a Parmenſi dimittuntur, et mandata ejus executuri in provinciam quiſque ſuam proficiſcuntur. [c] Egmondanus comes Flandriam petit: ubi ſumma aequitate res adminiſtravit, concionibus, prout Parmenſis edicto continebatur, permiſſis, ſed numero locorum paulatim deminuto; et in imaginum infractores ſevere animadvertit. Nec id, foederatis invitis, fiebat; qui invidiam, quae ex eo in ipſos redundabat, amoliri cupiebant. Inter eos Joannes [d] Caſembrodius hujus factionis homines obvios juxta [e] Grammontium in Flandria in itinere cecidit, XXX ex illis captis, quorum XX mox patibulo affixit: [f] Arembergius in [g] Transiſelanam regionem, cujus praeſes erat, eodem tempore profectus, cum omnia tumultus et diſſidiorum ob religionem plena in ingreſſu offendiſſet, ſic ſe geſſit, ut intra paucos dies nulla toto Belgio provincia tranquillior fuerit, quamvis ob Germaniae viciniam maxime omnium motibus foret obnoxia. Arauſionenſis his legibus, quas diximus, [h] Antuerpiam venit; et Proteſtantibus edicit, ut quatuor viros cujuſque linguae deligant, cum quibus agat. Delecti fuere ex Germanis Marcus Peteſius, quamvis is Hiſpanus eſſet, Carolus [i] Bombergus, Hermannus Meranus et Cornelius Bombergus; e Gallis Franciſcus [k] Godinus, Nicolaus Vivarius, Jo. Carlerius, Nicolaus Selinus; a confeſſionis Auguſtanae ſociis [l] Aegidius Greveus, Henricus Broekius, Aegidius Banderius et Thomas Geerius. Tum Arauſionenſis cum quatuorviris decernit; licere ſine armis conciones certis locis habere, et, ut reliqua libera ſerventur, inſtante hyeme templa aedificare, aut alia loca concionibus idonea parare: itaque duo cumprimis magnifica et incredibili celeritate conſtructa, pecuniam et operas in id cunctis ardore inſolito conferentibus; quorum alterum forma rotunda Gallis ceſſit: et haec, quouſque aliter decretum a rege et Belgii Ordinibus fuerit. Inde Arauſionenſis in Hollandiam, Zelandiam, et Friſiam, quibus provinciis praefectus erat, abit; ubi res, ob Erici Brunſvici militem, in his regionibus copias cogentis et alias Proteſtantibus ſuſpecti, nonnihil turbatas invenit. Ei Antuerpia diſcedenti ſuffectus eſt Philippus [m] Lalanius Hocſtratanus Mechliniae praeſes; qui ſeditioſos imagines in ſummo urbis templo poſt primam ſpoliationem reſtitutas turſus dejicere molienteis ope civium non ſolum repulit, ſed et praecipuos tumultus auctores cepit; et ſex eorum ad reliquorum terrorem XV Kal. Nov. cruci affixit: Aloſti vero miniſtrum loco non conceſſo concionantem capitali ſupplicio affecit. Toties repetitis templorum direptionibus et ſeditioſorum poenis, cum non mediocrem invidiam ſuſtinere ſe intelligerent Proteſtantes, ſcripto edito et VI Kal. Nov. Hocſtratano tradito, culpaque in magiſtratum et aedileis urbis rejecta, praeterita, et in primis, quod in armis ad conciones convenerint, excuſant: nam id injuriae propulſandae non inferendae cauſa factum; et [n] Vaſſiacenae lanienae

nuper

VAR. LECT. [a] L. Hamelmanum *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Perez.* [b] *le prince d'Orange.* [c] *le comte d'Egmond.* [d] *Kaſenbroodt, ſieur de Backerſeele.* [e] *Grammont.* [f] *le comte d'Arembergbe.* [g] *Over-iſſel.* [h] *Anvers.* [i] *de Bomberge, Herman vander Meere.* [k] *Goddin, N. du Vivier, J. Carlier, & N. Selim.* [l] *Gillis de Greve, H. Vanden Broecke, Gillis Vander Banderrijen, & T. Van Gheere.* [m] *de Lallain, comte de Hooghſtrate, gouverneur de Malines.* [n] *maſſacre de Vaſſy.*

nuper in Francia patratae exemplo terreri, cujus periculum cum ad ſe pertinere in eadem cauſa timeant, haud mirum, ſi ſe armis ad vim vi repellendam muniverint: tum religionem Dei dono animis hominum inſinuari, non imperari, multis demonſtrant; obteſtanturque, Gamalielis conſilium potius ſequi velit, ne tandem populus ad impias libertinorum et de Numine male ſentientium opiniones vi nimia et magiſtratus ſeveritate adigatur, adempto religionis, quam probant, cultu, et inculcata ejus, a qua abhorreant, profitendae neceſſitate: ſe in praecipua capita fidei ſymbolo et quatuor oecumenicis ſynodis comprehenſa conſentire; nec abnuere, quin confeſſioni in Germania, Gallia, et Anglia receptae ſe libenter ſubjiciant. Eandem libertatem interim ſibi concedi petunt; obſequium et vectigalium ac tributorum denuo collationem polliciti: proque tanto beneficio treis florenorum myriadas offerunt ſtatis temporibus exſolvendas, quibus regiae poſſeſſiones in Belgio pignori oppoſitae luantur; idque non carere exemplis oſtendunt: nam Chriſtianos imperatores olim Arianis et Novatianis idem conceſſiſſe: ipſum pontificem Judaeos Chriſtiani nominis hoſteis et ferre et quaſi in ſinu fovere: idem Carolum Caeſarem felicis memoriae regis parentem Germanis conceſſiſſe: Francos denique vicinos eadem gratia regis ipſorum benignitate uti: neque vero metuendum, ne conventibus ſuis quidquam contra regiam majeſtatem moliantur, in quibus nulla clandeſtina conſilia habentur, et omnia palam fiunt, et quibus magiſtratus et alii, quicunque velint, intereſſe poſſunt. Libellum Hoeſtratanus ad Parmenſem mittit; addito, male ſe de Belgii rebus ominari, niſi rex Parmenſis precibus exoratus placita mitiget, et populi deſideriis ſatisfaciat. Parmenſis, dum haec agerentur, crebras ex Hiſpania literas acceperat; quibus et regem ob tumultus nuper excitatos et templorum direptionem non mediocriter commotum reſciverat, et hoc velle, ut omnino religio Catholica Romana in Belgio aſſeratur, rebellionumque ſemina a Sectariis jacta prorſus evellantur: in id magnas copias et omnem impetum convertere decreviſſe, quando Belgii exemplum ad omneis ditionis ſuae provincias pertineret. Interea non ceſſabat ambiguis literis procerum ſpem alere: et Arauſionenſi in primis literas prolixae benevolentiae plenas et manu propria ſcriptas, quae poſtea publicatae ſunt, in eandem rem Segovia miſerat. Eo factum eſt, ut major pars nobilitatis ſe ſenſim a foederatis ſeparaverit, et benignitatem principis quam extrema conſilia experiri maluerit. Qua ſciſſura debilitatas non mediocriter foederatorum vireis ubi vidit Parmenſis, praetextu Imaginarios caſtigandi, militem conſcribit; conveniendi paulatim libertatem turbat; controverſia etiam de locis, in quibus conciones haberi poſſent, mota: in concionatores ut ſeditioſe agenteis inquirit; quoſdam ex iis captos ſupplicio affici mandat; ſecuritatis literas alio atque alio modo interpretatur: et jam palam multa, quae conceſſerit, vi ſe conceſſiſſe ait. Diverſa parte [a] Arauſionenſis, Egmondanus, Hornanus, Hoeſtratanus, [b] Ludovicus Naſſovius III Non. Oct. [c] [α] Teneramondae conveniunt; et, prolatis [d] Montinii et [e] Bergenſis, qui in Hiſpania adhuc detinebantur, literis, quibus regem iniquiſſime ferre Belgicum tumultum ſignificabant, in commune conſulunt. Heic Arauſionenſis Franciſci [f] Alavae Philippi apud regem oratoris literas ad Parmenſem ſcriptas et interceptas producit; quibus eam monebat, ut ſumma benevolentiae diſſimulatione erga Arauſionenſem, Egmondanum et Hornanum, quos Belgii malorum auctores et fautores eſſe aiebat, uteretur: nam regem ita interim cum Montinio, Bergenſi et [g] Renardo in Hiſpania agere, donec, rebus neceſſariis comparatis, animum renudet, et tempeſtiva ſeveritate in ipſos animadvertat. Quibus

CIↃIↃLXVI.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] Duremondae *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le prince d'Orange, les comtes d'Egmond & de Horne.* [b] *le comte Ludovic de Naſſau.* [c] *Dendermonde.* [d] *Floris de Montmorency, baron de Montigny.* [e] *Jean, marquis de Berghe.* [f] *d'Alava.* [g] *Renards conſeiller.*

bus lectis, urgebat Arauſionenſis vir futuri providus, ut unanimi conſenſu ſimul omnes mature periculo praeverterent: nam ſic Hiſpanorum, quos probe noverit, ingenium eſſe, ut motus ac ſeditiones quam obſequium malint; ex quibus bellum gerendi et militari licentia per Belgium graſſandi occaſionem arrepturi ſint, regique perſuaſuri, ut provincias, privilegiis et immunitatibus ſuperbienteis, nec modum tumultuandi facturas quam diu iis fruentur, ſub jugum mittat: itaque ſumma animorum concordia opus eſſe, ut impendentibus malis communi conſilio obviam eatur. Verum Egmondanus repugnabat, et meritis ferox ac gratiae apud regem fiducia periculi negligens Arauſionenſi contradicebat. Itaque nihil tunc agi potuit, re in aliud tempus dilata. Dum in eo ſunt, collectis copiis [a] Parmenſis firmior ad [b] Valencianenſeis ſcribit; jubetque, ut Philippi [c] Sant-Algondani Noercarmii, qui tunc per marchionis [d] Bergenſis abſentiam provinciae praeerat, praeſidiarios milites recipiant. Cauſa obtendebatur; quod Proteſtantes in ea civitate viribus pollerent; et metus eſſet, ne ex Francia vicina plerique ſenſim eandem religionem profitentes in eam adreperent, et urbem dignatione ſecundum [e] Montes in Hannonia praecipuam, ſpatioſam, populoſam, ſitu et munitionibus firmam, occuparent: ſed, privilegia ſua cauſati oppidani cum recuſarent, Noercarmius XIII Kal. Nov. ad eos venit, et a praeſidio omni liberos fore pollicetur, modo extra urbem conciones habeant. Conditionem accipiunt illi, ea lege, ut ipſe Noercarmius Valencianas veniat, ac coram ratum id faciat, et locum concionandi deſignet. Sed menſe poſt urbem ingreſſus, nec convocato concilio, cum praeſto cives non adeſſent, occaſione inde quaeſita, mutavit: et indignabundus, ac ipſis et [f] Amandi fano multa interminatus, urbe diſcedit. Itaque Parmenſis ob id oppidanis ſuccenſens iterum imperat, praeſidiarios recipiant: quod cum illi recuſarent, et interea in regias cohortes apud [g] S. Salvii monaſterium diverteneis tormenta diſploſiſſent, et Carthuſianorum coenobium et [h] Vedaſti fanum excurſionibus vaſtaſſent, perduelles pronunciantur XIX Kal. Jan. nec multo poſt urbem obſidione cingit Noercarmius. Interea pleriſque locis, ſive metu, ſive propter hyemis aſperitatem, conciones intermittuntur; quae tamen [i] Amſterodami, Trajecti ad Moſam, Ultrajecti, Antuerpiae et Gandavi diu poſtea continuatae ſunt.

XII. [a] IN Scotia amoto rege, ex obſcuritatis ſuae latebris [k] Rizius ſtatim producitur: cumque regina, ut etiam domeſtico honore magis ornaret, menſae convictorem quotidianum adhibuit; ante aliquot menſeis popularitatis ſpecie more introducto, ut plures ſecum ad menſam aſſiderent, auctoque eorum numero, ut in multitudine convictorum locus Rizio minus invidioſus eſſet: ſed mox numerus contractus eſt, et, jam aſſuetis inſolentiae ſpectaculi cunctis, ille cum uno et altero quotidianus convictor adhibebatur: anguſtia etiam loci, cum conſultum invidiae exiſtimaret, quippe in cellula aut etiam apud Rizium ipſum plerumque epulabatur, ſuſpicionem auxit; et jam non belli ſermones inter proceres ſpargebantur, cultu, ſupellectile, comitatu, hominem externum et nullo loco, ſupra fortunam et regem ipſum apparere paſſim frementeis, cum ipſa muliebri impotentia in animum induxit etiam ei jus ſuffragii in concilio attribuere; quod ſi faceret, illud deinceps ſe ad nutum circumacturam confidebat. Ad id opibus ac titulis opus erat, ne inops et mercenarius ſenator e ſordibus ad tantum honorem provectus videretur: ſed, cum nec precibus multo minus minis adhibitis ab antiquis poſſeſſoribus impetrare potuiſſet, ut ad egenum advenam ditandum et ornandum praediis ac dignitatibus cederent, eo magis ipſa inflammari, populus contra indignari coepit, pleriſque e ſenioribus memoria tempus illud

VAR. LECT. [a] *Quae hic ſequuntur de rebus Scoticis, inter res geſtas Anni 1564 leguntur in D. f. o.*

INTERPR. [a] *la ducheſſe de Parme.* [b] *ceux de Valenciennes.* [c] *Philippes de Ste Aldegonde, ſieur de Noircarmes.* [d] *le M. de Berghe, gouverneur de Hainaut.* [e] *Mons en Hainaut.* [f] *St. Amand.* [g] *S. Sauve.* [h] *S. Vaaſt.* [i] *Amſterdam, Maeſtricht, Utrecht, Anvers, & Gand.* [k] *Riccio.*

illud repetentibus, quo [a] Cocheranus, regis fratre per ſummum ſcelus occiſo, e lato- CIƆIƆLXVI.
mo [b] Marriae comes factus, belli civilis ea excitavit incendia, quae non niſi morte CAROLUS IX.
regis ac paene regni interitu ſunt reſtincta.

XIII. REX, qui ad uxorem redierat, quanquam iis rumoribus offenderetur, tamen certus niſi re explorata nemini credere, accepto Rizium cubiculum reginae ingreſſum, ipſe ad oſtiolum, cujus clavem penes ſe ſemper habebat, acceſſit; ac, praeter morem intus oppeſſulatum cum offendiſſet, et pulſanti nemo reſponderet, ex eo magnam irarum molem animo coquens totam eam noctem paene inſomnem egit; ac poſtridie cum fidis de Rizio tollendo clam conſilium iniit, nec tamen inſcia omnino regina, quae cum aliquoties eum arcanorum conſciis deprehenſum acerbe increpuit, domeſticis ejus graviter interminata. fruſtra eos conſultare; ſe omneis illorum machinationes ſcire, et remedium in tempore adhibituram. Quibus verbis non tam regem terruit, quam ad conſilium accelerandum impulit. Igitur, re cum Matthaeo parente [c] Leviniae comite communicata, unus eis malorum exitus viſus eſt, ſi ea pars nobilitatis, quae aderat, reconciliari, quae aberat, revocari poſſet; quam utramque temere rex uxori obſecutus a ſe alienaverat. Sed feſtinatione opus erat, jam inſtante comitiorum die, quibus regina proceres abſentes proſcribere decreverat; et Rizius ſingulos circumibat, animoſque pertentabat, quid de iis quiſque decreturus eſſet, ſi princeps ſententiam rogaretur, promiſſis minas admiſcens, ut quemque metu vel ſpe duci intelligebat. Quo magis ſibi maturandum ratus rex ex parentis conſilio Jacobum [d] Duglaſſium Mortonii comitem et Patricium [e] Lindeſium utrumque ex utroque latere ſibi propinquum acceerſit, qui rem cum Patricio [f] Ruveno homine manu prompto, ſed ex diuturno morbo adhuc infirmo, conſerunt. Ab his rex admonitus, quantum temporibus proximis erraſſet, qui praecipuam nobilitatem in nequiſſimi nebulonis gratiam expuliſſet, illumque terrae filium in tantum extuliſſet, ut ipſe jam ab eo contemneretur, et culpam ſuam agnovit, et nil niſi de conſenſu nobilitatis in poſterum ſe geſturum affirmavit. Verum illi, adoleſcentis uxorii ingenium veriti, ne blanditiis deceptus cum certa ipſorum pernicie pacta inficiaretur, capita, in quae conſenſerat, ſcripta ei exhibent. Ea erant; de religione conſtituenda, ſicuti cautum erat in reditu reginae in Scotiam; de reducendis exulibus nuper pulſis; de caede Davidis Rizii, quo ſalvo neque rex dignitatem neque nobilitas incolumitatem tueri poſſet. Quibus omnibus libenter ac cupide rex ſubſcripſit, caedis ſe auctorem profeſſus: et poſt eum ceteri chirographum quiſque ſuum appoſuerunt; ſtatimque, ut procerum abſentium condemnationi praeverterent, ac ne mora conſilium evulgaretur, facinus aggredi placuit. Regina in cellula anguſta coenabat, adhibito pro more Davide et [g] Argatheliae comitis uxore, cum rex ex ſuo cubiculo, quod infra reginam erat, per ſcalas anguſtas, quae ſoli ei patebant, aſcendit, ſequente eum Patricio Ruveno cum v ad ſummum comitibus, dum interea Mortonius cum magno familiarium numero in extimo cubiculo ambularet, diſpoſitis in ſubdiali area fidiſſimis, qui, ſi qui motus intervenirent, praeſto eſſent. Ad ingreſſum regis, et Ruveni ſqualidi atque diuturno ex morbo macilenti, et tamen armati, quem aſtantes ex febre delirare credebant, conſpectum, commotior regina, cum, quid rei novae eſſet, percunctaretur, Ruvenus verſo ad Rizium ſermone eum ſurgere ac prodire juſſit; indignumque eſſe, qui in eo loco ſederet. Quo audito, regina, quod erat animo conjectans, ſtatim exſurgit, et corporis objectu adverſus venienteis eum protegit. Sed rex eam complexus bono animo eſſe jubet: nam nihil eſſe, quod metuere deberet; tantum caedem unius nebulonis decretam eſſe. Tum David, a conjuratis primum in proximum, deinde in extimum cubiculum pertractus, ab iis, qui cum Mortonio erant, multis vulneribus confoditur; praeter ducum voluntatem, qui eum publice ſtrangulari et gratiſſimum

populo

INTERPR. [a] *Robert Cockran, favori de Jacques III Roy d'Ecoſſe.* [b] *Marr.* [c] *Lenox.* [d] *Douglaſs, comte de Morton.* [e] *le lord Lindſay.* [f] *le lord Ruthven.* [g] *la conteſſe d'Argyle.*

CIↃIↃLXVI. populo ſpectaculum exhiberi malebant. Primum vulnus, a Georgio [a] Duglaſſio [b] Anguſiae comitis notho filio inflictum, veram mathematici praedictionem approbavit, qui Davidem monuerat, periculum illi a notho imminere; quod de [c] Moravio ille interpretatus, nothum illum, ſe vivo, eam potentiam, ut ſibi metuendus eſſet, minime habiturum reſpondit. Secundum Georgium, ut quiſque proxime ſteterat, princeps ferieb at, vel dolori ſuo indulgens vel in publicae injuriae ultionem quaſi ſocium aſcribi cupiens. [d] Huntilaeus, Atholius et Bothuelius comites, qui in diverſa parte palatii coenabant, audito tumultu, cum erumpere vellent, ſine noxa ſunt cohibiti, patrato facinore et regina e cellula in cubiculum progreſſa. [e] Ruvenus horridae libertatis homo et facto recenti audacior in cubiculum et ipſe ingreſſus ſtatim reſedit, et bibere petiit: quod regina in eum ut perfidum ac proditorem recenti dolore invecta ad injuriam ſuam pertinere exiſtimans, inter alia exprobravit, quod ſe ſtantem ſedens alloqueretur. Verum ille, nulla id ſuperbia ſed virium infirmitate factum cum excuſaſſet, poſtremo eam hortatus eſt, ut in regno adminiſtrando nobilitatem potius, cujus intereſſit ſalva omnia eſſe, conſulat, quam nebulones vagos, qui nullum ſuae fidei pignus dare poſſint; quippe qui nec in re nec in fama quicquam habeant, quod perdant: legitimum Scotorum eſſe imperium, non unius libidine, ſed ad legum praeſcriptum et conſenſu nobilitatis olim regi ſolitum; qui contra attentaſſent, meritas temeritatis poenas ſemper luiſſe; neque nunc ita Scotos a majorum inſtitutis degeneraſſe, ut exteri hominis, quem vix honeſte ſervum eſſent habituri, non modo imperium ſed ſervitutem aequo animo perferre poſſent. Quibus dictis cum irritaretur ultra modum regina, ne major aliquis motus oriretur, diſpoſitis locis idoneis cuſtodibus, foras diſceſſere. Cum vero ad tumultum populus undique accurriſſet, rex per feneſtram populum allocutus ſe ac reginam incolumeis eſſe affirmat; nullam tumultuandi cauſam ſubeſſe; quicquid actum eſſet, ſuo juſſu factum; id quale ſit ſuo tempore reſcituros; proinde quiſque domum abeat. Poſtridie proceres ex Anglia reverſi, ſicuti a rege moniti fuerant, ad dicendam cauſam in praetorio urbis ſe ſiſtunt: ubi nemo ex adverſo apparuit, publice teſtati, quod non per ipſos ſtetiſſet, quo minus ſe publico judicio committerent, in hoſpitia ſua diſceſſerunt. Regina vero ut cuſtodes appoſitos falleret, Moravio fratre accerſito, [α] qui poſt patratam Rizii caedem quaſi ab exilio revocatus in Scotiam redierat, et cum eo aliquantum collocuta, ſpem facit, ſe poſt id in procerum poteſtate futuram. Inde laxiore cuſtodia habita per poſticum noctu egreſſa cum Georgio [f] Setonio, qui CC equites ſecum adduxerat, in ejus arcem atque inde [g] Dumbarum profecta eſt; adducto ſecum rege, mortis injecto metu, ni paruiſſet. Ibi ſe reconciliatam cum exulibus ſimulans in percuſſores Rizii impetum vertit: in quos ut liberius legibus animadverteretur, per praeconem ante, non ſine multorum riſu, edixerat, ne quis diceret, regem conſcium aut participem caedis Rizianae fuiſſe. Magna ſeveritate quaeſtio exercita fuit; nam multi varia poena affecti, etiam pleri que inſontes, atque adeo ſecuti, capite luerunt. Auxit publicam indignationem, quod regina, non contenta hominem nullis natalibus aut honeſtis ſtudiis et opera in publicum inſignem ad tam invidioſos honores evexiſſe, ad extremum ſuperante poſt periculum impotentia, velut jam rebus pacatis, demortui cadaver, quod ante fores templi propinqui ſepultum fuerat, de nocte transferendum ac in ſepulchro regis parentis ejuſque liberorum, juxta Magdalenae Franciſci I filiae paulo ante reginae corpus, collocandum curavit.

Carolus IX.

XIV. Rebus utcunque compoſitis et [h] Argatheliae ac Moraviae comitibus in gratiam receptis, poſt Eid. April. regina in arcem [i] Edimburgenſem redit, appropinquante

VAR. LECT. [α] qui poſt patratam Rizii caedem quaſi ab exilio revocatus in Scotiam redierat *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Douglaſs.* [b] *Angus.* [c] *le comte de Murray.* [d] *les comtes de* [illegible]*tley, Athol, & Bothwel.* [e] *le lord Rathven.* [f] *le lord Seaton.* [g] *Dunbar.* [h] *Argyle.* [i] *d'Edim*[illegible].

quante puerperii tempore; ubi, XIII Kal. Quintil. paulo poſt horam nonam [1] aequinoctialem, [α] filium peperit. [β] Id per Jacobum [a] Melvinum Maria ſtatim Eliſabethae ſignificandum curat: et haec in Scotiam viciſſim Henricum [b] Killegraeum miſit, qui ſorori partu feliciter levatae et nato puero gratularetur; eademque opera moneret, ne [c] Shano O-neal in [d] Hibernia tunc rebellanti clandeſtinis auxiliis animos ultra faceret, aut Chriſtophorum [e] Rokesbeium transfugam contra foederis leges foveret, et in praedones per limitem diſcurſantes ſevere animadverteret. Inde animi laxandi a curis gravioribus gratia [f] Oxonium et Cantabrigiam urbes toto regno ſcholis eruditis famoſas divertit; inibique ſtudioſorum frequentia aliquandiu ſe oblectavit, noctes ludis theatralibus, dies diſſertationibus publicis, continuans; unde poſt actas compoſita oratione utrobique gratias [g] Londinum Kal. Novembribus feſtis populorum paſſim per vias occurrentium plauſibus excepta. Mox occulta coitione primum, dein aperto concurſu, de ſucceſſione quaeſitum, et publice diſputatum, ſciſſis ob religionem ſtudiis, dum quiſque rebus ſuis ac ſecuritati religionis quam profitebatur proſpicit. [h] Bellus, [i] Monſonus, magni nominis juriſconſulti, [k] Duttonus et alii palam de ea re ita diſſerebant, ut teneri reges ſucceſſorem deſignare dicerent: quibus ex proceribus aſtipulabantur [l] Penbrochiae et Leiceſtriae comites; eorumque inſtigatu N. [m] Baconus magni ſigilli cuſtos longa oratione Eliſabethae perſuadere conatus eſt, e re publica eſſe, ut ipſa quam primum de nuptiis cogitaret; a quibus, ut re ſibi periculoſa, ob impedimentum naturale, maxime abhorrebat, ab [n] Huico medico ita perſuaſa; cui ſententiae Gul. [o] Cecilius reginae gratiam captans in occulto favebat: ipſa quibus poterat rationibus importunas ſuorum petitiones eludebat, prolixe pollicita non ſolum principis ſolicitudinem ſed matris affectum. Inter alios cum [p] Thorntonus, juris municipalis in [q] ſchola Lincolnienſi Londini profeſſor, qui maxime rem urgebat, et de ſucceſſore diſputans jus Mariae Scotae in dubium revocarat, inſtante Melvino, in carcerem conjectus eſt; et Penbrochiae ac Leiceſtriae comites aliquandiu praeſentialis quod vocant conclavis ingreſſu interdicti ſunt: aegre Baconus in gratiam receptus. Regina etiam grandem in id oblatam pecuniam, quam Ordines regni ultro impoſuerant, et jam majorem partem collectam generoſe, recuſavit, addito, Malle ſe animos ſuorum quam opes poſſidere.

XV. [INTEREA in Scotia, amoto rege, unus omnia poterat] Jacobus [r] Hepburnus [γ] Bothueliae comes, unus negotia adminiſtrabat: adeoque ipſa ſui erga eum animi propenſionem ab omnibus intelligi volebat, ut, ſi quid ab ea petendum foret, nemo quicquam niſi per illum impetraret. Rex vero tanquam moleſtus otii interpellator procul ablegabatur; et, ſi quando contingeret eum viſendi cauſa adeſſe, ipſa et comites ſic vultum ſermonemque componebant, ut nihil magis timere viderentur, quam ne rex non intelligeret, ſe reginae faſtidio, adventum conſpectumque ſuum omnibus ingratum, eſſe. Igitur, [δ] cum miram circa ſe ſolitudinem videret, contumeliarum, quae illi a Bothuelio quotidie fiebant, pertaeſus, [s] Sterlinum conceſſit.

XVI. INTER

D. f. o. d. [*Sublato Davide, apud reginam omnia poterat*]

VAR LECT. [α] peperit; qui poſtea Jacobus appellatus, et nunc feliciter Scotorum regno praeeſt *D. f. o. Ita D. d. niſi quod pro* Scotorum regno *habet* feliciter univerſae Britanniae praeeſt.

[β] *Quae ſequuntur de Melvini mandatis, Killegraei legatione, rebuſque Anglicis, uſque ad* Interea in Scotia amoto rege *deſunt D. f. o. d.*

[γ] Botueliae *D. f. o. d.*

[δ] cum nullum gratiae locum apud eam obtineret, ſaepiuſque tentato uxoris animo, eam nulla obſervantia, nullis obſequiis conſequi poſſet, ut ad priſtinam conſuetudinem admitteretur, Sterlinum conceſſit. Regina (*ut in* VAR. LECT. *ſequenti*) *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Melvil.* [b] *Killegrew.* [c] *Shan O-neal.* [d] *Irlande.* [e] *Rokesbey.* [f] *Oxford & Cambridge.* [g] *Londres.* [h] *Bell.* [i] *Monſon.* [k] *Dutton.* [l] *Pembroke & Leiceſter.* [m] *Bacon.* [n] *Huick.* [o] *Cecil.* [p] *Thornton.* [q] *Lincolns-Inn.* [r] *Hepburn, comte de Bothwel.* [s] *Sterling.*

NOT. [1] *ſcil.* matutinam.

CIↃIↃLXVI.

CAROLUS IX.

XVI. [*] INTER haec paulo ante brumam venére ex Gallia et Anglia legati, qui in filii ſacro luſtrico pro eo fidejuberent. Ceremoniae Sterlini peractae, [1] XVIII Dec. [γ] Sponſores fuere Carolus rex, Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux, Anglorum regina Eliſabetha: et infans Carolus Jacobus dictus eſt; ſed primum nomen poſtea omiſit. [δ] Officio pro Eliſabetha defunctus eſt [a] Bedfordiae comes, allato baptiſterio ex ſolido auro, quod honorarii muneris inſtar infanti obtulit. Huic in mandatis datum, apud Mariam inſtaret, ut foedus Edimburgenſe ratum haberet: quod illa in praeſens abnuit; cauſata in foedere illo ineſſe quaedam, quae ſuo ipſius et liberorum in Anglicani regni ſucceſſionem juri derogarent; miſſuram tamen ſe propediem ad ſororem legatos, qui de illo confirmando, quibuſdam immutatis, agerent. In has vero jam tum conditiones conventum eſt; ut Maria liberique ejus, quamdiu Eliſabetha in vivis eſſet, titulis et inſignibus Anglicanis abſtinerent: viciſſim Angla promiſit, nihil ſe facturam, quod Mariae juri in ſucceſſione praejudicaret. Cum praeterea Bedſordius herae juſſu de componendo domeſtico inter ipſam ac virum diſſidio verba injeciſſet, idque ſummopere cupere Eliſabetham oſtenderet, illa pro grata benevoli animi ſignificatione gratias egit; et diſſidii culpam in turbulentos quoſdam proceres rejecit, qui ingenua mariti plus juſto facilis credulitate abutentes ipſam inſigni nec ferenda injuria affeciſſent: et, cum adflicta valetudine tunc eſſet, filiolum recens natum Eliſabethae fidei ac tutelae per literas commendavit.

XVII. [ε] REX, qui ex ſolemnitatis illius occaſione cum [b] Bothuelio compoſitus, quaſi

D. ſ. [*] *Regina paucos poſt dies Gedburgum profecta eſt: Bothuelius autem, ineunte Octobri expeditione in Lidaliam ſuſcepta, cum a latrone quodam graviter vulneratus, dubia ſalutis ſpe, in arcem proximam delatus eſſet, regina, ſpretis viarum difficultatibus et periculis, comitatu exiguo, et infra dignitatem, mox eo contendit; et inde Gedburgum Bothuelium transferendum curat: ubi, dum ardentiore ſtudio curationi ejus incumbit, ſama contempta, etiam vitae diſcrimen adiit, ex nimiis vigiliis ac laboribus contracto exitiabili morbo, ut prope nulla ſpes ſalutis ſupereſſet. Quod ubi intellexit rex, magnis itineribus Gedburgum ad eam inviſendam venit; ea ſpe, ut, [α] quod nulla obſervantia et obſequio conſequi potuerat, hoc officio conciliata uxoris gratia in priſtinam conſuetudinem admitteretur. Verum illa non modo nullum placati animi ſignum dedit, ſed curavit, ne quis venienti aſſurgeret, ſalutaret, hoſpitio ei cederet: ac in eo erat rex ut hoſpitii penuria diſcedere cogeretur, niſi quidam ex Humiorum familia pudore impulſus repentinam diſcedendi cauſam finxiſſet, et regi vacuum hoſpitium reliquiſſet. Nec tamen illa diutius Gedburgi manere virum paſſa, poſtridie Sterlinum redire [β] jubet. Addunt, qui ea de re liberius ſcripſere, tunc exceptas ex reginae ore voces, quibus ſibi nullam in poſterum vitam fore profitebatur, niſi a rege ſolveretur; ac, ſi nulla alia ratione poſſet, ſe ſibi manus allaturam, mentione etiam ſaepius de divortio injecta, quod haud ita difficile futurum affirmabat, ſublato pontificis diplomate, quo venia eis matrimonii contra leges ſacras contracti facta fuerat.* [2] INTER

VAR. LECT. [α] quod in graviſſimis periculis accidere ſolet, praeteritorum poenitentia mentem ſubeunte, ad ſanctioris vitae propoſitum inflecteret. Verum *MS. Samm.*

[β] jubet: quod eo indignius viſum eſt, quod rex eodem tempore ab oculis ejus removeretur, quo Bothuelius ex aedibus, in quibus diverſabatur, per ora vulgi in reginae diverſorium delatus eſt, ſparſis de toto illo itinere rumoribus ſiniſtris. Acceſſere et exceptae ex reginae ore voces *MS. Samm.*

[γ] *Quae ſequuntur de ſponſoribus, Bedforduque oblatione et mandatis, uſque ad* Rex, qui *deſunt* D. f. o.

[δ] *Quae ſequuntur, uſque ad* Rex, qui *deſunt* D. d.

[ε] Ex quarum rurſus occaſione cum rex Bothuelio compoſitus *D.* f. o. *ita D.* d. *niſi quod legit* ex ea rurſus. *Sed MS. Samm. ita habet* Ex quarum rurſus occaſione cum rex et Bothuelius quaſi in comparationis certamen veniſſent, regina, majorene invidia an infamia incertum, non ſolum apud ſuos ſed etiam apud exteros laborare coepit; cum nulli ſumptui parceret, ut Bothuelius inter cives et hoſpites ſingulari cultus magnificentia compareret; contra, maritum, omni ad ſumptus neceſſario ſubſidio deſtitutum, in legatorum conſpectum venire prohiberet, miniſtris quotidianis detractis, nobilitate item obſervare vetita. Ita regem inhumaniter habitum, quamvis omnia patienter ferre obfirmatum, ut vel ſervilem in modum apud uxorem aliquem gratiae locum obtineret; poſt tot contumelias et ablatam et argenteam ſupellectilem, qua a nuptiis ad eum diem uſus erat, ac ſtanneam ſuppoſitam; poſtremo, cum inde Glaſcuam ad patrem ire decreviſſet, dato veneno, ut creditur, dimittit; quod opinione eorum, qui propinaverant, praeſentius, mox ſe prodidit: cum vix mille paſſus Sterlino abeſſet, *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Bedford.* [b] *le comte de Bothwel*

NOT. [1] Lege XVIII *Kal. Jan.* V. Spotſwod. [2] *Haec omnia è Buchanani hiſtoria deſumpta ſunt. C.*

quaſi in comparatinnis certamen venetat, tamen animum ad omnia patienter ferenda CIↃIↃLXVI.
obfirmaverat, ut, quanquam omni cultu regio detracto, vel ſervilem in modum apud CAROLUS IX.
uxorem aliquem gratiae locum obtineret. Inde cum [a] Glaſcuam ad patrem iturus
vix mille paſſus [b] Stetlino abeſſet, vehementi dolore ſimul omneis corporis partes in-
vadente correptus eſt, liventibus puſtulis paulo poſt erumpentibus, cum tanta vexa-
tione, ut exigua vitae ſpe ſpiritum duceret: quod Jacobus [c] Abrenethius, uſu me-
dendi excellens, de genere morbi rogatus, a vehementia veneni provenire reſpondit;
quem tamen rex aetatis vigore et naturali corporis firmitate ſuperavit. [α] At regina, CIↃIↃLXVII.
ut omnem ſuſpicionem purgaret, Glaſcuam proficiſci ſtatuit, cum prius communem
filium mutui amoris pignus [d] Edimburgum, quamvis aſperrima hyeme, duci cura-
viſſet; aedeis, in quibus puer educabatur, incommodas cauſata, quod locis humi-
dis et praeſtrigidis periculum ei a pituita eſſet. Itaque, Bothuelio comiti cum omnem
rerum adminiſtrationem commiſiſſet, aſſumptis viae comitibus Hamiltoniis, ad vi-
rum nondum adhuc ex morbo ſatis validum contendit; cum quo, poſt querimonias,
objurgationes et lamentationes ultro citroque petactas, poſtremo reconciliatur. Inde
rex lectica Edimburgum defertur, et in aedeis ei a Bothuelio deſtinatas per aliquot
annos deſertas et muris oppidi conjunctas inter duorum templorum tuinas, unde ne-
que clamor neque ſtrepitus exaudiri poterant, cum paucis miniſtris intruditur: nam
major pars, etſi ei tanquam dictotum factotumque veluti obſervatores attributi, pe-
riculi imminentis incertum praeſagi an gnari ab ipſo diſceſſerant; qui autem reman-
ſerant, claveis oſtiorum ab hoſpitiorum metatoribus extorquere non potuerant. Tum
de regis caede conſilium initur, re cum aliquot e nobilitate communicata; qui peri-
culum religionis veriti, quae, rege cum Proteſtantibus bene conveniente, periclitari
videbatur, prona aſſentatione operam polliciti ſunt: ad haec pontificis et, ut paſſim
jactabatur, Caroli Lotharingi cardinalis literis incitabantur. Nam, cum per eum a
pontifice petiiſſent pecuniam ad inſtaurandam majorum religionem, reſponſum fue-
rat, fruſtra ipſos conari, niſi ſublatis iis, per quos ſtabat, ne res exitum ſortiretur:
iique nominatim edebantur; et inter eos Jacobus frater reginae nothus [e] Moraviae
et Jacobus [f] Duglaſſius Mortonii [β] comites. Et quanquam rex, ut erat ſimplici et
credulo ingenio, jam de benevolo erga ſe uxoris animo ſecurus eſſet, ab iis tamen,
qui ejus perniciem maturatam volebant, ſparſus rumor, quaſi ille de fuga in Galliam
aut Hiſpaniam cogitaret; eaque de re cum Anglis, qui in [g] Glottae aeſtuario navem
habebant, egiſſet. Itaque ſequens nox ſceleri deſtinatur, annitente Bothuelio, ut,
quia loco frequenti caedes patranda eſſet, crimen, ſi fieri poſſet, in alios derivaretur.
Et, quamvis non ita caute res gerebatur, ut non plerique de recenti reconciliatione
male ominarentur, tamen neque ipſe id pervidebat, homo ſupra quam dici poſſit
uxorius; et nemo erat, qui regem de periculo ſuo admonere auderet; quippe qui
omnia, quae aliunde accipiebat, quo magis ſe in reginae amorem inſinuaret, ei re-
velare eſſet ſolitus. Et cum ſub id tempus Robertus Moravii frater, ſive facinoris
atrocitate ſive adoleſcentis miſericordia motus, inſidias ei detuliſſet, rexque pro ſua
conſuetudine id reginae indicaſſet, paene vitae periculum adiit, rege et ipſo ſe coram
regina mendacii arguentibus, et ad arma utroque manum admovente: quae rixa vix
tandem Moravii interventu dirempta eſt. Hujus exemplo territi ceteri periculum
providebant; ſed regem monere non audebant. Regina, ut omnem ſuſpicionem
a ſe ſegregaret, et mariti amorem ſimul ac veterum offenſionum oblivionem ſimula-
ret, lectum ſuum e palatio tranſlatum in conclavi, quod infra regem erat, ſterni
juſſerat; ubi ipſa aliquot noctes, ante extracto in longum colloquio, quieverat.
Tunc

VAR. LECT. [α] In Scotia, ſuperiore anno exeunte, vix vigore corporis et aetatis extremum periculum evaſiſſe regem diximus. Regina igitur, ut omnem *D. f. ö.* [β] comites, quorum praecipue conſilio rex utebatur. Et quanquam *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Glaſgow.* [b] *Sterling.* [c] *Abernethy.* [d] *Edimbourg.* [e] *Murray.* [f] *Douglaſs, comte de Morton.* [g] *Firth de Clyd.*

CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

Tunc vero, quamvis factum celatum maxime cupiebatur, ſumma imprudentia inde lectus ablatus eſt, et vilior ejus loco ſubſtitutus, pleriſque mirantibus in tanta ſamae prodigalitate exiguae pecuniae parci: ſulphureus item pulvis aedibus ſuppoſitus eſt. Nocte igitur ſuperveniente, cum regina aliquanto tempore cum rege ſermones ſeruiſſet, quaſi ſerius recordata officii, quod eo forte die Sebaſtiani cantoris nuptiis celebratis nuptae in lecto collocandae impendere debebat, ſtatim conſurgit et in palatium concedit: ubi ſatis diu cum [a] Bothuelio collocuta ipſum dimittit; qui mox mutata veſte et chlamyde militari indutus per cuſtodiam in oppidum redit. Parte diverſa, duae conſciorum turbae regis aedeis adeunt, et cubiculum, in quo cubabat, ingreſſi, nam ipſi claveis penes ſe habebant, ſomno ſepultum ſaucibus compreſſis ſtrangulant, et cum eo ſamulum; et ambos nulla alia re laeſos in ſubjectum hortum deferunt: quo facto, ignem pulveri ſubdito admovent; et domum a fundamentis evertunt, tanto cum fragore, ut vicinae aedes quaterentur, et, qui in longinquioribus locis erant, e profundiſſimo ſomno expergiſcerentur. Regina, quaſi facti ignara, ad tumultum excitata, mittit, qui quid rei eſſet inſpicerent: concurſuque ſtatim ab attonita multitudine facto, corpus reginae juſſu ſuper ſcamnum inverſum extentum per bajulos in palatium deſertur; ubi illud omnium ſuae aetatis formoſiſſimum diu et avide ſpectaſſe dicitur, nullo in alterutrum indicio ſeu doloris ſeu laetitiae ſigna prodente. Id actum IIII Eid. Febr. Cumque proceres, qui aderant, amplum et et honorificum funus decreviſſent, corpus per eoſdem bajulos noctu ſine ulla pompa ſepeliendum [α [1] curat. Diſſeminatus mox in aula rumor,] quaſi rex a [b] Moravio et Mortonio interſectus eſſet; iſque in Angliam uſque perlatus: [ß] et ita his fere argumentis poſtea [2] credita, qui de ea re repetito altius initio ſic diſſerebant: Moravium, regina ſoror cum ante ſeptennium e Gallia in regnum patrium reditura eſſet, Eliſabethae auctorem fuiſſe, ut ipſius tranſitum impediret, odio ex offenſione contracto, quod, cum [c] Fani Andreae Prior antea vocaretur, et illuſtriorem titulum concedi a ſorore peteret, regina id ex avunculorum conſilio denegaſſet: regina dein in regnum appulſa, cum ipſa ſaepius egiſſe, ut, ſi ſe ſine prole decedere contingeret, quatuor e Stuartorum familia, unde illa oriunda, ſubſtitueret, excluſis Hamiltoniis; hoc etiam addito, ut nulla ratio haberetur, ſive illi legitimi eſſent ſive illegitimi; eaque clauſula ſe comprehenſum iri certa ſpe perſuaſum habuiſſe: reginam vero, quae innata prudentia quo conſilium illud tenderet providebat, modeſte ſe excuſaſſe; et, ut, hominem ambitioſum placatum haberet, [d] Marriae comitis ac mox Moraviae titulis honeſtaſſe, ac praeterea ampliſſimis latiſundiis donaſſe: his opibus beneficae ſororis indulgentia ſubnixum illum Gordoniam familiam in regno praepotentem ſubvertiſſe, [e] Caſtri-Eraldi ducem Hamiltoniae familiae principem aula exegiſſe, [f] Aranium ejus filium in vincula conjeciſſe, Jacobum [g] Hepburnum in Angliam relegaſſe, ipſam reginam poſtremo in poteſtate habuiſſe, eique ad impediendas cum Ferdinando et poſtea cum Carolo Maximiliani Caeſaris fratre nuptias Henricum [h] Darlaeum gentilem in maritum conciliaſſe; moxque facti poenituiſſe, cum eum Proteſtantium doctrinae adverſari diceret, et Eliſabetham, ut eas impediret, monuiſſe: ſecuto nihilominus matrimonio, arctam cum Jacobo [i] Duglaſſio Mortonio homine verſipelli amicitiam contraxiſſe; convocatoque concilio inter ipſos conveniſſe, ut, quando nuptiae diſſolvi

D. f. o. d. [*curat, juxta Davidis Rizii ſepulchrum. Diſſeminatus mox a conſciis rumor*]

VAR. LECT. [α] curat, juxta Davidis Rizii ſepulchrum, ac ſi foediſſimi hominis manibus mariti morte, anno vertente, parentare voluiſſet. Diſſeminatus mox a conſciis rumor *MSS Samm. Put. & Reg.* [ß] *Quae ſequuntur de Moravii conſiliis, et Huntilaei Argatheliique ſcripto, uſque ad* Et cum diverſi diverſe *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *le comte de Bothwel.* [b] *comte de Murray, & de Morton.* [c] *St. André.* [d] *Marr.* [e] *le duc de Chaſtellerault.* [f] *le comte d'Arran.* [g] *Hepburn, comte de Bothwel.* [h] *le lord Darnley.* [i] *Douglaſi, comte de Morton*

NOT. [1] *in utraque editione Genevenſi perperam* fuit. [2] *potius* creditus ab iis, qui

ſolvi non poſſent, amor conjugalis inter eos occultis artibus ſolveretur: itaque Mortonium, mirum accendendis offenſionibus artificem, novo regi facile perſuaſiſſe, quo uxoris contemptum ulciſceretur, ut regia inſignia ſibi ſumeret, palam dictitantem, ita natura comparatum, ut foeminae pareant, viri in foeminas imperium habeant: inde ſuſpicionibus creduli adoleſcentis animum impleviſſe, cumque ut ab uxore gravi illata injuria omnino alienaret, ad Davidis Rizii caedem inflammaſſe; cumque ob id ille, poſt patratam caedem rege poenitente, in Angliam profugiſſet, [a] Moraviuſque ſumma facti invidia apud omneis laboraret, tamen benignitate reginae regem Moravio reconciliatum; qui, ſibi metuens, et maleficium pro beneficio rependens, poſtea non deſtitit, quo profundam ambitionem expleret, diſſidia inter regem reginamque ſerere; [b] Bothuelioque, cum quo, regina annitente, poſt capitaleis inimicitias, nuper in gratiam redierat, ſpem fecit de reginae ſororis nuptiis, rege ſublato; in idque ſuam et [c] Mortonii, qui interea ab exilio in aulam revocatus fuerat, operam prolixe detulit: Bothuelium igitur, qui iterum praecipuum gratiae locum in animo reginae tenebat, ſcelus patrandum ſuſcepiſſe, obſignatis ea de re inter conjuratos tabulis; Moravium autem, dum caedes patratur, ex compacto aula abſuiſſe, quo et ſuſpicione ſe liberaret eamque in reginam rejiceret, et inde, ſi quid inopinati accideret, conjuratis eſſet ſubſidio: dein, patrata caede, reginae perſuaſiſſe, ut Bothuelium familiae ſplendore et egregiis erga ipſam matremque meritis inſignem in virum adſciſceret, eo conſilio, ut ſimplicem foeminam de paricidio ob eam cauſam ſuſpectam publico odio exponerent, et privatas ſimul cum Bothuelio injurias ulciſcerentur, atque concitata contra utrumque regni nobilitate poſtremo ſummam rerum ad ſe contraherent: verum, nefariis eorum conſiliis ut praeverterent, Georgium [d] Gordonium Huntilacae et [e] Gileſpicum Cambellum Argatheliae comites rei gnaros ſcriptum publicaſſe ex animi ſententia; quo teſtabantur, Moravium et [f] Lidingtonium ab epiſtolis ſibi, cum regina [g] Cragmillariae ageret, declaraſſe, non alia mente Mortonium, [h] Lindeſium et Patricium [i] Ruvenum de [k] Rizio interficiendo conſilium iniiſſe, quam ut Moravii mox proſcribendi ſaluti conſulerent; itaque ipſos, ne ingrati erga eos haberentur, optare, ut Mortonius et complices ab exilio revocentur: Moravium etiam Huntilaco ſpem feciſſe, de bonorum avitorum reſtitutione; id autem fieri aliter non poſſe quam ſi regina divortio a viro ſeparetur: in conſcientiam facti adhibitum Bothuelium: et inde ad reginam itum eſſe, et Lidingtonium ab ea Mortonii, Lindeſii, Ruveni ac ceterorum exulum in patriam reditum impetraſſe: tum, exaggeratis magna cum verborum atrocitate regis in reginam injuriis, demonſtratoque periculo, quod ipſi ac Scotiae regno ex eo impendebat, divortium ſuaſiſſe: cum contra diceret regina, malle ſe in Franciam ad tempus ſecedere, dum vir reſipiſceret, quam quidquam facere, quod fraudi filio, ſibi dehoneſtamento, eſſet; proinde viderent, ne quod in ipſius gratiam aggrederentur, in perniciem verteret: Lidingtonium vero periculum et eventum rei in ſe ac amicos, qui reginae bene velint, ſuſcepiſſe; nihilque ea in re actum iri affirmaſſe, quod ſenatus auctoritate non comprobaretur: his initiis conjurationem, regina inſcia, initam, et ex ea paricidium regis ſecutum: atque ita vulgo ex Huntilaci et Argathelii fide in aula jactabatur. Et, cum diverſi diverſe factum interpretarentur, aliique in alium crimen conjectura rejicerent, quidam etiam Joannem Hamiltonium [l] fani Andreae archiepiſcopum culpae affinem exiſtimarunt, ob capitaleis cum parente ipſius exercitatas inimicitias, et recentem cum regina reconciliationem, cum illam nuper [m] Glaſcuam uſque comitatus eſt. Alia item indicia; quae quiſque, ut varie animo afficiebatur, ex praeteritis ac praeſentibus utriuſque actionibus colligebat. Apud nos ita evulgata

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *le comte de Murray.* [b] *le comte de Bothwel.* [c] *le comte de Morton.* [d] *Gordon, comte de Huntley.* [e] *Archibald Campbel, comte d'Argyle.* [f] *le chevalier Guil Maitland, ſieur de Lidington.* [g] *Cragmillar.* [h] *le lord Lindſay.* [i] *le lord Ruthven.* [k] *Riccio.* [l] *St. André.* [m] *Glaſgow.*

CIↃIↃLXVII. evulgata res, quaſi a regni proceribus priſcae religioni addictis, metu ne, rege jam
CAROLUS IX. manifeſte ad Proteſtantium partes propendente, religio labefactaretur, conjuratio facta eſſet. Ad facti famam Moravius, qui ad uxorem in extremo mortis diſcrimine viſendam, vix impetrata pridie caedis patratae a regina venia, abierat, confeſtim redit, et parum a periculo abfuit, [a] Bothuelio, qui ingenium hominis pariter ſibi ac reginae inviſi reformidabat, caedem peragendam in ſe ſuſcipiente.

XVIII. [a] PAULO ante Vincentius [b] Laureus, Montis regalis epiſcopus, vir non ſolum eruditione ſingulari ſed etiam in expediendis ac tractandis negotiis ſumma ſolertia praeditus, a Pio V legatus ad Mariam fuerat, cum literis propria manu ſcriptis; quibus ille de paterno erga ipſam regnumque Scoticum, pro aſſerenda in eo antiqua majorum religione, affectu prolixe fidem faciebat. Is Lutetiam ubi venit, literas reginae a Glaſcuenſi archiepiſcopo, qui oratoris Scotici apud nos munere fungebatur, accepit; quibus cum rogabat, ut, quamvis ſummopere adventum ſe ejus expetere prae ſe ferret, tantiſper profectionem ad ſe differret, dum compoſitis ultimi motus reliquiis efficeret, ut tutior ipſi ac majore cum dignitate illic pateret aditus. Vincentius interim per contrarias literas hortari, et quam poterat efficacibus rationibus Mariam inflammare ad inſtaurandam in Scotia religionem, miſſo etiam Edvardo [c] Haio e ſodalitio Jeſuitico, qui, in arcano, regni Anglicani, quod, excluſa Eliſabetha jam proſcripta, ad ipſam tanquam proximam heredem pertinebat, ei conciliandi ſpem faciebat. Inter haec trimeſtri elapſo, cum ſibi dignitatique ſuae parum decorum exiſtimaret Vincentius Lutetiae tam diu haerere, remque apud multos contemptu, apud alios ſuſpicione non carituram videret, per [d] Dublinienſem epiſcopum eo miſſum urgebat, ut quamprimum in Scotiam trajiciendi facultas eſſet. Itaque duo in comitiis a regina propoſita; ut luſtricum pueri nuper nati ſacrum antiquo majorum ritu celebraretur, et pontificius orator debito cultu in regnum admitteretur: et de primo quidem Ordines aſſenſere; de altero dilata deliberatio. Jamque Vincentius de tranſmittendo certus [e] Antuerpiam venerat, nam per [f] Iccium portum ob Angliae vicinioris metum tranſitus erat ſuſpectus, cum de rege deteſtando paricidio ſublato et de turbatis in regno ob facti atrocitatem rebus ſimul allatum eſt: quo nuncio abrupta negotii pro religione ſuſcepti ſpes omnis; et Vincentius a pontifice revocatus ad gregis ſibi commiſſi curam retro in Italiam diſceſſit.

XIX. REGINA, quanquam initio irritatum populum compoſito in luctum vultu placare inſtituiſſet, [impatientia] muliebri abrepta morem antiquum neglexit, quo reginae poſt maritorum obitus XL dies continuos non ſolum publico ſed lucis aſpectu abſtinere conſueverunt. Nam ſtatim, feneſtris apertis, poſt duodecimum a coepto luctu diem, confirmato adverſus vulgi rumores animo, [g] Setonium VII ab [h] Edimburgo milliaribus ſeceſſit, Bothuelio, qui praecipue caedis regiae inſimulabatur, nunquam ab ejus latere diſcedente: unde, vix tandem a [i] Croco regis res in Scotia adminiſtrante admonita, quanta infamia ea res apud exteros ſermonibus traduceretur, Edimburgum rediit. Ibi prima cura fuit, ut Bothuelius regiae caedis abſolveretur. Res apud [k] Argatheliae comitem per rerum capitalium quaeſtorem tentata, teſtibus etiam productis. Sed, cum variarent illi, et domeſtici, interrogati de ſicariorum ingreſſu, claveis non penes ſe ſed reginam fuiſſe reſponderent, quaeſtio dilata, ac poſtremo omnino ſuppreſſa eſt. Ne tamen prorſus abjecta videretur, pecunia edicto indicibus decernitur; fremente interim plebe, et ſparſis libellis, picturis ac nocturnis clamoribus, quibus conſcii videbant ſecreta ſua in vulgus emanaſſe. Qua re ultra modum commota regina quaeſtionem de libellorum auctoribus ſeveriſſime haberi jubet,

D. f. o. d. [*impotentia*]

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Vincentii Laurei ad Mariam legatione, uſque ad* Regina quanquam *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le comte de Bothwel.* [b] *Lauro, evêque de Mondovi en Piedmont.* [c] *Hay.* [d] *l'archevêque de Dublin.* [e] *Anvers.* [f] *Calais.* [g] *Seaton.* [h] *Edimbourg.* [i] *le ſieur du Croc.* [k] *Argyle.*

jubet, addito edicto, quo, non propoſuiſſe tantum libellos, ſed legiſſe capitale erat: CIƆIƆLXVII.
quo metu cum ſingulorum ora compreſſa ſibi perſuaderent conſcii, eo magis multitudinem irritaverunt. CAROLUS IX.
Auctum odium facto inter pauca improbo, armis, equis ac ſupellectile regis interfecti inter paternos inimicos et de caede ſuſpectos per contemptum diſtributa; adeo ut ſartor quidam, qui veſtem regiam [a] Bothuelio ad corporis modum adaptabat, auſus ſit dicere, hcic ſe jus et morem receptum libenter agnoſcere, quo ſpolia defuncti carnifici debentur. Secundum haec cum Joanne [b] Areskino Marriae comite, qui [c] Sterlini aeger decumbebat, agit regina, ut [d] Edimburgenſem arcem ſibi traderet: nam non aliter vulgus Edimburgenſe, quod tum forte tumultuabatur, in officio contineri poſſe. Quod ut ab eo facilius impetraret, inſuper ſpem fecerat filii unici ei pignoris loco in cuſtodiam dandi: quod, propter ſubortas ſuſpiciones cum diu exitum non habuiſſet, tandem utrinque peractum eſt. Jamque dies conventuum inſtabat ad Eid. April. indictorum; [cui ut praeverteretur, Bothuelii judicium praecipitatum:] et, cum de more in hujuſmodi cauſis accuſatores citari deberent, uxor, [α] pater, mater, filius, ut vel adeſſent vel procuratores intra legitimum tempus, hoc eſt, XL. dies, mitterent, Matthaeus [e] Levinius regis interfecti parens ſine advocatione amicorum adeſſe jubetur cum familia, quae ob inopiam ad paucos redacta erat. Is vero, ſeu pudore ſive metu territus, abeſſe ſatius duxit. Per procuratorem eum ſe excuſaſſet, tandem metu perduellionis [*] intentato coacti judices pronunciant, ſe non videre, cur Bothuelium condemnent, cautione adhibita, ſi quis jure et ordine poſtea accuſet, ne ſententia haec ei praejudicare poſſit. Ita Bothuelius abſolutus, potius quam infamia liberatus, quo ſuam innocentiam magis approbaret, libellum celeberrimo fori loco proponit; quo ſe ferro decernere paratum profitebatur, ſi quis integra fama et honeſto loco natus ipſum regiae caedis inſimularet. Nec defuit, qui propoſito contrario libello conditionem ſe accipere oſtenderet, modo locus certaminis deſignaretur, in quo citra periculum nomen ſuum edere poſſet. [β] Bothuelius interim reginae nuptias palam ambire coepit; et ab amicis proceribus in eam rem conſenſum extorquet, ipſorum manu ſubſcriptum: idem ab epiſcopis, qui Edimburgi erant, impetrat. [Ob id regina, Sterlinum ad viſendum filium profecta, in itinere ex compacto ad [f] Almonis pontem occurrente Bothuelio quaſi rapta eſt, et [g] Dumbarum ducta. Sed deſtinatis nuptiis ſuberat aliud impedimentum; quod, dum ipſa Dumbari cum raptore eſſet, ante omnia removeri placuit. Siquidem Bothuelius [h] Gordoniam,] alia dimiſſa, quae adhuc vivebat, in matrimonio habebat: quo ſtante, alteram citra adulterii crimen legibus ducere non poterat. Itaque cogitur Bothuelii uxor marito litem apud judices regios et eccleſiaſti-

cos

D. f. o. d. [*quem praevertendum rata regina, Bothuelii judicium praecipitat*:]
D. f. o. d. [*] *a regina*
D. f. [*Cumque regina, Sterlinum ob id profecta, filium ab Areskino recipere fruſtra tentaſſet, ut Bothuelius colore principis in poteſtate habendi ſe quoque una raperet, Areskino non aſſentiente, etſi confuſa, non tamen a conſilio deſtitit: et, cum ſimul decori, quod illo commento ſperabat, et libidini ſatisfacere non poſſet, altero omiſſo, alteri morem gerere ſtatuit. Itaque per Paridem cubicularium Gallum, ſibi fidum et harum rerum conſcium, quid de raptu, de quo jam ante ſimul egerant, fieri velit, monet; jubetque, ut cum armatis ad Almonis pontem in itinere occurrat, et ſe interceptam quaſi per vim ſecum abducat. Ille, qui vel graviſſimo ſuo crimine, cujus tamen poenam non metuebat, reginae libera ſui conſuetudine frui impatienter cupientis infamiam redimere ita ſe poſſe exiſtimaret, juſſa impigre facit; et raptam Dumbarum ſecum ducit. Tam foedis nuptiis ſuberat aliud impedimentum; quod, dum Dumbari regina parum de fama ſolicita cum Bothuelio eſſet, non minore turpitudine remotum eſt. Siquidem Bothuelius Gordoniam,*]

VAR. LECT. [α] uxor, puta, pater *D. f.* [β] Jamque Bothuelius reginae *D. f.*
INTERPR. [a] *le comte de Bothwel.* [b] *Erskine, comte de Marr.* [c] *Sterling.* [d] *Edimbourg.* [e] *le comte de Lenox.* [f] *Almond r.* [g] *Dunbar.* [h] *Jeanne Gordon, fille aînée de George comte de Huntley.*

CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

cos de divortio intendere. Utrobique Bothuelius adulterii accuſatur, quae juſta cauſa divortii erat apud judices regios: additum in foro eccleſiaſtico, Bothuelium cum propinqua uxoris ante matrimonium contractum ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Lis intra decimum diem inſtituta ac diſceptata accepit finem, [a] ſani Andreae archiepiſcopo, qui inter judices aderat, eo libentius ea in re reginae propinquae morem gerente, quod, ea ad exitium ſponte properante, rerum ſummam ad Hamiltonios ſuos proximos regni heredes brevi redituram ſperaret. Hoc diſcuſſo incommodo, duo alia ſupererant; quod, dum regina Dumbari quaſi captiva, nam hoc obtendebatur, cum Bothuelio eſſet, nec legitimae nuptiae coire nec denunciationes tribus Dominicis diebus in templo de futuris nuptiis rite fieri poſſe videbantur. Itaque, ne captiva nuberet, et ceremoniae in eccleſia uſitatae ſervarentur, regina Edimburgum reducitur; ubi ſe in judicum conſeſſu liberam et ſui juris cum affirmaſſet, per eccleſiaſtem, a diaconis et ſenioribus reluctari non auſis impulſum, futurae nuptiae inter Jacobum Heburnum [b] [α] Orcadum ducem paulo ante creatum et Mariam Stuartam pronunciantur; quibus et Orcadum epiſcopus poſtea auctoritatem ſuam interpoſuit, cunctis fere reclamantibus, et legitimas nuptias cum eo, qui duas uxores adhuc vivas haberet, tertiam ipſe nuper inſigni turpitudine proprium faſſus adulterium dimiſiſſet, coire non poſſe vulgo dictitantibus. Celebratis in templo nuptiis, pauci praeter Bothuelii amicos ac propinquos ad coenam invitati adfuerunt: ceteri domum quiſque ſuam non ſine tacita indignatione diſceſſerunt, cum dicerent, reginam aſcito in virum Bothuelio non nubere, ſed caedis regiae, cujus omnium bonorum opinione convictus habeatur ille, conſcientiam fateri. [c] Crocus ipſe regis legatus, quamvis Guiſianis addictus, conſtanter venire recuſavit, e dignitate, qua fungebatur, non eſſe exiſtimans; nec ullis rationibus adduci potuit, ut eas nuptias, quae diris execrationibus vulgo devoverentur, quaſque reginae propinquos inchoatas et jam factas improbare, Guiſianos vero omnium maxime deteſtari, ſciret, praeſentia ſua honeſtaret. Cum itaque nec, cum per urbem cum novo marito obequitatet, ſolitis populi acclamationibus exciperetur, et hinc inde certior allatis nunciis fieret, magna ſe hoc nomine apud exteros principes infamia laborare, demum ſero intellexit, [talia] facilius admitti quam excuſari. Conſultatione igitur inter ſuos habita, quibus modis et potentiam domi eo rerum ſtatu ſtabilire et exiſtimationem foris tueri poſſet, ante omnia in Galliam ad regem, reginam et avunculos mittere ſtatuit, delecto ad id Gulielmo epiſcopo [d] Dumblanenſi; cui et mandata ex ingenio ſuo fabricata dedit; quibus excuſabat, quod prius matrimonii peracti rumor ad eos emanaſſet, quam conſilium ea de re ſuum per ſuos nuncios ipſis aperuiſſet. Iis Bothuelii virtutes ac merita, viva adhuc matre, et poſtquam ſecundo nupſerit, in ſe et in Scoticum, nomen prolixe extollebantur; quibus effectum eſſet, ut ſimul et ſuam obſervantiam erga regiam dignitatem ſummopere omnibus approbaverit, et reipublicae inſerviendo multorum inimicitias, quos nunquam privatim laeſiſſet, in regno rebellionibus obnoxio concitaverit: poſt mariti vero ultimi deceſſum, inſolentiorem redditum, quamvis in eadem ſedulitate perſeveraret, eo arrogantiae veniſſe, ut nullam referendae gratiae facultatem reginae ſupereſſe diceret, niſi ſeipſam ei velut officiorum praemium traderet. Id reginae etſi novum ac moleſtum eſſet, tamen rebus in regno perturbatis diſſimulari commodum viſum: illum vero, cujus animus ſemper ad ſublimiora niteretur, ex familiaritate, quam ſibi continuis officiis contraxerat, occaſione ſumpta a nobilitate, cui, non invita regina, id fieri perſuaſerat, conſenſum chirographis firmatum extorſiſſe; quo accepto, non dubitaſſe vim precibus adſerre; eoque audaciae profectum, ut reginam, dum a filio inviſendo rediret, in itinere rapuerit,

D. f. [*ſcelera*]

VAR. LECT. [α] Orcadum ducem paulo ante creatum *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *St. André.* [b] *Orkney.* [c] *du Croc.* [d] *evêque de Dunblane*

rapuerit, et [a] Dumbarum ſecum adduxerit. At reginam, praeter ſpem viſis procerum chirographis et hominis meritis penſitatis, eum provideret non diu Scotos paſſuros, ut ipſa ſine viro eſſet, nec eos in exterum regem facile conſenſuros, his rationibus labefactata conſtantia, neceſſitati ceſſiſſe, et ſe ei nupturam promiſiſſe: Bothuelium igitur ab audaci facinore exorſum, ubi ad primum cupidinis ſuae gradum pervenit, non ceſſaſſe, donec ad argumenta importunas preces adjungendo hoc etiam non ſine vi extorſit, ut nulla mora interpoſita nuptiae fierent: qua in re diſſimulare non poſſe reginam, ſe ab eo aliter tractatam, quam aut voluerit aut promerita fuerit: magis enim ſolicitum fuiſſe eum, ut deſiderio ſuo ſatisfaceret, quam ut ei gratificaretur, aut expenderet quid ei decorum eſſet, in priſcae religionis ritibus et inſtitutis educatae, a qua nec illum aut alium quenquam virum ſe vivam abducturum obiter profitetur: in quo, etſi errorem ſuum libenter agnoſcat, petere, ne rex, regina aut avunculi ipſius aliique amici ea de re expoſtulent, aut Bothuelio eam vitio vertant: nam, rebus ita tranſactis, ut infectae fieri nequeant, in meliorem partem ea omnia accipere, et, ut eſt re vera, ita eum maritum ſuum exiſtimare, eumque porro amare ac colere decreviſſe: proinde, qui ſe amicos ipſius profitentur, erga illum, qui inſolubili nodo ſecum conjunctus ſit, ſimileis ſe profiteri neceſſe eſſe: cupere igitur, ut rex reginaque, avunculi et amici eum, quamvis negligentius ac paene temerarie ſe geſſerit, quod tamen immoderatae affectioni erga ſe imputet, non minore propterea benevolentia proſequantur, quam ſi omnia ad hunc uſque diem ex ipſorum voluntate ac praeſcripto tranſacta eſſent. Et haec quidem contra adverſam famam quaeſita remedia. Domi autem regina, cum donis in praeſentia aut promiſſis in poſterum eos confirmaſſet, qui vel auctores vel caedis regiae conſcii erant, [eo] ſecurius agebat, ceteros fere contemnens: quos, ſi pertinaces eſſent, nullo negotio tolli poſſe exiſtimabat.

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

XX. Postea intellexit, quoſdam ex iis foedus iniiſſe, hoc colore quaeſito, ut pueri regii incolumitatem tuerentur, quem reginam in vitrici poteſtatem tradere velle aiebant: addebantque, a Bothuelio certiſſimum infanti exitium impendere; quem et illum primo quoque tempore de medio ſublaturum appareat, ne vel paternae caedis ultor ſuperſit, aut ſit, qui liberos ſuos in regni hereditate adeunda praecedat. Principes autem foederatorum erant [b] Gileſpicus Cambellus Argatheliae, Jacobus [c] Duglaſſius Mortonii, Joannes [d] Areskinus Marriae, Jo. [e] Stuartus Atholiae, Alexander [f] Cunigamus Glencarniae, comites; Patricius item [g] Lindeſius et Robertus Bodius proximi ordinis. Sed mox ab iis Argathelius poenitentia ductus et Bodius in partes adverſas traducti ſunt. Huic foederi contrarium regina inire tentavit, ſumma imprudentia; dum legitimam potentiam non virtute ſed factione firmari credit; nec contra reputat, auctoritatem, ut bonis artibus comparatur, ita malis amitti; majeſtatemque virtute deſtitutam levi momento evaneſcere. Capita foederis erant, in quod conſcii et major pars nobilitatis jurare adacti ſunt; ut reginam et Bothuelium reginae maritum eorumque acta omnia tuerentur. Ipſi ſe viciſſim foederatorum ſaluti ac commodis, quod poſſunt, favituros ac conſulturos pollicentur. Arceſſitur Moravius, ut cum aliis ſubſcribat: verum nec precibus nec metu intentato aſſentiri voluit; cum diceret, ſe nec juſte nec honeſte cum regina, cui in omnibus obtemperare teneatur, foedus poſſe facere; cum Bothuelio ſe reginae juſſu conciliatum; quae tum promiſerit, exacte ſervaturum; nec cum eo aliove quoquam foedus ac conjurationem facere ſe aequum aut e re publica exiſtimare. Bothuelium etiam ultro citroque

D. ſ. [*majorem partem ad ſe allexerat; eoque*]

INTERPR. [a] *Dunbar.* [b] *Archibald Campbel, comte d'Argyle.* [c] *Douglaſs, comte de Morton.* [d] *Erskine, comte de Marr.* [e] *Stuart, comte d'Athol.* [f] *Cuningham, comte de Glencairn.* [g] *le lord Lindſay, & Robert lord Boyd.*

CIϽIϽLXVII. Carolus IX.

citroque conſertis ſermonibus rixae occaſionem quaerentem cum modeſte reſpondendo cluſiſſet, ac minime a propoſito diſcederet, ne conſtantiam ejus plerique in exemplum traherent, verita regina, cum eum in [a] Moraviam ſecedere nollet, facile petenti liberam legationem aſſenſit, ut in Galliam et inde in Germaniam, aut quo vellet, ſe conferret. Interea foederati, favorem vulgi ſuos motus ſecuturum rati, ad II CIϽ cogunt, tam occulte, ut cum iis Alexander [b] Humius [c] Bortuicum arcem, in qua regina cum Bothuelio erat, antequam quidquam uterque ſenſerit, obſideret. Sed, cum foederatorum pars ad condictum tempus non adveniſſet, cunctante Atholio, qui eos [d] Sterlini detinuit, nec ipſe tantam multitudinem haberet, ut omnes aditus clauderet, Bothuelius et cum eo regina veſte virili ſumpta evaſere, ac recta [e] Dumbarum contendere. Occaſione rei gerendae e manibus erepta, foederati, ne nihil egiſſe viderentur, ad Edimburgum capiendum proficiſcuntur. Arcem tenebat Jacobus [f] Balfurius a Bothuelio impoſitus, arcanorum ipſius atque adeo caedis regiae, uti vulgo credebatur, conſcius; qui, ſive quod promiſſa non repraeſentarentur, ſive quod arcem ei adimere tentaſſet Bothuelius, alienata ob id voluntate, ſpem fecerat foederatis tradendae arcis. Eo conſilio ad urbem venere illi; in qua fani [g] Andreae archiepiſcopus, Georgius [h] Gordonius Huntilaeus et Joannes [i] [α] Leſlius Roſſenſis epiſcopus erant, qui reginae partes tuebantur: qui ubi viderunt ſocios ab oppidanis admiſſos, cum in forum provolantes fruſtra ſe multitudini duces obtuliſſent, retro ad arcem confugerunt; intra quam a Balfurio accepti, paulo poſt per poſticum incolumes emittuntur: is ſiquidem, nondum re cum alteris tranſacta, nolebat ſibi apud alteros veniae locum praecidere. Ita Edimburgo potiti foederati, et quaſi obſeſſis intra Dumbarum regina ac Bothuelio, cum voti compotes ſe exiſtimarent, res praeter omnium opinionem ſubito mutavere, ſtatim accurrentibus ad reginae auxilium, non ſolum qui crimini innexi erant, ſed etiam innumeris aliis, quos fortunae regiae afflictae miſericordia attraxerat. Foederati contra in ſummis anguſtiis verſabantur, raris ad eos confluentibus, ac vulgi ardore reſtincto, et apparatu bellico ad oppugnationes deficiente. Dum anxii conſultant, regina, pejore conſilio an ſpe vaniore impulſa incertum, [k] Letham proficiſci ſtatuit, ut ex propinquo fortunam tentaret, ad ſuum adventum rata majorem concurſum futurum, ſimul ſe audaciam ſuis, hoſtibus terrorem allaturam. Quam confidentiam alebant qui circa eam erant, omnia ejus virtuti prona eſſe adulatorie affirmantes. Atqui, ſi triduum tantum in arce Dumbari ſe continuiſſet, procul dubio foederati omni bellico apparatu deſtituti, libertate fruſtra tentata, domos quiſque ſuas repetere coacti fuiſſent. Igitur, regina cum primis caſtris [l] Setonium veniſſet, ſparſis per propinquos pagos copiis, nuncius trepidus ad foederatos venit; qui intempeſta nocte ſtatim ſe Edimburgo in campos ejiciunt, et acie inſtructa [m] Muſelburgum petunt, ut tranſmiſſo [n] Eſca flumine, antequam pons et vada occuparentur, tranſitum reginae, quae ad [o] Praeſtonium haeſerat, impedirent. Jamque utriuſque acies in mutuum conſpectum venerat, clivo medio, quem regina inſederat: qui cum ita arduus eſſet, ut non ſine pernicie ad eum perveniri poſſet, foederati paulum ad dextram deflectunt, ſimul ut ſolem haberent a tergo, ſimul ut molliore jugo aſcenderent, et locis minus iniquis manus conſererent. Regina id aliter interpretata, et hoſteis fugam meditanteis [p] Dalkethum Mortonii comitis oppidum petere rata, negligentius interim agebat: mox, ubi foederatos loco aequo occupato aciem contra inſtruere vidit, miſſo [q] Croco et praeteritorum oblivione ac venia promiſſa, eos ad deponenda arma hortatur. Croco per interpretem a Mortonio, qui primam aciem cum Alexandro Humio ducebat, nomine ſociorum reſponſum eſt;

non

VAR. LECT. [α] Lelius *D. o.* Leſlaeus *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Murray.* [b] *le lord Hume.* [c] *Borthwick.* [d] *Sterling.* [e] *Dunbar.* [f] *Balfour.* [g] *St. André.* [h] *Gordon, comte de Huntley.* [i] *Leſly, evêque de Roſs* [k] *Leith.* [l] *Seaton.* [m] *Muſſelburgh.* [n] *Esk.* [o] *Preſton.* [p] *Dalkeith.* [q] *du Croc.*

non ſe adverſus reginam ſed regis interfectorem arma induiſſe; quem ſi regina ad ſupplicium traderet aut a ſe ſegregaret, tum intellecturam, nihil ſibi ſociiſque fore optatius, quam ut in officio erga ipſam perſtarent: aliter concordiae rationem nullam iniri poſſe. Cum nihil per Crocum obtineri potuiſſet, regina interim ſe caſtris continebat. Ibi [a] Bothuelius cum equo inſigni vectus extra vallum proceſſiſſet, per fecialem poſtulans, ecquis eſſet, qui cum eo ſingulari certamine decernere vellet, [b] Jacobus Moravius primum, is, qui ante ſe per libellum, ſed ſuppreſſo nomine, obtulerat, dein Gulielmus [c] Tillibarniae comarcha Jacobi frater natu maximus conditionem acceperunt. Verum, Bothuelio homines nec opibus nec dignitate ſecum comparandos cauſante, Patricius [d] Lindeſius primi ordinis ſe obtulit. Rurſus altercantibus illis de dignatione perſonarum, regina certamen auctoritate ſua diremit, Bothuelio depugnare vetito. In caſtris reginae diverſa rerum facies erat. Nam amici et propinqui quamptimum confligere cupiebant: contra plebs, cujus major numerus erat, a pugna abhorrebat; cum dicerent, multo aequius videri, ut Bothuelius ſuis armis cauſam ſuam tueretur, quam ut tot homines nobileis, in primis autem reginam ipſam, in ultimum diſcrimen demitterent: ad haec, Hamiltonios, qui cum ↄↄ equitibus adventare dicantur, in propinquo eſſe; quibus adjunctis, ſi certandum ſit, rutius de ſumma rerum decerni poſſe. Contra regina pugnae impatiens, lachrimis in ira effuſis, in primores excandeſcit; et, cum aliud non poſſet, per fecialem ab acie adverſa petit, ut Gulielmum [e] Kirkadium Grangianum ad ſe mittat, quicum de conditionibus pacis colloqui poſſet; interea acies utrinque ſubſiſterent. Dum colloquium inſtituitur, quaſi illius ſimulatione id ſolum ageretur, Bothuelius de ſumma deſperans, ut abſentia ſua foederatos placaret, caſtris auſugit [f] Dumbarum verſus cum duobus comitibus, quos ſtatim redire juſſit. Ipſa cum Kirkadio pacta, ut reliquus exercitus ſine noxa abiret, ad proceres cum eo venit, tunicula eaque vili ac detrita ac paulum infra genua demiſſa quaſi paludamento amicta. Ibi primum non ſine priſtinae reverentiae indiciis accepta, cum, ut dimitteretur, peteret, donec cum Hamiltoniis egiſſet, ſeque reverſuram promitteret, nihil impetrare potuit: ſed orationis vi in acerbitatem verſa, cum iis beneficia in os ſua exprobraret, tamen cum ſilentio audita eſt. Sed cum inde ad ſecundam aciem, quam [g] Glencarnius, Marrius et Atholius ducebant, [α] veniſſet, conviciis ſtatim et pudendis probris undique excepta eſt. Auxit indignitatem, quod vexillum inter duas haſtas diſtentum, quoquo ſe verteret, ei ob oculos objectabatur, in quo depictus erat Henricus rex mortuus et juxta filius infans vindictam paricidii paſſis manibus a Deo implorans. Ad quem conſpectum illa, animo linquente, aegre, ne ex equo caderet, ſuſtentata fuit; ac tandem ſub noctem, populo univerſo ad ſpectaculum effuſo, Edimburgum intrat, facie ita lachrimis et pulvere oppleta, ut luto conſperſa videretur, praelato ſemper illo vexillo. Qua re ingentis animi foemina, ut par erat, irritata, et nihil ob mutarionem fortunae temporum neceſſitati concedens, ubi in diverſorium deſtinatum venit, ad populum per feneſtram converſa, poſt alias minas poſtremo ſubjecit, ſe urbem incenſuram, et ſanguine perfidorum civium incendium reſtincturam. Verum mox ex procerum decreto in arcem, quae eſt in [h] lacu Levino, ſub cuſtodia [β] mittitur. [γ] Addita captivae Mariae quaſi honoraria comes mater Moravii, quae, Jacobi v olim pellex, impotentia muliebri reginae inſultaſſe dicitur, gloriando, ſe legitimam regis uxorem, ac proinde Moravium filium legitimum eſſe; idque in invidiam Moravii

tunc

VAR. LECT. [α] veniſſet, longe aliter quam a priore accepta eſt, concordi ſtatim ab omnibus clamore ſublato, ut meretricem, ut paricidam cremarent. Auxit indignitatem *MS. Samm.*

[β] mittitur. Nam Balfurius, qui in occulto foederatis favebat, adhuc arcem Edimburgenſem tenebat *D.* f. o. d.

[γ] *Hinc uſque ad* Et haec quidem acciderunt, *ſex circiter lineae, deſunt* *D.* f. o d.

INTERPR. [a] *le comte de Bothwel.* [b] *Jacques Murray.* [c] *le ſieur de Tillibardin.* [d] *le lord Lindſay.* [e] *Kirkaldy, ſieur de Grange.* [f] *Dunbar.* [g] *les comtes de Glencarn, Marr, & Athol.* [h] *Loch-Leven.*

CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

tunc evulgatum, qui quantum corpore tantum animo a paricidii et motuum, qui ex eo et Bothuelii nuptiis ſecuti ſunt, cogitatione nihilominus abſuiſſe creditus eſt. Et haec quidem acciderunt paulo antequam epiſcopus [a] Dumblanenſis in aulam ad regem veniſſet: ubi vero venit, jam a [b] Croco et Niniaoo [c] Cocburno, qui praefectus equitum aliquot annos apud nos meruerat, allatae fuerant literae, rerum nuper in Scotia geſtarum expoſitionem continentes: quarum ignarus epiſcopus, cum intromiſſus ad regem longam et accuratam orationem exorſus eſſet, quae praecipue Bothuelii virtutes immodicis laudibus ſupra veri fidem extollebat, regina interfatur; et literas e Scotia allatas profert, quibus oratoris vanitas ab omnibus irriſa eſt. Bothuelius interim, jam de ſuga certus, fidum in arcem Edimburgenſem mittit, qui arculam argenteam literis undique inſcriptam, quae indicabat, eam aliquando Franciſci fuiſſe, ad ſe deſerrent. Io ea erant literae [α] omnes poſtea editae, in quibus et caedes regis et cetera, quae conſecuta ſunt, dilucide continebantur: ac paene in ſingulis ſcriptum erat, ut lectae ſtatim cremarentur. [*] Hanc arculam [d] Balfurius, [δ] qui Edimburgenſem arcem adhuc tenebat, et in occulto ſoederatis ſavebat, monitis prius [ε] iis, Bothuelii miniſtro ſerendam dedit, quae deprehenſa totius rei [ſuſpicionibus antea jactatae plenam fidem apud ſoederatos ſeciſſe viſa eſt.] Ipſe, rebus ubique male cedentibus, ac ſpe reciperandi regni omni amiſſa, [e] Orcadas et inde ad Hethlandicas inſulas profugit; ubi omnium rerum inopia circumventus piraticam facere coepit: nec proinde regina, orantibus pleriſque, ut cauſam ſuam a Bothuelio ſepararet, aſſentiri voluit; ſed malis praeſeotibus [irritata] potius quam victa reſpondit, ſe libentius cum illo in extremis ſortunae adverſantis anguſtiis, quam ſine eo in regiis deliciis, vitam acturam.

XXI. JAM lenita temporis ſpatio invidia pleriſque in miſericordiam verterat, contra quam foederati ſibi perſuaſerant; qui, praevalente eorum, qui in caedem conſenſerant aut ſoederi reginae poſtea ſubſeripſerant, factione, dubii quid agerent, cum fruſtra eos monuiſſent, ut in commune conſulerent, reginam rebus ſuis in praeſentia deſperantem eo adigunt, ut regnum ejeraret, et, vel infirmae valetudinis excuſatione vel alio quovis colore, curam et filii et rerum adminiſtrandarum cui vellet ex proceribus demandaret. Igitur illa tandem, quanquam gravate [ϛ] et proteſtatione prius ex [f] Throcmortoni conſilio interpoſita, nominat Jacobum Moraviae comitem nothum fratrem, ſi quidem is domum reverſus oous oon recuſaret, Jacobum Hamiltonium [g] Caſtri Eraldi ducem, Matthaeum [h] Stuartum Leviniae, [i] Gileſpicum Cambellum Argatheliae, Joannem Stuartum [k] Atholiae, Jacobum [l] Duglaſſium Mortonii, Alexandrum [m] Cunigamum Glencaroiae, Joannem [n] Areskinum Marriae, comites; miſſis inſuper procuratoribus, qui curarent, ut [o] Sterlini aut alibi, ſi commodius videretur, puer in ſella regia collocatus regnum iniret. Haec ad VIII Kal. Sextil. acta.

XXII. MOXQUE

D. f. [*] *Verum Bothuelius inconſtantiam* [β] *muliebrem, cujus exempla intra paucos annos complura viderat, veritus eas conſervarat: ut, ſiquid* [γ] *diſſidii incidiſſet, illo teſtimonio uteretur, nec ſe caedis regiae auctorem, ſed adminiſtrum et comitem fuiſſe oſtenderet.*

D. f. o. d. [*etſi ſuſpicionibus magis jactatae, ſed nondum ſatis detectae, plenam fidem fecit; univerſumque crimen paene oculis ſubjecit.*]

D. f. o. d. [*efferata*]

VAR. LECT. [α] omnes ipſius reginae manu ſcriptae, quae poſtea *MS. Samm.*
[β] reginae, cujus *MS Samm.*
[γ] diſſidii cum ipſa incidiſſet, *MS. Samm.*
[δ] qui Edimburgenſem arcem adhuc tenebat et in occulto foederatis favebat *deſunt D. f.*
[ε] foederatis *D. f. o. d.*
[ϛ] et proteſtatione prius ex Throcmortoni conſilio interpoſita *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *l'evêque de Dunblain.* [b] *du Croc.* [c] *Cockburn.* [d] *Balfour.* [e] *iſles d'Orkney & de Schetland.* [f] *Throckmorton.* [g] *Chaſtelleraut.* [h] *Stuart, comte de Lenox.* [i] *Archibald Campbel, comte d'Argyle.* [k] *Athol.* [l] *Douglaſs, comte de Morton.* [m] *Cuningham, comte de Glencairn.* [n] *Erskine, comte de Marr.* [o] *Sterling.*

XXII. Moxque in Scotiam, [α] hoc eſt, vigeſimo ab inauguratione die, [a] Moravius, ab amicis de re omni certior factus, e Gallia rediit: qui a foederatis ſummo cum gaudio receptus eſt, cunctis vehementer inſtantibus, ut, rege ſororis filio adhuc infante, regni gubernacula capeſſeret; quippe cum unum eſſe, qui vel [β] ob multis in periculis virtutem cognitam vel gratiam plerisque meritis collectam, regina etiam poſcente, ſummum honorem minima cum invidia gerere poſſet. Ille paucos dies ad deliberandum petiit: quo tempore, datis ad adverſae partis proceres literis, et praecipue ad [b] Argathelium, cui multum deferebat, tandem, cum nec ab iis colloquium nec a ſuis diuturniorem comitiorum moram hoc rerum ſtatu impetrare poſſet, ſumma omnium, qui aderant, conſenſione prorex eligitur. [γ] Ad reginam tertio poſt adventum die cum nonnullis admiſſus, cum, ut adminiſtrationem regni ac filii curam ſuſciperet, exiſtimationique ac vitae ſuae conſuleret, a ſorore ſupplice rogaretur; pro tanto honore tam benefice delato minus ſe gratum praebere, neque tam ſolari captivam quam calamitati ejus quaſi inſultare, pleriſque viſus eſt, cum auſtero vir ingenio ei ad agendam poenitentiam et implorandam Dei miſericordiam quaſi in extremis agenti auctor et hortator eſſet. Cum illa contra de anteactae vitae peccatis ſibi dolere teſtaretur, aliaque ingenue agnoſceret, alia extenuaret, aut ex fragilitate humana excuſaret, plura prorſus denegaret, Moravius, quod gratiae peteretur, id ab Ordinibus efflagitandum reſpondit; ceterum, ſi vitae ac decori conſultum vellet, haec ipſi in primis cavenda, ne regni ac regis quietem interturbaret, e carcere ſe ſubducendo, aut rege Galliae ſive regina Angliae ad externo vel interno bello infeſtandam Scotiam ſolicitatis; ab omni cum [c] Bothuelio conſortio in poſterum abſtineret, neque contra ejus inimicos ultionem pararet. Tum tabulis obſignatis fidem obligat, nihil facturum ſe, quod ad regem ejuſve matrimonium aut reginae libertatem ſpectet, ſine foederatorum aſſenſu: et [d] Throcmortonum inſuper per [e] Lidingtonum monet, ne amplius pro regina interpellet; ſe quippe ceteroſque omnia potius perpeti paratos, quam ut regina priſtinae libertati reſtituta Bothuelium paricidam penes ſe retineat, et filium regem in pericula, patriam in turbas conjiciat, ac foederatos proſcribat: et, quanquam a Gallorum partibus maxime alienus eſſet, ab iis terrorem injicit, qui nunquam Scotos pro antiquo foedere deſtituturi eſſent. Cum ſub id, poſt [f] Villaregium, Philibertus [g] Voierus Lignerolius a rege veniſſet, ut reginam captivam inviſeret, illi denegatus, ut aliis, ad eam aditus: moxque apprehenſi Joannes [h] Hepburnus, [i] Paris Gallus, [k] Dagliſhus aliique e famulitio Bothuelii, regis paricidio interſuiſſe convicti; qui in ſupplicio faſſi ſunt, ſe de Bothuelio hero ſuo intellexiſſe [l] Moravium et Mortonium caedis regiae auctores fuiſſe; reginam a facti conſcientia exemerunt: quod ut ex ore Bothuelii acceptum minorem fidem pro tempore meruit. Ita aliquot poſt annis Mortonius, cum de eo ſupplicium ſumeretur, partim rei fidem aſtruxit, partim detraxit; ſicuti loco ſuo pluribus oſtendetur. Cum nihil hinc inde a prorege ac foederatis impetraretur, [m] Paſquierius nobilis Allobrox, Guiſianorum rogatu a rege ad Eliſabetham miſſus, cum ea enixe egit, ut communibus armis ſororem captivam libertati ac regno reſtituat. Verum Angli, qui licet in communi cauſa res a nobis ſeparatas habere mallent, apertam vim deprecati, aſſenſerunt, ut omni in Anglia et Gallia commercio Scotis interdiceretur, donec regina liberaretur; ſic enim citra armorum neceſſitatem fore, ut plebs cum foederatis hactenus conjuncta ab iis disjungeretur, et ex ea occaſione proceres, qui reginae favebant, antea impares viribus, contra adverſam partem praepollerent. Interea IIII Kal. Sextil. poſt concionem

CIƆIƆLXVII.
Carolus IX.

VAR. LECT. [α] hoc eſt, vigeſimo ab inauguratione die *deſunt D. f. o. d.* [β] ob propinquitatem vel ob *MS. Samm.* [γ] *Quae ſequuntur, 37 circiter lineae, uſque ad* Interea IV Kal. *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le comte de Murray.* [b] *le comte d'Argyle.* [c] *le comte de Bothwel.* [d] *Throckmorton.* [e] *Maitland, ſieur de Lidington.* [f] *Nicolas de Neufville, ſieur de Villeroy.* [g] *de Voyer, ſieur de Ligneroles.* [h] *Hepburn.* [i] *Paris, François de nation.* [k] *Dagliſh.* [l] *les comtes de Murray & de Morton.* [m] *le ſieur de Paſquiers, Dauphinois.*

CIƆIƆLXVII. cionem a Joanne [a] Knoxio habitam, regnum iniit Jacobus VI; pro quo in leges jurarunt
CAROLUS IX. Jacobus Duglaſſius et Alexander [b] Humius, eam doctrinam ac religionis ritus, qui tum publice docebantur, ſervaturum et contrarios oppugnaturum polliciti: quo cognito, adverſae factionis proceres, qui Hamiltonii erant, eo magis fremere; paucos nec eos potentiſſimos, ſine ſuo, quod nunquam expectaſſent, aſſenſu, ad ſe rerum omnium arbitrium revocare.

XXIII. SED [c] Moravius, poſtquam [d] Argathelio et aliis ejuſdem factionis, qui cum ipſo ad eum Edimburgum venerant, ſatisfecit, etiam obtinuit, ut ad publicum Ordinum conventum omnes adeſſent. Is habitus VIII Kal. Sept. maxima frequentia: eoque ante omnia proregis auctoritas confirmata eſt. De regina ſententiis [variatum fuit. [e] Lindeſius, et pauci alii regii nominis reverentia, priſtinae dignitati reſtituendam cenſebant; conditione adjecta, ut in paricidas legibus ageretur, et, religione ante omnia conſtituta, regis pueri ſaluti proſpiceretur, et ipſa a Bothuelio divortio ſeparata. [f] Atholius et qui cum eo erant, in Galliam aut Angliam perpetuo exilio relegandam exiſtimabant; modo rex Galliae et Eliſabetha idonee caverent, nihil eam in regno contra filium molituram. Alii, ut in jure ſiſteretur, et paricidii rea peracta perpetuo carceri manciparetur: alii denique, ut tanquam ex literis convicta regno vitaque ſpoliaretur. Contra [g] Throcmortonus Eliſabethae paria veritae nomine diſputabat; et ex ſacrarum ſcripturarum auctoritate ſacroſanctam principum majeſtatem nullius praeterquam coeleſtis judicis imperio ſubjici, pro nullius tribunali in terris poſſe ſiſti, oſtendebat; nullam eſſe magiſtratus in Scotia poteſtatem, quae non aut ab auctoritate reginae pendeat, aut ab ipſa ſit delegata. Rurſus ex alia parte peculiare jus regni apud Scotos opponebatur, quod legitimam ac liberam potentiam ſupra leges ſe efferentem ferre non poſſet. Tandem vicit media ſententia,] quae in cuſtodia habendam decrevit. Ita rebus utcunque compoſitis, a vi et armis in ſpeciem quies erat: ſed pax infida, et animis adhuc tumeſcentibus non occulta indignatio, aliquid inopinati parturire videbatur. Tum legati noſtri et Anglorum auditi: ſed neutris permiſſum, ut reginam cuſtodiae publicae commiſſam adirent. [h][a] Croco et Nic. Neovillo Villaregio a rege ad primam tumultuantis Scotiae famam extra ordinem miſſis, ut ad Mariam introducerentur, inſtantibus, cum id negatum eſſet, Nic. Throcmortono nomine Eliſabethae idem petenti praefracte a Lindeſio reſponſum eſt, quod Gallo negatum erat, non poſſe ipſi concedi, ſubmonito interim legato, ut munificentiorem erga ipſi addictos Eliſabetha ſe in poſterum praeberet; nam id, cum Scoti ob caedem Rizii proſcripti nuper in ſinum ejus quaſi confugiſſent, parca admodum manu feciſſe: alioqui fore dicit, ut Scoti ex deſperatione, deſertis Anglis, ad Gallorum partes, quo jam inclinant, ſe procul dubio applicent.

XXIV. MISSA interim claſſis propter inopiam publicam privatis [i] Mortonii ſumptibus inſtructa, duce [k] Kirkadio, quae Bothuelium apud [l] Orcadas et ulteriores inſulas piraticam facientem comprehenderet. Is vero tanta diligentia uſus eſt, ut ſecurum Bothuelium paene oppreſſerit. Pars ſociorum capta: ipſe per averſam inſulae partem, qua majores naves ſequi non poterant, inter brevia et vadoſa cum paucis evaſit; atque inde [m] Cimbricam Cherſoneſum tempeſtate delatus eſt: ubi, cum non ſatis expediret, aut unde veniret, aut quam regionem peteret, in cuſtodiam primo, deinde a mercatoribus agnitus in arctiſſima vincula [n] Dracholmii truſus eſt; in quibus

D. f. o. d. [*variatum fuit; cum alii de ipſa tanquam paricidii ex literis convicta poenas ſumendas eſſe cenſerent, alii regii nominis reverentia aſſenſum ſuſtinerent:* ceteris omiſſis uſque ad *tandem vicit media ſententia*]

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de regis legatis et Throckmortono uſque ad* Miſſa interim claſſis *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Knox* [b] *le lord Hume.* [c] *le comte de Murray* [d] *le comte d'Argyle.* [e] *le lord Lindſay.* [f] *le comte d'Athol* [g] *Throckmorton.* [h] *du Croc, & de Neufville ſieur de Villeroy* [i] *le comte de Morton.* [k] *Kirkaldy de Grange.* [l] *Orkney.* [m] *Dannemarck.* [n] *Dracholm.*

quibus cum accuſatus eſſet ab amicis cujuſdam nobilis virginis Norvegicae, quam ante CIↃIↃLXVII.
plures annos pacto matrimonio violatam alia ſuperinducta deſeruerat, poſt decenni- CAROLUS IX.
um, accedente ad ſordeis aliaſque miſerias amentia, dignum flagitioſa vita exitum habuit.

XXV. Hoc anno rebellio in [a] Hibernia finem accepit, ſecundum ultimam [b] Tiroeni comitis longe maxima. Ejus initia paulo altius repeti pretium viſum eſt, quod et illi, quae aliquot annis poſt ſecuta eſt, cauſam praebuiſſe credatur. Circa annum Chriſti CIↃ CCCCLII bello inter [c] Lancaſtrenſeis et Eboraeenſeis in Anglia ardente, Richardus Eboraci dux, cujus majores de [d] Mortuo-mari et de Burgo cognominati, hereditario jure [e] Ultoniam, quae ſeptentrionalior Hiberniae pars eſt, comitatus titulo tenuerant, praeſidia Anglorum ex ea ad partes ſuas firmandas evocaverat. Inde occaſione capta, familiae O-neal, quae ab antiquis Ultoniae regibus genus repetit, proceres, provinciam pro derelicta uſurparunt. Ex ea natus [f] Conus Bacco O-neal prae ceteris potentia ac opibus pollens in Angliam venit anno CIↃ IↃ XLIV, potiente rerum Henrico VIII, cum jam Ordines Hiberniae ipſum et ſucceſſores, qui antea tantum inſulae deſpotae appellabantur, Hiberniae reges declaraſſent; ab eoque Tiroeni comes creatus eſt, dignitate non ſolum in Conum, ſed etiam in Matthaeum grandiorem natu filium, qui tunc [g] [α] Dungannonus baro dicebatur, et Matthaei heredes maſculos legitime procreatos collata. Tulit id indigniſſime Joannes alter Coni filius, quem Hiberni vulgo [h] Shanum vocant; ſpurium fratrem Matthaeum vulgo dictitans, atque adeo fabri ferrarii ex oppido [i] Dundalkia, cujus uxor Cono parenti in deliciis fuiſſet, filium: incenſiſque contra eum ceteris familiae O-neal proceribus, poſtremo ipſum nefando ſcelere inter venandum inſidioſe interfecit, patre adhuc ſuperſtite, cui et inſidias poſtea ſtruxit. Ille, ſeu parricidium veritus ſive moerore ex caede Matthaei contracto, paulo poſt obiit. Ex Matthaeo prognatus eſt Hugo, qui poſtea tantas turbas in Hibernia excitavit: quo tunc ob infirmam aetatem deſpecto, Joannes, ut ſibi videbatur, fratre ſublato et patre defuncto, votorum compos, totam paternam hereditatem crevit et publice O-neal ſe profeſſus Ultoniam totam occupavit, proceres et plebem partim minis partim blanditiis in fidem adegit; Scotos ex [k] Hebridibus inſulis, qui praedabundi hanc regionem ingreſſi fuerant, multoties profligavit; ac poſtremo ab Anglorum regina defecit. Eo tempore proregis titulo Hiberniam adminiſtrabat Henricus [l] Sidneius; qui, hominis vecordiam veritus, cum eo jure agere inſtituit, rogitans quid cauſae eſſet, cur Hugonem avita ſucceſſione excluderet. Cui Joannes, Hugonis patrem vel fabri vel Coni adulterinum filium fuiſſe, reſpondet; ſe legitimo matrimonio natum: nec Conum patrem potuiſſe heredem ſibi inducere, niſi ex procerum et plebis Ultoniae conſenſu: proinde per codicillos Henrici VIII magno Angliae ſigillo firmatos Conum fruſtra Matthaeum inſtituiſſe; neque Matthaeum duodecim virorum jurejurando heredem patris comprobatum: et, ut Matthaeus fuerit legitimus, lege tamen Hibernica, Taniſtriam vulgo vocant, virum matura aetate et ſanguine proximiorem puero nondum XI annos nato, et cujus pater ante avum deceſſerit, praeferri debuiſſe: denique ſe unanimi provincialium conſenſu O-neal, hoc eſt, Ultoniae regulum ſalutatum cum omnimoda juriſdictione; nec opus eſſe reginae confirmatione. Id cum ſe ad reginam relaturum Sidneius dixiſſet, hortatus interim, ut in officio perſtaret, ille initio promiſit; ſed ſtatim barbara levitate fidem datam feſellit, ſeque pro Ultoniae rege geſſit, cohorte IↃ CC ſatellitum ad corporis ſtipatum aſſumpta. Tum provinciae delectus habet: compertoque ſe CIↃ equites, IIII CIↃ pedites poſſe ſcribere, fiducia plenus, cuncta

VAR. LECT. [α] Dungnanonus *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Irlande.* [b] *Tir-Oen.* [c] *les maiſons de Lancaſtre & d'York.* [d] *de Mortimer & de Burgh.* [e] *Ulſter.* [f] *Con O-neal, ſurnommé Bacco.* [g] *de Dungannon.* [h] *Shan.* [i] *Dundalk.* [k] *les iſles occidentales.* [l] *Sidney.*

CIƆIƆLXVII. CAROLUS IX.

cuncta circum rapinis ac praedis abactis vaſtat; pacis nuncios ad ſe miſſos ludificat; [a]Dundalkiam, quae Anglorum praeſidio renebatur, temerario auſu obſidet, ab eaque cum damno repulſus abſcedit. Ad hunc reprimendum prorex exercitum cogit; et ſolerti conſilio Edvardum [b]Randolphum tribunum, cum IƆ CC veteranis navigio impoſitum, in ulteriorem [c]Ultoniam a tergo mittit; qui caſtris [d]Dirriae juxta [e]Foilae lacum poſitis Shanum in praedas effuſum mature avertit, et obviam cum ſuis progreſſum conſerto proelio in fugam conjicit, quamplurimis ex ejus exercitu caeſis, ac paucis Anglis deſideratis. Sed victoriam caſus tribuni funeſtam fecit, qui fortiter in primis ordinibus dimicans occubuit. Ei a prorege ſuffectus Edvardus a [f]Laudi ſano; qui non minori virtute rebelleis totum triennium exercuit, quam diu praeſidium illis locis ſtetit: ſed, eo forte incendio cum omni annona et apparatu bellico conſumpto, tribunus peditem in navigiola, quae penes ſe reliqua habebat, confeſtim imponit, et cum equitatu per medios hoſteis iter quatuor dierum emenſus, praeter omnium opinionem incolumis ad proregem pervenit. His ſucceſſibus infracta Shani protervia, cum multos ſuperbi illius dominatus et belli incommodorum jam taederet, prorex, ſuſcepta in Ultoniam expeditione, pleroſque provincialeis in fidem accepit. Extremus hic illi dementiae conatus fuit, caſtris ad Dundalkiam iterum poſitis: a qua obſidione cum ingenti clade accepta diſcedere coactus fuiſſet, poſtremo a ſuis deſtitutus animum deſpondit, et capiſtro ad collum alligato ad proregis genua ſuppliciter advolvere ſe impetum cepit: a quo conſilio, ut probroſo, ab amicis revocatus, haud ſalutarius iiſdem monitoribus ſumpſit, ope praedonum Hebridianorum, qui in proximo [g]Claneboium inſederant, implorata; quorum ſi ſuſpectam fidem non habebat, ſaltem non immemores eos injuriae olim a ſe acceptae fore ſibi perſuadere debuit. Igitur cum delectis ſuorum et [h]O-Donelli conjuge, quam a marito vi rapuerat, ad amicos reconciliatos ſumma imprudentia accedit, a [i][1] Gulielmo Buſco et Alexandro [k]Ogeo Scotorum ducibus comiter initio in ſpeciem acceptus; qui mox inter pocula ad jurgia ex compacto prolapſi, ultionis occaſionem quaerentes, in Shanum irruunt, ipſumque cum ſuis omnibus ineunte Junio trucidant, v, poſtquam rebellaverat, anno. Feſſaeque, per ejus mortem, provinciae, non tam in praeſens pax reddita quam animus Hugoni, ſublato patruo, factus, ſpes antiquas reperendi, et evocatis in inſulam Hiſpanis res Anglicas turbandi.

INTERPR. [a] *Dundalk.* [b] *Randolph.* [c] *Ulſter.* [d] *Derry.* [e] *Lough-Foyle.* [f] *St. Lo.* [g] *Clandeboy.* [h] *O-Donnel.* [i] *Mac-Gilleſpie.* [k] *Oge.*

NOT. [1] Dele *Gulielmo Buſco*: Lege *Mac-Gilleſpico.* Ita Camdenus, unde locus deſumptus. *C.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

I*N Belgio Valencianae a Noerkarmio obſeſſae; qui poſt felicem contra Tornacenſeis ſucceſſum intra urbem admittitur.* II. *Brederodii, qui ſuperiore anno ſupplicem libellum obtulerat, ſuper eo ad Parmenſem literae et ad eas Parmenſis reſponſum.* III. *Proteſtantium conatus irriti.* IV. *Sylva-ducis a Megenſi recipitur.* V. *Matthias Illyricus Antuerpiae turbas ciet.* VI. *Egmondanus et Hornanus, adventante Albano, fruſtra periculi ab Arauſionenſi admonentur.* VII. *Brugis conciones interdicuntur.* VIII. *Valencianae deduntur Noerkarmio.* IX. *Brederodii fuga et mors.* X. *Coloniae motus Conſtantini Liskirkii prudentia compoſitus.* XI. *Philippi de coercendis in Belgio Sectariis deliberatio.* XII. *Bergenſis in carcere moritur. Montinius capite plectitur.* XIII. *Albanus cum exercitu per Sabaudiam facto itinere in Belgium venit.* XIV. *Trepidatio Helvetiorum et Genevenſium in tranſitu Hiſpanorum. Controverſia Sabaudi cum Bernatibus de aliquot praefecturis, et ejus initia.* XV. *Edictum contra Proteſtanteis ab Albano propoſitum.* XVI. *Egmondanus et Hornanus in cuſtodiam traditi, et terrore ex eo Proteſtantes injecto fuga et exilio ſibi conſulunt.* XVII. *Arx Antuerpiae ſtructa.* XVIII. *Mechlinienſe armamentarium fatali urbi incendio conflagrat.* XIX. *Auxiliares ad regem copiae ex arcano foedere ab Albano miſſae, duce Jo. Ligneo Barbanſono Arembergii comite.* XX. *Caeſar inter Danum et Suecum belli componendi rationes init.* XXI. *Ericus contra ſuos ſaevit; cum vicinis varia fortuna depugnat. Sitinenſis inter Polonos et Moſcos pugna.* XXII. *De Slevicenſi principatu inter Danum et Holſatiae duces agnatos Othoniae agitata controverſia poſt decennium tandem hoc anno finem accepit.* XXIII. *Philippi Heſſi mors, virtutes, ingenium, corporis temperamentum. Erneſti Brunſvici item obitus.* XXIV. *De Antonii Croii Porciani morte quae tunc per libellos jactata.* XXV. *Virorum literis clarorum mortes; Michaelis Stifelii, Jo. Langii, Franciſci Robortelli, Octaviani Pantagathi, Pauli Leopardi, Joannis a Leia archiepiſcopi Trevirenſis, cui Jacobus Eltzius ſuffectus eſt.* XXVI. *Belli Gothani contra Auguſtum Saxonem ſeptemvirum a Jo. Friderico coepti origo, ſucceſſus. Gotha capta, Jo. Fridericus in carcerem diuturnum conjicitur. Grombachius, Zobeli Wirtzburgenſis epiſcopi caedis convictus, et praecipuus belli incentor, cum Chriſtiano Brukio, Hieronymo Brandenſtenio, Joanne Beiero et Davide Bomgartenero ſupplicio affectus.* XXVII. *De pecunia in belli Turcici ſumptus in Ratiſponenſibus comitiis decretum.* XXVIII. *In Pannonia Zatmarum et Munchauſium pari felicitate a Lazaro Schuendio capiuntur. Contraria Tranſilvani geſta. Comitia Poſonii: in quibus petitum, ut Auguſtanam confeſſionem profiteri omnibus liberum eſſet.* XXIX. *Legati ad Solimanum de pace ſive induciis.* XXX. *Genuae motus ob temeritatem Jo. Stephani Larcarii ortus, cum ipſius pernicie extinctus.* XXXI. *Corſicum bellum recrudeſcit, Sanpetro omnia ſumma faciente, ut in libertatem inſulanos*

nos aſſereret. Ornanae uxoris ab eo alienatio ſevere vindicata. Ejus ex inſidiis caedes: quo mortuo, cum Alſonſo filio Genuenſes tranſigunt. XXXII. *In Etruria marchionum Malaſpinarum et Jo. Franciſci Petiliani, qui tandem Nicolaum prius exheredatum teſtamento heredem inſtituit, res turbant.* XXXIII. *Picorum item et Gratianorum factione ſciſſum Burgum S. Sepulcri.* XXXIV. *Adventu Ludovici Gonzagae Nivernii Willelmus Mantuae dux ejus frater Monſerratenſi ditioni proſpicit. Caſalium S. Evaſii quomodo illi annexum ſit. Gonzagarum in ea jus et ſucceſſio. Conjuratio Caſalii detecta et a Veſpaſiano Gonzaga revicta.* XXXV. *Apud nos S. C. Tertylliani de ſucceſſione matrum per edictum moderatio.* XXXVI. *Eliſabetha per Thomam Smithum et Henricum Norriſium pro Caleti reſtitutione apud regem inſtat. Grave ad ea Hoſpitalii reſponſum. Et poſt acrem diſceptationem Angli amice dimiſſi.* XXXVII. *Cum Eliſabetha interim a Caeſare per Stolbergenſem comitem de nuptiis Caroli archiducis fratris actum, et honorifica de iis a regina per Suſſexiae comitem obita ad Caeſarem et Carolum fratrem legatio: conditionibuſque utrinque propoſitis, parum res ab exitu abſuit.* XXXVIII. *De commercio legatio Moſci ad reginam, et Moſcovitica ſocietas contracta. Navigatio ab Hugone Willoughbeio ſive Richardo Chancellero per ſeptentrionem in Orientem et Cathaiam ſuſcepta. Ejus iter et relatio.*

EX AUCTORIBUS,

Imman. Demetrio ſive Meterano, Jo. Parvo, B. Mendoza, H. F. Conneſtagio, S. Schardio, Davide Chytraeo, Huberto Langueto, P. Bizaro, P. A. Philippuio, Jo. Bapt. Hadrianio, Natali Comite, Alberico Roſatenſi juriſconſulto, actis publicis et archivis curiae Pariſienſis, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.

LIBER QUADRAGESIMUS PRIMUS.

CIƆIƆLXVII. CAROLUS IX.

VALENCIANIS [α] obſidione cinctis, [a] Noerkarmius, regio exercitui, in quo erant x peditum ſigna et CIƆ equites, praepoſitus, Jo. [b] Raſſegemio Inſulae, Duaci et Orcheſii praefecto ſecum aſſumpto, qui CCC ſcloppetarios et C equites ſecum ducebat, Kalend. Januar. feliciter conflixit cum foederatis; quibus ſe Proteſtantes [c] Tornacenſes, duce Joanne [d] Soreano, adjunxerant. Is noctu collectis viribus ſummo mane ſolutos et palanteis aggreditur inter [e] Waterloam et Lanoiam, et in fugam vertit, Soreano poſt acceptum vulnus vix fuga elapſo: cumque ſe illi fuga Tornacum recepiſſent, Noerkarmius victoriae inſtans ad urbem continuo cum IX ſignis vadit, et admitti petit. Cum Proteſtantes, deſerente eos fortuna, hominum quoque favore deſtituti, animum deſpondiſſent, admittitur Noerkarmius; qui urbe potitus quoſdam ex miniſtris ac nonnullos ex eorum doctrinae addictis ſupremo ſupplicio affecit.

II. INTEREA [f] Brederodius foederatorum princeps, ne quam pacis ineundae rationem non experiretur, ad [g] Parmenſem ſociorum nomine ſcribit, ac veniam in aulam veniendi petit, admixtis de ſecuritate nuper data querelis. Id vero Parmenſis enixe prohibet; cum eorum adventus occaſione Non. April. ſuperiore anno omneis in Belgio turbas excitatas diceret: impoſitoque Bruxellis praeſidio interdicit, ne nobiles in urbem intromittantur. Itaque Brederodius iterum Antuerpia ad Parmenſem dat

VAR. LECT. [α] Nunc ex Britannia et Hibernia in continentem redeundum eſt. Valencianis D. f.

INTERPR. [a] *Philippes de Ste Aldegonde, ſieur de Noercarmes.* [b] *le ſieur de Raſſegem, gouverneur de Lille, Douay, & Orchies.* [c] *ceux de Tournay.* [d] *le capitaine Jean Soreau.* [e] *Waterloo & Lanoy.* [f] *Henry, ſieur de Brederode & baron de Viane.* [g] *la ducheſſe de Parme.*

dat literas VI Eid. Febr. et, minime ſupplicem libellum priore anno oblatum, ſed perniciosa cardinalis[a] Granvellani et Hiſpanicoſium de inquiſitione introducenda, hoc eſt, intolerabili liberis cervicibus jugo imponendo conſilia, praeterea ſerum nimis ac minus aequum ad libellum datum reſponſum, cauſam motibus nuper excitatis praebuiſſe affirmat: ſe ac ſocios nullam componendarum rerum aequam conditionem recuſare: ob id ad ipſam cum bona ejus venia venire voluiſſe; quod cum ipſis denegatum ſit, libellum, quem ut in bonam partem accipiat rogant, mittere ſtatuiſſe. Eo repetebant ſuperiore anno actorum memoriam; Sextili proximo ex communi ſententia motus compoſitos, et juxta praeſcriptam formulam et ipſius mandatum a praefectis res in provinciis ordinatas: quod ſicubi non aeque feliciter ſucceſſerit, id nonnullis minus, quam par eſſet, publicae tranquillitati ſtudentibus, non ſibi imputandum: poſtea vero prohibitum concionum locis publice conceſſis uſum, ipſos foederatos indigne et contra fidem datam paſſim habitos; interdicta etiam proceribus cum ipſis conſuetudine, niſi in partem criminis, quod ipſis calumnioſe affingebatur, venire vellent, et, antequam auditi ſint et convicti, quaſi praejudicio damnatos perduellionum loco haberi: quae tamen omnia huc uſque diſſimulaverint: verum nunc militem paſſim cum contra ſe conſcribi audiant, non poſſe non commoveri, et rogare ipſius celſitudinem, declaret, velitne pactis ſtare, an fidem datam irritam facere: id ſe petere, ut certiores diſerto reſponſo faciat, ne fraudi ipſis in poſterum ſit, ſi fide publica et edictorum benignitate utantur: quod ſi fides edictis, quod confidant, conſtet, petere, ut miles dimittatur; Valencianarum obſidio ſolvatur; ab injuriis in Proteſtanteis abſtineatur; contraria edicta, quibus paſſim inſontes variis modis divexentur, ipſius auctoritate aboleantur: id ni fiat, de turbis in publicae tranquillitatis perniciem excitatis et denuo exorituris, coram Deo et ipſa, ne ipſorum culpae deinceps aſcribi poſſit, palam ac publice proteſtari. Idem et ad nobilitatem ſcribunt. Parmenſis ad libellum mox VIII Eid. Febr. reſcribit: et, qui ex nobilitate libellum hunc confecerint, neſcire ſe ait; quippe cum pleraque pars illorum, qui Non. Aprilibus anni ſuperioris libellum obtulerunt, abunde ſibi de regiae majeſtatis [1] in cauſa inquiſitionis ſatisfactum fateatur: ceterum male ipſos, quicunque tandem illi ſint, verba ſua interpretari; qui, publico concionum, ſed citra offenſionis et turbarum periculum, uſu conceſſo, etiam conſiſtorii inſtitutionem, pecuniarum collationem, ſacramentorum adminiſtrationem, quae magnas in ſacra et civili re perturbationes excitat, nuptiarum item novo ritu celebrationem, quae in hereditatibus ac ſucceſſionibus non mediocreis difficultates gignant, ſimul permiſſam contendunt: quibus rebus regiam majeſtatem et magiſtratus auctoritatem labefactari et omnino convelli: quod cum omnibus in confeſſo ſit, mirari eorum impudentiam ſatis non poſſe, qui fidem publicam appellant pro libelli Non. April. oblati ſecuritate a ſe datam, non etiam pro religionis libertate, de qua nunquam cogitaverit. His querimonias in eos addit, quaſi concitandi populi contra regem, ſacrum Ordinem, ac rem denique publicam auctores fuerint: quibus malis ante omnia occurrendum cenſet: monetque, ut domum quiſque abeant, atque ita ſe in poſterum gerant, ut dicta factaque ſua regi in Belgium venienti approbare poſſint: ni moniti faciant, ſe remedium tempeſtivum adhibituram.

III. Hoc minaci reſponſo irritati potius quam placati foederati, omiſſa omni alia ratione, ad vim vertuntur: et Brederodius circa [b] Vianam, Joannes [c] Toloſius circa [d] Antuerpiam, alii per Flandriam militem conſcribunt. Viana oppidum eſt in Batavis, ad [e] Lecam fluvium, qui Rheni brachium facit, prope [f] Ultrajectum ſitum, quod non ſolum jure ad ſe pertinere contendebat Brederodius, nam minime id controvertebatur, ſed etiam ejus dominium omni obſequio ac fide liberum in eo ſibi arrogabat; utpote

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *de Granvelle.* [b] *Vianen.* [c] *le ſieur de Toulouſe.* [d] *Anvers.* [e] *Leck r.* [f] *Utrecht.*
NOT. [1] *ſuppl*e aequitate.

CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX. utpote ab Hollandiae comitibus genus ducens, quorum ſeu ſucceſſione ſeu beneficio Vianam principatus titulo majores ſuos poſſediſſe aiebat. Qua de re cum lis ei mota eſſet in [a] Mechlinienſi ſenatu a procuratore fiſci, nulloque fine terminaretur, id moleſte admodum ferebat vir elati animi; eoque in loco, lite pendente, ſe pro principe nullis legibus obſtricto gerebat, conſiliis pleriſque ſecretis habitis, et confoederatis illuc ad eum, ut in commune conſulerent, quotidie confluentibus. Ipſe quoque ſtatim poſt libellum Non. April. Parmenſi porrectum aereum nummum percuſſerat, cum inſignibus Burgundionum familiae; in cujus antica parte inſcriptum erat, PER TELA PER IGNEIS; in poſtica, INSIGNE VIANENSE. Tunc vero copiis paſſim colligendis intentus etiam Vianam feſtinatis operibus muniebat.

IV. DIVERSA parte Antonius [b] Bombergus militiae dux menſe Februario, [c] Sylvam-ducis venit; et plebe concitata [d] Merodium Peterſchemium et Jo. [e] Scheifium Brabantiae cancellarium a Parmenſi miſſos, ut oppidum in obſequio retinerent, in cuſtodiam dari jubet. Eos ſubſequebatur [f] Megenſis comes, qui militareis copias ducebat, haud procul ab urbe opperiens, dum, re ab illis compoſita, cum ſuis admitteretur. Is vero, ubi de illorum caſu cognovit, juſſu Parmenſis propius copias admovet, et vi rem gerit. Sylvam-ducis, quod eſt unum ex IIII praecipuis Brabantiae oppidis, ſitu, foſſa ac moenibus firmum, [g] Dieſa fluvio, qui in [h] Eburonibus ortus et ſeptentrionem verſus tendens urbem alluit, ab ima parte clauditur; nec facile a paucis militibus obſideri et expugnari poſſe videbatur. Sed cives, qui in eo multi et bellicoſi et opulenti erant, in religione fere diſſidebant; et, dum Megenſis exſtructis ad aditus caſtellis commeatus uſum omnem averteret, etiam de re publica varie ſentiebant. Nam pars Parmenſi eſſe parendum et Megenſem in urbem admittendum cenſebant: adhuc veniae locum eſſe; nec expectandum, dum, intercluſo commercio, quo ſolo tanta urbs alatur, et inciſis nervis, ad miſeras preces minime exaudiendi confugiant. Alii libertatem, quam legibus nequeant, armis tuendam aiebant; nam ea amiſſa nihil apereſſe: proinde vitam, opes et omnia ſua in id impendenda, ut illam a majoribus acceptam retineant; nec committendum eſſe, ut propter vitam vivendi cauſas perdant. Ita diverſis ſententiis raptari plebis animi, ut prope ad arma ventum ſit. Quod ubi cognovit Megenſis, clam cum iis, qui ſecum ſentiebant, agit, magniſque promiſſis onerat; cum iiſque convenit, ut nocte inſequente ad illam urbis partem, quae eorum cuſtodiae commiſſa erat, cum dato ſigno impetum faceret, ipſi quaſi propugnaturi accurrerent, patefactiſque portis ac conjunctis viribus ipſum admitterent: quod et exitus approbavit. Admiſſus Megenſis ſtatim in ſeditioſos animadvertit, pleriſque ultimo ſupplicio affectis, aliis urbe pulſis. Bombergus motum praeſentiens mature ſe periculo eripuit, accepto etiam ſtipendio, et, cum diſcederet, conceſſo non ſolum ſuis ſed et oppidanis tempore, quo in tutum evadere poſſent. Quo facto, Megenſis, ſucceſſui inſiſtendum ratus, in Hollandiam, ubi confoederati res novas praecipue moliebantur, ducit, inopinatoque adventu ſuo eorum coepta magna ex parte diſturbat. Interea [i] Toloſius cum delecta nobilitate, a Petro [k] Ahekio Mildeburgenſi accitus, [l] [α] Vliſſingam in Walacria praecipua [β] Zelandiae inſula intercipere molitur, navibus aliquot Antuerpia eo ſummiſſis; ſed minore numero, quam ut tantae molis rem exequi poſſet. Itaque oppidani navis temporius venientis appulſu moniti ſtationes geminant; et ita Toloſii conata irrita reddita ſunt. Is vero ſua ſpe fruſtratus [m] Oſtrevelam haud longe ab Antuerpia conceſſit, ut ſuae factionis hominibus propinquitate ſua animos faceret, et, ſi quid inopinati accideret, amicis ad omnia praeſto eſſet.

V. REFRICABATUR

VAR. LECT. [α] Fuleſſingam *D. f.* [β] Mattiacorum inſula *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Malines.* [b] *de Bombergue.* [c] *Bois-le-duc.* [d] *le ſieur de Merode & Peterſon.* [e] *Scheyff* [f] *le comte de Meghem.* [g] *Diſe r.* [h] *Liege.* [i] *de Toulouſe.* [k] *Haeck, baills de Middelburg* [l] *Fleſſingue en Walcheren.* [m] *Oſterweele.*

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

V. Refricabatur in urbe proximo anno agitata contentio inter Calviniſtas et [a] Martinianos: et ſenatus his favebat; quippe cum eorum doctrina in Imperio recepta eſſet, et Antuerpia marchionatus titulo ad Imperium pertineret: nec ſibi decrat Matthias [b] Flacius, homo vehemens, et, quocunque loco pedem figeret, acerrimus turbarum incentor. Calviniſtas contra; quorum doctrinam ſequuntur Gallicanae eccleſiae, proceres novitati addicti in occulto adjuvabant. Ipſe Toloſius, ut iis adeſſet, in aggeribus ac praerupta [c] Scaldis ripa, loco, ut rebatur, tuto, caſtra muniverat; quo mox Bruxellis immiſſi a Parmenſi Philippus [d] Lanoius, [e] Mandevillanus et Aegidius [f] Villenus Namurcenſis cum cohorte CCCC ſtipatorum: quibus ſe adjunxerat Valentinus [g] Pardeus Mota caſtrorum praefectus, cum ſtipendiariis [h] Egmondani, qui [i] Axelae in Flandria erat, et Joannes [k] Gravius Brabantiae latrunculator cum ſuo agmine: qui omnes cum III Eid. Mart. ſummo mane loco condicto conveniſſent, ex improviſo ſecuros Toloſianos aggreſſi caedunt ac fundunt. Pars interfecti, plures ex aggeribus in ſubjectum flumen praecipitati: ipſe Toloſius, cum ſe in quandam domum inclnſiſſet, ibique ultimam vim ſuſtinere decreviſſet, incendio excitato cum domo crematus eſt. Quo caſu conſternati Antuerpienſes ſtatim arma corripiunt, licet non bene inter ſe concordes, quippe cum alteri haud ſatis alteris fiderent. Mox eo miſſus a Parmenſi [l] Arauſionenſis, et Hoeſtratanus; qui ptimo male accepti ſunt; unuſque adeo praefracta audacia repertus eſt, ut gladium ſtrictum in Arauſionenſis oculos ferre auſus ſit. Verum ille, qui plebis moderandae artem calleret, patientia eotum impetum vicit: et Catholicos cum Martinianis, nam iis melius inter ſe conveniebat, in plateam publicam juxta monetaleis aedeis convenire jubet. Ii numero CCCC equites erant. Diverſa parte Itali, Hiſpani ac Luſitani inſtitores, veriti ne rumultuantium impetus in ſe ac ſuam perniciem verteretur, et ipſi cum armis in vico juxta aeſtuarium conglobantur. Contra hos Calviniani ſtabant, numero impares; ſed armis et tormentis diſpoſitis inſtructiores, quibus ſe in ponte [m] Murano muniverant. Biduum ultro citroque commeando inſumptum: tandemque Arauſionenſis prudentia et interventu Joannis [n] Stralii conſulis, admodum cunctis gratioſi, placati cives, cum quiſque mutuam lanienam horreſceret, accepta utrinque ſecuritate, in ſuas aedeis dilabuntur. Nec multo poſt, cum paſſim res proſpere Parmenſi ſuccederent, nec ulla ſpes aliunde auxilii eſſet, Bruxellas oratores mittunt, qui cum ipſa in has leges tranſigunt: ut Proteſtantium conciones omittantur, Catholicotum concionatores reſtituantur, templa inſtaurentur, priora edicta ſerventur, nemo ob praeterita morte aut facultatibus mulctetur, donec aliter tex ex Ordinum conſilio dcereverit. Exempti ab his pactis imaginum ac templorum violatores et hujuſmodi criminum rei; in quorum tamen gratiam ſe Parmenſis ad regem ſcripturam recepit, ut ii quoque pacis beneficio comprehendantur. Has conditiones mox Antuerpienſes ratas habuere; et aſſenſi ſunt, ut Parmenſis cum praeſidio in urbem veniret. Secundum haec concionatores Calviniani et Auguſtanae confeſſionis dimittuntur; qui a ſenatu ac magiſtratu commeatu petito cum vale dicerent, acerbe eos, ut ingratos increpuerunt, graviſſimamque a Deo ipſis ut Numinis ac gloriae Dei contemptoribus poenam interminati ſunt.

VI. Nec multo poſt Arauſionenſis cum aliquoties [o] Hellegati et Willebroci cum Egmondano et [p] Hornano conſultaſſet, ultimo colloquio eos periculi praeſagus ad fortiter capeſſendam rempublicam hortatus eſt, foeduſque in id ex communi procerum conſenſu icendum, ut Hiſpani provinciae ingreſſu prohiberentur. Verum Egmondanus,

INTERPR. [a] *Martiniſtes.* [b] *Flacius Illyricus.* [c] *l'Eſcault.* [d] *de Lanoy, ſieur de Beauvois.* [e] *de Mandeville.* [f] *de Villen.* [g] *Pardieu, ſieur de la Motte.* [h] *le comte d'Egmond.* [i] *Axel.* [k] *Hans de Grewe, Droſſart ou baills de Brabant* [l] *le prince d'Orange, & le comte de Hooghſtrate.* [m] *le Meerbrugghe ou pont du Meer.* [n] *Stralen bourguemaiſtre.* [o] *Hellegate & Willebroeck.* [p] *le comte de Horne.*

mondanus, cui in omnibus Hornanus fere ſemper aſſentiebatur, ſive opibus et charitatibus domeſticis, quas homo ad vanitatem ſuperbus et in luxu ac pompa nutritus aegre relicturus erat, revocaretur, ſive meritorum fiducia nimium confideret, nullis rationibus adduci potuit, ut Arauſionenſi auſcultaret, et exitio patriae ac ſuo praeverteret; hoc ſubinde pro reſponſo inculcans, ſperare ſe ac certo confidere, concionibus omiſſis, et templorum violatoribus ac Sectariis punitis, placatum regem gravius nullum de his provinciis ſupplicium ſumpturum eſſe. Cum contra imminentia pericula quaſi digito commonſtraret Arauſionenſis, nec ille monitis illis flecteretur, At me, inquit ille, hoc ſolabitur, quod amicis in tempore, imo patriae, conſilio ac manu adeſſe voluerim; quod, cum occulta Dei voluntate et caecis ad pericula animis minus valuerim, quod unum ſupereſt, tibi denuncio, Egmondane, fore, ut, ſi animum obfirmare perſeveraveris, non ſolum te, ſed tua cauſa omneis harum regionum proceres in manifeſtum exitium praecipites; jamque animo provideo, te pontem venturis Belgii hoſtibus ſtraturum, per quem ubi in has regiones pedem intulerint, loco trophaei caput tuum a trunco abſciſſum ſtatuent. Quibus dictis, ſive praeſaga mente ſive ut proprio periculo Egmondanum a ſententia dimoveret, poſt amplexus non ſine lachrimis utrinque datos diſceſſere. Et Arauſionenſis paulo poſt, petita a Parmenſi venia, [a] Antuerpia [b] Bredam petit; et inde in Germaniam, quaſi ad res domeſticas ordinandas, profectus eſt: plerique ab ipſo clam moniti mox ſecuti ſunt. Major pars nobilitatis cum Egmondano, in cujus meritis fiduciam habebant, manſit; et ſe illius exemplo a foederatorum cauſa ſeparavit.

VII. Dum haec agerentur, [c] Aldenardae omnino conciones interdictae ſunt; et [d] Brugis, ut Proteſtanteis a conveniendo deterrerent, ad locum concionis mittunt, qui miniſtrum juberent craſtina die ſe coram magiſtratu ſiſtere, ut juxta pacta regi fidem publico ſacramento cuncti obligarent: ni facerent, ſcirent concionibus ſibi interdictum. Is vero, cum minime comparere tutum exiſtimaret, fuga ſibi conſuluit. Paulo poſt Proteſtantes alium ſibi eccleſiaſten conciliant; qui in porta comprehenſus, et, quod a meridie publice concionari contra magiſtratus et [e] Franconatus, is eſt magiſtratus urbanus ſummae auctoritatis apud Brugenſeis, edictum molitus eſſet, in carcerem conjicitur: quo facto tantus illis metus eſt injectus, ut deinceps aut concionari aut conventicula in urbe habere minime auſi fuerint.

VIII. Inde arctiori obſidione preſſi a [f] Noercarmio [g] Valencianenſes, qui initio obſidionis ſpem de auxiliis a principe [h] Porciano, qui ſub id tempus deceſſit, e Gallia ſummittendis conceperant, et ab Antuerpienſibus magis ac magis confirmati, animum obſtinaverant. Poſtea libellum velleris aurei equitum collegio porrigunt; quo ſe a perduellionis crimine, cujus a Parmenſi inſimulantur, purgant; et, quod Proteſtantium doctrinae addicti conciones publice habeant, nihil ſe in ea re niſi de ipſius mandato atque equitum auctoritate feciſſe demonſtrant. Proinde ſibi caveri petunt, nihil violenti in conſcientiam aut eorum vitam ac fortunas inde redundaturum. Sed nihil libello eo profectum, irritatiore ex eo Parmenſi; quae ſuam auctoritatem in dubium revocari et infringi indigne ferebat, Belgis, ſe ſpreta, ad equites poſtulata ſua deferentibus. Itaque Noercarmio mandatum, ut obſidionem urgeret: miſſi tamen Philippus [i] Croius Araſchotii dux et Egmondanus eodem tempore, qui obſeſſos propoſitis honeſtis conditionibus ad officium reducerent. Hae erant; ut liceret concionatoribus accepto commeatu diſcedere, praeteritorum omnium promiſſa venia: quas cum illi accipere recuſarent, Noercarmius moenia admotis XXIV muralibus machinis inter portam [k] Montanam et Cardanam quatit. Verum non tam illi murorum quaſſatione, quam [l] Oſtrevelae caſu, et Antuerpianorum, qui animos illis hactenus fecerant,

INTERPR. [a] *Anvers.* [b] *Breda.* [c] *Oudenarde.* [d] *Bruges.* [e] *Siege du Franc.* [f] *de Ste Aldegonde, ſieur de Noercarmes.* [g] *ceux de Valenciennes.* [h] *de Porcean.* [i] *de Croy, duc d'Arſchot.* [k] *portes de Mons & de Cardon.* [l] *Ooſterweel.*

rant, ex eo conſternatione, territi, de priſtino ardore ac pertinacia plurimum remiſere: CIϽIϽLXVII.
et, cum nulla ſpes auxilii ſuperaret, tandem IX Kal. April. ſub veſperam regis arbitrio CAROLUS IX.
deditionem fecere. Noercarmius urbem ingreſſus ſtatim portas obſerari jubet, et Michaelem [a] Herlium primarium civem, turbarum, uti jactabatur, incitatorem cum filio in carcerem conjectum ſecuri percuſſit; Guidonem [b] Breſſeum et Peregrinum Gangrenum concionatores in furcam tolli juſſit: complures alii ſupremo ſupplicio affecti; et, ut quidam ſcripſere, diverſis vicibus CC amplius capite plexi ſunt. Secundum haec [c] Noercarmius, [d] Amandi fano prius occupato, [e] Cameraceſium epiſcopi Cameracenſis oppidum ducit, quod Proteſtantibus huc uſque paruerat; et inde continuis excurſionibus populares vexati fuerant. Verum oppidani, Valencianarum deditione intellecta, locum deſeruere; qui mox militi in praedam ceſſit. Captus Philippus concionator, et, manu amputata, patibulo affixus eſt. Fama ſparſa, quaſi abolita concionum libertate et antiquae religionis cultu ubique reſtituto rex interventu Parmenſis placaretur, et conſilium de exercitu in Belgium mittendo omitteret, proceres certatim in id incumbunt, ut regis ea in re deſiderio ſatisfacerent. Itaque ubique fere interdictae Proteſtantium conciones, templa inſtaurata, et imagines majore, quam dejectae fuerant, in Flandria feriis Paſchalibus, animorum ardore reſtitutae; templa nuper a Proteſtantibus exſtructa [f] Hipris, Balcoli, Armenteriae magno concurſu diruta; [g] Cominii item, ubi Araſchotani juſſu ex eorum materia ac trabibus patibula paſſim erecta ſunt; ad quae nocentes, et qui expilationum templorum et imaginum dejectarum convicti erant, ignominioſe magno [α] numero affixi ſunt. [h] Gandavi et templum a regio milite impetu facto intra unius horae curriculum ſolo aequatum eſt. Inde in Batavos itum, ubi altiores radices Proteſtantium doctrina egerat.

IX. ET [i] Brederodius quidem, qui, dum [k] Vianam muniret, [l] Amſtetodamum cum ſuis conceſſerat, locum relinquere a Parmenſi juſſus cum initio reſiſteret, [m] Torreo, qui mandata Parmenſis attulerat, in cuſtodiam tradito, tandem cum nobilitatem toto Belgio, in civitatibus ac oppidis plebem vi ſeu metu ad obſequium redactam videret, ipſe urbe diſcedit, et relicta ſine praeſidio Viana, quae ſtatim [n] Megenſi et Arembergio comitibus reliquias Proteſtantium inſequentibus patuit, conſcenſa navi, foederatis vale dicit, cumque familia et omni ſupellectile, quam aſportare ſecum potuit, [o] Emdam appulit; inde in Germaniam profectus, ubi brevi tempore poſt ex moerore animi deceſſit. Vidua ejus ex comitum [p] Meurſiorum familia, ingenuis animi foemina, poſtea Friderico Palatino ſeptemviro nupſit. Eodem fere tempore [q] Trajectenſes, cum, templis ſpoliatis, etiam in imagines bacchati eſſent, compreſſo impetu, legatos Bruxellas ad Parmenſem mittunt; et, ut eam placarent, praeſidium accipiunt. Eorum exemplo [r] Meſecani in Eburonibus, qui in epiſcopi Leodicenſis ditione ſunt, nec non [s] Haſſeletenſes, qui vicinorum exemplo et ipſi licentioſe templa diripuerant, ad officium redieruot. Verum Haſſeletenſes obſidionem diu ſuſtinuere: tandem quaſſatis muris cum nulla ſpes auxilii eſſet, ſociis paſſim dilabentibus, Gerardo [ſ] Grosbekio praeſuli ac principi ſuo deditionem fecere; et leges a victore accepere, ut templa ſuis ſumptibus inſtaurarent, belli impenſas ſarcirent, Catholicam Romanam religionem deinceps profiterentur, omni alia rejecta, et praeſidium reciperent. Nec multo poſt extra [t] Ruremundam in Geldria egreſſi IϽ circiter Proteſtantes ad concionem, cum in urbem redire vellent, a magiſtratu excluduntur.

X. NE

VAR. LECT. [α] numero, et ſupra fidem, affixi *D. f.*

INTERPR. [a] *Herlin.* [b] *de Bres, & Peregrin de la Grange.* [c] *de St Aldegonde, ſieur de Noercarmes.* [d] *St. Amand.* [e] *Caſteau-Cambreſis.* [f] *Ipres, Bailleul, Armentieres.* [g] *Commes.* [h] *Gand.* [i] *le ſieur de Brederode.* [k] *Vianen.* [l] *Amſterdam.* [m] *le ſecretaire la Torre.* [n] *les comtes de Meghem & d'Aremberghe.* [o] *Embden.* [p] *de Meurs.* [q] *ceux d'Utrecht.* [r] *ceux de Maeſeick au pays de Liege.* [s] *ceux de Haſſelt.* [ſ] *l'evêque de Liege, de la maiſon de Groesbeke.* [t] *Ruremonde au pays de Gueldres.*

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

X. Ne [a] Colonia quidem Agrippinae ab his motibus immunis fuit; ubi miniſter quidam Calvinianus, cum haud longe ab urbe concionaretur, magnam hominum multitudinem ad ſe pellexit, ut non levis metus civibus ſit injectus, ne ex ea occaſione ſeditioſi aliquid in publicae quietis perniciem molirentur. Verum prudentia Conſtantini [b] Liſkirkii conſulis, qui edicto prohibuit, ne qui ad conciones urbe exirent, cum concionatorem auditoribus amplius ad eum non convenientibus ſolitudinis [α] taederet, is metus diſcuſſus fuit. Gubernatrix vero, poſtquam cum Antverpianis tranſegit, mox eo [c] Carolum Mansfeldium Petri Erneſti filium praemittit, qui urbem hoſtili ſpecie cum XVI Gallorum ſignis ingreſſus eſt. Eum biduo poſt ſubſecuta eſt Parmenſis cum IↃ equitibus: mox decretae ſupplicationes, magna equitum velleris aurei pompa celebratae. Dein plerique capti; nonnulli etiam, qui turbis cauſam dediſſe ferebantur, in furcam acti: templa inſtaurata, vetera placita de religione renovata, pueri a Proteſtantibus baptizati rurſus ſacro lavacro abluti: templa etiam Proteſtantium magnifice, quantum per temporis anguſtias licuerat, extructa dejiciuntur; et arma diligenti per civium aedeis veſtigatione habita deſcribuntur. Dimiſſi interim a foederata nobilitate milites ad quinque circiter millia ſine ſtipendio, cum licentioſe vagarentur, [d] Egmondanum monaſterium invadunt ac diripiunt; nequicquam [e] Megenſi eos inſequente. Tandem major pars, trajecto [f] Moſa, in [g] Cliviam conceſſit, aliis alio inde tendentibus. Verùm accidit, ut quidam primarii duces ſeorſim ab aliis, dum ſinum [h] Germanici maris inter Batavos ac Friſiam tranſmittunt, a nautâ proditi ad brevia et arenas navigio acto impegerint; ubi a [i] Mulardo militiae Arembergii comitis praefecto circumventi poſtremo capiuntur, ac III Non. Maii [k] Harlingae in Friſia carceri mancipantur. Inter hos fuere duo [l] Batenburgici fratres, Hermannus [m] Galama et Sicurtius Beima nobiles Friſii, nonnullique alii; quorum quidam [n] Vilvordam traducti, alii alio Parmenſis juſſu ducti, ac tandem variis poenis affecti.

XI. Dum haec paſſim in Belgio gererentur, Philippus, per ſuam abſentiam in longinquis provinciis ſuos tumultuari indigne ferens, cum arcanorum conſciis [o] Madriti et poſtremo Segoviae conſultaverat de ratione componendorum Belgii motuum: et ſanioris ſententiae viris videbatur, rem potius clementia quam ſeveritate egere; hujuſque ſententiae auctor fuit [p] [β] Rodericus Gomeſius Silva, ipſum ſe in Belgium iturum et ea ratione motus ſedaturum promittens: cui Suares [q] Figeroa Feriae dux, et ipſe [r] Freſneda, qui regi a ſacris confeſſionibus erat, aſſeverant. Verum Ferdinandus Alvares [s] Toletanus Albae dux, infauſtus ſaevae in Germanos ſententiae Carolo Caeſari regis parenti auctor, ſicut ſupra diximus, diſſenſit; et Belgarum impietatem ac rebellionem nulla poenitentia aut ſatisfactione expiabilem eſſe cenſuit, niſi poſt delicti publicam declarationem ſe vitam ac fortunas principi ſuo, ut de iis arbitrio ſuo ſtatueret, ſine ulla conditione permitterent: quod cum praefractae contumaciae homines minime facturos eſſe appareat, regem officio ſuo, quod pro dignitate ſibi a Deo commiſſa ſuſtinet, defuturum, niſi exacta ſeveritate, et cujus exemplo alii ſapere diſcant, perduelleis coerceat, in idque totos ingenii nervos intendat, et omne imperii robur pro tam glorioſa, et in Deum, et ad aeternam ſui inter homines memoriam, expeditione impendat. Hoc conſilium, quia [t] Granvellani cardinalis, qui itidem olim intempeſtivae in Germanos ſeveritatis exercendae ſive auctor ſive aſtipulator fuerat, alioqui Belgis ob privatas ſimultates infeſti, auctoritate firmabatur, Philippus, natura ſua injurias haud facile animo deponens, et Hiſpanorum, qui bellum in Belgio

gerendi

VAR. LECT. [α] taederet, poſt illius diſceſſum, is *D. f.* [β] Ruiſius *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Cologne.* [b] *Liskircken.* [c] *le comte Charles de Mansfeld.* [d] *d'Egmond.* [e] *le comte de Meghem.* [f] *la Meuſe.* [g] *Cleves.* [h] *le Zuyder-Zee.* [i] *le capitaine Mullaert.* [k] *Harlinghen en Vrieſlandt* ou *Friſe.* [l] *les ſieurs de Batenburg.* [m] *Galama, & Sicurt Beyma.* [n] *Vilvoorden* [o] *Madrid, & Segovie.* [p] *Ruy Gomez de Silva.* [q] *Figueroa, duc de Feria.* [r] *Freſneda.* [s] *de Tolede, duc d'Albe.* [t] *de Granvelle.*

gerendi occaſionem aucupabantur, ambitioni ſerviens, [a] Albani ſententiae ſubſcripſit; aſſentientibus Feriae duce, qui mox ſententiam mutavit, [b] Spinoſa, et ſacrae Inquiſitionis praeſide, qui, novos populi motus coerceri, non ſolum ad officium ſuum pertinere, ſed in auctores ac conſcios ſevera ultione animadverti, exiſtimationis ſuae intereſſe dicebant. Ad id non ſolum ab inveteratis Belgici nominis hoſtibus rex inſtigabatur, ſed etiam literis [c] Parmenſis in dies confirmabatur, auctoritatem regiam paulatim recuperari et ſeditioſos aut ſenſim dilabi aut vi ac metu ad officium redire affirmantis: quo maturius occaſioni inſiſtendum ratus, illuſtri in perduelleis edito exemplo majeſtatem perditorum hominum audacia imminutam ſibi tuendam cenſuit.

XII. PRINCIPIUM a legatis ipſis ad eum anno ſuperiore miſſis factum; qui, cunctationibus in Hiſpania uſitatis diu deluſi, tandem in carcerem conjiciuntur; ubi marchio [d] Bergenſis, cum indignam meritis ſuis gratiam rependi indignaretur, ex moerore animi deceſſit, non ſine ſuſpicione veneni. Bona ejus ſine prole defuncti fiſco adjudicata: ſed poſtea, cum pacificatione Gandenſi cautum eſſet, ut quiſque bonis reſtitueretur, [e] Peterſchemii filia ex ſorore marchionis nata et [f] Berſelio nupta hereditatem avunculi crevit. [g] Florus Momorantins Montinius, vir cordatus et patriae ſupra modum charus, [h] Medinam tranſlatus, ibi cum aliis ſecuri percuſſus eſt; quamvis uterque ſe majorum religione tueretur, et pro iis regina apud maritum et proceres atque amici deprecarentur. Quin et Bergenſis, ut majorem religionis ſuae fidem faceret, dum in carcere eſſet, ad uxorem ſcripſerat, ut pueros ſuae ditionis in Proteſtantium conventibus luſtrico ſacro ablutos denuo luſtrari juberet: quod et illa fecit. Montinii bona itidem fiſco addicta, filia unica excluſa, quam ille ex Helena [i] Melodunenſi, Hugonis Spinoii principis filia, nuper in uxorem ducta, ſuſceperat.

XIII. SECUNDUM haec Philippus vere proximo ſe in Belgium cum exercitu iturum pronunciat: idque jamdudum a Parmenſi jactabatur; ſive quod ita credi a Belgis volebat, ut hinc metu, inde ſpe, dum omnia ad bellum neceſſaria paraſſet, eos in officio contineret; ſive quod ab initio ſic apud ſe ſtatuiſſet. Profecturo tres viae, per quas in Belgium deſcenderet, propoſitae: prima per oceanum occidentalem, quem paucis navigiis ingredi infra dignitatem, et parum tutum; cum magna ac regia claſſe, et longum et periculoſum erat; quippe cum per Zelandiam aut Hollandiam appellendum eſſet, quae provinciae maxime omnium ob religionem turbatae, et ob Arauſionenſis illarum praeſidis fidem ſuſpectae erant: altera per mare mediterraneum, et inde per Italiam ac Germaniam, uti longa ac damnoſa, ſic et principum Proteſtantium ratione, quorum per ditiones cum numeroſo exercitu tranſeundum erat, periculoſa ſummopere videbatur: ultima reſtabat per Italiam, [k] Sabaudiam, Sebuſianos, Sequanos ac Lotharingiam, quae et ipſa non carebat ſuis incommoditatibus; tamen tutior prioribus et compendioſior viſa eſt: cum vero, jam inclinata tempeſtate, periti rerum metuerent, ne per aſpeta montium in Sabaudia impedimenta parum commode traduci poſſent, et equites ac pedites etiam cum nivium inclementia ad perniciem colluctarentur, a rege petitum, ut per [l] Provinciam ac Lugdunenſem agrum, ditionis noſtrae et melioris coeli regiones, exercitum traducere in Sequanos liceret, nec [m] Genuam uſque copiae portarentur, ſed ad [n] Forum Julium in Provincia exponerentur. Verum rex ſe excuſavit, et per has provincias Proteſtantibus frequenteis, et quibus non poterat non magnopere ſuſpectus eſſe Hiſpanorum adventus, neque tutum copiarum tranſitum, neque vero ſe ipſi idonee cavere poſſe hoc rerum ſtatu, oſtendit. Tandem per Sabaudiam iter decretum: et, quia Philippus eam commeatus

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *le cardinal Spinoſa* [c] *la ducheſſe de Parme.* [d] *de Berghe.* [e] *de Pieterſem.* [f] *Jean Witthem, ſieur de Berzele.* [g] *Floris de Moutmorency, baron de Montigny.* [h] *Medina-Celi.* [i] *de Melun, fille du prince d'Eſpinoy.* [k] *Savoye, Breſſe, Franche Comté, & Lorraine.* [l] *Provence, & Lionnois.* [m] *Genes.* [n] *Frejus.*

CIϽIϽLXVII. CAROLUS IX.

meatus inopia laborare intelligebat, Joannem [a] Acugnam Velam ad Emmanuelem Philibertum ducem fœderatum et obnoxium ablegat, qui tranſitum per ipſius ditiones peteret, et cum eo Franciſcum [b] Ibarram annonae praefectum, ad alendum per eas regiones fere ſteriles militem commeatu importato: miſſus et Antonius Mendoza ad Carolum Lotharingiae ducem eadem de cauſa: et ab utroque tranſitus impetratus. Quibus actis, et rebus omnibus ad profectionem paratis, Philippus jam ſe non iturum, neque enim rationes ſuas ferre, ſed legatum eo cum exercitu et plena poteſtate miſſurum declarat. Is delectus [c] Albanus ſententiae ſeverioris auctor, ex conſilio [d] Granvellani et praeſidis Inquiſitionis, quod eum idoneum exequendis conſiliis miniſtrum exiſtimarent: nec abnuit Silva, quamvis diſſentiret initio, quod ſublatum ex aula aemulum gauderet; nec diu fore judicaret, ut et regem ſequioris conſilii et ſimul pravorum conſiliariorum poeniteret. Mox acciti Neapoli, Sicilia et Sardinia veterani Hiſpani, ut ſe cum Albano conjungerent. Supplemento auctae equitum levis armaturae turmae, ita ut, cum L equitum eſſent, nunc C numerum explerent; quibus additae duae Hiſpanorum, ductoribus [e] [α] Lupo Sapata, et Sanctio Avila arcis Ticinenſis praefecto; duae quoque equitum ſcloppetariorum a Petro [f] Montano Novarienſis arcis praefecto et Conſalvo [g] Montero conſcriptorum. Datum item negotium Alberico [h] Lodronio, ut delectum Germanicorum peditum per [i] Sueviam et Tirolenſem agrum haberet: ab eoque XII ſigna, quorum ſingula CCC milites efficiebant, conſcripta. Interea Albanus, petito a Philippo commeatu, [k] Carthaginem [β] Conteſtanorum, quo regis juſſu Joannes Andreas [l] Auria cum XXXVII triremibus ad exercitum portandum appulerat, venit cum XV vexillis tironum, qui in locum veteranorum Neapoli, et per Siciliam, Sardiniam et in [m] Inſubribus diſtribuerentur. Alia duo mox [n] Tarraconem convenerunt. Tandem VI Eid. Maias Albanus ſolvit; et, cum ſub id ipſum tempus febri accedente arthritidis familiari morbo correptus eſſet, praemiſſa Genuam cetera claſſe, ipſe cum IIII triremibus [o] Nicaeae ſubſiſtere coactus eſt; ubi collectis viribus, ſeptimo poſtquam ex Hiſpania diſceſſerat die Genuam appulit; et ex XVII vexillis tironum, quae ſecum adduxerat, IIII delegit, quae veteranis ad Belgium deſtinatis admiſcuit. Inde [p] Alexandriam terreſtri itinere petit: ibique Gabrielem [q] Cuevam Albuquercii ducem principatus Mediolanenſis praeſidem obvium habuit; et Bernardinum Mendozam ad pontificem ablegat, ut conſilia [r] Baionae cum regina ante biennium ipſius inſtigatu inita reſumeret, et, quid facto opus eſſet, cum eo conſuleret. Ad fanum [s] Ambroſii Subalpinae provinciae oppidum ad radices Alpium nec longe a [ſ] Ceniſio monte copioſam annonam comportandam curaverat Ibarra; eoque copias omneis convenire juſſerat, ut ibi univerſus exercitus recenſeretur. In eo erant XIX ſigna legionis Neapolitanae, ductore Alfonſo [t] Ulloa, X ſigna legionis Siculae, ductore Juliano [u] Romero, X ſigna [v] Inſubris legionis, ductore [w] Sanctio Lodognio, X denique ſigna legionis Sardoae cum IIII tironum ſignis ei additis, ductore [x] Conſalvo Bracamontio; quae ſimul omnes XLIX vexilla, et VIII CIϽ IϽ CCXXC peditum Hiſpanorum efficiebant. Singulis ſignis in fronte admixti XV majores ſcloppetarii; quorum in certaminibus magnum momentum eſſe poſtea experientia compertum. Equitatus V levis armaturae Hiſpanorum turmis, III Italorum et II Epirotarum, item II equitum ſcloppetariorum Hiſpanorum omnino conſtabat; qui ſimul CIϽ CC equites efficiebant. Luſtrato exercitu, Albanus [y] Aſtam XVII Kal. Quintil. petit, jam ex tertiana aliquantum recreatus; et inde [z] Poerinum, ubi cum Sabaudiae duce capita contulit. Demum Ambroſii fanum

VAR. LECT. [α] Lopeſio *D. f.* [β] Conteſtanorum *deeſt* *D. f.*

INTERPR. [a] *d'Acuna de Vela.* [b] *d'Ibarra.* [c] *le duc d'Albe.* [d] *le cardinal de Granvelle.* [e] *Lopez de Zapata, & Sancho d'Avila.* [f] *de Monte, gouverneur de la citadelle de Novara.* [g] *Montero.* [h] *Lodron.* [i] *la Souabe & le Tirol.* [k] *Cartagena.* [l] *Doria.* [m] *Lombardie.* [n] *Tarragona.* [o] *Nizza.* [p] *Aleſſandria della paglia.* [q] *della Cueva, duc d'Albuquerque.* [r] *Bayone.* [s] *St. Ambroiſe en Piedmont.* [ſ] *Mont Cenis.* [t] *de Ulloa.* [u] *Romero.* [v] *regiment de Lombardie.* [w] *Sancho de Landegno.* [x] *Gonſalez de Bracamonte.* [y] *Aſti.* [z] *Poerino.*

num venit, quo copiae omnes convenerant, et per Cenifium montem Alpeis tranſcendit, in treis acies diſtributo omni exercitu: primam ipſe ducebat; in qua erat legio Alfonſi Ulloae, cum III levis armaturae Italorum equitum et II ſcloppetariorum equitum Hiſpanorum turmis: mediae praeerat Ferdinandus [a] Toletanus, naturalis Albani filius, equitatus praefectus; cui attributa eſt Lodognii legio et IIII equitum levis armaturae Hiſpanorum turmae, cum apparatu bellico ac reliquo commeatu: ultimum agmen ducebat [b] Chapinus Vitellius Cetonae marchio, bello ſpectatus [α] dux, cum Sicula et Sardoa legionibus et II Epirotarum equitum turmis. Ita incedente exercitu, quartis decimis caſtris [c] Monflorium in [d] Sequanorum limite perventum eſt, impedito admodum itinere inter praerupta montium et anguſtas convalleis, quas [e] Arva fluvius per ſaxa confragoſa labens fere vadoſus interſecat, qui poſtremo [f] Iſarae mixtus ponte tranſitur. His accedebat alia difficultas propter loci naturam et anni ſterilitatem, ut, ſi in ſingulis hoſpitiis plus uno die objecto impedimento morari contigiſſet, fame exercitui pereundum eſſet.

XIV. DISCEDENTE per [g] Allobroges Hiſpano exercitu, metus injectus viciniis Helvetiis, et Genevenſibus praecipue, ne quid in itinere Albanus contra eos moliretur. Quam occaſionem ſibi minime praetermittendam ratus dux Sabaudiae, tentatis ante per ſuos [h] Bernatum animis, antiquas controverſias renovavit, et de praefecturis aliquot majoribus ſuis ademptis cum iis tranſegit. Haec autem rei origo fuit, ſicuti ex Philippo Cominaeo noſtro didicimus. Carolus [i] Pugnax, ultimus ex Francica familia Burgundionum dux, cum nullum deſideriis modum faceret et ingenti animo ambitioſe longinqua etiam captaret, Jolandam Ludovici XI ſororem et [β] Amadei VIII Sabaudi viduam etiam in poteſtatem redegerat, et ditionibus ejus ad explendam animi inexhauſtam ulterius ſemper progrediendi libidinem abutebatur. Dumque in eo eſt, accidit Jacobi Sabaudi comitis [k] Romontii temeritate, ut Helvetii ex levi cauſa, ſed qualis cum gente paupertate nobili intercedere poterat, graviſſime irritarentur, carro ſcilicet cujuſdam Helvetii ovillis pellibus onuſto injurioſe a Romontianis abacto: qua de re cum crebras per legatos Helvetiorum querimonias negligere videretur Romontius, homines libertati aſſueti et injuriae impatientes armis rem agunt, et [l] Vatenſem praefecturam atque alias Genevae circumpoſitas invadunt, et ſui juris faciunt. Inde occaſionem, quam alioqui magno mercatus eſſet, Burgundio arripit Helvetiis arma inferendi: a qua voluntate nullis conditionibus ab Helvetica gente propoſitis abduci potuit, neque Ludovici regis precibus, qui negotio per oratores ſuos intervenerat, cum bellum illud damnoſum et victori infructuoſum eſſe multis rationibus oſtenderet. Sed obſtinati animi non diu fuit quin [m] Burgundio graviſſimas poenas lueret, maximis duabus intra XX dierum ſpatium acceptis cladibus; priore ad [n] Granſonem, ubi fugatus, amiſſa omni pretioſa ſupellectile; altera ad [o] Moratum, ubi occiſis VIII CIƆ ex ſuis, nec ulla ſpe praeterea exercitus reparandi reliqua, animo confuſus ad ſuos [p] Sequanos confugit anno S. CIƆCCCCLXXVI. Hoc ſucceſſu erecti Helvetiis animi; qui praefecturas Sabaudae ditionis, quas antea ceperant, quaſi victoriae de potentiſſimo principe reportatae fructum ab eo tempore penes ſe retinuerunt. Tunc vero treis ex iis Genevae proximas metu auxiliaris exercitus Sabaudo his conditionibus reſtituerunt; ut eis conſcientiae ſalva libertas maneret, eamque in religione doctrinam, quam hactenus amplexi fuerant, ſequi liceret: ſi contra vim Sabaudus adhiberet, liberum eſſet illis ad Helvetios tranſire; et illorum patrocinium Helvetii eo caſu citra violatae pacis culpam ſuſcipere poſſent. Genevenſium diverſa cauſa erat; de quorum contentionibus cum vicino Sabaudo erit alius

ubertim

VAR. LECT. [α] dux, de quo ſaepius a nobis honorifica facta mentio eſt, cum D. f. o. d. [β] Philiberti Sabaudi D. f.

INTERPR. [a] *de Tolede.* [b] *Chiapin Vitelli, marquis de Cetona.* [c] *Monfleur.* [d] *la Franche Comté.* [e] *l'Arche.* [f] *l'Iſere.* [g] *Savoye.* [h] *ceux de Berne.* [i] *le Hardi* [k] *de Romont.* [l] *bailliage de Vaud.* [m] *le duc de Bourgogne.* [n] *Granſon.* [o] *Morat.* [p] *ceux de la Franche Comté.*

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

ubertim dicendi locus commodior. Tunc igitur Genevenſes ſibi metuentes ad Helvetios legationem decernunt, jam proprio periculo ſatis territos; eodemque tempore ad Condaeum, qui in [a] Heduis cum [b] Andeloto erat, mittunt, qui communis periculi admonitum ad arma capeſſenda hortarentur et opem implorarent. Verum is metus ſubito evanuit, feſtinato [c] Albani tranſitu, qui, nulla mora interpoſita, in Belgium deſcendit. Is ex Italia diſcedeus, dum per [d] Allobroges et Sebuſianos iter haberet, auctor fuerat reginae, ut Helvetiorum auxiliareis copias conduceret, et delectum per regnum haberet, ut eodem tempore in Gallia et Belgio Sectarii opprimerentur. Nec id ſegniter factum. Nam et VI Helvetiorum CIↃ conſcripta, et delectus per [e] Campaniam et Picardiam habiti: datum praeterea negotium praefectis, ut cum equitum turmis aliquot et peditum cohortibus ſpecie limitis tuendi in armis per omnem illum tractum quaſi ad latera Albani incederent. Quae in ſuam perniciem fieri Proteſtantes apud nos interpretati eo maturius arma ſumpſere, et regem atque ejus aulam [f] Moncelli in [g] Meldis, ubi diverterat, paene oppreſſere. Acceptis in Sequanis IIII equitum cataphractorum turmis, quae CCCC efficiebant, quas Philippus conſcribi juſſerat, ducibus [h] Vergio comitatus praeſide, Capralio, Monmartino et Clarovallio ex primaria nobilitate, C item equitibus ſcloppetariis, duodecimo poſt die [i] Fontenaium in Lotharingiae limite Albanus venit; atque inde duodecimis caſtris [k] Theodonis-villam petit, Lucemburgenſis principatus oppidum; ubi obvium habuit Carolum [l] Barlemontium et Noercarmium a Parmenſi ad eum ſalutandum miſſos; quibus ille mandatorum regiorum exemplum gubernatricis nomine petentibus exhibuit. Iis armorum ſumma praefectura per Belgium univerſum illi attribuebatur: cum vero pacata omnia in Belgio eſſe intelligeret, ut ſumptibus parceret, equitatum Germanicum nuper conſcriptum, qui cum in limite oppericbatur, dimiſit; ſervata tantum Alberici [m] Lodronii legione, quae Theodonis-villa Antuerpiam praemittitur, juſſis Belgarum XVI ſignis, qui in urbe erant, excedere. Ipſe Bruxellas cum reliquis copiis contendit, praemiſſo Franciſco Ibarra, qui [n] Parmenſem ſuo nomine ſalutaret, ac de adventu ſuo certiorem faceret. Tandem ad eam venit XI Kal. Sept. Sicula legione penes ſe retenta, cui [o] Bruxellis hoſpitium per metatores diſtribuit, Neapolitana [p] Gandavum, Sardoa Anguianum, et Langobardica, cui [q] Sanctius Lodognius praeerat, [r] Liram Brabantiae oppidum miſſis, ut ibi in praeſidio eſſent. Ferdinando item [s] Toletano negotium dat, ut cum quam maximo poterit equitatu [ſ] Diſtac in Brabantia ſubſiſtat. Ipſe ſibi hoſpitium Bruxellis in [t] Culemburgi comitis aedibus delegit: nam Parmenſis palatium occupabat; ad quam mox ille ſalutandam magna pompa proficiſcitur, et ampliora, quae a rege habebat, mandata exhibet. Iis, ultra ſummam armorum praefecturam, illi rerum, quae ad religionem ſpectarent, cognitio attributa erat, cum poteſtate magiſtratus plectendi, deponendi, alios ſufficiendi, gratiam delictorum faciendi, civili aliarum rerum adminiſtratione ſalva penes Parmenſem remanente. Et quoniam ſuboriri controverſia poterat ſuper iis, quae ad bellicam rem et religionis cauſam, quae item ad civilem adminiſtrationem pertinerent, additum erat, ut arbitrium ejus rei penes Albanum eſſet; qui, quae ſuae functionis eſſent, et quae ad Parmenſem ſpectarent, unus cum plena auctoritate dijudicaret. Ad extremum prolatae ab Albano regis ad Parmenſem literae ipſius manu exaratae; quibus ſignificabat, ſe certarum rerum executionem Albano commiſiſſe, quarum in tempore illam certiorem faceret. Tum roganti Parmenſi, quid illud eſſet, Albanus quaſi per riſum ſuperbe reſpondit, in praeſentiarum minime animo ſuccurrere; ſed temporis progreſſu id ſe in memoriam revocaturum, et ei qui-

quid

INTERPR. [a] *Bourgogne.* [b] *François de Coligny, ſieur d'Andelot.* [c] *le duc d'Albe.* [d] *Savoye & Breſſe.* [e] *la Champagne.* [f] *Monceaux.* [g] *Meaux.* [h] *de Vergy gouverneur de la Franche Comté, le baron de Chevreaux, de Montmartin, de Clairvaux.* [i] *Fontenay.* [k] *Thionville.* [l] *les ſieurs de Berlaimont & de Noercarmes.* [m] *de Ladron.* [n] *la ducheſſe de Parme.* [o] *Bruxelles.* [p] *Gand.* [q] *Sancho de Londogno.* [r] *Lierre.* [s] *de Tolede.* [ſ] *Dieſt.* [t] *l'hôtel de Culemburg.*

quid eſſet poſtea declaraturum. Quod cum maxime Parmenſis animum pupugiſſet, tamen injuriam eam prudenter diſſimulavit, occaſionem opperiens, dum, petita a rege venia e provincia, quam ſumma fide et aequitate adminiſtraverat, honeſte diſcedendi, diſparis ſucceſſoris comparatione, partim calumnias de ſe ad regem delatas, quaſi conniventia ſua turbas aluiſſet, per abſentiam ſuam revinceret, partim ſui deſiderium majus in Belgio relinqueret.

CIↃIↃLXVII.

CAROLUS IX.

XV. UBI venit Albanus Bruxellas, diſtributis circa ſe per Brabantiam copiis, ſcripto edito ad libellum ſuperiore anno oblatum regis nomine reſpondet; revocatiſque Caroli V ac regis de religione et inquiſitione placitis, eorum moderandorum, Ordinum item Belgii convocandorum ſpem omnem praecidit: tum, datis ad ſingularum provinciarum Ordines fiduciariis literis, quid ſibi a rege mandatum ſit, indicat: hortaturque, regi ſe morigeros praebeant, arma deponant, majorum ſacra colant: typis etiam ad majorem fidem auctoritatis ſibi a rege creditae faciendam diploma regium excudi jubet.

XVI. INTER arcana Albano a rege commiſſa praecipuum illud fuit, ut ſuſpectos proceres in poteſtatem redigeret: cumque ei [a] Ecmondanus [b] Tilemonem uſque obviam proceſſiſſet, Albanus in congreſſu, converſo ad ſuos ſermone, ita tamen ut Ecmondanus exaudire poſſet, dixiſſe ferebatur, En magnum haereticum. Quod Ecmondanum primo anxium habuit: ſed, cum Albanus renidenti vultu venientem complexus id per riſum dixiſſe ſignificaret, in meliorem partem accepit. [c] Hornanus poſtea cum [d] Lovanii convenit, et poſt ſalutationem honorificam commeatum domum ad aliquod tempus concedendi ab eo impetravit: quod in cauſa fuiſſe creditur, cur non Ecmondanum primo captivum ſtiterit, cum omnes ſimul capere decreviſſet; et vereretur, ne, uno ſigillatim cuſtodiae mandato, ceteri ſibi fuga conſulerent. Itaque dilatum negotium, dum Bruxellas ſpecie conventus proceribus accitis omnibus ſimul eodem tempore manum injiceret: a quo conſilio quia alienam Parmenſem Philippus ex ipſius literis cognoverat, id eam celatum volebat. Et vero Albanus, colloquio cum ea habito, id ipſum intellexit, cum illa non ſolum Ecmondanum et Hornanum, ſed [e] Arauſionenſem ac ceteros in officio ac obſequio permanſuros affirmaret, ſi clementer ac benevole cum eis agatur: ſin, contra, ſevera remedia adhibeantur, metuere, ut conſilia ex regis voto ſatis procedant: nam ſibi perſpecta Belgarum ingenia eſſe, quae nihil non pro libertate audeant, quaeque ut motibus ad novos caſus obnoxia, ſic indulgentia principum facile ad fidem redeant; contra, ad extrema conſilia ex deſperatione deflexura, ſi ſpes retinendae libertatis adimatur: falli eos qui aliter judicant, et in errorem pertrahere regem poſſe, qui procul in diſparis ingenii ſolo de Belgii motuum componendorum ratione deliberant. Cum ita ſentire Parmenſem ſciret Albanus, eo impenſius laborabat, ne quid de ſuis conſiliis ad eam emanaret. Gandenſes etiam in illa fortuna antiquos ſpiritus reſumentes, cum ſe praeſidio gravari inique ferrent, cum Ecmondano Flandriae praeſide egerant, ut cauſae ſuae patrocinium apud Albanum ſuſciperet: nec ille abnuerat. Itaque legatos e ſuo ordine ad Albanum cum Ecmondano Bruxellas proficiſcente mittunt; qui nullum aliud ab Albano reſponſum tulerunt, quam ſe curaturum quod e re ſui regis eſſet. Tandem, re compoſita, cum Ecmondanum et Hornanum Bruxellas exciviſſet, tanquam de graviſſimis negotiis conſultaturus, eos in concilium vocat a meridie V Eid. Sept. eodemque tempore Joannem [f] Caſembrodium Bakerſelam, qui et ipſe Bruxellis erat, obſervari jubet per Andream [g] Salazarium Panhormitanae arcis in Sicilia praefectum, et Joannem [h] Spuchium arcis Plombinenſis itidem praefectum. Mittit

INTERPR. [a] *le comte d'Egmond.* [b] *Tilemont.* [c] *le comte de Horne.* [d] *Louvain.* [e] *le prince d'Orange.* [f] *Caſenbroot, ſieur de Backerſeel.* [g] *de Salazar, caſtellan de Palerme.* [h] *d'Eſpuches, caſtellan de Piombino.*

CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

Mittit et interim comitem [a] Lodronium et Sanctium Lodognium Antuerpiam, qui Antonium [b] Stralium virum opibus et gratia inter civeis ſuos florentem comprehenderent: quod illi fecerunt, inter [c] Antuerpiam et Mechliniam iter facientem nacti, et ſtatim ejus bona Antuerpiae deſcribi et ipſius aedeis obſignari curaverunt. Quae dum agerentur, Albanus de arce Antuerpiae conſtruenda, cujus et delineationem proponebat, diſſertatione inſtituta concilium in veſperam uſque extrahit, dum de Stralio et Caſembrodio captis ſibi conſtaret: quos ubi comprehenſos reſcivit, ſtatim concilium dimittit, dato negotio Sanctio [d] Avilae ſtipatorum ſuorum ductori, ut Ecmondanum, Hier. [e] Salinae Portus Herculis in Etruria praefecto, ut Hornanum captivum ſiſterent. Ii cum officii ſpecie praecederent, abeunteis per diverſas januas emiſerunt, ut ſeorſim ac citra tumultum facilius comprehenderentur. Cum gladium regis nomine ponere juberetur Ecmondanus, vir ingentis animi, aegre eum, quem toties pro principe ſuo ac patria tam feliciter ſtrinxiſſet, relinquere ſe dixit: Hornanus autem cum ſiſteretur, de Ecmondano ubi eſſet, percunctatus, cum nihil a circumſtantibus reſponderetur, ſublatis in coelum oculis, et profundo dato ſuſpirio, Id vero rationi conſentaneum erat, inquit, ut, cujus conſilium ſecutus ſum, ejus quoque fortunae comes eſſem. Quo dicto ſuam credulitatem increpabat, qui Ecmondani amicitiae ſana Arauſionenſis monita ac praeſagia ultimo [f] Willebroci colloquio poſthabuiſſet. Quo facto, Albanus ſtatim [g] Barlemontium et Petrum Erneſtum Mansfeldium ad Parmenſem mittit, qui rem denunciarent; addito, illud eſſe, quod rex literis ſuis obſcure ſignificabat, quodque pro tempore ei non explicaverit: id vero ſe optima mente feciſſe; nimirum, ut facti invidiam ac periculum, ſi quid ob id tumultus oriretur, in ſe transferret, et ipſam erga populum, cui regendo deſtinata eſſet, omni odio liberaret. Quam excuſationem indigniſſime accepit Parmenſis; quippe injurioſam, cum et fidem ſuam in dubium revocaret [h] Albanus, et ſibi, neceſſitate e Belgio diſcedendi impoſita, tamen quaſi provinciae gubernatrici, putida diſſimulatione illuderet. [i] Hoſtratanus comes et ipſe ab Albano evocatus in viam ſe dederat: verum ſive vero ſive ſimulato morbo praepeditus non venit; et ita periculum evaſit. Capti et alii; ſed obſcurioris famae. Nocte, quae captos proceres ſecuta eſt, Albanus ab Ecmondano arcis Gandenſis teſſeram popoſcit, ut ea repraeſentata [k] Trullerus, qui ipſius nomine arci praeerat, eam in poteſtatem ſuam, aut ejus, quem vellet, traderet. Tradita arx, et Alfonſo Ulloae, qui jam in urbe cum ſua legione erat, commiſſa; moxque Ecmondanus et Hornanus in eam ſub cuſtodia miſſi ſunt. Ceteri nobiles, pars [l] Vilvordam tranſlati, pars Bruxellis aſſervati ſunt. Cum caperentur illi, aderat P. Erneſtus Mansfeldius, qui Carolo filio, quod cum foederatis initio capita contuliſſet, metuens, praeſenti innuit, ut ſe ſubduceret, neque gratiae, quam ex meritis ac fideli obſequio apud regem collegerat, neque adeo Albani, implacabili ſeveritate viri, amicitiae confideret. Atque is patris monitis obſecutus propere fuga ſibi conſuluit, et apud nos honorifice acceptus eſt; ubi cum diu manſiſſet, una et altera poſt primae obitum uxore in Gallia ducta, rurſus in Belgium abiit, et bellis poſtremis indignam regibus noſtris et nomini Gallico gratiam rependit. Interea miſſis paſſim, qui in ſeditionis auctores inquirerent, ingens terror per univerſum Belgium ſpargitur; multique cum ſuam innocentiam non ſatis tutum perfugium eſſe cernerent adverſus impotentem Hiſpanorum ſaevitiam, ſibi metuentes, pars in [m] Britanniam et maritimas civitates, pars in Germaniam et Galliam proximam diffugere. Secundum haec, habendorum in Belgio comitiorum ſpes, quae provincialibus aliquantula affulſerat, prorſus evanuit: in eorumque vicem inſtitutum ſeptemvirale concilium,

INTERPR. [a] *le comte de Lodron & Sancho de Londogno.* [b] *Stralen.* [c] *Anvers & Malines.* [d] *d'Avila.* [e] *de Salinas, gouverneur de Porto Ercole en Toſcane.* [f] *Willebroeck.* [g] *le ſieur de Berlaimont & le comte de Mansfeld.* [h] *le duc d'Albe.* [i] *le comte de Hooghſtrate.* [k] *le ſieur de la Trouillere.* [l] *Vilvoorden.* [m] *Angleterre.*

concilium, cui ipſe Albanus praeſidis titulo praeeſſet; et nominati initio ex proceribus CIϽIϽLXVII.
[a] Arembergius et Barlemontius dicis cauſa tantum, nam in concilio nuſquam comparuerunt, et iis [b] Noercarmius ſubſtitutus eſt. Praecipui conſiliarii fuere Joannes [c] Varga, Ludovicus [d] Delrio, Hiſpàni juriſconſulti, Hadrianus [e] Nicolaius curiae Geldrenſis cancellarius, [f] Joannes Porta, Jacobus [g] Heſſeltius, Jo. [h] Blazerus Boſius regius cognitor, ac poſtremo Jacobus [i] Torrenſis ſcriba. Eorum juriſdictio poſtea contra privilegia provincialium, curiarum auctoritatem, ac ſupremum Belgii ſenatum in primis, ab Albano prorogata eſt, adempto etiam appellationum beneficio, et attributa plena eorum omnium cognitione, quae ad religionem ac perduellionis crimen pertinerent: quae rurſus juxta Inquiſitionis Hiſpanicae decretum ultra modum ampliata ſunt. Mox innumeri paſſim [k] Tornaci, Mechliniae, Gandavi, Antuerpiae in carcerem conjecti, et horum criminum poſtulati, ex quibus plurimi ad ſupplicium rapti; tanto omnium odio, ut concilium, non pacis aut juſtitiae ſed turbarum ac ſanguinis, illud vernacula lingua ad id voce compoſita vulgo appellaretur.

CARULUS IX.

XVII. NEC multo poſt Antuerpiam venit Albanus; ubi arx in [l] Kilio ſuburbio meridiem verſus ſpatioſa ſtrui coeperat, repleta ab ea parte urbis foſſa et [m] Groneburgia porta, ac venerandae antiquitatis turre ſolo aequata. Ea ab [n] Paciorto Allobroge, qui arcis ad [o] Auguſtam Taurinorum ab Emmanuele Philiberto Sabaudiae duce nuper exſtructae fabricator fuerat, ex conſilio [p] Chapini Vitellii et comitis Serbelloni equitis Hieroſolymitani, Hungariae prioris, eo prius miſſorum, quinquangulari forma conſtructa eſt; ad ſingulos angulos excitatis latis ac projectis propugnaculis; quorum quatuor inuſitato etiam inter Hiſpanos faſtu ex ſui unius nomine appellari voluit Albanus: nam primo ducis, alteri [q] Albae, tertio Ferdinandi, quarto denique [r] Toletani gentile nomen indidit; quinto de nomine artificis Paciotto nomen fecit. Feſtinatis operis deproperatum opus Albani juſſu, bis mille hominibus laborem continuantibus: in cujus rei ſumptus Antuerpienſes cccc florenorum CIϽ contulere, quae ex centeſimae et decimae erogatione imperata reſarcirentur. Idque eo propenſius ab eis factum, quod urbem praeſidiario milite exoneratum iri ſperarent, cum tamen nullum ex ea re levamentum ſenſerint. Nam, cum arcis cuſtodia primo cum idoneo praeſidio attributa eſſet Gabrieli Serbellono Mediolanenſi, ſpectatae virtutis duci, cujus aliquoties a nobis ſupra facta mentio eſt, et poſtea Sanctio [s] Avilae olim gregario militi, ſed ex eo ad maximos honores evecto, nihilominus Albericus [t] Lodronius cum aliquot Germanorum ſignis urbi impoſitus eſt.

XVIII. JAMQUE ad eam altitudinem perducta erat munitio, ut defendi poſſet, cum armamentarium Mechlinienſe caſu urbi illi fatali arſit. Nam xx ante annis ictu fulminis tacta turre in eadem urbe, in qua pulvis tormentarius aſſervabatur, plus IϽ homines, ut quidam ſcripſere, perierunt, partim ruina obruti, partim poſtea intercluſo ſpiritu ſuffocati, et fame, cum victus non ſuppeteret, inter ruinae moles miſerabiliter enecti. Certe Joannes Sleidanus libro XVII eam cladem pluribus verbis perſequitur; et, ultra ruinam, qua urbem penitus deformatam dicit, arbores radicitus evulſas, et homines cc plus minus varia peſte abſumptos narrat, praeter eos, qui mutilati aut ludibrio fortunae ſervati et e cellis ſubterraneis triduo et quatriduo poſt eruti ſunt, vita penu ibi condito tolerata: ingentem praeterea jumentorum et pecorum numerum cum ſtabulis deflagraſſe, et murum ea parte, qua turris arſit, ad cc amplius paſſus, lapidibus huc illuc disjectis, ſolo aequatum. Quae eadem fere in hujus anni

INTERPR. [a] *le comte d'Aremberg.* [b] *Philippe de Ste Aldegonde, ſieur de Noercarmes.* [c] *Vargas.* [d] *Delrio.* [e] *Nicolay, chancelier du conſeil de Gueldres.* [f] *Jean de la Porte, avocat fiſcal.* [g] *Heſſele.* [h] *Blaſeres du Bois, procureur general.* [i] *le ſecretaire de la Torre.* [k] *Tournay, Malines, Gand, Anvers.* [l] *fauxbourg du Kiel.* [m] *la Croonenburg-poorte.* [n] *Paciotto Savoyard* [o] *Turin.* [p] *Chiapin Vitelli, & Gabriel comte de Serbellone, chevalier de Malte, grand prieur de Hongrie.* [q] *d'Albe.* [r] *de Tolede.* [s] *d'Avila.* [t] *de Lodron.*

anni incendio acciderunt. Is caſus Albanum maturius [a] Antuerpia Bruxellas revocavit, ut, ſi quid inde novi ſuboriretur, ad omnia praeſto eſſet.

XIX. PAULO ante, redardeſcente civili apud nos bello, de quo deinceps dicemus, rex ex occulto foedere [b] Baionae inito auxilia ab Albano depopoſcerat; qui non ſolum regis poſtulatis libenter annuit, ſed, cum compoſita jam in Belgio omnia crederet, ultro ſe ducem obtulit: quam propenſam adeo voluntatem regina ac primarii conſiliarii cum ſuſpectam haberent, veriti, ne, ſi Albanus veniret, non adjutorem ſed exploratorem in viſceribus habere cogerentur, gratias honorifice egerunt; et tutius utrique regi eſſe reſponderunt, ſi ipſe in Belgio remaneret, et, alio duce, copias in Galliam mitteret. Is delectus ab eo eſt Jo. [c] Ligneus Barbanſonus Arembergii comes; qui cum CIↃ IↃ equitibus ex Flandrica et Burgundica militia ad regem miſſus eſt, CIↃ praeterea Hiſpanis peditibus, ac totidem Belgis; qui poſtremi, ſeveritatem ſeu potius ſaevitiam Albani metuentes, ut tantiſper a periculo abeſſent, ultro militiae illi nomen dederant. Praemiſſo Albano et rebus ab eo in provincia ordinatis, reſtabat, ut Philippus ipſe, uti ab initio conſtituerat, in Belgium honorifice ac ſecure veniret: verum cum domi retinuere, uti ſcripſit Bernardinus Mendoza, filii cuſtodia, quam mors ipſius nec non Eliſabethae uxoris propere ſecuta eſt, et Maurorum in [d] Baetica exitiales motus, qui Hiſpanias omneis nimium quam commoverunt, de quibus in ſequentibus ſingillatim dicemus. Nunc e Belgio in Germaniam ac porrectas ad ſeptentrionem regiones deveniamus.

XX. DURABAT adhuc bellum Suecis contra Danos ac Polonos Erici temeritate irritatos; cui componendo, quod quietem Germaniae ſolicitare videretur, Maximilianus Caeſar, prudentiſſimus princeps, omne ſtudium ſuperioribus annis adhibuerat: neque hoc anno ceſſavit, menſe Martio conventu [e] Sundii indicto, delegatoque ad id Friderico Palatino ſeptemviro, et Pomeraniae principibus. Henricus [f] Ranzovius [g] Holſatiae vicarius a Friderico Daniae rege venerat, qui herum ſuum Caeſarianorum delegatorum arbitrio ſe ſummittere paratum oſtenderet; ſed, cum Suecus legatos ſe mittere non poſſe reſcripſiſſet, Ranzovius, commeatu a delegatis petito, in Daniam re infecta rediit.

XXI. ERICUS menſe inſequenti in Norvegia ad [h] Aſloiam cum exercitu erupit, et arcem [i] [α] Aggerſhauſenam irrito conatu oppugnavit. Nam, cum praefectus loci, ut obſeſſoribus incommodaret, Aſloiam oppidum incendiſſet, miſſis interim [k] Hafnia a Dano copiis, Sueci repulſi ſunt, et ſoluta obſidione arx ſervata. Inde Suecus, quaſi non ſatis eſſet hoſtem foris habere, etiam intus ſibi fecit aut invenit. Nam mox, quaſi furore adactus praecipuos conſiliarios ex levi ſuſpicione in crimen vocatos, [l] Suantonem Sturam comitem cum duobus filiis Nicolao et Erico, Abrahamum Guſtavi filium, Juarum Juari filium, et, ut ſceleri impietatem admiſceret, Dionyſium [m] Burgium praeceptorem ſuum, inſtigante Petro ab epiſtolis, acerrimo turbulenti regis ingenii incentore, quaſi conſpirationis contra ſe initae reos, inauditos [n] Upſaliae a ſatellitibus interfici mandavit. Qua caede perpetrata, pudore ac conſcientia intus exagitatus, ut aliquo facto contrario crimen dilueret, Joannem fratrem, quem cum conjuge captivum jam aliquot annos cuſtodierat, carcere emittit, ut eſſet, qui tot innocentium immaniter occiſorum ultor ipſum de regni culmine deturbatum viciſſim in carcerem conjiceret. Interim variis cladibus eodem anno conflictatus eſt. Nam, in Livonia cum Nicolaus [o] Kurſelius [p] Lempſalii oppidi praeſidium a Sigiſmundo Auguſto impoſitum oppreſſiſſet, Nicolaus Tolivenſius Polonorum dux, ut cladem acceptam aliquo operae pretio ſarciret, in [q] Vicchiae finibus Suecos facto exultanteis

VAR. LECT. [α] Aggerſanſenam *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Anvers, Bruxelles.* [b] *Bayone.* [c] *de Ligne, prince de Barbançon, comte d'Aremberg.* [d] *Andalouſie.* [e] *Stralſund.* [f] *de Rantzow.* [g] *Holſtein.* [h] *Anſlo.* [i] *Aggerſhauſen.* [k] *Coppenhague.* [l] *Suanton Sture.* [m] *Burg.* [n] *Upſal.* [o] *Kurſel.* [p] *Lempſal.* [q] *Wikke.*

ultanteis ac ſecuros aggreſſus inſignem de iis victoriam reportavit, caeſis bis mille Suecis, ut quidam ſcripſere, et captis pleriſque atque in iis urbis [a] Revaliae ſignis. Diverſa parte, Daniel Ranzovius militiae Danicae praefectus, menſe Octobri per fauces anguſtas, vulgo cavas dictas, [b] Sueciam ingreſſus, et aliquot menſeis impune incendiis ac direptionibus late graſſatus, ad [c] Waſtenum uſque pervenit: cujus progreſſu efferatus Ericus, ut praeveniret periculum, miſerabili multorum oppidorum ditionis ſuae exitio, quae ipſe incendit, redimere coactus eſt. Parta ingenti praeda, et terrore ſui late ſparſo, Ranzovius ad ſuos incolumis reverſus eſt. Eodem fere tempore inter Polonos et Moſcos ad [d] Sitinum lacum pugnatum eſt XVI Kal. Octob. Poloni [e] Witepſia egreſſi Moſcos CCC circiter ceciderunt, captis CXX machinis et globorum ac pulveris magna multitudine, et opimis praeterea ſpoliis. Nec multo poſt pridie Eid. Dec. Poloni praeſidiarii pedites Witepſia item egreſſi juxta [f] Wieliſſam arcem cum Moſcis feliciter conflixere, multis caeſis, aliis in fugam verſis, quorum pars [g] Duina fluvio ſubmerſi ſunt: capti praeterea ex primaria nobilitate Alexius Simiſcovius et Bogdanus Reorius.

CIↃIↃ XVII.
CAROLUS IX.

XXII. DUM paſſim vi res geritur, controverſia inter Daniae regem et [h] Holſatiae duces agnatos de [i] Slevicenſi principatu per delegatos, qui [k] Othoniae in Fionia convenerant, diſceptata eſt. Holſati beneficio regum Daniae majores ſuos ditionem Slevicenſem accepiſſe et tenuiſſe fatebantur; nec proinde juramentum, de quo cum Chriſtiano III ante XX annos [l] Coldingae convenerant, praeſtare recuſabant: ſed beneficium liberum eſſe et hereditarium aiebant, nec militiae obnoxium, cujus tam viri quam foeminae capaces eſſent: idque allatis in medium priorum regum inſtrumentis, et communi jure Danico, cujus in Slevicenſi principatu uſus eſſet, confirmabant. Ita a Woldemaro rege [m] Juthiae auſtralis principatum, anno Sal. CIↄ CCCXXVI, cum dominio utili ac directo Gerardo Holſatiae comiti ipſiuſque heredibus initio conceſſum eſſe, ſolo jure ſuperioris dominii et beneficii conferendi ſervato: ſic Chriſtophorum regem biennio poſt inſulam [n] Cimbricam Joanni Holſatiae comiti et ipſius heredibus tam maſculi quam foeminei ſexus ab eo deſcendentibus beneficii jure attribuiſſe: quam donationem Woldemarus IIII, anno duodecimo poſt, ratam habuerit: Chriſtophorum III denique Adolpho duci, centeſimo anno poſt, principatum illum, ſicuti ſuperiores reges ac reginae ſine ulla conditione libere tenuiſſent, ita liberum habere ac poſſidere juſſiſſe: nec Adolpho duce Slevicenſi poſtremo ſine liberis anno Sal. CIↄ CCCCLX mortuo propterea beneficium jure reverſionis regno unitum eſſe; ſed Chriſtianum I Daniae regem hereditario jure, utpote Adolphi ſororis filium, in beneficium ſucceſſiſſe: eodem titulo reges, qui deinceps fuere, illud poſſediſſe; et Fridericum anno hujus ſaeculi XXIIII inſuper addidiſſe, non teneri populareis extra fineis principatus Slevicenſis quenquam ſequi aut ulli militare, niſi ſponte aut ſtipendio accepto. Contra regii diſſerebant, nullis publicis regni inſtrumentis militiam expreſſe remitti, cum in beneficiis, quae ſtricti juris ſunt, expreſſa remiſſio requiratur, et in dubio contra ſubditum ſemper pro domino pronuncietur: et, ut vetera omittantur, conſtare Sigiſmundi Caeſaris ſententia, in quem utraque pars compromiſerat, literas Woldemari abolitas eſſe, et principatum ducibus ademptum regi adjudicatum: morte dein Adolphi ultimi ducis eundem principatum regno unitum eſſe, prioribus literis omnibus extinctis; nec de nova beneficii conceſſione ſatis conſtare: itaque, cum illud Holſatiae ducibus initio conceſſum ſit, mares ſolos non foeminas eo comprehenſas intelligi; hos enim beneficii militiam debentis ſolos capaces:

INTERPR. [a] *Revel.* [b] *la Suede.* [c] *Wadſtena.* [d] *le lac de Stin.* [e] *Witepsk.* [f] *Weliſch* [g] *la Dwina.* [h] *Holſtein.* [i] *duché de Sleſwick.* [k] *Odenſee en Funen ou Fionie.* [l] *Coldingen.* [m] *Sud-Jutland.* [n] *Nord-Jutland.*

capaces: proinde neque Adolphi ſororem ſuccedere in principatum potuiſſe, neque hodiernos principes legitimos ejus heredes eſſe. His per aliquot dies agitatis, tandem placuit, ut interventu legatorum Auguſti Saxonis ſeptemviri, Ulrici [a] Megalopolenſis et Willelmi Heſſi res diſputaretur et amice componeretur. Itaque totum decennium continuata tractatio; quae demum anno hujus ſaeculi XXC finem habuit.

XXIII. WILLELMI Heſſi mentio modo facta me admonet, ut de Philippo parente ejus noviſſima verba faciamus. Is illuſtriſſima et antiquiſſima toto Imperio gente ortus, ut qui initia ſua ad Carolovingos noſtros referret, atque adeo ad profugos illos Caroli ultimi illius ſtirpis, qui Aureliani in carcere deceſſit, liberos, haud procul a caſtris parentis Willelmi [b] Cambum Palatinatus oppidum obſidentis anno hujus ſaeculi IIII natus, vitae militaris inde omen tulit. Poſtea, ſciſſa ob religionis cauſam Germania, Proteſtantium ſe et libertatis Germanicae acerrimum vindicem praebuit, cum foederi Smalcaldico ſubſcripſiſſet, et poſtea contra Carolum Caeſarem, adverſa licet fortuna, tamen invicto animo perſtitiſſet. Sed, cum, profligato Joanne Friderico Saxone ſeptemviro, a Mauritio genero perſuaſus cum Caeſare tranſegiſſet, unius literulae cavillatione aſtu [c] Granvellani deluſus ac carceri mancipatus totum quinquennium victricia Caeſaris ſigna et aulam ſecutus eſt, donec, deficiente a Caeſare Mauritio, libertati cum Saxone reſtitutus eſt. Ab eo tempore vitae anxiae et laborioſae poſt tot exantlatos labores pertaeſus ſe domi continuit, nulla praeterea re memorabili geſta, niſi quod ante quinque annos ad poſtulata Condaei, reginae ſe nomine tuentis, auxiliarem exercitum in Galliam ſummiſit. Vir fuit celſi et ingentis animi; qui, cum prudentia et conſilio multum valeret, plus tamen pugnacitati et fortunae ſemper tribuit: bellis defunctus etiam literarum ſtudia curae habuit; et [d] Marpurgi ſcholam celebrem inſtituit, ampliſſimiſque privilegiis ac ſtipendiis donavit: Xenodochia inſuper [e] Heiae, Merchuſii, Brubachii et Hocheimi inſtituta magnis vectigalibus locupletavit. Addam, quod, pleriſque riſu dignum, mihi ſilentio minime praetermittendum viſum eſt, ipſum tam inexhauſti ad venereos uſus ſucci fuiſſe, ut, cum uxore ſola uteretur, et illa toties cum admittere non poſſet, vir alioqui caſtus, quique vagis libidinibus minime oblectabatur, ex ejus permiſſu, negotio cum paſtoribus communicato, concubinam unam ſuperinduxerit, cujus conſuetudine ardore aliquantum perdomito parcius ac moderatius cum uxore verſaretur. Tandem hoc anno, qui illi climactericus fuit, poſtridie Paſchae mortalitatem exuit, inſpecto a medicis corpore triorches repertus. Heſſum mox Erneſtus Brunſvicus, qui cum conjunctiſſime vixerat, ſecutus eſt; pius, conſtans et fortis princeps a ſuis cognominatus; qui IIII Non. April. obiit, et [f] Oſterodi ſepultus eſt.

XXIV. HOC eodem anno apud nos Antonius [g] Croius Porciani princeps, juvenis magni et elati animi, ex febre ardenti Lutetiae, vix annum XXVI egreſſus, fatis conceſſit III Non. Maii, cum Franciſca [h] Amboſia ipſius parens paucis ante menſibus ultimum vitae diem clauſiſſet. Ea ob fugam ducis [i] Araſchotii gentilis moleſta lite et injurioſo carcere ab Anna Momorantio equitum magiſtro vexata fuerat; et Guiſiani, captata inde occaſione, cum Momorantius ad [k] Fanum Quintini captus in Belgio detineretur, odio potius aemuli, quam Amboſiae [l] Seniganae favore, afflictam ipſius fortunam ſublevaverant. Nihilominus poſtea ſciſſa factionibus aula, atque adeo regno, Porcianus ejus filius Proteſtantium doctrinam amplexus ad Momorantii et Coliniorum partes ſe applicuit, et [m] Franciſco Momorantio, cum ante biennium in armis cardinali Lotharingo occurrit, Lutetiae praeſto cum ſuis fuit. Juſculo, quod illum emota mente ad furorem adegerit, vim ei inſidioſe allatam a F. Claudio [n] Cluniaci antiſtite per San-Bartholomaeum emiſſarium ſuum, ut ingratitudinem hominis

tanto

INTERPR. [a] *le duc de Mecklenburg.* [b] *Chamb.* [c] *le chancelier de Granvelle.* [d] *Marpurg.* [e] *Heyne, Merkhauſen, Braubach, & Hochein.* [f] *Oſterrod.* [g] *de Croy, prince de Porcean.* [h] *d'Amboiſe.* [i] *le duc d'Arſchot.* [k] *St. Quintin.* [l] *de Senigan.* [m] *le mareſchal de Montmorency.* [n] *abbé de Cluny.*

tanto beneficio gentilibus ſuis obſtricti ulciſceretur, memorat auctor vitae ipſius Claudii; cujus rei penes libri ſcriptorem, qui [a] Dagonellus Vallius juridicus Cluniaci praefectus fuiſſe perhibetur, fides eſto. CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

XXV. IDEM annus et Michaelem [b] Stiſelium Eſelingenſem jam octogenarium, poſtquam in [c] Saxonia et Boruſſia diu profeſſoris munere functus eſt, [d] Jenae in Thuringia abſtulit; cujus libri arithmetici reconditiore numerorum ſcientia referti in magno, uti debent, pretio inter doctos habentur. [α] Poſt eum Joannes Langus, [e] Freiſtadii in principatu [f] Teſchinenſi in Quadis natus, VII Kal. Sept. annum LXIIII ſupergreſſus [g] Suidnicii itidem in Sileſia obiit; vel fideli Nicephori eccleſiaſticae hiſtoriae tranſlatione ad poſteritatem commendandus, quam ex veteri pulcherrimoque ac tota Europa unico exemplari Ferdinandi Caeſaris juſſu fecit; quod vix tandem ac diu poſt mea cura ac diligentia, ne periret, commodatum, heic apud nos ſua lingua excudetur. In Italia Franciſcus [h] Robortellus Utinenſis, qui magno cum ſtrepitu [i] Bononiae et Patavii profeſſus, et variis ſcriptis majorem de ſe opinionem excitavit quam implevit, cum Carolo [k] Sigonio, ſed impari certamine, ſaepius et acerbius quam inter literarum profeſſores decuit digladiatus, in iiſque contentionibus, Germanorum, qui et ei mortuo honorifice parentarunt, ſemper praecipuo favore adjutus, tandem ultimum diem XV Kal. April. clauſit, quinquageſimum annum haud multum ſupergreſſus. Robortellum [β] ſecutus eſt Octavianus Pantagathus, qui et Pacatus dici voluit; patria [l] Brixianus, collegii ſacri [m] Servorum ſodalis, vir antiqua probitate et omnis antiquitatis ac literaturae apprime gnarus; ad quem cum omnium, qui literas in urbe profitebantur, concurſus fieret, ſicuti olim juriſconſulti in circulis, ſic ipſe domi de re literaria interrogatus reſpondebat, ita ut illi ab ejus colloquiis ſemper eruditiores diſcederent. Inter alios ſuae doctrinae praecipuos admiratores ac ſectatores habuit Onufrium Panvinium, [γ] Ant. Auguſtinum, et Fulvium Urſinum, viros doctiſſimos, qui plurima ſe ab humaniſſimo viro hauſiſſe et in publicum ab illo accepta communicaſſe ingenue paſſim profeſſi ſunt. Ipſe, praeter literas, etiam officiis adeo in cunctos propenſus fuit, ut vulgo patris cognomine in urbe coleretur. Tandem extremo hoc anno, cum aetatis annum LXXIII egreſſus eſſet, optime meritam de cunctis animam Deo reddidit III Kal. Jan. in Servorum aede Romae conditus. Pantagathum praeceſſit Paulus [n] Leopardus, Iſenbergae in Flandria natus, III Non. Jun. cum aetatis annum ageret LVII, vivis exemptus; Graecae Latinaeque linguae doctiſſimus, quas poſt mortem ejus, edito emendationum opere, non parum pro tempore juvit; quarum prior decas ſtatim edita, altera diu ſuppreſſa tandem paucis ab hinc annis a Jano Grutero cum aliis publicata eſt: de cetero homo minime ambitioſus, ut qui [o] Bergis Divi Vinocci haud longe a [p] Dunkerca in humili ſchola obſcurus latere, quam in luce hominum honores et dignitates, quod poterat, affectare maluerit. Ante eos V Eid. Febr. fatis conceſſerat [q] Confluentiae Joannes [r] a Leia archiepiſcopus, Trevirorum ſeptemvir; qui populos Auguſtae Trevirorum et Confluentiae mutationem religionis molienteis ſevere admodum coercuit: in cujus locum poſt longas contentiones, diſſidentibus Treviris et ſacri collegii ſodalibus, tandem electus eſt Confluentiae VII Eid. April. [s] Jacobus Eltzius; cujus, etſi majorum religioni addictiſſimi, longe mitius ingenium ſui experti ſunt.

XXVI. SED omnium maxime memorabile fuit bellum [t] Gothanum, quod hoc anno in Germania Imperii decreto geſtum ſimul ac confectum eſt; cujus origo haec fuit.

VAR. LECT. [α] *Hoc Langi elogium deeſt* D. f. o. d. [β] Eodem anno ſecutus *D.* f. [γ] Ant. Auguſtinum *deſunt* D. f. o. d..

INTERPR. [a] *Dagoneau, ſieur de Vaux, juge de Clugny* [b] *Stifels d'Eſlingen.* [c] *la Saxe & la Pruſſe.* [d] *Jena.* [e] *Freiſtadt.* [f] *Teſchen en Sileſie.* [g] *Schweidnitz.* [h] *Robortello d'Udine.* [i] *Bologne & Padoue.* [k] *Sigonio.* [l] *de Breſcia.* [m] *de' Servi.* [n] *Leopard, natif d'Iſemberg au territoire de Werne en Flandre.* [o] *Winoxberghe.* [p] *Dunquerque.* [q] *Coblentz.* [r] *de Leyen, electeur de Trier* ou *Treves.* [s] *Jacobus ab Eltz.* [t] *de Gotha.*

CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

fuit. Gulielmus [a] Grombachius, collectis Albertinae proſcriptionis reliquiis, cum, poſt occiſum immani perfidia epiſcopum Wirtzburgenſem, et [b] Herbipolim ipſam pari audacia captam ac direptam, ſolicitata inſuper ad defectionem contra Imperii leges nobilitate, quo res ſuas magis firmaret, et receptum ſibi ac ſociis a Caeſare proſcriptis pararet, Joannem Fridericum et Jo. Gulielmum Saxones, Joannis Friderici olim ſeptemviri filios, clam obteſtatur, urget, increpat, nobilitatem reſpicerent, quae epiſcoporum et aliorum tyrannide oppreſſa in ipſis tanquam unicis patriae libertatis vindicibus omnem ſpem reponat: quod ſi minus commiſeratione aliorum tangantur, faltem privato periculo admoneantur: id enim agi, ut, oppreſſa nobilitate, ipſi omni auxilio deſtituti opprimantur: nam in ſpoliatione patris minime ſcelus, diu ante cogitatum, ſtetiſſe; ſed gradum ad majora contra eos audenda factum: ſapiant tandem, nec patientia nimia novam accerſant injuriam: tantum velint; non enim defuturos, qui eorum auſpiciis rem gerant: id juxta honorificum et fructuoſum Saxonicae domui fore, ut et eadem opera nobilitatis libertas aſſeratur, et, quae contra jus et aequum amiſerint, juſtis armis recuperent, ac priſtinae dignitati reſtituantur. Prenſantem et ſpem minis miſcentem Grombachium averſatus eſt Jo. Gulielmus; ſeque in Imperii fide fore teſtatus, eum a ſe ſtatim repulit. Verum Jo. Fridericus longe aliter his vocibus affectus eſt; quae in pectus hominis creduli et vana ambitione aeſtuantis alte deſcenderunt, ſtimulante eum ſemper paternae injuriae morſu; quo factum eſt, ut ille occaſionem ultionis oblatam minime ſibi praetermittendam cenſuerit, nec penſitatis rei gerendae rationibus, aut ſatis perpenſa Grombachii voluntate ac conſilio, ſe totum perditi ſicarii nutu et arbitrio circumagendum mancipaverit. Ille vero tanto patrono fretus, cujus ingenium vana ſpe infatuatum ad res, quas moliebatur, opportunum videbat, quo magis inflammaret, inimicitias inter eum ac fratrem ab ejus conſiliis diſſidentem ſerere coepit, ipſoſque invicem committere; ad haec, odia inter eum et Auguſtum ſeptemvirum exacerbare, et, ut ſceleris magnitudine eum obligaret, in perniciem Auguſti conjurare et ſicarios ſubornare. Dum haec agerentur, ignaro adhuc Auguſto inſidiarum, quae ſibi pararentur, ante triennium in comitiis [c] Wormatienſibus, quae ultima ſub Ferdinando Caeſare fuerunt, ad pacem publicam tuendam decretum fuerat in CIↃ IↃ equites alendos ſtipendium; quorum CIↃ Auguſto ſeptemviro, IↃ Willelmo [d] Clivenſi Juliacenſium duci attributi ſunt. Graſſante dein conjuratorum audacia, Auguſtus per literas ac legatos orat patruelem, factionis ſeditioſae ducem cum ſatellitio univerſo a ſe dimittat, ſibique ac ſuis hac in re conſulat, neu ſe turbidis hominis conſiliis immiſceat: cautum eſſe Saxonicae domus foedere, hoſteis publicos aut privatos aut ab Imperio proſcriptos, ne pars alterutra hoſpitio excipiat, aut patrocinio tueatur. Eodem officio apud Joannem Fridericum defuncti ſunt Fridericus Palatinus ſeptemvir et Philippus Heſſus; et Palatinus quidem in Thuringiam venit; et inde [e] Lipſiae cum Joanne Gulielmo Auguſtum ſeptemvirum convenit, ut offenſionis cauſas, ſi poſſet, praecideret, et utrumque cum ſeptemviro patruele, ac rurſus utroſque fratres generos ſuos inter ſe conciliaret. Primis dein comitiis, quae ſub Maximiliano [f] Auguſtae Vindelicorum celebrata ſunt, renovata eſt ſententia proſcriptionis, et ad receptatores atque auxiliatores porrecta; quae mox poſt datum tubis ac tympanis ſignum more ſolemni publicatur; ejuſque executio Auguſto Saxoni ſeptemviro demandatur. Fuit et decretum, ut miſſa legatione jubeatur Joannes Fridericus proſcriptos in manus Caeſaris tradere, aut vinctos, ubi ille velit, ſiſtere; ni pareat, debita receptatoribus poena afficiatur. Nec multo poſt patuere inſidiae a Grombachio, emendicato Joannis Friderici, cujus ingenio abutebatur, nomine, in Auguſtum ſeptemvirum ſtructae, capto Joanne [g] Bemo haud procul a [h] Dreſda et ſcelus inter tormenta confeſſo, Pbilippo Plaſſo item inſigni percuſſore

INTERPR. [a] *Grombach.* [b] *Wurtzburg.* [c] *Diete de Worms.* [d] *de Cleves, duc de Juliers.* [e] *Leipſick.* [f] *Augsburg.* [g] *la Beme.* [h] *Dreſden.*

percuſſore ad id ſe a Grombachio conductum profitente. Eodemque tempore alia teſtimonia ad Auguſtum afferuntur a Gunthero comite [a] Schuartzeburgo et Chriſtophoro [b] Zebicio, ex ore ipſius Grombachii excepta; quae tamen innata prudentia Auguſtus, dum ad bellum neceſſaria pararentur, ſolerter diſſimulavit, patruelem crebro officii per literas commonefaciens; ad quas ille ſuperbe et inſolenter reſpondebat, quamvis, ut Caeſari et Imperii mandatis obediret, proſcriptos ſe dimiſſurum prae ſe ferret. Haec in tempus capti [c] Zigethi ac Julae arcis inciderunt: quo caſu cum res Imperii turbatas viderent conjurati, nimium quam inſolito gaudio exultavere; jamque apertius pernicioſa conſilia renudant, ſolicitata ad defectionem contra Imperium nobilitate; et auxilia a Caeſare contra Turcas decreta impediunt. Qua re cum ultra modum Caeſar exacerbaretur, ſubdente faces Auguſto ſeptemviro, qui plurimum gratia apud eum valebat, Palatinus ſeptemvir rurſus, Heſſus et Clivenſis dux ſe medios interponunt; et nulli operae, nullis ſumptibus parcunt, ut Jo. Fridericum ad officium reducant: quin et ſe arbitros controverſiarum inter ipſum et patruelem ſeptemvirum offerunt. Nec Caeſar in ſpeciem detrectabat; quippe qui ſe arma civilia ex animo deteſtari diceret, idque pluribus patientiae paene nimiae exemplis demonſtrabat: ſed id ſalva dignitate ſua fieri poſtulabat: cauſam vero proſcriptionis non ſuam eſſe privatam, ſed Imperii publicam. Verum, cum Jo. Fridericus omneis honeſtas et aequas conditiones recuſaret, Auguſtus ſeptemvir, accepto a Caeſare mandato, quo, ut executionem decreti Imperialis quanta poſſet celeritate maturaret, jubebatur, cum comite Othone [d] Eberſteinio, Fabiano [e] [a] Schoeneichio et Chriſtophoro [f] Carolovicio equeſtris ordinis viris, quos illi Caeſar attribuerat, rem arcano et feſtinato conſilio aggreditur: et, ut imprudenteis opprimeret, media et aſpera hyeme copias praemittit, quae ante urbem [g] Gotham prius a proſcriptis de clade in [h] Pannonia accepta laetantibus et ob id ſecuris conſpectae ſunt, quam de conſilio Caeſaris quidquam animo tale concipere potuerint. Id pridie natalis Domini ſuperioris anni accidit. Denunciatio ſtatim per fecialem facta, qua ſubditi Jo. Friderici a fide, quam ei tanquam legitimo domino debebant, ob laeſae majeſtatis Caeſareae crimen ſolvebantur; et, deſerto illo, in Jo. Gulielmi fratris verba jurare jubebantur. Obſeſſa Gotha, neque tamen, quod adhuc pauciores numero copiae adveniſſent, undique cincta, commeatus et auxiliares ingreſſu haud omnino intercludi potuere. Itaque ex vicinis locis aliquot milites, ſed fere imbelles, in oppidum compulſi: et, ex pagorum circumpoſitorum praeda in aliquot dies annona comportata. Mox adveniente toto exercitu, cum aliquot dies ſine ullo operae pretio elapſi eſſent, decima quarta ab obſidione die Auguſtus ſeptemvir in caſtra venit; et juxta belli leges, diſpoſitis cum Jo. Gulielmo patruele acici forma ac circumductis propinquo intervallo univerſis copiis, deditionem fieri petit: qua negata, haud multorum dierum ſpatio, mira arte ac feſtinatione diſtributis operis, noctu diuque inſtans omnem undique urbem foſſis, aggeribus et caſtellis circundat, vallo tam prope ad urbem perducto, ut oppugnatoribus obſeſſiſque colloquendi facultas eſſet, nequicquam diſploſa interim ingenti machinarum procella; qua tamen minime operae impediri potuerunt. Dum in eo ſunt, per transfugas et ex interceptis obſeſſorum literis, magis ac magis pernicioſa aeque ac vanitatis plena proſcriptorum conſilia innotuerunt. Illis ſiquidem propoſitum erat, ſi eventus conatibus reſponderet, ſub initium veris VIII CIↃ equitum conſcribere, et IIII legiones; quarum II in Weſtphalia ad Rhenum uſque, II in [i] Vandalicis regionibus, excubarent; Weſtphalicis dato negotio, ut per epiſcoporum ditiones, Franconiam ac deinceps Thuringiam late graſſarentur, Mulhuſium,

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [a] Sconichio *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Schwartzenburg* [b] *Zebitz.* [c] *Zighet & Giula.* [d] *d'Eberſtein.* [e] *Schoeneyck.* [f] *Carlowitz.* [g] *Gotha.* [h] *Hongrie.* [i] *Pays de Wenden.* V. Chytraeum in Saxonia, parte 2. et 3.

[a] Mulhuſium, [a] Northuſiam et Erfordiam Saxonis ſeptemviri urbes grandi pecunia mulctarent: Vandalicis item, ut idem facerent, et Saxonis ſeptemviri totam ditionem vi ac rapinis depopularentur, mandatum: quo facto, Jo. Fridericus ad [b] Witebergam ſeptemvir crearetur; et, ubi exercitus duo coiiſſent, idem ſalutaretur more inter Romanos olim recepto ab univerſo milite Imperator: principes ceteri in ordinem cogerentur; qui recuſarent, de medio tollerentur: equeſtris ordo imperio principum ſubſtractus in libertatem aſſereretur, et ſoli ſubjiceretur Imperatori: nova ad extremum Imperii forma inſtitueretur. Quae omnia a transfugis evulgata poſtea partim ex captivorum confeſſionibus, partim ex chartis in arce repertis comprobata ſunt; in quibus et hoc perſcriptum erat, Maximilianum Caeſarem publicatione renovatae proſcriptionis fidem ac jurisjurandi religionem violaſſe, hocque tam inſigni perjurio ſemet majeſtate Caeſarea exuiſſe, et de Imperiali faſtigio dejeciſſe. Reperta et inter commentarios Jo. Friderici denunciatio belli, ad Imperii ordines directa, ipſius Jo. Friderici manu pleriſque locis notata et correcta. Ipſe vero, ut ex iiſdem commentariis cognitum eſt, et ſtipendia ducibus de ſuo decreverat, et praemia ampliſſima victori militi ex praeda ac terris occupatis propoſuerat. Inita et cum externis principibus occulta foedera, ac praecipue cum Erico Succiae rege; cujus turbidum ingenium ad turbandam Germaniae quietem conjuratis peropportunum viſum eſt. Miſſae et ad regem literae, graviſſimis adverſus Caeſarem et Imperii ordines querimoniis plenae; quibus auxilia petebantur. Facta poſtremo ſpes a [c] Grombachio amicitiae et opum Anglicarum ab Eliſabetha: et, quanquam Jo. Fridericus Agnetem Heſſi filiam et Mauritii, qui patrem ipſius ſpoliaverat, viduam in matrimonio haberet, tamen perſuaſum ei, tam facile uxorem repudiari poſſe, ut Eliſabetham ipſam duceret, quam ſtolide ſana ſoceri de eventu funeſto toties vaticinantis monita repudiaverat. In eam rem confictae a conjuratis quaſi ab Eliſabetha literae notis arcanis exaratae; quibus illa mirifico eum ſola virtutis et paternae et ſuae fama cognitum amore deperire conteſtabatur, et familiare cum ipſo colloquium expetere. Quibus rebus ut major fides aſtrueretur, impudens juxta et audax commentum Grombachium molitum affirmant; ſuppoſitam nimirum anno ſuperiore foeminam e proſtibulo, ad id ante inſtructam, quae obſoleto habitu, ut lateret, Erfordiam venit: eodem mox Jo. Fridericum vanis promiſſis a ſuis infatuatum veniſſe, et cum ea, quam Eliſabetham rebatur, quae relicto regno ad eum impotenti amore perculſa ſimulato morbo ſumma celeritate advolaſſet, ſic enim illa aiebat, ut conſpectu ejus et colloquio tamdiu expetito frueretur, diu collocutum; ab eaque poſt amplexus arctiſſimos certa auxiliorum et nuptiarum fiducia diſceſſiſſe. Ad impoſturas, ne quid inexpertum relinqueret, et magicam ſuperſtitionem addidit Grombachius, introductis ad Jo. Fridericum mathematicis, a quibus Angelorum reſponſa ſcitari, et de futuris belli et aliorum negotiorum ſucceſſibus, de Caeſaris et ſeptemviri Saxonis morte, de theſauris effodiendis, aliiſque hujuſmodi eventibus in occulto conſulere erat ſolitus. Quod cum paſtores improbarent, ac publice etiam reprehenderent, conjurati illis, ni temperarent, gravia ſupplicia interminati ſunt. Et his quidem artibus faſcinato Jo. Friderici ingenio abutebatur Grombachius: in plebem vero, quo eam ejuſdem conjurationis laqueis irretitam teneret, concione ad populum habita ſparſerat, bellum religionis abolendae cauſa, conſpiratione inter Caeſarem, ſeptemvirum Saxonem et Germaniae epiſcopos inita, ſuſceptum eſſe. Plebs interim omni ſpe auxilii deſtituta, deficiente commeatu, veſtibus attritis, nec ſuppetente ad eas materia, exhauſto principis aerario, miſerabiliter animi diſcruciabatur, domos ante oculos dirui ad propugnacula exſtruenda cernens: fama etiam ſeu vera ſive a Caeſarianis ſparſa, conſultari inter duces de milite idoneo intra arcem recipiendo et urbe incendenda: ad

VAR. LECT. [a] Northuſium D. o.
INTERPR. [a] *Mulhauſen, Northauſen, & Erford.* [b] *Wittenberg.* [c] *Grombach.*

ad eaſque anguſtias redacta erat, ut nullum aliud inevitabili, ſi pertenderet, exitio effugium provideret, quam ſi perduelleis proſcriptos, ſicuti a Caeſare monebatur, traderet, et legitimi magiſtratus poteſtati ſe ſummitteret. Jamque trimeſtre, quo fidem Jo. Friderico obſtrinxerant, praeſidiarii exegerant; et in poſterum ſacramento obligare ſe recuſabant, ſive cauſae diffiſi, ſive de eventu male ominantes; quippe cum in urbe defenſores amplius contra tormentorum ictus altitudine valli non tegerentur, et propter caſtella et tumulos a Caeſarianis excitatos tota interior urbs hoſtium conſpectui pateret; extra autem jam feſtinatis operibus exſtructa omnia ad ſetiam oppugnationem et impetum faciendum eſſent. Itaque praecipui, extra eos qui conjurationi nomen dederant, ex equeſtri ordine, aulicis, ſenatu ac plebe, conveniunt; concordibuſque votis conſilium capiunt; et principem literis ſupplicibus, nam, quo minus ad eum admitterentur, a Grombachianis prohibebantur, monent, ne ſeipſum ac ſuos proſcriptorum cauſa obſtinare perditum eat, nec exiſtimationem ſuam cum jactura etiam ſalutis aeternae ſuſcepto contra legitimum magiſtratum bello commaculet, maturaque reſipiſcentia ſe tam periculoſo bello expediat. Sed nullum ad illas, praeter minas, reſponſum datum eſt: dumque clam oppidani, ruſtici et praeſidiarii conſultant, caſus incidit, qui occulta ac remiſſa eorum conſilia ex indignatione in apertam ſeditionem adduxit. Erat Gothae Joannes Hoffmanus, praecipuae inter civeis auctoritatis et manu ſtrenuus, ob idque primarius inter ſuos dux delectus, qui pridie paſchae contra pacta, quibus cautum erat, ut praeſidiarii arcem, cives urbem tuerentur, et alteri alteris laborantibus ſuccurrerent, ad caſtellum ab hoſte erectum, quod arci multum incommodabat, oppugnandum erumpere cogitur. In eo conflictu, nemine auxilio adveniente, optimus civis ac fortis cum aliquot gregariis militibus occiſus eſt. Id conſilio conjuratorum factum oppidani rati ſtatim in urbe tumultuantes cunctos ad arma contra proſcriptos capienda hortantur; eoque veluti ſigno excitati praeſidiarii, cum intus ab Hieronymo [a] Brandenſtenio militum tribuno urgerentur, ut novo ſe juramento obligarent, ob idque in aream arcis educti id facere detrectarent, nequicquam Brandenſtenio et ipſo Jo. Friderico minas ad obteſtationes addente, ſtatim exaudito oppidanorum clamore, portas occupant, et, concurſu civium ad arcem facto, ſe cum iis conjungunt, comprehenſo ante alios Brandenſtenio: quo facto, ceteri proſcripti depoſcuntur; qui cum ad tumultum huc illuc per arcem dilapſi ſe occultaviſſent, mox tamen diligenti perveſtigatione facta e latebris producti ſunt. Ii erant, praeter Brandenſtenium, ipſe Grombachius factionis princeps, Gulielmus [b] Steinius, ſocius et omnium conſiliorum particeps, Chriſtianus [c] Brukius principis cancellarius, et Jo. [d] Beierus, qui ſub Auguſto ſeptemviro praefecturae monetariae quaeſtor, cum ſolvendo non eſſet, deſerto domino, transfugerat et conjuratis operam ſuam addixerat. [e] Zebicius, qui ſe epiſcopi [f] Herbipolenſis percuſſorem cum Pithio Luneburgico antea profeſſus fuerat, cum nonnullis aliis ſub veſperam elapſus, poſtridie per portam arcis ſummo mane emittitur; deceptiſque excubiis, foſſa, quae anguſtiſſima erat, concitato equo ſuperata, evadit. Qui comprehenſi fuere, extemplo in urbem rapti in curiam deducuntur; ubi diverſis locis ſub cuſtodia habiti ſunt. His actis, re inter eos conſultata, placuit, ut una communi epiſtola, quid in urbe actum eſſet, a nobilibus, aulicis, centurionibus, ſenatu, Saxoni ſeptemviro, Jo. Gulielmo et Caeſaris legatis ſignificaretur: et de conſenſu Jo. Friderici petitum, ut dies condiceretur, qua per delegatos de pace ageretur, paratis cunctis proſcriptos dedere, et urbem ipſam, ſi id aequis conditionibus liceret. Huic epiſtolae Jo. Fridericus ſeorſim ſuas adjungit literas, non principibus, ſed Caeſareis legatis inſcriptas; quibus ſtolide tanquam urbis adhuc potens, ac ſi integrum ſibi eſſet, aequis ut antea conditionibus agere petebat; ut Palatinus ſeptemvir, Gul.

CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Brandenſtein.* [b] *Steyn.* [c] *Bruck.* [d] *Beyer.* [e] *Zebitz.* [f] *de Wurtzburg.*

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

Gul. [a] Clivenſis dux et ipſe Philippus [b] Heſſus ſocer, qui paulo ante e vivis exceſſerat, accerſerentur, et in. commune de pacis conditionibus deliberaretur. Aberat tunc Auguſtus ſeptemvir, [c] Caſſellas cum Jo. Gulielmo profectus, ut funus Heſſi praeſentia ſua cohoneſtaret. Interea reſpondent Caeſaris legati; et obſeſſos bene de Saxone ſeptemviro propediem reverſuro ſperare jubent, prius monitos, ut diligenter captivos aſſervandos curarent. Ubi Auguſtus in caſtra rediit, Gothani, quod petebant, impetrant: ad literas Jo. Friderici nihil reſponſum fuit. Dicta congreſſui die proponuntur conditiones; in quibus, faſtune an ſocordia incertum, cum ſe comprehendi paſſus eſſet Jo. Fridericus conſilii inops, tandem convenitur; ut ipſe ſe, urbem et arcem cum apparatu omni bellico, commeatu ac fiſco dedar Caeſari ſine ulla conditione: ut proſcripti et Saxonis ſeptemviri ſubditi, qui, non renunciata domino ſuo obligatione, contra ipſum militarunt, in ſeptemviri manus tradantut; armati intra quatuor horarum ſpatium urbe et arce excedant ſine tympanis, et complicata ſigna prius tradant: oppidani vitam, fortunas et immunitates integras retineant; portis patefactis praeſidium intra urbem et arcem accipiant; claves ſeptemviro exhibeantur: captivi ſine pretio dimittantur; Gothani cives per VIII delectos ſupplices Caeſari fiant, aut ejus loco ſeptemviro Saxoni: milites ac cives fidem obſtringant, ſe nunquam contra Caeſarem, Imperium et Saxonem ſeptemvirum arma laturos: in Jo. Gulielmi verba jurent, excluſo ab omni ſucceſſionis jure Jo. Friderico fratre et natis ex illo filiis; addito, nt, ſi contingat Jo. Gulielmum ſine maſcula prole decedere, ad ſeptemvirum Saxonem ejuſque filios hereditas devolvatur; quibus deficientibus, Lantgravii Heſſiae ſuccedant. Pactis utrinque obſignatis, ſeptemvir, comitantibus Jo. Gulielmo patruele et Adolfo [d] Holſato, medius urbem et inde arcem ſub veſperam ingreditur, praecedente magna equitatus parte et longo procerum comitatu. Id actum Eid. April. quo eodem die Melchior [e] Zobelus epiſcopus Wirtzburgenſis immani ſcelere a perfidis ſicariis a Grombachio ſummiſſis occiſus fuerat; ut, quae epiſcopo vitam, eadem admirando divinae ultionis exemplo ipſi Grombachio in poteſtatem Caeſaris reſlacto octo poſt annis ſpem vitae eriperet. Annotatum, hanc diem in Dominicam, quae in Kalendario eccleſiaſtico a Pſalmo *Miſericordias Domini*, denominatur, incidiſſe: qua eadem die ac paene hora ante XX annos, licet illa tunc in VIII Kal. Maii incurreret, Joannes Fridericus principis parens apud [f] Mulbergam a Carolo V acie victus ac captus eſt. Itaque et ipſe hanc diem tanquam fatalem deplorabat, ſubinde dictitans, ſibi malignitate aſtrorum communem cum patre fortunam fuiſſe; quaſi non potius vanitate ac credulitate ſua ac ſceleratis perditorum hominum conſiliis et vanis ariolorum reſponſis deceptus ſe in has inextricabileis calamitatum labyrinthos induiſſet. Capto appoſitae cuſtodiae: ac poſtridie ſe in manus Othonis comitis [g] Eberſteini, Fabiani [h] Schoeneichii et Chriſtophori [i] Carolovicii Caeſaris legatorum tradit; petiitque, ne in Auſtriam abduceretur, ſed apud Saxonem ſeptemvirum relinqueretur. Nihilominus triduo poſt Viennam ducitur, facta uxori ejus abeundi et ſupellectilem pretioſam ſecum aſportandi copia. Mox de proſcriptis et captivis quaeſtio habetur: et Grombachius in primis tormentis ſubjicitur; ex cujus et ſociorum confeſſionibus cum de criminibus, quae commemoravimus, conſtaret, XIIII Kal. Maii de iis ſupplicium ſumitur. [k] Grombachius et Brukius ſecti in quatuor partes. Cum [l] Steinio, quod eum tanquam a ſe ſeductum excuſaſſet Grombachius, mitius actum: nam capite primum truncatus eſt, et poſtea quadrifariam ſectus. Eadem poena Hieronymus Brandenſtenius arcis praefectus affectus eſt; qui in diripienda [m] Herbipoli ſe non tantum nefarie ſed etiam ferociter geſſerat, et Gothanos in ea obſidione ita afflixerat, ut, niſi juſtum de eo ſupplicium magiſtratus

ſumpſiſſet,

INTERPR. [a] *de Cleves.* [b] *le Landgrave de Heſſe.* [c] *Caſſel.* [d] *le duc de Holſtein.* [e] *Zobel, evêque de Wurtzburg.* [f] *Muhlberg.* [g] *d'Eberſtein.* [h] *Schoeneich.* [i] *Carlewitz.* [k] *Grombach & Bruck.* [l] *Steyn.* [m] *Wurtzburg.*

ſumpſiſſet, oltrices oppidanorum manus vitare non potuerit. Laqueo gula fracta Joanni [a] Beiero. Capite plexus eſt David [b] Bomgartenerus [c] Sueviae regulus, [d] Auguſta oriundus; qui periculo ſe eripere potuerat, ſi lacero ſqualidoque amictu inter gregarios milites latere, quam in ſerociente ac ſuperbo equo nutantibus plumarum criſtis conſpici, maluiſſet. Is ob aes alienum profugus Grombachianae ſe factioni addixerat, et pravis de nobilitate in libertatem aſſerenda, excuſſo principum imperio, conſiliis, quae et ipſius oomine publicata ſunt, participaverat. Puer magus, quae ſupra dixi confeſſus, laqueo ſuſpenditur. Tum diviſae machinae bellicae, quae CLX numero inibi repertae ſuot: IX inſigniores ſibi imperii praerogativa ſumpſit Auguſtus; ceteras cum Joanne Gulielmo ex aequo partitus eſt; VIII grandioribus ſepoſitis, quae dono Caeſari miſſae ſunt. Poſtea et decreto comitiorum [e] Ratiſponenſium Gothanae arcis tanquam ſeditioſotum ac perduellium receptaculi demolitio imperatur. Cuſi in victoriae tantae memoriam argentei nummi cum hac inſcriptione, TANDEM BONA CAUSA TRIUMPHAT. Auguſtus ſeptemvir, praecipuae ſemper antea inter principes auctoritatis, runc vero bello hoc feliciter confecto domeſticis rebus firmatis et quiete in Imperio conſtituta, rerum arbitrium in Germania ab eo tempore tetinuit; et, exemplo Othonum imperatorum geotilium ſuorum, jam corroborata aetate linguam Latinam didicit, et negotiis gerendis cogendiſque opibus, quas immenſas reliquit, quod vitae reliquum fuit, impendit. Inter haec ductus Viennam Jo. Fridericus, et ignominioſa pompa per urbem X Kal. Quintil. traductus, effuſa, quamvis copioſiſſimo imbre ſuperveniente, ad novum ſpectaculum plebe. Praecedebant L equites [f] Norici, quos totidem Saxones ſequebantur; deinde VIII, qui ſigna in terram verſa deferebant: IↃ circiter pedites currum apertum, in quo ipſe vehebatur, ſtramineum pileum io capite geſtans, comitabantur. Ita variis aofractibus per celebriores urbis plateas, ut plebis oculos paſceret, circumvectus eſt, inde [g] Neapolim tranſlarus in cuſtodia L armatorum, et domeſtico comitatu admodum exiguo: additum tamen poſtea indulgentia Caeſaris novum famulitium. Dein pro eo miſſis oratoribus [h] Moguntinus ſeptemvir et univerſa [i] Baioarorum Palatinorum familia, Brandeburgicus ſeptemvir, Wirtembergicus dux, Lantgravius Willelmus, [k] Trevirenſis ſeptemvir, [l] Clivenſis dux, Badenſis marchio et [m] Hennebergenſis comes deprecati ſunt apud Caeſarem, ut clementiae ac leoitatis memor ſupplici captivo ignoſceret, proprio quidem errore, ſed aliena potius culpa quam ſua, lapſo: hoc daret decori familiae, et principum gratiae, qui pro eo intercederent. Ad has preces ſcripto comprehenſas ſcripto reſpondit Caeſar; et excuſavit ſe, quod petitionibus eorum inpraeſentiarum ſatisfacere non poſſet: nam io hac cauſa non ſuam ſed publicam Imperii cauſam verti; et, cum quotidie de oovis machioationibus afferatur, reipublicae intereſſe, ut eos in poteſtate habeat qui de illis ſuſpecti ſunt, tantiſper dum, motibus animorum ſedatis, metus omnis armorum ac ſuſpicio evaneſcat. Ita dimiſſi oratores; a quibus hoc impetratum, ut captivus laxiori cuſtodia teneretur.

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

XXVII. POST bellum Turcicum in Ratiſponenſibus comitiis decretum, convenerat, nt ttium annorum pecunia ad unum contraheretur, ea lege, ut illa io Caeſaris maous oon perveniret, niſi bellum cum Turcis gereretur. Eadem de re et actum [n] Erfordiae Sextili meoſe. Convenrus et [o] Pragae habiti ob eandem cauſam; et imperata Bohemiae gravia vectigalia ad militem alendum: ad eaque perſolvenda ac praeſtanda cuncti ordines decreto adacti. Quibus ſumma celeritate confectis, Caeſar Viennam venit; ac dein [p] Poſooium in Pannonia tranſiit, ubi auditis popularium querelis, qui de Germanorum milirum inſolentia conquerebantur, tandem decreta

ſunt

INTERPR. [a] *Beyer.* [b] *Baumgartner.* [c] *la Souabe.* [d] *Augsburg.* [e] *diete de Ratisbonne.* [f] *de Baviere.* [g] *Neuſtadt.* [h] *de Mentz* ou *Mayence.* [i] *de Baviere.* [k] *de Trier* ou *Treves.* [l] *de Cleves.* [m] *d'Henneberg.* [n] *Erford.* [o] *Prague.* [p] *Presburg en Hongrie.*

CIƆIƆLXVII. CAROLUS IX.

ſunt eo anno in bellum Turcicum CL nummûm aureorum CIƆ; ſingulorum item colonorum operae ad limitaneas munitiones in duodecim dies addictae. Petebant Hungari, ut per delegatos tam Hungaros quam Germanos, qui ad utramque Danubii ripam mitterentur, Caeſar de bonis injuſte poſſeſſoribus antiquis ademptis cognoſceret; in graſſatores ac peculatus reos animadverteret; vectigalia ac portoria nova amoveret: liceret ipſis oppida et urbes a regibus oppigneratas perſoluto pretio redimere: hi antiſtites in Pannonia crearentur, qui idonei et ex natione eſſent. Petebatur et, ut Auguſtana confeſſione iis, qui vellent, uti liberum eſſet: quod item et aliis comitiis et priore et hoc anno petitum fuit: ſed neutiquam aſſenſus eſt Maximilianus. Peracto Poſonienſi conventu pridie Non. Sextil. Caeſar Viennam reverſus eſt.

XXVIII. [a] EXTREMO anno ſuperiore Lazarus [a] Schuendius [b] Zatmarum obſederat, arcem munitiſſimam, quae Georgii [c] Bebeci illius, qui inimicitias inter Caeſarem et Tranſilvanum alebat, ditionis erat. Is vero de exitu vetitus clam inde aufugerat, ea tamen fiducia, ut praeſidiarii gnaviter eam tuerentur; et illi quidem in obſidione toleranda aliquandiu perſeverarunt, quod machinae bellicae nihil nec ipſis nec arci damni dare poſſent. Dumque Schuendius vir impiger locum luſtrat, huic malo remedium quaeſiturus, ex proceritate corporis agnitus aliquot glandium ictibus petitus fuit: quarum una ſummum humerum ita ſtrinxit, ut veſtis ejus igne concepto, quod eſſet ad frigus pellendum pellibus farta, arderet. Tandem commodiore machinis loco reperto, et iis mox in illum improbo militum labore, quos in officio, ſi quiſquam alius, continere potuit, tranſlatis, praeſidiarii ad extremam deſperationem redacti in has conditiones tranſegerunt; ut vita ac rebus ſalvis dimitterentur. Arx pridie Non. Januar. hujus anni in manus Schuendii venit cum opima admodum praeda, qui Bebeci uxorem cum omni ſupellectile libere ac tuto abire paſſus eſt: ipſe tormenta ſibi ſervavit. Nec magno temporis interjecto ſpatio, nulla hyberni frigoris ratione habita, [d] Monchauſium pari felicitate obſidet, locum munitiſſimum et huic bello gerendo maxime opportunum; cujus praeſidiarii vitam facultateſque ſalvas pacti deditionem fecerunt. Id incidit in XIII Kal. Mart. quarto, poſtquam obſideri coeperat, die: quo niſi deditio facta fuiſſet, effuſo poſtridie imbre inſolito, miles et omnis apparatus bellicus aquarum inundatione procul dubio periiſſet. Acceſſit ad hoc Tranſilvani damnum et aliud; pecunia, quam ille militum ſtipendio mittebat, a Caeſarianis in itinere intercepta. Eo caſu ſummopere commotum eum conſtat, ut de arce quavis ratione recuperanda cogitaverit; quippe qua amiſſa ſibi in [e] Sarmatiam et Ruſſiam omnem aditum praecludi videret, nec ullas ſubſidiarias e regno amico in poſterum copias ſperare poſſet, niſi eas per Moldaviam variis ambagibus et itinere difficili venire vellet. Capto Monchauſio, Schuendius mox etiam [f] Huſtianam munitionem corona militari cingit: ſed cum purpuratus Budenſis ad Maximilianum, miſſis etiam muneribus et in iis equis duobus inſignibus, hortaretur, ne per Schuendii progreſſus pacis negotium interturbari pateretur, Schuendius, ſive Caeſaris juſſu ſive rei difficultate revocatus, obſidionem ſolvit, et [g] Caſſoviam retro abiit, purpurato multoties fidem obligante, fore ut palis transfigerentur omnes, quos per Caeſaris fineis excurrendo damnum dediſſe comperiſſet. Nihilominus, digreſſo Schuendio, Tranſilvanus, duce Haſſane purpurato, [h] Dedenſem arcem Gabrielis [i] Perenii ditionis obſidet: cujus praeſidiarii poſt aliquot dierum defenſionem omni ſubſidii ope deſtituti clam noctu per loca occulta diffugiunt; et ita hoſtes loco citra ullum negotium potiti omnia circum late excurſionibus vaſtant, et ferro flammaque populantur: indeque collectis viribus impreſſione nec opinata [k] Riſvarum adorti capiunt, occupatis etiam [l] Thermis, quas Rivulos dominarum vulgo appellant: quae

VAR. LECT. [a] Nunc res a Lazaro Schuendio in Pannonia geſtas exequemur. Is extremo *D. f.*

INTERPR. [a] *Schwendi.* [b] *Zathmar.* [c] *Bebek* [d] *Munchacz* Hung. [e] *Poloene.* [f] *Huſt* [g] *Caſchau.* [h] *Dedes.* [i] *Perenו.* [k] *Riſwar* al. *Kowar.* [l] Hung. *Nagbanya* ou *Banya.* Germ. *Neuſtadt.*

quae loca ſtatim Rnberus Schuendii legatus recepit. Riſvarum ſumma vi expugnatum, interfectis praeſidiariis. Rivuli hoc caſu in poteſtatem venere, cum tormentario pulvere ignem concipiente caſtrum ardere coepiſſet, propugnatoribus ſine certamine fere extinctis. CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

XXIX. DUM variis locis utrinque levibus proeliis certaretur, Edvardus [a] Cernovichius Conſtantinopolim ad pacis rationes ineundas a Caeſare legatus rediit; et pro certo aſſeruit, Selimum novas copias parate, quas brevi in Pannoniam miſſurus eſſet; quarum partem Caniſae expugnationi deſtinaret: ſed, ſi quidem legati de pace acturi illuc propere mitterentur, fore aiebat, ut Turci impetum ſuſtinerent. Itaque legati a Caeſare Antonius [b] Verantius antiſtes [c] Agrienſis, ante quinquennium eodem munere defunctus, et Chriſtophorus [d] Tiffenbachius, Junio exeunte Vienna profecti [e] Byzantium verſus iter ſuſceperunt; quo tandem XI Kal. Sept. incolumes pervenerunt: moxque ſalutatis purpuratis, et publico convivio more gentis accepti, tandem ad imperatorem introducti ſunt. Diu tamen et in annum uſque ſequentem negotium extractum, Selimo interim [f] Hadrianopolim profecto, et ibi eum ſubſecutis Caeſaris oratoribus, donec res omnino confecta eſt, ſicuti poſtea dicemus.

XXX. IN Italia hoc anno quidem pax; ſed motibus quibuſdam aliquantum interturbata fuit. Nam Genuae ex privata cauſa partium ſtudia excitata, et paulum a ſeditione abfuerunt. Jo. Baptiſta [g] Larcarius auctoritate et opibus potens in republica illa principatum ſumma cum integritatis laude tenuerat; ſed, quod in occulto Hiſpanorum partibus ſavere crederetur, cum magiſtratu exiret, obtinere non potuerat, quod aliis pleriſque fuerat conceſſum, ut procuratoris munere ac dignitate ad vitam ornaretur. Id quo minus a republica impetrate potuerit, Auguſtini [h] Pinelli et Lucae Spinolae ſenatorum, qui cenſuram exercebant, ſeveritate factum cum intelligeret Jo. Stephanus Larcarii filius, injuriam eam patri ac ſibi factam ad animum revocans, juvenili ardore ſtimulante, ultionem parat, et ſub veſperam palatio redeunteis per ſuos ſicarios aggreſſus Pinellum ſeloppeti ictu interficit, Spinolam graviter vulnerat. Quod ubi uno ex ſicariis comprehenſo a Joan. Stephano patratum conſtitit, ille cum Jo. Baptiſta patre in carcerem conjicitur, ſtatimque tormentis ſubjectus; cum ex ejus confeſſione patrem extra culpam eſſe conſtaret, ille liberatus; filius, quantumvis annitente Garſia [i] Toletano triremium Hiſpanarum praefecto et veteri Larcarii hoſpite, qui tum forte Genuam venerat, ut tranſmittendis Albani copiis neceſſaria pararet, ad mortem damnatus et ſupplicio affectus eſt; praevalente adverſus merita patris Hiſpanorum, a quibus commendabatur, odio et facti ipſius invidia. Hujus rei occaſione cum cives non ita bene inter ſe concordes in partes ſciſſi eſſent, belli Corſici felices ſucceſſus res paulum commotas ſedavere: de cujus initiis quaedam altius repetenda viſa ſunt.

XXXI. [k] SANPETRUS a Baſtelica Corſus, de quo ſaepius ſupra facta mentio, vir bello impiger et animo invictus, qui ante XX annos [l] Vanninam Ornanam Franciſci reguli ac multarum ditionum in inſula heredem uxorem duxerat, cum, ut ſe ac patriam in libertatem aſſereret, bello illato Genuenſeis admodum irritaſſet, pacta poſtea inter reges pace, nec ipſe animo odium contra Genuenſeis conceptum deponere potuit, nec Genuenſeis injuriam ab exule factam condonaturos unquam ſibi perſuaſit; nihilque non movit, ut, quod Gallorum opibus non poſſet, per alios tentaret, ſolicitato primum Coſmo Florentinorum duce, et, cum ille abnueret, tentatis Turcorum animis, an hujus belli occaſione claſſem rurſus in Tyrrhenum immittere vellent. Eam ob cauſam cum Conſtantinopolim profectus fuiſſet, Genuenſes, ut homini infeſto moleſtiam faceſſerent, et uxorem ac liberos in poteſtate habentes, eam

a perniciosis

INTERPR. [a] *Cernowichz.* [b] *Werantz.* [c] *d'Erla* ou *Agria.* [d] *de Tiffenbach.* [e] *Conſtantinople.* [f] *Andrinople,* Turcis *Endren* [g] *Lercaro* [h] *Pinelli & L. Spinola.* [i] *de Tolede.* [k] *Sampiero da Baſtelica Corſo.* [l] *Vannina, figliuola di Franceſco da Ornano.*

CIↃIↃLXVII. a pernicioſis contra ſe conſiliis revocarent, domeſticos, qui circa uxorem ejus erant, Carolus IX. corrumpunt. Ii erant Auguſtinus [a] Baſſica Lupus, qui ſaepe [b] Maſſilia [c] Genuam commeabat, et [d] Michael ſacrificus; quorum fidei ille peregre profectus Alſonſum et Antonium Franciſcum liberos commiſerat. Per eos Vanninae perſuadent, ut maritum perduellem ac domum ejus relinqueret, et Genuam cum liberis ad legitimos dominos ſe conferret; quorum benignitate amiſſa ob viri crimen bona recuperare et liberis ſervare poſſet, et poſtremo impetrare, ut viro praeteritorum gratia fieret. Id levi foeminae, et quae tetrici hominis aſperitatem exoſa ad ſolutiorem vitam anhelabat, facile perſuaſum. Igitur, praemiſſo mundo muliebri, clam amicis cum celoce Maſſilia ſolvit, aſſumpto ſecum Antonio Franciſco filio, et Michaele ſacrifico viae duce. Verum, re cognita, Antonius [e] Sanflorentius, Sanpetri fidus, conſcenſo navigio armato, tanta celeritate uſus eſt, ut fugientem prope [f] Antipolim adſecutus ſit: eamque ex fuga retractam in loci domini manus tradidit; qui mox eam cum filio [g] Aquas Sextias, ubi [h] Provinciae ſenatus habetur, perduci curavit. Jamque [i] Byzantio [k] Sanpetrus rediens in [l] Libyam deſcenderat: unde cum Maſſiliam tenderet, de caſu uxoris certior factus adeo animo commotus eſt, ut [m] Petrum Joan. Calvienſem, familiarem ſuum, dum de ea re ſermones ſereret, imprudenter illo, jam de re ante cognoviſſe, ſed, cum eandem fortunam vereretur, quam [n] Florius Curienſis ab uxore ipſius expertus fuerat, a captivis Turcis illius juſſu ſtrangulatus, rem hactenus diſſimulaſſe, ſe affirmante, ira caecus propria manu occiderit. Poſtquam Maſſiliam appulit, noctu Aquas Sextias profectus ad domum, in qua uxor aſſervabatur, venit; et uxorem tradi ſibi petiit, recuſante initio ſenatu. Illa, licet de funeſto exitu verita, tamen, ut erat virili animo foemina, ultro ad maritum redire velle profeſſa eſt. Ubi vero ambo domum, quam Maſſiliae habebant, omni ſupellectile vacuam venerunt, ſolitudine illa injuriae memoriam renovante, Sanpetrus, cum uxore colloquio habito, eadem, qua ante ſolitus erat, reverentia, quippe homo in tenui re educatus et ſola militari virtute evectus, cum illa illuſtri loco nata eſſet, tandem exprobrata perfidia ac culpa, quae ſola morte emendari poſſet, capite aperto, ei moriendum eſſe denunciavit: cumque in eo eſſet, ut Turcorum captivorum ea in re opera uteretur, illa, minime poenam deprecata, ſupremae gratiae ac ſummi beneficii loco poſtulavit, ut, quando ſibi moriendum eſſet, non inter vilium hominum ſed ipſius, quem virtutis ergo in maritum aſciviſſet, utpote generoſiſſimi viri, manus animam Deo redderet. Id vero ſerio dici exiſtimans, nec majore propterea miſericordia affectus, quaſi legitimi magiſtratus ſententiam exequeretur, petita ab hera ſua ſuppliciter venia, ſic ille uxorem vocabat, faſciam collo circumdedit, eaque compreſſa animam ipſius eliſit. Quo facto, ut praeſentia ſua accuſationi praeverteret ac crimen dilueret, ſtatim in aulam citatis equis venit: ubi fama rei jam ſparſa cum pleroſque horrore perculiſſet, et gynaeceum in primis, quod exemplum vereretur, et ob id Sanpetrum palam deteſtabatur, regina vero a conſpectu eum ut piacularem et cruore adhuc illuſtriſſimae matronae madentem removeret, ille contra, nudato pectore et cicatrices adverſas et accepta pro Francico nomine vulnera identidem oſtentans, Quid regis, quid Franciae, inquiebat, intereſt, ſi Sanpetrus concorditer aut ſecus cum uxore vixit? quibus verbis ferox homo et bene alioqui de rege meritus averſos aulicorum animos aliquantum placavit; et obtinuit, ne de morte uxoris quaeſtione inſtituta ei periculum crearetur. Ab eo tempore Sanpetrus contra Genuenſeis, qui illi cladis domeſticae cauſa extitiſſent, irritatior, omnia circumſpiciebat, quo repetitis antiquis conſiliis res novas in Corſica moliretur. Itaque, datis ad Aurelium Fulgoſium literis, qui in Coſmi familiam aſcitus fuerat, hominem ambitioſum

in

INTERPR. [a] *Bazzica Lupo.* [b] *Marſeille.* [c] *Genes.* [d] *Michel Agnolo Ombrone prete.* [e] *di San Fiorenzo.* [f] *Antibes.* [g] *Aix.* [h] *parlement de Provence.* [i] *Conſtantinople.* [k] *Sampiero da Baſtelica.* [l] *Barbarie.* [m] *Piergiovanni da Calveſe.* [n] *Florio da Corte.*

in partem conſilii vocat; ac miſſis Antonio et Paride Sanflorentiis in inſulam, qui in occulto altitudinem murorum Boniſacii metirentur, ſolicitatis item per literas ſuae factionis inſulanis amicis, cuncta ad eam expeditionem parat. Triennium tamen exiit, antequam in inſulam trajiceret. Tandem, quando minus rebantur Genuenſes, pridie Eid. Jun. anno CIↃ IↃ LXIIII exſcenſionem fecit cum Antonio Sanflorentio, Achille [a] Campocaſſo, [b] P. Joanne Ornano, [c] Bruſchino Orezzano et Baptiſta [d] Petreio et aliquot Gallis; ac [e] Iſtriam arcem praeſidio vacuam occupat. Per triennium amplius ope exulum ac ruſticorum, qui Genuenſium imperium exoſi rebellaverant, varia fortuna, ſed fere adverſa, bellum geſtum. Accenſis dein partium ſtudiis, et renovatis factionum [f] nigrae et rubrae obſoletis nominibus, in captivos utrinque exquiſita immanitate ſaevitum; donec, inſulanis diuturni belli et [g] Sanpetri ipſius pertaeſis, cum illi ad defectionem ſpectarent, Sanpetrus [h] Vico diſcedit, et [i] Caurum verſus tendens cum Alſonſo filio, Andrea [k] Brando, Antonio Petro [l] Curienſi, Baptiſta Petreio, praemiſſo [m] Vitolo, qui cum [n] [1] Hectore Iſtrienſi, Ambroſio Baſtelica, aliis, de Sanpetro occidendo conſilium inierat, in Genuenſeis, qui [o] Ajazia, cui Franciſcus [p] Furnarius praeerat, duce Raphaele [q] Juſtiniano, exierant, et Michaelem Angelum, Joannem Antonium et Joannem Franciſcum Ornanos fratres incidit; et, poſtquam cum J. Antonio quaſi ſingulari certamine diu pugnavit, ſuperveniente Genuenſium ſcloppetariorum globo, Vitolus a tergo ſcloppeti ictu illum transverberat; quo ex equo deturbatus mox a Michaele Angelo et Jo. Franciſco ex equis deſcendentibus repetitis gladiorum ictibus confoſſus eſt; qui et caput ipſius a trunco reciſum mox ad Furnarium detulerunt. De pretio, quod percuſſori ejus a ſenatu decretum fuerat, poſtea diſceptatum magna contentione fuit; quod milites, qui cum Raphaele Juſtiniano exierant, ut ſibi debitum vindicabant; quippe qui in illa diſploſione Sanpetrum vulneratum et humi ſtratum dicerent; contra non glande ſed gladiis interfectum eum fratres affirmarent. Tandem convenit, ut pretium inter diſceptanteis divideretur: et Ornanis fratribus II CIↃ aureorum, totidem Raphaeli Juſtiniano attributa ſunt. Alſonſus, mortuo patre, Corſorum dux creatus annitente Leonardo Curienſi, cum parce pecunia et milite e Gallia juvaretur, nequicquam ultro citroque commeante Antonio [r] Patavino, et deficientibus ab eo pleriſque ex inſulae primoribus, biennio poſt Georgii [s] Auriae et Hieronymi Leonis Anconitani Sagonae epiſcopi interventu cum Alſonſo tranſactum eſt: et ipſe vitam, res ac poſſeſſiones ſibi ac ſuis ad VIII annos ſalvas, pactus, ex inſula ſolvit Kal. Aprilibus. CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

XXXII. In Etruria quoque hoc anno res turbarunt. Nam marchionum Malaſpinatum [f] Luniacenſis vallis regulorum patrocinium Coſmus, qui Sanpetri promiſſis et obteſtationibus aures ſurdas ſemper praebuerat, ſuſcepit, ea lege, ut eos a militis Hiſpani vexatione ac tranſitu immuneis ſervaret: quod et principum aemulorum animum pupugit, et Philippi ipſius, novum principatum ſenſim augeri vel cum potentiae ſuae jactura indignantis. Etiam morte Joannis Franciſci Urſini parentis, inter Nicolaum, de quo toties a nobis facta mentio, et [t] Orſum fratrem de [u] Petiliano et Sorano controverſia renovata eſt. Orſum in poſſeſſione paternarum ditionum, quarum Coſmus pater patrocinium ſuſceperat, Franciſcus princeps tuebatur; Nicolai partes Farneſii ſovebant, ſpe concepta Petiliani, ſi penes Nicolaum remaneret, potiundi. Et pater quidem morti proximus, injuriarum a Nicolao filio acceptarum depoſito ſenſu, eum tanquam grandiorem natu teſtamento condito heredem inſti- tuerat,

INTERPR. [a] *di Campocaſſo.* [b] *Piergiovanni da Ornano.* [c] *Bruſchino da Orezza.* [d] *da Pietra.* [e] *Iſtria.* [f] *parti negra e roſſa.* [g] *Sampiero da Baſtelica.* [h] *Vico.* [i] *Cauro.* [k] *de' Gentili da Brando.* [l] *da Corte.* [m] *Vitoli.* [n] *Ercole de l'Iſtria.* [o] *Ajazzo.* [p] *Fornaro.* [q] *Giuſtiniano.* [r] *Padoano.* [s] *Doria, & Leone Anconitano veſcovo di Sagona.* [t] *da Lunigiana.* [t] *Orſo Orſino.* [u] *Pitigliano & Sorano.*

NOT. [1] *Hercule.* Put

CIↃIↃLXVII. tuerat, revocato priore, quo eum ut ingratum exheredaverat, et Orſum ad heredi-
CAROLUS IX. tatem vocabat.

XXXIII. INCIDIT hoc in tempus, quo propter [a] Piceorum et Gratianorum factiones ad [b] Burgum ſancti Sepulchri, quod vocant, animis commotis, merito prudentiſſimus quiſque metuebat, ne exemplo graſſante antiqua partium odia per univerſam [c] Etruriam ac ſingulas urbes inflammarentur. Oppido praeerat Lucas [d] Jacominius: cujus ſpreto imperio, [e] Pici ac Rigi Scipionem [f] Coracium contrariae factionis praecipuum ducem capiata occaſione interficiunt, et Laurentium Coracium graviter vulnerant: inde in turrem munitam confugiunt; nec accurrente Othone [g] Montacuto, qui haud longe hinc aberat, aut comitis [h] Montedolii ac poſtremo Nicolai [i] Tornaboni loci illius epiſcopi, qui ſuas partes interpoſuerant, interventu, tumultus ita ſedari potuit, quin Silveſter Coracius Scipionis occiſi frater, cum exulibus urbem ingreſſus, et ſuos carcere detentos liberaret et per urbem diſcurrens odia libere totum trimeſtre exerceret. Cum vi reprimi Gratiani poſt tantam injuriam non poſſent, aſtu res geſta a [k] Petro Carpiniae comite, qui principi hac in re vel cum exiſtimationis ac datae fidei jactura gratificari voluit. Is Gratianis perſuadet, ut a maleficio contra Burgenſeis temperent, nec inimicorum injurias cum univerſorum damno ulciſcantur: [l] [1] Baſciumque caſtrum ſuae ditionis illorum receptui opportunum ultro offert; ubi illi, ſe ſecuros rati, ſuperveniente delectorum globo noctu veluti indagine cinguntur, et, accenſo igne cum caſtrum arderet, [m] Fabii Carpinii interventu, nam Petri patrui, a quo decepti erant, perfidiam obſeſſi deteſtabantur; [n] Silveſter cum XII ſociis, legum ſeveritatem deprecatus, fide accepta, ſe dedit: cujus neutiquam major a principe ratio habita eſt, qui captivos Florentiam deductos mox extremo Quintili ad ceterorum terrorem ſupplicio affecit.

XXXIV. ET, ne non ubique res in Italia turbarent, quamvis irrito fere exitu, eodem tempore, cum Ludovicus Gonzaga in Italiam deſcendiſſet, ſparſa fama, fore ut [o] Saluciarum principatus, cui cum ſummo imperio regis nomine praeerat, oppida luſtraret et munienda curaret, re vera, ut copias in bellum, quod contra Proteſtanteis in occulto apud nos parabatur, ſicut eventus docuit, in Italia conſcriberet, ſuſpicio injecta fuit Gulielmo Mantuae duci Ludovici fratri, cum quo non ita bene illi conveniebat, quaſi praetextu rerum regiarum procurandarum Ludovicus in Montisferratenſi ditione proxima, in qua et ipſe ſibi partem petebat, aliquid tentaturus veniſſet. Itaque eo ſibi diligentius circumſpiciendum exiſtimavit, ne, infeſto Sabaudo tam vicino, et ſuſpecto ex affectata cauſa fratris adventu, exules Caſalenſes res novas in urbe molirentur. Ejus autem rei originem altius repetemus. [p] Caſalium, S. Evaſii vulgo dictum, olim populo frequens et opulentum ob loci commoditatem municipium, quippe in [q] Padi ripa ſitum; neque tamen tunc ullis moenibus cinctum: dein variis et amplis privilegiis et immunitaribus ab Imperatoribus ornatum; ac poſtremo meri ac mixti imperii juriſdictione donatum fuit a Friderico I, anno ſalutis ſexto ſupra milleſimum centeſimum et octogeſimum; quam et gratiam illis CXXVII annis poſt confirmavit Henricus. Sed cum poſtea Caſalenſes, tanti beneficii immemores, cum [r] Ticino, Alba Pompeia, Vercellis et Valentio contra Henricum ipſum conſpiraſſent, univerſae illae urbes privilegiis et gratia a Caeſaribus conceſſa exciderunt,

INTERPR. [a] *Pichi e Graziani.* [b] *Borgo a San Sepolcro.* [c] *la Toſcane.* [d] *Giacomini.* [e] *Pichi e Rigi.* [f] *Goracci.* [g] *Montauto.* [h] *Montedoglio.* [i] *Tornabuoni.* [k] *il conte Pietro di Carpegna.* [l] *Baſcio chateau du duché d'Urbin vers le Florentin à 17 milles à l'Oueſt d'Urbin.* [m] *il conte Fabio di Carpegna.* [n] *Silveſtro Goracci.* [o] *marquiſat de Saluces.* [p] *Caſal St. Vaz.* [q] *le Po.* [r] *Pavie, Alba, Verceil, & Valenza.*

NOT. [1] *Baſcium.* C'eſt le pays de Mathieu de Baſcio, fondateur des Capucins. M. de Thou dans un autre endroit de ſon Hiſtoire, pretend que le fondateur des Capucins etoit d'une maiſon noble du duché de Spoleto. Il a confondu *Baſcio* dans le duché d'Urbin avec *Baſchi* chateau de l'Ombrie ſur le bord du Tibre à la hauteur d'Orvieto, qui a donné ſon nom à une maiſon, qui ſubſiſte encore dans les branches du comte de Baſchi à Orvieto, du comte de Baſchi dans la Haute Provence, & des marquis d'Aubaix & de Pignan dans le Languedoc.

runt, indicto etiam Imperiali exilio, ut Albericus [a] Roſatenſis illius temporis juriſconſultus loquitur; hoc eſt, tanquam perduelles edicto Caeſareo proſcriptae ſunt. Hujus edicti ſeveritatem veriti Caſalenſes in patrocinium Andronici Palaeologi orientis imperatoris confugerunt; cujus filius Theodorus Montisferrati principatum tenebat. Ea eſt ditio inter [b] Alexandriam et [c] Aſtenſem agrum ſita, quae a meridie Liguribus, a ſeptentrione Pado, terminatur. Theodoro ſucceſſit Joannes filius et Joanni Gulielmus, et poſt eum Jacobus, cujus filius fuit Gulielmus II, qui oppidum primum moenibus firmavit, et, ut civitatis jure atque adeo epiſcopali dignitate ornaretur, a Sixto IIII impetravit anno CIↃ CCCC LXXIV. Ab eo tempore Caſalium, quod ſecuritatem, opes et amplitudinem omnem ſuam Palaeologis debebat, poſtquam ab occidentali imperio proſcriptum fuit, ſub eorum quoque ditione manſit uſque ad Joannem Georgium, qui Bonifacio fratris filio miſerabili caſu inter ludendum occiſo ſucceſſit: quo rurſus paulo poſt defuncto, anno hujus ſaeculi XXXV, quod nulli maſculi ex illuſtriſſima Palaeologorum familia ſupereſſent, orta lis de ſucceſſione inter ducem Sabaudiae, Saluciarum marchionem, et Fridericum Gonzagam Mantuae ducem, qui Margaritam Bonifacii II ſororem in uxorem duxerat, ſummis ſtudiis et ambitu, ut de re non levi, coram Carolo V agitata eſt, Caſalenſibus jam tum cauſam ſuam a Montisferrati cauſa, tanquam ſingulari jure innixam, ſeparare ſatagentibus, et jura antiqua a Caeſaribus conceſſa in medium proponentibus, beneficiumque illud, liberis maſculis deficientibus, ad Imperium devolutum dictitantibus. Verum pro tempore minime auditi ſunt. Et Carolus, qui Friderico Gonzagae, ne ad noſtras partes tranſiret, gratificari malebat, aditum foeminis ad illud beneficium patefecit, et ſecundum Gonzagam pronunciavit, eique Caſalium cum Montisferrati principatu adjudicavit, non ſine occulta Sabaudi offenſione. Sed, cum poſtea Gulielmus Gonzaga Friderici filius idem ſibi jus a Ferdinando Caeſare confirmari peteret, non primo tenuit, obreptum Catolo fratri, contendentibus, qui circa eum erant. Qua fiducia freti [d] Conradus Mola et Olivarius Capellius, juriſconſulti primariae inter Caſalenſeis auctoritatis, in ſpem libertatis erecti multos ex civibus in ſuas partes pertrahunt; iiſque praeeuntibus, fit in civitate decretum, ut publicis ſumptibus antiquorum privilegiotum confirmatio a Maximiliano, qui Ferdinando patri in Imperio ſucceſſerat, peteretur: delectique illi ipſi, qui auctores decreti fuerant, ut negotium illud in aula Caeſarea procurarent. Igitur Gulielmus Mantuae dux eo quoque Paulum Aemilium [e] Bardelonum ampliſſimis mandatis egregie inſtructum mittit, qui cauſam ſuam contra Caſalenſeis tueretur. Is cum vetera illa privilegia, quibus ſe Caſalenſes ipſi culpa ſua ab Henrico deficientes privaſſent, revocata et antiquata diceret, et Joannem Palaeologum a Carolo IIII Caeſare poſtea anno ſal. CIↃ CCCLV in fidem publico inſtrumento acceptum tanquam [f] Montisferrati et Caſalii marchionem, eique Caſalenſeis annuum tributum pactos juxta diploma Caeſareum jurejurando fidem obſtrinxiſſe oſtendiſſet, Maximilianus ſtatuit, nihil ea in re innovandum: et Caſalium cum Montisferrati principatu Mantuanis ducibus addixit. Mola et Capellius ſpe ſua falſi, ultionem veriti, lare ac patria relictis diverſi huc illuc abiere, ſollicitatis interim concivibus, ſi quidem occaſio ſe in manus daret, ne ſibi deeſſent, ſed jus ſuum, quod gratia inferiores conrra porentiores defendere non potuerant, vi et armis tuerentur. Et Capellius quidem, homo quam ingenio tam manu promptus, Sabaudo, qui jus ſibi in ea hereditate vindicabat, militabat: ſuſpicioque fuit, quaſi ejus favore factio in urbe foveretur. Qua de re multis indiciis ac nunciis et epiſcopi Alexandrini in primis literis certior factus Gulielmus Caſalium venerat, cum familia et Veſpaſiano Gonzaga gentili ſuo, ut conſiliis de urbe proditione ab exulibus capienda praeverteret: cumque ſe in arcem recepiſſet, diſploſione tormentorum geminata

INTERPR. [a] *de Roſata de Bergamo.* [b] *Aleſſandria della paglia.* [c] *territorre d'Aſti.* [d] *Conrado Mola & Oliviero Capello.* [e] *Bardellone.* [f] *Montferrat & Caſal.*

geminata ſigno dato vicinis agreſtibus, ut in urbem armati convenirent, ſummo mane xv militum vexilla ab agro intra urbem admiſſa ſunt. Quibus viribus confirmatior, et irritis Capellii conatibus, qui cum II CIϽ peditum venturus dicebatur, redditis, Gulielmus diſcedit, relicto in urbe Veſpaſiano Gonzaga; qui, diſcuſſo periculo praeſenti, per otium in ſuſpectos diligenter inquiſivit, captoſque conſcios ſupplicio affecit. Flaminio Palaeologo illuſtris illius familiae ſpurio, conjurationi participaſſe convicto, hoc datum, ut perpetuo carcere capitalem poenam expiaret; qui paulo poſt ex moerore obiit in [a] Goito oppido ad [b] Mincii ripam ſito, ad quod arcem, non minus aedificiorum elegantia quam firmitudine ſpectandam, Gulielmus magnis ſumptibus ac cura extruxit.

XXXV. Hoc anno apud nos conſtitutio a rege facta eſt juxta utilis et aequa, qua et familiarum nobilium decori ſimul et viduarum ſolatio proſpicitur. Nam, cum per S. C. Tertyllianum, quod D. Hadriani temporibus factum eſt, filiorum hereditas triſti ſucceſſione matri deferretur, non adhibita diſtinctione bonorum, eo fiebat, ut bona paterna et avita, imaginibus veluti revulſis, ad alienas familias transferrentur; et ita agnati ac gentiles, qui plerumque patrueles erant, etiam proximiores, iis exuti ad extremam inopiam redigerentur: quod obtinebat in provinciis regiis, quae jure Romano teguntur, [c] Aquitania, Septimania, Provincia ac Delfinatu; ad haec in [d] Arvernis, Seguſianis, Lugdunenſi et Matiſconenſi praefecturis, quae ſenatui Pariſienſi ſubſunt. Cui malo ea conſtitutione remedium adhibitum fuit; qua cautum eſt, ut bona mobilia et res ſoli aliunde quam a patre aut paterna linea profectae in ſolatium amiſſorum liberorum matri cedant, cum bonorum paternorum et avitorum pro dimidia parte uſufructu; quorum proprietas, extincto per mortem matris uſufructu, ad proximos agnatos revertatur. Id inſtante Joanne [e] Monlucio epiſcopo Valentino factum, qui, Petro Monlucio Blaſii Monlucii fratris grandiore natu filio et herede inſtituto ad [f] Maderam ante biennium interfecto, verebatur, ne uxor ejus, ſi filium, quem ex Petro ſuperſtitem habebat, mori contingeret, avitorum Monlucianae familiae bonorum heres exiſteret, adempta ceteris Blaſii Monlucii liberis ſucceſſione. Edictum in [g] Foſſatenſi caſtro ad Mauri fanum menſe Maio factum, et in ſenatu Pariſienſi magno cum applauſu, poſtulante cognitore regio, promulgatum fuit IIII Kal. Sextil. quod tamen tanquam ambitioſum ab aliis regni curiis, quarum praecipue ratione conditum fuerat, rejectum eſt; nec ullis, quanquam ſaepius repetitis, juſſionibus poſtea impetrari potuit, ut in acta referretur.

XXXVI. Dum rex adhuc ad Foſſatenſe caſtrum haereret, exeunte Aprili Thomas [h] Smithus cum [α] Henrico [i] Norriſio, qui oratoris munere apud nos fungebatur, Elizabethae reginae nomine in aulam venit, ut de [k] Caleti reſtitutione ageret. Pace in [l] caſtello Cameracenſi facta convenerat, ut Caletum poſt octo annos exactos cum omni territorio ſuo Anglis reſtitueretur, et fidejuſſores idonei mercatores exteri neque Francicae ditioni ſubditi intervenirent, qui, reſtitutione non ſecuta, ad IϽ aureorum CIϽ ſolutionem ſe obligarent: interim obſides a rege darentur: ii fuere Fridericus [m] Foxius Candala, Ludovicus [n] Sammauranus Nigellae marchio et Lavallae comes, Gaſto [o] Foxius Tranii marchio, Antonius [p] Pratenſis Nantolictus. Additum, ſi alterius partis culpa bellum renovari contingeret, qui prior bellum intuliſſet, jure pactis quaeſito excideret; neque altera pars, cui damnum datum foret, pactis conventis ſtare teneretur. Poſtea ſubſidia [q] Rotomagum miſſa; et [r] Franciſcopolis ab Anglis occupata eſt; cumque a rege repoſceretur, non niſi vi armata recipi potuit.

Nihilominus

VAR. LECT. [α] Edvardo Norreio *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Goito.* [b] *le Mincio.* [c] *Guienne, Languedoc, Provence, & Dauphiné.* [d] *Auvergne, Forez, Lionnois, & Masconnois.* [e] *de Montluc, evêque de Valence.* [f] *la Madere.* [g] *S. Maur les Fossez.* [h] *Smith.* [i] *Norris.* [k] *Calais.* [l] *Château Cambresis.* [m] *de Foix, comte de Candale.* [n] *de Ste Maure, marquis de Nesle & comte de Laval.* [o] *de Foix, marquis de Trans.* [p] *du Prat, sieur de Nantouillet.* [q] *Rouen.* [r] *Havre de Grace.*

Nihilominus inſtabant Angli, ut ex pacto Caletum reſtitueretur. Cum rex novum CIƆIƆLXVII.
et inſolens hoc poſtulatum ſibi videri primo reſpondiſſet, quippe qui poſt varios a CAROLUS IX.
pace ſucceſſus tantum de pace inter Francos Angloſque ſancienda et ſincere colenda negotium ſupereſſe exiſtimaret, rem totam ad concilium retulit; in quo auditi legati, qui pactorum praecipue verbis nitebantur: neque vero poſt pacem quidquam incidiſſe aiebant, quo novationem in iis factam dici poſſet: nam priores Francos hoſtilem animum renudaſſe; quorum opibus freta Maria Scotorum regina inſignia Anglicana ſumpſiſſet; et interceptis pleriſque literis conſtare, Francos auxiliareis, qui eo tempore in Scotia militabant, non tam ad reginae cauſam tuendam quam ad ditionem Anglicam invadendam miſſos. Ad haec a Michaele Hoſpitalio cancellario graviter reſponſum: ſi pactis ſtandum ſit, Anglos jure omni, quod in Caleto ſibi arrogabant, excidiſſe; quippe iis cautum eſſe, ut, qui ab altero armis rem gerente damnum acceperit, ſi quid debeat, ad reſtitutionem ejus compelli non poſſit: et fruſtra inſignia Anglicana a Maria ſumpta objectari: nam nihil hoc ad regem pertinere: et, ſi quam ob id injuriam ſibi factam cauſantur Angli, habere in proximo Mariam, cum qua de ea expoſtulare poſſint: miſſis autem in Scotiam auxiliaribus copiis, nihil niſi ex officio et neceſſitate factum; quippe ad defendendum contra rebelleis dotale regnum: et Anglos, cum ſe terra marique cum claſſe Francis oppoſuerunt, eoſque ad [a] Letham diuturna obſidione vexarunt, primos contra pacis leges bellum incepiſſe; ac proinde jus omne, quod ad Caleti reſtitutionem allegant, facto proprio amiſiſſe: de literis interceptis quod dicitur, id potius in opinione quam in rei veritate verſari; et, accenſo ſemel bello, cuncta impune hoſtiliter tentari verum eſſe. Tum de [b] Deſſii in Scotiam expeditione injecto ſermone, Jo. Monlucius Valentiae epiſcopus a rege juſſus dicere, quod is huic bello interfuiſſet, multa injurioſe ab Anglis contra Scotiae regnum, quod tunc ad regem Franciae pertinebat, jure pacis violato, patrata, et rebellantibus Scotis, ne ad obſequium redirent, ab iiſdem animos factos commemoravit. Igitur Smithus, his omiſſis, ad pacta revolvitur, et, iis ſalvis, a Caleti reſtitutione excuſare ſe non poſſe regem contendit: nam quod de Rotomago et [c] Franciſcopoli contra objicitur, ea hujuſmodi eſſe, ut potius laudi quam crimini verti deberint; nam, viciniae et amicitiae jure, quicquid in ea re factum eſt, factum eſſe; et, rege in pupillari aetate conſtituto, feciſſe ex officio reginam, ne quid videlicet, turbatis in regno rebus, de Franciſcopoli, quae Britanniae imminet, pejus accideret; quam tunc publicato ſcripto ſe regi ſervaturam et in tempore reſtituturam profeſſa eſt. Heic Hoſpitalius ſermonem repetit; et facta ſereniſſimae Anglorum reginae verbis minime reſpondiſſe ait: nam, pace facta, cum Franciſcopolis ab ipſa repeteretur, non ſolum juſtae regis petitioni non ſatisfeciſſe, ſed Francos omneis qui in urbe erant protinus exegiſſe, et validiſſimum praeſidium impoſuiſſe: ut non tam de ea tuenda cogitaſſe, quam de propagandis latius per Neuſtriam finibus conſilium captum fuiſſe, appareret: itaque, non niſi extrema neceſſitate urbem poſt arctiſſimam obſidionem in fidem acceptam, et contemplatione reginae, cui in re omni gratificari rex cupiat, Anglos humaniſſime ab Anna Momorantio equitum magiſtro, qui exercitui regio praeerat, habitos fuiſſe: ex eo patere, quam [α] importune faciat regina, cum Caletum a rege repetit, antiquum Franciae ditionis oppidum, quod non tam vi belli quam jure priſtinis poſſeſſoribus redditum eſt, ut Angli a natura toto orbe diviſi ſuis finibus contenti alieno abſtineant, Franci, ditione ſua recipera-ta, cum Anglis amicitiam colant. Ad haec querelae additae, quod regina transfugis ex Francia pleriſque belli tempore receptum dediſſet, nec repoſcenti per oratores ſuos

VAR. LECT. [α] inique *D. ſ. a.*

INTERPR. [a] *Leith.* [b] *le ſieur de Deſſé.* [c] *Havre de Grace.*

CIↃIↃLXVII. CAROLUS IX.

ſuos regi, contra quam utrinque pactis cautum eſt, eos reddidiſſet. [α] Poſtremo adjunctae utrinque mutuae ſed honorificae exprobrationes, cum nos in foederum ſanciendis conditionibus Anglos Gallis cautiores eſſe diceremus, illi contra hanc laudem nobis tribuerent, et Gallos Anglis aſtu praeſtare dicerent. His aliiſque rationibus cum ſe a Caleti reſtitutione excuſaſſet rex, Anglici legati de cetero amice dimiſſi.

XXXVII. [β] INTEREA miſſus a Caeſare in Angliam [a] Stolbergenſis comes, qui non jam de Ferdinandi ſed Caroli archiducis nuptiis cum Eliſabetha ageret; qui ſumma magnificentia nec minore benevolentiae ſignificatione exceptus eſt. Miſſus et ab Eliſabetha [b] Suſſexiae comes ad Caeſarem cum periſcelidis Georgianae inſignibus; qui, ſive ex aemulatione in [c] Leiceſtrium, qui in ſpem regiarum nuptiarum interim venerat, ſive Anglici nominis magnitudini ſtudens, quae imparibus nuptiis non parum deprimi videbatur, nihil non agit, ut Eliſabetha cum extero principe matrimonio conjungeretur. Ille, magno comitatu per [d] Antuerpiam, Coloniam, Moguntiacum, Vangiones, Nemetes, Ulmam et Auguſtam Vindelicorum facto itinere, Viennam venit, et in aula Caeſarea aliquot menſeis haeſit. Appoſitus ei a Leiceſtrio [e] Northus, non tam legationis comes quam explorator, qui ſtudium ejus in nuptiis illis procurandis aſtu et mora infringeret. De titulis, liberorum utrinque ſucceſſione aliiſque capitibus facile convenit, memoria adhuc recenti conditionum in Mariae et Philippi tabulis appoſitarum. In religionis negotio majus negotium fuit; cum Caeſar, Caroli fratris nomine, templum ſibi publicum ac ſuis ad ſacra ritu majorum celebranda concedi peteret; Angli in eo et reginae conſcientiam laedi et dignitatis ac ſalutis periculum verſari dicerent. Cumque Caeſar ſacrario privato in aedibus ſuis contentum fratrem iri oſtenderet, modo in ſuis admittendis nulla moroſior inquiſitio adhiberetur, ne id quidem impetratum: tantum reſponſum, ſi Carolo placeret in Angliam proficiſci, ut ipſe coram cum Eliſabetha ageret, procul dubio fore, ut ſuſcepti itineris moleſtiae nequaquam ipſum neque reginam poeniteret. Inde Suſſexius perquam honorifice a Caeſare [f] Graecium ad Carolum contendit, commodius a regina reſponſum in dies fruſtra expectans: tandemque, commeatu petito, ad ſua rediit, crebris diu poſt mutuae amicitiae officiis ex ea occaſione inter eos celebratis, tamque propenſa Caeſaris in Eliſabetham voluntate, ut, quantum in ſe fuerit, et pontificis contra ipſam molitiones et Philippi patruelis conatus aut retardaverit aut eluſerit.

XXXVIII. EODEM tempore honorificentiſſima legatio a Joanne Baſilii filio Ruſſorum imperatore venit, cum muneribus ac praecipue [g] zebellinis pellibus, ut intermiſſam cum Anglis foederationem renovarent. Principes ejus fuerunt Stephanus [h] Tuwerdico et Theodorus [i] Pogorella; qui omne ſtudium et operam prolixe reginae et Anglis detulerunt. Anno LIII Andreas [k] Juddus, Georgius Barneſus, Antonius Huſcius, locupletes [l] Londini mercatores, viam per mare glaciale in Cathaiam quaerentes, ductu [m] Hugonis Willoughbeii, navigationem ad illas regiones ſuſceperant. Cum Willoughbeius intentiore frigore enectus eſſet, Richardus [n] Chancellerus, qui ab eo ſecundas partes tenebat, iter perſequitur; et ad oſtium [o] Duinae fluvii delatus ſub latitudine boreali LXIIII graduum, ubi coenobium B. Nicolai devotione nobilitatum, inde trahis pro regionis uſu vectus [p] Moſcuam imperii regiam venit. A Joanne ſumma gratulatione exceptus fuit, immunitates inſuper Anglis prolixe pollicito, ſi rerum, quas per hoſtileis Polonorum terras aegre ac difficulter ſui comparabant, commercium per eos maritima negotiatione conſequeretur. Haec reverſus Chancellerus

cellerus

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur tres lineae de mutuis exprobrationibus, uſque ad* His aliiſque *deſunt D. f. o. d.* [β] *Quae ſequuntur ad hujus libri uſque finem deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Stolberg.* [b] *Suſſex.* [c] *le comte de Leiceſter.* [d] *Anvers, Cologne, Mayence, Worms, Spire, Ulm, & Augsburg.* [e] *le lord North.* [f] *Gratz.* [g] *Martes zibellines.* [h] *Tuerdico.* [i] *Pogorella.* [k] *Judd, G. Barnes, A. Huſey.* [l] *Londres.* [m] *le chevalier Hugues Willoughby.* [n] *chanceller.* [o] *la Dwina.* [p] *Moſcou.*

CIƆIƆLXVII.
CAROLUS IX.

cellerus ad regium concilium Mariae temporibus cum retuliſſet, et quanto pretio apud Moſcos pannificium Anglicanum conſtaret, lini contra ac ſparti, cerae ac pellium pretioſarum vilitatem oſtendiſſet, publica e re viſum, ut ſocietas, quam Moſcoviticam ex eo appellarunt, Londini inſtitueretur; eo quaeſtuoſior, quod ſub Eliſabetha per ampliſſimum illud imperium merces exoticas diſtrahere ſolis Anglis conceſſum fuit: qua fiducia freti tanto diligentius provincias eas perluſtrare inſtituerunt: ſic autem comperiebant; adverſo flumine per Duinam navigiis monoxylis merces [a] Wologdam poſſe devehi, et inde terreſtri VII dierum itinere [b] Jeraſlaviam; unde per [c] Volgam, de quo alias diximus, XXX diebus totidemque noctibus [d] Aſtracanam itur ſecundo flumine. Itaque, creſcentibus cum ſucceſſu animis, ibi conſtructa nave [e] Caſpium mare ingreſſi ſunt; quod pleriſque locis vadoſum repererunt: eoque trajecto, per vaſtas [f] Hyrcaniae et Bactianae ſolitudines ad intima [g] Mediae et [h] Tauriſium ac Caſinium uſque penetrarunt, ſpe haud exigua, tam proſperis initiis, ad [i] Cathaiam deinceps poſſe iter aperiri: ſed, exortis inter Turcos et Perſas bellis, ulterius progredi commoditate ſublata, ſpes illa omnino evanuit.

INTERPR. [a] *Wologda.* [b] *Jareſlau.* [c] *le Volga.* [d] *Aſtracan.* [e] nunc *Mer di Bacchu* ou *de Sala.* [f] hodie *Zagatay.* [g] hodie *Sirvan.* [h] *Tauris & Casbin.* [i] *Cathay.*

Digitized by Google

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

PROTESTANTIUM in Gallia de bello conſilia, ac rationes ejus gerendi inter duces diſceptatae. Miſſus in Germaniam Lanſacus ad delectus Proteſtantium impediendos. II. *Exeunte Septembri, condicta a Condaeo die duces conveniunt, dum rex Moncelli eſſet; unde propere in Meldorum civitatem redit. Miſſus ad eos Fr. Momorantius monitis ſuis homines praecipites ſiſtit. Ad concilium inde reverſus cum retuliſſet, cum Meldis manendum eſſe A. Momorantius cenſuiſſet, contraria annitente factione profectio Lutetiam pronunciatur. Cum reclamaret Hoſpitalius, magnam in ſe invidiam et odiorum fomitem concivit. Obvii in itinere Proteſtantes armati, nulla alia re geſta. Inde pueri regis in eos inexpiabile odium. Lutetiae aditus intercluſi.* III. *Viae reconciliationis tentatae, Hoſpitalio ad eos miſſo. Condaei excuſationes et proteſtationes et petitionum capita propoſita.* IV. *Fecialis tandem ad eum, cum ad fanum Dionyſii eſſet, a rege mittitur, qui juberet, ut qui in armis erant, iis depoſitis, quam primum ſe coram rege ſiſtant.* V. *Libellus ſupplex oblatus, quo priora poſtulata mitigabantur.* VI. *Colloquium rurſus ad Capellam ex A. Momorantii et Hoſpitalii ſententia inſtitutum: quo dirempto, urbs arctius preſſa.* VII. *Aurelianum a Fr. Lanovio captum.* VIII. *Pugna Sandionyſiana, Andeloto abſente, commiſſa; in qua A. Momorantius victor lethaliter vulneratur, ex iiſque vulneribus poſtridie obiit. Ejus virtutes et elogium.* IX. *Circa Lutetiam poſt pugnam geſta.* X. *Delectus Proteſtantium in Germania interturbati, et novi a rege per Lanſacum impetrati.* XI. *Aquitanicae copiae ad Condaeum venientes in itinere Oratorium in Lemovicibus capiunt, Auguſtoritum tentant, et poſtremo pontem ad Igonnam expugnant. Braium a Colinio oppugnatum, ſumma vi defenſum ac tandem deditum. Pacis rurſus initae rationes, miſſo ad Condaeum et foederatos Combaldo, qui tam gnaviter Braium nuper defenderat. Proteſtantes, omiſſo colloquio, obviam Jo. Caſimiro cum auxiliaribus venienti copiis procedunt, abducto ſecum peditatu.* XII. *In Delphinatu, Provincia et Septimania mandatu Condaei delectus habentur. Nemauſenſis arx a Monbrunio capitur. Monpeliana a Sipetra Claudii Sabaudi Tendae comitis filio obſeſſa et tandem dedita.* XIII. *Poncenacus ad Champolium in Forenſi agro fuſus.* XIV. *Ludovicus Gonzaga Nivernius, accepta a pontifice pecunia, ex Subalpina provincia cum copiis Italicis in Allobroges deſcendit: cui ſe Adretius, relictis diu ante Proteſtantium partibus, adjungit. Matiſco a Nivernio obſidetur, et deditione accipitur. Dum Nivernium iret, in itinere juxta Donzium obvios Antranii praeſidiarios habuit, et certamine conſerto perrupit, ſed gravi vulnere accepto, ex quo tota vita magno valetudinis incommodo claudicavit.* XV. *Inſequente cum exercitu foederatos Henrico Andium duce, cui poſt A. Momorantii mortem ſumma praefectura delata fuerat, juxta Catalaunum ſuperveniente Timoleonte Coſſaeo Briſſaco, a Bloſio et Bloſſeto clades accepta. Arembergius cum auxiliaribus copiis ab Albano in caſtra regia venit.* XVI. *Catalauni, quo rex cum regina*

regina venerat, de pace inchoatum negotium, miſſo a Condaeo cardinali Caſtellionaeo: quod ad Caſtrum Vicenarum, rege mox Lutetiam reverſo, redintegratum. Tandem poſt contrarias hinc inde de Meldenſi conjuratione, cujus invidiam Proteſtantes qua poterant a ſe amoliri conabantur, excuſationes, omnino omiſſum eſt. XVII. *Jo. Caſimiri auxiliares copiae in Lotharingia comparent. Cum iis Condaeus Autiſſiodorum venit, et capto ac miſere vaſtato Irancio Igonnam et ad Montargirium Lupam tranſmittit, inde Aurelianum petiturus, ut ex Septimania et Aquitania advenienteis copias exciperet.* XVIII. *In Pictonibus geſta. Lucionium a Bocello et Silvagio vi captum.* XIX. *In Aquitania a Bl. Monlucio ad bellum proviſa. Lactoratum firmatum. Cum in Santones deſcendiſſet, Reteuſis inſula a Leberone capta, praeſidiariis ad unum trucidatis.* XX. *Vicecomites ad Condaeum ex Aquitania properantes ad Cognacum in Arverno limite cum Santerano pugnant et vincunt: ſed, dum Cognacum noctu redeunt, pugna tumultuaria inter ignaros excitata, Poncenacus per errorem occiditur.* XXI. *Vicecomites Aurelianum veniunt: et mox, Bogentiaco in fidem accepto, Bloeſas ducunt; quae poſt modicam vim factam a Richelio deduntur.* XXII. *Ad Autricum Carnutum poſita a Condaeo caſtra.* XXIII. *Pacis repetitum negotium, ac tandem miſſis ad Longemellum utrinque delegatis tranſactum.*

Ex auctoribus,

L. Vicino P. P. Jo. Serrano, B. Mendoza, Fr. Lanovii comment. Blaſio Monlucio.

LIBER QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

BELGICOS [a] tumultus, de quibus in ſuperioribus diximus, CIƆIƆLXVII
ſtatim Gallici exceperunt: quorum hinc inde cauſae, quae CAROLUS IX.
proditae ſunt, hae fere memorantur. Proteſtantes poſt longam ſuppliciorum, exiliorum, infamiae et fortunarum jacturae patientiam, collectis undique querimoniis, animos reſumpſerant, et rebus utique ſuis in commune conſultabant. In primis vero querebantur, edicta in ipſorum gratiam facta minime ſervari: nam partim novorum edictorum impetratione labefactari, partim judicum ac praeſidum provinciarum malignitate corrumpi: ad haec maleficia in ipſos ubique patrata et plurimorum caedeis impunitas eſſe; et voces non uno loco audiri, non diu fore, ut Proteſtantes, qui nunc adeo cornua efferant, libertate ſeu potius licentia, quam ſibi arrogaverint, aut a rege extorſerint, fruantur: urbes vero, quas Proteſtantes tenuerint, moenibus nudari, et arces in iis extrui etiam in regni meditullio, quid aliud eſſe, quam ultionem, quae de ſingulis exigi non poteſt, de univerſis ſumi, et odiorum manifeſtum indicium dari? eo pertinere conſcripta nuper VI CIƆ Helvetiorum, et delectus toto regno habitos: quae omnia, ut de conſiliis contra ſe initis ambigere poſſint, minime patiantur: nam, non contra Hiſpanos et Albanum iſta fieri, cum quo optime jam a tempore Baionenſis colloquii conveniat, ipſos et peritos rerum omneis ſcire; nec aulicos quidem, ſi rogentur, negaturos. His addebantur et ſecreta per legatos cum pontifice, qui medius inter reges odii adverſus Galliae et Belgii Proteſtanteis fomitem alebat, habita conſilia; quae eo tendebant, ut eodem tempore Philippus in Belgio, rex in Gallia eos armis invaderent. Itaque ſemel atque

VAR. LECT. [a] Inde Belgicos tumultus Gallici exceperunt *D. f.* Belgicos tumultus ſtatim Gallici *D. o. d.*

CIϽIϽLXVII.
CAROLUS IX.

atque iterum Proteſtantes ad Condaeum et Colinium maris praefectum ac fratrem Andelotum aggregati, cum proceribus in [a] Valeria arce primum, dein [b] Caſtellione ad [α] Lupam, convenerunt: et, cum multa in utramque partem diſputata eſſent, tandem ex communi conſenſu decretum fuerat, omnia tentanda, priuſquam ad extrema remedia, boc eſt, ad arma deveniretur: et ita cenſuerat Colinius, invidiam et odium armorum veritus. Sed mox, auctis ſuſpicionibus ex eo maxime, quod, cum, jam [c] Albano [d] Belgium ingreſſo, rex Helvetios dimittere rogaretur, affectata mota nihilominus illi retinerentur, literae a quodam ex aulae proceribus, qui Proteſtantium cauſae favebat, venere; quibus Condaeus certior fiebat, in arcano decretum eſſe, ut in ipſum et Colinium manus injicerentur; et Condaeus quidem ſub cuſtodia ſervaretur, Colinius vero de medio tnlleretur; eodemque tempore II CIϽ Helvetiorum Lutetiam, totidem [e] Aurelianum introducerentur, et II CIϽ reliqua [f] Pictavium mitterentur: quo facto, et edictum revocaretur, et alia contraria in Proteſtantium perniciem promulgarentur. Id quo facilius a ſuſpicacibus ingeniis crederetur, faciebat, quod Helvetii, qnos Condaeus per ſuos dimitti quam primum petebat, ulterius ſemper progrediebantur. Itaque, hoc nuncio incenſis procerum animis, non jam ordine, et ut inter quietos, ſententiae dictae: ſed ſublati clamores confuſi; Quouſque tandem patientiae noſtrae illudi patiemur? An expectabimus, dum, pedibus manibuſque vinctis, Lutetiam quaſi in triumphum ducamur, et inde ad ſupplicium rapti prnprio ſanguine alienam immanitatem paſcamus? Quid vero amplius moramur? Jam habemus externum militem, boc eſt, hoſtem in viſceribus, qui recta ad nos tendit; cladis [g] Drocenſi proelio acceptae memor, et eam pariter injuriaſque adverſariorum, quas inculpate tuendo nos intulimus, ultum venit. An memoria [β] excidere tot hominum millia diverſa peſte per inimicorum inſidias poſt pacificationem necata, de quibus, cum queſti ſumus, nihil aliud praeter verba et frivola reſponſa aut protelationes ac fruſtrationes retulimus? Atqui, ſi haec ex voluntate regis, cui obſequium debemus, fierent, fortaſſe parendum atque acquieſcendum eſſet: ſed, quando omnibus conſtat, id, aut invito rege aut inſcio, fieri ab iis, qui ſe nomine regio tegentes nobis ad aures ejus aditum obſtruunt, quo omni ope deſtituti inimicorum odiis quaſi ad praedam exponamur, minime nobis committendum arbitramur, ut veteres injurias diutius ferendo novas invitemus. Patres noſtri huc illuc ſparſi XL annorum et amplius ſpatio cum in occulto veram religionem profeſſi deliteſcerent, omne injuriarum et ſuppliciorum genus ſumma patientia tulerunt: nunc, cum ſummo Dei beneficio non ſolum integrae familiae, pagi et oppida, ſed totae civitates regia auctoritate fretae palam veram Chriſti fidem profiteantur, in defectionis Chriſtiano nnmine indignae crimen incurramus neceſſe eſt, ſi diſſimulatione et praepoſtera modeſtia juſtam adeo cauſam prodamus, et, ſpecioſi nobilitatis nominis, quod tanti in rebus aliis ad vanitatem uſque facimus, obliti, in Dei cauſa nos deſeramus, propriamque ſalutem dum negligimus, alienam tot animarum perditum eamus. Quapropter vos, o proceres, quibus patrocinium rerum noſtrarum commiſimus, oratos volumus, veſtra auctoritate ac virtute ſalvam religionis et ſingulorum ſimul cauſam faciatis. His dictis incenſi ultra modum omnium animi: ſed nndum quid agendum certi in diverſa huc illuc rapiebantur. Et periculum, quod impendebat, nemo non videbat: ſed, quomodo ei occurrendum eſſet, ambigebatur. Nam, ſi ad querimonias confugiamus, ex iis, plerique aiebant, hoc, nec aliud praeterea, conſequemur; ut eos, quibuſcum nobis neceſſario res erit, deinceps minus placatos habeamus: ſi contra arma ſumamus, quibus calumniis, obtrectationibus ac diris denique capita obligamus, cum malorum, quae ex bello ſequentur, crimen in nobis rejicietur,

VAR. LECT. [α] Loniam *ubique* D. ſ. o. d. [β] excidit D. ſ.

INTERPR. [a] *Valery.* [b] *Chaſtillon ſur Loing.* [c] *le duc d'Albe.* [d] *Pays-bas.* [e] *Orleans.* [f] *Poictiers.* [g] *de Dreux.*

rejicietur, et aggreſſionis publicae rei ubique ab omnibus exagitabimur; cum in derelictos liberos et uxores ultio, quae in nos armis tutos nihil poteſt, impune, et malorum opinione jure ac merito, vertetur? Itaque ſatius videtur, ut majorum exemplo inſontes potius injuriam patiamur, quam ſontibus inferamus; ne, bonam cauſam male tuendo, aequitatem, quae pro nobis hactenus militavit, amittamus. Quae dum a praecipuis dicuntur, aſſentientibus ceteris, Andelotus, ſummae inter proceres auctoritatis et alioqui perſpectae inter eos probitatis, interfatur: Et, aequitate quidem manifeſta ac prudentia, inquit, hanc veſtram ſententiam niti, inficias non ierim. Sed purgando pravo humori, quo Francia noſtra tanquam corpus longa ac diverſa aegritudine corruptum a multo tempore laborat, valentioribus remediis opus eſt; et magnitudo rei magnos ſpiritus et ſummam conſtantiam poſtulat. Nam quaero ex vobis, ſi expectetis dum in externas provincias relegemur, aut in cuſtodia vinciamur, aut laribus pulſi per ſylvas ac ſolitaria loca oberremus, ſaevientis in nos plebis furori expoſiti, a militaribus viris deſpecti, magnarum praejudicio damnati, quid patientia nobis noſtra, quid diſſimulatio, profuerit? quodnam tunc in innocentia noſtra praeſidium, ad quem querelas, quantumvis juſtas, deferemus? quis nos aſpectu, quis alloquio, quis denique audientia dignabitur? Jam ergo tempus eſt, amici, ut, toties magno religionis ac publicae tranquillitatis detrimento decepti, tandem decipi dediſcamus, et arma, quibus nos adverſus graſſatorum violentiam tueamur, juſta aeque ac neceſſaria induamus; parum ſoliciti, quid inimici ac maligni homines blaterent, quaſi cauſam exitiali bello primi praebeamus. Nam illi ipſi ſunt, qui contempta omni divini et humani juris religione pacta conventa nobiſcum toties violarunt, et regni quietem variis artibus ac modis huc uſque labefactarunt, immiſſis in viſcera Franciae tot externorum militum millibus, et bello veluti nobis jam denunciato: quibus ſi, dum deliberantes ſedemus, ſocordia noſtra hoc etiam largiamur, ut nos primi ſumptis armis opprimant, de religione ſimul et noſtra omniumque bonorum vita ac fortunis actum erit. Andeloti orationem magna animorum ſecuta converſio eſt; magnoque omnium aſſenſu decernitur, vi ad vim contrariam repellendam, quae ſecum inevitabile exitium traheret, utendum eſſe. Sed non mediocres difficultates in ratione belli adminiſtrandi occurrebant: nam alii ſentiebant, moderate agendum initio; et conſultum fore, ſi proceres citra violentiam [a] Aurelianum occuparent, et poſtea miſſo ad regem libello ſupplici ſactum excuſarent: nam privatae ſecuritatis cauſa huc confugiſſe; non ut turbas excitent, ſed ut ſe adverſus Helvetiorum auxiliareis copias ſibi ſuſpectas muniant: quae ſi dimittantur, ut jam ſaepius a rege petierunt, paratos ſe domum ſine tumultu divertere oſtenderent. Verum, Aureliano a Proteſtantibus occupato, cum, ab arce, quae a regiis tenebatur, et ex qua miles in urbem introduci poterat, periculum eſſe, a diſſentientibus objiceretur, haec ſententia minime locum habuit. Alii arces, quotquot poſſent per omneis regni provincias, urbes, oppida, occupandas cenſebant; iiſque captis ſe ad defenſionem parare. Verum prudentiores contra diſputabant; et primo bello c amplius urbes cepiſſe, ac momento fere amiſiſſe, quod exercitus et idoneae vires, quibus in tempore laborantibus ſuccurreretur, non ſuppeterent. Itaque tandem ex [b] Colinii, qui jam fratri aſſentiebatur, ſententia bellum aperte gerendum decernitur: in quo haec diligenter ſervarentur; ut paucae ſed magni momenti urbes caperentur; ut expeditus exercitus quam primum conſcriberetur; ut ipſi Helvetios, quorum ope adverſarii praecipue utebantur, et quibus freti rerum potiri videbantur, inopinato aggreſſi ante omnia caederent; poſtremo, ut Carolum cardinalem Lotharingum tanquam belli incentorem et capitalem Proteſtantium hoſtem aula pellerent. Sed rurſus objiciebatur; cardinalem ſemper regi aſſidere, et Helvetios aſſidue regium latus tegere;

quos

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *l'amiral de Coligny.*

Digitized by Google

quos ſi hoc rerum ſtatu aggrediantur, non cardinalem et Helvetios ſed ipſum regem petere ſint viſuri: id illis procul dubio ſummam invidiam apud omneis, apud regem vero, cujus potius benevolentiam captare deberent, odium indelebile conciliaturum. Ad haec ab Andeloto, audentioris fere ſemper ſententiae auctore, replicabatur; ex eventu de Proteſtantium voluntatibus conſtiturum; ſicut olim Carolus VII, cum adhuc Delfinus eſſet, arma non ſe contra patrem aut regem ſumpſiſſe ex belli exitu cunctis approbaſſet: nec vero cuiquam in mentem venire poſſe, conſertos Gallos, conſpiratione facta, in regis perniciem conſenſiſſe: nam ſingulorum conjurationes quaſdam memorari, univerſorum hactenus inauditas eſſe: quod ſi fortuna coeptis arrideat, belli pernicioſi moras praecidi, eoque in ipſius initiis extincto, et publicae tranquillitatis hoſteis a gubernaculis removeri, et a rege melius de re omni inſtructo edictorum confirmationem impetrari, et firmam pacem in regno conſtitui poſſe. In hanc ſententiam poſtremo itum eſt: proviſiſque in eam rem quae neceſſaria videbantur, cuncti ad bellum ſe parant. [a] Lugdunum, Toloſam et Auguſtobonam Tricaſſium, praecipuas toto regno urbes, occupari placuerat: ſed conata adverſus eas, ſeu ductorum culpa ſeu fortunae vitio, fruſtra fuere; ut cetera fere omnia inter ipſos deliberata. Contra, alia pleraque praeter ſpem ipſis feliciter obvenere: ut ex eo manifeſte appareat, homines, quantumvis prudentia et uſu rerum praeſtanteis, conſultare, conari, moliri, ſed plerumque irrito fine; Deum autem ſolum de hominum conſiliis ac conatibus ſtatuere, eoſque, prout ſibi videtur, aut fruſtrari aut ad exitum perducere.

II. DIEM ad conveniendum edixerat Condaeus ad exitum Septembris ad [b] Rozaeum in Bria; quo pleraque nobilitas ex vicinis locis ad eum venit. Cum eo Colinius maris praefectus, Andelotus Colinii frater et Franciſcus [c] Rupifulcaudius comes erant; qui ex [d] Valeriana arce profecti, tranſmiſſo ad [e] Trillibardum portum [f] Matrona, et per [g] Latiniacum itinere facto, Rozaeum nullo negotio occupant, confluentibus interim ad eos e longinquioribus provinciis pleriſque ex nobilitate, ſingulis fere, ut magis fallerent. Jamque CCCC circiter equites convenerant, cum rumor rei, quantumvis ſecretae, ad reginam pervenit, quae cum rege, [h] Moncello relicto, in [i] Meldorum civitate erat: quoque eorum conatibus moram injiceret, tantiſper dum Helvetii, qui prope erant ut regi jungerentur, in tuto eſſent, Franciſcum Momorantium equitum tribunum ad Condaeum mittit; qui, quid ſibi vellet repentinus armatorum concurſus, ab ipſo ſciſcitaretur. Jam incedenteis in armis foederatos ad [k] Torciacum haud longe a Latiniaco nactus Momorantius eos prolato colloquio eo uſque detinuit, dum Helvetii, ad quos delendos Condaeus proficiſcebatur, Meldorum civitatem incolumes pervenirent: quod eo ipſo tempore ac momento, dum colloquerentur, accidit. Colloquii ſumma haec fuit; ut de rei novitate percontaretur ſocios et increparet Momorantius. Nam, ſi quid regem velint, cur non pacati potius quam armatorum habitu ad eum veniant? Ubi fides? Ubi obſequium? Quid dicturos adverſarios putent? Quam vero Condaeum regii ſanguinis principem ſubiturum invidiam, qui cum tot proceribus armatis, quos exemplo ſuo [a] alienatos trahit, regis interpellandi auctor fuerit? An vero regem, quem precibus mollire debuerint, manu armata cogere maluerint? Proinde arma deponant, et ſupplices ad eum adeant. Haec quaſi amicus inter ſocios Momorantius. Contra illi replicabant; ſpecioſa fidei et obſequii nomina jamptidem obſoleviſſe; quippe quorum religionem illi ipſi, qui ea objiciunt, toties violaverint, et ambitioni ſuae adverſanteis regi hoſteis fecerint, ut, licet inviti ac coacti, juſta arma ad juſtae cauſae defenſionem inducere neceſſe habeant: ceterum de conſilio ac voluntatum ſinceritate, ſi fortuna arriſerit,

VAR. LECT. [a] corruptos trahit *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Lyon, Toulouſe, & Troyes.* [b] *Rozay en Brie.* [c] *de la Rochefoucaud* [d] *Valery.* [e] *Trillebardou.* [f] *la Marne.* [g] *Lagny.* [h] *Monceaux.* [i] *Meaux.* [k] *Torcy.*

artiſerit, eventum decretum eſſe, et ambitioni [a] modum, bellis civilibus finem, CIƆIƆLXVII.
factum. Dum altercantur, allato nuncio, Helvetios prope eſſe et nuſquam con- CAROLUS IX.
ſiſtenteis ſemper incedere, inde Momorantius in aulam redit, inde Condaeus cum ſuis ſuſceptum iter perſequitur, ſi forte auxiliareis copias intercipere poſſet; ſed ſerius, jam ad regem junctis Helvetiis. Ubi vero Momorantius, libello ab ipſis accepto, reverſus eſt, et, quid egerat, quid inter foederatos viderat, expoſuit, in aedibus Annae Momorantii concilium cogitur: ibique conſultantibus, quid facto opus eſſet, Annas, dignitatis praerogativa et rerum uſu, ad haec fide erga regem et charitate in patriam praecipuus, cenſuit, Meldis manendum eſſe, loco per ſe firmo, et Helvetiorum auxiliarium praeſidio, quibus copiae Gallicae, in dies augeſcente numero, acceſſurae eſſent, inexpugnabili: nec enim citra proelii periculum in viam regem ſe dare poſſe; de cujus alea quis ſponſor idoneus eſſe poſſit? omni ope ac ratione bene conſulto principi certaminis neceſſitatem vitandam eſſe, in quo vinci pudendum, vincere luctuoſum ſit: nec vero dignitati ejus convenire, ut fugienti ſimilis diſcedat: adhuc res integras eſſe, et conſtare utriſque amicitiae et obſequii officia; ſi ſemel acies ex adverſo conſiſtant, etiamſi minime pugnetur, regem ex animo injuriam nunquam depoſiturum; Proteſtanteis autem, ultionem veritos ab eo, quem adeo graviter offenderint, ab armis nunquam diſceſſuros: quo quiſque et regii nominis ac publicae quietis ſtudioſior ſit, tanto civile bellum ſepultum quam geſtum malle debere: itaque, dum ſpes adhuc reconciliationis ſit, ſalva regia majeſtate, omnem offenſionis et injuriae occaſionem praecidendam eſſe; tutiuſque videri, ſi rex in urbe, in qua nunc ſit, eventum horum motuum opperiatur. Ita differenti Momorantio regina initio aſſentiri viſa; ſive auctoritate viri permota, ſive quod ita conſultius ipſi quoque videretur: ſed mox mutavit; ſive inſita levitate, ſive a cardinale Lotharingo, ſicuti tunc jactabatur, perſuaſa, qui, turbas conſiliis ſuis opportunas exiſtimans, Guiſii fratris filiis jam adultis, potentiam ſuam ad factiones antiquas renovandas populo oſtentare geſtiebat. Itaque, quaſi ex nova cauſa, eodem die allatis rumuſculis quibuſdam, vocantur in concilium a regina proceres ad aedeis Nemoroſii Guiſianis addicti, ex arthritide tunc forte decumbentis. Ibi, quaſi augeſcente in horas foederatorum numero, cum metus eſſet, ne rex in ignobili oppido, licet tot copiis ſeptus, obſideretur, annitente contraria factione, profectio Lutetiam in proximam noctem edicitur, fruſtra reclamante et fidem reginae obteſtante [a] Michaele Hoſpitalio; qui regem diſcrimini exponi, regni cauſam prodi, pacis vias intercludi, et belli funeſtiſſimi neceſſitatem ab otii impatientibus hominibus imponi, vociferabatur; et proinde ſubornatos ab iis falſos rumorum auctores capite plectendos cenſebat. Qua ex re vir ampliſſimus, et cui reſpublica plurimum debebat, caecis in mutuam perniciem procerum et plebis animis, tantam invidiam in ſe concitavit, ut ei ſuſtinendae impar proximo anno ſummi magiſtratus functione abdicare ſe et aula ſecedere poſtremo coactus ſit. [a] Capto conſilio, Helvetii media nocte in armis eſſe juſſi, vix trihorii ſpatio quieti dato, alacres conſurgunt, et explicatis ſignis ad latus regis turmatim incedunt: cui ex nobilitate, ſed fere inermi, IƆ CCCC equires aderant. Iis IIII leucas progreſſis, albeſcente jam die, Condaeani, qui CCCC nec multum amplius equites erant, egregie inſtructi aciem oſtendere coeperunt: quibus propinquantibus, poſt levia aliquot certamina, (nam totis viribus pugnare utriſque ſive periculoſum ſive pernicioſum erat,) cum Helvetii ſummam animi praeſentiam et certandi voluntatem, ſcuto etiam terrae impreſſo, quod proeliaturis facere ſolemne eſt, prae ſe ferrent, Momorantius, veritus ne incaleſcentibus animis res ſenſim ad juſtum proelium, vel invita utraque parte, deveniret, regi ac reginae auctor fuit, ut diverſo itinere, cum delecta CC equitum

VAR. LECT. [a] inde modum, inde bellis *D. f.*
INTERPR. [a] *le chancelier de l'Hoſpital.*

equitum manu ex aulica nobilitate, cujus praecipui duces erant Claudius [a] Lotharingus Aumalius, [b] Vetus-villa equitum tribunus, [c] Malavicinerius, [d] Fonſeca Surgerius, Lutetiam recta tenderent: ipſe cum Helvetiis ac reliqua nobilitate, ſemper ordine incedens, et frontem, inſtante hoſte, per vices vertens, [e] Borgetum, exiguo utrinque damno dato aut accepto, tenuit. Rex interea incolumis cum regina et omni aulico comitatu ante veſperam in urbem IIII Kal. Octobris pervenit; odio ex fugae neceſſitate intus concepto, nec niſi cum Proteſtantium pernicie ac nominis Gallici infamia depoſito, ſicuti prudentiſſimi quique eorum providerant. Diverſa parte, cardinalis Lotharingus, rem ad belli neceſſitatem deductam gaudens, retro [f] Durocortorum Remorum magnis itineribus contendit, juxta [g] Theodorici-caſtrum a foederatorum copiis ex [h] Campania deſcendentibus fere oppreſſus, vixque equi Hiſpani pernicitate periculo ereptus, amiſſa omni ſupellectile et impedimento. Foederati inde [i] Claiam veniunt; ubi quinque dies commorati ſunt, dum a Momorantio, cui ſupplicem libellum regi porrigendum dederant, reſponſum veniret. Interea, cum animo providerent, non facile conventurum aut querimoniis ipſorum ſatisfactum iri, in Aquitaniam mittunt, qui per [k] Pictones, Engoliſmenſem agrum, copias, quae eodem fere tempore per totum regnum arma ſumpſerant, accurrere juberent. Miſſi item in [l] Delfinatum, Arvernos et Septimaniam, qui delectus urgerent. Haec in futurum proviſa; in praeſens conſilio capto de Lutetia ita arcte cingenda, ut praecluſis aditibus commeatu omni prohiberetur. Itaque in primis miſſi, qui [m] Montem Rigoli, ubi Igonna [n] Matronae conjungitur, cum praeſidio occuparent, qua parte commeatus ex Campania et Burgundia in urbem copioſus importatur: et eadem nocte molatrinas omneis ſubventaneas inter [o] Templariorum et S. Honorati portas incendunt, majore terrore quam damno inde Pariſienſibus incuſſo, qui tantum rerum inſolentia ultra modum commoti ſunt: nec mediocriter rex ipſe exaſperatus eſt, ad injuriam ſuam pertinere exiſtimans, quod primaria regni urbs ac regia ipſa veluti ferro flammaque peteretur. Lutetia in Pariſienſi agro ſita, ſolo omnium rerum abundantiſſimo, medio fere fluvio [p] Sequana ſecatur, qui in [q] Heduis ortus per [r] Tricaſſeis, acceptis [s] Alba juxta Pontem et prope [t] Moretum [t] Lupa, [u] Melodunum et Corbolium alluit, et ad [v] Confluentem infra [w] Carentonii pontem Matronam excipit, urbis nutriculam vulgo appellatam, ob copioſum, qui eo fluvio ſubvehitur, commeatum: inde infra urbem ſinuoſo adeo flexu labitur, ut [x] Poſſiacum, quo ab urbe itinere terreſtri leucae VI putantur, navigantibus plus XXVI numerentur. Dicas flumen invitum abſcedere; ita anfractuoſo ac leni curſu cunctos vicinae regionis angulos pervagatur, ut annona urbem populoſiſſimam juvet. Ad [y] Confluentem S. Honorinae Eſiam excipit, alteram Lutetiae nutricem; qui fluvius, in [z] Tiracenſi agro ortus, juxta [aa] Faram Veromanduorum ac Noviodunum decurrens, [bb] Vela ex Remis et [cc] Axona ex [dd] Sueſſionibus labente auctus, [ee] Compendium alluit, et commoda ſubvectione commeatum ex abundantiſſimis illis provinciis in urbem importat. Sequana autem adeo miti alveo labitur, ut adverſo flumine navigabilis et navigiorum grandioribus navibus haud multo inferiorum capax ſit; quo fit, ut ex [ff] Rotomago, et fluminibus quae in Sequanam infra Rotomagum exonerantur, ſubvectio abundans et commodiſſima ſit. Quibus commoditatibus effectum, ut urbs initio modica in eam magnitudinem, qua cum maximis toto orbe certat, excreverit: quam ſi aditibus praecluſis obſtruxeris, dubio procul eſt, quin, tanquam inciſis venis, validum ac robuſtum illud corpus ſtatim concidat et exanimetur. Id conſilii, etſi audax,

INTERPR. [a] *de Lorraine, duc d'Aumale.* [b] *le mareſchal de Vielleville.* [c] *de la Mauvoiſſiniere.* [d] *de Fonſeque, baron de Surgeres.* [e] *le Bourget.* [f] *Reims.* [g] *Château Thierry.* [h] *Champagne.* [i] *Claye.* [k] *Poictou & l'Angoumois.* [l] *Dauphiné, Auvergne, & Languedoc.* [m] *Montereau ſur Yonne.* [n] *la Marne.* [o] *portes du Temple & de St. Honoré.* [p] *la Seine.* [q] *Bourgogne.* [r] *Troyes.* [s] *Aube près de Pont ſur Seine.* [t] *Moret.* [t] *le Loing.* [u] *Melun & Corbeil.* [v] *Conflans.* [w] *Charenton.* [x] *Poiſſy.* [y] *Conflans Ste Honorine au lieu nommé fin d'Oiſe.* [z] *la Tieraſche.* [aa] *la Fere en Vermandois, & Noyon.* [bb] *Veſle r.* [cc] *Aiſne r.* [dd] *Soiſſons.* [ee] *Compiegne.* [ff] *Rouen.*

andax, ex tempore ceperunt Proteſtantes; rati improviſa aggreſſione urbem, non- CIↃIↃLXVII.
dum iis, quibus opus habebat, inſtructam, et ab omni re imparatam, brevi in ſum- CAROLUS IX.
mas anguſtias, antequam regiae copiae adveniſſent, redigi, et, invitis quietis publicae, ſicuti jactabant, hoſtibus, pacem aequis conditionibus impetrari poſſe.

III. Nec interea a regina ceſſabatur, quo res componi poſſent: miſſique ab ea ad foederatos [a] Hoſpitalius, Vetus-villa et Joannes Morvillerius, ſumma auctoritate ac moderatione viri. Ii regi ac cunctis novum ac inſolens videri aiunt, quod homines nulla injuria laceſſiti inopinato arma ſumpſerint; peſſimo exemplo, quippe fide et obſequio, quod regi debent, labefactatis: id externos principes, niſi prius denunciatione facta, minime auſuros: multo minus illos id moliri debuiſſe, quod citra perduellionis crimen facturi non fuerint. Ad haec Condaeus, nunquam ſibi aut cuiquam ſuorum in mentem veniſſe, reſpondet, ut contra regem aut patriam arma ſumerent; ſed, proximo periculo atque adeo inevitabili alioqui exitio coactos, cum aliter privatae ſaluti conſulere non poſſent, arma ad juſtam defenſionem paraſſe: proinde orare, juſtiſſimas ſuorum querimonias rex placide intelligere dignetur; quas libello ſupplici conceptas ad regem deferendas delegatis porrexit. Iis rem excuſabant foederati; et inimicorum ambitione obſtructis ad querelas toties repetitas regis auribus factum dicebant, ut tutelae ſuae cauſa et neceſſitate potius quam ſponte ad extrema conſilia deſcenderint. Tum multa in Guiſianos debacchantur; eorum inquietas mentes et ambitioſa conſilia acerbis verbis exagitantes, ut qui de principatu [b] Andegavenſi et Provincia quaſi jure hereditario ad ſe pertinentibus iniquas ſpes olim conceperint; a quibus poſtquam ſe excidiſſe viderunt, ad res novas in regno moliendas et publicam pacem turbandam animum adjeciſſe, et variis ſuſpicionibus regis animum ac reginae impleviſſe, confictis etiam aſtu cardinalis Lotharingi calumniis, quaſi Proteſtantes in regem ac regnum conjuraverint; cum oihil contra illis objici poſſit, niſi quod nefariis eorum conatibus reſtiterunt, et contra injuſtam vim, non in ſe ſed contra regiam majeſtatem diſtrictam, juſta arma oppoſuerint: perviciſſe tamen illos, ut rex perverſis conſiliis plus juſto tribuens externas vireis licet alio praetextu conſcripſerit, et armandi ſe neceſſitatem innocentibus hominibus, et qui nihil praeter fidem leges et obſequium principi debitum ſpirent, ipſis impoſuerint; petere igitur, ut primum de calumniis falſo ſibi improperatis rex amplius inquirere velit, et in auctores earum convictos pro rei magnitudine animadvertat, talionis poena in eos conſtituta, qui perduellionis ipſi rei, quippe cum externis principibus conſilia occulta in regni perniciem agitantes, crimine perduellionis homines fide erga principem, charitate in patriam praecipuos, onerant: non latere Proteſtanteis, quid cardinalis [c] Marcheſii nuper, quid poſtea [d] Moncelli reginae perſuadere conatus ſit; nimirum, ut in Condaeum, Colinium maris praefectum, Andelotum, et alios viros primarios manus injici juberet, et ultimo [e] Baionae colloquio cum [f] Albano habito decretum bellum animoſe capeſſeret: idcirco in armis veniſſe, cum aliam expediendae ſalutis rationem noo haberent; quae tamen, ſecuritate data, et pace aequis cooditionibus conſtituta, deponere mox parati ſint. Cum libello diſcedentibus legatis, Condaeus interim [g] Fanum Dionyſii IIII ab urbe lapide venit cum foederatis VI Non. Oct. haud longe a [h] Sequana diſſitum oppidum, ea mente, ut intercluſo illac tranſitu primum de commeatu prohibendo conſilium perſequeretur. Cum in itinere eſſet, Joannem [i] Eberardum Sanſulpitium obvium habuit, a rege cum literis fiduciatiis miſſum, qui regis nomine ſecutum eum ac ſocios eſſe et de gratia ſua bene ſperare juberet: brevi regem ad eos miſſurum; et daturum operam, ut amplius illis caveatur. Poſtridie Hoſpitalius cum Sebaſtiano [k] Albaſpineo Lemovicum

epiſcopo

INTERPR. [a] *le chancelier de l'Hoſpital, le mareſchal de Vielleville, & Jean de Morvilliers.* [b] *Anjou & Provence.* [c] *Marchez.* [d] *Monceaux.* [e] *Bayonne.* [f] *le duc d'Albe.* [g] *S. Denis.* [h] *la Seine.* [i] *Ebrard de St. Sulpice.* [k] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.*

CIƆIƆLXVII.
CAROLUS IX.

epiſcopo et Sanſulpitio ipſo ad Condaeum venit; et, poſt multa verba ſuper praeſentium temporum calamitate ultro citroque habita, regis eam voluntatem eſſe affirmavit, ut purgatis utrinque ſuſpicionibus, quae tumultibus his cauſam dederant, aequabilem toto regno pacem conſtituat; eoque conſilio diploma, quo oblivio praeteritorum ſanciebatur, promulgandum decreviſſe: quo recitato coram foederatis, cum Condaeus minime illo ſibi ac ſociis ſatisfieri reſpondiſſet, et Hoſpitalius, ſi quid praeterea haberent, quod a rege petant, ut ederent rogaret, illi poſtremo ſcripto ſe reſponſuros receperunt. Ita utrinque diſceſſum. Poſtridie [a] Lignerolius miſſus, qui ſcriptum ad regem perferendum ab illis acciperet. Capita illius erant: ut rex, ad tollendas a Proteſtantibus conceptas ſuſpiciones, fidemque publice faciendam, nullam in ipſius animo alienatae voluntatis nubeculam reſidere, externas copias quam primum a ſe dimitteret: Condaeum et proceres, qui cum eo ſunt, armis depoſitis, ad ſe accedere juberet, ſupplicum querimonias benigne auditurus: in calumniarum fabricatores ſevere animadverteret: edictorum in Proteſtantium gratiam factorum, per interpretationes et ſuper iis factas declarationes enervatorum, auctoritatem reſtitueret, et pacem regno ac ſuorum conſcientiis daret; cujus gratiae tam felix ſucceſſus futurus eſſet, quam ejus, quam Carolus v Caeſar victor, cum cunctos Proteſtantium duces in poteſtate haberet, ad pacandam Germaniam Imperii Ordinibus fecit: dignitates, honores, magiſtratus aequabili jure, nullo religionis diſcrimine, inter ſuos, qui modo iis digni reperirentur, divideret: populum tributis, quae Italorum et aliorum, plus juſto in aula auctoritate pollentium, ſuggeſtione et commodo, magno nobilitatis detrimento impoſita fuerant, levaret: et, ut tranquillitati publicae optimis remediis conſulatur, univerſi regni comitia more majorum libera primo quoque die haberet.

IV. SCRIPTO a Lignerolio allato, ultra modum exaſperata eſt regina, immodicae profuſionis foemina, cui explendae nova quotidie vectigalia inventa vix ſufficiebant. Cum vero Italorum mentionem factam ad ſuam injuriam pertinere arbitraretur, ſicque comitiorum indictionem acciperet, quaſi Proteſtantes imperii ipſius pertaeſi ad libertatem proclamarent, et ſe in ordinem cogere molirentur, expromendi odii jampridem concepti occaſionem nacta in virileis iras exarſit, et aulam omnem, quae ex ipſius nutu pendebat, in Proteſtanteis facile concitavit; eoque magis, quod eodem tempore ad regem perlatum eſt, ſocios [b] Monte-rigoli ad Igonnam et aliis locis a ſe occupatis programmata Condaei nomine affigi juſſiſſe; quibus illi ſumpta arma cauſabantur, ut tributis, vectigalibus et angariis, nuper Italorum artibus, qui hirudinum inſtar Gallicae plebis ſanguinem in dies exſugunt, in reipublicae perniciem ac nullum praeterea regis uſum inventis, et quae poſtremo in nobilitatis caput redundabant, populus levaretur; libertas priſtina reſtitueretur, paxque juxta regia edicta contra ſeditioſorum conatus aſſereretur. Itaque non jam colloquiis actum: ſed, nullo reſponſo remiſſo, fecialis nomine regis Dionyſii fanum ire jubetur Non. Oct. cum mandatis, a Claudio Albaſpineo et Florimondo [c] Roberteto ab epiſtolis ſubſcriptis; quorum haec ſumma erat: Quandoquidem nemini, praeterquam regi, in ſuo regno conventus habere, militem conſcribere, pecuniam imperare, programmata publicare licitum eſt, eaque jura regis peculiaria, nec cum ullo, cujuſcunque dignitatis et conditionis ſit, communia ſunt, cui proinde omnes parere, et ii praecipue, qui ſanguinis propinquitate aut munerum neceſſitate cum ipſo conjuncti ſunt, tenentur; ea de cauſa regem, certiorem factum pleroſque in armis ad fanum Dionyſii injuſſu ſuo conveniſſe, quorum praecipui duces perhibentur Condaeus princeps, Colinii fratres, Odetus cardinalis [d] Caſtellionaeus, Gaſpar maris praefectus, et Franciſcus Andelotus, Franciſcus [e] Rupifulcaudius comes, Franciſcus [f] Hangeſtus Genlius,

INTERPR. [a] *de Lignerolet.* [b] *Montereau ſur Yonne.* [c] *Robertet, ſecretaire d'Etat.* [d] *de Châtillon.* [e] *de la Rochefoucaud.* [f] *de Hangeſt, ſieur de Genlis.*

Genlius, Georgius [a] Claromontius Amboſianus, Franciſcus [b] Saltus comes, Franciſcus [c] Barbanſonus Canius, Jacobus [d] Bueardus, [e] Baiancurius Buchavanius, A. [f] Dallius Piquinius, Jacobus [g] Brolliardus Liſius, A. [h] Valdraeus Moius, Joannes [i] Raguerius Eſternaeus, Gabriel [k] Mongomerius comes, Joannes [l] Ferrerius Carnutum vicedominus, uni ex ſecialibus ſuis mandaſſe, cunctis imperet, quando injuſſu ſuo in armis convenerint, cujuſcunque dignitatis ac conditionis ſint, ut ſe ſtatim, poſitis armis, coram rege ſiſtant, ei obedientiam tanquam legitimo principi ſuo et a Deo ſupra ipſos conſtituto, quam juxta Dei praeceptum debent, praeſtituri: ſin minus, extemplo declarent, ſe conventus inſolenteis, et arma ſumpta, magno populi incommodo ſed majore majeſtatis ac dignitatis regiae detrimento, approbare; ut, ea declaratione ab iis facta, ipſe pro rei merito decernat.

V. EA denunciatione aliquantum turbati ſunt proceres: et major pars eorum cenſuit, poſtulata mitiganda eſſe: nam rem non cariruram invidia apud externos principes, ſi emanaret: praecipuam in Germanorum auxiliaribus copiis, bello ſemel accenſo, ſpem repoſitam eſſe: ſi reſciſcant Imperii principes, in hoc bello non ſolum de religione ſed de regia auctoritate agi ac civili regni adminiſtratione, multum de ardore illo priſtino remiſſuros: jam vero ſibi conſtare, [m] Lanſacum, qui ad eos, ut delectus impediat, a rege deſtinatus ſit, hoc praecipuum in mandatis habere, ut oſtendat, non cauſam religionis ſed regiae auctoritatis nunc agi, periculumque hujus belli et exemplum non ad regem tantum ſed omneis univerſi orbis principes pertinere. Itaque mutari poſtulata placuit: conſcriptoque ſupplici libello quam demiſſe poſſunt a rege petunt, ut religionis ac conſcientiarum plenae libertatis paſſim, nullo locorum aut perſonarum diſcrimine, ſublatis novorum edictorum interpretationibus et aliis a regni curiis additis, gratiam faciat: et ad extremum excuſant, quod de populi levamento et indicendo Ordinum regni conventu addiderint: nam ſe id bono animo feciſſe, non ut quidquam auctoritati regiae, cui ſe obſequi ſemper paratos fuiſſe aiunt, ac nunc denuo profitentur, detraherent, aut in eam privata licentia invaderent; ſed ut regem, pro fide, quam ei debent, ſincere monerent, et humillime obſecrarent, benignitatis ingenitae lumina aliquando in miſeram et afflictam plebem conjiceret, ac publicae calamitati pro prudentia ſua proſpiceret: orare et obteſtari quam humiliter ſuam majeſtatem, ut officium a bona ac propenſa voluntate profectum in bonam partem interpretetur, nec falſis inimicorum criminationibus exacerbatus quidquam inclementius propterea de iis cogitet aut ſtatuat. Hoc libello ad regem allato, magna animorum in aula mutatio ſecuta eſt; nec, revocatis ad religionis cauſam poſtulatis, rem ad concordiam reduci poſſe prudentiſſimi quique deſperabant. Reclamabat initio regina, quae, Guiſii morte familiae illius antea ſibi ſuſpectae potentia labefactata, et adulationibus cardinalis Lotharingi corrupta, Momorantios et Colinios tunc pace conjunctos et ob id ſibi inviſos per bella ſeparare et infringere ſatagebat.

VI. PERVICIT tamen [n] Annae auctoritas: rurſuſque colloquium tentari placuit; idque Annas Momorantius ab invita regina extorſit: et cum Franciſco filio et Arturo [o] Coſſaco Gonnorio, qui nuper in locum [p] Bordillonii demortui equitum tribunus creatus fuerat, Armano [q] Gontaldo Birono et Cl. Albaſpinco ab epiſtolis ad [r] Capellam uſque proceſſit, medio inter urbem ac [s] Dionyſii fanum itinere: quo mox Condaeus cum Coliniis fratribus, vicedomino Carnutum, Saltus comite, et Canio venit. Ibi cum ante omnia Proteſtantes ſibi in religionis cauſa caveri peterent,

INTERPR. [a] *de Clermont d'Amboiſe.* [b] *Sault.* [c] *de Barbançon, ſieur de Cany.* [d] *de Boucard.* [e] *de Baiancour, ſieur de Bouchavanes.* [f] *de Dailly, ſieur de Piquigny.* [g] *de Brouillard, ſieur de Liſy.* [h] *de Vaudray, ſieur de Mouy.* [i] *Raguier d'Eſternay.* [k] *de Montgomery.* [l] *de Ferrieres, vidame de Chartres.* [m] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac.* [n] *le conneſtable de Montmorency.* [o] *de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [p] *le mareſchal de Bourdillon.* [q] *de Gontaut, ſieur de Biron, & Cl. de l'Aubeſpine.* [r] *la Chapelle.* [s] *S. Denis.*

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

rent, ejuſque libertatem per univerſum regnum ſine ullo locorum ac perſonarum diſcrimine urgerent, Annas, etſi alioqui quietis publicae valde ſtudioſus, nunquam regem aſſenſurum palam affirmavit: nec vero edicta in eorum gratiam facta perpetua eſſe, et ultimum in primis [a] Aureliani tantum ad tempus conditum: nec conſilium regis eſſe, duas religiones in regno tolerare; ſed potius antiquam omni ratione conſtituere: et malle ipſum cum ſuis bellum gerere, quam in odium ac ſuſpicionem vicinorum principum ob eam cauſam incurrere. Ita utrinque, re infecta, diſceſſum eſt. Dirempto colloquio ſpes quoque omnis concordiae adempta eſt, et utrinque verſa omnis in bellum cogitatio. Tum N. [b] Becus Burtius ex [c] Caletenſi pago in Neuſtria VIII ſigna ad Proteſtanteis adduxit, [d] Pariſius, Helias, Pratus, Neucerius, ordinum ductores, aliquot peditum cohortes conſcripſere Andeloti peditatus Gallici praefecti mandatu: [e] Maſconius item in [f] Mediomatricibus ex [g] Divioduri praeſidiariis CXX delectos ſeduxit; quibus ſe CCC in [h] Campania adjunxere: qui omnes ſalvi fanum Dionyſii pervenerunt. Nec multo poſt Claudius Antonius [i] Viennenſis Claravantius, [k] Amburius, [l] Sanjaumalius praeſidii Metenſis tribunus, Jacobo [m] Monberone Auſaneio inſcio, VIII ſigna, et IIII equitum turmas, quibus [n] Duillius F. Deſcepaci tribuni equitum gener praeerat, [o] Monterigolum ad exercitum adduxerunt. Diverſa parte, [p] Carnutum vicedominus, Mongomerius comes, Franciſcus [q] Lanovius nobis deinceps ſaepius commemorandus, Nicolaus [r] Campanus Suſiae comes, Carolus [s] Bellomanerius Lavardinus, alii, copias tam pedeſtreis quam equeſtreis in [ſ] Andibus, Armorica, citeriori Neuſtria, Perticenſi agro, Carnutibus et Belſia conſcribebant; qui ad [t] Thorium in Belſia univerſi ineunte Octobri convenerunt, numero CIↃ equites et III CIↃ peditum. Janvilla mox deditionem imperanti Carnutum vicedomino patuit. Dein ita diviſus exercitus, ut primam aciem Mongomerius, poſtremam ipſe vicedominus ducerent. [u] Stampae dedere ſe juſſae cum recuſarent, admotis ſcalis, a legione, quam [v] San-Joannius Mongomerii frater ducebat, captae ſunt, arce etiam dedita: cui praeſidium a victore impoſitum, ut circumpoſitam regionem commeatu, ſi quae alia, abundantem in officio contineret. Stampis [w] Dordingam itum, cui praeerat Joannes [x] Hoſpitalius Choeſii comes, qui vicedomino locum dedidit; ab eoque ad Condaeum deductus operam ſuam deinceps Proteſtantibus addixit. Cum vero viderent foederati, pontes, tranſitus ac portus urbi circumpoſitos a regiis occupatos eſſe, tumultuaria pugna ad [y] Clodoaldi fanum excitata cum regiis conflixere: tum navigiis ad id paratis Sequanam copias traducunt IX Kal. Novembreis, copiis, quae municipium ſervabant, loco relicto in turrem ponti impoſitam confugientibus, quibus [z] Guicutius praeerat, et turre tempeſtive foſſa munita. Tranſmiſſae copiae [aa] Fanum Audoeni incolumes veniunt, ubi eas Colinius maris praefectus operiebatur; conjunctaeque omnes II CIↃ equitum, IIII CIↃ peditum efficiebant, novo ad eas quotidie confluente milite. Heic rurſus inter foederatos de ſumma rerum conſultatum fuit: et ante omnia, ne quid inexpertum relinqueretur, placuit pacis rationes tentari, miſſo [bb] Telignio, qui cum regina ageret. Diſtributus interim exercitus: et pars cum Condaeo ad Dionyſii fanum manſit, Carnutum et [cc] Ambianorum vicedominis, Fr. Barbanſono Canio, Franciſco Saltus comite, Nicolao Campano Suſiae comite, et aliis ducibus; pars cum Colinio maris praefecto, Andeloto fratre, [dd] Claromontio Amboſiano, [ee] Rentio, ad Audoeni

fanum

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *du Bec, ſieur de Bourry.* [c] *pays de Caux en Normandie* [d] *les capitaines Paris, Helias, Pré, & Nogue.* [e] *Maſconis.* [f] *pays Meſſin.* [g] *Mets.* [h] *Champagne.* [i] *de Vienne, ſieur de Clervaut.* [k] *le capitaine Ambure.* [l] *de St. Chaumas, ſergent major de la garniſon de Mets.* [m] *de Montberon, ſieur d'Auzances.* [n] *Orry du Chaſtelet, ſieur de Durilly en Lorraine, qui epouſa Jeanne de Scepeaux, fille puiſnée du mareſchal de Vielleville.* [o] *Montereau.* [p] *le vidame de Chartres.* [q] *de La Noue.* [r] *de Champagne, comte de la Suze.* [s] *de Beaumanoir, ſieur de Lavardin.* [ſ] *Anjou, Bretagne, Normandie, le Perche, pays Chartrain & Beauſſe.* [t] *Thoury en Beauſſe.* [u] *Eſtampes.* [v] *de St Jean.* [w] *Dourdan.* [x] *de l'Hoſpital, comte de Choiſy.* [y] *S. Cloud.* [z] *le capitaine Guincourt.* [aa] *St. Ouyn.* [bb] *le ſieur de Teligny.* [cc] *le vidame d'Amiens.* [dd] *de Clermont d'Amboiſe.* [ee] *de Renty.*

fanum proceſſit, qui eſt Sequanae impoſitus ad dextram tendentibus ad urbem pagus: Fr. [a] Hangeſtus Genlius, N. [b] Beeus Varda, alii ad laevam [c] Aubervillerium pagum pro hoſpitio habuerunt: qui duo pagi tanquam cornua, medio [d] Dionyſii fano, ubi veluti acies erat, porrigebant. Diverſa parte citetius miſſus [e] Mongomerius comes, qui [f] Borgetum pagum in via, qua [g] Silvanectum et Claromontium itur, occuparet. Obſtructis ab ea parte cunctis ad urbem per terram aditibus, [h] Charentonium ducere jubetur [i] Claromontius; qui pagus ad [k] Matronam pontem turre munitum habet ſupra [l] Confluentem. Qui turri praeerat, vix expectato hoſte, ſtatim deditionem fecit, ob id poſtea Lutetiae capite plexus. Turre aperta, locus a Claromontio deſertus, quia, [m] Latiniaco ſuperiore occupato, quod itidem Matronae impoſitum eſt, flumen omni commeatu interclusum eſſet. Eodem tempore Andelotus cum IↃ equitibus et delecta peditum manu [n] Poſſiacum, quod [o] Sequanae infra urbem pontem impoſitum habet, proficiſcitur, praemiſſo Mongomerio, qui [p] Pontem Eſiae occuparet; ut ita [q] Eſiae et Sequanae pontibus in poteſtatem redactis, et omni commeatu intercluſo, urbem ad extremas anguſtias redigeret; conſilio fere irrito ac ſuis detrimentoſo. Nam Mongomerius pontem Eſiae profectus locum majore praeſidio, quam ut brevi tempore capere poſſet, munitum offendit, a Philippo Strozzio Petri equitum tribuni ad [r] Theodonis villam occiſi filio, qui cum legione Picardica, cui praeerat, illac tranſiens partem in oppido reliquerat, et inde cum reliquo milite, diverſo, quam quo a foederatis putabatur, itinere Lutetiam incolumis pervenit. Andelotus autem, dum Poſſiaci haeret, interim intercluſo a noſtris tranſitu, ad ſuos in tempore reverti et proelio mox commiſſo intereſſe non potuit. Jamque copiae numeroſae undique ad regem confluxerant: et, Gallici peditatus praefectura, quam ſolus Andelotus obtinebat, diviſa, partem rex ipſi Strozzio, partem [s] Timoleonti Coſſaco Briſſaci equitum tribuni filio, ſummae virtutis juveni, attribuerat. Ordinariae item equitum cataphractorum turmae jam magno numero convenerant; in quo praecipuum regni robur conſiſtit. Praeter regium patrimonium et alia regni ampliſſima vectigalia, Carolus VII, bellis civilibus diu jactatus princeps, cum provideret magnam potentiam haud diu ſine motibus ſtare poſſe, ſumma prudentia tributum peculiare ad alendum militem excogitavit, quod in L CIↃ peditum ſtipendium ſatis eſſet, et aliud, quod ordinariis equitum cataphractorum turmis deſtinatum eſt. Et ita diu apud nos inter graviſſima bella, quae reges noſtri cum finitimis ab eo tempore geſſere, militaris diſciplina viguit, regibus honorifica nec populo gravis; donec, per bella civilia, et eorum qui in gratia apud reges noſtros praeter meritum floruerunt avaritiam, exhauſto aerario, antiqua illa vectigalia cum ceteris confuſa ſunt: quo factum, ut diſciplina ſenſim labefactari, mores corrumpi, egere milites, plebs novis ſubinde imperatis vectigalibus gravari, et diſcurrente ad rapinas ſtipendii penuria milite vexari coeperit.

VII. INTEREA [t] Tanaquillus Buchetus Pigraſerius Proteſtantium copias per [t] Aquitaniam cogebat, iiſque ad [u] Confluentiam in Engoliſmenſi agro diem dixerat: quibus excipiendis ac deducendis deſtinatus Franciſcus [v] Rupifulcaudii comes cum Arturo [w] Valdraco Moio. Miſſus et [x] Lanovius, vir aequitate animi et rei militaris ſcientia inter ſuos inſignis, qui [y] Aurelianum, ubi plerique ex civibus Condaei partibus addicti erant, in poteſtatem arte potius quam vi, ad quam admovendam longiore tempore opus erat, redigeret: quod ille felicitate majore an ſolertia executus ſit, incertum.

VAR. LECT. * cum paucis comparandus, qui D. f. o.

INTERPR. [a] *de Hangeſt, ſieur de Genlis.* [b] *du Bec, ſieur de Vardes.* [c] *Aubervilliers.* [d] *S. Denis.* [e] *de Montgomery.* [f] *le Bourget.* [g] *Senlis & Clermont.* [h] *Charenton.* [i] *de Clermont d'Amboiſe.* [k] *la Marne.* [l] *Conflans.* [m] *Lagny* [n] *Poiſſy.* [o] *la Seine.* [p] *Pontoiſe.* [q] *l'Oiſe r.* [r] *Thionville.* [s] *de Coſſé comte de Briſſac, fils ainé du mareſchal de Briſſac.* [t] *Tanneguy du Bouchet, ſieur de Puigreffier,* dit *St. Cyre.* [t] *Guienne.* [u] *Confolant en Angoumois.* [v] *la Rochefoucaud.* [w] *de Vaudray, ſieur de Mouy.* [x] *de la Noue.* [y] *Orleans.*

CIƆIƆLXVII. CAROLUS IX. incertum. [α] Nam eum paucis eo profectus ope civium idem ſecum ſentientium ſine cujuſquam injuria urbe potitus eſt, confugientibus adverſariis in [a] Baneriam portam, quae arcis inſtar urbi impoſita erat, et cum praeſidio a [b] Cabano tenebatur; ad quam mox dux impiger vim admovet, et, poſtquam Cabanus crebra tormentorum diſploſione in oppoſitas urbis domos aliquanto tempore fulminavit, vallo a Lanovio propius producto, omni ſpe auxilii adempta, tandem deditionem fecit. Ita Aurelianum plene a Lanovio in poteſtatem redactum; quod poſtea venienti ex [c] Aquitania militi et ad Condaeum properanti commodum juxta ac tutum perfugium fuit. Diverſa parte, [d] Beeus Burrius a Condaeo mittitur, ut [e] Argentolium occuparet, municipium ad [f] Sequanam infra [g] Dionyſii fanum ſitum, debilibus admodum muris cinctum, ac paene nulla foſſa munitum. Diſpoſitis noctu inſidiis, dum ſub diei crepuſculum ſtationes mutantur, Burrius cum ſuis vim facit, et locum haud magno negotio [α] capit. Haud longe hinc abeſt [h] Buſenvallia [i] Schuartiorum arx trans Sequanam; cujus [k] inquilinus, nam dominus in urbe erat, capto Argentolio, Condaeum adit, ut ſecuritatis literas ab eo acciperet; quas non ſolum perbenigne conceſſit humaniſſimus princeps, ſed, cum loci commoditate illectus de eo occupando occaſionem ſibi oblatam minime praetermittendam exiſtimaret, inſuper ex nobilibus ſuis quoſdam inquilino auxiliareis dedit, parum literas eſſe dictitans, niſi eſſent, qui earum auctoritatem tuerentur. Ii, arce luſtrata, cum eam opportunam excurſionibus judicarent, non jam tueri locum contenti, ſed accepto a Condaeo L armatorum praeſidio, viam quae ex [l] Andibus, Cenomanis, Perticenſi agro, Carnutibus et Neuſtria ipſa ducit, unde copioſus commeatus Lutetiam in dies comportatur, excurſionibus infeſtam reddiderunt. Nam ex Neuſtria viam, qua per [m] Nuellium itur, et ubi tranſmittitur a viatoribus Sequana, pontonibus ac ceteris navigiis [n] fanum Audoeni abductis, intercluſerunt, et, Buſenvallia arce capta, ulterius progreſſi, [o] Sanporcianam Coeleſtinorum Pariſienſium arcem haud longe a [p] Verſaliis occuparunt; [q] Trapas inde tendentibus pabulatoribus. Lutetiam ex Carnutibus et Neuſtria venientibus ſuperabat tranſitus per [r] Dampetram [s] Capreolii principatus, qui cardinalis Lotharingi eſt, voluptuariam arcem; quam et illi incuſtoditam occupant, et continuis excurſionibus cinctam urbem commeatu undique prohibent. Jamque plebs annonae penuria fremere, et, niſi rex adeſſet, ad apertam ſeditionem ſpectare: tum ob adfinitatem cum Condaeo et Coliniorum cognationem invidia laborare Momorantius, et clam, aemulorum aſtu, convicia in eum a vulgo jactari. Itaque ea caſtella, quibus occupatis veluti arcta obſidione cingebatur urbs, ante omnia recipi placuit: quod rurſus antequam fieret, decretum inter duces, ut prius pontones, quos ex locis circumpoſitis ad Audoeni fanum foederati conſtruxerant, corrumperent, ut intercluſo tranſitu auxilia a Condaeo ſummitti non poſſent. Id ea ratione factum: Ingens navigium, et qualia in eo flumine crebra viſuntur, inſtruunt, aſſeribus trium pollicum craſſitudine contectum, ut miles, qui intus eſſet, a majorum ſcloppetorum ictibus tutus eſſet: in illud L delecti armati impoſiti, hiſque additi fabri lignarii cum dolabris ac terebris magno numero: qui pridie Non. Nov. per noctis ſilentium ſecundo flumine devecti cum ad locum veniſſent, raras excubias et ſemiſomneis nacti, exiguo certamine pontones in alteram ripam ſubductos in poteſtatem redigunt; moxque, exſcenſione facta, per fabros terebris ac dolabris pontones multis locis perforari et corrumpi atque demergi curant: quo facto, incolumes ad ſuos vi remorum ſe recipiunt, adempto Proteſtantibus pontonum uſu. Tum regii, de auxiliis Condaei ſecuri, copias urbe emittunt, et Buſenvalliam arcem ducunt, cui [ſ] Brechanvillius in locum [t] Amanzaei

VAR. LECT. [α] capit ac diripit *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *porte Baniere.* [b] *le capitaine Caban.* [c] *Guienne.* [d] *du Bec, ſieur de Bourry.* [e] *Argenteuil.* [f] *la Seine.* [g] *S. Denis.* [h] *Buzanval.* [i] *Schouart.* [k] *le fermier.* [l] *Anjou, le Maine, le Perche, pays Chartrain, & Normandie.* [m] *Neuilly.* [n] *St. Ouyn.* [o] *S. Porcian.* [p] *Verſailles.* [q] *Trapet.* [r] *Dampierre.* [s] *Chevreuſe.* [ſ] *de Brechainville.* [t] *d'Amanzay.*

zaei Andeloti legati, qui arci antea praefuerat, nuper ſuffectus praeerat. Copiarum CIƆIƆLXVII.
praecipui duces erant Helionorus [a] Aurelianus Longavillae dux, Gul. [b] Momorantius CAROLUS IX.
Thoreus, Timoleon [c] Coſſaeus Briſſaci comes, Joannes [d] Bloſſetus Toreius; qui CIƆ IƆ equites egregie inſtructos, III CIƆ peditum ducebant, numerum expeditione ſuſcepta majorem; ſed, ſi forte Andelotus, qui [e] Poſſiaci erat, ſuperveniret, parem. His omnibus rurſus Claudius [f] Lotharingus Aumaliae dux cum ſummo imperio praeficitur: qui ubi ad locum venit, juſſo Brechanvillio deditionem facere, ac recuſante, tormenta admoveri jubet; ſed poſt c circiter ictuum diſploſionem, cum nulla ſpes auxilii ſupereſſet, loci praefectus ſuis auctor fuit, ut ſe honeſtis conditionibus dederent. Igitur ex eorum conſenſu vitam et res ſalvas pactus locum Aumalio tradit; incolumiſque cum ſuis [g] Audoeni fanum deducitur. Statim receptum [h] Sanporcianum et [i] Dampetra, et libera ad commeatum via aperta. Non tamen plebs obmurmurare deſiit, annonae commoditate reſtituta parum actum dictitans, niſi hoſtis, qui quotidie ad urbis portas excurrebat, omnino pelleretur: quae voces rurſus in Momorantii invidiam recidebant, qui, innata prudentia nihilominus cum rumores initio reipublicae ſaluti non anteponeret, tandem, ſeu occaſione invitatus ſeu obtrectatorum impatientia victus, cum copiis jam in juſtum exercitum excreſcentibus aliquid tentandum cenſuit.

VIII. JAM enim Petrus [k] Lomanius Terrida et Ludovicus [l] Laſticus Hieroſolymitanus eques et Arvernorum prior copias ex [m] Aquitania et Septimania paulo prius ad regem adduxerant, et regii ad [n] Capellam medio inter urbem et [o] Dionyſii fanum itinere ſtationes promoverant: Condaeani contra haud longe hinc ad locum, cui [p] Indicto nomen, contrarias ſtationes oppoſuerant: ita ut inter tam vicinos quotidie frequentibus et levibus proeliis certaretur. Tandem Momorantius per Andeloti ab exercitu abſentiam, occaſioni inſiſtendum ratus, copias educere ſtatuit; non ut de ſumma rerum cum Condaeanis decertaret, quod minime auſuros illos putabat, ſed ut eos ſaltem Audoeni fano et [q] Aubervilleria cum damno pelleret, et poſtremo Condaeum ipſum Dionyſii fanum deſerere cogeret. Quod antequam faceret, IƆ delectos equites pridie ejus diei, quam pugna commiſſa eſt, emittit, qui, uſque ad hoſtium caſtra progreſſi, eos toto eo die ac nocte inſequenti levibus proeliis fatigatos in armis eſſe coegerunt, occiſo etiam Dampetra Andeloti alae ſignifero. Ab iis edoctus Momorantius de numero hoſtium, poſtridie, petito a rege commeatu et ingenti ſpe proſperi ſucceſſus facta, omnem exercitum educit: et, cum portam egrederetur, ad circumſtanteis converſus, Haec me, inquit, dies ab inimicorum obtrectationibus et plebis invidia abſolvet: nam aut vivum triumphantem videbit, aut poſt illatam hoſtibus luctuoſam cladem decora morte interemptum lugebit. Nec verbis augurium defuit. Cum inter foederatos conſultaretur, quid facto opus eſſet, alii Audoeni fanum et Aubervilleriam deſerenda, quae ſine periculo retineri non poſſe apparebat, cenſebant, et ad Dionyſii fanum contrahendas copias, ibique conſiſtendum, tantiſper dum copiae disjectae conjungerentur: alii periculum quidem non diffitebantur; ſed relictis iis locis famam ac decus, quae initio bellorum magnum momentum habent, amitti cauſabantur. Itaque conſultius videri dicebant, ſi ſe in armis quaſi pugnaturi oſtenderent, et ſenſim recedentes ad ſuos reciperent. Contra diſſerebat Condaeus: et non ſolum ad decus ac famam pertinere demonſtrabat, ſi Audoeni fanum et Aubervilleriam deſererent, ſed periculum ſubeſſe, ne eo ſucceſſu elati hoſtes univerſos ad Dionyſii fanum contractos obſiderent, et, qui nuper pro oppugnatoribus ſe gerebant,

INTERPR. [a] *d'Orleans, duc de Longueville.* [b] *de Montmorency, ſieur de Thoré.* [c] *de Coſſé, comte de Briſſac.* [d] *de Bloſſet, ſieur de Torcy.* [e] *Poiſſy.* [f] *de Lorraine, duc d'Aumale.* [g] *St. Ouyn.* [h] *St. Porcian.* [i] *Dampierre.* [k] *de Lomagne, ſieur de Terrides.* [l] *de Laſtic, grand prieur d'Auvergne.* [m] *Guienne & Languedoc.* [n] *la Chapelle.* [o] *S. Denis.* [p] *le Landit.* [q] *Aubervilliers.*

CIƆIƆLXVII.
CAROLUS IX.

bant, in arctiſſimam oppugnationem conjicerentur; quod ut obſeſſis animos ademp-turum, ſic regiis procul dubio ad majora audenda facturum ſit: quid vero Germani auxiliares, qui jam in armis ſunt, et quotidie venturi expectentur, ea re intellecta, conſilii capturi ſint, reputandum prudentiae eorum relinquere, qui ſciant adflictorum et male fortunatorum conditionem ab omnibus fere negligi; et contra, quo fortuna propendeat, eodem favorem hominum inclinare: jam vero, ſi media ſententia obtineat, non minus periculi ex ea ſequi: nam, ſi ſe ſemel in armis oſtendant, et in hoſtium conſpectu recipiant, manifeſto exitio objici; quippe experimento inter harum rerum peritos conſtare, ubi contrariae acies conſtiterint, utra prior recedat, eam alteri victoriam tradere: itaque, cum loca inſeſſa deſeri probroſum ac damnoſum, in hoſtium conſpectu recipere ſit pernicioſum, reliquum eſſe, ut, certandi neceſſitate impoſita, de pugnae ratione conſulatur; de cujus eventu minime deſperandum ſit: nam, quanto numero inferiores ipſi ſunt, tanto hoſteis minore cura rem geſturos; et, cum minime adverſarios ad certamen deſcenſuros credant, accidere poſſe, ut, ſi pugna ſtrenue capeſſatur, inopinato caſu territi praeter ſpem fundantur; quod ſi minus ſuccedat, videndum, ut cum leviſſimo aut etiam nullo damno pugna conſeratur: id autem ut confici poſſit, multa ſpem facere: nam primo, dies hybernos brumoſos ac breveis eſſe, et copias tam numeroſas per urbem huc illuc ſparſas non niſi ſero egreſſuras; neque enim ut in caſtris, ubi diſciplina ſervatur, ſic ex urbe luxu diffluente ad pugnam prodiri, neque rem tormentariam tam cito expediri poſſe: tum vero prudentem et ingraveſcentem aetate ducem, cum adverſarios, quos minime retur, praeter ſpem ad pugnam paratos cernet, omnia circumſpecturum, ut, quantum in ipſo erit, nihil temere faciat, minimumque ſortis aleae relinquat: itaque non niſi inclinata jam die utroſque ad manus venturos; nec dubium eſſe, quin, quod ſere accidit, et tunc eveniat, ut paucorum virtus et in capeſſenda pugna alacritas initio cum potentioribus proelium aequet, donec, majore numero vincente, obortae repente tenebrae inſequenteis ſiſtant, et recedentibus tutum receptum praebeant, eademque obſcuritate victoriam illorum et horum cladem involvant: ſic famam retineri in praeſens etiam apud exteras gentes, damnoſae obſidionis periculum evitari, et ineluctabili exitio non minus conſulto quam decore in tempore praeverti, poſſe. Haec Condaei ſententia vicit: in eamque conſentientibus proceribus, cuncti ſe ad pugnam parant. In ejus exercitu omnino erant CIƆ IƆ nec amplius equites ſub XVIII vexillis ex nobilitate fere armis tumultuariis in tali caſu inſtructi, CIƆ CC pedites undique ſine ſignis conſcripti: in regio XXC ſigna, quae XVI CIƆ peditum efficiebant, ex veteranis legionibus, Helvetiis, et novis delectibus; III CIƆ equitum cataphractorum ex regni Ordinibus, egregie armis et comitatu ſuo inſtructi. Planities magna urbem et [a] Dionyſii fanum interjacet, quam media via ſilicata inter [b] Audoeni fanum, quod ad [c] Sequanae ripam eſt, et [d] Aubervilleriam ad dextram dividit. Momorantius, educto peditatu, [e] Capellam praeſidio impoſito firmat, et ultra progreſſus [f] Villetam verſus per planitiem longa ſerie exercitum porrigit, atque ad dextram Helvetiorum agmen collocat, ad latus eorum rurſus appoſito idoneo Gallorum ſcloppetariorum numero, qui XIIII machinas contra Aubervilleriam directas ſervarent: ipſe ad laevum Helvetiorum latus cum ſuo equitum delectorum agmine conſedit, praemiſſo equitum magno numero, qui ſe tegeret, quibus [g] Franciſcus Momorantius major natu filius praeerat. Ad laevam Momorantii equitum agmina ſtabant; in quibus erant turmae Jacobi [h] Sabaudi Nemoroſii, Helionori Aureliani Longavillae, ducum, Franciſci Regii Chavignii, Gul. Momorantii Thorei, Ludovici Sangelaſii Lanſaci,

Radeſiani

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *St. Ouyn.* [c] *la Seine.* [d] *Aubervilliers.* [e] *la Chapelle.* [f] *la Villette.* [g] *le mareſchal de Montmorency.* [h] *de Savoye duc de Nemours, Leonor d'Orleans duc de Longueville, F. le Roy ſieur de Chavigny, Guil. de Montmorency ſieur de Thoré, L. de S. Gelais ſieur de Lanſac, Albert de Gondy comte de Retz.*

Radeſiani et aliorum; quos ſcloppetariorum delectae cohortes tegebant. Infra eos et Capellam verſus Pariſienſis peditum legio erat, armis deauratis ac relucentibus ad ſpectaculum egregie instructa. Latus Helvetiorum dextrum tegebant Strozzii et Briſſaci legiones, et ſupra eos equitum turmae [a] Aubervilleriam verſus, quibus Arturus [b] Coſſaeus equitum tribunus, et Armanus [c] Guntaldus Bironus caſtrorum praefectus, Euſtochius [d] Confluentius Auxii vicecomes, [e] Hardoinus Villerius, alii praeerant. Paulo infra [f] Villetam Claudius Lotharingus Aumaliae dux et Henricus Momorantius [g] Damvilla conſtiterant, duobus equitum agminibus tecti, qui Helvetiis et peditatui Gallico laboranti praeſto eſſent. Condaeus ex adverſo aciem, quam hactenus tripartito in hoſpitiis habuerat, in tria agmina dividit; quorum primum, cui Colinius maris praefectus praeerat cum Georgio [h] Claromontio Amboſiano Galarandae marchione, ejus filiis, [i] Rantio, et aliis, ſupra Audoeni fanum conſederat, cum VI equitum vexillis et CCCC ſcloppetatiis equitibus, duce Dominico [k] Provana Valſenerio, ut et locum tueretur, et ex adverſo eorum ſtaret qui Momorantium tegebant. Pone ſequebantur et alterum cornu efficiebant Franciſcus [l] Hangeſtus Genlius et Carolus Bellomanerius Lavardinus, cum [m] Beco Varda, [n] Breſſaldo, [o] Beſancuriano, VI equitum vexillis, et CCCC circiter peditibus, qui impreſſionem facienti praeſto eſſent, et Aubervilleriam verſus, quo regios omnem impetum verſuros apparebat, tendebant, ex adverſo Bitoniorum; adverſus quos quo ſe tuerentur, foſſam tranſverſam ab Aubervilleria ad molatrinam ſubventaneam, quae inter pagum illum et Villetam ſita paulum ad dextram porrigitur, duxerant; quam et molatrinam item delectis ſcloppetariis muniverant. Condaeus mediam aciem tenebat; in qua erant Odetus [p] Colinius cardinalis, [q] Poxius Sechellius Henrici Condaei filii Anguiani ducis legatus, [r] Franciſcus Barbanſonus Canius, Joannes Ferrerius Carnutum et Carolus Dallius Piquinius Ambianorum vicedomini, Piquinii item filius, [s] Saltus et Suſiac comites, Jo. [t] Raguerius Sternaeus, [u] Buchavanius, cum VI equitum vexillis et CCCC ſcloppetariis, Robertus Stuartus cum Scotis ſuis, qui ante [x] Dionyſii fanum et Indicti ſacellum porrigebantur. Ita instructis utrinque aciebus, initium a tormentis regiis factum; nam nulla habebant Proteſtantes: et poſt trium aut quatuor diſploſionum vices, quibus non adeo magnum damnum hoſtibus inflictum fuit, poſt levia item aliquot procurrentium certamina, cum Genlius metueret, ne mox toto impetu regii in ſe verterentur, accepto a Condaeo imperio, in adverſos vim facere parat, jam [y] Vardenſi ulterius provecto, qui tormentorum infeſtationem non ferens ultro excurrerat, ut peſtem a ſuis averteret. Itaque Genlius cum inſecutus cum ſemel atque iterum in regios incurriſſet, creſcente regiorum numero, poſt acre ac ſanguinolentum certamen, ope ſcloppetariorum, qui in foſſa tranſverſa diſpoſiti erant, magnum etiam damnum regiis ſe recipiens intulit; et ſecundum cum et Vardenſem Colinius, monito prius Condaeo, procurrit. Et, uti periculo Genlianos numero inferiores eriperet, in adverſos impetum facit tanta vi, ut obvii ordines everſi, ſuos, qui retro erant, atque adeo Pariſienſem legionem in fugam verterint. Colinium mox inſecutus Condaeus tanta feſtinatione pugnam capeſſit, ut ſcloppetarii, quos ad latus habebat, cum aſſequi in tempore non potuerint. Ante parentem Momorantius locatus pugnabat; quem, dum ad Colinium tendit Condaeus, et in Annae Momorantii agmen impetum facere molitur, evitare conatus fruſtra fuit; ſiquidem ille tanta virtute venientem diſtinuit, ut agmen ſuum dividere, et parte ſecum aſſumpta, partem

relinquere

INTERPR. [a] *Aubervilliers.* [b] *le mareſchal de Coſſé.* [c] *de Gontaut de Biron, mareſchal de camp.* [d] *de Conflant, vicomte d'Auxy.* [e] *Hardouin de Villers.* [f] *la Villette.* [g] *le mareſchal de Damville.* [h] *de Clermont d'Amboiſe, marquis de Galerande.* [i] *de Renty.* [k] *de Provane, ſieur de Valſemeres.* [l] *d'Hangeſt ſieur de Genlis, & C. de Beaumanoir ſieur de Lavardin.* [m] *du Bec, ſieur de Vardes.* [n] *Breſſaud Angevin.* [o] *de Beſſancour.* [p] *de Coligny, cardinal de Chaſtillon.* [q] *de Poix, ſieur de Sechelles.* [r] *F. de Barbançon ſieur de Cany, J. de Ferrieres vidame de Chartres, & C. de Dailly ſieur de Piquigay vidame d'Amiens.* [s] *les comtes de Sault & de la Suze.* [t] *Raguier d'Eſternay.* [u] *de Bouchavanes.* [x] *St. Denis, & la Chappelle du Landit.* [y] *de Vardes.*

relinquere coactus ſit. Heic vero longe diverſa facies erat, cum victor filius foederatos obvios late ſterneret, parens vero, in quem Condaeus cum cardinali Caſtellionaeo, Carnutum vicedomino et aliis ducibus impreſſionem faciebat, jam a Colinio impulſus, diffugientibus undique ſuis, miſerabiliter deſereretur; ita ut regii eodem tempore victi victoreſque apparerent. Tandem, cum nullum non ſolum primarii ducis ſed militis etiam in illa aetate emeritus ſenex munus non implevisſet, belli vim in corpus proprium recepit, et in facie accepto vulnere, cum a Roberto Stuarto, ut ſe dederet rogaretur, ipſe valida adhuc manu undique circumventus capulum enſis in maxillam ejus intorſit, tanta vi, ut ei treis dentes excuſſerit: quo facto impatientia doloris exacerbatus, ſive Stuartus ipſe, ſive alius e turba, ſcloppeti ictum a tergo in eum direxit, qui in loricam ſcloppetorum ictibus ferendis minime parem facile penetravit, et lethali plaga eum conſtravit. Interea [a] Coſſaeus [b] Aumalium et Damvillam, ut gradum geminarent, movet; qui ſuis ea parte laborantibus certamen reſtituerunt. [c] Chavignius in [d] Claromontium invectus, eo graviter vulnerato, turmam ipſius fudit. Tandem, poſt acre trium horae quadrantium certamen, regiis ad Momorantium vulneratum et initio a ſuis deſertum accurrentibus, et foederatis ad Condaeum equo lanceae trunco ſuffoſſo deficientem ſe aggregantibus, nocte superveniente diremptum proelium eſt: in quo minor ſcloppetariorum, qui levibus tantum e longinquo pugnis dimicarunt, ſed longe maximus equitum uſus fuit, et virtus enituit. Condaeus equo recenti conſcenſo cum ſuis [e] Dionyſii fanum, reſtitutis ordinibus ſe recepit, Franciſco [f] Momorantio, cujus eo die virtus praecipua fuit, cum paucis eum inſequente. Regii, relato [g] Momorantio ſeminece VI vulneribus confoſſo, Lutetiam ſe contulerunt, deſiderato [h] Cauniae comite et Hieronymo [i] Turino cum praecipuis ducibus et XL aliis ex nobilitate, CCC item peditibus. [α] Claudius [k] Batarnaeus Antonnii regulus, juvenis ſummae virtutis et ultima [l] Bucagiorum comitum ſpes, multis ictibus, dum circa Annam avunculum fortiter pugnat, confoſſus eſt; ex quibus poſtea deceſſit, ingenti ſui deſiderio Franciſco et Iſabellae Sabaudae parentibus relicto. Major clades foederatorum fuit; quippe amiſſis in ea pugna plus L ex praecipua nobilitate, et in iis Franciſco [m] Saltus comite et [n] Santandreano ipſius fratre, Nicolao [o] Campano Suſiae comite, C. [p] Dallio Piquinio Ambianorum vicedomino et ejus filio; de quorum ſucceſſione cum poſtea lis mota eſſet, et quaereretur uter prior deceſſiſſet, ſenatus, ne ordo naturae turbaretur, ex juris regula ſecundum eos pronunciavit, qui hereditatem ad filium perveniſſe et per ejus mortem deferri contendebant. Periit et in ea pugna [q] Garenius, et Franc. [r] Barbanſonus Canius tormenti ictu diſcerptus: nam nec cadaver ejus, quantumvis diligenter indagatum, ullo pacto reperiri potuit: captum eum quidam et extra pugnam occiſum credidere. Colinius ipſe extremum periculum adiit, ab equo Turco duri oris incitato habenis inciſis cum fugientibus regiis aliquanto tempore, licet fruſtra obniteretur, abreptus, neque tamen agnitus: ſtatimque rumor percrebuit, quaſi captus et in urbem abductus clandeſtina cuſtodia aſſervaretur; ea propter perveſtigatae curioſa indagine reginae juſſu [s] Urſinorum aedes, quod Chriſtophorus Urſinus [f] Capella aliqua cum Coliniis ac Momorantiis adfinitate conjunctus, ob idque ſuſpectus, celare eum argueretur. Utriſque, cum nondum omnino debellatum eſſet, recedentibus, in ambiguo relictum eſt, ab utra parte victoria ſtetiſſet. Verum Franciſcus [t] Lanovius, aequiſſimus rerum aeſtimator, ſecundum regios ſententiam tulit; quippe qui campo potiti

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Batarnaei Antonnii morte, uſque ad* Major clades *deſunt* D. f. o.

INTERPR. [a] *le mareſchal de Coſſé.* [b] *le duc d'Aumale, & le mareſchal de Damville.* [c] *le Roy, ſieur de Chavigny.* [d] *de Clermont d'Amboiſe.* [e] *S. Denis* [f] *le mareſchal de Montmorency.* [g] *le conneſtable de Montmorency.* [h] *Chaunes.* [i] *de Turin.* [k] *de Batarnay, baron d'Anton.* [l] *Bouchage.* [m] *Sault.* [n] *le ſieur de St. André.* [o] *de Champagne, comte de la Suze.* [p] *de Dailly, ſieur de Piquigny, vidame d'Amiens.* [q] *de Garenes.* [r] *de Barbançon, ſieur de Cany.* [s] *Hotel des Urſins.* [f] *de la Chappelle aux Urſins.* [t] *de la Noue.*

potiti ſint, et cadavera in poteſtate totam noctem habuerint, ut numero, tormentis, CIↃIↃLXVII.
ſariſſophororum ordinibus et ſitu caſtrorum ſuperiores; ita plenam victoriam procul CAROLUS IX.
dubio reportaturi, niſi oox illis eam invidiſſet. Id in IIII Eid. Nov. incidit. Poſtridie Momorantius optime meritam de Franciae regno animam Deo reddidit, paulum minor octogenario; vir praeter natalium ſplendorem omnibus honorum gradibus decurſis clariſſimus, militari ſcientia, prudentia, rerum gerendarum uſu, ad haec praecipua in patriam et Gallicum nomen charitate cum paucis comparandus; qui, cum invidia aemulorum artibus apud plebem concitata diu luctatus, poſtremo eam ſuperavit, et omen verbis propriis, de quibus ſupra diximus, decoro juxta ac memorabili exitu fecit. Octo proeliis interfuit; ex iiſque quatuor cum ſummo imperio praefuit, ſumma ſemper fortitudinis laude, ſed adverſa plerumque fortuna; quae oec cum gloriae hoc proelio partae ſupereſſe voluit. Ejus mortem inter proſpera reginam, quae ad plenam potentiam aſpiraret, duxiſſe creditum fuit; quippe amoto moderatore aulae, in qua principem locum ille tot anoos tenuerat, et quaſi beneficiorum obtrectatore: ea tamen laetitia ſimulato luctu publico preſſa, juſtis viro tot adoreis macto in urbe fere regali pompa perſolutis. Nam in funere deducta ipſius effigies; qui honos ſolis regibus ac regum filiis habetur: interea quaſi in funere publico ab armis temperatum eſt, et, dum de novo duce creando deliberatur, intermiſſa victoriae perſecutio.

IX. CONDAEUS, quo die pugnatum eſt, ad Andelotum miſerat, qui ejus reditum urgeret. Is nocte inſequenti per pontones a regiis ad [a] Audoeni fanum demerſos, ſed poſtea [b] Meſſonerii ordinum ductoris induſtria extractos, et obturatis muſco ſtuppa ac pice foraminibus fartos, tranſmiſſo flumine fanum Diooyſii cum ſuis venit; ibique concilio habito, placuit, quo plenam regiis victoriae laudem eriperent, et famae tam in regno quam apud auxiliareis Germanos conſulerent, ut Andelotus ipſe cum recentibus, quos adduxerat, mane exiret, et ſe in armis, quaſi adverſarios de ouo ad certamen provocans, oſtentaret: quod et ille oon ſegniter fecit, ad ſuburbia uſque progreſſus, et incenſis aliquot molatrinis ſubventaneis, quales pleraeque eo loci erant. Inter eas quaedam fuit non ex materia, ut aliae fere, ſed ex ſolido lapide conſtructa; quam foſſa et vallo pro tempore non incommode regii muniverant. Eam [c] Guerrerius ſtrenuus ordinum ductor cum delectis tuendam ſuſceperat. Cum vero Andelotus, ſibi cuncta cedere cernens, molatrinam unam reſiſtere doleret, vim admoveri jubet; idque negotii [d] Valſenerio, qui heſterno die volones duxerat, homini impigro, dat; qui cum [e] Bellovidio et aliis, poſtquam diu utrinque certatum eſt, poſtremo a Guerrerio repulſi ad tubarum ſonitum ſe receperunt, magna ex eo in re nullius alioqui momenti ad Guerrerium redundante gloria. Inde poſtmodo [f] molatrina illa Guerreriana appellata eſt; et ipſe, ad majores honores provectus, tandem legionis tribunus etiam creatus eſt. In urbe ceſſabatur ob ſummi imperatoris caſum: quo mortuo, haud diu quaerendum fuit, qui in ejus locum ſubſtitueretur, Nam, abolita aut omiſſa ad tempus magiſtri equitum, qui princeps apud nos magiſtratus eſt, dignitate, quam ſuſpectis adeo temporibus nulli attribui tutum videbatur, ſummum armorum imperium rex in Henricum [g] Andium ducem fratrem, regina parente, quae illum nimium quam diligebat, inſtigante, tranſtulit, tunc vix puberem; ut penes eum nomen, penes duces ac proceres, quos ei attribuerat, potentia eſſet. At foederati, proelii alea ex neceſſitate cum damno tentata, cum ſe numero inferiores cernerent, et metuerent, ne, confluentibus quotidie ad Andinum novis copiis, ipſi aut in oppido, in quo erant, obſiderentur, aut, quo minus cum ſuis ſe conjungerent, impedirentur, locum quarto poſt die deſerunt, et verſus [h] Moote-rigolum ad Igonnam iter

INTERPR. [a] *St. Ouyn.* [b] *Meſſonieres.* [c] *le capitaine Guerry.* [d] *le ſieur de Valſenieres.* [e] *de Beauregard.* [f] *le Moulin-Guerry.* [g] *Anjou.* [h] *Montereau ſur Yonne.*

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX

iter ingrediuntur, eo conſilio, ut obviam auxiliaribus Germanis, qui, duce Joanne Caſimiro Palatini ſeptemviri filio, jam in Lotharingia erant, proficiſcerentur; monitis interim ſociis, qui paſſim toto regno ad ſigna concurrebant, ut loco et die condictis convenirent. In Pictonibus, Engoliſmenſi agro, Santonibus paſſim delectus habebantur a Proteſtantibus, qui in his provinciis plurimum pollebant; jamque [a] Rnpellae imminebant, quae urbs Santonum in agro pingui ad mare ſita, portus commoditate et maritima negotiatione dives, ad haec privilegiis et immunitatibus magnis a principibus donata in hanc, quam videmus, opulentiam ac potentiam per haec bella civilia, quae fere alias aut afflixerunt aut omnino deſolarunt, excrevit. Ea [b] Bretiniaca pacificatione poſt Joannis regis captivitatem anno CIↃ CCCLX cum [c] Pictonibus, Lemovicibus, Santonibus, Engoliſmenſi agro in Anglorum poteſtatem conceſſit: quam aegre id Rupellani fecerint, indicinm fuit, quod anno duodecimo poſt rebellarunt, et, Anglis ejectis, rurſus in regis verba jurarunt, antiquis immunitatibus ac privilegiis confirmatis ac novis additis. Ab eo tempore in fide regum noſtrorum urbs manſit: aliquandiu tamen cum cetera [d] Aquitania Carolo Ludovici XI fratri paruit. A centumviris adminiſtratur, qui [e] Pares et Scabini vulgo vocantur. Ex iis quotannis poſt ferias Paſchaleis Major eligitur; qui ſummus ſecundum regium praefectum et ejus legatum magiſtratus eſt, maximaque poteſtate in urbe pollet: ideoque ſtatutis antiquis cavetur, ne plus anno magiſtratum gerat. Moris autem eſt, ut ex omni numero tres deligantur, quorum nomina ad praefectum regium, is hereditario jure tunc erat Vidus [f] Chabotus Jarnacus Santonum regulus, cujus et ob ſplendorem generis et propriam virtutem celebre nomen, aut ad regem ipſum deferuntur, qui quem vult ex iis ſumit, et inaugurandum in annum inſequentem mandat. Cum vero [g] Amator Blandinus aſſeſſor regius eo magiſtratu fungeretur, monuerat regem, ſi urbem ſalvam vellet, videret, ne [h] Truchares, qui eum ambiebat, foederatis addictus, et ob ſtudiorum cum [i] Santerminio, qui Condaeo militabat, conſenſionem merito ſuſpectus admitteretur. Trucharis tamen ſolertia et Jarnaci ipſius apud regem et aliorum procerum commendatione effectum eſt, ut ille a [k] centumviris cum duobus aliis ex omni civium numero electus ſit, et a Blandino, uti juſſus erat, decedente inauguratus: qui paulo poſt, clam communicatis cum Condaeo conſiliis et Santerminii interventu, qui illuc [l] Aureliano Condaei juſſu profectus eſt, urbem, in qua plerique Proteſtantes erant, in Santerminii ſe pro Condaei legato gerentis poteſtatem tradidit, IIII Eid. Febr. anni inſequentis, ſacramento ab oppidanis ſolemni more praeſtito, vitam, fortunas, opes in religionis cauſa conſtanter impenſuros: ab eoque tempore Rupella in Condaei ac Proteſtantium poteſtate, etiam ſine ullo praeſidio et arce, manſit; iiſque unicum ac tutiſſimum ſemper poſtea perfugium fuit.

X. DUM Condaeus cum copiis in itinere eſſet, [m] Monte-rigolum tendens, Franciſcam Aurelianam uxorem [n] Longavillae ducis ſororem obviam habuit; quae et ſecum Carlotam [o] Lavallam Colinii item conjugem adduxerat: cumque eas Aurelianum remiſiſſet, Monte-rigolum venit; ubi [p] Rantium cum VII peditum ſignis reliquit, ut locum tranſitu opportunum tueretur. Inde in Lotharingiam tendit, ut auxiliareis Germanos acciperet: quo etiam [α] miſſus [q] Aumalius fuerat, ut III CIↃ equitum in Germania a Joanne Willelmo Saxone et Carolo Badenſi marchione regis nomine conſcriptorum adduceret. Miſſus et Lud. [r] Sangelaſius Lanſacus ad Fridericum Palatinum ſeptemvirum, qui foederis antiqui eum admoneret, rogaretque, ut Jo. Caſimirum filium a ſuppetiis Condaeo ferendis dehortaretur: nam non heic agi religionis cauſam; libertatem ſuam Proteſtantibus conſtare; nec eorum conſcientiis vim

VAR. LECT. [α] miſſus a rege *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Traitté de Bretigny.* [c] *Poictou, Limouſin, Saintonge, Angoumois.* [d] *Guienne.* [e] *Pairs & Eſchevins.* [f] *Guy de Chabot, ſieur de Jarnac.* [g] *Amadour Blandin.* [h] *Truchares.* [i] *de St. Ermines.* [k] *le Conſeil des Cent.* [l] *Orleans.* [m] *Montertau.* [n] *Longueville.* [o] *de Laval.* [p] *Renty.* [q] *le duc d'Aumale.* [r] *de St. Gelais, ſieur de Lanſac.*

vim afferri; vitam, bona, honores et integra omnia manere: aliud nimirum agi, et majeſtatem principis falſo religionis obtentu peti; quam inconcuſſam ſervari nullius magis intereſt, quam ipſorum Germaniae principum, qui religionem ex animo colunt, ne ſimili exemplo ipſi aliquando a ſuis opprimantur. Haec ſumma mandatorum erat, plane iis conſentanea quae jam Bernardo [a] Bocatello Redonum epiſcopo data fuerant; qui Willelmo Heſſorum principi et per eum Auguſto Saxoni et Joachimo Brandeburgico ſeptemviris idem facile perſuaſerat, ab iiſque delectus, Willelmo Saxone et Badenſi marchione ducibus, impetraverat. Haec Lanſaci legatio aliquandiu Palatinum ſeptemvirum anxium tenuit, vix ut Honorato [b] Prevotio Caſtellerio Portae et Gervaſio [c] Barberio Francurio Condaei nomine auxilia urgentibus fidem haberet: itaque filium tantiſper remoratus eſt, dum de re tota certior fieret. Ea de cauſa Wenceſlaum [d] [α] Zulegerum a conſiliis cum Lanſaco in aulam mittit, accepta fide, ut eum ad ſe incolumem Lanſacus ipſe reduceret. Sed, cum is in aula et poſtea in reditu in foederatorum caſtris longe alia, quam quae a regiis oratoribus jactabantur, didiciſſet, ad Palatinum redit; eique, re, uti habebat, expoſita, auctor fuit, ut promiſſa auxilia non amplius moraretur, ſed Joanni Caſimiro filio liberam abeundi facultatem faceret: ac ne id in malam partem Saxo et Brandeburgicus ſeptemviri aut Heſſus ipſe interpretarentur, negotium ad eos adeundi ſibi ſumpſit, ut veritatis fidem plenam, quippe qui in rem praeſentem veniſſet, illis faceret. Captus in itinere, dum Zulegerum in foederatorum caſtra in reditu, uti a Palatino juſſus fuerat, divertentem comitatur, Lanſacus: ſed commodum accidit, ut is, qui ejus literas, commentarios ac documenta portabat, alia via incedens elapſus ſit; et ita nihil arcanorum ipſius a Condaeo, ad quem mox ductus eſt, reſciri potuerit. Ipſe poſtea dimiſſus nullo [β] pretio perſoluto; quod contra fidem publicam factum diceret, ut, dum Zulegerum ad Condaeum deduceret, caperetur.

XI. Ex Aquitania inter haec copiae convenerant; equeſtres in XIIII turmas diſtributae, ducibus [e] Pigreſſerio Sancirio, Subizio, Anguillario, Carolo Roaldo Landereo, Pluvialio, Sanmartino Corilenſi; pedeſtres in III legiones diſtinctae, in quarum unaquaque IX ſigna erant, ducibus [f] Pardallanio, Armano [g] Claromontio Pilio, et [h] Campaniaco, qui monaſticam vitam olim profeſſus votum ejeraverat. Ii, aſſumptis [i] Confluentiae in Lemovicibus aliquot machinis campeſtribus, pulvere item et aliis armis comparatis, [k] [γ] Oratorium aggrediuntur; quod Campaniacus vi cepit. Tum in [l] Pictones deſcendunt; et [m] Luſinianum munitiſſimam arcem, dedente [n] Vigeano loci praefecto, in poteſtatem ſine certamine redigunt, ſpe ibi concepta, [o] Auguſtoritum provinciae caput per Proteſtanteis, qui in eo erant, intercipi poſſe: eaque de cauſa fruſtra aliquot dies commorati, Vido [p] Dallonio Ludae comite, qui ſupervenerat cum aliis ex primaria provinciae nobilitate, conata eorum eludente, inde ſe viae accingunt, et nuſquam intermiſſo itinere [q] Aurelianum proficiſcuntur; ubi aſſumptis duobus majoribus tormentis, ac colubrina, pulvere ac neceſſario omni inſtrumento, [r] Pontem ad Igonnam ſitum oppidum ducunt, quod Sanmartinus et [s] Sanlupus cum III ſignis tenebant: cum iis erant et navicularii oppidani, cujuſmodi complures eo tractu ſunt, homines pugnaces; qui cum juſſi dedere ſe recuſarent, admota tormenta et verberatio in colle vitibus conſito, qui oppido imminet, directa, ictibuſque paucis diſploſis ingens ruina facta, moenibus recentibus et infirmis; ad quam ſtatim, cum nulla aut exigua foſſa ſubeſſet, impetus factus a Campaniaco, quem

VAR. LECT. [α] Sulegrium *D. f. o. d.* [β] redemptionis pretio *D. f.* [γ] Auratum *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Bochetel, evêque de Rennes.* [b] *Prevoſt, ſieur du Chaſtelier Portaut.* [c] *Barbier Francour.* [d] *Soulegre.* [e] *de Puigreffier* dit *St. Cyre, de Soubize, l'Anguillier, Ch. Ronaut ſieur de Landereau, Pluviaut* al. *Puviaut, & de St. Martin de la Coudre.* [f] *de Pardaillan* [g] *de Clermont, ſieur de Piles.* [h] *de Champagnac.* [i] *Confolant en Limouſin.* [k] *le Dorat.* [l] *Poictou.* [m] *Luſignan.* [n] *du Vigean.* [o] *Poictiers.* [p] *de Daillon, comte du Lude.* [q] *Orleans.* [r] *Pont ſur Yonne.* [s] *le capitaine St. Loup.*

quem e veſtigio [a] Monferrandus Langoranus et Pilius ſubſecuti ſunt. Captum oppidum et obvii quique trucidati: qui in templum vicinum confugerant, ſcloppetorum quoque ictibus confoſſi ſunt cuncti: multi, qui pontem fugientes petierant, dum navigia conferti ingrediuntur, eandem fortunam experti ſunt: qui evaſerunt, Senonum civitatem perfugium habuere: alii, qui in arcem ſe receperant, vitam pacti dimittuntur incolumes. Ponte capto, Colinius, qui primam aciem ducebat, eo confeſtim ad ſocios advolavit; conjunctiſque copiis [b] Senonum civitatem petit, non tam ſpe potiundae urbis, quam ut regios obſidionem vetitos diſtineret, et ſuis interim [c] Sequanam tranſmittendi ſpatium idoneum concederet. Nec conſilium fruſtra fuit. Nam Henricus [d] Lotharingus Guiſius, tunc juvenis, ſed qui expeditione Pannonica jam magnam de ſe ſpem concitaverat, copias omneis, quae [e] Auguſtobonae Tricaſſium erant, ad ſe contrahit, ut obſidionem ſuſtineret. Sed mox Colinius [f] Braium ad Sequanam deflexit, debile muris oppidum, nec alia re magis quam ponte firmum; quod exiguo admodum praeſidio a Roberto [g] Combaldo tenebatur, qui [h] Nemoroſio duci militabat, et ex eo regibus in familiaritatem venit, ad honores non modicos poſtea evectus. Ibi ſecure res a Proteſtantibus acta, dum ad partem magis validam tormenta admoventur; ex qua ruina edita, per foſſam profundam et aqua ex flumine regurgitante plenam in ſummum enitendum erat madido militi et per lubrica veſtigia lapſanti, ita ut ex ſuperiore loco a praeſidiariis facile deturbaretur. [i] Genlius id negotii ſibi ſumpſerat: dejectaque turre et muro ſubjecto, qui [k] Nogentum tendentibus obverſatur, [l] Corboſo Mongomerii frater cum ſuis impetum facere jubetur. Verum neque idonea ruina erat; et incommodum, quod dixi, oppugnantibus ſumme exitioſum fuit. Nam vulneratus ac repulſus ex ſuis CXX circiter deſideravit. Quo caſu irritati foederati, cum majore vi expugnationem tentaturi crederentur, Combaldus, omni auxilii ſpe deſtitutus, honeſtis conditionibus locum dedidit, perſolutis ab oppidanis II CIƆ aureorum, quae in obſidionis ſumptus et fauciorum curam impenſa ſunt. Genlii equitum turma praeſidio impoſita. Inde Nogentum ad Sequanam ductum, quod IIII leucis hinc abeſt, moxque Andeloto venienti patuit, depenſis II CIƆ aureorum. Loco impoſiti [m] Moninius et Paietus, ambo praetorianarum cohortium duces. Quibus locis firmatis, Condaeus [n] Rantium, quem [o] Monte-rigoli reliquerat, revocat, et, pontibus abſciſſis, ad ſe contendere jubet: ipſe per Braium cum principe exercitus parte, Colinius, qui primam aciem ducebat, per Nogentum Sequanam tranſmiſit. Et Nogentum quidem deſertum; Braii relictum aliquot delectorum praeſidium eſt, quouſque exercitus ulterius proceſſit. Ad laevam dein flexo itinere foederati [p] Spernaeum ad Matronam tendunt; ubi treis dies commorati, dum Braii relicti milites ad exercitum ſalvi rediiſſent, de pacis, de qua mentio injecta fuerat, rationibus deliberare coeperunt. Id aſtu a regina factum, plerique credidere; ut Proteſtantes magnis itineribus in Lotharingiam tendenteis moraretur, et dux [q] Andium, qui cum exercitu jam incedebat, eos adſecutus de ſumma rerum proelio decernere cogeret. Miſſus ad eos Combaldus a regina ob id fuerat: conciliοque inter foederatos habito, pleriſque placebat pacis rationes iniri debere, jam belli, cujus principia minime votis reſpondiſſent, pertaeſis, et charitate patriae ad futura mala exhorreſcentibus. Sed reclamabat Jo. [r] Ferrerius Carnutum vicedominus; qui non ad pacem ſpectare adverſarios aiebat, ſed hoc agere ut Proteſtantium conſilia retardarent, et eos poſtremo ab amicitia ſuorum et externorum ſepararent, ac tandem iniquo certamine ſecum depugnare cogerent: proinde abjicienda pacis conſilia, ut intempeſtiva, donec ſe cum Germanis auxiliaribus conjunxeriut, et,

INTERPR. [a] *Monferrand de Langoiran, & de Piles.* [b] *Sens.* [c] *la Seine.* [d] *de Lorraine, duc de Guiſe.* [e] *Troyes.* [f] *Bray ſur Seine.* [g] *Combaut.* [h] *Nemours.* [i] *F. de Hangeſt, ſieur de Genlis.* [k] *Nogent.* [l] *de Corboſon, frere du comte de Montgomery.* [m] *Monins & Payet capitaines des compagnies colonelles.* [n] *Renty.* [o] *Montereau.* [p] *Eſpernay ſur Marne.* [q] *Anjou.* [r] *de Ferrieres, vidame de Chartres.*

et, regni copiis acceptis, de ſumma rerum certari aut aequis et honeſtis conditionibus tranſigi poſſit. Haec vicedomini ſententia fuit: invidiam tamen veritus Condaeus, ſi ſe a pacis rationibus alienum praeberet, et ſe quietis cupidum oſtendit, et Combaldum ſpe rei conficiendae oneratum remittit: quem mox ſubſecutus [a] Monterigolum regreditur; quo venturos a rege delegatos affirmaverat Combaldus: ſed, cum illi non comparerent, Condaeus ſtatim ad ſuos revertitur. Ibi rurſus inter duces conſultatum, quando nulla ſpes concordiae affulgeret, quid agendum eſſet: et Colinius manendum nihilominus cenſebat: nam, ſi abirent, non eum abitum ſed fugam aut meticuloſum receptum interpretaturos omneis: id ad exiſtimationem pertinere; neque metuendum eſſe, ſi maneant, ut minus propterea Caſimirus ſe viae det, cum audierit ipſos in veſtigio conſiſtere, paratos, ſi hoſtis adveniat, confligere: igitur ex primaria nobilitate delectos ad eum mittendos, qui rationem conſilii ſui explicent, et excuſent quod non obviam ei proceſſerint: nam remanſiſſe ipſos, ut aditus et loca ad tranſmittendos fluvios idonea ſervarent: tantum veniret, et paratam venienti pecuniam ſibi promiſſam perſuaderet. Contra differebat vicedominus; non poſſe dici fugere eos, qui ad accipiendas ſuorum copias properantes feſtinatione uterentur: in bellis honeſta conſilia haberi, quae utilia quaeque neceſſaria eſſent: nec dubium eſſe, quin, ſi Caſimiro cum auxiliaribus venienti obviam non procedatur, de contemptu queri, et, Guiſio et Aumalio annitentibus, aut propoſitum mutare aut tranſitu prohiberi poſſit; et, ſi nihil horum interveniat, minime repraeſentata in tempore, quae promiſſa eſt, pecunia, homines ſtipendio potius quam charitate ſtimulatos retro pedem relaturos: ita ſpem tam prompti ac neceſſarii auxilii omnino evaneſcere; qua amiſſa, quid ſupereſſe, in quo praeſidium aut fiduciam collocare poſſint? Et haec ſententia praevaluit: ſed in ratione expediendi hujus conſilii rurſus variabatur. Nam, quo expeditius recedere poſſent, pleriſque e re videbatur, ſolum equitatum aſſumendum, et peditatum [b] Nogenti, Braii et Ponte ad Sequanam per praeſidia diſtribuendum: ſic enim ſimul et celeritati, quae praecipue requirebatur, et peditatus ſaluti, quem itinere tam moleſto hoc maxime tempore non fatigari intereſt, conſuli. Verum Colinius contra differebat: et peditatum per praeſidia relictum manifeſto exitio objici aiebat; quippe locis tam infirmis, et quae ad primum hoſtium adventum aut deditioni aut, ſi recuſarent, internecioni certae deſtinarentur: itaque, cum in Lotharingiam proficiſcendum ſit, eo cum toto exercitu proficiſci debere; ſed modicis itineribus, qualiter in juſto exercitu fieri ſolet: ſic univerſorum ſaluti proſpici, et, quod petatur, confieri; ex eoque conſilio aliud ſimul commodum oriri, ut nimirum regii, cum Proteſtanteis ita incedere videant, eos aſſequendi ſpe facile ſubſequantur; et [c] Aureliani, foeminis pleni, ac multo praeterea milite firmati, obſidionem, quam animo agitent, omittant: adventuras interea ex [d] Septimania et Aquitania, quae expectantur, copias; quibus et urbs firmari et exercitus augeri poſſit. Alii, ducendum quidem peditatum, ſed quam celerrime poſſit incedendum cenſebant, ne, mora longiore interpoſita, Caſimirus aut ſe ſpretum, aut ſuis ob non perſoluta ſtipendia impoſitam diſcedendi neceſſitatem cauſari poſſet. Et ita decretum a concilio fuit: edictumque, ut certa die omnes ſe ad viam pararent, eo ordine, ut Condaeus cum acie incederet, Colinius, qui primum cornu ducebat, ſubſequeretur: datumque negotium Andeloto, ut, aſſumptis ex omni numero delectis ſcloppetariis, quibus equi dati ſunt, hinc inde excurreret, Arturo [e] Valdraco Moio cum levi armatura in ultimo agmine juſſo conſiſtere.

XII. IN

INTERPR. [a] *Montereau.* [b] *Nogent, Braye, & Pont ſur Seine.* [c] *Orleans.* [d] *Languedoc & Guienne.* [e] *de Vaudray, ſieur de Mouy.*

CIↃIↃLXVII.
Carolus IX.

XII. In [a] Allobrogibus, Provincia et Septimania mandatu Condaei delectus habebantur, rei demandata cura [b] Jacobo Cruſſolio Aeierio, qui, per [c] Matiſcones, Boios, Arvernos, Vivarienſeis itinere facto, cunctos, ut condicta die ad ſigna convenirent, hortatus fuerat. Renatus [d] Sabaudus Tendae comitis filius, Sipetra vulgo dictus, in Provincia copias cogebat juxta [e] Ciſtertionem; quem locum Paulus [f] Richiendus Movenrius ipſius juſſu occupaverat. Ludovicus [g] Podienſis Monbrunius in Allobrogibus militem conſcribebat. Jamque Allobroges ac Provinciales convenerant, eo conſilio, ut quam magnis itineribus poſſent ad Condaeum ſe conferrent: ſed exorati ab Aeierio, qui, [h] Nemauſo et Monpelio ab oppidanis occupatis, arces in poteſtatem redigere conſtituerat, eo Sipetra, Moventius, [i] Senas, Barius, Cereſtus, alii cum II CIↃ peditum ducunt; quibus Monbrunius ſe conjunxit, adjunctis ſecum IↃCC Allobrogibus. Venientibus Nemauſienſis arx patuit. Plus negotii fuit in Monpeliana expugnanda, quae in B. Petri aede juxta Carmelitarum aedificata fuerat. Ea CCC praeſidio tenebatur, qui, ſpe praeſentis auxilii a Gulielmo [k] Jouſa Henrici Momorantii [l] Damvillae provinciae praeſidis legato ſummittendi confirmati, acriter reſiſtebant: ſed cum Proteſtantes intus foſſam duxiſſent, qua et inde a defenſoribus inde ab auxiliaribus tuti erant, Jouſa cum delectis copiis ſuperveniens fruſtra fuit; tandemque obſeſſi poſt longa et ſaepius repetita levia proelia deditionem facere coacti ſunt. Monpelio omnino capto, Sipetra cum ſuis retro Ciſtertionem redit, quod Bertrandum [m] Simienem Gordium et Laurentium Maugironum illis locis in armis eſſe intellexiſſet. Dum haec fierent, vicecomites [n] Burniquetus, Monclarius, Paulinus, Caumontius, Serinianus, Rapinus, Montacutus, in Rutenis, Cadurcis et ad Pirenaeum in [o] Foxenſi principatu, Albigenſi et Laureacenſi agro, militem conſcribebant; et, cum ad VII CIↃ armatorum conveniſſent, recta ad [p] Frontonis fanum ducunt, quod a regiis tenebatur, et late vicinam regionem infeſtabat. Cum tormenta non ſuppeterent, ſuffoſſi muri, accurrentibus undique ruſticis injurias ulturis; factoque impetu, munimentum captum, in eoque magna praeſidiariorum ſtrages edita, privatis odiis militarem licentiam accendentibus. Inde ſe copiae victrices cum Aeierio conjungunt; qui viciſſim exoratus ab Allobrogibus, ut mutuam operam ipſis navaret, ad [q] Marcellini fanum, quod jam a [r] Gordio et Maugirono obſidebatur, cum omni exercitu tendit, facto per [s] Spiritus fanum itinere, ubi [ſ] Rhodanum tranſmittere inſtituerat: ſed, cum milites aliquot [t] Avenione profecti pontis turrem occupaſſent, et navigiis duobus armatis infeſtum amnem tranſeuntibus facerent, foederati ibi tantiſper ſubſiſtere coacti ſunt, dum munitione Avenionenſeis deturbaſſent, qui, initio arcem pontis immiſſo pulvere corrumpere moliti, ubi non procedere conatum ſenſerunt, navigiis conſcenſis locum deſerunt, et ad urbem ſe recipiunt. Foederati interim [u] Marcelli fanum, quod haud longe hinc abeſt, aggrediuntur; primoque appulſu cum Senatis filius interfectus fuiſſet a praeſidiariis, ultione ardentes oppugnatores vim adhibent, et, oppido capto, CC in eo repertos milites trucidant. Dein ad ſuos reverſi in Delfinatum tranſeunt, ut fani Marcellini obſidione Gordium et Maugironum averterent: qui, adventu eorum cognito, mox diſceſſere, et ſe, quod numero inferiores ſcirent, [v] Gratianopolim contulere.

XIII. In Boiis, Arvernis, [w] Forenſi, Matisconenſi ac [x] Bellijocenſi agro [y] Poncenacus et Verbelaeus Condaei nomine III CIↃ peditum, IↃ equites conſcripſerant; eiſque,

INTERPR. [a] *Dauphiné, Provence, & Languedoc.* [b] *Jacques de Cruſſol, ſieur d'Acier, frere du duc de Cruſſol.* [c] *le Maſconnois, Bourbonnois, Auvergne, Vivarais.* [d] *de Savoye, ſieur de Cipierre, fils du comte de Tende.* [e] *Siſteron.* [f] *de Richieud, ſieur de Mouvent.* [g] *du Puy Montbrun, Dauphiné.* [h] *Niſmes & Montpellier.* [i] *de Senas, du Bar, & Cereſte.* [k] *de Joyeuſe.* [l] *le mareſchal de Damville.* [m] *de Simiane de Gordes, & L. de Maugiron.* [n] *de Bourniquet, de Monclar, Paulin, Caumont, Serignan, Rapin, Montagut, Rouergue, Quercy.* [o] *le comté de Foix, l'Albigeois, & le Lauragnais.* [p] *St. Fronton.* [q] *St. Marcellin.* [r] *de Gordes.* [s] *Pont St. Eſprit.* [ſ] *le Rhone.* [t] *Avignon.* [u] *St. Marcel d'Ardeiche.* [v] *Grenoble.* [w] *le Forez.* [x] *le Beaujolois.* [y] *de Poncenac & Verbelay.*

eiſque, ad [a] Paeauderiam menſe Octobri ut convenitent, edixerant. Quae copiae CIƆIƆLXVII.
ubi venere, variatum in coneilin ſententiis fuit, an ad Condaeum recta contendere CAROLUS IX.
an ſe eum [b] Provineiae et Septimaniae aut etiam Aquitaniae coplis adventantibus conjungere deberent. Tandem expectari placuit, dum illis adventantibus ſe adjungerent; quo tutius conjunctae incederent. Ne tamen intetea nimia mnra dilaberentur, in Matiſennenſeis, [c] Dumbares ae loca eircumpoſita duci placuit. Eo conſilio [d] Cluniacum itur; quod ſe pretio perſoluto redemit, dimiſſis Proteſtantibus captivis, qui mnx ſe foederatis adjunxere. Dein contra [e] Joannis ſanum verſus impetus, quod a [f] Charongerelln tenebatur. Reſiſtentibus oppidanis, vis facta, et, ſuccedente moenibus hoſte, pnrtis aeeenſis, ſcalae pluribus locis admotae, tandemque captum oppidum, nec citra ſanguinem direptum. Quo facto, cum tutſus Paeauderiam [g] Poncenacus tediiſſet, concilio advocato deliberatum ſuit, qun ducendum eſſet: et, Poncenaco inſtante, ut retro in [h] Allnbroges tenderent, et ſe cum [i] Aeierii exercitu conjungerent, haec ſententia ut tutior vicit. Sed [k] Loueſius, qui [l] Matiſennem occupaverat, et erebris excurſionibus vicina loca infeſtabat non ſine privato emolumentn ſun, addnci non pntuit, ut ſocios ſequeretur, quantumvis de inevitabili exitio, adventantibus [m] Nivernii copiis, ptaemonuiſſet eum Pnncenacus. Nec ejus verbis eventus defuit: verum ipſe, ante adverſam fnrtunam paſſus, exitium, quod Loueſin impendere providebat, evitare minime potuit. Nam, eum per [n] Seguſianos incederet, eo ordine, ut [o] Verbelaeus cum CCC equitibus et IↃC ſcloppetatiis primam aciem duceret, ipſe cum IↃCC peditibus et C equitibus ſubſequeretur, [p] Mnntareus in Boiorum praefectura [q] Nemnroſii legatus et [r] Camerae marchio Aquitanicas copias, quae illac, ducibus [s] Terrida, Valeta, Monſaleſio, ad regem tendentes iter habebant, rogant et obteſtantur, ne pulcherrimam rei bene gerendae occaſinnem e manibus eripi ſibi patiantut: haud lnnge hinc Poncenacum et Verbelaeum fugientibus quam pugnaturis magis ſimileis incedere: ſi eos adſequantur, primn conſpectu regiorum territos ſine ullo eertamine diſſipatum iri: et inde tetrorem ad longinquiores provincias pervaſurum, moramque, quo minus coire et conjunctim auxilio ſuis laborantibus ſuccuttere poſſint, allaturum. Perſuaſi illi retro pedem referunt; et numero potinres ad [t] Champolium juxta Seguſianorum forum Pnneenacum aſſecuti, nam longius proceſſerat Verbelaeus, nequiequam ſe ad deſenſionem parantem funduntt, [t] Villenocio ordinum ductore occiſo, et CCC circiter ſelnppetaris, ſignis item fere omnibus captis: reliqui pedites, cum ſe maceria lneluſiſſent, poſtremo vitam pacti, et fide data non militaturos, dimiſſi ſunt. Poncenaeus, vix elapſus, ſe cum Verbelaeo ſuis ſerius auxilio veniente conjunxit. Tum mutata incedendi ratin; et parvis agminibus diſpertiti, ne ab inſequentibus interciperentur, in viam ſe dant: quod, ut prudens conſilium, ita ex eventu damnoſum fuit; pleriſque, inde capta occaſinne, dilabentibus, adeo ut ex toto illo numero vix CXX equites ſuperfuerint; a quibus fide accepta, a ſignis nnn diſceſſuros, Poncenacus et Verbelaeus [u] Amandi fanum in Arvernis et inde per [v] Vivarienſem agrum deviis itineribus poſtremo [w] Valentiam Segalaunnrum pervenere.

XIV. JAMQUE Nivernius, accepta a pontifiee pecunia cum copiis quas ex [x] Subalpina provincia adducebat, montibus ſuperatis, [y] Gratianopolim venerat; qui Pnncenaci augurin fidem fecit. In ejus exetcitu erant VI ſigna Italorum, ducibus Alexandro [z] Purpurato, Camillo [aa] Artilletia, Jo. Petro [bb] Navatra, [cc] Droco Riano, et M. Antnnin [dd] Rnſſo: quibus acceſſerunt II Gallorum praetorianae cohnrtes, quarum uni praeerat [ee] Onuxius; II item Gallnrum, ductore [ff] Bellogardio, et III aliae vereranae,

INTERPR. [a] *la Pacaudiere.* [b] *Provence, & Languedoc.* [c] *Dombes.* [d] *Cluny.* [e] *St. Jean-Bou.* [f] *Charongereaux.* [g] *Poncenac.* [h] *Dauphiné.* [i] *de Cruſſol, ſieur d'Acier.* [k] *Loueſe.* [l] *Maſcon.* [m] *le duc de Nevers.* [n] *Forez.* [o] *Verbelay.* [p] *Montare en Bourbonnois* [q] *le duc de Nemours.* [r] *de la Chambre.* [s] *de Terrides, de la Valette, & Monſalez.* [t] *Champoly prés de Feurs.* [t] *Villenoze.* [u] *St. Amand en Auvergne.* [v] *le Vivarais.* [w] *Valence en Dauphiné.* [x] *Piedmont.* [y] *Grenoble.* [z] *Purpurat.* [aa] *d'Artillerie.* [bb] *de Navarre.* [cc] *Dreux de Rian.* [dd] *Ruſſo.* [ee] *d'Onoux.* [ff] *de Bellegarde.*

CIↃIↃLXVII.
CAROLUS IX.

veteranae, ducibus [a] Corbone, Tillareto, et Inſulano ſeniore: praeterea ipſius Nivernii, Caroli [b] Biragi et Julii Centurionis alae. Iis ſe adjunxere legiones Franciſci [c] Bellomontii Adretii, [α] qui, Proteſtantibus relictis, ad regiorum partes ſe applicuerat; Maugironi item et aliorum, ac poſtremo VI CIↃ Helvetiorum nuper conſcripta. Quae omnes copiae ſimul XIII CIↃ bellatorum efficiebant. Cum his [d] Nivernius, poſtquam [e] Lugdunum venit, acceptis aliquot machinis, [f] Matiſconem, a cujus praeſidiariis Lugduno multum incommodabatur, expugnare decrevit. Ad [g] Loueſium ſe contulerat [h] Claieta junior, et plerique ex nobilitate; qui praefecti virtute confiſi ibi conſiſtere, quam ad Condaeum, ſicuti jubebantur, contendere malebant. Matiſco [i] Arari impoſitus, quem et ponte, unde in [k] Sebuſianos tranſmittitur, fraenat, a meridie et oriente amne clauditur, ab altera parte in occidentem et ſeptentrionem porrigitur, collibus vitiſeris interjectis, in quibus Helvetii conſederant. Nivernius ad eam inter fluvium et turrem porcariam verberationem inſtituerat: ſed major impetus, interjecto amne, factus a [l] Sanlaurentiano ſuburbio, quod [m] Camberius inſederat. Claudius [n] Saulius Ventoſius, provinciae praeſidis legatus, hoſpitium ad partem, quae S. Antonii portam reſpicit, ſibi delegerat. Tandem, poſt Sebuſianam portam dirutam, pulvere tormentario deficiente, Loueſius pridie Non. Dec. ubi aliquot dierum obſidionem ſuſtinuit, invitis pleriſque ex nobilitate, urbem Nivernio dedidit: qui inde in [o] Campaniam deſcendit, copiaſque [p] Andino tradidit. Haud multo poſt certior factus, Henricam Clivenſem uxorem ex puerperio graviter aegrotare, dum officioſius quam cautius, rapto delectorum LX agmine, ad eam tendit, juxta Donzium ſuae ditionis oppidum, in praeſidiarios [q] Antranii, quibus [r] Bellomontius Condaci nomine praeerat, incidit: ibi cum [s] Burgoinum, qui praecurſores ducebat, fudiſſet, ſuperveniente Bellomontio cum LX circiter equitibus reſtiturum certamen, tandemque hoſtis in ſugam verſus, ſed graviter in genu vulnerato Nivernio ipſo; quo ex vulnere, quamdiu vixit, debilitatus, nunquam injuriam a ſuae ditionis hominibus acceptam ex animo depoſuit. Id menſe Februario inſequenti accidit.

XV. DUM haec in locis remotioribus geruntur, Andinus, commeantibus hinc inde de pace nunciis, hoc agebat, ut foederatos ea ſpe remoraretur, et interim eos adſecutus ad univerſum certamen adigeret: ſed caſus incidit, qui damnoſus quidem foederatis, ſed majoris cladis vitandae cauſa extitit. Id inter inducias, quae tempore colloquii triduanae pactae fuerant, accidiſſe ſcripſit Fr. [ſ] Lanovius. [t] Boſius, Bloſſetus ac Clerius haud longe a [u] Catalauno hoſpitium ſibi delegerant in Sarraniae pago: dumque, cui [v] arx ſervanda, quibuſve pagus cuſtodiendus obveniret, inter ſe altercarentur, infrequentibus ob id ſtationibus, ſupervenit Briſſacus cum peditatu, aſſumptis praeterea delectis equitibus, et aditibus duobus, quibus arx adibatur, inſeſſis: heic Boſius cum metatore hoſpitiorum fortiter ſe oppoſuit; ſed, perforata ictu ſcloppeti manu, et undique ſe, dilapſis ſociis, cinctum ac deſertum ſentiens, per ſcalam poſticam evaſit. Captus Clerius cum aliis: Boſius vulneratus et Bloſſetus cum XV nec amplius equitibus, pudore prohibiti, non jam ad ſuos, cui enim uſui poſt tantam cladem acceptam? ſed [w] Autiſſiodorum, cui [x] Bordius, non ſatis bene affectis oppidanis, praeerat, profecti ſunt: quod adventu ſuo firmatum ad proximam uſque pacificationem tenuerunt. Heic erroris ſui caſu moniti foederati mox ſe in viam dederunt: et, Catalauno ac [y] Matrona ad dextram relictis, [z] Michaelis fanum infra [aa] Virodunum pervenerunt; [bb] Moſaque tranſmiſſo, periculum univerſae cladis,

quod

VAR. LECT. [α] de quo ſuperiore bello crebra mentio; et qui *D. f. o.*

INTERPR. [a] *les capitaines Corbon, Tillaret, & Liſle.* [b] *de Birague & Giulio Centurione.* [c] *de Beaumont, baron des Adrets.* [d] *le duc de Nevers.* [e] *Lyon.* [f] *Maſcon* [g] *Louſe.* [h] *la Claiette.* [i] *la Saone.* [k] *la Breſſe* [l] *Fauxbourg S. Laurent.* [m] *Chambery.* [n] *de Saulx, ſieur de Ventoux.* [o] *Champagne.* [p] *le duc d'Anjou.* [q] *Antrain.* [r] *Beaumont* [s] *le capitaine Burgoin.* [ſ] *de la Noue.* [t] *les capitaines Bois, Bloſſet, & Clery.* [u] *Chaalons.* [v] *Château de Sarry.* [w] *Auxerre.* [x] *le capitaine la Borde.* [y] *la Marne.* [z] *St. Michel.* [aa] *Verdun.* [bb] *la Meuſe.*

quod diuturniore mora, exercitu regio adveniente, procul dubio adiiſſent, levi hoc CIↃIↃLXVII.
inſortunio luerunt. Nam interea Andinus, cui praecipui belli conſiliarii attributi CAROLUS IX.
fuerant [a] Nemoroſii et Longavillae duces, Arturus [b] Coſſaeus equitum tribunus, Gaſpar [c] Saulius Tavanius, Sebaſtianus [d] Lucemburgus Martigius, Franciſcus [e] Carnavaletus juventae Henrici moderator, Joannes [f] Loſſius, jam magnis itineribus adventabat, cum hoſte, ſi eum adſequi poſſet, de ſumma rerum confligere paratus. Sed, ſive praecipitata [g] Briſſaci pugnandi aviditate, ſive gloriae, quam aliis communicatam nolebat, vanitate, effectum eſt, ut conſilium de hoſte intercipiendo exitum non habuerit. Eo tempore in Andini caſtra venit Joannes [h] Arembergii comes, praecipui nominis dux, ab [i] Albano ſummiſſus cum CIↃ IↃ equitibus et delecto comitatu: eaque acceſſione non mediocriter auctus regius exercitus.

XVI. NEC tamen intermiſſum de pace coeptum negotium, ultro citroque ſemper commeante [k] Telinio, juvene prudentia et ingenio ſupra aetatem admirabili; quem poſtea ob egregias virtutes Colinius in generum ſibi aſcivit. Miſſus Robertus [l] Combaldus fuerat XIII Kal. Jan. cum ſcripto; quo, de capitibus propoſitis et controverſiis ut commodius conveniretur, rex aſſentiebatur, ut Condaeus per cardinalem [m] Caſtellionaeum, [n] Rupiſuleaudium comitem et Buchavanium agere poſſet: eiſque, ut ad ſe venirent data fide, caverat. Secundum haec, Caſtellionaeus cardinalis cum aliquot ex nobilitate, nam poſtea placuit ut Rupiſuleaudius et Buchavanius in exercitu manerent, [o] Ambarum et inde Catalaunum venit: quo poſtridie regina quoque cum Borbonio, Lotharingo et Guiſio cardinalibus venit. Ibi cum Caſtellionaeus Condaei nomine foederatos conditiones a rege oblatas accipere paratos diceret, tantumque petere, ut quaedam in iis obſcura et ambigua amplius declararentur, eaque in re diligentia adhiberetur, (nam, per bellum porta licentiae, caedibus et rapinis aperta, uniuſcujuſque diei moram regno amplius C aureorum CIↃ conſtare; ceterum id ſemihorae ſpatio explicari poſſe) regina reſpondit; rem tanti momenti eſſe, ut de ea rex jam major cognoſcere et ex concilii ſui ſententia ſtatuere debeat, nec aliter quam coram ipſo et per ipſum expediri poſſe. Proinde jubet, ut ipſe ad [p] Vicenarum caſtrum ſe ſiſtat, ſecuritate promiſſa, juſſoque Joanne [q] Bloſſeto Torcio velleris aurei equite eum cum XX regii corporis ſtipatoribus tuto deducere. Ubi ad locum condictum venit Caſtellionaeus cum Jacobo [r] Broliarto Lizio ſibi proxima cognatione conjuncto, Fran. [s] Raſinus Poto Aginnatum praefectus ei nomine regis injungit, ne cum Pariſienſium quoquam verba commutaret. Regina interea Lutetiam diverſo itinere venerat, Lotharingo et Guiſio cardinalibus [ſ] Remos Catalauno contendentibus. Triduo poſt Joannes [t] Morvillerius et Ludovicus Sangelaſius Lanſaeus ad Caſtellionaeum miſſi, qui cum eo agerent. Ille initio repugnare, et, niſi CIↃIↃLXVIII
rege praeſente, acturum ſe palam pernegare: ita enim reginam Catalauni voluiſſe. Morvillerius contra urgere, ut ageretur, ſpe facta, ut in regis praeſentia cetera tranſigerentur; ſed negotium interea inchoandum et explicandum. Itaque primo convenit, ut Aurelianenſe edictum, multis ac variis modis labefactatum, ante omnia integrum reſtitueretur, et conditiones in eo appoſitae nondum impletae executioni mandarentur: quae in eo detracta aut mutata eſſent, in praeſens et in futurum revocarentur. Conventum item ad majorem ſecuritatem, ut edictum in omnibus regni curiis, poſtulante cognitore regio, promulgaretur; locumque haberet, donec ab univerſali, ſancto, libero ac legitimo concilio de re tota decerneretur. Quibus actis, reſtabat,

INTERPR. [a] *de Nemours & de Longueville.* [b] *le mareſchal de Coſſé.* [c] *de Saulx, ſieur de Tavannes.* [d] *de Luxembourg, vicomte de Martigues.* [e] *de Carnavalet, gouverneur du duc d'Anjou.* [f] *de Loſſes.* [g] *le comte de Briſſac.* [h] *d'Aremberghe.* [i] *le duc d'Albe.* [k] *de Teligny.* [l] *de Combaut.* [m] *de Chaſtillon.* [n] *de la Rochefoucaud, & le ſieur de Bouchavanes.* [o] *Bar & Chaalons.* [p] *Vincennes.* [q] *Bloſſet, ſieur de Torcy.* [r] *Brouillart, ſieur de Lizy.* [s] *Raſin dit Poton, ſeneſchal d'Agenois.* [ſ] *Reims.* [t] *J. de Morvilliers, & L. de St. Gelais ſieur de Lanſac.*

CIↃIↃLXVIII
CAROLUS IX.

reſtabat, ut de interpretatione quorundam illius edicti capitum ageretur; quam coram rege fieri debere ſibi perſuaſerat [a] Caſtellionaeus. Poſtridie rurſus ad eum miſſi Chriſtophorus [b] Thuanus ſenatus princeps, eique adjunctus Renatus [c] Balietus ejuſdem curiae praeſes, homo bonus et Coliniis non ingratus; quos cognatione non ita proxima contingebat. Id vero ille eo pertinere arbitratus, ut mutatis ſubinde perſonis res, negotio in longum extracto, nullum finem ſortiretur, agere recuſavit: et ita triduum inutiliter exiit. Tandem regina ad [d] Paulinorum eremitarum fanum, quod propius ab urbe abeſt, Caſtellionaeo venire juſſo, proceſſit cum cardinali Borbonio. Heic cum de pace agi non ſatis eſſe diceret, niſi rationes aperirentur, quibus effici poſſet, ne bellum ſopitum ſemel amplius deinceps recrudeſceret, ſuper eaque re conſilium ipſius Caſtellionaei exquireret; ille nihil cunctatus, Quando, inquit, nihil metu, exiliis, mulctis, ſupplieiis hactenus profectum eſt contra Proteſtanteis, quos contra damno ac morte ipſa creviſſe ac vireis novas ſumpſiſſe conſtat, bellique omneis pertaeſos, quieta conſilia amplecti tandem oportuit. Non alia ejus ſtabiliendae tutior ratio videtur, quam ſi pax conſtituatur, quae aequabili jure cunctos, nullo religionis diſcrimine, contineat, rexque pro inſita bonitate honores, beneficia, magiſtratus ita inter omneis diſtribuat, ut id arbitrio quidem ſuo ſed jure facere videatur: ut autem omnem diffidentiae ſuſpicionem amoveat, externa auxilia et novos delectus toto regno dimittendos eſſe; quorum metu Proteſtantes hoc ultimo motu, cum ſe aliter vitam ac fortunas tueri non poſſent, ad arma confugere coacti ſunt: ita firmam pacem nec aliter conſtitui poſſe; neminemque deinceps, vel ex nobilitate aut alio ordine, domo pedem elaturum, ſi et conſcientiis libertas, et vitae, fortunis ac dignitati ſecuritas conſtet: id vel ex eo patere, quod innumeri harum rerum penuria ad Condaeum, quem vix ex nomine norunt, nullis alioqui beneficiis ab eo affecti, neque quidquam ab illo ſperantes, quotidie confluunt; domum quiſque ſuam reverſuri, ubi regis beneficio id ſe citra diſcrimen habere comperterint, quod ab armis cum periculo mutuari coguntur. Ea verba cum ſcripto excepiſſet Florimundus [e] Robertetus regi ab epiſtolis, regina de iis cum rege ſe acturam pollicita diſcedit. Poſtridie Morvilletius ad Caſtellionaeum remiſſus XIII Kal. Febr. cum regis reſponſo ſcriptis mandato; cujus ſumma haec erat: rationes a foederatis propoſitas ad veram ac ſinceram pacem firmandam non ſatis certas videri; quippe cum ex fide eorum pendeant, qui eam jam violaverint ſumptis armis et externis auxiliis auctoritate privata in regnum immiſſis, contra quam edicto Aurelianenſi cautum ſit: proinde mirari regem, cur, acceptis a [f] Combaldo capitibus, cum ſibi ſatisfactum iis abunde dicerent, non ſtatim Germanos auxiliareis dimiſerint, cum illis praeſertim capitibus ita cautum eſſet: deinde ſcrupulum haerere regi [g] Meldenſis motus occaſione; nec adduci poſſe, ut factum aliter interpretetur, quam conjurationem in ſe ſuamque perſonam a foederatis initam: his de rebus regem velle ac jubere, ut ante omnia ſibi ſatisfiat. Ad haec Caſtellionaeus ſcripto reſpondit, quod poſtea publicatum fuit: Condaeum ac foederatos neceſſitate adductos ſuae tutelae cauſa arma ſumpſiſſe; quod niſi feciſſent, futurum, ut, adverſariis permiſſa impune in ipſos graſſandi licentia, regnum peſſum iret: proinde non poſſe dimittere copias auxiliareis, quas eadem neceſſitate compulſi contra tot externas ab inimicis in Italia, Helvetia, Belgio conſcriptas paraverint, niſi aut animas ponere aut regnum deſerere optarent; nec tamen recuſare, ſi res in priſtinum ſtatum reſtituantur, quin et arma deponant, dimiſſis pariter Italis, Helvetiis et nuper ab Hiſpano ſummiſſis ad ſe delendos copiis. Quod ad Meldenſem motum ſpectat, proteſtabatur et Condaei et foederatorum nomine, nunquam de conjuratione in regem aut ſuos cogitaſſe, et malle ſe millies mori, quam ut quidquam tale in animum inducerent: eo ſe conſilio Meldos veniſſe, ut, quam demiſſe

INTERPR. [a] *le cardinal de Chaſtillon.* [b] *de Thou.* [c] *Baillet.* [d] *les minimes de Chaillot ou de Nigeon.* [e] *Robertet.* [f] *de Combaut.* [g] *de Meaux.*

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

demiſſe poſſent, regem ſupplices orarent, revocaret ſententiam, inſtigantibus inimicis in ipſos, et omneis qui de religione emendanda proteſtantur, latam, et executioni proximam; contra quos ſolos, inimicos nimirum ſuos, arma ſumpſerint, non autem contra regiam majeſtatem: idque ſe armis adverſus contrarium aſſerenteis tueri paratos oſtendebant: quapropter rogare regem, Condaeum ac ſocios in ſuam gratiam reciperet, illos pro optimis, obſequentiſſimis ac fidiſſimis ſubditis haberet, conceſſa plena ac pura conſcientiis libertate, religionis libera functione, vitae, bonorum ac dignitatum ſecuritate: nam paratos eos extrema potius ſubire, et quidquid tandem de ſe Deo decernere placuerit exſpectare, quam ut in inimicorum ſuorum, hoc eſt, regis ac regni hoſtium manus veniant, et ex eorum arbitrio ac voluntate pendeant. Ita pacis negotium omnino evanuit: et omiſſum interim hoſtem inſequendi conſilium; non ſine aliqua Andini conſiliariorum invidia, occulte proteſtantibus, ſicuti ab aemulis jactabatur, faventium. In iiſque praecipue deſignabantur Arturus [a] Coſſaeus equitum tribunus at F. Carnavaletus, vir fide, modeſtia et morum incorruptorum laude praeſtans; quem alii, qui poſtea in ejus locum ſucceſſerunt, quo facilius juvenis principis ingenio abuterentur, amotum cupientes, jam tum calumniis impetebant.

XVII. Ubi foederati in Lotharingiam venere, qui Jo. Caſimirum cum auxiliaribus copiis adveniſſe ſibi perſuaſerant, poſtquam nuſquam comparere viderunt, diverſi fremere, et, ut quiſque irae aut deſperationi proximus, varie affici: tum non occulta in duces murmura exaudiri; quae tamen inde Condaei, ut erat natura laeta, et humanis ac feſtivis ſermonibus, inde gravibus Colinii increpationibus momento repreſſa ſunt: nec amplius quam quinque dies ab exercitus adventu exierunt, cum Caſimirum prope eſſe affertur. Mox verſa in gaudium triſtitia, pugnandi alacritate deſperationi ſuccedente; quae tamen ſtatim rurſus mutavit. Nam Condaei procuratores fidem obligaverant, ſtatim atque Germani ad foederatos veniſſent, c aureorum CIƆ militi numeratum iri; cum tamen Condaeo ac ſociis vix pecunia ad quotidianos rei domeſticae ſumptus ſuppeteret. In has anguſtias redacti Condaeus ac Colinius, quicquid auctoritate, oratione, arte apud ſocios potuerunt, id omnino in hoc expediunt, ut quiſque de ſua in rem tam neceſſariam, et ex qua ſalus publica pendebat, conferret. Ipſi exemplo ſuo proceres, ſupellectile argentea, gemmis ac monilibus ultro prolatis, ad idem faciendum excitarunt. Majus negotium fuit in iis, qui, praedae aſſueti, rapere quam donare malebant; qui tamen, pudore victi, et paſtorum adhortationibus incitati, in collationem poſtremo conſenſerunt; exemploque graſſante, milites ac lixae etiam certatim, ſive aemulatione ſive laſcivia, et liberaliſſime et largiſſime, ſupra quam credi poteſt, pecuniam contulerunt; ita ut ex hac erogatione circiter XXX CIƆ aureorum corraſa ſint: qua ſumma, quantumvis tenui, placati ſunt pro tempore Germani, animum potius in tali neceſſitate quam rem aeſtimantes, annitente praecipue Jo. Caſimiro; qui ex [b] Ponte Muſſitano, ubi [c] Moſellam tranſmiſit, mox ad regem literas dedit; et ſe non privati emolumenti ergo, ſed ob eorum defenſionem, qui ſecum eandem in religione doctrinam amplectantur, in Franciam venire teſtabatur; retro pedem referre cum ſuis paratus, ſi per ejus benignitatem de conſcientiarum libertate, de publica religionis profeſſione, vitae, fortunarum ac dignitatum ſecuritate idonee ipſis caveatur. Cum Caſimiro [α] venerant Wolfangus et Georgius [d] Barbii comites fratres duo, comes [e] Holius, Joannes [f] Bleichardus Lanſchadius ipſius Caſimiri legatus, Wolfangus [g] Falkenrodius caſtrorum praefectus, Chriſtophorus [h] Wolfendorfius equitatus praetorii dux, Theodoricus [i] Voſenbuchius VI alarum legatus, Wolfangus Barbii comes, Chriſtophorus [k] Malſpergius, Theodoricus

VAR. LECT. [α] venerant Barbii comites fratres duo, *D. f. o, d.*

INTERPR. [a] *le mareſchal de Coſſé, & le ſieur de Carnavalet.* [b] *Pont à Mouſſon.* [c] *la Moſelle.* [d] *de Barby.* [e] *de Holen.* [f] *Bleichard Landſchad.* [g] *Falkenrod.* [h] *Wolfendorff.* [i] *de Voſenbuch.* [k] *de Malsberg.*

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

ricus [a] Schonbergius, ſinguli CIƆ IƆ equitum duces: peditatui praeerat Joannes Sebaldus [b] Siglingerus. In exercitu autem erant omnino VI CIƆ IƆ equites, III CIƆ peditum, IIII mediocria tormenta, cum bellico apparatu. Condaeus, acceptis novis copiis, recta Lutetiam ducere ſtatuit, belli arcem, ut regios armorum pertaeſos maturius ad pacem amplectendam cogeret: ſed, ut in exercitu, qui modica impedimenta ſecum trahebat, et ſtipendio carebat, et omni apparatu fere, qui ad annonam comportandam uſui eſt, deſtituebatur, ad haec, infeſtis paſſim urbibus et oppidis et adverſa tempeſtate, multae difficultates occurrebant, quae ſolertia ducum et ipſa neceſſitate poſtremo ſuperatae ſunt. Nam a Colinio belli prudentiſſimo duce proviſum, ut carri a privatis in publicum uſum ad portandam annonam commodarentur; per ſingula equitum, quae XL erant, vexilla, ſinguli ſeu furnarii ſeu piſtores eſſent, et equi onerarii duo: piſtores autem quotidie, ſimul ac ad hoſpitium ventum erat, panem coquebant, qui mox inter peditum cohortes diſtribuebatur: ex oppidis obviis, quae commeatu tunc abundabant, ubi ea in eorum poteſtatem veniebant, annona ſeponebatur: aliae urbes, quae nullo praeſidio tenebantur, ut ſe a praedae et incendii periculo eximerent, ſponte annonam ſubminiſtrabant; quae curae huic praepoſitis in exercitus uſum dabatur: his accedebant et praedae, quibus neceſſitates privatae militum ſupplebantur, ſic enim cenſebat Colinius, et vulgari dicterio ſubinde inculcabat, in formando hujuſmodi monſtro, ſic exercitum in bellis civilibus vocabat, a ventre incipiendum eſſe. Nec minus in incedendo et hoſpitiorum metatione difficultatis ſuberat. Nam laxius hoſpitia aſſignabantur contra militarem diſciplinam, ut unde viveret militi ſuppeteret, et tecto ab injuria temporis hyeme aſpera defenderetur. Peditatus biſariam per hoſpitia diſtribuebatur: pars in primo cornu, pars in ſecunda acie collocabatur. Equitatus per circumpoſitos pagos ſtabulabatur, ut, ſi quid inopinati accideret, cuncti ad primorum ducum hoſpitia convenirent, et, ſi impetus ad cujuſquam hoſpitium fieret, praeſto eſſent. Inter equitum turmas crebri equites ſcloppetarii admiſti erant. Hoſpitia vero foſſa et tumultuariis operibus ſedulo muniebant, ut, ſi ab hoſte obſiderentur, tantiſper ſe defendere poſſent, donec a ſuis auxilia accurrerent. Ut vero in hoſpitiis, ſic per turmas diverſi incedebant, condicta omnibus copiis hora, loco commodo, quo hoſpitia aſſignabantur. In primo cornu, quod hoſtem a fronte habebat, levis armatura collocata erat, quae IƆC equitibus delectis conſtabat, ac totidem ſcloppetariis equitibus cum parciſſimo comitatu. Ita incedentes inter [c] Jonvillam et Calvimontium, praeſidiariis egredientibus crebro laceſſiti, in [d] Lingonibus [e] Matronam tranſmittunt; et per [f] Heduos iter facientes ad [g] Sequanae fontes pervenerunt. Ibi Itali, quos Ludovicus Gonzaga [h] Nivetniorum dux ducebat, et per loca vicina diſpoſuerat, ut tranſmiſſuris illac Proteſtantibus impedimentum et moram afferret, hoc commento uſi ſunt: murices et clavos acutos in flumen clam mittunt, quibus tranſeuntium equis vulneratis, ipſi lapſantibus equitibus superincumbentes eos nullo negotio caederent ac delerent. Sed minime aſtus proceſſit. Nam primi, qui vadum tentaturi aquam ingreſſi ſunt, cum periculo ſuo dolum deprehendiſſent, antequam ceteri tranſirent, raſtris flumen purgari curaverunt: quo facto, facile numero ſuperiores amnem tranſmiſerunt, fruſtra ſe opponentibus Italis: ad quos inſequendos Condaeus, qui ad [i] Ancium Francum, [k] Claromontiorum Talariorum pulcherrimam toto regno arcem, erat, Theodoricum Schonbergium cum legione ſua miſit: iſque cum iis congreſſus, pleriſque caeſis, reliquos in fugam vertit, duobus vexillis ad Condaeum relatis; et ob rem bene geſtam torque CC aureorum pondere a principe donatus fuit. Inde [l] Autiſſiodorum verſus iter capiunt, cui [m] Bordius praeerat: ſed, cum is ob multa licenter acta oppidanis ſumme

INTERPR. [a] *de Schomberg* [b] *Siglinger.* [c] *Joinville & Chaumont* [d] *Langres.* [e] *la Marne.* [f] *Bourgogne.* [g] *St. Seine.* [h] *de Nevers.* [i] *Ancy le Franc.* [k] *les ſieurs de Clermont Tallart.* [l] *Auxerre.* [m] *la Borde*

ſumme inviſus eſſet, exorato ab ipſis Condaeo, amotus, et in locum ejus Antonius [a] Marraſinus Guerchius ſuffectus eſt. Pervicere tamen Bordii apud principem ſuaſiones, ut [b] Crevantium, quod eſt ad Igonnam oppidum per ſe dives, et quod multis receptaculum praebebat, duceretur: nam inde magnam praedam ad neceſſarios exercitus ſumptus contrahi poſſe. Dum obſidio urgetur, gnaviter ſe defendentibus oppidanis, de [c] vexillifero alae equitum Condaei ad [d] Iranceium occiſo affertur, quod eſt municipium infra Crevantium alae illi pro hoſpitio aſſignatum. Eo [e] Burrius cum legione ſua miſſus, qui de ruſticorum temeritate poenas ſumeret: ſed, reſiſtentibus illis, et poſt admiſſum facinus ad extrema ſe comparantibus, majore vi opus fuit. Ita omiſſa Crevantii obſidio et tormenta inde deducta: quibus ad Iranceium admotis et ruina facta, impetus a Burrianis factus eſt, quos delecti ab Armano [f] Claromontio Pilio adducti Vaſcones ſubſecuti ſunt. Locus captus et incendio ac ferro vaſtatus tam acri ultionis ſenſu, ut cruor paſſim per vicos inundaret; ambiguumque relinqueret, majorne municipum temeritas an obſidentium immanitas eſſet. Haud longe hinc [g] Igonna et Cura ſuperatis, [h] Blenaeum et Caſtellionem ac [i] Montargirium itum; ubi rurſus [k] Lupam amnem exercitus tranſmiſit. Inde laxius porrectae copiae in [l] Belſiam deſcendere, unde Condaeus [m] Aurelianum petiturus erat, ut copias, quae ex [n] Septimania Allobrogibus et Aquitania illuc convenerant, ac tormenta ſimul et bellicum apparatum acciperet. De quibus, antequam ulterius progrediar, ſingillatim quaedam memoranda veniunt.

XVIII. IN [o] Pictonibus cum regii excurrere inciperent, [p] Cacoderius foederatorum nomine ſe oppoſuerat, et duos ex nobilitate duces, qui Vidi [q] Dallonii Ludenſis comitis mandatu copias conſcribebant, interceptos occiderat. Ad [r] Mareolium jam IↃ equites convenerant, locum ſitu et arce munitum, [s] Loio amni impoſitum, ut ad Condaeum ſe conferrent. Quod ubi Ludenſis praeſes provinciae cognovit, principiis obviam eundum ratus, antequam copiae in majorem numerum excreſcerent, eo cum VI equitum vexillis et peditum legione ſtatim proficiſci ſtatuit, diſpoſitis per frequentiores pagos muro cinctos, quos vulgo burgos vocant, ducibus, qui aditus ſervarent et cuncta infeſta Proteſtantibus facerent: ſuamque equitum turmam cum levi armatura praemittit, ducibus [ſ] Marcuſſio legato, et Philippo [t] Freſco Freſelerio alae ſignifero. Ipſe, ubi [u] Herminiae fanum venit, quod a Mareolio haud amplius II leucis abeſt, turmam equitum emittit, ductore [v] Albergementio notho ex Voluirenſi ſive Rufecenſi familia, qui armatos dedere ſe et, poſitis armis, domum diſcedere juberet, intereaque locum et tempus obſervaret, ſi quid in hoſteis moliri poſſet. Cacoderius per praefecti abſentiam copiis praeerat, qui, non expectato dum ille de re tota certior fieret, cum judicaret locum tot hominum minime capacem eſſe, facile ſuis perſuaſit, ut periculo certo praevertentes de receptu cogitarent. Itaque nocte inſequenti in viam ſe dant, et ſumma celeritate [w] Talmundum petunt, locum paludibus cinctum, ac mari proximum, ideoque acceſſu difficilem. Sed, mox fatiſcentibus corporis viribus, animus quoque eos deſtituit: nec dum ex fuga ſeu receptu collecto ſpiritu, abjectis armis, quiſque, quo viſum fuit, dilabuntur: pars magna [x] Rupellam migravit, quae nuper in Proteſtantium poteſtatem venerat. In ea [y] Fabius Santerminius ſummum armorum imperium Condaei nomine tenebat; compluresque ad eum undique confluebant, ſecuritatem et locum quieti ac commercio opportunum quaerentes. Tunc et coepta urbs muniri, et loca vicina a Proteſtantibus occupata

INTERPR. [a] *Marraſin de Guerchy.* [b] *Crevant ſur Yonne.* [c] *enſeigne des Gens d'armes.* [d] *Irency.* [e] *de Bourry.* [f] *de Clermont, ſieur de Piles.* [g] *l'Yonne & la Cure.* [h] *Bleneau, & Chaſtillon ſur Loing.* [i] *Montargis.* [k] *le Loing.* [l] *la Beauſſe.* [m] *Orleans.* [n] *Languedoc, Dauphiné, & Guienne.* [o] *Poictou.* [p] *Cacodiere.* [q] *de Daillon, comte du Lude.* [r] *Mareuil.* [s] *le Loy.* [ſ] *la Marcouſſe.* [t] *Preſeau, ſieur de la Frezeliere.* [u] *Ste Hermine.* [v] *l'Abregement bâtard de la maiſon de Voluire* ou *Ruffec.* [w] *Talmond.* [x] *la Rochelle.* [y] *du Fa* autrement *Ste Ermine.*

CIƆIƆLXVIII pata ſive intercepta; ut [a] Retenſis inſula et [b] Maranenſis peninſula et aliae maritimae
CAROLUS IX. arces et oppida; quod illis facile factu fuit, cunctis ad eorum religionem illis in locis inclinantibus. Quo facto, cum providerent, tot animis vix ſuffecturam urbis annonam, niſi haberent unde circumpoſitam regionem contra Ludenſis excurſiones tueri poſſent, III equitum vexilla conſcribunt, et ſcloppetariorum aliquot cohortes, Maranenſis arcis firmandae cauſa, quae veluti in [c] Pictonum inferiorum faucibus ſita eſt: tum ut inde inferius [d] Lucionium verſus et [e] Gemmae fanum, omni ad victum te toto eo tractu abundantiſſima loca, deſcenderent. Lucionium olim ut et [f] Malleacum, ditiſſima coenobia epiſcopali dignitate a Joanne XXII Philippi [g] Valeſii temporibus decorata, cum tunc muro et foſſa optime munita eſſent, Anglorum bellis moenibus nudata ſunt; nihilque praeter templum, quod ſtructura cum ſumptuoſiſſimis totius provinciae certabat, in ea civitate firmum aut munitum ſuperabat. In illud confugerat plebs, et aliquot regii milites, duce [h] Cantoclaro ſacrifico; qui, ſupervenienteis Proteſtanteis aliquanto tempore morati, quoſdam etiam ex illis interfecerunt. Qua re irritati [i] Bocellus et Silvagius praecipui Proteſtantium duces majore vi invecti templum et circumpoſitas porticus perrumpunt, obviis quibuſque jugulatis. Cantoclarus, qui, ictu tormenti amputata laeva manu, altera tam certos ictus librabat, ut quoſcunque oculis collimaret, eos praeſenti peſte conficeret, tandem captus, et accedente ad ultimum ludibrio ſtrangulatus et ignominioſe poſt mortem habitus eſt. Capto ac direpto Lucionio, [k] Bellus ordinum ductor, Rufus cognomine, cum XX delectis Gemmae fanum progreditur: dumque praedae quam ſuorum ſalutis magis ſolicitus licentioſe graſſatur, a [l] Saugrio et aliis a Ludenſi ſummiſſis, qui ad [m] Popellinetiam a ſtationariis minime conſpecti proceſſerant, interceptus, laſciviam pavore ſubito excipiente, ſtatim ſe dedidit, et, jam data fide, Rupellanis auxilio ſupervenientibus, errorem emendare non potuit. Inde Proteſtantes, praedis abactis, ad ſua ſe recipiunt, Maranenſi arci praepoſito Silvagio. Ludenſis eodem die ad [n] Herminiae fanum acceſſit; copiaſque per vicina praeſidia [o] Fontenaii, Niortii, Marcolii, Lucionii et ad Herminiae fanum diſtribuit; quae belli gerendi occaſione nullum non genus ſaevitiae ac libidinis in ruſticam plebem, ſoluta militari diſciplina, exercebant.

XIX. IN Aquitania B. Monlucius provinciae praeſes ſtatim poſt Meldenſem tumultum celeritate ſumma uſus [p] Lactoratum Novempopuloniae primariam civitatem et Armeniaci principatus caput occupaverat, [q] Aſtaraco Fontralio, qui arcem tenebat et propter religionem ſuſpectus erat, inde ejecto, et in ejus locum [r] Caſſiano ſuffecto. Eadem celeritate proceres evocatos adhortatur, ut in tali tempore regi reginaeque laborantibus adeſſent, et periclitanti patriae operam fidelem impenderent. Erant omnino IIII vexilla cataphractorum equitum, ductoribus Hectore [s] Pardaillano Gondrinio, Jo. Nogareto Valeta, Maſſeo, Bazordano, VIII equitum ſcloppetariorum turmae, XL peditum ſigna, quibus praepoſiti [f] Santaurentius, et Fabianus eques Hieroſolymitanus ipſius Monlucii filius. A recepto Lactorato vix XXIX dies exierant, cum non ſolum omnes copiae undique periculo regis invitatae convenerunt, ſed [t] Ratiaſtum uſque Lemovicum proceſſerunt: quo et eos proſecutus eſt [u] Monlucius parens, obſecrans et obteſtans, ut nulla mora interpoſita ad regem contenderent. Univerſis cum ſummo imperio delectus a Monlucio [v] Lomanius Terrida qui praeeſſet, ut aetate ſenior dux; eique ſuffectus Gondrinius, fremente Jacobo [w] Valaquerio Monſaleſio, homine magni ſed ambitioſi animi, qui, cornu primum

INTERPR. [a] *iſle de Ré.* [b] *Marans.* [c] *le bas Poiſtou.* [d] *Luçon.* [e] *Ste Gemme.* [f] *Maillezais.* [g] *de Valois* [h] *Chante-cler prêtre.* [i] *Boiceau & Sauvage.* [k] *le capitaine la Belle* dit *Rouſſeau.* [l] *Sogré.* [m] *la Popeliniere.* [n] *Ste Herwine.* [o] *Fontenay, Niort, Mareuil.* [p] *Leytoure en Gaſcogne dans l'Armagnac.* [q] *Aſterac de Fontrailles.* [r] *de la Caſſaigne.* [s] *de Pardaillan ſieur de Gondrin, Nogaret de la Valette, le capitaine Maſſes, & de Bazourdan* [f] *de Tilladet de St. Orens.* [t] *Limoges.* [u] *Blaiſe de Montluc.* [v] *de Lomaigne, ſieur de Terrides.* [w] *de Balaguier, ſieur de Monſalez.*

primum ducere juſſus, vix placari potuit. Tam gnavae ac diligentis operae haud CIↃIↃLXVIII
aequam gratiam tulit Monlucius, Henrico [a] Foxio Candala ante oculos ipſius [b] Burdigalae et Burdigalenſis praefecturae ſummo cum imperio Annae Momorantii ſoceri commendatione praepoſito, et [c] Aquitaniae provincia, cujus univerſae Monlucius praeſes erat, nobiliſſima ſui parte diminuta. Is [d] Aginnum Nitiobrigum conceſſit, multum querens, et crebris apud reginam literis de injuria ſibi facta expoſtulans; donec a rege literae venerunt, poſt [e] Momorantii mortem, cum gratia ſemel Candalae facta honeſte revocari non poſſet, quibus ei in ſolatium delibatae potentiae belli in [f] Santonibus gerendi et [g] Rupellae obſidendae cura committebatur. Igitur, ne nihil ageret, quanquam et pecunia in id deſtinata non repraeſentaretur, quippe [h] Toloſa, Burdigala et aliis locis remotis petenda, nec tormenta, quae [i] Condivicino Namnetum ſummitti debebant, adveherentur, [k] Macarii fanum venit: ubi cum Gabriele [l] Caumontio Lanſunio e nobilitate primario viro collocutus, et vicinam nobilitatem adhortatus, ne tali tempore ſibi deeſſet, [m] Madaillanum alae Lauſunii ſigniferum cum equitatu praemittit, eique adjungit ſcloppetariorum equitum turmam, ductore [n] Verduzano Vaſatenſium praefecto, cui rurſus attributae [o] Mabrunii, Theodiae et Mongauzii cohortes; interim data cura, ne quid hoſtis a tergo moliretur, Rogerio [p] Sanlario Bellogardio, ut per ſuam abſentiam in [q] Convenis, [r] Bigerronibus ac limite et [s] Benearni pago propinquo excubaret; [ſ] Nigropellicio, ut [t] Virodunenſem ac Ripenſem juriſdictiones tueretur; [u] Valetae Cornuſſono ſeniori, ut [v] Rutenis praeeſſet; miſſis item IIII peditum cohortibus in [w] Cadurcos, qui [x] vicecomitum, ſi quid moverent, conata impedirent. Madaillano imperatum fuerat, ut quanta poſſet celeritate [y] Mediolanum Santonum nuſquam intermiſſo itinere contenderet; et, ſi quidem Marennenſes adhuc ad [z] Severini fanum eſſent, ſumpto cibo, mox eos aggrederetur, ac ſi vinceret omneis ad unum trucidaret: nam ſic fore, ut ceteri fere ruſtici metu territi arma ponerent, diffugientiumque pavor ad Rupellanos uſque perveniret. Nec ſegniter imperata fecit Madaillanus. Nam Marennenſeis loco praedicto nactus nullo negotio cecidit, III ſignis captis. Ac ſexto poſt die Monlucius [aa] Marennas venit cum Jacobi [bb] Scarſii Mervillae ala equitum et parte Jarnacii alae: nam ceteri fere Proteſtantium cauſae addicti ad Condaeum transfugerant. Ibi Antonium [cc] Pontium Santonum regulum et harum inſularum dominum obviam habuit. Peditatui praeerat [dd] Lebero Monlucii cognatus: praefecti caſtrorum munere fungebatur Verduzius. Mox et [ee] Joannis fanum venit [ff] Ludenſis, et de ratione belli gerendi cum Monlucio egit, dum interim Pontius [gg] [α] Uliarum et Alvertenſem patrimonialeis inſulas Monlucii adventu territas in poteſtatem redegit. Superabat [hh] Retenſis inſula; in qua juxta templum et in litore crebras munitiones oppidani excitaverant. Delecti ad ejus expugnationem ex omnibus copiis IↃ ſcloppetarii; quibus et Lebero praeerat. Ii [ii] Broagio ſolverunt, adverſa tempeſtate, cum qua die noctuque luctati ſunt: tandem, cum exſcenſionem, vento et a jaculatoribus in litore diſpoſitis repulſi, facere non poſſent, Lebero, impoſito in navigio, quem cum onerariis advexerat, milite, inſulam circumire inſtitit, et a tergo, qua rupibus praealtis clauditur, pedem in terram ponit; continuoque ad munitionem majorem prope templum, quae unius horae itinere illinc aberat, contendit, eamque diverſis partibus improviſo adortus capit, et eunctos in ea repertos juxta Monlucii mandatum, nulli vitae gratia facta, jugulat. Quo facto territi inſulani ceteras munitiones deſerunt,

VAR. LECT. [α] Oleronem *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Foix, comte de Candale.* [b] *Bourdeaux.* [c] *Guienne.* [d] *Agen.* [e] *le conneſtable de Montmorency.* [f] *Saintonge.* [g] *la Rochelle.* [h] *Toulouſe.* [i] *Nantes.* [k] *S. Macaire.* [l] *de Caumont, ſieur de Lauzun.* [m] *de Madaillan.* [n] *de Verduzan, ſeneſchal de Bazadois.* [o] *Mabrun, Thodias, & la Mothe Mongauzy.* [p] *de S. Lary, ſieur de Bellegarde.* [q] *Cominges.* [r] *Bigorre.* [s] *Bearn.* [ſ] *de Negrepeliſſe.* [t] *jugeries de Verdun & Riviere.* [u] *la Valette, ſieur de Cornuſſon.* [v] *Rouergue.* [w] *Quercy.* [x] *les vicomtes.* [y] *Saintes.* [z] *St. Severin.* [aa] *Marennes.* [bb] *d'Eſcars de Merville.* [cc] *le ſieur de Pons.* [dd] *de Leberon.* [ee] *S. Jean.* [ff] *le comte du Lude.* [gg] *iſles d'Oleron & d'Alvert.* [hh] *iſle de Ré.* [ii] *Brouage.*

CIƆIƆLXVIII deſerunt, et, navigia obvia nacti, tumultuarie inde [a] Rupellam abeunt. Haec ſumma
CAROLUS IX. rerum a Monlucio in [b] Santonibus geſtarum fuit, plura geſturo, niſi cum pecunia praecipuus belli nervus defeciſſet, aut pax interim facta revocaſſet.

XX. Dum haec in [c] Aquitania geruntur, [d] Poncenacus, qui ſe cum [e] Verbelaeo et [f] Champolianae cladis reliquiis ad [g] Acierium deviis itineribus receperat, cum inſtaret, ut ſine mora cuncti conjunctim in viam ſe darent, et ad Condaeum contenderent, Acierius, a popularibus exoratus, eos deſerere noluit, cum provincias eas praeſidio nudatas non relinqui maxime Condaei intereſſe diceret. Is igitur, antequam ex [h] Allobrogibus diſcederet, ne quid regii, ſe abſente, in [i] Provincia molirentur, [k] Andreae fano, quod eſt oppidum haud longe a Vienna, [l] Pipetum cum praeſidio CCC ſcloppetariorum impoſuerat; quod ea parte excurſuros hoſteis provideret. Nec opinione falſus eſt. Nam mox [m] Adretius cum II CIↃ peditum undique collectis et aliquot levis armaturae equitibus eo advolavit; et, tormentis admotis, cum locus continuata pulſatione vehementi quaſſatus eſſet, ruina ingenti edita, Pipetus, omni auxiliorum ſpe deſtitutus, extremum conſilium capit; quippe qui Adretii ingenium noſſet; et, quae in regios proximis bellis admiſiſſet, eadem in Proteſtanteis auſurum conjectaret. Itaque cum ſuis et aliquot oppidanis nocte intempeſta erumpit, et via facta multiſque ex Adretianis interſectis cum exiguo damno manus ſaevi victoris evaſit, et ad proxima praeſidia ſe recepit. Interim [n] vicecomites et Moventius ac Rapinus cum Poncenaco, petita ab Acierio venia, copias ad Condaeum deducendas ſuſceperunt; quae, cum initio VI CIↃ bellatorum fere peditum efficerent, ad extremum, dilabentibus Vaſconibus, praecipue iis, qui latrociniis in Pyrenaeo aſſueti praedas quam juſtum bellum malebant, ad IIII CIↃ redactae ſunt. Ii, tranſmiſſo ad [o] Ramberti fanum [p] Ligeri, per [q] Forenſem agrum [r] Ganapum in [s] Arvernorum limite deveniunt: cumque ulterius progreſſi eſſent, et Poncenacus ad [f] Vicanum-pontem [t] Elaveri impoſitum veniſſet, ac locum praeſidio firmaſſet, in planitie ſubjecta juxta [u] Randanam ſilvam haud procul a [v] Cognaco pago regiae copiae apparuere maximam partem equeſtres, quibus [w] Santeranus Arvernorum praefectus, Sancaumontius, Gordius, Urſeus, Anicienſis epiſcopus, Altofolius, Breſſius et alii e primaria nobilitate praeerant: quod ubi videre vicecomites, copias in aciem educunt, et pontem Vicanum reſcindi imperant, ut, omnino retro abeundi ſpe abjecta, ex deſperatione animos militi facerent, et in virtute ſola ſpem ſalutis ponerent: eoque maturius id ſibi faciendum exiſtimarunt, ne mora vires langueſcerent, et commeatus, ſi ſe arctius vallo includi paterentur, eos deficeret. Tum vero copias tripartito inſtruunt, eo ordine, ut acies, ducibus [x] Monclario et Moventio, pagum teneret; ad levam [y] Foxenſes ſtarent: Poncenacus ad latus paulo ulterius cum equitatu collocatus, [z] Burniqueto cum reliquo equitatu ad dextram conſiſtere juſſo. Regii peditatu inferiores equitatu praevalebant: itaque in duo agmina diſtributi IↃCCC fere equites, peditatus in tergo ſtatuitur; tum CC ſcloppetarii equites cum aliquot cataphractis praemittuntur, qui Proteſtanteis ad certamen elicerent: quos, aſſumptis ex ſua legione XX delectis et aliquot ex Foxenſi principatu volonibus, Moventius carecto humili tectus excepit, tanta animi praeſentia, ut, occiſis primo aſſultu praecipuis, reliqui retro pedem ferre coacti ſint. Cognitum errorem regii, ex impedito loco ulterius in planitiem deſcendentes, emendare conati ſunt. Sed nec Proteſtantes cunctari, ſeu ſucceſſu ſeu virium fiducia elati; et Poncenacus quidem recedentibus inſtare, et ſemper, licet iniquiore pediti campo, cum ſuis progredi, donec loco paludoſo, qui medius interjacebat,

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Saintonge.* [c] *Guienne.* [d] *Ponconat.* [e] *Verbelay.* [f] *deffaite de Champoully.* [g] *le ſieur d'Acier.* [h] *Dauphiné.* [i] *Provence.* [k] *la Coſte S. André.* [l] *le capitaine Pipet.* [m] *le baron des Adrets.* [n] *les vicomtes, & les ſieurs de Mouvens & Rapin.* [o] *Pont St. Rambert.* [p] *la Loire.* [q] *Forez.* [r] *Ganap.* [s] *Auvergne.* [f] *pont de Vichy.* [t] *l'Allier.* [u] *bois de Randan.* [v] *Cognac.* [w] *de St. Heran gouverneur d'Auvergne, de St. Chaumont, de Gordes, d'Urfé, l'evêque du Puy, Hauteſeuille, & Breſſieux.* [x] *Montclar.* [y] *ceux de Foix.* [z] *le vicomte de Bourniquet.*

interjacebat, occupato conſiſteret. Ibi relictis c circiter ſcloppetariis, qui aditum ſer- CIↃIↃLXVIII
varent, et recedenteis reciperent ac tutarentur, ulterius progrediuntur foederati et CAROLUS IX.
aciem inſtruunt; cujus ante frontem L volones ſtatuunt, ad latera equitatu diſpoſito, qui peditatum medium tegeret. In eos [a] Santeranus, miſſo [b] Altofolio et Breſſio cum delectis cataphractis equitibus egregie armatis et IIII peditum ſignis, impreſſionem facit. Dum acriter utrinque pugnatur, Burniquetus accelerato gradu in eos, qui jam a volonibus ſoluti erant, magna vi invehitur: in eoque certamine Altofolius lethaliter vulneratus fuit. Diverſa parte Breſſius contra Poncenacum et [c] Joletum Arvernum pugnabat; nec feliciore forte congreſſus poſt acre certamen occiſus eſt, deſideratis c ex ſuis, et peditatu huc illuc diſſipato. Captus [d] Forcſius Bullio; qui, quod impudenter de Proteſtantibus mulieribus, quaſcunque in poteſtate habuiſſet, a ſe ſtupratis gloriaretur, contumelioſe habitus ac tandem interſectus eſt. Sed, quo minus Proteſtantes de ea victoria plene laetarentur, res incidit, quae gaudium mox in luctum vertit. Nam, dum obſcura nocte victores ad ſuos [e] Cognacum redeunt, ubi impedimenta cum idoneo praeſidio reliquerant, inſignibus, ea erant faſciae albae, ob tenebras minime agnitis, tumultuaria pugna inter ignaros excitatur; in qua ſcloppetorum infeliciter diſploſorum ejaculatione ictus [f] Sudaretus Forenſium praefectus juridicus, qui paulo poſt ex vulnere deceſſit, et Poncenacus ipſe interfectus eſt, ejuſque corpus in [g] Changianam arcem haud longe hinc delatum ac ſepultum fuit. Sed, cum poſtea [h] Sancaumontius et Urſeus recedentes illac iter haberent, cadaver ab inſolenti milite effoſſum, ac ludibrio diu expoſitum poſtremo immaniter diſcerptum eſt, [i] Sluſo vix ictibus et increpationibus injuriam prohibente. Eadem nocte, qua pugnatum fuit, regii vaſis conclamatis diſcedunt, libero tranſitu foederatis permiſſo: et, deſerente eos cum fortuna pariter popularium favore, [k] Rigomagi, Claromontii, Monſerrandi et Aquarum-ſparſarum ingreſſu contumelioſe prohibiti ſunt. Itaque coacti per pagos divertere, ſinguli pleriſque locis carpti, ac majorem partem aut interfecti aut ſpoliati ſunt; ut ſe ex eo receptu plus damni quam ex clade Cognacenſi accepiſſe profiterentur.

XXI. FOEDERATI inde collectis copiis, nemine impediente, in [l] Bituriges Cubos deſcendunt; ubi a Franciſca [m] Aureliana Condaei uxore literas accepere, quibus eos, ut feſtinarent, hortabatur; in propinquo [n] Sarram Martinengum comitem, Antonium [o] Pleſſium Richelium, et alios eſſe; urbem vero ſolo foeminarum imbellium praeſidio teneri: haud multo ante ſtationum infrequentia ad [p] Baneriam portam paene interceptam urbem fuiſſe, periculo vix [q] Hamonis virtute et Beſſi ordinum ductoris inibi occiſi peſte diſcuſſo. Iis lectis, ſumma diligentia Aurelianum contendunt, a Condaei et aliorum procerum uxoribus ſumma laetitia ac gratulatione excepti. Martinengus cum ſuis [r] Bogentiacum et inde [s] Bloeſas conceſſit. Foederati, viribus refectis, aliquid audendum rati, paulo poſt copias educunt, et cum V CIↃ peditum et CCCC equitibus, II muralibus tormentis ac totidem colubrinis Bogentiacum, quod ſtatim venientibus patuit, et Bloeſas ducunt; quo ſe Richelius cum Innocentio [f] Triperio Monterudio Aureliani nuper praefecto et IↃCCC bellatoribus incluſerat. Primo impetu a Vaſconibus et Provincialibus capta [t] Carnutenſis portae ſuburbia; moxque, juxta eam ruina XVIII paſſuum edita, Richelius urbem dedere jubetur: quo recuſante, miſſi ſub noctem qui eam propius contemplarentur: verum animadverſo, facilem quidem extrorſum acceſſum, ſed introrſum deſcendentibus difficultatem ſubeſſe, pluſque

INTERPR. [a] *de St. Heran.* [b] *Hautefeuille & Breſſieux.* [c] *Tolet d'Auvergne.* [d] *la Forcſt de Beullon.* [e] *Cognac.* [f] *Sudaret prevoſt de Forez.* La Popeliniere l'appelle *Saduret.* [g] *Château de Changy.* [h] *de St. Chaumont & D'Urſé.* [i] *l'Eſclaſe.* [k] *Riom, Clermont, Monferrand, & Ayguë-perſe.* [l] *Berry.* [m] *d'Orleans.* [n] *il conte Sciarra Martinengo.* [o] *du Pleſſis, ſieur de Richelieu.* [p] *la porte Baniere.* [q] *les capitaines Hamon & Beſſé.* [r] *Baugency.* [s] *Blois.* [f] *de Triper, ſieur de Monterud.* [t] *Fauxbourg de la porte Chartraine.*

CIƆIƆLXVIII CAROLUS IX. pluſque periculi quam in capienda ruina poſt captam relinqui, tranſlata tormenta ad eam portam, quae in [a] Turones deſpicit; editaque ſpatioſiore, quam antea, ruina, Richelius colloquium poſcit; et poſt longas altercationes, re ultro citroque diſceptata, tandem convenit, ut urbs tradita a praeda immunis eſſet; praeſidiarii, vita ſalva, cum armis et impedimentis dimitterentur. Multi tamen ſpoliati, quantumvis annitentibus ducibus ut promiſſa ſervarentur: ſed, ſoluta per bella civilia diſciplina, nec integra imperii auctoritate penes duces remanente, difficile fuit laſcivientem militem coercere.

XXII. CAPTIS [b] Bloeſis et impoſito [c] Hamone cum III ſignis peditum, foederati [d] Richardi montem petunt; quod eſt oppidum ad Carim juxta Cenonecllas: ad quod dum vim facere cogitant, a Condaeo, qui in [e] Belſiam [f] Autricum Carnutum obſeſſurus deſcenderat, revocati protinus diſcedunt, ut eum eo ſe conjungerent. Urbs illa Belſiae primaria a planitie ſpatioſa excipitur, et praecipiti deſcenſu in vallem ſubjectam porrigitur, ac [g] Dura fluvio interluitur; qui [h] Curtavilla labens infra urbem ad [i] Ceriſiacum [k] Blaſiam excipit, et, per [l] Drocum et [m] [α] Alnetenſem arcem, tandem ad [n] Pontem-arcus paulo ſupra [o] Rotomagum in [p] Sequanam influit. Fluvio molatrinae urbis uſui impoſitae ſunt, qui in id ab antiquo alveo, qui paulo longius fluebat, derivatus fuit ab oppidanis. Antequam Condaeus adventaret, Joannes [q] Burdellius Ardeleus, ex praenobili vicecomitum Burdelliorum in [r] Petrocoriis familia ortus, cum x Vaſconum ac Petrocoriorum ſignis miſſus ad urbem a rege fuerat: verum oppidani militum licentiae aſſuetorum inſolentiam veriti admittere eum recuſaverant, et cum contumelia repulerant. [s] Fontanus Guidonius urbi praeerat; in cujus locum ſuffectus eſt Antonius [ſ] Lignerius eques torquatus et L equitum cataphractorum praefectus bello ſpectatus dux; qui ad urbem venit cum II equitum alis, quas [t] Carnius et Rantius ducebant, v praeterea peditum ſignis, quae, fama obſidionis crebreſcente, admiſſa ſunt, quinque circiter dies priuſquam hoſtiles copiae propinquarent. Mox et admiſſus cum ſuis Ardeleus, jam mitigatis oppidanorum animis ac proprio periculo territis, fide ab ipſo interpoſita, nihil ob praeterita neque ipſum neque milites ejus oppidanis ſuccenſuros, et moderate cum iis verſaturos. Tandem VII Kal. Mart. ac ſequenti die Condaeus cum toto exercitu xx leucas non intermiſſo itinere, quo magis falleret, emenſus advenit, et urbem obſidione cinxit. Levibus pugnis primo certatum erumpentibus praeſidiariis; vique occupatis ſuburbiis juxta portam [u] Gulielmiam et Moratenſem Gallicae copiae hoſpitium habuerunt. [v] Pilius cum ſuis in ſuburbiis, quae ad portam [w] S. Joannis ac Drocenſem pertinent, conſedit: [x] Moventius ac vicecomites cum [y] Allobrogibus, Provincialibus ac Vaſconibus ſuburbia [z] Sparenſem portam ac S. Michaelis ſpectantia tenuerunt: Germanis ad Joſaphati coenobium hoſpitium attributum fuit. Ab ea parte in ſepto puellarum ſacrarum diſpoſita IIII tormenta, quae porrecta verberatione Drocenſem portam et circumpoſitum murum pulſarent. Equitatus per vicinos pagos, uti commodum viſum eſt, diſtribuitur. Nec ceſſabat Lignerius; qui advocatos in concilium oppidanos gravi oratione adhortatus, ne regi aut ſibi tam neceſſario tempore deeſſent, ſed concordiam ac fidem tuerentur, et, qui animis valerent, militia, alii labore, qui neutro poſſent, opibus ſuis publicae neceſſitati inſervirent. Tum urbem cum ſuis luſtrat, et loca infirma intus ducta foſſa firmat, excitata etiam tumultuario opere ad Drocenſem portam munitione. Molatrinae item VI truſatiles in urbe ejus juſſu fabricatae, quae, averſo forte fluvio, ut evenit, aliarum vicem ſupplerent. Mox diſtributae

VAR. LECT. [α] Alnetum, voluptuariam Valentinae regia magnificentia extructam arcem D. f. o.

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *Blois.* [c] *le capitaine Hamon.* [d] *Mont-richard prés de Chenonceaux ſur le Cher.* [e] *la Beauſſe.* [f] *Chartres.* [g] *riviere d'Eure.* [h] *Courville.* [i] *Cerſy.* [k] *la Blaiſe.* [l] *Dreux.* [m] *d'Anet.* [n] *Pont de l'arche.* [o] *Rouen.* [p] *la Seine.* [q] *de Bourdeilles, ſieur d'Ardelles.* [r] *Perigort.* [s] *Fontaine la Guyon.* [ſ] *de Lignerес.* [t] *le baron de Charny & le ſieur de Rance.* [u] *la porte Guillaume & Morat.* [v] *de Clermont, ſieur de Piles.* [w] *les portes de S. Jean & Drouaiſe.* [x] *le ſieur de Mouvens & les vicomtes.* [y] *Dauphinois, Provençaux, & Gaſcons.* [z] *portes des Eſpars, & de S. Michel.*

diſtributae inter duces regiones; et ſummae ſecundum [a] Lignerium praepoſitus Rantius. Foederati vicinas foſſae domos adhuc integras occupaverant, ex quibus ipſi tecti in intectos infeſta jaculatione fulminabant. Quod ut impediret Lignerius, velum praetendi juſſerat, ne ſui commeantes ab hoſte cerni poſſent. In Drocenſem dein portam directa verberatio, qua pontis ſublicii catenae confractae, nec aliud operae pretium factum eſt, crebro erumpentibus praeſidiariis, et, quod, a Proteſtantibus opinione citius cincta urbe, exequi non potuerant, vicina aedificia, quae obſeſſis incommodabant, injecto igne perdentibus: itaque Franciſcanorum coenobium et [b] Joannis ſanum, quae extra urbem erant, incenſa. Cum prima pulſatio non procederet, transferuntur machinae; et infra turrem et Gulielmiam portam tanta vi murus quatitur, ut brevi, propugnaculis dejectis, ruina XVI circiter paſſus lata patuerit. Sed, cum ea munimento ante Drocenſem portam erecto defenderetur, et intus ab ea parte vallum praealtum excitatum eſſet, ante omnia munimentum occupari placuit. Itaque miſſus eo [c] Bordetus cum XL delectis, partim peditibus partim foſſoribus; qui, ſuffoſſione illud diruere dum moliretur, ictu ſcloppeti interfectus eſt. Munimentum tamen captum et milite firmatum; quod obſeſſis permoleſte accidit: ſed damnum hoc mox ſive aſtu ſive virtute [d] Foliati ſtrenui ordinum ductoris penſatum eſt. Is cum LX circiter delectis inſignia Proteſtantium geſtantibus per Drocenſem portam egreſſus ſecundum exteriorem foſſae oram erupit, et ad munitionem, non animadverſo a defenſoribus dolo, pervenit, improviſoque ignaros adortus locum recepit, et conſtanter poſtea ſervavit. Tum verſi foederatorum ad vim faciendam animi; et Andeloti juſſu miſſus [e] Normanus nobilis ordinum ductor, qui ruinam propius ſpecularetur. Is, cum eam diligenter luſtraſſet, ob id catena aurea ab Andeloto donatus, non citra periculum militem poſſe eniti renunciavit. Itaque eam redintegrata pulſatione magis complanari placuit: eodemque tempore Lignerius, ad omneis caſus intentus, tumulum inter [f] Drocenſem portam et Dominicanorum aedem excitat; eique machinam imponit a Proteſtantibus olim tempore pugnae Drocenſis defoſſam ac poſtea captam, ob idque Hugonotam dictam, quae porrectis ictibus oppugnanteis a ruinae acceſſu probiberet. Milites ad macellum fere in pomoerio urbis ſitum locat; qui interdiu noctuque ſtationes agerent, juſſis oppidanis ad victum neceſſaria excubantibus comportare. Foederati interim, obſtructo [g] Durae in urbem oſtio objectis palis ac pluteis tranſverſis, et derivato in antiquum alveum fluvio, molatrinas aquatileis inutileis reddiderunt: quod ſi maturius feciſſent, dubio procul obſeſſos in ſummas anguſtias conjeciſſent. Nam, rebus neutiquam ad ſuſtinendam obſidionem in urbe antea proviſis, et introducto IIII CIↃ praeſidiariorum numero, difficile erat tot hominibus alendis ut, molatrinarum adempto uſu, victus in multos dies ſufficeret. Interim crebrae ab obſeſſis eruptiones fiebant, modo per S. Michaelis et modo per S. Joannis portas, captis etiam II [h] vicecomitum ſignis, quae in majori urbis templo ſuſpenſa ſunt. Nec ceſſabat Condaeus; qui, cognito Joannem [i] Nogaretum Valetam levis armaturae ſub [k] Nemoroſio legatum cum XVIII equitum Gallorum et delectis Italorum alis jam [l] Udencum veniſſe, ut obſeſſis laborantibus praeſto eſſet, remotiora hoſpitia habentes invaderet, pabulatores prohiberet, commeatum interciperet, Colinium maris praefectum eo mittit, attributis A. [m] Valdraco Moio et aliis ducibus cum VIII equitum Gallorum et VI Germanorum alis, quae III CIↃ IↃ efficiebant; qui Udencum vi ingreſſus Italos aliquot obvios habuit, cum jam Valeta, vaſis conclamatis, impedimenta ad diſceſſum urgeret. Plerique occiſi, alii capti, IIII vexilla capta, impedimenta et equi in foederatorum poteſtatem venere; qui ſtatim nuſquam intermiſſo itinere cum praeda opima in caſtra ad ſuos reverſi

INTERPR. [a] *de Ligneres.* [b] *l'abbaye de S. Jean.* [c] *du Bourdet.* [d] *le capitaine Florat.* [e] *le capitaine Normand.* [f] *porte Drouaiſe.* [g] *r. d'Eure.* [h] *les vicomtes.* [i] *Nogaret de la Valette.* [k] *le duc de Nemours.* [l] *Houdan.* [m] *de Vaudray, ſieur de Mouy.*

verſi ſunt. Valeta, ex tumultu collectis IↃ equitibus, crebro ad inſequentium incurſiones frontem obvertens, nuſquam ſolutis ordinibus, periculo ſumma cum ſua laude ſe eripuit, et ad [a] Andinum, qui medio Sequana caſtra habebat, ſe recepit.

XXIII. DUM in eo ſunt, pacis negotium repetitum eſt: et cardinalis [b] Caſtellionaeus ad [c] Longemellum pagum cum Armando [d] Gontaldo Birono caſtrorum praefecto et Henrico [e] Memmio Mallaſſiſio libellorum ſupplicum magiſtro conveniunt; ubi res ultro citroque ſatis diu agitata eſt, [*] Thoma [f] Sackvillo Buckhurſtio pro regina Angliae et [g] Vido Cavalcantio patritio Florentino partes ſuas interponentibus, ut concordiae rationes inirentur. Condaeus, ſive inſita bonitate, ſive quod ſe periculo, cujus metu antea arma ſumpſerat, defunctum exiſtimaret, ad pacem inclinabat. Colinius autem, vir profundiore prudentia, longe aliter afficiebatur; quippe qui providere ſe diceret, id agere regios, ut, quos armatos et conjunctos vincere non poterant, eos, armis depoſitis et traditis oppidis, quae receptui habebant, omni potentia exutos dividerent, et ſingulos carperent, injuriamque nuper tumultu Meldenſi acceptam, cujus morſum ſemper in dies acriorem ſentiebant, ad extremum ulciſcerentur; in praeſentia vero [h] Autricum Carnutum, quo capto arx veluti Lutetiae cervicibus imponebatur, inevitabili expugnationis proximae periculo eximerent. Id etſi minime Condaeus ignorabat, tamen, quod pacem recuſari invidioſum neque honeſtum ducebat, eam quoque ſe amplecti ſimulabat. Ceterum re vera uterque vi et neceſſitate urgebatur, jam dilapſis pleriſque [i] Santonum et Pictonum copiis, non petita a Condaeo venia, et pleriſque ſe idem facturos minitantibus: ita ut metus eſſet, ne exemplo graſſante cuncti agmine facto a ſignis diſcederent. Ad haec, haud occulta murmura exaudiebantur, armis ſumptis id hactenus quaeſitum, ut pax habeatur: quam cum peti ſeu dari a regiis videant, quid aliud ſupereſſe, niſi ut funeſtiſſimo ac damnoſiſſimo bello finis imponatur? deeſſe militi ſtipendium ac plerumque commeatum: nobilitatem procul a domo ſummis nec tolerandis incommoditatibus conflictari: expoſitas inimicorum ludibrio familias, quarum deſiderium ferre aut periculum diurius negligere non poſſint: proinde orare proceres, ſe reſpicerent, neque praepoſtera prudentia aut potius animi obſtinatione extremam ſociorum patientiam tentarent. Antequam tamen ad extrema deſcenderetur, cuncta tentata, an, dilabentibus nobilibus, aliquot copiae retineri poſſent; quibus non quidem vis inferretur, ſed ſe adverſus intutam pacem venditanteis tuerentur. Er aderant quidem Germani auxiliares, qui ſi per loca opportuna diſtribuerentur, quid aliud effici, quam paulatim ſeipſos quotidie vorare? in caſtris vero contineri haud diu poſſe extra dubium erat, fere infeſtis oppidis, nec ſuppetente aliunde annona. Itaque tandem in pacem, qui minus volebant, vi coacti conſenſerunt: eaque conventa et publicata in caſtris x Kal. April. et ſoluta obſidio Autrici: in qua ex obſeſſis deſiderati CCL; et in his [k] Caumonius Lignerii legatus, in Dominicanorum aede ſepultus, et [l] Ardeleus x Vaſconicorum ſignorum dux, forma et virtute conſpicuus, qui, dum ad ruinam excubat, ictu ſcloppeti tranſverſo per caput accepto magno omnium deſiderio occubuit. Ejus corpus poſtea cum Lignerius virtutis ergo honorifice in aede majore ſepultura decorare vellet, ſacri collegii ſodales interceſſerunt; et ritu antiquo ac majorum religione cautum affirmarunt, ne in ſolo puro ac Virgini dicato quiſquam ſepeliretur: nec vero id pati templi ſtructuram, quod fornicibus ſuſpenſum et ſubtus cavum eſſet, ut in eo terra defodiendis cadaveribus tuto excavari non poſſet. Regia tamen auctoritate decretum, ut in templo tumulus ſupra ſolum erigeretur, in eoque Ardelei cadaver conderetur. Gratiae viri optime de urbe meriti id tributum, aſſentientibus

VAR. LECT. [*] *Hinc ad* Condaeus ſive inſita, *duae circiter lineae, deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *le duc d'Anjou.* [b] *de Chaſtillon.* [c] *Longjumeau.* [d] *Gontaut de Biron.* [e] *de Memmes, ſieur de Malaſſiſe.* [f] *Sackville, lord Buckhurſt.* [g] *Guido Cavalcanti.* [h] *Chartres.* [i] *Saintonge & Poictou.* [k] *Caumon, lieutenant de Ligneres.* [l] *de Bourdeilles, ſieur d'Ardelles.*

tientibus in ſpeciem ſodalibus; qui tamen mox, ut loci religionem tuerentur, clam noctu demortui cadaver in templum vicinum tranſtulerunt. Ex foederatis ccc circiter, partim Germani partim Galli, perierunt. Edicto, quod VI Kal. April. in ſenatu promulgatum fuit, ſuperius edictum ante quinquennium factum confirmabatur: decernebaturque, ut, exceptionibus, interpretationibus ac declarationibus omnino ſublatis ac revocatis, plenum ac integrum maneret; et tumultuum nuper excitatorum memoria aboleretur, addita clauſula, Quouſque aſpirante Dei clementia omnes populi ditioni regiae ſubditi ad eandem religionis unitatem adducerentur. Secundum haec, dimiſſi Germani auxiliares; qui cum Jo. Caſimiro eodem, quo venerant, itinere in Lotharingiam et inde in Germaniam abierunt. Caſimirus [a] Heidelbergam ad patrem profectus eſt; ubi [b] Gulielmus Naſſovius Arauſionis princeps, [c] Belgio pridem relicto, auxilia contra [d] Albani conatus pro religionis, ut aiebat, defenſione petiturus, eum opperiebatur. Poſtea reſtitutae urbes hoc bello captae; [e] Auguſta Sueſſionum, Autiſſiodorum, Aurelianum, Bloeſae, Charitaenm oppidum: nec, alia ſecuritatis ratione ſibi ut caveretur, obtinere potuerunt, quam ſi regis ac reginae, quos tam graviter offenderant, recenti adhuc injuriae ſenſu, fidem ſequerentur; indignantibus pleriſque, qui pacem eam minime inſidiis carituram praeſagiebant: quod eventus mox comprobavit. Miſſus ad [f] Toloſanum ſenatum fuerat a rege cum mandatis [g] Râpinus, unus ex Condaei nobilibus domeſticis, homo bellis ſuperioribus in [h] Septimania geſtis clarus, ob idque Toloſanis inviſus, ut edicti promulgationem urgeret. Qui captus et quaſi ex alia cauſa capitis damnatus ac ſecuri percuſſus eſt; quod indigne admodum tulit Condaeus; deque injuria apud regem graviter expoſtulavit. Rex ipſe in ſpeciem id ad animum revocare viſus eſt. Nec vero quae a Toloſano ſenatu afferebantur facti excuſationes ſatis apud aequos judices validae erant: ſed ea tempora haud multo poſt inciderunt, quae difficultate ac moleſtia amplius purgandi ſe apud regem ac Condaeum Toloſanos liberarunt: inpraeſentiarum vix poſt quaternas juſſiones a ſenatu impetrari potuit, ut edictum promulgaretur: quod tandem factum, modo et conditionibus ſecreto curiae commentario comprehenſis.

INTERPR. [a] *Heidelberg.* [b] *de Naſſau, prince d'Orange.* [c] *Pays-bas.* [d] *le duc d'Albe.* [e] *Soiſſons, Auxerre, Orleans, Blois, la Charité.* [f] *parlement de Toulouſe.* [g] *Rapin.* [h] *Languedoc.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

IN SCOTIA *Gul. Metellanus et Jac. Balfurius, amoto Bothuelio, reginae liberandae incumbunt; iiſque ſe ſocios adjungunt Hamiltonii in proregis Moravii odium et Huntilaeus et Argathelius comites et Gul. Moravius Tilibardinus.* II. *Regina, quae arce in Levino lacu cuſtodiebatur, corruptis a Georg. Duglaſſio cuſtodibus, elabitur: et, Hamiltonium ubi venit, prolatis teſtimoniis et facta ex Throckmortoni conſilio proteſtatione, ceſſio a regina facta tanquam vi extorta ac nulla publico inſtrumento revocatur.* III. *Inde, copiis utrinque in procinctu ſtantibus, ad Langoſidum vicum juxta Cartham flumen confligitur, colle a Moravio occupato. Fuſi viribus potentiores, dum minorem numerum contemnunt. Regina, abjecta omni ſpe, eo die in Angliam profugit,* LX *milliarium ſpatium emenſa. Dein nocturnis itineribus ad Heriſii reguli aedeis divertit; indeque Jo. Betonio miſſo, de rerum ſuarum ſtatu Eliſabetham docet.* IV. *Cum enixe ad eam peteret admitti, Eliſabetha id negaret, cetera abunde pollicita, inde ſuſpiciones mutuae inter eas ortae; dum Scota non admitti injurioſum, Angla admittere ſororem ac regni heredem, rebus nondum ſatis in Anglia pacatis, periculoſum exiſtimat. Ne tamen communem principum cauſam in ſororis periculo negligere videretur, ad proregem dat literas; quibus et conventus, in quibus contra Scotae amicos agi debebat, differrentur, et ipſe idoneos homines ad ſe mitteret, facti rationem reddituros. Prorex, qui metueret, ne Eliſabetha repulſam paſſa foederatos, qui regi puero contra reginam ſtudebant, deſereret, legationem ad eam decernendam curat, cujus ipſe princeps fuit. Aegre et coactus ad accuſationem contra reginam deſcendit.* V. *Jacobus Hamiltonius quaeſtionem de regni adminiſtratione coram Eliſabetha facit: auctis inde Anglae cum Scota ſuſpicionibus ex literis interceptis, prorex, placatiore Eliſabetha quam cum venerat, in Scotiam revertitur.* VI. *Puritanorum in Anglia origo.* VII. *In Belgio Arauſionenſis et Ant. Lalanius Hocſtratanus edicto ab Albano citantur: cui contrario ſcripto Dillimburgi prolixe reſpondent.* VIII. *Carolus Hiſpaniae Infans in cuſtodia habetur; et mox moritur.* IX. *Inquiſitionis Hiſpanicae in Belgas ſententia.* X. *Margarita Parmenſis publica ſe adminiſtratione abdicat. Structae inſidiae Albano.* XI. *Bellum contra Arauſionenſem. Juxta Dallemum foederati caeſi.* XII. *Cocavilla, Valens, Amandus, qui foederatis in Belgio militabant, in limite ab Gonnorio equitum tribuno capti et Lutetiae ſupplicio adfecti. Manhemii in Palatini ſeptemviri ditione pecunia Hiſpanica intercepta.* XIII. *Helligerſiana pugna in Friſia; in qua Arembergius occubuit. Caroli Brimei Megenſis ex vulnere mors.* XIV. *Expiandae cladi in Friſia acceptae Ecmondanus et Hornanus Bruxellis decollati. Culemburgii comitis aedes deſtructae.* XV. *Ludovicus Naſſovius Groeningam obſidet. Ad Groeningam in diſceſſu Naſſovianorum ſtrages.* XVI. *Ad Gemingam mox ab Albano debellatum.* XVII. *Arauſionenſis in Germania exercitum colligit, et ſe apud Caeſarem excuſat, et in Hiſpaniam ad Philippum mittendi Caroli fratris materiam ſuppeditat.*

Digitized by Google

ſuppeditat. XVIII. *Foederati ad Thenas ab Albano caeſi. Hocſtratani ſecuta mors.* XIX. *Arauſionenſis cum collectis copiis in Belgicum limitem excurrit, et Galliam intrat; et mox, tumultuantibus ſuis, Argentinam deflectit, ubi ſe Wolfango Bipontino conjungit.* XX. *Albertus Brandeburgicus, olim Teutonici Ordinis princeps, et tunc Boruſſiae dux ac Poloni beneficiarius, fere octogenarius Tapiavi decedit: poſt eum Henricus Brunſvicus, qui et confeſſionem Auguſtanam amplexus eſt et Verdenſi epiſcopo et Riterhuſenſi coenobiarchae ut idem facerent auctor fuit: et rurſus extremo anno Chriſtophorus Wirtembergicus literatorum fautor eximius.* XXI. *Trevirenſis motus in ortu ſuo extinctus. Tres lunae viſae.* XXII. *Bellum Suecicum inteſtinum Erici temeritate excitatum. Joannes carcere liberatus et Carolus contra fratrem ducunt, prius publicato ſcripto, quo Erici ſecus facta virulenter exagitabantur. Stocholmia tandem Joannes potitur, et, Erico in cuſtodiam tradito, Ordinum conſenſu rex declaratur, et pacem cum Dano facit.* XXIII. *Poloni cum Moſco bellum gerunt. Mutuae utrinque clades.* XXIV. *Colloquium Aldemburgi de religione inter Proteſtanteis inſtitutum.* XXV. *Eraſmus Limburgenſis epiſcopus Argentinae obit; Joannes Oporinus, Onufrius Panvinius, Franciſcus Luiſinus, Gulielmus Gratarolus, Rogerius Aſchamus.*

Ex auctoribus,

Imm. Meterano, Joanne Parvo, H. F. Conneſtagio, B. Mendoza, Lud. Foxii relatione, Petro Juſtiniano, Georg. Buchanano, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae, D. Chytraeo, S. Schardio, Cypriano Leovitio.

LIBER QUADRAGESIMUS TERTIUS.

HEIC pauliſper a triſti rerum noſtrarum commemoratione CIƆIƆLXVIII
interquieſcere opportunum rati, externa attexemus. In Carolus IX.
Scotia rege inauguraro, et per reginae captivitatem Jacobi [a] Moravii fratris nothi proregis poteſtate conſtituta, ac varie procerum affectis animis, reliquum erat, ut aequabili jure quies ea ratione parta retineretur. Ea propter prorex ineunte vere, ut res ſuperiorum temporum tumultibus quaſſatas ſtabiliret, ſtatuit conventibus juridicis habendis univerſum regnum obire: cujus tranquillitatem cum plerique licentiae aſſueti reformidabant, tum alii, liberata regina, honores et praemia ſibi ſpondebant; aliis denique turbatarum rerum ſpecies tanquam jucundiſſimum et utile ſpectaculum ante oculos obverſabatur. In iis erant Gulielmus [b] Metellanus et Jacobus [c] Balſurius; qui, incolumi [d] Bothuelio, quem ſummopere oderant, reginae, quamvis caedis regiae non ignari putarentur, ſemper ab eo tempore adverſati fuerant, nunc, eo amoto, ad reginam liberandam animum adjecerant, facilius ab ea criminis impunitatem ſperantes, quam apud eos qui regis pueri partes tuebantur. Hamiltoniorum idem ſtudium erat; qui, regina reſtituta, regem puerum, cujus umbra reginam regno exuiſſet, poſſe tolli putabant; et, eo ſublato, propius uno gradu ad regni ſpem admovebantur: quo facto, haud magni laboris ac periculi fore providebant, eam quoque tollere, cunctis, ut rebantur, [inviſam] et poſt interpellatam tyrannidem crudelitati naturae magis obſecuturam. Ad eos ſe adjunxerant Georgius [e] Gordonius Huntilaeus comes, et Argathelius, nec non et Gulielmus [f] Moravius Tilibardinus. Contra, prorex animum conſtantia firmabat; et tot

D. ſ. [*ob tot crimina inviſam*]

INTERPR. [a] *le comte de Murray.* [b] *Maitland, ſieur de Lidington.* [c] *Balfour.* [d] *le comte de Bothwel.* [e] *Gordon comte de Huntley, & le comte d'Argyle.* [f] *Murray, ſieur de Tillibardin.*

tot conjurationum adverſus ſe initarum non inſcius ſic ſe ſolabatur, ut diceret, cum vita ſibi aliquando finienda eſſet, honeſtius non poſſe eam deponere, quam in tranquillitate publica procuranda.

II. IGITUR, coventu [a] Glaſcuam indicto, dum Ordines conveniunt, regina arce in [b] Levino lacu ſita, in qua cuſtodiebatur, educitur, corruptis cuſtodibus a Georgio [c] Duglaſſio [d] Moravii proregis uterino fratre, amoeni ingenii adoleſcente, et qui per aetatem blanditiis facile captus, quamvis ex ſuſpicione inde proregis mandatu amotus, res omneis ad fugam neceſſarias paraverat. Cum vero prandentibus renuociatum eſſet, reginam navicula conſcenſa elapſam eſſe, fruſtra in arce tumultuatum eſt: ſcaphis enim omnibus in ſiccum extractis, ita foramina, in quae remi immittuntor, fuerant obturata, ut fugientem inſequendi facultas adempta ſit. Illa, mox ab equitibus in ulteriore ripa expectantibus accepta, ac per conſciorum domos deducta, poſtridie, qui erat v Non. Maii, Hamiltonium venit, VIII milliaribus a Glaſcua: [α] ubi, rogatis Roberti [e] Melvini et aliorum teſtimoniis et prolata ex conſilio Nic. [f] Throckmortoni Anglici legati facta proteſtatione, magno procerum ac nobilium qui aderant conſenſo, ceſſio a regina in carcere facta, tanquam metu, qui in conſtantiſſimum quemque cadere poſſit, extorta, nulla et irrita declarata eſt: eaque de re confectum publicum inſtrumentum reginae jurejurando firmatum. Quo facto, magna animorum ad novum caſum reoudatorum mutatio ſecuta eſt, pletiſque a prorege et regis pueri partibus deficientibus: inter quos Robertus [g] Bodius extitit, antiqua familia, ſed in tenui re natus; qui, magnam conſtantiae et induſtriae opinionem de ſe cum antea concitaſſet, mira levitate ſe ad reginam liberatam contulit, abducto ſecum Gileſpico Cambello Argatheliae comite: dariſque ad [h] Mortonium literis factum excuſavit, affirmans, ſe fortaſſe non minus partibus regis profuturum, quam ſi apud eos manſiſſet. Interea in concilio apud proregem acriter diſputatum, illic manendum, an, ubi rex eſſet, [i] Stetlinum migrandum. Et ita multi ſentiebant; quod, [k] Hamiltonio tam vicino, et inter crebras defectiones, Glaſcuae manere minus tutum videretur. Sed contra Moravius diſſerebat; omnia fere ab initiis pendere: diſceſſum fugae proximum non cariturum infamia: ſuſpicionem metus tum maxime vitandam, ne et hoſtibus animos augerent et ſuis imminuerent: eſſe in propinquo potenteis familias, quarum opibus tantiſper ſe ſuſtentare poſſint, donec longinquiora auxilia convenirent: quae ſententia vicit; commeante ultro citroque oratore Gallo, ut res ad concordiam reduceret.

III. JAMQUE amplius VI CIↃ et IↃ io armis regina habebat, cum vix IIII CIↃ plena apud proregem eſſent, et in dies numerus horum minuebatur, cum illorum creſceret, qui praeter Glaſcuam ducere, et, regina in arce [l] Britannoduni relicta, bellum ſuo arbitratu gerere vel ducere decreverant. Nec ſegniter prorex ſuos educit: cognitoque, reginam per ulteriorem fluminis ripam iter facere, pedites ſuos per pontem, equites per vada, aeſtu maris recedente, tranſmiſſos [m] Langoſidum vicum ad [n] Cartham flumen in radicibus collis ſitum petere jubet. [β] Collis ſumma feſtinatione occupatus, Argathelio propter morbum repentinum tardius incedente, quanquam breviore via eodem properaret. Ubi igitur agmen regioae vidit Moravianos locum, quem petebant, inſediſſe, altero colle ex adverſo ſe leniter attollente occupato, copias in duas acies dividit: quarum in prima praecipuum robur locavit, ut, ſi oppoſitam aciem impuliſſet, ceteros fuga conſternatos ſine certamine funderet. Prorex et ſuos in duas acies diſtribuerat: in dextra erant Jacobus Duglaſſius Mortonius, Robertus [o] Semplius, Alexander Humius et Patricius Lindeſius, cum ſuis quiſque clientibus:

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de reginae ceſſione irrita declarata uſque ad* Quo facto, magna *deſunt* D. f. o. d. [β] eum collem prorex ſumma feſtinatione occupat D. f.

INTERPR. [a] *Glaſgow.* [b] *Lough-Levin.* [c] *Douglaſs.* [d] *le comte de Murray.* [e] *Melvil.* [f] *Throckmorton.* [g] *le lord Boyd.* [h] *le comte de Morton.* [i] *Sterling.* [k] *Hamilton.* [l] *Dunbritton.* [m] *Langſide.* [n] *Carthe.* [o] *les lords Semple, Hume, & Lindſay.*

clientibus: ſiniſtram ducebant Jo. [a] Marriae, Alexander Glencarniae, Willelmus Taichiae comites: ſcloppetarii vicum ſubjectum et hortulos juxta viam publicam tenebant. Pulſi initio a regiis reginae tormentarii, et viciſſim regius equitatus dimidio inferior loco ceſſit. Illi ſuo proelio defuncti, ut etiam peditum ordines turbarent, cum in collem aciem erigere conarentur, a ſagittariis regiis et parte equitum, qui ſe ad ſuos ex fuga contraxerant, rejecti, retro abierunt: interea ſiniſtro cornu per viam publicam, qua clivus in vallem miti jugo deſcendebat, progrediente, quanquam ipſi a ſcloppetariis infeſtarentur, tamen ex anguſtiis egreſſi aciem explicant: atque ibi duae phalanges denſo fariſſarum utrinque objecto vallo ad horae circiter dimidiae ſpatium, neutra parte inclinante, obnixae tanta pertinacia certavere, ut, quibus haſtae praelongae fractae erant, pugiones, lapides, lancearum fragmina, et quidquid ad manum erat, in adverſa hoſtium ora jacerent. Et in extremis quidem proregis exercitus ordinibus multi, metu incertum an alia de cauſa, fugiebant; et, niſi denſitas ordinum interjecta, quo minus fugae ſenſus ad primos perveniret, obſtitiſſet, procul dubio alios ſecum in fugam vertiſſent. Sed, ſecunda acie proelium reſtituente, et ſe cum prima conjungente, eorum impetum, qui ex adverſo erant, non tulere; ſed retro, velut ruina impulſi, fugam fecere. A caede tamen temperatum, jubente prorege; ſive id humanitate factum, ſive quod metueret, ne inſequendo ordines ſolverentur; et, ſi qui ex adverſariis adhuc integros ordines ſervarent, in palanteis ac ſolutos invecti partam victoriam victori eriperent. Caeſi circiter CCC: plures capti. Regina, quae haud longe ſpectatrix aderat, abjecta omni ſpe, in Angliam tendit, [α] emenſa eo die LX fere milliarium iter: et poſtea nocturnis itineribus ad [b] Herifii reguli aedeis divertit; miſſo ſtatim inde Jo. [c] Betonio ad Eliſabetham, qui de rerum ſuarum ſtatu eam edoceret, et ſe ac omnia ſua ipſius fidei ac tutelae committeret. Ita major numerus, dum minorem contemnit, ſuperatus eſt; egregio militaribus viris exemplo, ut hoſtem revereri diſcant, ne fortunae favorem per nimiam ſecuritatem atque adeo inſolentiam corruptum amittant. Id actum III Eid. Maii. Poſtridie prorex in [d] Glottianam vallem progreſſus [e] Hamiltonium et Draffanum arces recipit omnium rerum vacuas. Mox indicti [f] [β] Edimburgum conventus: ad quos impediendos [g] Argathelius cum IↃC fere propinquis ac clientibus [h] Glaſcuam, et [i] Huntilaeus cum CIↃ peditibus [k] Perthum uſque proceſſit, ſparſo etiam rumore, Sebaſtianum [l] Lucemburgicum Martigium cum auxiliaribus Gallis, ut olim, propediem in Scotiam trajecturum. [γ] Maria, ubi ex pavore animos paulum collegit, prius quam Betonius rediret, pleriſque ex amicis diſſuadentibus, navigiolum conſcendit, aſſumptis viae comitibus hoſpite ſuo Heriſio et [m] Flemingo; et ad [n] Wirkintonam in Cumberlandia juxta [o] Derwentionis fluvii oſtium XV Kal. Junias appulit: eodemque die literas Gallice propria manu ſcriptas ad Eliſabetham dedit; quibus, repetita ab initio de rebellium contra ſe molitionibus querela, narrabat, quomodo per vim regno cedere coacta, Deo duce, e carcere evaſerit, et, dum [p] Britannodunum tenderet, adverſo cum rebellibus proelio conflixerit, atque inde ad Heriſium [1] Angliae regulum ſe contulerit: poſtremo petebat, ad eam ſibi aditus quamprimum pateret, ut, in cujus patrocinio ſummum ſemper praeſidium poſuerit, coram ipſa juſtas de calamitate ſua expoſtulationes expromere et reſtitutionis in regnum rationes inire poſſit.

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur 3 lineae uſque ad* Ita major numerus *deſunt* D. f. o. d. [β] Edimburgum a prorege conventus D. f. o. d. [γ] *Hinc uſque ad* Itaque ad proregem 30 *circiter lineae deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *J. Erskine comte de Marr, Alex. Cuningham comte de Glencairn, Gul. Graham comte de Menteith.* [b] *Maxwel, lord Harries.* [c] *Beton.* [d] *Clyddeſdale.* [e] *Hamilton & Draffin.* [f] *Edimbourg.* [g] *le comte d'Argyle.* [h] *Glaſgow.* [i] *le comte de Huntley.* [k] *Perth.* [l] *de Luxembourg, vicomte de Martigues.* [m] *le lord Fleming.* [n] *Wirkington en Cumberland.* [o] *Derwent.* [p] *Dunbritton.*

NOT. [1] Dele *Angliae*: Lege *Heriſium regulum et in Angliam ſe contulerit.* C.

CIƆIƆLXVIII

CAROLUS IX.

poſſit. Literis acceptis, Eliſabetha per Franciſcum [a] Knolles ſtatim reſpondit: quibus eam in calamitate ſua pro tempore ſolabatur, et operam ſuam in ejus reſtitutione procuranda pollicebatur: acceſſum ad ſe negavit; juſſitque, quo ab adverſae partis incurſionibus eſſet tutior, ut [b] Carleolum a [c] Loudero loci propraefecto deduceretur. Cum per [d] Heriſum nihilominus, ut ad colloquium admitteretur, enixius ſemper peteret, poſtremo, ubi non audita eſt, petiit, ut ſibi libere quo vellet diſcedere liceret, ne potius Carleoli quaſi in carcere contra fidem datam detineri, quam ad ipſam tanquam in tutiſſimum adflictae fortunae ſuae portum confugiſſe, videretur.

IV. INDE ſuſpiciones mutuae inter Anglam et Scotam ortae; dum haec non admitti injurioſum, illa admittere ſororem ac regni heredem, rebus nondum ſatis in Anglia pacatis, periculoſum, exiſtimat. Itaque, cum admitti non placeret, reliquum erat, ut honeſte dimitteretur: quod rurſus periculo minime cariturum apparebat; quippe, ob repulſam exaſperata Scota, metus erat, ne foemina perſuadendi efficax, jam poenitentia multorum ex ſuis ſubeunte, non ſolum Scotos ſed Anglos ob cauſam religionis nutanteis calamitate ſua involveret. * Cum igitur dimittere eam, quam fortuna in manus ſuas dediſſet, minime tutum duceret, retinere non niſi cum magna invidia poſſet, mediam viam inſtitit; qua nec communem principum cauſam in Scotae periculo neglexiſſe videretur, et interim fortunae, quae Scotae ſive occaſionem honeſte in Anglia manendi ſive neceſſitatem impoſuerat, oblato beneficio uteretur. [α] Itaque ad proregem dat literas; quibus petebat, ut conventus differrentur, nec judicium de adverſariis praecipitaretur, donec de re tota certior fieret: ſe enim reginae et vicinae et ſanguine proximae, graviſſimam ſibi injuriam factam querentis, periculum honeſte non poſſe negligere. Nihilominus conventus habiti: in quibus Gulielmi [e] Metellani adverſae parti haud dubie faventis ſententia tenuit, ut pauci ad ceterorum terrorem damnarentur, ſpes tamen clementiae aliis, ſi reſipiſcerent, oſtentaretur; frementibus pleriſque, qui ea re pertinaciam et potentiam aemulorum auctum iri providebant. Inde prorex in [f] Annandiam, Nithiam et inferiorem Gallovidiam profectus, cum omnia in poteſtatem redigeret, proceribus mulctatis aut in gratiam receptis, rurſus Eliſabethae literis a Waltero [g] Midlemoro allatis revocatur; praeter injuriam reginae cognatae factam, nomen regium contumelia affici, ac vileſcere ſacroſanctae majeſtatis auctoritatem, ſi ſeditioſorum hominum libidini exponeretur, querentis: hujus atrociſſimi facinoris ad omneis principes pertinere exemplum; cui, ne latius contagio reges pellendi proſerperet, mature obviam eundum eſſet. Proinde petebat, ut prorex idoneos homines ad ſe mitteret, qui rei, ut geſta erat, rationem exponerent, et ad ea, quae in ipſum ſeu crimina ſeu convicia jacerentur, reſponderent. Id etſi moleſtum ei erat, ac parum decorum videretur, apud exteros reges rationem rerum in Scotia geſtarum ac judicatarum reddere, tamen, cum vereretur, ne, cardinali Lotharingo in Gallia praepotente et vireis Gallicas reginae oſtentante, plerique ad ejus partes deficerent, et, ſi quidem Eliſabetham offenderet, nullas ſibi vireis ſupereſſe provideret, quibus tot difficultatibus reſiſti poſſet, tandem conditionem, quamvis iniquam, accepit. Igitur ad eam decreta ampliſſima legatio: et, cum ambigeretur qui mittendi eſſent, primoribus ſe excuſantibus, ipſe ſe iturum profeſſus eſt, aſſumptis comitibus Gulielmo Metellano, ſibi quidem ſuſpecto, ſed quem domi hoc incerto rerum ſtatu relinqui tutum minime exiſtimabat, Jacobo [h] Duglaſſio, Patricio [i] Lindeſio, e procerum numero; e ſacro ordine, Adamo [k] Orcadum epiſcopo et Roberto [l] Fermelinoduni abbate; ex judicum collegio, Jacobo [m] Macgillio et Henrico [n] Balnavio, et Georgio [o] Buchanano harum

VAR. LECT. [α] Eodem tempore Elizabetha Anglorum regina, inſtantibus adverſariis, ad proregem *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *le chevalier Fr. Knolles.* [b] *Carliſle.* [c] *Louder, Sous-gouverneur,* Anglice *deputy warden.* [d] *le lord Harries* ou *Herris.* [e] *Maitland de Lidington.* [f] *Annandale, Nithiſdale, & Galloway.* [g] *Middlemore.* [h] *Douglaſs, comte de Morton.* [i] *le lord Lindſay.* [k] *Orkney.* [l] *Dumfermling.* [m] *Mac-Gilly.* [n] *Balnaves.* [o] *Buchanan.*

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

harum rerum praecipuo ſcriptore. Cum his in viam ſe dat: et IIII Non. Oct. [a] Eboracum conventui deſtinatam urbem ingreditur: quo eodem die ac paene hora [b] Thomas [α] Howardus Norfolciae dux eodem venit, cum Th. [c] Ratcliffo Suſſexiae comite et Radulpho Sadlerio equite. Norfoleius jam tum, uxore ſub id tempus defuncta, cum regina Scotorum de matrimonio, ſed clam, agebat; Suſſexio hujus conſilii participe. Ibi et auditi reginae Scotorum legati, [β] Jo. [d] Leſlius epiſcopus Roſſenſis, Gul. [e] Levingſtonius, Rob. [f] Bodius, [g] Gawinus abbas Kilwinini, Joannes [h] Gordonius et Jacobus [i] Cocburnus, auxilia ab Anglis petentes, quae principem ſuam, invitis perduellibus, in regnum reducerent. Prorex autem cum quidquam niſi jure et a vetuſtis gentis inſtitutis factum negaret, et decreta Ordinum regni urgeret, Angli cognitores datis illis Scotorum decretis domi factis et tunc prolatis minime ſibi ſatisfieri aiebant; niſi et cauſae ederentur, quae proceres ad tam ſevere contra reginam pronunciandum impuliſſent. Prorex contra defugere; ne reginam et ſororem accuſare, ac flagitia ejus apud exteros non gravate audituros evulgare cogeretur: ad extremum id negare ſe facturum, niſi Eliſabetha repromitteret, ſi quidem perſpicue oſtenderetur, regem uxoris conſilio interemptum, ſe pueri regis cauſam, eo in tutelam veluti ſuſcepto, defenſuram. Sed, cum Angli eam ſe poteſtatem minime habere reſponderent, ſed ſe ad reginam ſcripturos reciperent, paulo poſt venere ab Eliſabetha literae, quibus petebat, ut Scoti regiae partis unum aut plures ad ſe mitterent. Igitur a prorege miſſus Gulielmus [k] Metellanus; cui, quod ſuſpectus eſſet et conſilia cum Norfolcio communicaret, non tam adjutor quam explorator, attributus [l] Macgillius juriſconſultus; qui ubi Londinum venere, cum per eos negotium ſatis commode non explicaretur, placuit, ut prorex ipſe praeſens adeſſet, et de rebus controverſis coram diſceptaret. Is ergo venit exiguo comitatu: et in colloquium ab Eliſabetha admiſſus cum eadem, qua Eboraci, conditione, nec aliter, ſe accuſationem contra reginam orſurum oſtenderet, accidit, ut interea in Scotia res turbarent, opera praecipue Jacobi [m] Balfurii, ſparſis rumoribus, quaſi prorex, ut Scotorum regnum Anglis ſubjiceret, arces munitiſſimas eis tradere et regem ipſum obſidem dare promiſiſſet. His anguſtiis prorex circumſeſſus, cum et domum ſibi ſine mora redeundum eſſet, ut bellum civile in ipſo ortu extingueret, et, ſi ab Eliſabetha cum offenſione diſcederet, id rebus, quas ſuſtinebat, incommodaturum videret, nec alterutrum vitare poſſet, niſi accuſationem apud Eliſabetham inſtitueret, tandem in concilio ejus, coram [γ] Norfolcio, [n] Arundeliae, Suſſexiae et Leiceſtriae comitibus, E. [o] Clintono maris praefecto, Gul. [p] Cecilio Burghleio, et Radulpho Sadlerio, proteſtatur, ſe non ſua ſponte ſed inimicorum importunitate coactum, ut ſuam reginam et eandem ſororem apud exteros reges immaniſſimi ſceleris accuſaret: id autem, non eam criminandi libidine, ſed ſui purgandi neceſſitate, ut faceret impulſum; invitumque facturum, ut ea detegeret, quae ſempiterna oblivione ſepulta cuperet. Quibus dictis, et rerum, uti geſtae erant, explicato ordine, proferuntur eorum, qui ſceleris in regem admiſſi erant conſcii, teſtimonia ante mortem expreſſa; Ordinum decreta, quibus plerique etiam ex iis, qui tunc reginam ſequebantur et apud Eliſabetham proregem criminabantur, quaſi ipſe caedi regiae participaſſet, ſubſcripſerant; ac tandem arcula illa argentea, de qua ſuperius diximus, allata eſt, quam a Franciſco priore marito acceptam regina [q] [δ] Bothuelio donaverat, in qua erant literae manu reginae Gallico ſermone ſcriptae ad Bothuelium, cum carminibus aliquot Gallicis

VAR. LECT. [α] Hauartus D. f. o. d. [β] *Nomina legatorum deſunt* D. f. o. d. [γ] *Conſiliariorum nomina deſunt* D. f. o. d. [δ] Botuelio *ubique* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *York.* [b] *Howard, duc de Norfolk.* [c] *Ratcliffe comte de Suſſex, & le chevalier Sadler.* [d] *Leſly, evêque de Roſs.* [e] *le lord Levingſton.* [f] *le lord Boyd* [g] *Gawin, abbé de Kilwinning.* [h] *Gordon.* [i] *Cockburn.* [k] *Maitland de Ledington.* [l] *Mac-Gilly.* [m] *Balfour.* [n] *les comtes d'Arundel, Suſſex, & Leiceſter.* [o] *le lord Clinton.* [p] *Cecil, depuis baron de Burghley.* [q] *le comte de Bothwel.*

CIↃIↃLXVIII
CAROLUS IX.

Gallicis foeminea elegantia [α] factis. Additum ab iis, qni res iſtas ſcripſere, prolatos matrimonii tres contractus: primum ante regis caedem ipſius reginae manu ſcriptum; quo, veluti ſyngrapha, Bothuelio ſpondebat, ſe ei, ubi primum ſui juris foret, nupturam: alterum ante divortium cum priore Bothuelii uxore, [a] Gordonii Huntilaci manu conſcriptum: tertium ſub tempus nnptiarum palam factum. [β] Contra literas et carmina reginae manu ſcripta, quia nec ſubſcriptiones aut notatio temporis appoſita erat, objiciebatur, fieri plerumque, ut principes pravo more penes ſe homines habeant, quorum aliena manu utaotur, tam ſelici ſcripturae imitatione, ut vera ab ementitis dignoſci nequeant; et [b] Lidingtonus ab epiſtolis paſſim inſuſurrabat, ſe ſaepius clam regina ſcripturam ipſius ementitum eſſe. His nihilominus indiciis etſi Eliſabetha fidem adjicere videbatur, tamen animo fluctuabat; cum inde aemulatio ac mutuum odium tum criminis magnitudo, inde ſortunae prioris non ſine aliqua commiſeratione recordatio, et, quod plus poterat, regii nominis amplitudo, et ſormido ne pellendorum regum libido ab eo exemplo in alia regna tranſiret, in mentem recurreret. Igitur, inſtantibus noſtris oratoribus, qui reginae regno exutae partes tuebantur, nam Hiſpanorum regis orator, etſi operam pollicitus, ab ea cauſa abſtinuit, Eliſabetha, eventum rerum opperiens, medio et ambiguo reſponſo ſententiam temperavit; et pronunciationem in aliud tempus diſtulit; [γ] interim, etiminum Mariae objectorum exemplo, praeter jam nominatos, [c] Northumbriae, Weſtmorlandiae, Salopiae, Wigorniae, Huntingdoniae et Warwici comitibus tradito, et ſilentio religioſe imperato, ne alterutri parti inde praejudicium fieret: copiamque proregi abeundi fecit. Sed, cum ille contra urgeret, ut, ſi accuſatores ſui quidquam haberent, id ante diſceſſum proferrent, nec abſentem calumniandi tempus captarent, accerſiti reginae Scotorum procuratores, et, ſi quid contra eum et comites ipſius haberent, edere jubentur. Quod cum ſine expreſſo reginae ſuae mandato [δ] et antequam ipſa audiretur ſe facturos negarent, tandem poſt multas tergiverſationes pudore victi ſinguli confeſſi ſunt, ſe nihil privatim ſcire, cur [d] Moravius aut ejus ſocii regiae caedis conſcii videreotur.

V. ITA dimiſſum concilium. Cumqne in eo prorex eſſet ut domum cum ſuis rediret, id quo minus facere poſſet, adventus Jacobi Hamiltonii [e] Caſtri-Eraldi ducis quondam proregis in cauſa fuit. Is rerum ſuarum pertaeſus, relicta patria, in Galliam ſeceſſerat: tunc vero a Lotharingis perſuaſus, cum de conventu Londinenſi intellexiſſet, aliqua ſumma exigua donatus, in Angliam venit, ut quaeſtionem de regni adminiſtratione Moravio moveret. Igitnr cauſa coram Eliſabetha agitata fuit magna contentione, cum Hamiltonius diceret, omnium paene gentium moribus ac legibus, et potiſſimum inſtituto patrio, locum hunc ſibi ut genere proximo et heredi deberi, idque annalium Scotorum adductis in medium exemplis confirmaret; a qua dignitate cum non legitimis ſuffragiis, ſed a rebellibus per vim ac ſummam injuriam, et, quod indignius ferat, per legitimi ſanguinis contemptum, notho in ejus locum aſſumpto, excluſus ſit, petere, ut is honos ſibi reſtituatur: ſic enim brevi fore, ut omnes motus domeſtici conquieſcant, et regina ſine vi aut armorum tumultu priſtinae dignitati reſtituatur. Contra regis legati diſputabant; et Hamiltonium rem non modo legibus et veterum inſtitutis repugnantem ſed etiam iniquiſſimam poſtulare, allatiſque in contrarium exemplis, regni gubernaculum, non genere proximis, ſed magis idoneis, et a conventu publico delectis delatum ſemper fuiſſe oſtendebant.

Injuſtam

VAR. LECT. [α] factis; quibus lectis, amoris ejus erga Bothuelum impotentia, conſilia, ratio caedis et poſt caedem raptus patuere. Prolati et matrimonii contractus tres: *MS. Samm.*

[β] *Quae ſequuntur de objectis contra literas 5 lineae uſque ad* His nihilominus *deſunt* D. f. o. d.

[γ] *Quae ſequuntur 3 lineae uſque ad* copiamque proregi *deſunt* D f. o. d.

[δ] et antequam ipſa audiretur *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Gordon, comte de Huntley.* [b] *Guil. Maitland, ſieur de Lidington.* [c] *les comtes de Northumberland, Weſtmorland, Shrewsbury, Worceſter, Huntingdon, & Warwick.* [d] *le comte de Murray.* [e] *Châtelleraut.*

Injuſtam vero eam eſſe periculo propoſito demonſtrabant: nam quid minus juſtum eſſe, quam aetatem innoxiam atque infirmam ejus fidei credere, qui pupilli ſibi commiſſi mortem ſemper aut expectet aut optet? qui, avaritiae facibus ad crudelitatem inflammatus, de pueri praeceptam regni ſpem remorantis ſucceſſione perpetuo cogitet? Quod externis etiam exemplis cum comprobaſſent, ſubjecerunt; id in eo multo magis metuendum, cujus familia, hujus regis proavi caede non contenta, avo etiam materno, quoad vixit, inſidiata eſt: paternum vero cum occidere non poſſet, inopem regno extruſit, patrem velut victimam mactandum produxit, matrem regnumque ejus, cum ipſi potiri non poſſent, peregrinis vendidit. Haec ad Gallici nominis invidiam addita erant; eoque Eliſabethae auribus plauſibiliora; quae ſtatim, his anditis, per concilium Hamiltonio denunciat, cum rem injuſtam petere, neque ullum a ſe ſperandum auxilium: ſe autem, a regis legatis rogatam, ne ipſum, in cujus praeſentia qui ſeditionem in Scotia meditabantur fiduciam ponebant, prius dimitteret, quam illi veniam abeundi accepiſſent, quod aequum peterent, promiſiſſe: proinde prohibere, ne ante id tempus diſcedere feſtinaret. Illud Eliſabethae reſponſum tanquam declarationem egregiae erga ſe voluntatis accipiens prorex, quo magis eam a reginae Scotiae partibus alienatam in ſuas partes pertraheret, literas, quibus illa ſe minus ab Angla digne, ac ſecus quam promiſiſſet, habitam conquerebatur, et auxiliorum aliunde ſuis ſpem faciebat, interceptas ad ipſam detulit. Iis Eliſabetha cum ſe fidei non ſervatae argui videret, et ineſſe alia, quae ſuſpicionem novarum rerum darent, eo ſibi diligentius in poſterum cavendum cenſuit, ne, dum alienas reſpicit, ipſa rerum ſuarum incolumitatem neglexiſſe videretur.

CIↃIↃLXVIII
Carolus IX.

VI. Prorex vero, petita ab ea venia, cum ſuis in Scotiam exeunte anno rediit: [α] quo eodem in Anglia [a] Colmanus, Burtonus, Hallinghamus, Benſonus et alii ejuſdem ſententiae, qui plus ceteris in religione ac puritate doctrinae ſinceri aut eſſe ſibi perſuadebant aut videri volebant, receptam in eccleſia Anglicana diſciplinam, liturgiam et epiſcoporum auctoritatem in quaeſtionem revocare coeperunt; cum parum illam a Romana in ſpeciem abeſſe dicerent, et omnes ejus ritus ad praeſcriptum Genevenſis eccleſiae conformari cuperent: qui, quanquam reginae juſſu mox in cuſtodiam dati ſunt, non paucos aſtipulatores habuerunt, epiſcopis quibuſdam ad ea conniventibus, et nobilium pleriſque, bonis eccleſiaſticis ex ea occaſione inhiantium, ac vulgi nova fere ſectantis in pontificios odio; ita ut Puritanorum his initiis nomen in inſula diu poſt pullulaverit, et nunc in Scotia obtineat, nec paucos in Anglia ſectatores habeat.

VII. Dum haec in Britannia geruntur, in proximo Belgio initio anni XIIII Kal. Febr. publico programmate Albani juſſu citantur Gulielmus [b] Naſſovius Arauſionis princeps et Antonius [c] Lalanius Hocſtrati comes: ille, quod, ſummis beneficiis et honoribus a Carolo V Caeſare ornatus, in collegium equitum velleris aurei cooptatus, conſiliarius ſtatus creatus, et praefectura Burgundiae comitatus, Hollandiae, Zelandiae et [d] Ultrajectenſis ditionis donatus, indignam gratiam Philippo filio, principi ſuo, retulerit, decoris ſui, ſacramenti ac fidei immemor, ſumma ingratitudine in regem conjutaverit; eo conſilio, ut illas regiones in poteſtatem redigeret; in Brabantiam excurſiones fecerit, populareis metu Inquiſitionis Hiſpanicae injecto ad defectionem ſolicitaverit, [e] Bruxellis et Bredae clandeſtina conciliabula habuerit; quod ejuſdem conſilio [f] Brederodius perduellium ſignifer [g] Vianam muniverit; [h] Anturpiam miſſus, ut motus ſedaret, plebem ad ſeditionem in Sectariorum gratiam commoverit;

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur* 10 *circiter lineae, uſque ad* Dum haec *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Coleman, Button, Hallingham, Benſon.* [b] *de Naſſau, prince d'Orange.* [c] *de Lallain, comte de Hoogſtrate.* [d] *d'Utrecht.* [e] *Bruxelles & Breda.* [f] *le ſieur de Brederode.* [g] *Vianen.* [h] *Anvers.*

commoverit: Hocſtratanus, quod eadem ingratitudine decotis ac fidei ſuae oblitus, quamvis tot honoribus a rege ſuo ornatus, perniciosis Arauſionenſis conſiliis participaverit, perduellium conatus adjuverit, invita et ignara Parmenſi edictum in feditioſorum favorem [a] Mechliniae publicari juſſerit, [b] Teneramondae cum conjuratis capita contulerit. Id inſtigatu [c] Boſii fiſci patroni actum. Citati [d] Ludovicus Naſſovius, Culemburgicus, Bergenſis, Brederodius, alii. Ad citationem poſtea Arauſionenſis et Hocſtratanus prolixo ſcripto reſponderunt [e] Dillemburgi VII Kal. Maii: et, dilutis accuſationum ſingulis capitibus, et malorum ac tumultuum cauſa in Inquiſitionem Hiſpanicam rejecta, id multis rationibus Hiſpanorum aſtu ac tyrannide agi demonſtrant, ut, patriae libertate religionis praetextu labefactata, privilegia, immunitates ac jura antiqua harum regionum aboleantur, et Belgae in miſerabilem ſervitutem abducantur. Tum multis verbis in novorum epiſcopotum creationem, concilii Tridentini promulgationem et cardinalis Granvellani ambitionem invehuntur: et poſtremo, nihil a ſe niſi libertatis ſervandae et quietis publicae conſtituendae cauſa factum, contendunt. [f] Albanus interim [g] Lovanium mittit, qui Philippum Gulielmum [h] Naſſovium comitem Buranum Arauſionenſis filium, literis in ea academia operam dantem, Antuerpiam adducerent: quem poſtea in Hiſpaniam miſit; ubi longo tempore in libera cuſtodia aſſervatus eſt: mox Bredanam arcem, quae Arauſionenſis ditionis eſt, valido Hiſpanorum praeſidio firmat.

VIII. Sub id tempus de Carolo Hiſpanorum principe in carcerem a patre conjecto affertur. De eo varii ſermones ſparſi, in id conſentientes, quod juvenis acer vehemens ac ſupra modum ambitioſus et imperii cupidus ſuſpicionem novarum rerum de ſe apud patrem ſuſpicacem excitaſſet. Voces certe ejus, quaſi Belgarum vicem miſerantis et ſeditionem excuſantis, ab emiſſariis exceptae et ad patrem perlatae fuerant: quas ſic pater accipiebat, quaſi filius fugam et profectionem ſecretam in [i] Belgium meditaretur. Odia praeterea manifeſta notaverat contra Albanum, [k] Rodericum Gomeſium Silvam et Joannem Auſtrium nothum, qui principem gratiae locum in aula tenebant. Induxerat et in animum inſidias ſibi a filio pararas; idque pluribus indiciis ſibi perſuaſerat. Nam et ſcloppetulos binos ſumma arte fabricatos caligis, quae ampliſſimae de more gentis in uſu ſunt, eum geſtare ſolitum reſciverat ex Ludovico [l] Foxio Pariſienſi, [m] Scutialis palatii ac monaſterii a ſe regia magnificentia extructi architecto, machinae item, qua aqua ex [n] Tago in ſuperiorem [o] Toleti partem attollitur, inventione nobili; qui et a Carolo rogatus fuerat, ut ſibi librum eo pondere fabricaret, cujus ictu hominem exanimare poſſet. Et ille quidem ita librum, XII tabellis e lapide cyaneo conſtantem, VI pollicum longitudine, IIII latitudine, chalybeis laminis et deſuper aureis contectum, compegerat, qui XIIII libras et amplius pendebat: quod et ſtatim patri renunciavit. Id vero, ut mihi retulit ipſe Foxius, qui poſtea apud nos in [p] Baionae portu excavando, et Phari in [q] Garumnae aeſtuario exſtructione, quam [r] Corduennam turrem vulgo vocant, induſtriam ſuam approbavit, ideo Carolus voluerat, quod in Hiſpaniae annalibus alicubi legiſſet, quendam epiſcopum, qui carcere attinebatur, laterem magnitudine breviarii precum corio contegendum curaſſe, cujus ictu cuſtodem appoſitum ſibi interfeciſſet, et vinculis ſe exemiſſet. Cum vero ſolus ſine ullo famulitio ſomnum capere ſolitus eſſet, machinam et ſibi per Foxium fabricari curaverat, qua per trochleas in lecto jacens januam cubiculi aperire et reſerare poſſet. Sic vero ſomnum inquieti animi princeps capiebat, ut ſub pulvillo duos gladios ſtrictos et totidem ſcloppetos ad diſplodendum paratos haberet; item in arca duos majores ſcloppetos pulvere et glandibus

INTERPR. [a] *Malines.* [b] *Dendermonde.* [c] *du Bois, avocat fiſcal de Malines.* [d] *le comte Ludovic de Naſſau, le comte de Culemburg, le comte de Berghe, & le ſieur de Brederode.* [e] *Dillemburg.* [f] *le duc d'Albe.* [g] *Louvain.* [h] *de Naſſau, comte de Buren, fils aîné du prince d'Orange.* [i] *Pays-bas.* [k] *Ruy Gomez de Silva, & don Juan d'Auſtriche.* [l] *de Foix.* [m] *Eſcurial.* [n] *le Tage.* [o] *Tolede.* [p] *Bayone.* [q] *la Garonne.* [r] *Tour de Cordouan.*

glandibus oneratos: quae arma eum merito patri ſuſpectum reddebant; ſed hactenus dolorem diſſimulatione texerat. Tandem pridie Natalis Chriſti Carolus, cum fidele colloquium cum ſacerdote haberet, confeſſus eſt, habere ſe in animo quendam hominem occidere: quo audito, cum ſacerdos delictorum gratiam impertiri recuſaret, et ille contra inſtaret, ſi fidelium menſae non participaret, ut ſibi, ſaltem ad publicam offenſionem vitandam, panis non conſecratus coram populo traderetur, ſacerdos pertinaciter et hoc recuſavit, remque protinus ad patrem, uti juſſus erat, detulit: qui ſtatim reſpondit, eum ſe hominem eſſe, quem filius peteret; ceterum ſibi conſulturum. Auditae et ex juvene crebrae voces, cum ex conclavi Eliſabethae reginae, cum qua familiareis ſermones habebat, egrederetur, quaſi ſibi a patre ereptam uxorem indignante. Quod propterea dicebat, quod ultima inter reges pacificatione, cum initio inter delegatos res agitaretur, antequam Maria Anglorum regina Philippi conjux deceſſiſſet, de Eliſabetha Carolo, Hiſpaniarum principi, Philippi filio, elocanda actum fuerat; ſed, mortua ſub id tempus Maria, conditiones mutavere, et Philippus Eliſabetham, quam filio uxorem deſtinabat, ſibi ſumpſit. His indiciis, nunciis, teſtimoniis in dies magis confirmatus imperioſus ac ſuſpicax pater, re prius cum ſacrae Inquiſitionis, uti vocant, officio communicata, qua inconſulta ille, ſive ſuperſtitione ſive religionis ſimulatione, nihil magni momenti tota fere vita geſſit, filii conatus antevertere et eum in poteſtatem redigere ſtatuit: quod cum interdiu et vi aperta fieri periculoſum et injurioſum ſimul viſum eſſet, quippe cum ferox juvenis homines ſui ſimileis circa ſe haberet, et ſcloppetos paratos occultare crederetur, id noctu tentari placuit, re ita compoſita. Foxius is, quem dixi, machinarum fabricator, trochleas, quibus oſtium cubiculi principis obſerabatur, ſufflaminare juſſus, id tanta arte perfecit, ut, cum ille e lecto peſſulum de more obdidiſſet, ita clauſum oſtium putaret, ut ſine vi ac fragore aperiri non poſſet. Sed adhuc hic metus ſuberat, ne ingreſſu patris excitatus princeps ſcloppetis et gladiis ſtrictis, quos ſub pulvillo habebat, et quibus ſcite admodum ſupra conditionem ſuam uti didicerat, rem gereret. Itaque comes Lermae profunda jam nocte primus ſummo ſilentio conclave ingredi jubetur, et ſcloppetos ac gladios ſub pulvillo latenteis clam ſubducere: quo facto, arcam, in qua quatuor majores ſcloppetos ſemper paratos aſſervabat, inſidet. Tum pater ſequitur: quem Rodericus Gomeſius Silva, Feriae dux, commendator major, et [a] Didacus Cordubenſis praecedebant. Nuſquam altiore ſomno miſer princeps obdormivit, ita ut, ad irrumpentium ſtrepitum minime excitatus, pulſante eum cubito Silva vix expergeſieri potuerit. Tandem, depulſo ſomno, ubi ſe captum et patrem adeſſe cognovit, ſe mortuum inclamans, etiam aſtanteis, ut ſe interficerent, lamentabili ejulatione rogavit. Cui Philippus, Atqui non ut te occidam, inquit, huc veni: ſed ut paterna caſtigatione ad meliorem frugem reducam. Statimque eum gravi oratione increpitum ſurgere jubet: amotoque omni aſſueto famulitio, cuſtodes ei apponit; qui veſtem lugubrem miſero circumponunt, addito nigro pileo, et, aulaeis ac lecto principali magnificentia ſtrato mox detractis, ex omni regia ſupellectile curulem grabatum cum culcita reliquum fecerunt. Ille, omni ope deſtitutus, ex deſperatione in furorem vertitur: et, cum a paucis cuſtodiretur, accenſo tunc luculento igne ob aſperam hyemem, in prunas ſe cernuum miſit; unde vix, ambuſta veſte et tunica linea interiore, nec illaeſo omnino corpore, a cuſtodibus retrahi potuit. Cum haec non ſucceſſiſſet, alia ſibi mortem via conſciſcere aggreditur. Biduo ſine potu exacto, tertio die tanta ſe frigida ingurgitavit, ut parum abfuerit quin medius rumperetur. Rurſus, fame per aliquot dierum inediam collecta, paſtillis carne coctu difficili fartis tam copioſe ventrem ſaburravit, ut paene ſit ſuffocatus. Haec, ut ex ore ipſius [b] Foxii accepi. Addit Petrus [c] Juſtinianus patritius

INTERPR. [a] *Diego de Cordoua.* [b] *de Foix.* [c] *Giuſtiniano.*

CIↃIↃLXVIII tius Venetus; adamante in os injecto Carolum ſtrangulare ſeſe conatum; ſed a cu-
CAROLUS IX. ſtodibus mature ſuccurrentibus impeditum fuiſſe. Igitur pater ubi vidit, ſic ingeoium filii eſſe, ut nec ratione aut caſtigatione ulla ſanari poſſet, re rurſus cum ſacrae Ioquiſitioois officio communicata, aequum judicavit, priuſquam ille ſibi ipſi deteſtando paricidio manus afferret, ei tanquam reo damnato vim a legitimo magiſtratu afferri: quod, ut regii nominis majeſtati conſuleretur, clam factum, propinato in juſculo veneno; quo ſumpto, paucis poſt horis, viribus linquentibus, defecit, cum XXIII annum attigiſſet. Ante mortem filii Philippus ad pontificem [a] literas dederat propria manu ſcriptas XII Kal. Febr. quibus, de ſuo erga ipſum obſequio multa praefatus, cum de filio in carcerem ob juſtas cauſas conjecto certiorem faciebat, et nihil, quod in aequo ac prudente patre ac principe merito deſiderari poſſet, omiſſurum ſe in hoc oegotio confirmabat. Quintili menſe mortuum eum, alii Octobri ſcripſerunt. Maturius credo: et ita ex Ludovico Foxio accepi: ſed aliquot menſeis famam rei ſuppreſſam, quae poſt partam ad [a] Gemingam ab Albano victoriam, de qua poſtea dicemus, tandem evulgata ſit. Dein, menſibus aliquot elapſis, Eliſabetha uxor, cum praegnans eſſet, et XXIII annum ageret, privignum ſecuta eſt, oon ſine ſuſpicione veoeni; rumore evulgato, virum, familiarem nimium ipſius cum filio conſuetudinem ſecus quam oportuit inrerpretatum eſſe: ingens tamen nec ſimulatus in aula totaque adeo Hiſpania luctus facile contrarium evicit, cum et rex dilectiſſimam ſibi conjugem ereptam, et populi firmiſſimum pacis vinculum morte reginae, quam propterea Irenem vocabant, ſolutum dolerent. Hoc inſolitae ſeveritatis et, ut multi addebant, immanitatis paternae exemplo cum late de ſe terrorem cunctis ſuae ditioois populis injecit Philippus, tum maxime Belgis; quippe apertae ſeditionis ſibi conſciis, nullamque veniae ſpem in eo collocantibus, qui proprio filio non pepercisset; quo oomioe magnopere laudatus eſt a Pio V. Itaque ad extrema conſilia proceres et obnoxii populi ex neceſſitate deſcendere; et eo magis, quod ab eodem ſacrae Inquiſitionis officio de cauſa ſua pari, qua in principem, ſeveritate pronunciatum inaudiverant.

IX. NEC vanus erat rumor. Nam XIIII Kal. Mart. [b] Madriti Inquiſitores ſuper ea re a Philippo ſententiam rogati reſponderuot ac ſtatuerunt, Omoeis et ſingulos Belgii populos et omneis harum regionum ordines, exceptis tantum iis qui io probatiooibus diſtincte notabantur, apoſtatas, Sectarios ac perduelleis eſſe: nec eos ſolum, qui aperte a Deo et ſacra eccleſia et regis obedientia defeciſſent; ſed etiam eos, qui ſe Catholicos ſimulantes officio ſuo io reprimendis Sectariorum ac ſedirioſorum cooatibus, quod initio facillimum fuiſſet, praepoſtera prudentia defuiſſent: praeterea nobileis etiam illos, qui ſubditorum nomine libellos ſupplices et expoſtulationes adverſus ſacram Inquiſitionem porrexiſſeot et publicaſſent, eaque re ſubdole apoſtatas, Sectarios ac perduelleis ad ſeditionem inſtigaſſent, cunctos Divinae et humanae majeſtatis laeſae crimen incurriſſe. Secundum haec, Philippus [a] III Kal. Mart. mandata ad Albanum mittit; quibus jubebatur juxta Inquiſitorium decretum, ut quaeſtiones de defectoribus, Sectariis ac perduellibus rigore et ordine praeſcripto haberentur. Itaque in ſanguinario illo, ſicuti vulgo vocabatur, coocilio propoſiti articuli, juxta quos delegati judices, ne in poſterum in ſententiis dicendis fluctuarent aut variarent, de poenis ſtatuere jubebantur. Ii cum omneis etiam innocentiſſimos amplecterentur, nec eſſet qui a tam generalis decreti ſanctione ſe eximere poſſet, immane quam proceres et diriſſimi quique, qui ſe peti arbitrabantur, animo commoti ſunt, cum viderent etiam in ruſticos et agreſteis eandem ſeveritatem deſaevire edictis furialibus; per urbem mulctis, exiliis ac ſuppliciis graſſari contra praeſenteis, abſentium

INTERPR. [a] *Gemmingen.* [b] *Madrid.*

NOT. [a] Editae ſunt a G. Hieron. Catena in vita pontificis Pii quinti. *Put. L.*

[a] Meteren met le 26 *de Fevrier.*

tium bona proſcribi ac publicati. Qua re irritati quidam, facta manu, in ſacerdotes ac monachos rabie inaudita per Flandriam occidentalem ſaeviebant; et ubicunque repertos ſpoliabant, naribus auribuſque ad ludibrium truncatis. CIƆIƆLXVIII CAROLUS IX.

X. INTEREA Margarita [a] Parmenſis, quae in provincia ſalva dignitate manere amplius non poſſet, tranſlata in hominem ſuperbum, et qui acta ſua apud Philippum perpetuo criminabatur, omni ſuprema poteſtate, petita a fratre venia, in Italiam ſecedere decrevit. Jam ante extremo anno ſuperiore publicato ſcripto teſtata fuerat, ſe, quoniam in publico Ordinum conventu, quo ante novennium harum regionum gubernacula [b] Gandavi ſuſceperat, propter turbas ea deponere non poſſet, ideo per literas iis valedicere; orans et obteſtans, ut in majorum religione, principis obedientia conſtanter perſeverarent, et operam ſuam ac ſolicitudinem in publica adminiſtratione poſitam boni conſulerent: ea effectum eſſe, ut ante exitum Aprilis nuper elapſi provinciae cunctae et urbes ad obedientiam regi debitam redactae eſſent, praeſidiis locis idoneis diſpoſitis, ita ut nihil aliud ſupereſſet, niſi ut in ſonteis animadverteretur, et rebus, prout regi commodum optimumque viſum eſſet, publica quies conſtitueretur. Quod in invidiam Albani additum, ut oſtenderet, etiam ante ejus adventum, publicae tranquillitati ab ipſa mature proſpectum fuiſſe. Setius tamen e Belgio diſceſſit, dum literas ex Hiſpania a fratre expectat: quibus tandem acceptis omni benevolentiae ſignificatione plenis, quales eſſe ſolent, cum alicui poſt abrogatam dignitatem gratiae aguntur, IIII Eid. April. [c] Bruxellis diſcedit, proſequente eam ad breve ſpatium Albano: et per [d] Namurcenſem agrum, Hannoniam et Lucemburgicum principatum itinere facto, inde per Germaniam in Italiam ad Octavium maritum contendit, jucundiſſima ac laudatiſſima nominis ſui memoria apud Belgas relicta.

XI. INTEREA [e] Arauſionenſis in Germania delectus habebat, tribus partibus in Belgium Maio ineunte impetum facturus, per limitem Geldrenſem et Friſiam, per [f] Moſae-Trajectum et limitem noſtrum; ad id auxiliaribus Germanis, qui Condaeo militaverant, et pace apud nos facta in domum revertebantur, uſurus. Delectus et in [g] Eburonibus a foederatis habebantur. Et, cum jam pax apud nos facta eſſet, Albanus, cognito per Hiſpanum oratorem, qui Lutetiae erat, Germanos, qui Condaeo militaverant, in Belgium deſcendere decreviſſe, Hiſpanas et Italas copias ad limitem verſus Eburones procedere jubet: nec non et [h] Hiergium Barlemontii comitis filium mittit cum II Belgarum CIƆ, inſuper mandato dato, ut Itali nuper dimiſſi, qui ſub rege ſtipendia fecerant, Philippi auſpiciis conducerentur. Eodem tempore conjuratio, inita ad Albanum aut intercipiendum aut occidendum, detecta eſt; cujus princeps erat [i] Riſoirus, qui X ſigna Bruxellis praeſidio impoſita trucidanda ſuſceperat. Ad [k] Groenendalenſe item monaſterium in nemore Sinio religionis cauſa profecturo Albano ſtructae inſidiae ab eodem Riſoiro et fratre ejus [l] Carloio ex Noota familia; qui die condicta IƆC amplius equites circa ſe in armis haud procul ab [m] Ohaimi fano habebant, Bruxellis vero IƆ circiter delectos pedites; et Carloius quidem monaſtico cilicio indutus in coenobio latebat, Albani metu, uti jactabat. Sed, re a [n] Likio detecta et ad Albanum delata, vix tamen ille ex itinere, cui jam ſe accinxerat, revocari potuit. Captus tandem unus ex conjuratis, tormentis ſubjectus, et compoſitum rei ordinem confeſſus, irrito ſociorum conatu, diro ſupplicio affectus eſt. Cum vero intellexiſſet Albanus ultra [o] Moſam jam numeroſas a foederatis copias conſcribi, occupandum ratus, antequam illae conveniſſent, [p] Sanctium Lodonium

INTERPR. [a] *la ducheſſe de Parme.* [b] *Gand.* [c] *Bruxelles.* [d] *le comté de Namur, le Hainaut, & le duché de Luxembourg.* [e] *le prince d'Orange.* [f] *Maeſtricht.* [g] *Liege.* [h] *le ſieur de Hierges.* [i] *le ſieur de Riſoyre.* [k] *Cloiſtre de Groenendalen au bois de Soenien ou Soignies.* [l] *le ſieur de Carloo de la maiſon de Vander Noot.* [m] *la maiſon d'Obeyn.* [n] *le ſieur de Likes.* [o] *la Meuſe.* [p] *Sancho de Londono.*

CIϽIϽLXVIII
CAROLUS IX.

nium cum v ſignis legionis ſuae, quibus praeerat Franciſcus [a] Valdeſius, Didacus Carvajalis, Antonius Moxica et Fr. Varga, [b] Namurcum praemittit, dato negotio Ferdinando priori notho filio, ut [c] Lupum Acuneam cum equitatu, qui in [d] Nerviis erat, ſubſequi juberet. Juſſi et [e] Sanctius Avila ſtipatorum Albani praefectus et Nicolaus Baſta Epirotarum equitum dux et Petrus [f] Montanus ſcloppetariorum equitum item dux cum Lodonio ſe conjungere; qui a via ſuſcepta deflectentes, ſic mandante Albano, [g] Trajectum verſus iter habuerunt: ubi, refecto ex viae labore milite, et aſſumptis quatuor Germanorum ſignis ex legione [h] [α] Eberſteinii comitis, [i] Ruremondam verſus ducunt, inter [k] Ruram et Moſam in limite [l] Geldrenſi et Clivenſi firmum ſitu oppidum, quod foederati paulo ante fruſtra tentaverant, aſtu primum, dein et vi aperta. Sed, propinquante Lodonio, illi, direpto ſuburbio et imaginibus templi deſtructis, retro pedem tulerunt, ponte ligneo Rurae incenſo, et per [m] Waſemburgum itinere facto [n] Herclenum in Clivenſi principatu, ſed Geldrenſis ditionis arcem, tendunt: quos cum equitatu Avila inter Herclenum et [o] Dallemum adſecutus, monet Lodonium, ut cum peditatu propere ſubſequatur. Heic foederati conſiſtere coacti aciem inſtruunt; et, cum Avilae impetum aegre ſuſtinerent, retro cedente peditatu, non ſine gravi jactura Dallemum ſe receperunt. II ſigna amiſſa eo die; VII ſervata, quae oppido vicino ſe muniverant, propugnaculo et foſſa occupatis, ibique impedimentis in ponte diſpoſitis: ſed cum mox ſuperveniſſet Lodonius cum peditatu, impetu facto propugnaculum capitur, et in eo reperti fere omnes trucidantur. In conflictu VII ſigna capta. Occiſi ex foederatis amplius CIϽ; ex Hiſpanis non plus quam XX, ut ipſi ſcribunt: graviter vulneratus Franciſcus Varga, qui egregiam operam in eo proelio navavit. Id actum VII Kal. Maias. Capti Bruxellas mox ducti et ſupplicio affecti. Ita Ruremondae in poteſtatem redigendae ſpe deturbatis foederatis, Lodonius oppidum cum V ſignis ingreditur, ductis ſecum aliquot captivis, quos laqueo ſuſpendi juſſit: inde peſte graſſante digredi coactus, [p] Venloae et Graviae militem diſtribuit, et circumpoſitis locis alia V, quae nuper [q] Tornaco et Vilvorda venerant, ſigna imponit, et paulo poſt cum totis X ſignis Moſae-Trajectum petit. Cum vero allatum eſſet, in Geldria novas copias rurſus ad [r] Buxemeram arcem coire, Albanus comitem [s] Megenſem provinciae praeſidem cum delectis aliquot eo ducere jubet, attributo ei Andrea [ſ] Salazario Panhormitanae arcis in Sicilia praefecto. Juſſus et Conſalvus [t] Bracamontius cum VIII ſignis legionis ſuae, quae [u] Silvam-ducis tenebant, et reliquis, quae [v] Aldenardae erant, cum Megenſi ſe conjungere. Datum et negotium a Ferdinando priore Caeſari [w] Avalo [x] Piſcariae marchionis fratri equitum ductori, ut cum III equitum turmis, [y] Roderici Lupi Avali, Curtii Martinengi et ſua Graviam peteret, et cum Megenſi vireis ſociaret: quo cum veniſſet Megenſis, reperit foederatos, Buxemera relicta, Graviam in Geldriae et Clivenſis principatus confinio ad Moſam navigiis diſpoſitis petiiſſe, et oppidum cum duabus arcibus occupaſſe. Itaque mandat Bracamontio, ut cum ſuis, [z] Moſa et Wahali, quod eſt Rheni brachium, tranſmiſſis, ad ſe ad Graviam obſidendam contendat, et ab ea parte, quae Brabantiam reſpicit, hoſpitium ſibi ſumat. [aa] [β] Neomago adducta tormenta. Ipſe Megenſis cum equitatu adverſa in parte conſedit. Verum ſuperveniente Caeſare Avalo territi praeſidiarii huc illuc, relicta Gravia, diverſi turmatim abeunt. Oppido juſſu Albani impoſitum ſignum ex legione Bracamontii: reliqua per vicina loca diſtribuuntur. Caeſar Avalus cum equitatu Sylvam-ducis remiſſus eſt.

XII. CONVENERANT

VAR. LECT. [α] Hebreſteinii *D. f. o. d.* [β] Arva et Neomago *D. f. o.*

INTERPR. [a] *F. de Valdes, Diego de Carvajal, A. Muxica, & F. de Vargas.* [b] *Namur.* [c] *Lope d'Acuna.* [d] *ceux de Tournay.* [e] *Sancho d'Avila.* [f] *del Monte.* Mendoça met *Montanes.* [g] *Maeſtricht.* [h] *d'Eberſtein.* [i] *Ruremonde.* [k] *le Roer.* [l] *de Gueldres & de Cleves.* [m] *Waſſemberg.* [n] *Erkelens.* [o] *Dalem.* [p] *Venlo & Grave.* [q] *Tournay & Vilvorde.* [r] *Boxtmer.* [s] *le comte de Meghem.* [ſ] *de Salazar, Caſtellan de Palerme.* [t] *de Bracamonte.* [u] *Bois-le-duc.* [v] *Oudenarde.* [w] *d'Avalos.* [x] *Peſcara.* [y] *Ruy Lopez d'Avalos, & le comte Curtio Martinengo.* [z] *la Meuſe & le Wahal.* [aa] *Nimegue.*

XII. Convenerant et in limite haud omnino occulto Condaei mandatu CIↃIↃLXVIII
[a] Cocavilla, Valens et Amandus, e [b] Neuſtria vicina ſtrenui duces; qui, collecto in CAROLUS IX.
[c] Atrebatibus, Flandria et ex propinqua Anglia milite, excurſiones in [d] Arauſionenſis gratiam per Belgium faciebant: quibus irritatus Albanus per Philippi oratorem apud regem expoſtulat. Rex vero confeſtim ad Condaeum ſcribit, jam pace facta; ſcitaturque, an Cocavilla, qui ipſi nuper militaverat, haec ſuo juſſu faciat. Quod cum negaret Condaeus, nec ſua referre quid ille ageret, rex Arturo [e] Coſſaeo equitum tribuno negotium dat, ut aſſumptis Picardiae praeſidiis errones lattocinia publica exercenteis perſequatur. Is ergo, Cocavillam ad [f] Valerici fanum in [g] Somonae aeſtuario adſecutus, intra oppidum cum IↃC peditibus et CC equitibus compellit, et locum corona cingit: mox admotis tormentis quaſſato muro, dum Cocavilla et Amandus ruinam munire ſatagunt, diverſa parte Coſſaeani a nonnullis certa lege intromittuntur: Cocavilla in domum vicinam ſe recipit, ubi cum Amando et Valente captus eſt, haud magna ſuorum caede facta. Belgae omnes caeſi: Galli a Coſſaeo ſervati. Captivi duces Lutetiam Pariſiorum ſub cuſtodia miſſi, et tanquam emanſores extremo ſupplicio affecti ſunt. Dum haec agerentur, multa Albano adverſa ac moleſta acciderunt. Nam ſeptemvir Palatinus, cognito, commercii liberi ſpecie magnam monetae vetitae ſummam ab inſtitoribus Italis per Germaniam ſecundo Rheno exportari, [h] Manhemii, qui locus eſt vectigali exigendo deſtinatus, navigium per ſuos XII Kal. Mart. inhibet, et omneis merces in illud impoſitas pecuniam item [i] Heidelbergam transferri curat; ubi et ejus deſcriptio facta eſt, quae, ut Hiſpani publicavere, CL ducatorum CIↃ numerum efficiebat. Ea de re querimonia mox ab Albano Philippi nomine facta: ſed, cum Joannes et Joannes-Antonius [k] Grimaldi eam ſibi reſtitui peterent, et Chriſtophorus [l] Centurio, Luciani fratris nomine et Auguſtini [m] Spinulae ac Thomae [n] Fliſci, omnes Genuenſes, cum commendatitiis literis Emmanuelis Sabaudiae ducis eadem repoſcerent, Palatinus contra Imperii decretum anno hujus ſaeculi LIX de moneta non exportanda promulgatum urgebat, et poenam defraudati vectigalis commiſſam arguebat, dimiſſis cum rei, uti geſta erat, teſtimonio publico mercatoribus ac nautis. Tandem poſt longas contentiones Genuenſes neceſſitate coacti, interventu Albani, preces et interdum precibus minas addentis, cum ſeptemviro ſic tranſegerunt, ut ſe culpa minime caruiſſe oſtenderent.

XIII. Sed longe gravior fuit in Friſia accepta clades. Nam [o] Ludovicus Naſſovius, collectis ad VII CIↃ militum et equitibus aliquot, in Friſiam deſcenderat, ſumptis, ut aiebat, armis pro patriae ac conſcientiarum libertate, quod et inſcriptione vexillorum ſignificabat, in quibus erat, AUT RECIPERARE AUT MORI: et, eam provinciam pervagatus, [p] Wedam [q] Arembergii comitis arcem, quae aditum praebet ex orientali Friſia in [r] Groeningenſem agrum invadentibus, corona cinxerat, et [s] [a] Delfezielae pago haud longe hinc loco portu commodo infra [ſ] Amaſi fluvii oſtium muniendo diligenter incumbebat, occupato etiam [t] Damo, quod Groeninga et pago illo aequali ſpatio fere diſtat. Quo cognito, Albanus Arembergio Friſiae praeſidi nuper e Gallia, quo ſuperiore anno cum auxiliaribus copiis profectus fuerat, reverſo negotium dat, ut cum V legionis ſuae ſignis eo duceret, et Naſſovium diſſipatum tota provincia pelleret: itidem [u] Bracamontio mandat, ut cum X [y] Sardoae legionis cui praeerat ſignis, et Megenſi, ut cum IIII Germanorum ſignis et III levis armaturae alis, quae ad Sylvam-ducis erant, ſe cum Arembergio conjungeret. Cum iis ille et VI minoribus tormentis Groeninga ad Naſſovium, antequam numeroſiores copias collegiſſet, inſequendum exit;

VAR. LECT. [a] Delfico *D. f.*

INTERPR. [a] *le ſieur de Cocqueville, & les capitaines Vaillant & St. Amand.* [b] *Normandie.* [c] *Artois.* [d] *le prince d'Orange.* [e] *le mareſchal de Coſſé.* [f] *St. Valery.* [g] *la Somme.* [h] *Manheim.* [i] *Heidelberg.* [k] *Grimaldo.* [l] *Centurione.* [m] *Spinola.* [n] *dal Fieſco.* [o] *le comte Ludovic de Naſſau.* [p] *Wedde.* [q] *le comte d'Arembergbe.* [r] *pays de Groningue.* [s] *Delfzeel.* [ſ] *Ems r.* [t] *Dam.* [u] *de Bracamonte.* [y] *regiment de Sardaigne.*

CIↃIↃLXVIII
CAROLUS IX.

exit; et Damum verſus iter tendit, quo foederati convenerant. Ibi, praemiſſo Hiſpano peditatu, levibus proeliis initio certatum, deteriore Naſſoviorum conditione; qui tandem locum, omni ex parte moenibus nudatum, quod non ſatis temporis ad illum, licet poſitu firmum, muniendum ſuppeteret, deſerunt, et tribus ab oppido leucis caſtra ponunt, in Praemonſtratenſis Ordinis coenobio; quod a ſitu [a] Helligerſium vocatur, in [b] Gemingenſi territorio, quia, paludibus circumfuſis inacceſſibile cum eſſet, opus fuerit terra arida e longinquo petita tumulum excitare, in quo coenobium illud tanquam in ſolida fundaretur. In eo tumulo lucus porrigitur, in quo foederati conſederant: eo illos quaſi fugienteis inſecutus Arembergius eodem, quo ad Damum velitaria pugna certatum fuerat, die, ſive certae victoriae ſpe ſive privata injuria ſtimulatus, quod [c] Wedam arcem ſuam nuper occupatam ac miſere direptam doleret, quam primum cum iis confligere ſtatuit, non expectato [d] Megenſi, qui maximis quantum poterat itineribus ad eum contendebat. Itaque x Kal. Jun. et poſtridie quam feliciter cum hoſte pugnaverat, Helligerſium verſus ducit, ubi [e] Naſſovius caſtra muniverat; qui Arembergii adventu cognito, ſtatim aciem inſtruit, et ante lucum, cui palus uliginoſa ſuberat, agmen quadratum ſtatim inſtruit, et ad laevam in dorſo clivi, qui tumulum claudit, alterum, quod III CIↃ circiter ſclopperariorum conſtabat, ad dextram equitatus conſtiterat, diſpoſitis ante aciem in imo colle volonibus. Ita inſeſſis aditibus, reſtabat iter anguſtum juxta lucum per collem inter paludes porrectum, quo ad coenobium adibatur. Poſtquam eo venit Arembergius, tormenta mox advehi imperat, juſſis gradum accelerare Hiſpanis, ut cum volonibus congrederentur. Sed intercedebat collis, quo defenſi foederati tormentorum diſploſione minus infeſtabantur. Itaque promota tormenta; et, dum transferuntur, cum hoſtis ſenſim pedem referre videretur, Arembergius eum fugam meditari ratus, cum CCC Curtii [α] Martinengi equitibus, neque enim, abſente adhuc Megenſi, plures circa ſe habebat, ardentius progreditur, et in paludes imprudenter praecipitat. Totum illud ſolum terra levi et friabili conſtat, qua excavata et in particulas ſecta pro ligno in domibus ad alendum ignem vulgo populares utuntur: quibus vero locis excavatur, aqua reſtagnat; ſed ſuccreſcente herba ſolidum extrorſum ſolum apparet, ut qui illac iter faciunt, niſi locorum gnaros duces habeant, prius in lutoſas voragines inextricabili lapſu impingunt, quam periculum agnoſcere queant: quo magis mirum pleriſque viſum eſt, cur Arembergius, qui naturam locorum perſpectam haberet, tam pernicioſo errore ſe ſuoſque perditum ierit. Cui tamen cauſam dediſſe conſtans fama eſt, importuna murmura et malevolos Hiſpanorum rumores; qui, cum Arembergium initio cunctabundum viderent, quaſi tergiverſantem et tempus Naſſoviis evadendi largientem palam increpabant: qua re effectum ſit, ut vir generoſus, qui fidem ſuam in dubium revocari non patienter ferret, ſpreto periculo, imprudenter in foederatos cum certa pernicie inveheretur. Dum igitur ſolutis ordinibus Hiſpani vim faciunt, et, hoſte contempto, quod ſemper contemptoribus exitioſum fuit, cum priore agmine confligunt, in paludes praecipitavere: quibus sariſſophori plerique abſorpti dum ſe extricare moliuntur, poſterius foederatorum agmen retro per collem diſpoſitum flexuoſo itinere in latus regiorum incumbit: quorum tamen impetum diu ſumma virtute ſuſtinuit Arembergius contra hoſtilem equitatum fortiter pugnans, occiſo ſua manu, ut ſcripſere Hiſpani, Adolpho Naſſovio Arauſionenſis fratre juniore; quanquam alii glande tormentaria ictum cecidiſſe memorant: verum ipſe, ſuffoſſo equo, cum mox alio inſcenſo rurſus certamen reſtitueret, a circumfuſo hoſte obrutus, tandem poſt obſtinatum certamen ab Antonio [f] Soetio Honteinio, dum fratrem Hieroſolymitanum equitem ante oculos

VAR. LECT. [α] Martineſii *D. f. o.*

INTERPR. [a] *cloiſtre de Heylygherlee.* [b] *de Gemmingen.* [c] *Wedde.* [d] *le comte de Meghem.* [e] *le comte Ludovic de Naſſau.* [f] *de Soete, ſieur de Hontom.* Meteren l'appelle *de Haultain.*

oculos occiſum ultum it, interſectus eſt. Perierunt cum eo ex Hiſpanis magni nominis Alvarus [a] Oſorius, Joannes Pereſius a Soto et Petrus Caprarius, VII item ordinum ductores: deſiderati amplius IƆ Hiſpani: amiſſa et VI tormenta cum omni apparatu bellico, et impedimenta. Germani pedites, quod illis ſolemne eſt, cum ſe undique circumſeſſos viderent, ultro armis deditis deditionem fecere, fide data, Philippo intra ſex menſeis non militaturos. Eodem hoc ipſo loco ante XXXII annos ex occaſione a Georgio [b] Schenkio feliciter pugnatum fuiſſe ex annalium fide conſtat. Cum enim is [c] Damum obſideret, de auxiliorum adventu certior factus per duas oppidi mulieres, quae ipſius forma captae de periculo ejus ſolicitae erant, hoc aſtu uſus dicitur. Tentoria et reliquum caſtrorum apparatum ante oppidum reliquit; et, excitatis paſſim ignibus, quaſi adhuc in caſtris eſſet, ſine ſtrepitu, qui quidem ab obſeſſis ſentiri poſſet, ſe ad [d] Helligerſium recepit: ubi, inſeſſis aditibus, inter quos auxiliaribus incedendum erat, venienteis nec opinato aggreſſus in paludes impulit, et egregiam de hoſte victoriam reportavit: quo facto, ad obſidionem reverſus eſt: quod ubi obſeſſi cognovere, omni ſpe auxilii deſtituti deditionem fecere, et ita Damum in Caroli V, cujus auſpiciis Schenkius contra Carolum Geldriae ducem militabar, pervenit; quod tunc ejus juſſu moenibus nudatum fuit. Cum vero Naſſovius diſſipatos ac fugienteis regios inſequeretur, in Andream Salazarium a [e] Megenſi ſubſequente praemiſſum incidit, qui et impetum ipſius ſuſtinuit, et ſtragis reliquias collegit. Arembergii corpus in monaſterio proximo, [f] Adolphi [g] Wedae conditum eſt. Hic exitus fuit pugnae inter [h] Winſchotum et Helligerſium commiſſae IX Kal. Jun. in campis fallacibus, a Tacito ita appellatis, qui [i] Amaſi et Lipia interluuntur, tam victori quam victis detrimentoſae; quippe tot proceribus, ut ejus cladem expiaret, ab Albano capite plexis, ſicuti mox dicemus. Superveniente Megenſi regii recreati ad Martinengum ſe colligunt, et ad [k] [α] Sutebutgum caſtra ponunt, haud longe ab hoſtibus: et cum vereretur Megenſis, ne ad eum caſum res [l] Groeningae turbarent, in urbem, quae tantum IIII ſignis, Joanne [m] Bacello ductore, tenebatur, IIII alia ſigna Arembergicae legionis et totidem Germanorum introducit. Parta victoria, Naſſovius copias Groeningae admovet, et coenobium haud inde procul capit ac praeſidio firmat: ubi dum crebris irruptionibus pugnatur, Carolus [n] Brimeus Megenſis comes ſcloppeto in collo ictus paulo poſt ex vulnere deceſſit; cujus mortem mox ſui ulti ſunt recepto coenobio et CC in eo praeſidiariis trucidatis. Nec Curtius Martinengus paulum a periculo abfuit, equo ipſius eodem die ſuffoſſo.

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

XIV. ALBANUS, ubi de caſu cognovit, Hiſpanos fere omneis [o] Namurcum confeſtim miſit, et II CIƆ peditum cum IƆ equitibus [p] Trajectum ſuperius, Maximiliano comite [q] Boſſuvio Batavorum praeſide ad alia loca tuenda eodem tempore ablegato. Mox edictum promulgatur, quo jubebantur quicunque religionis cauſa ſolum vertiſſent, in Belgium redire: ni parerent, bonorum publicatione et perpetuo exilio mulctabantur. Cui edicto cum nemo gravioris metu poenae obtemperaret, et paſſim de novis motibus aut adſerretur aut ſuſpicio injiceretur, ſparſis etiam libellis et pecunia pleriſque locis ad ſolicitandos popularium animos diſtributa, Albanus, quod jampridem animo deſtinaverat, conceptum contra proceres et nobilitatem Belgii, quam motibus cauſam dediſſe aiebat, odium poſtremo effundere ſtatuit: productoſque captivos perduellionis damnatos ſummo ſupplicio Bruxellis Kalend. Junii affecit. In iis erant Gibertus et Theodoricus [r] Batenburgici fratres, ſuperiore anno in

VAR. LECT. [α] Studeburgum *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR [a] *Oſorio, J. Perez de Soto-major,* (Meteren l'appelle *Paz de Soto-major*) & *Periche de Cabrera.* [b] *Schenck.* [c] *Dam.* [d] *Heyligherlee.* [e] *le comte de Meghem* [f] *le comte Adolph de Naſſau.* [g] *Wedde ou Wedden.* [h] *Winſchoten.* [i] *Ems & Lippe r.* [k] *Zuytbroeck al Zuytbrouck.* [l] *Groningue.* [m] *Baceau.* [n] *de Brimeu.* [o] *Namur.* [p] *Maeſtricht.* [q] *de Boſſut.* [r] *les barons de Battenburg.*

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

in [a] ſinus marini inter Bataviam et Friſiam tranſitu capti, Petrus [b] Andelotus, Philippus [c] Winglenus, Maximilianus [d] Cokus, Philippus [e] Trieſtus Gandavenſis, Joannes [f] Bloſius, Bartolomaeus [g] Valla, Hermanus [h] Galama, Arturus [i] Batſo, Sicurtius [k] Beima, Friſii, Jacobus [l] Pentanus, Firminus [m] Peletarius, Conſtantinus Bruxelenſis, Joannes Rumallius, Ludovicus Carlerius Cameracenſis, Petrus et Philippus Waterlezii Altzii fratres. Poſtridie et ad ſupplicium publice producti Joannes [n] Montinius Villerius et Duhius ex primaria nobilitate, [o] Dalemi itidem capti, [p] Quintinus Benedictus Anguiani praefectus, et Cornelius [q] Niemus famoſus inter eos concionator. Mox et avecti curru [r] Gandavo, ubi carcere attinebantur, Amurathes [s] Egmondanus et Philippus Momorantius Hornanus cōmites, deducentibus eos x Hiſpanorum vexillis et equitatu, et Bruxellis ex adverſo publicae plateae rurſus in cuſtodiam miſſi: tum ſententia mortis ab Albano tanquam ſupremo concilii criminalis judice, hos enim titulos ſibi ſumebat, in eos lata. Egmondano crimini datum, ſicuti ſententia illa continetur, quod contra fidem obſequii perjurioſe ac ſeditioſe ſe turbis immiſcuiſſet; quod deteſtando foederi Arauſionenſis ac ſociorum pro libertate Belgii contra Inquiſitionem Hiſpanicam, hoc eſt, contra regiam majeſtatem inito ſubſcripſiſſet; quod nobilitatis patrocinium ſuſcepiſſet, et ad ſeditiones ac Proteſtantium effraenatam rabiem in Flandriae ſibi commiſſae adminiſtratione in religionis Catholicae perniciem praepoſtera diſſimulatione uſus eſſet. Eadem fere Hornano improperata. Utrique, praeter infeſtum Albani in omnes externos, ac praecipue in Ecmondanum, dignitate ac meritis nulli ac ne ipſi fortaſſe Albano cedentem, odium, maturaſſe exitium putatur, quod, cum Albanus poſt cladem in Friſia acceptam neceſſe haberet, quam primum cum omnibus copiis, ut damnum illud ſarciret, illuc proficiſci, jure metueret, ne, a tergo relictis primariis illis nobilitatis ducibus, licet captivis, aliqui motus per ſuam abſentiam exorirentur. Itaque, ut ſe metu eo liberaret, et ſimul, terrore per ipſorum ſupplicium cunctis injecto, expeditior et terribilior in hoſtem vaderet, ſententiam executioni demandari juſſit. Qua coram Ecmondano pronunciata, ille non putare ſe reſpondit, anteacta vita de regia majeſtate tam male meritum eſſe, ut tam ſevera caſtigatione puniretur: orare nihilominus, ut, ſi quid deliquerit, quidquid id eſt, ſua morte ac bonorum amiſſione eluatur, nec ulterius ad familiae illuſtriſſimae decus dehoneſtandum in uxoris ac filiorum perniciem poena porrigatur: ceterum ſe paratum, quando ita Deo ac regi videatur, mortem patienter ferre. Tum calamum poſcit: et ad Philippum dat literas Gallica lingua ſcriptas; quibus ſe ſibi conſcium teſtabatur, nulla re fidem adverſus ipſum violaſſe, aut quidquam in religionis Catholicae perniciem molitum eſſe; nihilque feciſſe, quod non ad ipſius obſequium, publicam utilitatem et praeſentis rerum ſtatus neceſſitatem pertinere exiſtimaverit: proinde orare, ut, ſi quid in eo peccaverit, ſibi ignoſcat, et conjugis, innocentium liberorum ac domeſtici famulitii pro innata clementia rationem habere dignetur. Literas has complicatas et obſignatas [t] Hiprenſi epiſcopo, qui aderat, tradit; ex animo rogans, ut eas ad regem mittendas curaret: quod epiſcopus ſe facturum recepit. Inde precibus fundendis intentus, colloquium arcanum cum Hiprenſi epiſcopo petit; acceptaque ab eo delictorum venia, ad quietem ſe compoſuit. Hornanus, initio cum ſe Deo ſua peccata confeſſum diceret, et Hiprenſis colloquium recuſaret, ad extremum veniam itidem eodem, quo Egmondanus, modo petere coactus eſt: et, inter has curas nocte exacta, poſtridie, qui in pervigilium Pentecoſtes illius anni et in Non. Junii incidebat, Ecmondanus gratiae

loco

INTERPR. [a] *le Zuyder-mer* al. *Zuyder-zee.* [b] *d'Andelot.* [c] *de Winglen.* [d] *Cock.* [e] *Trieſt de Gand.* [f] *de Bloys, ſieur de Troſlong.* [g] *de Vale Italien.* [h] *Galma.* [i] *Batſon.* Meteren l'appelle *Boudechon.* [k] *le ſieur Beyma.* [l] *de Pentan* Meteren met *Elpendam.* [m] *Pelcier, Conſtantin Bruſelle, J. Rumault, L. Carlier de Cambray, P. & Phil. Waterleys* alias *Daelen.* [n] *de Montigny ſieur de Villers, & le ſieur de Dhuy.* [o] *Dalem.* [p] *Benoit, baillé d'Enguyen.* [q] *de Nieen.* [r] *Gand.* [s] *les comtes d'Egmond & de Horne.* [t] *d'Ipres.*

loco petiit, ne diutius executio differretur; nam periculum eſſe, ne ex deſpetatione mens emota praeſentis mortis vehementiore cogitatione divexaretur. Itaque ſub meridiem in forum, ubi pegma ad id paratum et pannis lugubribus inſtratum erat, deducitur, comitantibus cum Juliano [a] Romero caſtrorum praefecto, Franciſco [b] Salina et Hipenſi epiſcopo, et diſpoſito per omneis aditus milite, ſive ad pompam, ſive ne quis motus ſuboriretur. Poſt eum morte affectum, et panno mox injecto velatum, Hornanus adducitur; qui, delicta ſua multiplicia coram Deo confeſſus, fauſta omnia aſtantibus precatur, utque ſecum pro ſe ad Deum preces fundere velint, rogat: principem vero ſe offendiſſe eo, quo inquirebatur, modo, ſaepius poſtulatus, fateri recuſavit. Tandem, exuto pallio, ſupra pulvillum procubuit; et, commendata in Dei manus anima, a carnifice capite truncatus eſt. Utriuſque capita ad ſpectaculum pilis ferreis ſuffixa duabus horis proſtiterunt. Corpora, a miniſtris loculo plumbeo condita, in proximo Clarae fano depoſita primum; poſtea Egmondani cadaver [c] Sottegemi oppido ſuo in Flandria, Hornani [d] [1] Campiniae in Brabantia ſepultum eſt. Hic exitus Egmondani fuit, cum XLVI annum ageret, viri ſplendore natalium et virtute militari ſua aetate [α] illuſtriſſimi, [e] Sanquintino et Gravelingenſi proeliis, quorum ei decus ſumma omnium conſenſione tribuebatur, de Philippo optime meriti: nulla tamen tot praeclare feliciterque geſtorum tunc ratio habita eſt, praevalente Sectarii veneni, cui propagando inſerviiſſe arguebatur, adverſus merita odio, aut etiam ipſius Albani poteſtate ſibi commiſſa abutentis, et irreconciliabili ex aemulatione contracta malevolentia. Hic [f] Sabinam Baioaram uxorem, et ex ea III filios, VIII filias moriens, quod illum maxime angebat, in ſumma egeſtate reliquit. Hornanus ſine prole deceſſit. Mox et [g] Vilvordae Antonius [h] [β] Stralius, conſul Antuerpianus, et Joannes [i] Caſenbrotus [γ] Bakerſelus, Egmondano ab epiſtolis, immaniſſime torti: qua re magnus populis illis terror ad praeſens injectus, ſed qui temporis tractu in invidiam et Hiſpani nominis odium vertit; quo poſtremo ex deſperatione ad defectionem compulſi Belgae ſunt, et jam XXX totos annos mutua laniena, tandem etiam ejerato Philippi et Auſtriacae domus hereditario imperio, miſere conficiuntur. Paulo ante V Kal. Jun. concilii ſanguinarii decreto [k] Florentis Pallantis Culemburgii comitis aedes Bruxellis, in quibus Albanus, antequam Parmenſis e provincia deceſſiſſet, hoſpitium habuerat, ſolo aequatae ſunt, area ſilicibus conſtrata, et erecta in ea columna marmorea cum inſcriptione quadratis epiſtyliis quatuor linguis inciſa; cujus ſumma erat, domum a fundamentis dirutam ob execrandam repetitae conjurationis memoriam adverſus religionem Catholicam Romanam, regiam majeſtatem, et ipſas provincias.

CIↃIↃLXVIII

CAROLUS IX.

XV. Dum haec fierent, Albanus, ubi de clade in Friſia accepta cognovit, ſtatim Arembergii loco Chapinum [l] Vitellium ſummum caſtrorum praefectum [m] Groeningam mittit, et cum eo VI Germanorum cohortes ex [n] Megenſis legione et quatuor ex legione Joannis [o] Beuchi; equites item CIↃ IↃ Germanos, ductore Erico Brunſvico, qui in [p] Tranſiſelana regione [q] Deventriae convenire juſſi erant. Mandatum et peditibus, qui in [r] Arrebatibus et Pleumoſiis ab [s] Hiergio conſcribebantur, et VI alis, duce Gaſpare [ſ] Robleſio Billio, ut cum Brunſvico ſe conjungerent. Interea [t] Naſſovius victoria elatus copias ad Groeningam promoverat, et tertio ab urbe lapide caſtra vallo et foſſa muniverat, occupatis circum locis, et coenobio in primis virginum ſacratarum praeſidia impoſuerat, ita ut, cum a tergo [u] Emdam et [v] Monaſterienſem epiſcopatum

VAR. LECT. [α] cum paucis comparandi *D. f. o.* [β] Stratius *D. f. o. d. Ed. Gen.* [γ] Bakerſetus *D. f. o, d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Romero.* [b] *F. de Salinas, & l'evêque d'Ipres.* [c] *Sottenghem.* [d] *Kempen.* [e] *St. Quintin & Gravelines.* [f] *Sabine de Baviere.* [g] *Wilvoorde.* [h] *Stralen, Bourguemaiſtre d'Anvers.* [i] *Caſenbroot, ſieur de Backerzeele.* [k] *Floris de Pallant, comte de Culenbourg.* [l] *Vitelli.* [m] *Groningue.* [n] *le comte de Meghem.* [o] *le colonel Buech.* [p] *Over-Yſſel.* [q] *Deventer.* [r] *Artois & Flandre.* [s] *le ſieur de Hierges.* [ſ] *Robles, ſieur de Billy.* [t] *le comte Ludovic de Naſſau.* [u] *Embden.* [v] *eveſché de Munſter.*

NOT. [1] *Campiniae.* J. Petit met à S. Guidule, & depuis porté en la ville de Wert. *Put. L.*

Digitized by Google

epiſcopatum ac Weſtphaliam haberet, unde copioſus commeatus ad eum importabatur, et inſeſſis ante aditibus arcta obſidione urbem obſeſſurus videretur: nam ſic natura illius ſoli eſt, ut reſtagnante ob eas, quas dixi, cauſas aqua, ſi vias arte munitas deſeras, in paludoſos vortices inextricabili errore et plerumque cum certa pernicie incidas. Igitur Vitellius ubi ad urbem venit, [α] urbis aditus complanati, ut hoſtis veniens e longinquo conſpici poſſet, et commodius equitatui confligendi, utpote aperto campo, facultas eſſet. Ibi pugnatum aliquoties, tam vicinis regiis ac foederatis, et iniqua fere illorum conditione; quippe, cum oppidani egreſſi eſſent, ut locum inter urbem et coenobium ſitu firmum occuparent, pugna conſerta, ex foederatis deſiderati ſunt amplius CL, ex regiis vix X. Et haec ad adventum uſque Albani inter eos continuata. Is vero, cum in Friſiam proficiſci ſtatuiſſet, XVII ſigna ex legione Neapolitana [a] Gandavo, ubi in praeſidio erant, acceſſit, relictis in arce II vexillis; X item ex Langobardica legione [b] Trajecto-Moſae, ac totidem ex legione Sicula, quae Bruxellis erat: et ea [c] Sylvam-ducis tendere jubet. Tum negotium dat [d] Creſſonerio [e] Gravelingae praefecto, ut [f] Mechlinia XVII tormenta advehenda curaret: [g] Santalgondano item Noercarmio, ut levis armaturae praefecturam ſumeret, et CIↃ equites in [h] Sequanis conſcriberet: Jo. [i] Croio Rutii comiti et [k] Blondo, ut delectus peditum in [l] Attebatibus et Hannonia haberent, [m] Valencianis impoſito idoneo praeſidio. Inde ipſe Sylvam-ducis procedit; quo cunctos regis conſiliarios convenire jubet, ut in commune conſulerent, fama ſparſa, de auxiliis in Friſiam ſummittendis actum iri. Nam, quo minus ipſe in Friſiam proficiſceretur, multa impedimento eſſe ab omnibus credi volebat. Itaque Bruxellis VII Kal. Quintil. profectus, Mechliniam eodem die venit, ac poſtridie [n] Antuerpiam; ubi arci impoſito Gabriele [o] Serbellono cum II ſignis Germanorum ex legione Alberici [p] Lodronii et VI aliis ex eadem legione ad urbis cuſtodiam deſtinatis, Sylvam-ducis cum toto exercitu tendit. Ibi intellecto [q] [β] Berchemum oppidum, quo capto commeatus ex [r] Atuaticis in Friſiam importandus impediebatur, a [s] Bredembergenſi comite Arauſionenſis ſororio occupatum eſſe, eo ſtatim Sanctium [ſ] Lodonium cum legione ſua, quae [t] [1] Trenelii et Graviae hoſpitabatur, ducere jubet. Is vero, aſſumpta Nicolai Baſtae Epirotae equitum ala et L itidem cataphractis equitibus ac V machinis bellicis, ubi Berchemo propinquavit, cum paucis progreditur, ut locum luſtraret: verum praeſidiarii, firmitati oppidi diffiſi, nocte inſequenti locum deſerunt, relictis IX tormentis, ac, dum palantes aufugiunt, a regiis intercepti magna ex parte caeſi ſunt. Praemiſſus in [u] Deventriam Franciſcus Ibarra, qui annonae proſpiceret, conquiſitis undique navigiis, quibus eodem tempore peditatus [v] Iſalam, Moſam, Wahalim et Rheni brachium ſuperius tranſmittere tuto poſſet: quod ſumma felicitate et celeritate factum, quantumvis imbrium frequentia aquae ultra modum excreviſſent. Tandem VI Eid. Quintil. Deventriam incolumis venit Albanus; ubi obvium habuit Joannem Bernardum CCC Germanorum equitum ductorem. Heic negotium dat Joanni Baptiſtae [w] Montano et Aurelio [x] Panhormitano, Georgio item [y] Maeucae, ut Italorum et Epirotarum quiſque alam, ex iis qui nuper in Gallia dimiſſi erant, conſcriberent; Lupo [z] Acuneae, ut Hiſpanorum equitum levis armaturae alam ſcriberet. Poſtridie cum ſuis et ala ſcloppetariorum equitum, cui [aa] Monterus praeerat, Deventria [bb] Hammenſe oppidum tendit, ac die ſequenti [cc] Covordiam, pugna memorabili locum inſignem;

VAR. LECT. [α] re cum Megenſi communicata, urbis aditus *D. f. o.* [β] Berquemum *D. f.*

INTERPR. [a] *Gand.* [b] *Maeſtricht.* [c] *Bois-le-duc.* [d] *la Creſſonere.* [e] *Gravelines.* [f] *Malines.* [g] *de Ste Aldegonde, ſieur de Norcarmes.* [h] *la Franche Comté.* [i] *de Croy, comte de Reux.* [k] *Blondeau.* [l] *Artois & Hainaut.* [m] *Valenciennes.* [n] *Anvers.* [o] *Serbellone.* [p] *le comte de Lodron.* [q] *Berchem.* Meteren met *le Château de Heerenberghe.* [r] *Brabant.* [s] *de Bredenberg.* Meteren met *Vandenberghe.* [ſ] *Londono.* [t] *Trenel & Grave.* [u] *Deventer.* [v] *l'Iſſel, la Meuſe, le Wahal, & le Rhein.* [w] *del Monte.* [x] *de Palerme.* [y] *Machuca.* [z] *d'Acuna.* [aa] *Montero.* [bb] *Ommen.* [cc] *Coevorden.*

NOT. [1] Mendoça met *Venlo* au lieu de *Trenel.* *Put.*

inſignem; qua, anno poſt natum in terris Chriſtum CIƆ CCXXVII, V Kal. Sextil. Otho CIƆIƆLXVIII
epiſcopus [a] Ultrajectinus, quem alii Bernardum nominant, a Rudolfo Friſio cum CAROLUS IX.
IƆ ex praecipuis ſui exercitus inter paludem et arcem interceptus ac caeſus eſt; captique Gerardus Geldriae princeps et Giſebertus Arneſtelius Batavus, ſecundum epiſcopum primas in exercitu tenentes. Covordia [b] Rooldum II ab urbe milliaribus Albanus poſtridie venit; ubi obvium habuit Chapinum Vitellium cum Brunſvicano equitatu: et, intellecto hoſtem propediem expectare auxiliateis Germanos equites numero IƆC et CIƆ IƆ pedites, in Francia, Belgio et Lotharingia nuper conſcriptos, duce Hoeſtratano comite, et in eo eſſe, ut ad munimentum a regiis conſtructum, quod III ſignis Buchianae legionis tenebatur, impetum faceret, nihilominus iter proſequitur: et ſummo mane profectus, collocatis in prima acie CCC ſcloppetariis majoribus, ducibus [c] Montedoca, Didaco Bracamontio et Laurentio Perea, cum aliquot carris commeatu neceſſario onuſtis, a [d] Megenſi cum equitatu et peditatu in itinere exceptus, Groeningam incolumis pervenit; et, urbem mediam tranſgreſſus, ad [e] portam flumentanam divertit: ubi, ex Ferdinandi prioris filii, Vitellii, Noercarmii et Lodonii conſilio, cum prius hoſtilium caſtrorum ſitum diligenter explorari juſſiſſet, Caeſarem Avalum et Curtium Martinengum cum levi armatura et ſcloppetariis equitibus praemittit, qui complanatis aditibus ſenſim juxta hoſtem hoſpitium munirent. Jam [f] Naſſovius coenobium et alia loca ante inſeſſa deſeruerat, et ſe caſtris continebat, ita munitis, ut ab una parte fluvio clauderetur, ab altera ductam praealtam foſſam haberet. Fluvium etiam pontibus duobus ſtraverat, et trans fluvium domos duas muniverat, ac perforatas milite firmaverat, faſcibus comportatis, ut, ſi caſus ferret, igne injecto ſtatim incenderentur, ne regiis uſui eſſe poſſent. Ad laevam, [g] Caſam rubram itidem muniverat, haud longe a caſtrorum vallo: ad quam occupandam Albani juſſu miſſus Gaſpar Robles cum CC ſcloppetariis, [h] Ganteccio et Germinio ducibus; qui poſt obſtinatum certamen loco potiti Albanum monent, hoſtem de receſſu cogitare, et conſultum videri, ut ab ea parte minus firma in eum impetum faciat; quippe cum ſola foſſa intercederet, nec neceſſe eſſet ad hoſtem vadentibus fluvium aut rivulum ullum tranſmittere. Itaque miſſi ad eum CC ſcloppetarii ex [i] Sardoa legione, ductore Franciſco [k] Bellomontio, antea monito, ut, ſubito atque hoſtem vallum deſerere videret, ea parte impetum faceret. Proviſa interim navigia; quibus, ſi hoſtis in caſtris diutius maneret, tranſmiſſo fluvio ab alia parte regii eum poſtridie adorirentur. Iis a tergo ſubſidiaria miſſa VI Germanorum ſigna, et XVI Gallorum, duce Georgio [l] Lalanio Villae regulo, [m] Hoeſtratani, qui ab Arauſionenſi ſtabat, fratre. Jamque dies media fere exierat, cum per exploratores certior factus Albanus, hoſtem ad diſceſſum ſe parare, ſtatim Alfonſo [n] Ulloae negotium dat, ut cum delectis CCCC ſcloppetariis Hiſpanis, ductoribus [o] Didaco Henrice, Inico Medinilla, Ferdinando Agnaſco, Andrea Salazario, Panhormitanae in Sicilia, et Joan. Spuchio, Plombinenſis arcis in Etruria praefectis, in vallum vim faciant. Mandatum et Nicolao Baſtae et Montero, ut, ſi hoſtis eo die minime diſcederet, cum equitatu ad dexteram, ubi aditum complanari curaverat Vitellius, cum aggrederentur, non tam ſpe ullius operae pretii faciendi, adeo difficili equitibus ob locorum naturam acceſſu, quam ut hoſtem diſceſſurum tam diu remoraretur, dum illuceſcente die cum ab omni parte cinctum ad proelium cogeret. Sed cum jam Naſſovius in procinctu eſſet, etiam praemiſſa impedimentorum parte, regii tanta vi impreſſionem faciunt, ut, foſſa ſuperata, hoſtem intra caſtra interiora compellerent, tranſcenſis,

quos

INTERPR. [a] *d'Utrecht.* [b] *Rolde.* [c] *de Monteſdoca, Diego de Bracamonte, & Lorenzo Perea.* [d] *le comte de Meghem.* [e] *porte de la riviere.* [f] *le comte Ludovic de Naſſau.* [g] *Maiſon-rouge.* [h] *Ganteau & Germigny.* [i] *regiment de Sardaigne* [k] *de Beaumont.* [l] *de Lallain, ſieur de Ville.* [m] *le comte de Hoochſtrate.* [n] *de Ulloa.* [o] *Diego Henriquez, Inigo de Medinilla, Hernando de Anaſco, And. de Salazar Caſtellan de Palerme, & J. d'Eſpuches Caſtellan de Piombino.*

quos dixi, pontibus, tamen propter incendium a fugientibus immiſſum non ita commode inſequente milite. ccc ex Naſſovianis caeſi; capta III tormenta campeſtria et I ſignum, ſtrenue pugnantibus [a] Didaco Henrice et Alſonſo [b] Varga, Agnaſco praeterea et Medinilla: tantuſqoe ardor omni ex parte irrumpentium ſuit, ut ex levi armatura plerique ex equis deſcenderent, ut fluvium oppoſitum natatu ſuperarent, equorum caudam una manu, altera haſtam tenentes. Ad veſperam continuata caedes: poſt quam Albanus, cum receptui cani juſſiſſet, [c] Groeningam revertitur; impoſitoque ad urbis praeſidium Joan. [d] Buchio cum IIII Germanorum ſignis, et relicto Brunſvicano equitatu, quod ejus nullus eſſet illis locis uſus, Chapinum Vitellium cum II peditum CIↃ mittit, qui hoſteis fugienteis perſequeretur; eique equitum Germanorum alam attribuit, duce Jo. Bernardo. Ipſe cum II levis armaturae alis ſubſequitur: et, cognito Naſſovium [e] Damo II peditum ſigna eduxiſſe, ut ſe cum iis conjungetet, et [f] Suteburgum cum toto exercitu [α] tenderet, eo Caeſarem [g] Avalum cum IↃ ſcloppetariis ex Vitellianis et ſua equitum ala proficiſei jubet. Ipſe interea [h] Wedam [i] Arembergii arcem venit; et inde [k] Reidemum [l] Monaſterienſis territorii pagum, ubi ponte ligneo [m] Amiſus fluvius jungitur, recta tendit, ac pontem, mox praeſidio firmatum, in ulteriore ripa propugnaculo exſtructo muniendum curat. Eum a Naſſovio ſummo errore non occupatum ſcripſit B. Mendoza; quippe quo capto, et in ulteriorem ripam tranſlatis caſtris, citra periculum auxilia, Arauſiooenſi fratte duce, ex Germania adventantia opperiri potuiſſet, medio inter ſe et regios Amiſo, qui minime vado tranſiri poterat.

XVI. Dum Reidemi eſſet Albanus, ex ſpeculatoribus cognoſcit, Naſſovium duobus abhinc milliaribus ad [n] Gemingam, Emdenſis comitatus pagum in aeſtuario Amiſi ſitum, caſtra poſuiſſe. Itaque inde XII Kal. Sextil. proficiſcitur, eo conſilio, nt cum hoſte proelio decerneret, quod erat illi inevitabile; quippe cum a froote hoſtem, a tergo fluvium haberet. Igitur, ſummo mane itinere facto, brumoſo primum coelo, ſed mox ſolis radiis diſcuſſa nebula, milliare et ſeſqui emenſus, equitatum ſubſiſtere loco idoneo jubet: tum Ferdinando priori imperat, ut pontem ſervatet, ne quis injuſſus illac tranſiret; et abducto ſecum Noercarmio et Vitellio ſe in viam dat, ptaemiſſo Sanctio [o] Avila, qui diverſo itinere de hoſtibus cognoſceret. Tum aliquantum itineris progreſſus priori mandat, ut ad ſe Caeſarem Avalum cum ala equitum et cc ſcloppetarios ex legione [p] Langobardica, duce Didaco Carvajale, mitteret; quos rurſus ibi ſubſiſtere et aditum ſervare jubet; ulteriuſque progreſſus, cum nihil certi de hoſte cognoſcere poſſet, aliis Gemingae haerere decreviſſe, aliis vaſa jam conclamare nunciantibus, Julianum [q] Romerum et Sanctium Lodonium, ſingulos cum IↃ ex legionibus Hiſpanis et delectis ducibus, Fr. [r] Valdeſio, Ferdinando [s] Toletano, Lupo Figeroa, Joanne Oſorio Ulloa, Marco Toletano, Ludovico [t] Reiòoſo, Antooio Toletano, Laurentio Perea, Ferdinando Savedra, Roderico Sapata, Didaco Carvajale, Ferdinaodo [t] Medinilla, Didaco Henrice, Petro [u] Conſalvo [1] Mendoza, ſubſiſtere juſſis Alfonſo Ulloa et Conſalvo [v] Bracamontio: eos ſubſequebantur Caeſar Avalus cum equitatu et Curtius Martinengus. Ita vero inſtruxerat a tergo aciem, ut Hiſpani in fronte ſtarent, et poſt eos Germani, et rurſus poſt eos XV Belgarum ſigna, ducibus [w] Hiergio et Gaſpare Robleſio Billio. In ultimo agmine ccc equites cataphracti erant; quos rurſus ſequebatur Joannes Bernardus cum ſua equitum ala. Ii omnes, ita agminibus quadratis diſtincti, alteri alteros ſequebantur,

VAR. LECT. [α] tendere, ubi Megenſis, poſtridie quam Arembergius caeſus eſt, hoſpitium habuerat, eo Caeſarem *D. f. o.* [β] Albanus interea *D. f.*

INTERPR. [a] *Diego Henriquez.* [b] *de Vargas.* [c] *Groningue.* [d] *de Buech.* [e] *Dam.* [f] *Zoytbroeck.* [g] *d'Avalos.* [h] *Wedde.* [i] *le comte d'Arembergbo.* [k] *Reiden.* [l] *eveſché de Munſter.* [m] *Ems.* [n] *Gemmingen.* [o] *d'Avila.* [p] *regiment de Lombardie.* [q] *Romero & Sancho de Londono.* [r] *de Valdes.* [s] *de Tolede.* [t] *Remoſo* [t] *de Medinilla.* [u] *Gonçalez de Mendoça.* [v] *de Bracamonte.* [w] *le ſieur de Hierges, & Gaſpar Robles ſieur de Billy.*

NOT. [1] Mendoza, *ſupplendum forſan* praemiſit.

tur, propter aggerum anguſtias; quibus campi viridantes, ſed lutoſis voraginibus inacceſſi, ſubſunt, ut per eos latius acies porrigere ſe commode non poſſet: Sanctius Avila cum Salazario et Alfonſo Varga, Bernardino Mendoza, et aliquot ex delecta nobilitate ad pontem canali in [a] Amiſum ſe exoneranti impoſitum procurrebant. Jam hoſtes magno numero advenerant; qui mox aggeres exſcindere et aperire moliuntur, ut aquis in campos infuſis corrupto ſolo ac confuſis itineribus regia caſtra diſturbarent: ſed a regiis loco pulſi ſunt, et impeditum opus. Antequam tamen canales aperti obſtruerentur, tanta jam ſe aqua campis ſuperfuderat, ut miles pleriſque locis proximioribus umbilico tenus mergeretur; et, ſi quidem ad opus ſummo mane acceſſiſſent, procul dubio Albanum retrocedere coegiſſent: ſed ſerius rem aggreſſi, et mature repulſi, opus inchoatum potius quam perfectum reliquerunt: qui poſtremus [b] Naſſovii error priorem ad [c] Reidemum admiſſum longe ſuperavit; quem dum emendare conatur, ſummiſſis ɪɪɪ ᴄɪↃ ſcloppetariorum, qui regios ab occupato ponte removerent, acriter ſed infeliciter pugnatum fuit. Nam, cum illi exiguo numero diu locum defendiſſent, ſuperveniente demum peditatu, animos duplicant, ac poſtremo Naſſovianos, dum ſe crebris foſſis impediti ad ſuos recipere fruſtra conantur, cum damno in fugam vertunt, amiſſo in eo proelio Gabriele [d] Manrico Oſorii comitis filio. Tum Julianus Romerus et Sanctius Lodonius, qui in prima acie ſtabant, feſſis ſuccedentes hoſti propinquant, et certamen reſtituunt; quos Rodericus Sapata et Didacus Carvajalis cum ᴄᴛↃᴄᴄ ſcloppetariis ſubſequuntur. Naſſovius aciem ante [e] Gemingam pagum in duo majora agmina diſtribuerat, fronte in hoſtem verſa; ,et ad dextram equitatum collocaverat; nam laevum latus Amiſo tegebatur: rurſus ante aciem tormenta direxerat. Horum diſploſione cum aliquantum infeſtati regii ulterius progreſſi ad manus cum hoſte veniſſent, eorum paucitatem contemnentes Naſſoviani extra foſſam in pratum ſubjectum ſignis explicatis deſcendunt: ſed a [f] Lupo Figeroa repulſi in fugam vertuntur, et pavorem collectum in ſuos effundunt, ac proprium equitatum ſolvunt. Mox Avalo cum equitatu incumbente et Petro [g] Conſalvo Mendoza ac Medinilla cum ſcloppetariis domos proximas invadentibus, Albanus cum toto exercitu ſupervenit, qui jam ſolutos Naſſovianos penitus profligavit; quorum eodem tempore ac fere loco longe diverſum fatum fuit: nam pars in domos igne concepto ardenteis dum confugiunt una conflagrarunt, pars in ſubjectum amnem praecipitati perierunt; et iſtorum quidem galeri ſupernatantes, reciprocante mari, per adverſum fluvium [h] Groeningam delati pugnae commiſſae, antequam de ea cognoſci poſſet, fidem fecerunt. A meridie ad veſperam continuata caedes, nec nocte intermiſſa, in diem uſque ſequentem producta eſt, cadaverum, loricarum, galearum et gladiorum atque armorum multitudine tanta viis oppletis, ut ultro citroque itare per vias non liceret. Cumque Germani aliquot ad inſulam in aeſtuario fluminis poſitam confugiſſent, mane ab Albano miſſis Lupo Figeroa [i] Hiergio et Billio, ad unum omnes caeſi ſunt. Reliquias proelii Avalus et Martinengus perſecuti ſunt quatuor amplius milliaria Germanica; quod vix unquam accidit. Deſiderati ex foederatis amplius ᴠɪɪ ᴄɪↃ: capta xx ſigna: reliqua in flumen demerſa: xvi machinae bellicae in regiorum manus devenerunt. Amiſſa item omnia impedimenta; etiam [k] Hochſtratani, qui paulo ante e caſtris diſceſſerat. Captus et Henricus [l] Sigenus Naſſovii legatus. Nuſquam tantam victoriam tam exiguo ſanguine ſuo victores redemerunt. Nam non amplius quam ᴠɪɪɪ ex regiis ceciderunt. Naſſovius et Juſtus [m] Schovemburgius poſt fortiter navatam operam vix natatu in ulteriorem ripam fluminis egreſſi navicula conſcenſa [n] Emdam incolumes pervenerunt. Cauſam

cladi

CIↃIↃLXVIII

Carolus IX.

INTERPR. [a] *Ems r.* [b] *le comte Ludovic de Naſſau.* [c] *Reiden.* [d] *Manriquez, fils du comte d'Oſorno.* [e] *Gemmingen.* [f] *Lopez Figueroa.* [g] *Gonçalez de Mendoça, & de Medinilla.* [h] *Groningue.* [i] *les ſieurs de Hierges & de Billy.* [k] *le comte de Hooghſtrate.* [l] *de Sigen.* [m] *le comte de Schouwenburg.* [n] *Embden.*

cladi dediſſe proditum eſt, exortam inter milites ſeditionem ob ſtipendia promiſſa et non in tempore perſoluta; qua effectum ſit, ut et incurioſe ſtationes obirent, nec ducum dicto audientes eſſent; et ad extremum, hoſte inſtante, ſegnius pugnam capeſſiverint. Hic exitus prœlii ad [a] Gemingam XII Kal. Sextil. commiſſi fuit; cujus nuncium Albanus ad Philippum per Andream Salazarium, ad pontificem per [b] Carillum Merlum perferendum curavit. Eodem tempore ad Joannem ab [c] Hoia epiſcopum Monaſterienſem literas dedit; quibus et victoriam partam nunciabat, et de Emdenſi comite conquerebatur, quod is Naſſovianis commeatum ac neceſſaria ſubminiſtraſſet: qua de cauſa eum hoſtiliter invadere meditabatur; ab eo tamen conſilio rei difficultate deterritus et alio revocatus abſtinuit. Biduum Gemingae commoratus [d] Damum proficiſcitur, in itinere incenſis fere pagis a lixis et calonibus, ut herorum mortem in Arembergenſi clade interfectorum ulciſcerentur: qua re irritati ruſtici quoſdam ex iis comprehenſos ad Naſſovium adduxerunt. Italis ac Belgis vitae gratia facta: Hiſpani poenae militari ſubjecti: quod rurſus tam graviter tulere Hiſpani legionis Sardoae, ut, ſpretis ducum imperiis, in domos obvias tota regione ſparſo incendio, nulli parcentes crudeliter deſaevierint. Cujus facti infamiam ut Albanus elueret, poſtea legionem exauctoravit, Martino [e] Diazio cum IↃ exceptis, qui facto non participaverant. Damo Albanus [f] Delfezielam venit; qui locus portu commodus magnum ad commeatum comportandum momentum habet: relictoque in eo idoneo praeſidio Groeningam redit; unde rurſus Alfonſum Ulloam mittit, qui [g] Ulſenſem Batemburgi comitis arcem ſitu et profunda foſſa firmam in poteſtatem redigeret. Is, cum XVII ſignis legionis ſuae et equitum alis Joannis [h] Veleſii Gevarae et Aurelii Panhormitani, XII muralibus machinis ac II colubrinis eo profectus, admotis tormentis locum pulſat: biduumque continuata verberatione, dum in eo eſſet ut impetum faceret, praeſidiarii noctu huc illuc dilapſi arcem deſeruere; cui praeſidio L militum impoſito, Ulloa [i] Sylvam-ducis reverſus eſt. Albanus, rebus Groeningae ordinatis, et urbi populoſae nec ſatis fidae arce pro fraeno impoſita, per Amſterodamum [k] Ultrajectum proficiſcitur; ubi ad eum venit Fridericus filius cum bis mille ac quingentis peditibus Hiſpanis et in pluris menſeis copioſo ſtipendio. Is tunc a patre univerſi peditatus dux creatur. Luſtrato exercitu, VI CIↃ equitum, peditum XXX CIↃ recenſita ſunt. Ad terrorem item popularibus incutiendum, Albani juſſu anus octogenaria valde locuples Amſterodami ſecuri percuſſa, quod concionatorem domo recepiſſet. Eodem tempore in agro [l] Juliacenſi circa [m] Dalemum oppidum, cum magna hominum nondum armis inſtructorum multitudo, quaſi ad nomen militiae dandum confluxiſſet, duce Juſto [n] Soetio Villerſio, ab Hiſpanis oppreſſi ſunt; et partim caeſi, partim diſſipati miſere perierunt.

XVII. INTEREA [o] Arauſionenſis in Germania exercitum, quam maximum poterat, cogebat, ſolicitatis amicis, et miſſis ad Maximilianum Caeſarem oratoribus, qui delectus per Imperium habitos neceſſitate excuſarent, cumque tanquam Auſtriacae familiae in Germania principem orarent, ut Belgii, a quo majores ejus originem repetebant, commiſeratione tangeretur: florentiſſimas olim provincias, procerum et Ordinum prudentia pacatas, adventu Hiſpanorum miſerabiliter divexari; eos, telo Inquiſitionis, quod potius in Mauros exeri oportuit, in proceres ac locupletes diſtricto, nihil ad avaritiam et crudelitatem reliqui facere: ea de re conqueſtos ſaepius apud principem Belgas, miſſis etiam e numero procerum primariis viris, qui indignam meritis ſuis gratiam retulerint: quapropter miſeros homines, cum viderent regis Hiſpanorum calumniis praeoccupati aures precibus ſuis occluſas eſſe, deſperatione adactos, quod unum ſupererat, ad arma confugiſſe; ea mox depoſituros,

cum,

INTERPR. [a] *Gemmingen* [b] *Carillo de Merle.* [c] *Hoia.* Germ. *Hoyen, eveſque de Munſter.* [d] *Dam.* [e] *Diaz.* [f] *Delfziel.* [g] *Olſen.* [h] *Velez de Guevara, & Aurelio de Palerme.* [i] *Bois-le-duc.* [k] *Utrecht.* [l] *pays de Juliers.* [m] *Dalem.* [n] *de Soete, ſieur de Villiers.* [o] *le prince d'Orange.*

cum, ceſſante intolerandae ſervitutis metu, a diro crudelitatis jugo, quo ſub externo dominatu oppreſſi gemunt, ſolventur: orare itaque, quam demiſſe poſſunt, Caeſaream majeſtatem, ut auctoritatem ſuam interponat, et cum Philippo patrueli agat; demonſtretque, non aliam rationem pacandi Belgii videri, quam ſi praeſidia externa removeantur, Inquiſitionis metus tollatur, privilegia, libertates et immunitates reſtituantur ac ſerventur, et jure aequabili inter omneis conſtituto ex communi Ordinum ac procerum conſilio ac decreto publicae quieti proſpiciatur. Arauſionenſis deprecationes non ſuſque deque habuit Caeſar, miti et prudenti ingenio princeps: ſed eas non ſolum ad Belgium, quod maximam partem ad Imperium ſpectat, ſed etiam ad ipſum Imperium pertinere ratus, cum vereretur, ne recenti adhuc belli Germanici ab Hiſpanis excitati memoria animi ob id commoverentur, quam primum ſibi cum Philippo agendum exiſtimavit; et, quo majus pondus hae rationes apud patruelem haberent, et ex dignitate perſonae altius in pectus ejus deſcenderent, Carolo fratri pacis apprime ſtudioſo auctor fuit, ut, cum aliis de cauſis privatas ſuas res ſpectantibus profectionem in Hiſpaniam adornaret, hujus quoque negotii, quod non ſolum Belgii ſed Imperii quietem ſpectabat, curam ſuſciperet: quod libentiſſime ille fecit; eoque magis, quod provideret, accenſo ſemel in Belgio belli incendio, quod haud ita facile reſtinctu eſſet, vireis patruelis, quae melius contra Turcam, infeſtum familiae Auſtriacae et ipſius Caroli propter viciniam hoſtem, verterentur, diſtractum iri et debiliores fore, quam ut in iis praeſidii quidquam Germanicus limes ponere poſſet. Is igitur, per Italiam facto itinere, [a] Genuam venit, et claſſe conſcenſa in Hiſpaniam perrexit; ubi ea de re enixe cum Philippo egit, ſed tardius, quam ut, jacta ſemel alea, Hiſpanae copiae et Albanus ipſe tuto et ſalva exiſtimatione ſua revocari poſſet: nam ad famam pertinere exiſtimabat, ne conſilii nuper, reclamantibus cunctis principibus foederatis, initi tam cito poenitentia duci videretur. Cum tamen ſe non mediocri apud Imperii Ordines ob id invidia premi intelligeret, ſcripto anno ſequenti Germanica lingua exarato et publicato ſe purgavit, et perduellium crimine exaggerato conſilii ſui rationes jure inniti demonſtravit. Jamque Arauſionenſis, ad quem Ludovicus frater ſe poſt cladem Geningenſem contulerat, copioſum exercitum contraxerat: ſiquidem in ejus caſtris erant Germanorum peditum ſigna XLIV, quibus praeerant Nicolaus [b] Hatſtadius nobilis Alſatus, et ob id a Ferdinando Auſtriaco proſcriptus, [c] Vitus Schoenerus, Baltaſar [d] [α] Wolfenus; Belgarum et Gallorum IIII CIↃ, equitum VII CIↃ, ducibus Friderico [e] Rolſhauſno Heſſici equitatus tribuno expeditione Gallica ante ſexennium nobili, Theodorico [f] [β] Schuenbergio, Juſto [g] Scouenburgio, [h] Alberto comite Naſſovio, [i] [γ] Burchardo Barbii comite, Othone [k] Malesbergio, Hermanno [l] Riedſelo et Adamo [m] Weliſio; caſtrenſia VI tormenta, IIII murales machinae. Ex Belgis praecipui aderant [n] Hocſtratanus comes, [o] Batenburgus ſenior, nam fratres ejus nuper ſupplicio affecerat Albanus, [p] Waruxius, [q] Riſorius, [r] Carolus, Hameſius, Boxtelius, [δ] Louvervallius, alii. Vexillis inſcriptum erat, PRO LEGE GREGE ET REGE. Coactis jam omnibus copiis, V Kal. Sextil. ſcriptum vulgatur; quo Arauſionenſis belli ad Dei gloriam, regis commodum, Caeſareae item majeſtatis et ejus filiorum regis heredum utilitatem, contra immanem Albani furentis tyrannidem ſuſcepti, rationes reddit, repetita anteactorum memoria; atque in re tam ſalutari omnium auxilia et favorem expoſcit. CIↃIↃLXVIII CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] Volfius *D. f. o. d.* [β] Scombergio, Juſto Scouemburgio *D. f. o. d.* [γ] Bucchardo *D. f. o. d. Ed. Gen.* [δ] Lomervallius *ubique D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Genoa* ou *Gennes.* [b] *Hadſtadt.* [c] *Vayt Schoener.* [d] *Wolf.* [e] *Roltzhauſen, mareſchal de Heſſe.* [f] *de Schoonebergh.* [g] *de Schouwenburg.* [h] *le comte Albert de Naſſau.* [i] *le comte Burchard de Barby.* [k] *de Malsburg.* [l] *Rydeſal.* [m] *Welſen.* [n] *de Hooghſtrate.* [o] *le baron de Batenburgh,* ſelon Meteren. [p] *Warroux.* [q] *Ryſoire, Carloo, Hamets, Boxtel, Louverval.*

NOT. [a] Lege *Carleius.* Vide ſupra p. 637. *C.*

CIↃIↃLXVIII

CAROLUS IX.

expoſcit. Secundum haec ineunte Septembri [a] Romerſdorfiae in Treviris exercitum recenſet: et, tranſmiſſo Rheno, ad [b] Viti fanum ſuae ditionis pagum venit. Inde, petito a Clivenſi commeatu, Ludovicus [c] Arembergam, caeſo Hiſpanorum praeſidio, vi capit; [d] Carpenſem arcem et Eppenam inter [e] Coloniam Agrippinae et Duram, atque [f] Horneſonam, [g] Wittenam item [h] Culemburgii comitis arcem in poteſtatem redigit: [i] Aquiſgrano grandem pecuniam imperat. Tum in Rheno circiter XVIII navigia Italicis mercibus onuſta capit; quas inſtitores grandi pecunia redemere. Caeſac et aliquot regiae cohortes prope caſtrum [k] Noitcimium. Ibi longo tempore haerente Arauſionenſi, cum incertum eſſet, Lucemburgicum agrum ac Belgium an vero Galliam peteret, Albanus [l] Sequanis metuens, quanquam ad eorum defenſionem ex foedere Helvetii eſſent devincti, [m] Vergio Chamlitae comiti, provinciae praeſidi, pecuniam a menſariis grandi foenore acceptam mittit. Tum [n] Noercarmio, comiti Rutio, et Chriſtophoro Mondragonio [o] Damvillerii praefecto mandat, ut conſcriptis equitibus ac peditibus ei, ſi caſus ferret, praeſto eſſent. Mox et Gaſparem [p] Robleſium cum legione ſua ad eas partes ablegat, dato negotio, ut Ant. [q] Berrius Didaci Carvajalis ſignifer cum L delectis Hiſpanis [r] Limburgenſi arci imponeretur. Ipſe, qua erat ingenii ſagacitate, qui provideret, non diu inter tot gentes in caſtris hoſtium ſponte ac ſine ſtipendio militanteis coaliturum concordiam aut permanſurum obſequium, ad defenſionem ſe parat; et viribus colligendis tempus ſumit; ita judicans, cunctatione potius quam impetu contra potentiores viribus utendum eſſe; et tamen, ne ſuos deſereret, cum Germanorum legionibus IIII, ductoribus Alberico [s] Lodronio et Philippo [ſ] Eberſtenio, ac reliquo exercitu [t] Moſae Trajectum acceſſit; ibique tranſmiſſo fluvio, caſtra munivit, ponte ex navigiis ſtructo, ex quo excurrere, et loca, per quae hoſti veniendum erat, vaſtare et commeatus commoditatem impedire poſſet. Inſuper murices ac clavos acutos per loca vadoſa ſpargi curaverat; quibus pediti equitique tranſitum infeſtum redderet, aut omnino prohiberet. In caſtris Albani erant XVI CIↃ peditum; videlicet XL ſigna Hiſpanorum, XV Belgarum veteranorum ex vicinis praeſidiis educta, VI, duce Philippo [u] Lanoio Bellovaco, V, Carolo [v] Arſillio Landrecii, et V, Jacobo Briaco Mariemburgi praefecto, X [w] Hiergii, V Mondragonii, V Gaſparis Robleſii, qui Ruremundam tuendam in Geldria ſuſceperat, XX Germanorum, ducibus Alberico Lodronio et comite Eberſtenio. Interea Arauſionenſis, ſeditione militari appetitus, quod providerat Albanus, dum turbas componere ſatagit, periculum adiit, gladii, quo accinctus erat, capulo ſcloppeti ictu decuſſo, et Malesbergio aliiſque, qui cum eo erant, a furente milite interfectis. Sedato utcunque tumultu, vaſa conclamari imperat, per [x] Eburones facto itinere; et, [y] Leodico fruſtra tentato, quod intercipi poſſe putaverat, ad [z] Moſam acceſſit; et, ſurſum ac deorſum cum exercitu irrequieto tendens, cum diu incertum Albanum tenuiſſet, qua parte fluvium trajicere decreviſſet, tandem Non. Octobribus haud longe a [aa] Stochemo juxta Maſecam vado Moſae inopinato propinquat, et ſtatim praemiſſis aliquot equitibus vadum contari et purgari, dein maximum equorum numerum denſato et per flumen in alteram uſque ripam continuato agmine conſiſtere jubet: qua ratione fractus aquae impetus, et, dum ceteri inferius tranſmittunt, decreſcere coepit. Ita citra periculum tranſmiſſus Moſa; non ſine magna Albani, qui in loco ſuperiore ſpectator ſtabat, admiratione, atque etiam trepidatione: quippe multorum opinio fuit, ſi recta Arauſionenſis in regios duxiſſet, facile diſperſos et imparatos opprimi potuiſſe; ſicuti noſtra memoria evenerat, cum Carolus V,

Albi

INTERPR. [a] *Romerſtroff en l'archevêché de Treves.* [b] *St. Vyt.* [c] *Aremberghe* [d] *Kerpen & Eppen.* [e] *Cologne & Duren.* [f] *Horneſom.* [g] *Witten.* [h] *de Culemburg.* [i] *Aix la Chapelle.* [k] *Noiteim.* [l] *la Franche Comté.* [m] *de Vergy, comte de Champlite.* [n] *le ſieur de Norcarmes, le comte du Rœux, & Chr. Mondragon.* [o] *Damvilliers.* [p] *Robles, ſieur de Billy.* [q] *de Berrio.* [r] *Limburg.* [s] *le comte de Lodron.* [ſ] *le comte d'Eberſtein.* [t] *Maeſtricht.* [u] *de Launoy, ſieur de Beauvois.* [v] *d'Arſillet gouverneur de Landrecy, & J. Briac gouverneur de Marienbourg.* [w] *le ſieur de Hierges.* [x] *pays de Liege.* [y] *ville de Liege.* [z] *la Meuſe.* [aa] *Stockem prés de Maeſeyck.*

[a] Albi ad Mulbergam ſuperato, Joannem Fridericum Saxonem ſeptemvirum debellavit. Sed fatigatos et adhuc ab aqua madenteis ſuos colligere et caſtris munitis continere ſat magnum pretium viſum fuit. Dum in eo ſunt, rex ad Albanum dat literas; eique, ut mutuam gratiam referret, auxiliareis bis mille equites offert, quos, ducibus Claudio Lotharingo [b] Aumalio et Arturo Coſſaeo equitum tribuno, ſummiſſurus eſſet, negotio dato, ut Gallicas Proteſtantium copias, quas in limite convenire inaudiverat, antequam conjunctae eſſent, penitus diſſiparent ac delerent. Gratiis actis, Albanus conditionem accipit; et, quo auxiliareis exciperet atque ad ſe deduceret, Carolum Philippum [c] Croium Havreci marchionem [d] Arſcoti ducis fratrem mittit: ſed, cum die condicta noſtri in limite non comparerent, ad Albanum revertitur; qui ad locum juxta [e] Moſae-Trajectum, vulgo ab indigenis [f] Caſtrum Caeſaris dictum, ſe muniverat: ubi dum eſſet, tubicinem ab Arauſionenſi ad urbem miſſum, ſive ad terrorem ſive quod occulta cum oppidanis conſilia ne miſcerentur vir ſuſpicax vereretur, ſtatim laqueo ſuſpendi juſſit. Interea, dum ſe caſtris continet, aliquandiu velitaribus proeliis pugnatum fuit, univerſi proelii aleam defugientibus regiis; quibus proviſa neceſſaria abunde erant; cum contra commeatus in paucos dies Arauſionenſi ſuppeteret, qui inde [g] Tungros [h] Leodicenſis ditionis oppidum et reflexo itinere [i] Gertrudis fanum in Centronibus ducit, Albano ſemper inſequente et poſtremum agmen carpente. Ibi pugnatum acriter, ſtructis a regiis inſidiis; qua in pugna Marci [k] Toletani praecipua virtus fuit.

XVIII. INDE commeatus penuria Arauſionenſis per Brabantiam vagatus [l] Thenas uſque tribus a [m] Lovanio milliaribus, quo ſe [n] Hiergius ab Albano praemiſſus incluſerat, excucurrit, Albanum inſequentem aſſidue laceſſens, ſi qua ratione eum ad proelio decertandum compellere poſſet. Albanus haud longe a Thenis caſtra muniverat; ubi, cum hoſtem trajicere amnem, cui [o] Geetae nomen, velle intellexiſſet, Fridericum filium cum Chapino Vitellio et IIII Hiſpanorum et aliquot Gallorum et Belgarum ſignis et nonnullis equitum alis mittit, qui anguſtum iter hinc et inde ſylvis oppoſitis cinctum, inter quas hoſti tranſeundum erat, inſiderent. [p] Monteſdoca et Salinas cum IↃ ſcloppetariis in anguſtiis collocati. Cumque eo die, jam inclinante ſole, Arauſionenſis cum toto exercitu apparuiſſet, nihil actum eſt, quamvis inſtante [q] Hocſtratano, ut proelii alea tentaretur. Res tamen dilata ob vicinam noctem; et uterque exercitus medio colliculo pernox in ſtatione fuit. Poſtridie, incedente jam hoſte, cum tamen incertum eſſet quo tendere in animo haberet, Albanus ſummo mane aciem eo ordine inſtruit, ut levis armatura praecederet; quam cum univerſo peditatu Fridericus Toletanus ſubſequebatur: ultimum agmen claudebant equitum Germanorum turmae VI. Mox levis armatura acre certamen conſerit, capto etiam ſigno et occupato colle, ex quo regii libere in hoſtem deſpiciebant. Heic, cum IIII alae Germanicae, jam praemiſſo reliquo exercitu, prope eſſent, [r] Capralis ſcloppetariorum equitum dux urgebat, ut, licet nondum conjuncto peditatu, in ultimum agmen impetus fieret: nam intereſſe amnem illum Geetam, quem jam prima acies tranſmiſiſſet; eoque commodius videbatur, ut, parte tranſmiſſa, ultimos adoriretur. Sed Albanus de locorum ſitu dubius aſſentiri noluit; et, dum ruſticum ad explorandum mittit, occaſio rei gerendae paene omiſſa eſt. Juſſi tamen Sanctius [s] Avila et Conſalvus [t] Bracamontius, ſinguli cum IↃC delectis, anguſtias, quas memoravi, occupare; et Gaſpari Robleſio cum Belgica legione negotium datur, ut in hoſtem impreſſionem faceret. Hic rurſus acriter pugnatum a regiis; qui, licet numero impares, tamen ſuorum, qui praeſto erant, fiducia contra numero potentiores tanta vi conflixere,

INTERPR. [a] *l'Elbe r.* [b] *le duc d'Aumale, & le mareſchal de Coſſé.* [c] *de Croy, marquis d'Havreck.* [d] *le duc d'Arſchot.* [e] *Maeſtricht.* [f] *le camp de l'empereur.* [g] *Tongres.* [h] *de Liege.* [i] *Ste Gertrude au pays de Liege.* [k] *de Tolede.* [l] *Tillemont* ou *Thienen.* [m] *Louvain.* [n] *le ſieur de Hierges.* [o] *Geete.* [p] *de Monteſdoca & de Salinas.* [q] *le comte de Hooghſtrate.* [r] *le baron de Chevreau de la maiſon de Vienne.* [s] *d'Avila.* [t] *de Bracamonte.*

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

conflixere, ut, cum illi omni ſpe auxilii, quippe cum ſocii jam in ulteriorem amnis ripam evaſiſſent, deſtituerentur, a regiis poſtremo diſſipati ac caeſi ſint. Periere ex illis plus II CIƆ, ictibus glandium interfecti; ex regiis haud amplius XX, et L circiter vulnerati. Hoceſtratanus, accepto in pede ſcloppeti ictu, paucis poſt diebus extremum diem clauſit. Eberardus item Velenſis [a] Louvervallius Belgici peditatus dux captus, et Bruxellis juſſu Albani ſecuri percuſſus eſt; quo ad eum venit [a] Didacus Toleranus filius [a] comes ſtabuli Navarrae.

XIX. HAC clade accepta, Arauſionenſis [b] Jodomiae cum auxiliaribus Gallis ſe conjungit: ii omnino erant II CIƆ peditum, IƆ equitum; quibus praeerat Franciſcus [c] Hangeſtus Janlius cum Ludovico Lanoio Morvillerio, Rantio, Moio, Anglurio Autricurio, Jo. Raguerio Sternaco, ac Poieto peditatus praefecto. Per agrum Lucemburgicum facto itinere [d] Huberti fanum, in Arduenna ſylva inter [e] Dionantum et Carlomontium, et [f] Andagienſe monaſterium populati ſunt: incenſoque Huberti fano, quod cultu illis locis praecipuum eſt, [g] Thenas uſque venerunt. Quibus viribus non tam firmatus quam annonae penuria preſſus Arauſionenſis, infeſtis paſſim urbibus ea in regione frequentibus, occaſionem univerſis copiis cum Albano confligendi huc illuc curſitans et mutatis ſaepius caſtris aucupabatur. Contra ille inſequendo aequo ſemper loco caſtra muniebat, ut ad pugnam invitus cogi non poſſet. Arauſionenſes Jodomia [h] Eliſſemum juxta Tilemonem, quo ſe Hiergius incluſerat, veniunt, rurſus [i] Moſam tranſmiſſuri, ſi per tempeſtatem licuiſſet: ſed, hybernis pluviis inflato fluvio, cum vadum reperire oon poſſent, ad laevam iter flectunt. Albanus vero, qui [k] Lovanii erat, cum Mondragonii legione, Joannis Baptiſtae [l] Montii, Sanſecundi et Nuvolarae comitum, Georgii [m] Macucae alis, et ſcloppetariorum equitum [n] Monteri turma hoſtes inſequitur; et, dum ad Mariae fanum tendit, ultimum agmen adſecutus IƆ ex iis cecidit, ac [o] Bavaci hoſpitium eadem nocte habuit; miſſo Friderico filio, qui [p] Huſſium oppidum pontemque lapideum Moſae in [q] Eburonibus impoſitum, ne hoſtibus pateret, praeſidio firmaret. Arauſionenſis Leodicum ſuos miſerat, qui tranſitum ſine maleficio peterent, obſidibus oblatis: quod cum epiſcopus, is erat Girardus [r] Grosbekus Hiſpanorum partibus addictus, et ſacrorum ſodalium collegium negaret, diſploſis aliquot tormentorum ictibus, ad dextram iter flectit, et tandem in Hannoniam deſcendit; ubi et patentiores campi et commeatus copioſioris ſpes erat. Cumque ad [s] Queſnocum veniſſet, et in agrum [t] Cameracenſem tenderet, tandem ex Albani exercitu, cum quo toties certamen tentaverat, X Germanorum ſigna, VIII Hiſpanorum, et III levis armaturae turmas adſecutus fundit, et cladem ſuperiorem utcunque ulciſcitur. Vulnerati in eo certamine Sanctius Avila, Franciſcus [t] Toleranus, [u] Rodericus Lopeſius; Avalus occiſus. Inde [v] Caſtrum Cameracenſe oppugnatum; quod [w] Mollinius ſumma animi praeſentia, oppidanis trepidantibus, tutatus eſt. Heic extrema neceſſitate adactus Arauſionenſis, inſtigante Janlio ac ducibus Gallicis, in Galliam, ubi jam bellum incruduerat, iter intendere ſtatuit; et, quanquam rex ad limitem miſiſſet Coſſacum cum II CIƆ peditum et equitum aliquot alis, ut eum ingreſſu prohiberet, ipſe ſupra [x] Quintini fanum, [y] Somona tranſmiſſo, [z] Auguſtam Sueſſionum venit; ubi obvium habuit

Gaſparem

VAR. LECT. [a] comitis *D. d.* *Edd. Gen.*

INTERPR. [a] Vander Haer croit que ſon vrai nom eſt *Philippes de Marbais, ſieur de Louverval.* [b] *Judoigne.* [c] *de Hangeſt ſieur de Genlis, L. de Launoy ſieur de Morvilliers, de Renty, de Mouy, d'Anglure ſieur d'Autricour, J. Raguier d'Eſternay, & Poyet.* [d] *St Hubert ès Ardennes.* [e] *Dinant & Charlemont.* [f] *St. Jangai* ou *Haſtiers abbaye.* [g] *Tillemont.* [h] *Heyleſſem.* [i] *la Meuſe.* [k] *Louvain.* [l] *del Monte, de Sanſeconde, & Nuvolara.* [m] *Macbuca.* [n] *Montero.* [o] *Bavay.* [p] *Huy.* [q] *Liege.* [r] *de Groesbeck.* [s] *Queſnoy.* [t] *le Cambreſis.* [t] *de Tolede.* [u] *Ruy Lopez, & Davalos* [v] *Château Cambreſis.* [w] *Moleyn.* [x] *St. Quintin* [y] *la Somme.* [z] *Soiſſons.*

NOT. [a] Ludovico Bellomontio Lerinae comiti, qui Navarrae comitis ſtabuli dignitatem hereditario jure poſſedit, ſucceſſit filius: quo mortuo A. D. 1530, ſucceſſit item filius; qui moriens A. D. 1565 treis reliquit filias. Harum natu maxima Brianda A. D. 1565 Didaco Toletano Albani filio nupſit, qui, jure uxoris poſt ſoceri mortem Navarrae comes ſtabuli creatus, eam dignitatem poſteris ad noſtra uſque tempora tranſmiſit. C.

Gaſparem [a] Schombergium a rege legatum, qui indicaret, regem magnopere ſuum in Galliam cum tanro exercitu adventum mirari, quippe cum ejus cauſam ignoret, oeque pro vetere ac laudabili conſuetudine bellnm indictum denunciatumve ſit; tranſitum in Germaniam, quod petere cum audiat, regem nequaquam recuſaturum, modo nihil hoſtiliter ſacturum ſe recipiat. Ad haec Arauſionenſis pridie Non. Dec. reſpondet, quid ſuae voluntatis eſſet antea regi ſignificaſſe; neque tam ſtolidum aut imprudentem eſſe, ut viribus impar contra eum quidquam hoſtiliter moliturus veniat; ſed eorum, qui veram religionem profitentur, et quorum exitio plurimos in Gallia imminere ſciat, periculum negligere non potuiſſe: proinde orare, ut rex pro inſita clementia hominum, nihil praeter Dei honorem vitae ſecuritatem et regium obſequium ſpirantium, commiſeratione tangatur, et edicta in ipſorum gratiam facta ſervati curet. Schombergius interim, perſpecto Arauſionenſis animo, et facta ſpe de ſtipendio militi numerando, ſi e Gallia cum ſuis ſine maleficio diſcederet, tribunos ac duces militum ſibi notos, qua erat ingenii ſagacitate, pertentat; et rerum noſtrarum ſtatu, egeſtate ſociorum ac rei gerendae difficultatibus propoſitis ad defectionem ſolicitat: cootinuoque murmura in caſtris audiuotur conquerentium de ducibus ſuis, qui ſe ptaeter fidem datam adverſo tempore regionibus infeſtis contra principem nulla injuria obnoxium, nuſquam repraeſentata, quae promiſſa erat, pecunia, perditum eant. Cumque urgeret Arauſionenſis, nt, quam magnis itineribus poſſent, ſe cum Condaeo conjungerent; illi negare, et jam aperte, ſe non ad bellum cum rege Galliae ſed cum Albano gerendum auctoratos, dicere: tot inſuper menſium ſtipendia ſibi deberi; nulla ſpe neque in praeſens neque in futurum affulgente, quo, niſi in certam perniciem, abduci? in patriam potius, dum liceret, cum bona regis gratia, nullo maleficio laceſſiti, reducerentur. Ita ſeminato inter eos diſſidio, Schombergius in aulam redit. Arauſionenſis vero, cum provideret fore, ſi ulterius pergeret, ut in majores ſe difficultates ſemper indueret, ne videretur cogi, aſſenſus eſt; et, converſo in Germaniam itinere, [b] Argentinam venit: ibique dimiſſis copiis et ſupellectile omni divendita, ut duces, ſi non plene eis ſatisfaceret, ſaltem ea liberalitatis oſtentatione in praeſens pacatos, in poſterum benevolos haberet, Wolfango [c] Baioaro Bipontino duci profectionem in Galliam adornanti ſe applicuit. Numeratum praeſenti pecunia trimeſtre ſtipendium equitatui: reſiduum intra XII annos perſoluturum ſe promiſit Arauſionenſis, Monſortenſi ditione, Arauſionenſi principatu, ac ceteris bonis oppigneratis. Albanus, pulſis Belgio foederatis, jam ſecurus copias in hyberna diſtribuit. Legio Sanctii [d] Lodonii [e] Ultrajecti, [1] Gorcumi et Bomeliae; legio Juliani [f] Romeri, [g] Bruxellis et Mechliniae; legio Alſonſi Ulloae [h] Trajecti-Moſae, ad Sylvam-ducis, Weertum et Graviam; [i] Billii cohortes [k] Groeningae; [l] Mondragonii [m] Deventriae, et Alberici [n] Lodronii copiae [o] Valencianis et Antuerpiae impoſitae.

XX. In Germania oihil fere magnum publice hoc anno, pauca privatim memoratu digna geſta ſunt. Fatis conceſſit XIII Kal. April. qui dies B. Cudberto ſacer eſt, Albertus Brandeburgicus; qui ex Teutooici Ordinis magiſtro a Sigiſmundo Poloniae rege avunculo, cum alia bellorum componendorum ratio iniri non poſſet, renunciata Imperio fide, [p] Boruſſiae dux creatus eſt, anno hujus ſaeculi XXV, his conditionibus, ut [q] Gedanum, Torona, Marieburgum et Elbinga juris Polonici eſſent, reliquam Boruſſiam tanquam beneficiatius coronae Poloniceae retineret. Is poſtea et uxorem duxit, et Auguſtanam confeſſionem amplexus [r] Regiomontii ſcholam celebrem

INTERPR. [a] *de Schomberg.* [b] *Strasbourg.* [c] *de Baviere, duc de Deux Ponts.* [d] *de Londono.* [e] *Utrecht, Worckum, & Bommel.* [f] *Romero.* [g] *Bruxelles & Malines.* [h] *Maeſtricht, Bois-le-duc, Weert, & Grave.* [i] *de Robles, ſieur de Billy.* [k] *Groningue.* [l] *de Mondragon.* [m] *Deventer.* [n] *le comte de Lodron.* [o] *Valenciennes & Anvers.* [p] *la Pruſſe.* [q] *Dantzich, Thorn, Marienburg, & Elbing.* [r] *Konigsberg.*

NOT. [1] Mendoça met *Worckum*, & il faut le ſuivre. *Put.*

CIↃIↃLXVIII

CAROLUS IX.

celebrem inſtituit, atque amplis vectigalibus locupletavit; verum cum ea propter Oſiandriſmum aliquandiu turbaſſet, tandem emendato errore priſtinae quieti reſtituta eſt. Dein aulicorum miniſtrorum culpa, quibus nimium jam affecta aetate ſenex tribuebat, ut in religione ſic et in civili adminiſtratione res quoque turbavere; quibus Sigiſmundi Auguſti Poloniae regis auctoritate idoneo remedio proſpectum eſt, praecipuis ſeditionis auctoribus ſupplicio partim affectis partim mulctatis. Tandem octogenario proximus [a] Tapiavi deceſſit, cum L annis rebus Boruſſiacis praefuiſſet, rarae felicitatis domeſticae exemplo, cum eodem die Anna Maria Brunſvica altera uxor, ex qua Albertum Fridericum imperii heredem ſuſtulerat, ſupremum diem obiiſſet, ut, qui concorditer vixerant, eodem [α] momento e vita demigrarent, ne alter ſuperſtes alterum lugere cogeretur. Alberto Friderico XV annorum pupillo a Polono tutores dati: qui, poſtquam major declaratus eſt, eadem, qua parens ipſius, ſolemni ceremonia coram Joachimo ſeptemviro, Alberto Friderico et Georgio Friderico Brandeburgicis, tanquam regni Polonici beneficiarius, in Boruſſiae principem [b] Lublini in comitiis tradito vexillo et accepto a rege torque aureo inauguratus eſt. Boruſſium aliquot menſibus aetate minor ſecutus eſt Henricus Brunſvicus III Eid. Junias, cum [c] Wolfebuteli in arce ſua eſſet; qui bellis ſive domeſticis ſive externis totam vitam exercuit, et expeditioni a Georgio Saxone contra Friſios ſuſceptae interfuit: dein Erico Brunſvico agnato contra Hildeſemienſem epiſcopum ſuppetias tulit: poſtea ruſticorum bello egregiam operam navavit: et Carolo V in Mediolanenſi principatu et Neapolitano regno contra Gallos bellum gerenti cum inſtructiſſimis copiis praeſto fuit; unde reverſus homo otii impatiens a Caeſare ſollicitatus [d] Goſlariae et Brunſvicae civitatibus, contra Smalcaldici foederis ſocios, exitioſo non ſolum ſibi ſed et univerſae Germaniae exitu, bellum indixit: quod mox Germanicum bellum ſecutum eſt. Nam captus a Philippo Heſſorum principe et [e] Caſſellas abductus, belli quidem illius, cujus incentor fuerat, ſpectator extitit: ex quo carcere poſtea inſperato liberatus, rurſus anno hujus ſaeculi L bellum Brunſvicae civitati intulit: quo Caeſaris juſſu compoſito, rurſus alii non minus exitioſo involvitur; et, Magdeburgenſi obſidioni cum operam addixiſſet, inde Wolradi Mansfeldii copiis ob non ſoluta ſtipendia tumultuantibus ad ſe traductis, cum [f] Mindenſi et Monaſterienſi epiſcopis et Erico agnato bellum privatum geſſit; ac dein cum Mauritio Saxone ſeptemviro contra Albertum Brandeburgicum foedus iniit, exitu toti familiae funeſto. Nam in proelio illo adeo memorabili, VII Eid. Quintil. anno hujus ſaeculi LIII inter inimicos principes juxta [g] Siverhuſium commiſſo, cum Carolum Victorem et Philippum Magnum magnae ſpei et indolis filios amiſiſſet, Mauritio ipſo mox extincto, ipſe belli a civitatibus et epiſcopis contra furentem Albertum ſuſcepti dux fuit: in quo cum illius vires jam attritas tandem omnino profligaſſet, ulta filiorum morte, et ditione ſua recepta, et pace Germaniae parta, ad civilem adminiſtrationem animum vertit, et tot bellorum cladibus illatas domeſticas ruinas ſarcivit. Wolfebutelum arcem tota Germania munitiſſimam bellis illis aut incenſam aut dirutam inſtauravit; et rei familiaris, cujus negligentia magnum aes alienum contraxerat, curae ſe totum, quam diu vixit, dedidit, cum ſaepius aut in acie aut in memorabili quodam conflictu ſive obſidione mori exoptaſſet et ſperaſſet. Moriens ex Maria Wirtembergica Julium filium reliquit; quem, ſuperſtitibus Victore et Philippo, ſacris deſtinaverat. Is vero, majorum religionem deſerens, ſtatim principatus ſui initio Auguſtanae confeſſioni ſubſcripſit, et eam per ditionem ſuam promulgandam curavit, Jacobo [h] Andreano Tubingenſi et Martino Chemnitio ad id evocatis. Auctor et fuit Joanni [i] Lorbeero [k] Riterhuſenſis coenobii ad primum a Brunſvica lapidem

VAR. LECT. [α] momento ad Deum migrarent *D. f.*

INTERPR. [a] *Tapiaw.* [b] *Lublin* [c] *Wolfenbutel.* [d] *Goſlar & Brunſwick.* [e] *Caſſel.* [f] *Minden & Munſter.* [g] *Siverſhauſen.* [h] *André, recteur de l'univerſité de Tubingen.* [i] *Lorbeer.* [k] *de Riterhauſen.*

Digitized by Google

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

lapidem praeſuli, ut eandem confeſſionem reciperet: quod et ille, abolito majorum cultu, fecit, et, inſtituta ſchola, atque uxore ducta, in ea adminiſtratione ad vitam perſeveravit: cujus exemplo et Eberardus [a] Hollius [b] Verdenſis epiſcopus in tota ditione ſua majorum cultum antiquavit, et Auguſtanam confeſſionem recipiendam curavit. Extremo anno demum Chriſtophorus [c] Wirtembergicus naturae debitum perſolvit [d] Stugardiae anno aetatis LIII; linguarum peritus et literis excultus princeps ac literatorum fautor eximius; qui, varia fortuna jam ſub patre Ulrico jactatus, adverſis et proſperis rebus eundem animum ſervavit, hoc eſt, invictum ſe praebuit; et, antequam in principatum ſuccederet, olim Franciſco I bellis Subalpinis fortem operam navavit, et induſtriam ſuam in re militari approbavit, XXXIII vexillorum ductor, cum vix vigeſimum ſecundum annum ageret; de cetero confeſſionis Auguſtanae acerrimus propugnator, quam et theologorum ſuorum ſcriptis firmatam per legatos [e] Tridenti tuendam ſuſceperat. Parta Imperio pace, pacis quoque ſtudia coluit; et poſt [f] Elvaganam expeditionem, de qua ſuo loco diximus, ſe domi quietum continuit, ſacrorum librorum lectione ſenectutem oblectans. Huic filius Ludovicus, ceteris maſculis, quos ex Anna Maria Brandeburgica magno numero ſuſceperat, ante patrem fato functis, ſucceſſit.

XXI. BELLUM et hoc anno habuit Germania; ſed quod in ortu ſuo mox extinctum eſt. Hujus origo fuit, quod archiepiſcopi Trevirenſes civitatem ſibi, nullo medio, ſubjectam eſſe contenderent, et proinde in ea obſequii abſoluti juramentum, vectigalium impoſitionem, ſenatus conſtitutionem, cuſtodiam clavium, executionem ſententiarum et cauſarum criminalium dijudicationem ſibi arrogarent; quae omnia oppidani conſuetudine vel praeſcriptione per poſſeſſionem quaſi temporis ſibi competere cauſabantur. Tunc Jacobus [g] Elſius Trevirorum praeſul erat; qui injuriam deceſſori ſuo in ea re factam ulturus clam machinas bellicas majores ex arce ſua [h] [α] Ermeſtenia in [i] Cellam Palatinam per [k] Moſellam tranſvehi curat, et ope equitum Germanorum, quos Philippus [l] Rheni comes regis nomine conſcripſerat, duce Antonio Elſio patruele, in oppidanorum nihil tale merentium greges et armenta impetum facit; iiſque abactis, [m] Auguſtam Trevirorum, intercluſo omni commeatu, corona cingit; et, quantumvis interim mandatum de ea ſolvenda obſidione a Camera Imperiali impetraſſent oppidani, ea a IIII Eid. Jun. uſque ad V Eid. Sextil. continuata fuit: quo die hora octava pomeridiana poſt ſolis occaſum, ſed coelo ſereno, Cyprianus [n] Leovicius clariſſimus aſtrologus treis lunas vidit, et per treis horae quadrantes notavit; quarum media vera luna fuit, vero et nativo hoc eſt mutuato a ſole lumine fulgens; ceterae in gyrum ductae nonnihil rubicundae et quaſi ſanguine ſuffuſae partim albeſcente circulo partim caeruleo et interiore cruento apparebant. Cum vero Caeſar et Rhenani ſeptemviri ex prodigio illo ubique divulgato tum ex bello a Trevirenſi excitato magnam Imperio malorum molem impendere praeſagirent, mature per legatos, inter quos Hermanni [o] Eppingeni Palatini ſeptemviri oratoris praecipua induſtria et diligentia emicuit, cum praeſule et oppidanis egerunt: et principum interventu poſt multas hinc inde altercationes tandem inter eos tranſactum fuit, his conditionibus; ut praeſul, cautione data, nihil moleſtiae aut damni oppidanis creatum iri, cum armatis, qui legato Caeſareo fidem obſtringerent, in urbem admitteretur; et cives ſic ſe erga eum gererent, ut ei diutius apud ipſos immorari neceſſe non eſſet: de juribus inter partes controverſis lis ordine et ſecundum juris receptam in Imperio formulam terminaretur. Ita honorifice, quod ad praeſulem, nec ſine oppidanorum gravamine pernicioſi belli initiis, tam

vicino

VAR. LECT. [α] Ermebreſtenia D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Holle.* [b] *de Verden.* [c] *le duc de Wirtemberg.* [d] *Stutgard.* [e] *Trente.* [f] *de Elwanges.* [g] *d'Eltz, archeveque de Trier* ou *Treves.* [h] *Ehrenbreitſtein*, par abregé on dit *Hermanſtein*, mais l'autre eſt le vrai nom. [i] *Cell au Palatinat.* [k] *la Moſelle.* [l] *le Rhingrave.* [m] *Treves.* [n] *Leovitz.* [o] *Eppingen.*

CIƆIƆLXVIII vicino Belgio, quod pariter cum Gallia bellis ardebat, Caeſaris ac ceterorum princi-
CAROLUS IX. pum prudentia finis impoſitus eſt.

XXII. LONGE graviores motus eodem anno in [a] Sueciae regno exorti, et cum magna imperii mutatione ſimul ſopiti ſunt. Ericus rex, cum pravis conſultoribus uſus huc uſque multa crudeliter, plura imprudenter patraſſet, omnium offenſione in ſe converſa, ad ſcelerum cumulum accedere voluit et matrimonii infamiam, quod cum Catharina humili loco nata concubina, ex qua duos liberos ſuſtulerat, contractum IIII Non. Junias ſolemni ritu [b] Holmiae in templo publice celebravit, Catharinae etiam regali corona impoſita. Pompae interfuit Magnus [c] Saxoniae dux, quanquam invitus; cui poſtridie Sophia Erici ſoror deſponſata eſt. Ne intereſſent indignis genere ſuo nuptiis Joannes Finlandiae, quem ſuperiore anno [α] cuſtodia liberatum diximus, et Carolus [d] Sudermaniae duces, aliquot ante diebus aula diſceſſerant, [e] Waſteno occupato, ubi, cum [f] Stenone avunculo et [g] Turone ac permultis regni proceribus communicato conſilio, nobilitatem ad defectionem ſolicitant, miſſis ad ſingulos literis, quibus conſilii ſui rationes exponebant. Quo cognito, ſtatim Ericus tumultuarias copias contra fratres miſit; quae, ubi primum in conſpectum venere, ad ipſos transfugerunt IIII Kal. Sept. et aliquot poſt diebus regina Guſtavi vidua, et Sophia, quae ante IIII Non. Quintil. Magno Saxoni nupſerat, mane ſumpto Chriſtianorum viatico cum ceteris ſororibus, petito ab Erico commeatu, recreandi animi gratia per Melerum amnem navigio quaſi exſpatiaturae exeunt: cumque CIↃ ab urbe paſſus proceſſiſſent, Magnus Saxoniae dux, qui cum XL equitibus ad exploranda hoſtium itinera miſſus fuerat, ex compacto in altera fluminis ripa eas excipit, et cum iis ad Joannem et Carolum fratres tranſit. Mox equites ante portam urbis in excubiis collocati ad foederatos confugiunt. Tandem, accedentibus cum exercitu fratribus, urbs XV Kalend. Octobreis obſidione cingitur, praemiſſo tubicine, qui Georgium Petri filium Erico ab epiſtolis ac praecipuum libidinum et flagitiorum adminiſtrum dedi poſtularet. Rex, crebris transfugiis territus, et a domeſticis non minus quam ab externo hoſte ſibi metuens, cum Georgii deditione fratres placatum iri ſperaret, per praeſidiarios hominem cum matre ſcelerum conſcia in fratrum caſtra ducendum imperat; ubi duabus rotis per exercitum circumductus, praeciſis auriculis et ad furcam adfixis, ipſe etiam vivus horam in patibulo pendens gratum militi ſpectaculum praebuit, ac, dein cruribus ac brachiis rota contuſis, poſtremo in quatuor partes diſſectus eſt. Dum in eo res ſunt, Joannes publicato ſcripto belli adverſus Ericum regem ſuſcepti rationes exponit; et fratri praecipue inter alia crimini dat, quod regni initio, ſpretis ſenibus conſiliariis, juvenes et rerum imperitos gubernaculis admoverit; quorum conſilio irritatis regibus ac civitatibus vicinis bellum non minore temeritate quam perfidia ſuis damnoſum excitarit: quod, concepto in ſuos odio, ſe quoque, indicta cauſa, praeter exſpectationem in [h] Abonenſi arce ſua captum cum dilectiſſima conjuge totum quadriennium in cuſtodiam arctiſſimam conjecerit: Sigiſmundo Auguſto Poloniae regi [i] Witenſtenium, Parnoviam et Karcuſam arces ſine cauſa ademptas praeſidiis muniverit; et, quanquam interveniente Caeſare, octonali bello ſuos ac vicinos jam vexaverit: civitatum maritimarum legatos annum de induſtria retentos tandem ſine reſponſo dimiſerit; praedationibus ac latrociniis mare infeſtum non ſolum vicinis ſed etiam remotis ac Philippo Hiſpanorum regi fecerit: ſe vero, cum carceris quadriennalis taedio et bonorum privatione vexare non ſatis haberet, etiam de medio tollere immani paricidio ſtatuerit, dato Georgio negotio, cum anno ſuperiore miſerabilis caedes [k] Upſaliae patrata eſt, ut ſe quoque cum filiolo trucidaret; et interfecti conjugem hereditario Chriſtiani nominis

hoſti

VAR. LECT. [α] cuſtodia a fratre liberatum *D. f. o.*

INTERPR. [a] *la Suede.* [b] *Stockholm.* [c] *Saxe-Lawenbourg.* [d] *Sudermanie.* [e] *Wadſtena.* [f] *Steno, baron Bielki.* [g] *Turon Bielki.* [h] *Abone* ou *Abouen.* [i] *Wittenſtein, Pernau, & Karkus.* [k] *Upſal.*

hoſti Ruſſiae tyranno traderet, qui ea de cauſa legatos ſuos cum non exiguo armatorum numero rei eventum opperituros in Succiam miſerat: quod omneis honeſtas atque utileis cum Danis et Polonis pacis incundae rationes repudiaverit: quod, patrata Upſaliae immani ſcelere procerum caede, morſibus conſcientiae exagitatus in Ruſſiam, regno relicto, auſugere cogitaverit; et, cum poſtea poenitentia ductus Georgium ſacti ducem et incentorem poenae dedere promiſiſſet, in idque ſumpto Chriſtianorum viatico fidem obligaſſet, non ſolum fidem non ſervaverit, ſed neſarium hominem priſtinae dignitati, aliis conſiliariis excluſis, reſtituerit: quod inaudita levitate et imprudentia filiam lictoris ex concubina contra omnem honeſtatem in uxorem duxerit, et ad regale faſtigium evexerit, tentatis et repudiatis regum ac vicinorum principum adfinitatibus: quod proceres ac fidos regni miniſtros confictis criminibus petitos variis poenis inauditos affecerit, et bona eorum ſibi et Georgio emiſſario ſuo addixerit: per Odolſum quendam latrunculatorem perditiſſimae vitae hominem et ſanguini fundendo innutritum cc amplius ruſticos Gothicos vita exuerit; nova et inſolita tormentorum genera excogitaverit, ut exquiſita eorum carnificina miſeros homines ad confeſſionem criminum, de quibus nunquam cogitaverant, adigeret: quod novis et intolerandis vectigalibus omneis regni ordines et eccleſiaſticos in primis oneraverit, ſcholarum et xenodochiorum immani rapacitate proventibus exhauſtis, et juventute regni, quae eccleſiae et reipublicae inſervire potuiſſet, ſervili more in album barbarorum militum relata: poſtremo, quod rempublicam male geſſerit, regiam dignitatem ſceleribus et impura vita foedaverit, ſeque ea indignum praebuerit. His de cauſis et propriae ſalutis tuendae neceſſitate inductum ſe ac Carolum fratrem bellum fratri intuliſſe demonſtrat; cujus is exitus fuit, ut [a] Stocholmia tandem in extremas anguſtias redacta, cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, ardentibus odio et indignatione ob nuptiarum nuper contractarum infamiam animis, III Kal. Oct. qui dies B. Michaeli ſacer eſt, dederetur. Qua in deditione periculi potius quam immanis naturae ſuae oblitus, cum Stenoni avunculo manum in foro porrexiſſet, ne quid intentatum relinqueret, ſubornato milite a tergo grave vulnus ſecuri infligi juſſit; ex quo poſt paucos dies deceſſit. Poſt meridiem Carolus Sudermaniae dux et Magnus Saxo in urbem venientes arcem deditione accipiunt, et II cohortium praeſidio firmant. Demum pridie Kal. Oct. Joannes Erici ſecundum ipſum grandior natu frater cum CIƆ IƆ CC equitibus et aliquot peditum ſignis urbem triumphans ingreditur; et, Erico fratre exauctorato et cum Catharina conjuge in conclave ſub cuſtodia conjecto, rex Succiae magno procerum et omnium ordinum conſenſu et applauſu renunciatur: egregio in poſterum exemplo, ne principes, dum ſibi quidvis licere putant, potentia in ſuae ditionis populos a Deo commiſſa ad libidines, crudelitatem, rapacitates, proprio vel alieno ingenio inſtigati, male utantur; et ultorem Deum, qui impunita ſcelera non ſinit, revereantur. Antequam Joannes palam bellum fratri intuliſſet, Georgium [b] Guldenſternum et Thuronem Bielkium de pace legatos ad Daniae regem [c] Roſchildiam miſerat; ubi pax conventa et publico inſtrumento mandata eſt, his inter cetera conditionibus; ut Dani, [d] Warberga a Succis accepta, Succis viciſſim [e] Elſburgum reſtituerent. Bello denuo ſpe citius feliciter confecto, Joannem Stocholmia potitum, et rebus jam conſtitutis, conditionum poenituit; quod renovato inter Danos et Succos bello anno ſequenti occaſionem praebuit: et [f] Warneburgum quidem in rupibus maritimis Succiae conterminis poſitum caſtellum Danici circiter Non. Nov. ceperunt: ſed Franciſci [g] Brokhauſeni et Danielis Ranzovii in ea obſidione occiſorum mors ſucceſſus laetitiam minuit. Inde

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Stockholm.* [b] *G. de Guldenſtern & Turon Bielki.* [c] *Roſchild.* [d] *Wardberg.* [e] *Helſingborg.* [f] *Warneburg.* [g] *Brokhauſen & Dan. de Ranzow.*

CIϽIϽLXVIII Inde progreſſi Dani, cum pacta non praeſtarentur, ferro et flammis crudeliter per Succiam graſſati ſunt.

CAROLUS IX.

XXIII. Durabat interim Polono cum Moſcis bellum. Sigiſmundus igitur, validiſſimo exercitu conſcripto, in quo c bellatorum CIϽ erant, ad [a] Rodoſcoviciam XXIIII milliaribus ultra Vilnam progreſſus, tamen, re infecta, dimiſſis magnam partem copiis, [b] Grodnam rediit, ſtipendiario milite cum tormentis ad [c] Ulam Moſcorum arcem obſidendam miſſo, duce Joanne [d] Cholechieſvicio Samogitiae praefecto, qui ſub Carolo V olim meruerat: ſed et haec oppugnatio fruſtra fuit. Ula deinceps, nequicquam vi tentata, IIII Kal. Oct. a Romano [e] Sanguſcovio inopinata irruptione capta et incenſa eſt. Praeſidiariorum major pars caeſi; quidam Duina et Ula fluviis, qui arcem praeterfluunt, hauſti: pauci capti. Reliquum anni Polonorum excurſionibus infeſtum fuit. Cumque Vitebeſcenſes praeſidiarii multum damni Moſcis intuliſſent, viciſſim Moſci III Kal. Oct. cum [f] Tataris Naiacenſis Hordae VI CIϽ numero, ducibus Scremieto, Baſilio Buturlino et [g] Soboravio Palatinis, [h] Vitebeſca duobus locis incenſa, clades acceptas ulti ſunt.

XXIV. Dum bellum in Suecia gereretur, in Saxonia paci inter Proteſtantes ineundae, de qua ſaepius antea actum fuerat, via tentata eſt. Nam XIII Kal. Nov. theologorum Auguſti ſeptemviri et Joannis Willelmi Saxonis tandem colloquium, cum de ejus forma prius inter partes conveniſſet, Aldemburgi inchoatur; quo, diſſidiis inter ſcholas, eccleſias, concionatores ac theologos compoſitis, concordia inter ejuſdem confeſſionis ſocios in poſterum ſarciretur.

XXV. Sub id Eraſmus e [i] Limpurgenſium comitum familia epiſcopus [k] Argentinenſis fato conceſſit III Kal. Dec. vir pietate et eruditione praedicandus; qui puer, [l] Tubingae a Jo. [m] Stoflero in mathematicis, in juris ſcientia a Conrado [n] Bruno et Jo. Marquardo inſtitutus, Lutetiae Pariſiorum a Joanne [o] Sturmio, quo ſe tunc ille contulerat, operam dedit; cumque poſtea Argentinam evocatum ſcholae praefecit: dum vixit, pacis, quam et religioſiſſime coluit, ſtudioſus, ut qui concordiam eccleſiae ex patrum auctoritate, abjectis quae prava conſuetudine irrepſerant, ſarciendam cenſebat. Hujus viri mentio me admonet, ut aliorum virorum doctrina praecellentium, qui hoc eodem anno ad alteram vitam migrarunt, memoriam, quantum in me eſt, ab oblivione aſſeram. Primus ex iis occurrit Joannes [p] Oporinus Baſileenſis; qui ſecundum [q] Frobenios nulli ſumptui parcens induſtria ac diligentia ſua literariam rem multum promovit, editis ſumma characterum elegantia innumeris veterum ac recentium monumentis, ob idque de ſuo et poſtero ſaeculo optime meritus; eoque magis, quod, dum in utilitatem publicam totis animis et corporis viribus incumbit, res privatas, quas admodum confuſas reliquit, ita contempſit, ut plus de gloria quam de hereditate ſua cogitaſſe videatur. Obiit pridie Non. Quintil. ſexagenario major; et, academiae humeris elatus, in majore natalis urbis templo juxta Deſiderii Eraſmi, Simonis Grynaei, Jo. Oecolampadii et Seb. Munſteri monumenta ſepultus eſt. Poſt eum commemorandus venit Onufrius [r] Panvinius Veronenſis eremita Auguſtinianus; vir ad omneis et Romanas et eccleſiaſticas antiquitates e tenebris eruendas natus, quod praeclara ejus et ad omnem aeternitatem victura monimenta teſtantur; qui Alexandrum Farneſium cardinalem praecipuum patronum ſuum in Siciliam proſecutus, alieniſſimo et ſibi et publicae utilitati, cui in eccleſiaſtica hiſtoria concinnanda inſerviebat, tempore, [s] Panhormi obiit XVIII Kalend. April. cum annum tantum aetatis XXXIX attigiſſet. [α] Poſtea amici Romae homini non ſolum de ſe ſed de re literaria optime merito cenotaphium ad S. Auguſtini marmoreum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Panvinii cenotaphio deſunt D. f. o.*

INTERPR. [a] *Rodoskowitz.* [b] *Grodno.* [c] *Ula.* [d] *Kolekiewitz.* [e] *Sangushow.* [f] *Tartares de la Horde Nobaicenſe.* [g] *Soborow.* [h] *Witepsk.* [i] *de Limpurg.* [k] *de Strasbourg.* [l] *Tubingen.* [m] *Stofler.* [n] *Braun & J. Marquard.* [o] *Sturm.* [p] *Oporin de Baſle.* [q] *les Frobens.* [r] *Panvini de Verone.* [s] *Palerme.*

marmoreum cum imagine aenea erexerunt. Ante eum Franciſcus [a] Luiſinus; qui patriam eandem, quam [b] Robortellus, habuit, hoc eſt, [c] Utinam in Foro Julii, politiori literatura et vitae integritate inſignis, Parmenſium principi a ſecretis epiſtolis, immatura morte, cum plura ab uberi ejus ingenio ſibi quiſque polliceretur, ereptus eſt; quippe tantum natus annos XLV deceſſit Nonis Martiis, in majori [d] Parmae templo honorifice a fratribus ſepultus. [α] Haud eo multum ſenior, quippe aetatis anno LII, Gul. [e] Gratarolus Bergomas, artis medicae peritia clarus, quam et ſcriptis pereruditis illuſtravit, [f] Baſileae XVI Kalend. Maias vivere deſiit. Extremo anno III Kal. Januar. Rogerius [g] Aſchamus, [h] Curbiviſcae in agro Eboracenſi natus, arcta cum Hier. Oſorio, Jo. Sturmio, Jo. Metello amicitia conjunctus, Eliſabethae a Latinis epiſtolis, Londini deceſſit, anno aetatis LIII, ab Edvardo [i] Granta laudatus, qui et epiſtolas ejus elegantiſſime ſcriptas publicavit.

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] *Gratarolis elogium deeſt D* f. o. d. *qui tamen codices hic habent Montaurri elogium, ad libri* XLVII *calcem in Ed. Gen. et noſtra poſitum.*

INTERPR. [a] *Luiſino.* [b] *Robortello.* [c] *Udine au Frioul.* [d] *dome de Parme.* [e] *Gratarola de Bergame.* [f] *Baſle.* [g] *Aſcham.* [h] *Kirbywiske dans la province d'York.* [i] *Grant.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUADRAGESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

DOMINICI *Gurgii de Hiſpanis in Florida ſumpta ultio. Praecedentes in Indiam a noſtris, duce Ribaldo et Laudonerio, ſuſceptae infelici ſucceſſu expeditiones.* II. *Petri Monlucii ad Maderam clades et mors.* III. *Gurgius ab expeditione triumphans male in aula et aulicis habitus.* IV. *In Paunonia pax Caeſari cum Turcis firmata. Irrita in Africam expeditio a Plombinenſi regulo ſuſcepta. Bellum a Sinane in Arabia confectum.* V. *Ferrarienſis et Florentinus de praerogativa denuo contendunt. Apud nos Florentinus favore reginae obtinet.* VI. *Pontificii de ſacri Ordinis immunitatibus diplomatis a Philippo publicatio per ditiones ſuas prohibita, et a ſenatu Veneto eluſa.* VII. *Bellum in Gallia recrudeſcit.* VIII. *Proteſtantium querelae; et inter eas Renati Sabaudi ad Forum Julii in Provincia caedes inulta.* IX. *Hoſpitalius, quod pacem ſuaderet, ab aula remotus.* X. *Jurisjurandi formula ad praeſides provinciarum miſſa ab Proteſtantibus exigenda.* XI. *Structae ad Nucetum in Aeduis Condaeo, quicum Colinius erat, inſidiae: de quibus datis ad regem literis conqueritur. Politicorum nominis, quod tantopere poſtea exagitatum fuit, origo.* XII. *Condaeus Nuceto profectus, non citra periculum Ligeri tranſmiſſo, per Pictones Rupellam pervenit.* XIII. *Navarrae ad regem literae.* XIV. *Cardinalis Caſtellionaei ex Brelaea arce in Bellovacis in Angliam fuga.* XV. *Andelotus in Armorica copias cogit. Ad Dagueneriam Martigii cum eo impar congreſſus.* XVI. *Edicta regia contra Proteſtanteis promulgata.* XVII. *Andeloti in Pictonibus expeditiones. Niortium deditum. Engoliſma eodem ſucceſſu obſeſſa, et tandem dedita. Pontium captum, et mox Angeriaci fanum, ac deinde Blavia in Garumnae aeſtuario.* XVIII. *Ex Allobrogibus, Provincia, Septimania et Vaſconibus undique copiae ad Condaeum accurrunt, duce Jacobo Cruſſolio Acierio.* XIX. *Pugna ad Meſſignacum, in qua Moventius et Petrogurdius caeſi, amiſſis* XVII *ſignis. Ex regiis pauci deſiderati, ſi Jacobum Caſtreum Sillacum excipias. Calviniacum a Colinio captum.* XX. *Pamproliana pugna. Jazenoliana eam majore mole inſecuta. Campiniacum a Condaeo captum, et viciſſim Mirabellum a regiis occupatum. Ad Loviodunum poſita ab Andino caſtra.* XXI. *Regis ad Caeſarem de auxiliis legatio.* XXII. *Auxiliares e Germania ad regem copiae. Ad Neoburgum Gallorum clades et Cocheus interfectus.* XXIII. *Nucetum in Aeduis poſt Condaei diſceſſum captum.* XXIV. *Claſſis Condaei; cui Turrius praepoſitus.*

Ex auctoribus,

Blaſii Monlucii commentariis, navigationum relationibus, Jo. Bapt. Hadrianio, hiſtoria Raguſina Jac. Luccarii, L. Vicino P. P. Jo. Serrano, Fr. Lanovii commentariis.

LIBER

LIBER QUADRAGESIMUS QUARTUS.

HOC anno VIII Eid. Jun. Dominicus [a] Gurgius ex Florida Americae occidentalis provincia in Galliam rediit: de cujus expeditione antequam dico, alias in Indiam a tempore Nic. Durandi [b] Villagagnoni ſuſceptas navigationes recenſere pretium viſum eſt. Floridam qui primus invenerit, inter ſcriptores ambigitur. Nam Hiſpani, qui omneis Indiae provincias a ſe inventas omnibus perſuaſum volunt, exceptis quas Columbus primus obſervavit, gloriam Joanni [c] Pontio Legionenſi deferunt, qui eam Floridae nomine inſigniverit, quod in ipſo palmarum die, qui vernacula lingua Hiſpanis, ſicuti et noſtris, Paſcha floridum dicitur, huc appuliſſet. Verum, quod et certius eſt, plerique affirmant, jam ante Sebaſtianum [d] Gabotum nauclerum Venetum, aſtronomicarum rerum non imperitum, Henrici VII Anglorum regis auſpiciis, aemulatione Columbi, cujus tum fama percrebreſcebat, inflammatum, anno poſt Chriſtum in terris natum CIↃ CCCCXCVI primum in eam Indiarum provinciam veniſſe. Pontius autem ille cum poſtea in Florida cum ſuis caeſus eſſet, vix tandem propter indigenarum ferocitatem et immanitatem ulli ad eam penetrare auſi ſunt, uſque ad annum hujus ſaeculi XXXIIII, quo Ferdinandus [e] Sotus, homo immanitate an avaritia pernicioſior incertum, ad Floridenſeis cum claſſe IↃ militum majorem partem veteranorum miſſus, cum totum quinquennium miſeros provincialeis nequicquam fodiendis metallis, montes inde aureos ſibi pollicitus, fatigaſſet, tandem ex moerore rei, aliter quam ſperaverat ſuccedentis, miſerabiliter inter cruciatus maximos contabuit. Miſſi deinde Julianus [f] Summanus et Petrus [g] Ahumada, qui Soti fato nequicquam abſterriti idem ſed fruſtra tentarunt, anno hujus ſaeculi XLIIII. Nec monachi, ad eos a Carolo V, quando parum armis proficiebatur, ad evangelii promulgationem ablegati, feliciori exitu rem geſſerunt. Nam Ludovicus [h] Cancellus Dominicanus, adjunctis ſibi quatuor ex eodem ordine, eam peregrinationem ingreſſus, cum fruſtra popularium animos, quantum oratione et ſuavitate dicendi poſſet, demulcere conatus eſſet, illi, quibus tanquam ſurdis fabulae canebantur, contra hominem ventos auraſque nequicquam vociferatione laceſſentem concitati, poſtremo miſerum cum duobus ſociis comprehenſum in conſpectu ceterorum crudeliter diſcerpunt. Hujus provinciae pars prominens ſive anterior haud manicae abſimilis eſt; cujus frons longo tractu in mare excurrit, et longitudine C, latitudine L Gallica milliaria patet: extremum promontorium XXV gradus a linea aequinoctiali diſtat; dein paulatim panditur, et verſus aeſtivum ſolis occaſum ſeſe explicat. Vadoſa ſunt circa eam cuſpidem ſeu promontorium plerumque loca, et pulvilli valde inſidioſi; in quibus ſcopuli [i] Martyrum vulgo, et ulterius [k] Teſtudinum inſulae nuncupatae. Ad eam regionem et noſtri navigarunt. Nam Gaſpar [l] Colinius Caſtellionaeus maris praefectus, ut erat Gallici decoris ſtudioſus, et religionis, quam profitebatur, propagandae cupidus, poſt Villagagnoni, a quo fidem ſibi in occulto datam non ſervatam querebatur, reditum, de nova claſſe in Indias mittenda cogitare coepit; eique praefecit Jo. [m] Ribaldum Dieppenſem, ſtrenuum ducem et rei maritimae apprime peritum, ac Proteſtantium partibus, quod caput erat, addictum. Is auctoritate regia, cum II navibus egregie re omni inſtructis et nobilitate delecta ac veterano

CIƆIƆLXVIII

CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Gourgues* [b] *de Villegagnon.* [c] *Ponce de Leon.* [d] *Gavot* al. *Cabot.* [e] *de Soto.* [f] *Sommano.* [g] *Ahumada.* [h] *Cancel Balbaſtro Dominicain.* [i] *baſſes, appellées les Martyres.* [k] *iſles des Tortues.* [l] *l'amiral de Coligny, ſieur de Chaſtillon.* [m] *Ribauld de Dieppe.*

veterano milite onuſtis, Februario menſe anni hujus ſaeculi LXII cum ſolviſſet, duorum menſium iter non uſitatum Hiſpanis emenſus, in Indiam loco importuoſo praealtis ſylvis praecincto appulit; ad promontorium, quod [a] Francicum ad perpetuam rei memoriam appellavit, XXX circiter ab aequatore gradibus. Inde oram legens ſeptentrionem verſus amoenum flumen ingreſſus eſt, Delphinum, quod in eo natantes pleroſque hujuſmodi piſceis conſpexiſſet, poſtea a ſe dictum. Conſcenſis demum ſcaphis, [b] Maium amnem, a menſe, quo illuc appulit, ſic appellatum, ſubit, cum regulo loci ad litus accedente collocutus, et, luſtrato loco, ſylvas miratus moris albis ac nigris fere conſitas, ac crebros in iis bombyces ſericeo operi faciendo ſponte enatos, ulterius progreditur; et proximum fluvium XIIII leucis a Maio diſtantem [c] Sequanae nomine indigitavit: tum, VI abhinc milliaribus, alium [d] Ligerim, et V alios ſubſequenteis [e] Carantonum, Garumnam, Giroudam, Bellum et Grandem nominavit. Iſtic, ſubductis velis, ad X orgyias Galli ancoras jecerunt; et fretum S. Helenae ingreſſi, quod alias [f] Portum-regalem dixerunt, oſtium III leucas Gallicas latum biſurcata fronte in duo cornua intus recedere animadverterunt; quorum dextrum ad ſeptentrionem, laevum ad occaſum pertinebat: huic promontorio [g] Lupi nomen fecerunt, quod in eo Indos lupi cervarii catulum aſſanteis vidiſſent. Haud inde longe in aeſtuario interiore, loco amoeniſſimo, inſignia Francica lapidi eleganter inſculpta, quae ſecum attulerant, erexerunt; terramque in eo cedris ac limonibus conſitam inſulam [h] Cedrorum appellarunt: demum inter Portum-regalem et [i] aeſtuarium illud munitionem [k] Carolinam de regis nomine dictam Jo. [l] Ribaldus ex aggere et materia forma triquetra ex conſilio [m] Salae harum rerum periti et Renati [n] Laudonerii exſtruit; in qua tormenta et commeatum ſecum apportatum depoſuit, adhortatus milites, ut, qua animi alacritate nominis Gallici ſtudioſi in tam longinquas terras ſe ſecuti eſſent, eadem in munitione exſtructa deinceps tuenda parti decoris memores haud dubia praemiorum ſpe obdurarent, et certa ac firma auxilia a rege, ad quem de felici navigationis ſucceſſu eum facturus certiorem proficiſceretur, brevi expectarent. Tum illis [o] Albertum vice ſua praeficit, et, poſtquam eum ac militem viciſſim officii admonuit, cum Renato Laudonerio et aliis ſolvit; verſuſque ſeptentrionem initio navigatione inſtituta, cum fruſtra [p] Jordanis oſtium indagaſſet, reflexo orientem verſus itinere, admodum felici curſu Dieppam tenuit, et XIII Kal. Sextil. eodem anno ad nos incolumis rediit: ubi cum omnia bellis conturbata reperiſſet, auxilia promiſſa haud proinde in tempore Gallis in Florida relictis ſummitti potuere. Illi autem, noctes dieſque in opere aſſidui, tandem munitionem ad eam altitudinem, qua defendi poſſet, evexerunt: dein contracta cum vicinis regulis, [q] Auduſta primum, dein cum [r] Maione, Hoia, Tuppa et Stalame, amicitia, aliquanto tempore ab iis commeatu adjuti: dein taedio hoſpitum illos capiente, cum ad [s] Ovadem et Couexim fratres opulentiſſimos tota ea regione, qui XXV a munitione leucis regnum habebant, remiſſi, ab iis munera, uniones, cryſtallum et argenti aliquot ramenta accepiſſent, ad haec milii, fabarum et farinae haud exiguam copiam, laeti ad ſua redeunt; ubi incendio ſuborto major domus in munitione arſit: mox tamen Auduſtae et [ſ] Maccovii regulorum liberalitate et humanitate ea ruina ſarta eſt. Ita cum ab externo hoſte tuti eſſent, domeſticum malum eos invaſit, conjuratione militum in Albertum facta; quem poſtremo, ſive ob nimiam ſeveritatem, ſive nova praefectura procul a domo inſoleſcentem, interfecerunt; in cujuſque locum Nicolaum [t] Barrenſem elegerunt, moderati ingenii virum, qui ſua prudentia et aequitate perfecit, ut diſciplina reſtituta ad officium quiſque ſponte redierit. Sed cum auxilia promiſſa

non

INTERPR. [a] *Cap François.* [b] *May.* [c] *la Seine.* [d] *la Loire.* [e] *la Charente, la Garonne, la Gironde, la Belle, & la Grande* [f] *Port Roial.* [g] *Cap de Loup.* [h] *Iſle des Cedres.* [i] *Embouchure de la riviere.* [k] *Fort Charles* ou *Caroline.* [l] *Ribauld.* [m] *le capitaine Sale.* [n] *le capitaine Laudonnieres.* [o] *le capitaine Albert.* [p] *le Jourdain r.* [q] *Auduſte.* [r] *Mayon, Hoya, Touppa, Stalamo.* [s] *Ouade & Couexit.* [ſ] *Maccou.* [t] *Barre.*

nou compaterent, et inopia jampridem afflictarentur, tandem deetevere communi conſenſu, quam primum poſſent, in Galliam vela facere, ad id parato navigio, quo funibus ab Auduſta donatis inſtructo et impoſitis tormentis et quod commeatus ſupererat, tandem cum bona regulorum vicinorum gratia teditus proximi facta ſpe ſolvunt. Vix tertiam itineris partem emenſi fuerant, cum, vento remittente, XX amplius dies nullatenus procedentes, conſumpto jam omni viatico, in tantam penuriam devenerunt, ut aqua marina et lotio quiſque ſuo tantum potaretur, et calceis ac coriacea alia ſupellectile pro cibo uti cogerentur: quibus rurſus abſumptis, extrema neceſſitate coactis inhumanum ſubſidium quaeſitum fuit; et [a] Lacherium jam morbo languidum, quem [b] Albertus ob maleficia relegaverat, et ſolitario loco diu concluſum, parce ſummiſſo viatico, paene fame enecaverat, quod cauſam ſeditioni praebuerat, occidunt, et in partes conciſum inter ſe comedendum diſtribuunt; aequius eſſe cenſentes, ut unius morte tot animas ſervarent, quam ſi, dum uni parcunt, univerſorum jacturam facerent. Ita ad aliquot dies refecti, tandem ope [c] Anglicae liburnicae, quae eos in ſummam deſperationem relapſos perhumaniter excepit, et viatico juvit, in Angliam ad Eliſabetham, quae de claſſe ad illas regiones mittenda cogitabat, deducti ſunt. Interea facta apud nos pace, cum nondum de Gallorum in Florida relictorum caſu nuncius allatus eſſet, [d] G. Colinius jam regi reconciliatus inſtitit, ut claſſis in Floridam ad ſocios mitteretur. Huic commendatione Colinii praefectus Renatus [e] Laudonerius, qui ſuperiore expeditione comes Ribaldi fuerat, Proteſtantium partibus addictus, homo rerum multarum gnarus, ſed maritimae potius quam militaris rei uſu praeditus, attributo C librarum CIↃ in militem et navigationis ſumptus expendendarum ſtipendio. Is [f] Franciſcopoli III navibus recte inſtructis, quarum una CXX, altera C, tertia LX doliorum capax erat, cum fabrorum omnis generis numero idoneo ſolvit, X Kal. Maias, anno LXIIII, et eodem fere, quo Villagagnonus, itinere per [g] Fortunatas inſulas, deinde per [h] Antillas X Kal. Quintil. ad novam Franciam appulit, juxta [i] Maii aeſtuarium. Ibi cum in litore [k] Saturiouam loci regulum obvium habuiſſet, exſcenſione facta cum [l] Ottinio legato et [m] Arlaeo ſignifero, hominem adit, et ad metam, in qua regis inſignia ante biennium poſita erant, cum rege accedit; quam in ſignum ratae erga regem reverentiae et benevoli in Gallos animi laureis corollis incinctam, quaſillis florum plenis ad metae pedem deſtitutis, exornaverunt. Huic filius erat [n] Atoracus nomine, forma eximia, qui, matre uxore ducta, nam hoc apud illos licet, pulcherrimos ex ea liberos ſuſtulerat. Honeſtati hoc tributum in re tam a natura et pietate aliena, ut Saturioua pater ab eo tempore cum ea non conſueſceret. Longaevi heic maxime ſunt homines. Nam et abavum Saturioua in vivis habebat; qui ad quintam uſque generationem filios ac nepotes numerabat, ita ut CL annos expleſſe tunc temporis neceſſe eſſet. Inde noſtri, cum maritimam oram ſeptentrionem verſus diu circuiſſent, nec commodum videretur in regali portu, ſicuti ſuperiore navigatione factum fuerat, domicilium figere, tandem inferius in Maii aeſtuario, ut commodiore loco, munitionem exſtruunt; eique [o] Carolinae nomen imponunt. Mox Laudonerius, ut de vicinis regulis cognoſceret, et ſicubi auri argentique fodinae eſſent, et undecunque ſpes parandarum opum, cujus rei cauſa praecipue venerant, affulgeret, Ottinium legatum mittit, qui cum Thoma [p] Vaſſorio et Franciſco Callio ad [q] Olatae Utinae uſque regnum penetravit, cui IX reges tributum pendebant; et utriſque, Utinae et in reditu Saturiouae, inter ſe infeſtiſſimis hoſtibus, facta ſpe auxiliorum, ad Laudonerium redit: nec multo poſt naves in Galliam remiſſae, quae V Kalend. Sextil. vela fecerunt.

Cumque

INTERPR. [a] *la Chere.* [b] *le capitaine Albert.* [c] *roberge Angloiſe.* [d] *l'amiral de Coligny.* [e] *Laudonnieres.* [f] *Havre de Grace.* [g] *les iſles Canaries.* [h] *les Antilles.* [i] *le May r.* [k] *Satouriona.* [l] *d'Ottigny.* [m] *d'Arlac.* [n] *Athoré.* [o] *fort Caroline.* [p] *le capitaine Vaſſeur, & F. la Caille.* [q] *Olata Outina.*

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

Cumque Satutioua [a] Laudonerium de auxiliis promiſſis, parata jam contra [b] Timogoam expeditione, interpellaret, ille, qui ſciret barbarum non poſſe differre profectionem, ſerius monitum ſe cauſatus, intra bimeſtre ſe ſuppetias miſſurum promiſit, et ita ejus poſtulata eluſit; qui mox, uſitata inter ſuos ceremonia ſole adorato, ut ſibi propitius eſſet, cum x aliis tributariis regulis in hoſtem duxit, et, occiſis aliquot ex hoſtibus, paucis captis, ad ſua reverſus eſt. Laudonerius vero, qui et Saturiouam placatum habere vellet, et cum Utina amicitiam contrahere, quo ſibi ad loca opibus parandis, ut rebatur, oppottnna aditum faceret, captivos a victore poſcit; quos et a recuſante initio tandem vi extorquet, eoſque cum muneribus et regis effigie ad Utinam mittit, Saturiouae interim injecto ſermone de pacis rationibus inter ipſum et Utinam incundis, a qua ſe minime alienum barbarus ille oſtendebat. Incidit in id tempus, ut totum triduum igne de coelo tacta vicina regio prorſus areſceret, et domus ubique ardetent, aere ex eo adeo inflammato, ut fluviorum aquae ebullirent, et piſces tanto numeto exanimarentur, ut infecto coelo lethiſera lues noſtros invaderet. Id Indi non a coelo, ſed bombardarum noſtrarum diſploſione ſactum arbitrati, tanto majorem de noſtris metum conceperunt, et majore cultu eos proſecuti ſunt. Sed mox malum domeſticum res turbavit. [c] Rupellus quidam Petrocorius, qui magicae artis peritiam fingebat, ſamam in occulto inter milites ſpargi curat de auri et argenti ſodinis, ad quas adverſo flumine adire poſſent, quae et ditandis ſingulis militibus et ingenti in regis commodum ſummae efficiendae ſufficerent. Itaque illi, coitione facta, per [d] Callium centurionem eo ſe duci petunt, increpita praeſecti ſui ſegnitia, qui tempus, commeatum, et pecuniam inutiliter conſumeret, nec ullum opetae pretium faceret. Laudonetius, caſu inopinato perculſus, tamen utcunque eos placat; et annonae, de qua conquerebantur, curam ſibi ſore ſpondet. Inde ſe inſidiis ſaepius petitum a ſuis in narratione ſua memorat, quae cum non ſucceſſiſſent, poſtremo milites incitati, ſeditionis ducibus [e] Furnario, homine avaro, Stephano [f] Genuenſi, [g] Crucio ac [h] Signotio quodam Vaſcone, Laudonerium ex morbo decumbentem in aedibus ſuis invadunt, et eum cum [i] Ottinio, [k] Arlaco, nam Callius ſuga ſibi conſuluit, captum in vincula conjiciunt. Tum, diplomate confecto, cui Laudonerius ſubſcribere coactus eſt, quo ſnis ob commeatus penuriam poteſtatem faciebat in Hiſpaniam novam proficiſcendi ad alimenta conquirenda, naveis omni te inſtruunt, uni Michaele [l] Vaſſorio, alteri [m] Trincantio praefectis, et VI Eid. Dec. ſolvunt. Ante eum caſum miſſus [n] Rupiſerrerius ad [o] Utinam pervenerat, jam et teſtitutis captivis nobis devinctum; et de montibus [p] Apalaticis, in quibus auri et argenti ſodinae crebrae etant, multa didicerat: mnltoſque menſeis cum eo commoratus, poſtremo ad Laudonerium cum muneribus rediit. Emanſores vero, cum ſe ſtatim in oſtii egreſſu ſeparaſſent, vix tandem poſt multos dies rurſus conjungere potuerunt; et Cubam praetervecti, ſactis ubique pracdis, poſtremo in actuariam opibus plenam, qua inſulae portus, cui Havanae nomen, praeſectus Hiſpanus vehebatut, incidunt; eumque cum tribus liberis capiunt, pto quibus ac pro ſe magnam ille auri ſummam pactus, in eam rem literas ad uxorem dat, quas prius Gallis oſtendit, et ab iis petit, ut, quo citius res confici poſſet, uni ex filiis perferendae traderentur. Imprudenter aſſentientibus illis, unus ex filiis dimittitur, qui mattem cum literis adit; monetque, ne quid eorum, quae mandabantur, exequeretur; ſic enim a patre in occulto juſſus erat: ſed per diſpoſitos equos in omnem inſulam miſſos auxilia maturaret. Id tanta ſedulitate a ſoemina ſactum, ut diluculo ſerocientes piratae a duabus magnis navibus magna vi aenearum machinarum inſtructis et ingenti roſtrata cingerentur; ex quibus XXV

in

INTERPR. [a] *Laudonnieres.* [b] *Timogoa.* [c] *la Roquette de Perigort.* [d] *la Caille, ſergent d'une compagnie.* [e] *Fourneaux.* [f] *le Genevois.* [g] *la Croix.* [h] *le Seignore Gaſcon.* [i] *d'Ottigny.* [k] *d'Arlac.* [l] *Vaſſeur.* [m] *Trenchant.* [n] *la Roche-Ferriere.* [o] *Outina.* [p] *d'Apalatzy.*

in navem ſpeculatoriam ſe conjiciunt, ac, reciſo ancorae fune, per medios hoſteis pugnando evadunt: ceteri, qui in actuaria cum praefecto Hiſpano remanſerant, capti, et in continentem abducti: pars venditi, pars in Hiſpaniam ac [a] Luſitaniam deportati ſunt. Hoc initium injuriae a noſtris temere Hiſpanis illatae factum, quam mox ipſi Hiſpani, deio et Laudonerius ultus eſt. Nam Furnarius et Stephanus Genuenſis, qui aufugerant, a Trincantio naucleto moniti, ut, deficiente commeatu, ad ſuos redirent, quanquam ultorem Laudonerium metuerent, neceſſitate adacti, cum ſperarent ab Indis ſibi cognitis annonam ſe poſſe conſequi, dein rurſus altum petere, ac rurſus, clam iis qui in munitione erant, fortunam periclitari ſtatuiſſent, [b] Maii oſtium petunt: ſed Callii aſtu ac diligentia, qui Laudonerii, antea ab Indis de ſuorum in fluvium ingreſſu moniti, juſſu ad eos cum XXV ſcloppetariis venerat, intercepti ſunt, ſeditionis ducibus militari ſupplicio affectis; nam furcae ignominiam pro iis deprecati ſunt milites; ceteris parcitum. Jamque anguſtia annonae major in dies fieri coepit, et ad famam ejus rei parcius Indi commeatum portantes ad noſtros commeabant; ita ut, cum ſubſidia e Gallia promiſſa non comparerent, de reditu in patriam ex communi conſenſu cogitari coeptum ſit. Itaque naves inſtauratae: quae non niſi proximo Sextili perfici poterant, cum tunc tantum Maius anni inſequentis, qui fuit CIƆ IƆ LXV, iniiſſet. Interea conquiſita undique annona, quae cum ita parce et care pararetur, poſtremo Galli neceſſitate adacti eo Laudonerium adigunt, ut de [c] Utina, cum quo amicitiam ad multas res utilem contraxerat, in poteſtatem redigendo conſilium inierit: quod et ille fecit; neque tamen propterea a ſuis commeatu ſublevatus eſt; qui jam de novo rege creando cogitabant, captum in vivis non amplius numerantes. Ita conſilium illud fruſtra fuit, majore odio quam emolumento inde ad noſtros redundante. In ea rerum omnium inopia ſupervenere IIII Anglicae naves, quibus Joannes [α] [d] Hawkioſus praeerat; a quo ſumma humanitate et ſpem ſuperante liberalitate Galli adjuti ſunt, tradita etiam navi et juſto pretio vendita, quoniam ea, quae a noſtris conſtructa fuerat, citra periculum in Franciam militem portari vix poſſe putabatur. Rebus cunctis ad diſceſſum comparatis, jam vale regulis Indis dicto, et ſpe brevis reditus confirmata, cum in eo eſſent ut vela facerent, VII naves in [1] maris aeſtuario apparuere: ea erat Joannis [e] Ribaldi auxiliaria claſſis; qui, cum ſuperiore Maio Dieppa ſolviſſet, inde in [f] Vectim Anglicae ditionis inſulam rejectus, non niſi XIX Kal. Sept. Floridam tenere potuit; et tunc demum III Kal. ejuſdem menſis a Laudonerio magna gratulatione in ſpeciem, ſed in occulto ſucceſſorem ſibi mitti indignante, exceptus eſt. Vixque ſeptem dies ab adventu interceſſerant, cum VIII Hiſpanae naves in eodem illo fluvio conſpectae ſunt, quae noſtras in ancoris ſtantes praeciſis funibus altum tenere coegerunt. Eas Hiſpanae inſecutae cum adſequi non potuiſſent, in oſtium fluvii [g] Delfinum a nobis nuncupati, quod VIII a Maii aeſtuario leucis diſtat, conceſſere; ibique expoſito milite ac machinis aliquot, caſtra ope Aethiopum ſervorum, quos magno numero adduxerant, munire incipiunt. Id cum per [h] Coſetum navarchum cognoviſſet Ribaldus, concilium vocat in Laudonerii tunc ex febre decumbentis aedibus, et, quid opus facto eſſet, ducum ſententias rogat. Aderant [i] Grangaeus, Ottinius, Sammarianus, Veſtius, Jonvilla, praecipui duces; qui omnes, praeeunte Laudonerio, cenſuerunt, quanta diligentia poſſet, munitioni Carolinae firmandae incumbendum eſſe, nec, infeſta turbinibus et typhonibus in illa ora tempeſtate, claſſem mari committendam: nam certum profectionis tempus, incertum reditus eſſe: periclitari interea munitionem, tam vicino hoſte. Ribaldus contra diſſerebat; in hoſteis

quam

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] Hauckinius *D. f. o. d.* *Ed. Gen.*
INTERPR. [a] *Portugal.* [b] *le May.* [c] *Outina.* [d] *Hawkins.* [e] *Ribauld.* [f] *Wight.* [g] *Dauphin.* [h] *le capitaine Couſet.* [i] *la Grange, d'Ottigny, de Ste Marie, Veſty, & Jonville.*
NOT. [1] *potius* Maii æſtuario.

CIↃIↃLXVIII Carolus IX. quam primum ducendum, antequam vireis colligerent et munitionem in propinquo extruerent: initia bellorum fama conſtare: defecturos ſenſim vicinos regulos, qui odio Hiſpanorum huc uſque rebus Gallicis faverunt, ſi eos audierint ad primum Hiſpanorum adventum trepidanteis caſtris ac munitionibus ſe continere. Quoque fidem ſententiae ſuae faceret, literas a [a] Caſtellionaeo promit, in haec verba: Dum iſtas obſignarem, de [b] Petri Melandis in novam Franciae oram profectione certo reſcivi: tui officii eſt videre, ne quid Hiſpani in nos moliantur, ſicuti nos in illos nihil moliri aequum eſt. Ita, non auditis ceterorum ducum ſententiis, impoſito in naveis milite, et abductis ſecum ex Laudonerianis Ottinio et [c] Arlaeo ipſius ſignifero, VI Eid. Sept. conſcendit; et biduum in aeſtuario commoratus, dum Grangaeus, qui expeditionem minime probabat, veniret, in altum vela dat: foedaque et infeſta tempeſtate, quae ad [a] Kal. Oct. tenuit, eodem die jactatus, demiſſis antennis ventum declinare cogitur. Naves noſtrae plus quam L ab arce leucis ad ſcopulos illiſae confractaeque ſunt, ſalvis tamen viris, praeter Grangaeum unum ex Colinii nobilibus, qui fracto navis malo inſidens tandem aquis hauſtus eſt. Hiſpanae naves etiam eliſae naufragio perierunt; et praetoria in primis, cui Trinitati nomen, quam a cetera claſſe deerrantem Ribaldus inſecutus fuerat. Interea Hiſpani in terram egreſſi ſatis temporis habuere, dum primam ac paene imbellem turbam in munitione relictam, disjecta claſſe noſtra, per terram incedentes opprimerent. Nam CCXL tantum capita in caſtello ſuperabant, et robur militare Ribaldum ſecutum fuerat, et Laudonerius eventus ſecurus nullam vim a terra metuebat. Hiſpani vero, [d] Joanne Franciſco Gallo, ab ipſis pecunia corrupto, viae duce, incredibili celeritate ſtagna, ſilvas, et flumina tranſgreſſi, duce Petro Melande, XII Kal. Octob. improviſo ad arcem advolant, paulo ante ſolis ortum, pluvioſo admodum coelo, cum [e] Vincola, qui ſtationibus praeerat, ſolutis jam excubiis, et vigilibus nocturno labore feſſis ad quietem capiendam dimiſſis, e propinquo Hiſpanos per clivum vexillis expanſis ſe demittere conſpicit. Tum conclamatum ad arma. Noſtri vix ſe lecto molientes impetu diverſis partibus ad arcem facto intercipiuntur. Hoſtes poſt exiguum certamen caſtello potiuntur, in pomoerio mox ſtatutis ſignis: inde promiſcua caede in militem, mulieres, pueros, aegrotos ac ſenes graſſantur. Galli contra, qui evadere primum furorem potuere, in his anguſtiis minime ſe deſeruere; Laudonerius adhuc ex morbo infirmus, retro per paludes cum paucis ad navigia, quibus Jacobus Ribaldus praeerat, in fluminis ripa religata, tendere: pars repentino caſu oppreſſi vallum tranſilire: pars denique, ſuperato vallo, in ſylvas et in collem vicinum, unde laniena ceterorum conſpici poterat, evadere; in quibus Nicolaus [f] Chaluſius fuit, faber lignarius, et Jacobus [g] Morgenſis, qui has res deſcripſere. Ibi ad gemitus et ejulatus tanquam ad ſignum cum miſeri Galli conveniſſent, in commune conſultatum: et alii quidem cenſebant, hoſtis miſericordiam tentandam: nam praecluſum omne auxilium, omnem ſpem aliam ademptam, coelo, terra, mari, ſylvis, hominibus circum undique infeſtis: ecquem ſcire, num forte Hiſpanus, ſi nos fidei ejus committamus, ſupplicibus parciturus ſit? et, ut nos interficiat, brevem in morte dolorem fore, qui et harum calamitatum finem afferet: praeſtare in manus hominum devenire, quam ferarum unguibus in ſylvis lacerari, aut miſerrima fame contabeſcere. Alii, et in iis Chaluſius, conſilium illud improbabant: nam ſpem potius in Deum quam in homines conjiciendam: notam eſſe in cunctos Hiſpanorum ſaevitiam et ſuperbiam, ac praecipue in eos qui evangelio nomen dederint: plus in ferarum quam hujuſmodi hominum miſericordia fiduciae ſubeſſe. Sex tamen ex iis malorum praeſentium impatientia ad hoſtem ſupplices tranſeunt; qui, mox in ſociorum conſpectu crudeliter

VAR. LECT. [a] XII Kal. Oct. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *l'amiral de Coligny.* [b] *don Pedro Melendez.* [c] *d'Arlac.* [d] *François Jean, un François.* [e] *de la Vigne.* [f] *Chalus.* [g] *de Morgues.*

crudeliter mactati, ceteros in propoſito de quavis alia expediendae ſalutis via tentanda confirmarunt. Laudonerius tota nocte inter juncos et ulvas aqua vix umbilico extans delituit; unde vix diluculo ad naveis a ſuis ſuſtentatus creptare potuit. Ibi rara nautarum ſedulitate et humanitate, huc illuc per oram cum lembis et ſcaphis ad noſtrorum ejulatus diſcurſantium, collectis ſtragis reliquiis et in naveis acceptis, de reditu in patriam tandem cogitatum eſt; Hiſpanis fruſtra poſt immanem illam carnificinam, quaſi de ea ſocii ignorarent, noſtrorum animos miſſo tubicine ſolicitantibus, ut certis conditionibus deditionem facerent; et ſumma impudentia fidem obſtringentibus: quod cum impetrare a noſtris non poſſent, conceptum in ſuperſtites furorem in cadavera caeſorum effundunt; et mortuorum oculos exſculpentes ac pugionum mucronibus praefixos geſtantes amaro cum riſu et clamore, quo Gallis oculi dolerent, verſus aquam in noſtrorum conſpectu torquent. [a] Jo. Ribaldus, qui maris rabiem effugerat, haud perinde hominum furorem vitare potuit. Is, ignarus adhuc arcis amiſſae, mittendum eſſe cenſuerat, qui praeſidiarios ad opem ferendam hortaretur. Dein fame victi Galli, cum e longinquo cohortem Hiſpanorum verſus arcem tendentem conſpexiſſent, praeciſa jam omni auxiliorum ſpe, nonnullos ad hoſtem legant, qui cum eo de vita ac deditione paciſcantur. Intercedebat flumen inter Hiſpanos ac noſtros. [b] Vallemondus, qui cohorti hoſtili praeerat, legatos initio humaniter excipit: et praefatus, cum Hiſpano victori ſolemnem morem eſſe, ut ſupplici hoſti ac praecipue Gallo clementer conſuleret, neque ſe ab eo inſtituto diſcedere velle, aut quidquam gravius in eos ſtatuere, quod poſtea in mutua utriuſque gentis odia et publicas cladeis erumperet, noſtros fidenter ad ſe venire jubet: ſimulque ſcapham inſtruit, quam Ribaldus primus cum xxx ex ſuis conſcendit, a Vallemondo primum, tranſmiſſo flumine, comiter exceptus. Sed mox reliqui, paulum ab eo ſeducti, manibus poſt tergum revinciuntur ac bini jugantur. Id ubi Ribaldus et [c] Ottinius videre, ſiniſtri quid augurati, fidem Vallemondi appellare. Ille contra, adhuc diſſimulans, denuo fidem datam confirmare; ac teſtari, non aliam ob cauſam indita Gallis vincula, quam ut tuto in caſtellum deduci poſſint. Id vero ea mente faciebat, quod nondum ſtatuiſſet, quos ex omni eo numero ſervaturus eſſet; ii erant fabri, tormentarii, remiges ac naucleri. Igitur, cum jam caſtello propinquaret, qui his muneribus apti eſſent, ſciſcitatur; et xxx ex iis ab aliis ſecernit. Tum cohorti caſtello obviam ex compacto praegreſſae innuit; quae ſtatim quaſi ſigno dato in noſtros, qui paulum ſeorſim ab agmine Vallemondi incedebant, citato gradu contendit, eoſque inermeis immaniter ad unum omneis trucidat, fruſtra Ribaldo et Ottinio Deum et datam fidem obteſtantibus; qui mox, neglectim ad eorum preces tergum obvertente Vallemondo, crudeliter ictibus pugionum confodiuntur. Plus ıↄc ea clade perierunt, quorum cadavera, excitata ingenti pyra, Melandes cremari juſſit. Barbam Ribaldi mento abraſam, et obſignatis literis incluſam, tanquam trophaeum, Hiſpalim ridicula prorſus oſtentatione deferri, dein quadrifariam corpus ſectum in arcis area ad perpetuam rei geſtae memoriam erigi curavit. Quae omnia noſtri [α] ex nauta intellexerunt, qui in laniena caſu mirabili feſellerat, tribus ſociis ſupra eum cadentibus, quorum ſanguine conſperſus pro mortuo habitus eſt. Nam is, noctu ex pavore excitatus, cum ad ſe rediiſſet, atque memoria repetens ſe cultrum in lignea vagina habere, tantiſper ſe verſavit, donec cultellum educeret, et funes, quibus vinctus erat, praeciderct. Solutus inde diu apud Indos latuit: rurſuſque, ſed jam ſedata Hiſpanorum ira, in eorum manus devenit; a quibus cum [d] Pompiero ad [e] Havanam capto ad mancipii ſervitia deſtinatus, nave, in qua vehebatur, poſtea a Gallis capta, libertatem reciperavit; et, quae ipſe viderat, [f] Morgenſi narravit. Interea, qui ex arce effugerant, ducibus Jacobo Ribaldo et Laudonerio, ex infortunata

CIↄIↄLXVIII
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] partim ipſi exaudiverunt, partim ex nauta *D. f.*

INTERPR. [a] *Ribauld.* [b] *de Valmond.* [c] *d'Ottigny.* [d] *Pompier.* [e] *la Havana.* [f] *de Morgues.*

CIƆIƆLXVIII CAROLUS IX. inſortunata Indiae ora VII Kal. Oct. ſolvunt; et poſt menſem exactum in [a] Caſſiteridum inſularum conſpectum venere; ac demum IIII Eid. Nov. in [b] Sangeorgianum ſretum proſpeto curſu ingreſſi in Angliam delati ſunt, et ad [c] [α] Swanſeium [β] portum appulerunt. Laudonerius, accepta a [d] Maclovienſi inſtitore pecunia, terreſtri itinere [e] Briſtoliam atque inde Londinum pervenit; ubi tunc regis nomine oratorem agebat Paulus [f] Foxius, nunquam niſi cum honorifica praefatione mihi nominandus; a quo rurſus pecuniam mutuo ſumpſit, et [g] Caletum tranſmiſit. Poſtea, cum Lutetiae didiciſſet, regem [h] Molinii in Boiis ad conventus veniſſe, eo quoque tendit; et, re cognita, parum benigno vultu exceptus eſt. Qui rem moroſius penſitant, [i] Ribaldi errorem in eo notant, quod, cum XIX Kal. Sept. in Floridam appuliſſet, XV amplius dies in circumeunda provinciae ora inutiliter conſumpſerit, quos copiis ac machinis in terram exponendis, loco muniendo, et Laudonerii in Galliam profectioni inſtruendae melius impendere potuiſſet; nec opus habuiſſet alieno tempore ad hoſtem ire: quod cum ſerius et contra omnium ducum ſententiam ſecerit, exitium ſibi ac Gallis omnibus maturaſſe. Sed culpa potius in eos rejicienda eſt, qui neſanda perfidia ac proditione, cum primarium locum in regis conſiſtorio tenerent, tam certa indicia de rebus noſtris ad Hiſpanos detulerunt, ut, [k] Melandem de Ribaldi expeditione ac tempore ejus certo cognoviſſe, et prope veſtigiis ejus inhaerentem in Floridam curſum tenuiſſe, appareat.

II. EAM cladem ab Hiſpanorum crudelitate acceptam alia a ſortuna illata eodem anno in [l] Petri Monlucii morte cumulavit. Is, Blaſii ſamoſi illius ducis filius, bello civili primo clarus dux, Bertrandus primum appellatus, cum otii cum taederet, cum Fabiano fratre juniore, [m] Pompadoreo ac delecta nobilitate, poſt colloquium reginae matris cum Eliſabetha filia [n] Baionae habitum, III navibus majoribus, praeter remiges ac nautas, CIƆ CC militibus ac bellico apparatu egregie inſtructis magna ſpe rei bene gerendae [o] Burdigala ſolverat. Hujus conſilium erat ad Guineam vela facere, et [p] Manicongi, Mozambicae, Quiloae, Melindae regna luſtrare; contractaque cum aliquo ex Mauritaniae regulis amicitia, ab eo vi vel promiſſis impetrare, ut ſibi, ejus permiſſu, liceret in ſua ditione loco opportuno arcem conſtruere, quo Galli negotiatores illuc tuto accedere, et deinceps regis patrocinio defenſi, neque [q] Luſitanorum beneficio, ut antea, mercimonium in Aſia et Africa libere exercere poſſent. Ea mente Luſitanos aliquot exules locorum et opportunitatum gnaros ſecum adduxerat; ac parenti religioſe receperat, ſe effecturum, ut, quae Hiſpani et Luſitani ex navigationis libertate emolumenta percipiunt, ea quoque in Gallici nominis decus et ſui principis beneficium redundarent; de cetero curaturum, ne quem prior injuria afficeret: at, ſi quis ſe contumeliis laceſſeret, injuriam propulſurum; neque paſſurum ut quiſquam id impune ſaceret. Ita inſtituta navigatione, cum tempeſtate vehementi diu luctatus tandem ad Fortunatas inſulas deſertur, ad [r] Maderam, quae primaria inſula eſt, et, LVI milliaribus triquetra ſorma patens, magnitudine, commoditate et amoenitate ceteris antiſtat, aliquot in terram expoſitis, qui aquam ſumerent, inſeſta mox tormentorum diſploſione ab oppidanis petitus eſt; qui, injuria non contenti, cum armis egreſſi noſtros inſequuntur. Id vero, ille, qui nihil hoſtile vereretur, regibus inter ſe amicis, cum impatienter ſerret, ſtatim exſcenſionem facit, et explorato loco, dum a fronte cum hoſtibus velitatur, juniorem fratrem rapto agmine a tergo, ſed longiore itinere ad oppidum tendere jubet: quo ſacto, cum hoſtes inter fratres circumventi et ab oppidanorum auxilio excluſi eſſent, ad unum omnes trucidantur: nec mora, recta ad oppidum ducitur, quod, admotis machinis, poſt illam cladem territis

VAR. LECT. [α] Soueſium *D. f. o. d. Ed. Gen.* [β] Angliae portum *D. f.*

INTERPR. [a] *les Açores.* [b] *la Manche de St. George.* [c] *Swanſey dans le pays de Glamorgan en South Wales.* [d] *de St. Malo.* [e] *Briſtol & Londres.* [f] *de Foix.* [g] *Calais.* [h] *Moulins en Bourbonnois.* [i] *Ribauld.* [k] *Melendez.* [l] *Peyrot de Montluc.* [m] *de Pompadour.* [n] *Bayone.* [o] *Bourdeaux.* [p] *Manicongo, Mozambique, Quiloa, Melinda.* [q] *Portugais.* [r] *Madere.*

ritis qui in eo remanſerant, nullo negotio expugnatur ac diripitur. Majus templum reſtabat, in quo ſe milites muniverant: ad quod dum fit impetus, Monlucius grave vulnus in femore accepit, ex quo paulo poſt magno ſuorum deſiderio et irrita tantae ſpei expeditione deceſſit, ad Franciſcanorum in eadem inſula honorifice ſepultus. Qua de re cum poſtea Luſitanus per oratores apud regem expoſtulaſſet, re in regio concilio agitata, Colinius maris praefectus validis rationibus factum defendit, nihil injurioſe a noſtris admiſſum dictitans, qui ſe Gallici nominis a Luſitanis in [a] Villagagnoni regii legati expeditione olim variis modis laeſi tam generoſos vindices praebuiſſent; ac tandem tenuit, ut Monlucianae expeditionis comites accuſati, qui metu huc illuc poſt caſum illum dilapſi comparere non audebant, prorſus abſolverentur.

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

III. EAS clades Gallis, ſive a fortuna ſive ab Hiſpanis inflictas, cum, ſciſſa factionibus aula, rex aut contempſiſſet, aut odio Proteſtantium, quales fere cuncti illi erant qui, [b] Ribaldo et Laudonerio ducibus, in Floridam navigaverant, atque adeo ipſius Colinii, cujus conſilio ſuſcepta expeditio erat, magna decoris Gallici jactura diſſimulaſſet, inventus eſt tamen homo privatus, qui, ſive propriae ſive publicae injuriae ſenſu ſtimulatus, contumelioſam Hiſpanorum crudelitatem ac ſuperbiam inultam diutius pati non potuit. Is fuit Dominicus [c] Gurgius, [d] Monte-Marſani in Novempopulonia natus, ingenio acer et manu promptus, qui, bello Etruſco cum fortem operam navaſſet, tandem ab Hiſpanis captus et indigne ad remum addictus, poſtea a Mathurino [e] Scuto Romegaſio Hieroſolymitano equite libertati reſtitutus, tantum erga Hiſpanos odium conceperat, ut fidem jurejurando religioſe obligaverit, ſe, quandocunque occaſio in manus daret, acceptam injuriam inſigni facinore ulturum. Igitur ad privatam publica accedente inflammatus, mutuo ſumpta pecunia, et divendita bonorum parte, III mediocria navigia inſtruit, et CC delectos milites ac circiter XXC remiges ſeu nautas in ea imponit, aſſumpto [f] Caſanova, qui legati vicem functurus erat, et Franciſco [g] Burdigalenſi, qui uni navigio praeeſſet, cum iiſque, celato conſilio, quaſi in [h] Braſiliam et Occidentale mare, quo jam aliquoties navigaverat, proficiſcens XI Kal. Sept. anni CIƆ IƆ LXVII ſolvit; moleſtaque ac varia tempeſtate diu jactatus tandem ad [i] Cubam appulit, et ad S. Antonii promontorium pervenit: ibique conſilium ſuum ſociis hactenus celatum aperit; et obteſtatur, ne ſe in tali occaſione, quae ad Gallici nominis decus pertineret, desererent. Quod cum illi jurejurando interpoſito polliciti eſſent, ſummo ardore fretum [k] Bahamae illo tempore periculoſum, non expectato plenilunio, feliciter tranſeunt, et ad Floridae conſpectum veniunt, atque adeo Maii oſtium. Hiſpani, populareis ſuos rati, diſploſione tormentorum cum noſtros ſalutaſſent, Gurgius illos viciſſim, ut in illo errore confirmaret, reſalutavit: tum praetervectus, alio ſe ire ſimulavit, donec a loci illius conſpectu ſe ſubtraxiſſet. Dein XV ab illo aeſtuario leucis ad oſtium Sequanae exſcenſionem fecit: ubi, accurrentibus ad litus cum ſagittis et arcubus magno numero indigenis, cum ſigna pacis ſublatis vexillis dediſſet, et miſſo tubicine veniſſe ſe a rege Francorum ultro amicitiam ſuam et patrocinium oppreſſis deferente nunciaſſet, poſt mutuas laetitiae et gratulationis utrinque ſignificationes, indigenae [1] trepidantes diſcedunt. Poſtridie [l] Saturioua cum filiis ac regulis ſibi ſubditis, et inter eos [m] Moloua et Almacanio, ad litus venit: et, poſitis armis, cum noſtri quoque ſcloppetos poſuiſſent, accincti tantum gladiis cum Gurgio obviam proceſſerunt, quem barbarus rex ad latus ſuum in ſolio ex lentiſco fabricato et muſco conſtrato conſidere juſſit: tum, purgato vepribus circumpoſito loco, cuncti in orbem aſſedere. Heic Saturioua, per interpretem coram Gurgio de injuriis, quas ab Hiſpanis et ipſi et uxores ac liberi quotidie

INTERPR [a] *de Villegagnon.* [b] *Ribauld & Laudonnieres.* [c] *le capitaine Gourges.* [d] *Mont de Marſan en Gaſcogne.* [e] *de l'Eſcut, ſieur de Romegas.* [f] *de Caſenove.* [g] *Bourdelois.* [h] *Breſil.* [i] *Cuba & Cap. S. Antoine.* [k] *deſtroit de Bahama.* [l] *Satourioua.* [m] *Molloua & Halmacanir.*

NOT [1] *Lege* tripudiantes.

CIƆIƆLXVIII

CAROLUS IX.

quotidie acciperent, conqueſtus, maxime poſt cladem Gallorum, paratos ſe ac ſuos dicit ad ulciſcendam et privatam et ipſorum injuriam cum Gallis foedus icere. Igitur, foedere icto, Gurgius acinaces, cultros, ſpicula, annulos, haſtas, tintinnabula et levidenſia iſtiuſmodi munuſcula regi offert: et viciſſim ab eo catenulam argenteam, a regulis cervinas pelleis egregie ſubactas accipit. Petiere praeterea illi quiſque ſibi induſium; quo diebus ſolemnibus veſtiti incederent, et poſt mortem ſepelirentur. Tum per Petrum [a] Breum, qui ex laniena ſervatus apud Saturiouam latuerat, exploratus hoſtium ſtatus: miſſi item periti, qui munitiones inſpicerent; [b] Olotocara Saturiouae propinquo omnem operam et diligentiam adhibente, ne noſtrorum contra Hiſpanos conatus fruſtra eſſent. Dein inter eos dies condicitur, quo reguli cum ſuis more gentis ad pugnam inſtructi convenirent. Dati obſides a Saturioua unus ex filiis, et ex uxoribus, quam prae aliis diligebat, puella XVIII annorum. Nuſquam major fides, et, quod fidei pignus eſt, majore cura ſervatum ſilentium. Praeter Carolinam a noſtris inchoatam et ab Hiſpanis poſt Ribaldinam cladem inſtauratam aliae duae munitiones hinc inde in ripis [c] Maii inferius verſus mare exſtructae fuerant, et L militum praeſidio ac praeterea tormentorum noſtris ereptorum numero firmatae: in III illis munimentis CCCC omnino delecti Hiſpani erant. Igitur, cum cuncti ad [d] Somonam conveniſſent, ex potione, quam caſſinem vocant, ex quarundam herbarum ſucco confectam, biberunt; quod illis ſolemne eſt, cum ad periculoſam quandam expeditionem proficiſcuntur, quod ejus beneficio et animos incendi et famem ac ſitim diutius tolerari poſſe credant. Gurgius quoque bibere ſimulavit. Inde profecti, duce illo, quem diximus, adeo bene animato Olotocara, ſecurim manu tenente, pluvioſo coelo et impedito paludibus itinere ad [e] Sarravahiam amnem accedunt, cum fame animoſe luctati: nam lembus, qui commeatum per deſerta loca portabat, nondum advenerat: inde alterum amnem, ubi mare receſſit, alligatis ad galeas pixidibus, vado tranſmittunt, oſtreis grandioribus ab aeſtu ejectis ultra modum incedendo per aquam infeſtati; ac demum, ſexta poſt Paſchatis ſolemnia feria, Aprili menſe, in conſpectum munitionis in Maii faucibus ab Hiſpanis ad dextram ripam ſtructae veniunt. Ibi poſt aliquot machinarum diſploſionem, cum Olotocara ſervandorum ordinum ignarus primus in aggerem inſiliiſſet, et tormentarium ſariſſa confodiſſet, inſecuto cum ſuis Gurgio, locus capitur: et mox, Gurgio in adverſam ripam cum XXC ſcloppetariis navigio tranſmittente, ad alteram munitionem fit impetus; et hae quoque facili negotio noſtri potiuntur. Elapſi fuga praeſidiarii, ab Indis, qui jam vicinam ſylvam inſederant, intercepti. Utrobique CXX Hiſpani interfecti, XXX exceptis qui ad ſupplicium ſervati ſunt. Inde paratis ſcalis ad Carolinam II inde leucis diſtantem itum, duce viae tribuno Hiſpano captivo; per quem de ſitu ac firmitate munitionis, foſſae altitudine et numero militum certior factus Gurgius, cum tota nocte iter feciſſet, mane in praeſidiariorum conſpectum venit, et frequenti machinarum diſploſione petitus eſt. Hinc inde Gurgii juſſu per lucos circumpoſitos Indi collocati erant, ne exitus fugientibus pateret: ipſe cum vim ad partem humiliore foſſa vallatam facere decreviſſet, is qui loco praeerat LX ex ſuis emittit, qui de noſtrorum ſtatu cognoſcerent. Sed, [f] Caſanova ſe medium cum XX delectis inter arcem et Hiſpanos interponente, intercluſi illi a Gurgio ad unum omnes trucidantur. Quo caſu territus loci praefectus, cum ſuis in lucos vicinos dum aufugere tentat, ab Indis interceptus caeditur, multis ex ſuis, qui offenſionem indigenarum metuebant, noſtrorum miſericordiam periclitari optantibus. Ita capta Carolina omni re egregie inſtructa, et inprimis V majoribus colubrinis et IIII mediocribus et XVIII pulvere tormentario plenis doliis: quae omnia Gurgius, jam de diſceſſu, re confecta, cogitans, ſtatim in naveis imponi juſſit: nam

reliqua

INTERPR. [a] *du Bré.* [b] *Olotocara.* [c] *le May.* [d] *la Somme.* [e] *Saravabi.* [f] *Caſenove.*

reliqua igne per imprudentiam injecto conſumpra ſunt. Captivi, cum prius eis CIƆIƆLXVIII
[a] Gurgius immanitatem et perfidiam, qua in foederatos Gallos ante triennium uſi CAROLUS IX.
fuerant, exprobraſſet, ad vicinas arci arbores laqueo ſuſpenſi ſunt; addito elogio, quo ooo cum iis tanquam Hiſpanis, ſed taoquam proditoribus, lattonibus ac percuſſoribus, actum eſſe ſignificabatur. Siquidem Melandes ooſtris quoque crudeliter interfectis ſuperſcribi juſſerat, non tanquam Fraocos ſed tanquam Lutheranos habitos eſſe. Quibus peractis, Gurgius Iodis perſuadet, ſi libertatem ſuam ſalvam velint, arces Hiſpanorum diruendas eſſe: quod illi ſedulo, certatim accurrentibus agreſtibus, upius diei ſpatio fecerunt. Inde praemiſſo Caſanova, qui per mare cum machinis ad navigia iu [b] Sequanae aeſtuario relicta tenderet; Gurgius terreſtri itinere cum XXC ſcloppetariis iter ad ſuos fecit, de ultione ſumpta et aſſerta a ſervitute Hiſpanorum Florida, quacunque incedebat, triumphans, ad ſpectaculum undique per vias confluentibus Indis et pro tanto beneficio gratulantibus: inter quos vetula audita eſt, quae ſibi mortem ooo jam moleſtam fore teſtata eſt, quando, ejectis regiooe Hiſpanis, Gallos rurſus victores vidiſſet. Rebus omnibus ad profectionem comparatis, Gurgius, petita a regulis venia, quos ad foedus cum rege ſervandum ſedulo hortatus eſt, facta etiam ſpe, ut intra XII lunas, ſic menſes apud Floridenſeis computantur, rex rurſus novas copias ad eos mitteret, noo ſine iodigeoarum lachrimis, a quorum amplexu vix avelli potuit, ac praecipue Olotocarae, qui ſtrenuam adeo ac fidam operam noſtris navaverat, actis pro proſpero ſucceſſu Deo gratiis, V Non. Maias Florida ſolvit; et rara felicitate XVII dierum ſpatio CIↃC leucas emenſus cum ſuis VIII Eid. Junias incolumis [c] Rupellam appulit, amiſſo tantum uoico navigio, VIII hominibus et aliquot ex nobilitate, qui in oppugnationibus caſtrorum occubuerunt. Secuti eum fuerant, ut in itu ſic et in reditu, Hiſpani, qui ad [d] Baiae promontorium paulo ſupra Rupellam apparuerunt; ſed ſetius, jam appulſo Gurgio; qui, a Rupellanis hooorifice acceptus, mox [e] Burdigalam petiit, et tormenta Hiſpanis erepta in publicis urbis aedibus depoſuit. Inde per diſpoſitos equos ad B. Monlucium [f] Aquitaniae praeſidem cooteodit: a quo ad regem remiſſus ubi Lutetiam venit, praeter opiniooem ſibi pro praemio periculum paratum comperit. Siquidem Philippus pretium capiti ejus dixerat: et, cum per oratorem ſuum apud regem de Floridenſi caſu cooqueſtus eſſet, nemine eum defendente, nam Colinius maris praefectus aula aberat, rex ipſum, quod injuſſu ſuo expeditiooem ſuſcepiſſet, tanquam quietis publicae perturbatorem faceſſere juſſerat, pollentibus tuoc in aula Lotharingis, quorum opera regina praecipue utebatur. Itaque Gurgius favori manifeſto io partes Philippi propendenti cedere, et apud amicos ad tempus latere, cooſultum duxit.

IV. IN Germania Maio exeunte legati Caeſarei, quos ad inducias, anno quoque octavo renovandas, Conſtantinopolim ſuperiore anno ablegatos diximus, una cum Ebraimo oratore Turcico, aliis de cauſis ad Caeſarem miſſo, Viennam pridie Kal. Jun. redieruot. Earum, quibus et Veneti et Joannes Vaivoda comprcheodebantur, cum aliae leges et conditiones erant, tum uti quiſqoe ſibi retineret quicquid uſtimo bello cepiſſet: quod Maximiliani rebus plurimum profuit; quippe finibus Schuendii opera ſic ampliatis, ut ad XL milliaria Germanica cis et traos [g] Tibiſcum late dominaretur: quo quidem in terrarum ſpatio multae ſunt arces, multae munitiones inſignes, partim ex hoſte receptae, partim Schuendii diligentia aut exſtructae aut inchoatae. Idem et aeratii novi iis in locis ioſtituendi auctor exſtitit; unde non leve ſubſidium publicis rebus acceſſit, ac Germanis per loca munita diſtributis rem limitaneam matura provideotia tam in [h] Pannonia quam in Stiriae finibus conſtituit. Quibus de cauſis Selimus ad pacificationem cum Maximiliano tam prooo animo inclinaverit, variae conjecturae fuere: ſed potiſſima fuiſſe creditur, quod, cum ad Arabiam,

INTERPR. [a] *de Gourges.* [b] *la Seine.* [c] *la Rochelle.* [d] *Chef de Baye.* [e] *Bourdeaux.*, [f] *Guienne.* [g] *la Teiſſe.* [h] *Hongrie.*

CIƆIƆLXVIII CAROLUS IX. [a] Arabiam, quae tunc temporis rebellaverat, ingentem claſſem omni re inſtructam deſtinaſſet, verſis in Orientem armis, pacata omnia a tergo habere vellet. Nec multo poſt Caeſar, ut ſuorum deſideriis, quod huc uſque recuſaverat, aliquantum ſatisfaceret, proceribus et nobilitati Auſtriacae liberam doctrinae in Auguſtana confeſſione expoſitae praedicationem in ipſorum arcibus, oppidis ac pagis indulſit; hoc addito, ſi de ordine rituum, ſive in templis agendorum, cum vetuſtis Auguſtanae confeſſioni addictis eccleſiis exemplo congruente antea convenient: quod, inſtante Thoma [b] Perrenoto Chantoneo, Philippi rebus Belgicis ex eo exemplo metuentis oratore, adjectum, beneficii conceſſi gratiam partim retardavit, partim omnino labefactavit. In Italia hoc anno plus trepidationis ab incurſionibus Turcicis quam damni datum fuit. [c] Plombinenſis regulus, Florentinarum triremium dux, Selimo bello Arabico diſtricto, conſilium inierat de [d] Hippona in ora [e] Africae intercipienda; unde et captivorum magnum numerum nec modicam praedam ſperabat: id vero ſe confecturum ope transfugae ultro citroque illuc commeantis in animum induxerat. Cum ergo in Sardiniam profectus in Africae conſpectum veniſſet, atque adeo ipſius Hipponae, ſuborta foeda tempeſtate triduum jactatus, tandem [f] Caralim, et inde [g] Liburnum, unde ſolverat, regredi cogitur: ubi, refecto ex jactatione et nauſea milite, cum intellexiſſet Caragialem famoſum piratam, [h] Caeſarea Auguſta profectum, cum aliquot Liburnicis vicina litora infeſtare, rurſus Liburno ſolvit, et juxta Corſicam cum eo confligit, acri certamine, deteriore ad extremum Turcorum conditione, quorum biremium una capta in Plombinenſis poteſtatem venit. Sed multo ſanguine ea victoria conſtitit, graviter vulnerato inter alios Franciſco [i] Oricellario Hieroſolymitano equite, et ipſo Plombinenſi per femora ſagitta transfixo, ut cum claſſe, cadaveribus et ſauciis plena, rediens victo quam victori ſimilior videretur. [a] Mutahar tunc in Arabia felice rerum potiebatur, ab Aſiae regibus Mahumetanae Sectae addictis, antequam tam late ſe imperium Turcicum per illas provincias ſparſiſſet, genus trahens; qui, frugali in menſa victu utens, de cetero ſplendorem in reliquo cultu et equorum praecipue egregio apparatu ſervans, vitam ad nonageſimum amplius annum, integris corporis et ingenii viribus, produxit. Is, Turcicum jugum pertaeſus, purpuratis circumpoſitis ſe minus morigerum praebebat: idque illi rebellionem interpretati, occaſionem armorum quaerentes, bellum ei inferendum Selimo perſuaſerunt. Miſſus primo Muſtaphas exiguo profectu; moxque ei Sinan ſuffectus; qui, ſive aſtu ſive vi, poſt aliquot levia proelia, qualia inter Arabas conſeri ſolent, eo Mutaharem adegit, ut fidei ſuae Sultano in poſterum arctius devinciendae obſides daret [k] Omarem filium et [l] Haidarem nepotem ex fratre. Quibus actis, triumphanti ſimilis Sinan ad portam reverſus eſt: felixque is ſucceſſus homini ſuperbo et vaſta ambitione ardenti ad majora deinceps gradus fuit.

V. TUNC et de dignitatis praerogativa inter Ferrarienſem et Florentinum duces diu ante agitata cauſa renovata eſt: cujus cognitionem cum ad ſe pertrahere vellet pontifex, Ferrarienſis contra tergiverſabatur, et quamvis citatus nunquam adduci potuit ut procuratorem Romam mitteret: ſed, ut a Caeſare et in aula Caeſarea lis terminaretur, omni ratione contendebat. Id cum honeſte Coſmus recuſare non poſſet, quo tamen id cum bona pontificis gratia fieret, impetravit, ut pontifex de Maximiliano, non ut Caeſare, ſed tanquam arbitro, aſſentiretur; ea tamen lege, ut intra certum tempus de cauſa cognoſceret, et juris ratione eam dijudicaret. Ea de re miſſus a Florentino ad Caeſarem Ludovicus [m] Antenoreus; qui poſtea Coſmi commendatione epiſcopus [n] Volaterranus creatus fuit. Verum Maximilianus, qui

et

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Mutahare uſque ad* Tunc et de dignitatis *deſunt D. ſ. o.*

INTERPR. [a] *Hyemen, ou l'Arabie Heureuſe.* [b] *Perrenot, ſieur de Chantonet.* [c] *d'Appiano, ſieur de Piombino.* [d] *Bona.* [e] *Barbarie.* [f] *Cagliari.* [g] *Livorno.* [h] *Alger.* [i] *Rucellai.* [k] *Omar.* [l] *Haidar.* [m] *Antinori.* [n] *de Volterra.*

et auctoritatem ſuam retinere et inter Ferrarienſem et Florentinum ſororios judex ſedens neutri moleſtiam faceſſere vellet, acceptis pontificis literis, in juſtam indignationem exarſit, quod et in ſententia ferenda modus et conditio praeſcriberetur, nec ſibi cauſae ad ſe et imperatorum tribunal vere pertinentis libera cognirio permitteretur. Itaque, quod unum poterat, princeps prudentiſſimus et aequiſſimus rem de die in diem ducebat; et, ſi quidem ſententia ferenda erat, diſſidium hoc amice componi exoptabat: cum contra Coſmus, antiqua Florentinae reipublicae praerogativa nitens, quam adjecto Piſano et Senenſi imperio auctam, ſe duce, decreſcere ac minui pati non poterat, non aequitatis via componi, ſed ex jure partium decidi debere contenderet. Apud nos Ferrarienſis commendatione Guiſii ducis ſororii, dum is res ſub Franciſco moderaretur, jampridem tenuerat, ut Florentino praeferretur: cum vero tunc regina bello rurſus contra Condaeum renovato grandem pecuniam a Coſmo efflagitaret, ille occaſionem nactus per Pandolſum [a] Petruccium oratorem ſuum de reciperanda dignitate ſibi praeter jus imminuta agit; nec ingenris animi foemina abnuebat; et ad decus familiae, ex qua genus ducebat, id pertinere exiſtimans, cum nihil non in Mediceorum gentilium gratiam facere ſe paratam oſtenderet, tamen contra ſententiam in aula non ita dudum a Franciſco latam, cardinali Lotharingo vindice, et tunc apud nos praepotenre, principem locum Florentino petenti tribui non opportunum ducebat; ſatis eſſe inpraeſentiarum dictitans, ſi controverſiam de praerogativa Ferrarienſi moveret: ſic enim fore, ut jus ſententia illi quaeſitum in dubium revocaretur, et paulatim ipſe de poſſeſſione dejiceretur: quod et paulo poſt accidit. Nam, allato de Caroli Hiſpaniae principis morte nuncio, cum exequiae ſolemni pompa Lutetiae in majori templo fierent, Ferrarienſem, qui infra ſenatus Veneti oratorem proxime ſedebat, Petruccius Florentinorum, qui nimium quam multi tunc apud nos erant, longum comitatum ſecum trahens, et aliorum, qui in aula non pauci Guiſianorum odio Ferrarienſi incommodare ſatagebant, et reginae in primis, quamvis id propalam diſſimulabat, gratia ſubnixus, intervenit, et medium inter Venetum et Ferrarienſem ſibi locum depoſcit: et, cum in eo eſſent, ut ad manus venirent, [b] Andium dux, qui cum [c] Alenconio fratre et cardinali Borbonio et Lotharingis aderat, a regina monitus, occaſione captara, utrique imperavit, ut, ſalvo partium jure, vitandae offenſionis publicae cauſa diſcederent. Ita primum controverſa Ferrarienſis poſſeſſione, tandem, ſed aliquot poſt annis, regina obtinuit, ut ſecundum Florentinum, interea magnum Etruriae ducem creatum, a rege pronunciaretur.

VI. [α] SUB id et a pontifice, ordinis ſacri immunitates vel cum principum detrimento ampliare ſatagente, tentatum, ut eccleſiae inſervientes miniſtri toto orbe Chriſtiano a tributis, vectigalibus aliiſque oneribus, quae ubique ſubditi regibus ac ceteris principibus pendunt, liberi haberentur: idque publicata in coena Domini bulla atque additis ſeveritatis extremae minis ſanxerat, principibus et rebuſpublicis, in quarum ditionibus haec imperii oneribus ſuſtinendis impoſita onera ab eccleſiaſticis exiguntur, extra eccleſiae communionem poſitis, interdicta etiam ac denegata in ſacra confeſſione tanti piaculi gratia. Quod inſolens et rebus ſuis grave Italiae principibus ac praeſertim Philippo et ſereniſſimae Venetorum reipublicae viſum: cumque pontifex inſtaret, ut per epiſcopos et eorum vicarios ac plebanos, nullo reſpectu, ubique in alienis ditionibus promulgatio fieret, Philippus, ea re graviter indignatus, epiſcopis ac plebanis in Italia et Hiſpania, ne ultra pergerent, pari poenarum ſeveritate inhibuit, cum diceret, nolle ſe committere, ut ignava ſua patientia majeſtatem,

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de bulla in coena Domini et Cleri a vectigalibus immunitate, 24 ſcil. lineae, uſque ad* Jam apud nos res *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Petrucci.* [b] *d'Anjou.* [c] *le duc d'Alençon.*

CIↃIↃLXVIII CAROLUS IX.

tem imperii a majotibus acceptam atque adeo aerarium imminuiſſe videatur: videre ſe oce invidere, quod regi Francorum, qui regnum Sectaria peſte infectum habeat, nova quotidie ſubſidia a ſaeto ordine emungere concedatur; id vero ferre non poſſe, ſibi, qoi regna ab eadem peſte incontaminara ſervet, interdici, quo minus jura ab omni aevo ad hunc diem ab eodem ſacro ordine in ſuis ditionibus pendi ſolita, exigere liceat. Nec Veneti aequiore animo hanc novitatem laturi videbantur, hoc etiam addeotes, aerario imminuto labefactari imperium, cujus incolumitate ſalus omoium etiam religioſorum contineatur. Id cum per aliquot menſeis ſumma uttinque contentione agitatum fuiſſet, ardentibus iutet nos ob religionem et in Belgio bellis, in pontificis animo priſtinus ſervor refriguit, et, qui ſacrum ordinem levare inſtituerat, eundem ex bellorum occaſione novis ad antiqua cumulatis oneribus gravari paſſus eſt.

VII. JAM apud oos res ad bellum ſpectabant; et, ne ſceleratis partium conſiliis color deeſſet, rationes utrinque ſpecioſae afferebantur. Qui circa reginam erant, repetita tumultus [a] Meldenſis adhuc recenti memoria, Proteſtantibus nihil ſatis eſſe dicebant; qui, cum pro maleficii praemio ultimae pacificatioois beneficium a regis benignitate tulerint, nunc illud aut in ſuum commodum ampliare, aut in regis perniciem labefactare non deſinant: nam urbes, quae ex conventione reſtitui deberent, adhuc ab iis retineri; [b] Montalbanum, [c] Sancerras ac pleraſque arces et oppida in [d] Septimania, Cadurcis, Rutenis, Vivarienſi pago et Allobrogibus, ut [e] Caſtrum, Divonam et Millialdum, [f] Vezelias in Heduis, et Rupellam io Santonibus, quae non ſolum [g] Jarnaeii urbis praefecti praeſidium admittere recuſet, ſed muoitiones iochoatas iſtuc temporis feſtinatis operibus continuet, regios miniſtros ultimo bello pulſos ounc quoque excludat, naveis privata auctoritate conſtruat, collationes pecuniae a rege imperatas ſolvere detrectet: id ſuſpicionem de novi belli apparatibus merito regi injicere, qui non niſi aegre ſerre poſſit pleroſque injuſſu ſuo regoo excedere, ut [h] Arauſionenſi in [i] Belgio militeot contra [k] Albanum Philippi foederati regis legatum. [l] Cocavillae item factum objiciebatur, quem non niſi Condaei juſſu ac mandato, quamvis id pernegaret, tantam atmatotum multitudinem cogere potuiſſe ſibi perſuadebant: addebant et ſeeteta eum Arauſionenſi et Germanis principibus Proteſtantium partibus addictis pacta et foedera, et commeanteis ultto citroque legationum ſpecie nuncios. Contra Proteſtantes, ſe pro religione, cooſcientiarum libertate, arma ſumpſiſſe excuſabant; quae, ipſis edicto permiſſa, facto denegetur: nam pleriſque locis conveniendi licentiam ambitioſis et emendicatis a publicae quietis hoſtibus reſcriptis impediri: [m] Santerano ſiquidem Arvernotum praeſidi nuper literis ſignificatum, eam regis voluntatem eſſe, ut reginae parentis, fratrum ac [n] Monpenſerii arces, oppida ac ditiones illa legis neceſſitate non teneantur: nimirum id actum ultima pacificatione, non ut qoies publica conſtitueretur, ſed ut ipſi, non ſolum Gallicis, ſed exterois opibus tunc potentes, per eam armis exuti facilius opprimerentur: eo conſilio Helvetiis, quos dimitti placuerat, adhuc ſtipendia procedere, et Italorum auxiliariorum alis aliquot; Gallicas vero copias non dimiſſas, ſed per praeſidia diſtributas, quae, meſſe facta, mox ad ſigna conveniant: pulſos urbibus noo recipi, oec bonis, unde armorum licentia dejecti erant, reſtitui: nec parum moveri, quod audiant, regem miſſis oratoribus a pontifice petere, ut ſibi L aureorum CIↃ annui reditus ex bonis eccleſiaſticis alienare liceat: nam, quorſum hoc a pontifice peti, aot ſperari, niſi in belli Proteſtantibus inferendi ſumptus? eodem pertinere legatiooes in Germaniam miſſas, ut principes Proteſtantibus et Condaeo ob religionis cauſam amici ab eo ejuſque cauſa alienentur: concilii vero Tridentini promulgationem,

INTERPR. [a] *de Meaux.* [b] *Montauban* [c] *Sancerre.* [d] *Languedoc, Quercy, Rouergue, le Vivarais, & Dauphiné.* [e] *Caſtres, Cahors, & Millaud.* [f] *Vezelay en Bourgogne, & la Rochelle en Saintonge.* [g] *le ſieur de Jarnac, gouverneur de la Rochelle & du pays d'Aunis.* [h] *le prince d'Orange.* [i] *Pays-bas.* [k] *le duc d'Albe.* [l] *de Cocqueville.* [m] *le ſieur St. Heran, gouverneur d'Auvergne.* [n] *le duc de Montpenſier.*

nem, quam regni curiae hactenus rejecerunt, et nunc ſeditioſi ac factioſi urgeant, non aliter interpretari Proteſtanteis poſſe, quam ut ipſi Sectarii veluti ab univerſis ordinibus pronuncientur, et in eos tanquam perduelleis bellum publice decernatur: in Lotharingia item, Baionae, et in Picardiae limite, colloquiis habitis, idem actum eſſe. Tum Inquiſitionis Hiſpanicae in Belgio introductae exemplum ad terrorem ingerunt; et a regina Scotorum jus, quod in Angliae regno ſibi vindicabat, Philippo ceſſum; ſodalitates item per urbes inter oppidanos privata auctoritate religionis praetextu, re vero ad occultas coitiones contra ſe inſtitutas. Scire praeterea ſe aiebant, cardinalem Lotharingum auctorem regi fuiſſe, ut omneis proceres ac Condaeum ipſum in poteſtatem quavis ratione redigeret, et de iis poſtea arbitrio ſuo ſtatueret: id vero ab [a] Albano monitum feciſſe; cujus dicterium Hiſpanum ferebatur, pluris unius ſalmonis caput eſſe, quam quinquaginta ranarum: ob id nuper [b] Goam praecipuum tribunum cum legione ſua et IIII vexillis Briſſaci legionis et XIIII equitum cataphractorum alis in [c] Heduos miſſum, ut Condaeum et Gaſparem Colinium interciperet: quod de [d] Cocavilla et Arauſionenſi addatur, id inimicorum malignitatem manifeſto prodere, qui, cum propria ipſorum crimina ulla neſciant, aliena invidia innocenteis onerant. His ſe rationibus quiſque tuebatur. Cum vero [e] Rupellani nulla ratione [f] Jarnacium admittere vellent, Franciſcus [g] Vetuſvilla equitum tribunus cum plenis mandatis mittitur, ut urbi proſpiceret, regios bonis ac dignitatibus reſtitueret, turris, ad quam catena portum claudens religatur, cuſtodiam, cui jubebatur, committeret, et impoſito idoneo praeſidio auctoritatem regiam ſtabiliret. Praemiſſis, dum Vetuſvilla ad profectionem ſe accingeret, qui animos oppidanorum tentarent, ipſe [h] Durtalii in arce ſua amoeniſſima in [i] Andibus haeſit, et poſtea [k] Pictavium uſque [α] proceſſit. Rupellani interim ſe excuſabant, et immunitates ſuas cauſati, quas illi maximas principum beneficio habent, conditionis a rege propoſitae neceſſitatem deprecabantur; nunciiſque hinc inde commeantibus eo res extracta eſt, ut, ſumptis interim armis, negotium illud omnino evanuerit.

VIII. INTEREA de injuriis variis, et vi ac fraude edicto factis querimoniae undique allatae: Condaeum ad Picardiam praefecturam ſuam adire non permitti, et [l] Senarpontium ipſius legatum odio religionis dignitate motum eſſe: [m] Lugduni cum libertas Proteſtantibus conveniendi negata eſſet, et locus extra urbem eis ex edicto aſſignari deberet, dum de eo diſputatur, conveniendi omnino facultate toto illo tractu excluſos eſſe: Lutetiae vero concionatores tanta aſperitate et vehementia in eos detonare, ut unum id agi appareat, non ut doctrina ipſorum rejiciatur, ſed ut miſeri homines odio ac furori populi propediem mactandi objiciantur: et notari novorum theologorum, qui ſe Jeſuitas appellant, de iis ratas ſententias; nempe pacem cum Sectatiis nec fieri debere nec coire poſſe; fide iis data neminem obligari; rem piam ac ſalutarem eſſe, in impuros homines manus violentas injicere; Chriſtianos omneis adverſus peſtem eam armari debere; ac, praeter decretum ſynodi Conſtantienſis de fide haereticis non ſervanda, addi exempla ex ſacris libris deprompta, de iis qui a Levitis et Moſis mandatu occiſi eſſent; de iis praeterea, qui vitulum aureum adoraſſent; ac denique de Jehu, qui, re alia ſimulata, ſacerdotes Bahali incluſos interfecerit: his factioſorum ubique voces ac minas accedere, paſſim jactantium, trium menſium uſuram, nec amplius, ad vivendum Proteſtantibus ſupereſſe, dum meſſis ac vindemiae tempus praeterierit; quibus tranſactis, fore, ut ad internecionem

cuncti

VAR. LECT. [α] proceſſit; ubi ex ictu ſanguinis paulo poſt deceſſit; vir, qui natalium ſplendore, liberalitate, prudentia, ingenio et morum probitate ac ſuavitate cum paucos pares haberet, ſemperque ſe Gallicae dignitatis et pacis ſtudioſum oſtendiſſet, merito magnum ſui omnibus bonis deſiderium reliquit. Rupellani *MS. Samm.*

Le Pere Anſelm dit qu'il mourut de poiſon en ſon Château de Duretal le 30 *Novembre* 1571. Hiſt. Gen. de France, p. 644.

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *de Goat.* [c] *Bourgogne.* [d] *de Cocqueville, & le prince d'Orange.* [e] *ceux de la Rochelle.* [f] *Guy de Chabot, ſieur de Jarnac.* [g] *le mareſchal de Vielleville.* [h] *Duretal.* [i] *Anjou.* [k] *Poictiers.* [l] *Jean de Monchy, ſieur de Senarpont, lieutenant general de Picardie.* [m] *Lyon.*

cuncti deleantur: nec vero regem conſilia ea, etiamſi velit, impedire poſſe, et, ſi velit, alium ſe regem facturos, ipſo in monaſterium detruſo: deinde a verbis ad caedis deventum, laxatis ad omnem audaciam fraenis: nam et [a] Samarobrigae in Ambianis populoſiſſima Picardiae urbe paulo poſt edictum promulgatum excitata ſeditione c amplius a plebe necatos: [b] Autiſſiodoro, quod Proteſtantes ultimo bello tenuerant, reſtituto, qui interea pulſi fuerant, domum reverſos in ſuſpectos coitione facta ad CL varia peſte ſaeviiſſe, cadaveribus caeſorum in cloacas et vicinum flumen inhumaniter raptatis: [c] Rotomagi item, Avarici Biturigum, Iſſeloduni, Antranii, Auguſtobonae Tricaſſium, ad Leonardi fanum, Aureliani ac denique Bloeſis, Proteſtantium coetus, dum ad conciones convenirent, injurioſe diſturbatos, quibuſdam ex iis occiſis: [d] Ligniaci in Ambaris cum plebs concitata quendam perſequeretur, illum in praetoris urbani domum confugiſſe, ibique, cum tutum perfugium fore conſideret, irrumpentibus ſeditioſis cum armis, reſiſtente praetore, captum et occiſum: [e] Claramontii in Arvernis, quod in feſto, quo Dominicum corpus pompa ſolemni circumvectatur, quidam in via minus ſe reverenter geſſiſſet, et aedeis ſuas, ut moris eſt, eo die non velaſſet, plebem impetum feciſſe, aedibuſque depraedatis, hominem productum in foro convecta e domo ipſius lignea ſtrue inauditum combuſſiſſe, connivente ad ea magiſtratu. Sed maxime omnium Condaei et ſociorum animos perculit Renati [f] Sabaudi Cipierii Claudii Tendae comitis filii caedes, qui, Proteſtantibus haud dubie favere credebatur, non inſcio, ut jactabatur, fratre, patrata. Is [g] Nicaea rediens, quo ducis Sabaudiae conſanguinei ſui viſendi gratia profectus fuerat, cum [h] Foro Julii propinquaret, monetur a ſuis inſidias ad nemus latere: itaque concitato gradu ad urbem, perfugium ibi tutiſſimum ratus, contendit cum comitatu ſuo, qui ad XXXV erant. Ingredientem cum CCC, qui in inſidiis latebant, inſecuti pariter intra urbem accipiuntur, ductore Gaſpare [i] Villanovano Arcii regulo: [α] mox tintinnabulis pulſatis plebs concitata, et ad aedeis, in quibus ſe incluſerat Cipierius, [β] confuſa multitudine itum. Intercedebant conſules de Cipierii ſalute ſoliciti; quorum interventu vix tandem [γ] impetratum, ut multitudo diſcederet, et Cipierius cum ſuis arma traderet: quo facto, et dilapſa ad praeſens turba, Arcius, qui fidei datae [δ] ſatisfactum arbitrabatur, paulo poſt cum ſuis redit, et aedeis denuo oppugnat, expugnatiſque, inermem Cipierii comitatum mactat. Sed cum inter occiſorum cadavera Cipierii corpus non compareret, illum enim conſules interea alio clam abduxerant, Arcius, curae ſibi illius ſalutem eſſe ſimulans, ab iis enixe petit, ſi eum ſalvum velint, ut ſibi dedatur: nam illi vitam ſalvam fore; alioqui, ſi non tradatur, denunciare, illi a plebe concitata inevitabile exitium procul dubio impendere. Illi, qui Arcium ſerio loqui crederent, et metuerent, ne ſibi Cipierius vi eriperetur, aut inter ipſorum manus interficeretur, illum Arcio exhibent; iſque [ε] ſtatim ab irruente multitudine innumeris pugionum ictibus confoditur, dehoneſtato etiam poſt mortem repetitis vulneribus cadavere. Id non ſine occulto aulicorum mandato factum multorum opinio fuit; ex eo confirmata, quod eodem tempore Lutetiae juxta [k] Luparam unus e Cipierii miniſtris, qui negotia heri ſui in aula procurabat, interfectus ſit, nulla certa, quae tunc ſciri potuerit, cauſa, niſi ut literae et occulta mandata, quae ad herum ſuum habebat, ei eriperentur. [l] Amanzaeus quoque haud multo poſt, quem rarae animi dotes cum ſumma modeſtia conjunctae non parum commendabant, ad aedium ſuarum fores a percuſſoribus incognitis filiolam manu tenens crudeliter interfectus fuit. Ita ſubducto omni numero,

qui

VAR. LECT. [α] qui mox tintinnabulis pulſatis plebem concitat, et ita ad aedeis *D. f.* [β] cum confuſa multitudine vadit *D. f.* [γ] ab Arcio impetratum eſt *D. f.* [δ] ſatis feciſſe *D. f.* [ε] ſtatim circumfuſa multitudine *D. f.*

INTERPR. [a] *Amiens.* [b] *Auxerre.* [c] *Rouen, Bourges, Iſſoudun, Antrain, Troyes, St Leonard, Orleans, & Blois.* [d] *Ligny en Barrois.* [e] *Clermont en Auvergne.* [f] *de Savoye, comte de Cipierre.* [g] *Nizza ou Nice.* [h] *Frejus.* [i] *Villeneufve, baron des Arcs.* [k] *le Louvre.* [l] *d'Amanzay.*

qui inter Proteſtantes rationes exactius putabant; intra III menſium ſpatium plus x animarum CIↃ dolis intercepta recenſebant, rem, ut puto, in majus augentes, cum proximum bellum totis VI menſibus vix IↃ abſumpſiſſet. Condaeus [a] Nuceti tunc erat in Heduis Franciſcae [b] Aurelianae uxoris arce; ad quam, aſtu prius tentatam, nunc vi expugnandam Gaſparem [c] Saulium Tavanium [d] Aumalii provinciae praeſidis legatum copias undique comparare cum intellexiſſet, ad amicos toto regno ſparſos literas dat, et, quo in periculo verſetur, oſtendit; hortaturque, ut ſibi proſpiciant, et, cum opus erit, praeſto in armis ſint. Dum in eo ſunt, venere a rege literae, quibus grandis pecuniae, quae ad CCC aureorum CIↃ excurrebat, in Germanorum, qui Condaeo nuper militaverant, ſtipendia a rege repraeſentata, ſolutio imperabatur. Ejus obligationis ſponſores acceſſerant Condaeus et primarii ex nobilitate Proteſtantium partibus addicti. Literis vero illis rex ſignificabat, non intelligere ſe, ut pecunia illa ab univerſis Proteſtantibus, ſed ab iis tantum, qui arma ipſius Condaei auſpiciis geſſiſſent, exigeretur: idque repetitis literis urgebatur, ut, cum tanto moleſtior ſolutio eſſet, eo ad illam obligati alieniores a partibus Condaei eſſent, et ceteri periculo eorum ſaperent, et ſegniores ad ſigna deinceps convenirent. Ea re cum gravem ſibi injuriam dolo et artibus adverſariorum fieri crederet Condaeus, crebro per literas apud regem expoſtulabat; et, ut regni per bella civilia diſſoluti miſericordia tangeretur, orabat. In eandem ſententiam Colinius ad Margaritam Sabaudiae ducis uxorem, quod eam gratia et auctoritate plurimum apud reginam valere exiſtimaret, dat literas; et, ut interventu ſuo partes ad concordiam adducat, et bellum civile avertat, hortatur: cumque tunc miles quidam comprehenſus eſſet a [e] Coquereto Vernerii vexillifero, uti poſtea faſſus eſt, miſſus ad foſſae Nuceti altitudinem explorandam, quo incautus ipſe Condaeus cum tota familia opprimeretur, Condaeus Carolum [f] Telinium in aulam legavit, qui injuriam ſibi literis illis, quas dixi, factam deprecaretur, et, de Coquereto, de caedibus, clandeſtinis conſiliis, inſidiis, coitionibus, concionatorum per templa bacchantium licentia, ſeditioſorum minis, publica querimonia inſtituta, regem rogaret, ut facta de pace edicta religioſe a praefectis provinciarum ac magiſtratibus ſervari mandaret.

IX. QUIBUS querelis etſi rex puer movebatur, et reginam ſaepius obteſtabatur, videret, ne bellum rurſus erumperet; ſed edicta ubique ſervari imperaret, alioqui fore, ut publica res funditus evertatur; illa tamen, quae putaret verba haec illi ab Hoſpitalio [α] cancellario dictata, ut res erat, Rupellanorum contra rebellionem tegerebat, quorum exemplo metuendum eſſet, ne ceterae urbes libertatis dulcedine illectae in eandem licentiam effunderentur: et quia Hoſpitalium a turbulentis conſiliis alienum ſciebat, eumque apud regem plurimum poſſe, viri maximi exiſtimationem apud ipſum regem labefactare coepit occultis delationibus, quaſi Proteſtantium partibus in occulto faveret: quorum doctrinam quo minus publice profiteatur, tantum magiſtratus ampliſſimi, quem ſuſtineat, ratione prohiberi: ſed, cum uxorem, filiam, generum, nepotes ac totam familiam ei religioni addictam habeat, cui dubium relinqui, quin eam in arcano colat? Accidit et tunc res, quae calumniatoribus magnam eum apud regem traducendi occaſionem praebuit. Nam, cum allatum eſſet a pontifice diploma, quo diſtrahendi ex ſacro patrimonio ad L CIↃ aureorum annui reditus facultas fiebat, cauſa addita, ut bello Sectariis illato illi aut plane delerentur, aut ad eccleſiae Romanae obedientiam reducerentur, variae dictae ſunt in regis conſiſtorio ſententiae: et, quia edicta ante facta illo diplomate ſugillabantur, et expreſſiores

VAR. LECT. [α] cancellario, viro optimo, *D. f.*

INTERPR. [a] *Noyers en Bourgogne.* [b] *d'Orleans.* [c] *de Saulx, ſieur de Tavanes, lieutenant general de Bourgogne* [d] *le duc d'Aumale.* [e] *Coqueret, enſeigne de la compagnie du capitaine la Verniere.* [f] *de Teligny.*

CIƆIƆLXVIII expreſſiores de haereticis exterminandis cauſae adjungebantur, nonnullis regiis con-
CAROLUS IX. ſiliariis, Hoſpitalio illius ſententiae auctore, diplomatis publicatio minus opportuna viſa eſt; quod ita appareret bellum jam a longo tempore apparatum, foederiſque illius ſacri, quod tam ſtudioſe hactenus celaſſent, haec perſpicua indicatio eſſet. Itaque placuit, ut novum diploma a pontifice impetraretur; interea iſtius uſus eſſet ad praeſentem neceſſitatem. Id non parvam Hoſpitalio invidiam pro tempore conflavit. Itaque, cum ſeorſim regina undique arrepta occaſione patriae amantiſſimi viri conſilia regi ſuſpecta reddidiſſet, rexque ab eo tempore eum perfrigido vultu nec aperto, ut antea, exciperet, ille, quo erat generoſo animo ac repulſae impatiens, ſtatim de ſeceſſu cogitare coepit: cumque [a] Vincani domum a ſe extructam in agro [b] Stampenſi conceſſiſſet, regina, miſſo Petro [c] Brularto, qui erat ipſi a ſecretis epiſtolis, regis nomine eum ad otium hortatur, ac ſigilla regia repoſcit; quae mox Jo. [d] Morvillerio, dum rex de iis ſtatueret, commiſſa ſunt.

X. Exturbato a clavo reipublicae Hoſpitalio, regina jam libere ac nemine contradicente ad turbarum conſilia inclinavit; atque ut, omnibus rebus jam ad bellum contra Proteſtanteis gerendum paratis, magis ac magis vireis eorum et concordiam infringeret, jurisjurandi formulam, in quam omnes ſe ſacramento adigerent, ad provinciarum praeſides mittit. Ea hujuſmodi erat; ut teſtarentur coram Deo ac ipſius nomine jurarent, ſe regem Carolum IX pro ſuo ſummo ac naturali principe agnoſcere; et paratos eſſe ei omnem honorem, obſequium ac ſubmiſſionem exhibere; nec unquam arma, niſi diſerto ipſius mandato, ſumpturos, iiſve, qui adverſus ipſum ea ſumpſerint, conſilio aut pecunia aliave re favituros; nec pecuniarum collationes injuſſu ipſius cujuſcunque occaſionis obtentu facturos; nullis ſe ſecretis conſiliis aut foederi obligaturos, aut in ea conſenſuros; ſi quid eorum ad ipſorum notitiam pervenerit, de iis regem aut ipſius praefectos bona fide monituros: orare interim quam demiſſe poſſint regiam majeſtatem, ut naturali ſua bonitate ac clementia utatur, ſeque pro ſuis fidelibus et obſequentiſſimis ſubditis et in tutela ſua habeat; viciſſim preces ad Deum indeſinenter pro ipſius, matris ac fratrum ſalute et ſecuritate facturos: omni autem ſuppliciorum ac poenarum rigori ſe ultro ſubjicere, ſi culpa ſua quid turbarum in hac urbe, nomine urbis expreſſo, contigerit, ad cujus defenſionem vitam fortunaſque omneis impenſuri ſint, ac veram item cum Catholicis ac ſinceram amicitiam colituri.

XI. Haec in necem ſuam fieri et ad dedecus Proteſtantium pertinere exiſtimans Condaeus partim excuſatione partim interpretatione emolliit: ſed, cum in dies de machinationibus contra ſe ac ſuos certior fieret, monito G. Colinio, qui ſibi metuens [e] Caſtellione [f] Tanlaeum haud longe a [g] Nuceto Andeloti fratris arcem cum familia ſe contulerat, quo inimicorum conatibus praeverteret, de diſceſſu cogitare coepit. Nam et vexillationes XIIII equitum et totidem peditum ad [h] Rupellae obſidionem, ſicuti ferebatur, deſtinatae, in Burgundiam tunc temporis revocatae ſunt: et [i] Telinii ex aula reditus, quanquam cum literis venisset omni honeſto amicorum verborum condimento ornatis, triſtia cuncta praeſagiebat. Itaque Condaeus adhuc animi pendens [k] Jacobam Rohanam Rotelini marchioniſſam ſocrum orat, ut regem ſuo nomine adeat, eumque obteſtetur, ut promiſſionum ſuarum jurejurando et edicto publico firmatarum jura violari non ſinat, neque patiatur, ut publicae quietis hoſtes ipſius nomine et auctoritate ad pernicioſa conſilia ſua exequenda abutantur. Vix Rohana diſceſſerat, cum repetitis nunciis monetur Condaeus, ſibi mature conſulat: ni faciat, fore ut dilationis nequicquam eum poeniteat: adventare undique copias; nonnullas etiam jam loca Nuceti vicina inſediſſe; neque nunc niſi ſummo cum periculo praeſidiariorum manus evadere poſſe. Itaque Condaeus, re cum Colinio

INTERPR. [a] *Vignay.* [b] *d'Eſtampes.* [c] *Brulart.* [d] *de Morvilliers.* [e] *Chaſtillon ſur Loing.* [f] *Tanlay.* [g] *Noyers.* [h] *la Rochelle.* [i] *de Teligny.* [k] *Jacqueline de Rohan, marquiſe de Rotelin.*

Colinio communicata, ubi nullam diſceptandi conſultandive moram relictam vidit, commendato Dei providentiae rerum exitu, de diſceſſu matute capeſſendo conſilium capit: diſceſſurus ad regem dat literas x Kal. Sepr. quibus omnem turbarum cauſam in Carolum cardinalem Lotharingum rejiciebat; cujus inquieto ingenio fiat, ut homines innocentes, relictis laribus, ad vitandum periculum cogantur cum uxoribus et infantibus inter ulnas complicatis vagari, et de domo in domum diſcurrere. Literis addidit et libellum ſupplicem valde prolixum; qui et poſtea publicatus eſt. In eo praefatus, minime dubitare ſe de ſincera et egregia regis in Proteſtanteis voluntate et ad edicta ſervanda fide, querimonias antiquas repetit; et in primis occulta conſilia Baionae cum Albano inita urget ad Proteſtanteis eodem tempore in Gallia et Belgio delendos; Helvetiorum delectum, auctore ipſo Albano, habitum, quamvis id ex occaſione adventus Hiſpanorum fieri ſimularetur; arcana denique [a] Moncelli et Marceſii colloquia in Lotharingi ipſius aedibus habita, in quibus de Condaei et Colinii, ſi ad [b] Viceennarum arcem acceſſiſſent, intercipiendorum ratione actum eſt. Dein et Proſperi [c] Santacrucii cardinalis legationem regerit, et ſermones acerbos a regina et Anna Momorantio equitum magiſtro [d] Cantiliae cum Colinio ipſo habitos. Facta deinde pace, quid ſecutum? Verba data, nec ulla in urbe edictum executioni demandatum. Nam [e] Lugduni, Anicii, Avarici, Divione ac Belnae nullam ejus habitam rationem: [f] Toloſae [g] Rapinum, qui bellum acriter in [h] Septimania Condaei nomine geſſerat, cum ipſius mandatu poſt edictum conditum fide publica ac regiis literis veniſſet, ut ſenatui regium mandatum de promulgando edicto exhiberet, protinus comprehenſum, et lata in ipſum ſententia ad mortem Eid. April. ultimis damnatum eſſe: ſecutas id innumeris locis non ſolum privatorum ſed univerſorum caedeis, [i] Samarobrigae, Autiſſiodori, Avarici et Bloeſis; de quibus per Lotharingorum violentiam inquiri minime potuerit: [k] Cipierii vero indignam necem, auctore aut conſcio Ludovico cardinali Guiſio, graſſatoribus illis propalam patrocinante, patratam fuiſſe: dein conditum edictum, ut omnes, qui religionem reformatam profiterentur, intra certum tempus dignitatibus ac muneribus publicis ſe abdicarent, neque quiſquam poſthac ad ea admitteretur: ita praefecturam maris Gaſpari Colinio, et peditatus Gallici praefecturam Andelòto ipſius fratri, ademptam; conſimiliter [l] Baiencurium Buchavanium [m] Laodunenſi, Ludovicum [n] Lanoium Morvillerium [o] Bononienſi, [p] Senarpontium Picardiae praefectura motos: tum, ut undique miſeri homines quaſi indagine clauderentur, media in pace praeter morem cuſtodias militareis in portubus, pontibus et aditibus ceteria diſpoſitas: ſodalitates item religionis praetextu pleriſque locis ac praeſertim Divione inſtitutas, ubi Joannes [q] Begatus ſenator libelli contra edictum pacificationis facti auctor, cum [r] Raimondo, Fioto, Malaregio, et duobus Tavanii filiis, nihil non fecerit, ut ſubjectis plebis animis odiorum facibus publicam quietem ſolicitaret: idem factitatum in [s] Cenomanis, incentoribus [f] Toarcaeo, Vaſſaeo et Surchio. Demum antiqua Lotharingorum conſilia ſeu commenta memorantur; quibus ſe ex vetere regum Francorum ſtirpe ortos jactantes etiam jus in [t] Andegavenſi et Provinciae principatu vindicant; eoque nomine cum nihil non audeant, ſi qui ſunt, qui ipſorum ambitioſis conatibus ſe opponant, eos calumniis impetunt, et novo nec uſitato nomine Politicos vocant, et Sectariis pernicioſiores ac periculoſiores eſſe aiunt: eoque cunctos, qui majorum religionem amplectuntur, ſed a turbis et factionibus et proinde a Lotharingorum partibus alieni ſunt, hoc eſt, inter proceres Carolum cardinalem Borbonium, Michaelem Hoſpitalium

INTERPR. [a] *Monceaux & Marchez.* [b] *Vincennes.* [c] *de Santa Cruz.* [d] *Chantilly.* [e] *Lyon, le Puy en Velay, Bourges, Dijon, & Beaune.* [f] *Toulouſe.* [g] *Rapin.* [h] *Languedoc.* [i] *Amiens, Auxerre, Bourges, & Blois.* [k] *le ſieur de Cipierre.* [l] *de Baiancour, ſieur de Bouchavanes.* [m] *le Laonnois.* [n] *de Lannoy, ſieur de Morvilliers.* [o] *de Boulogne.* [p] *de Senarpont.* [q] *Begat.* [r] *Remond, Fiot, Maleroie, & deux fils de Gaſpard de Saulx ſieur de Tavanes.* [s] *le Mans.* [f] *de Thoarcé, de Vaſſé, & de Chourſes.* [t] *Anjou & Provence.*

CIↃIↃLXVIII
CAROLUS IX.

Hoſpitalium cancellarium, Momorantios, equitum tribunos, iovolvunt. Tunc primum [a] Politici nomen in odium tractum in monumentis rerum noſtrarum video; in quod poſtea concionatores, graſſante licentia, ſupra modum debacchari ſunt, optimates, pacis, qua religio et publica ſecuritas continentur, ſtudioſos, eo notantes. Poſtremo additum in libello, Maximilianum Caeſarem ad regem ſcripſiſſe, omnia bella ac diſſenſiones, quae inter Chriſtianos hodie vagantur, a Lotharingo et Granvellano cardinalibus proficiſci. Proinde teſtatur Condaeus ſuo, procerum ac nobilium Proteſtantium nomine, commune hoc omnium conſilium eſſe, quo malis regno impendentibus in tempore occurratur, unum ſe cardinalem Lotharingum, quem contemptim et injurioſe presbyterum impurum, tigridem et tyrannum appellant, ac ſuccenturiatos miniſtros petere, eoſque tanquam perjuros, graſſatores, fideique publicae violatores, pacis ac quietis patriae hoſteis armis perſequi decreviſſe.

XII. Mtssts his ad regem literis, Condaeus, ac ſparſa fama ſe inibi ad eas reſponſum expectaturum, [b] Nuceto proficiſcitur miſerabili comitatu; quippe cum uxore gravida ac liberis omoibus, quotum tres adhuc io cunis erant. Ductabat et familiam Colinius, nubili filia, puerulis infantibus, et inter eos nonnullis qui adhuc nutricum ulnis geſtabantur, conſtantem. Cum eo erat et Andeloti fratris uxor cum bimulo filio. His omnibus agmen CL armatorum circumdederat; cum quo magnis itineribus incedebat, ut inſidianteis falleret; qui cum vix perſuaderi ſibi paterentur, Condaeum tam exiguo comitatu ſe in viam daturum, ſegnius ipſum inſecuti ſunt. Ita ad [c] Ligerim accedit; qui, etſi a [d] Rodamna ad Oceanum oavigabilis, tameo quia fere arenoſus, vado quoque pleriſque locis tranſitur. Igitur, contato vado juxta [e] Sancerras, tranſmittit Condaeus, relicto [f] Boſio in ultimo agmine; qui cum CC equitibus undique ad cum confluentibus [g] Bonium inſedit, ut illac nobilitati ad Condaeum accurrenti tranſitum firmaret. Sed, cum infrequeotes ſtatiooes a praeſidiariis fierent, Sarra [h] Martinengus et [i] Cabanus ſupervenientes aſtu locum intercipiunt, et equos ac reliqua impedimenta in poteſtatem redigunt, praeſidiariis vix, conceſſo ſpatio in arcem confugiendi: qua mox dedita, ipſi omni re exuti, ſalva vita, dimiſſi ſunt. Vix vadum tranſierat Condaeus, cum copiae a Rupellana obſidione io Burgundiam revocatae ad [k] Godonis fanum in Ligeris ripa apparuerunt: et poſtridie fluvius ſubita aquarum inundatione adeo intumuit, ut tuto navigiis tranſiri noo poſſet, raroque Dei beneficio Condaeus ac ſocii ſervatos ſe agnoſcerent. Ad cum poſtea ſe aggregavere [l] Bloſſetus, Bocardus et Joannes Hangeſtus Ivoeus cum non exigua nobilitate. Cum iis per [m] Pictones in [n] Engoliſmenſem agrum itum eſt, miſſis ad F. [o] Deſpacum equitum tribunum, qui [p] Pictavium uſque veoerat, nunciis, qui Condaeum, ut ſecuritati ſuae conſuleret, [q] Vertolium ad Franciſcum [r] Rupifulcaudium comitem contendere, ibique reſponſum regis opperiri decreviſſe ſignificareot. Jamque Bl. [s] Monlucius Aquitaniae praeſes, et cum eo [ſ] Guitinerius et Fr. Scarſius [t] Petrocoriotum et Lemovicum praefecti in armis erant, ut Coodaei ac ceterorum Proteſtantium conatus impedirent; qui tamen, [u] Subiſio, [v] Anguillario, [w] Pigreſcrio Sancirio, et [x] Pluvialio, ductoribus, magno numero ad Condaeum confluxere; cum quibus ille xtttt Kal. Oct. [y] Rupellam venit, magna oppidanorum gratulatione exceptus. Ibi depoſita familia, ceteraque omni militari ſarcina, et corum fidei commendata, verba apud ipſos fecit: et, deplorata miſerabili regis captivitate, qui ſub pravis conſiliariis edicta de pace facta, etſi maxime cuperet, tueri non poſſet, pro regis

VAR. LECT. xIII *D. f. o.*

INTERPR. [a] *les Politiques.* [b] *Noyers.* [c] *la Loire.* [d] *Roanne r.* [e] *Sancerre.* [f] *le capitaine Bois.* [g] *Bony.* [h] *Martinengo.* [i] *le capitaine Caban.* [k] *St. Godon.* [l] *Bloſſet, de Boucard, & Jean de Hangeſt ſieur d'Ivoy.* [m] *Poictou.* [n] *l'Angoumois.* [o] *de Scepeaux, mareſchal de Vielleville.* [p] *Poictiers.* [q] *Verteuil.* [r] *de la Rochefoucaud.* [s] *de Montluc, lieutenant general de Guienne.* [ſ] *de Guitinieres & P. d'Eſcars.* [t] *Perigort & Limouſin.* [u] *Jean de Parthenay-l'Archeveſque, ſieur de Soubize.* [v] *Languillière.* [w] *de Puigreſſier,* dit *St. Cyre.* [x] *le capitaine Pluviault* ou *Puviaut.* [y] *la Rochelle.*

regis auctoritate et regni incolumitate, cum alia ſalutis expediendae et libertatis conſcientiarum tuendae ratio non ſit, extrema neceſſitate adactum arma ſe ſumpſiſſe declarat; petitque, ut ſibi in tam juſta cauſa praeſto ſint. In eam ſententiam concepta eſt jurisjurandi formula; in quam omnes, praeeunte ipſo Condaeo, fidem dederunt, expreſſo etiam cardinalis Lotharingi nomine, quem unum et ſuae factionis homines petere ſe palam profitebantur. Et quia, licentia graſſante et ſimultatibus privatis erumpentibus, multa avare et crudeliter, multa libidinoſe patrabantur, perſcriptae a ducibus diſciplinae militaris leges, quae ſingulis ſeptimanis, ne quis ignorationis cauſam praetexeret, in caſtris publico praeconio recitabantur; quaſi in tam impio bello, quale civile eſt, pietas, fides aut diſciplina ſervari poſſet; quae tamen aliquandiu inter eos viguit; ſed mox, ſolutis moribus, et, non numerato militi ſtipendio, conniventibus ad praedas ducibus, in perniciosam licentiam, corrupta etiam tandem nobilitate, evaſit.

XIII. RUPELLAM ſub id venit Joanna [a] Labretana Navarrae regina cum Henrico [b] Benearni principe et Cathatina filiis, magnis copiis ſecum adductis. Siquidem Armanus [c] Claromontius Pilius XXIII in [d] Petrocoriis, Cadurcis et Arvernis conſcripta, [e] Montamarius vicecomes Fontralii frater X, [f] Sammegrinius IX peditum ſigna ſub III legionibus, habebant. Levi armaturae praeerat [g] Aſtaracus Fontralius Armeniaci principatus praefectus. Ii [h] Neraco per [i] Bergeracum iter fecerunt, et ad [k] Mncidanum [l] Bricomntium obviam habuerunt. Tum, relictis ad laevam [m] Alba-terra et Barbezio, [n] Arciacum petunt; quo Condaeus, ad [o] Cognacum aliquandiu commoratus, quod initio oppidani portas aperire recuſarent, obviam uſque proceſſit. Navarra inde datis ad regem, reginam, [p] Andinum et cardinalem Borbonium literis per Bertrandum [q] Salignacum eos de conſilio ſuo certiores facit, et in communi religionis cauſa, ratione ejus, quod regi debet, obſequii, et ſanguinis neceſſitate qua cum Condaeo conjuncta ſit, ipſi in tali occaſione deeſſe non potuiſſe demonſtrat, rejecta ſemper in Guiſianae factionis ſanguinolenta conſilia et cardinalis Lotharingi praecipue ambitionem turbarum cauſa; a cujus amicitia Andinum in primis dehortatur, et, ne nefandae illius in regia ſtirpe exſcindenda voluntatis ſe miniſtrum praebeat, multis verbis obteſtatur. Cardinalem vero Borbonium periculi proprii monitum acri objurgatione increpat. Nam quouſque, inquit, cardinalis Lotharingi eris ſuffraganeus? An inſidias capiti tuo ab eo ſtructas jam oblitus es? Atqui pro tempore ſolicitudo ea tibi aliquando ſomnum excuſſit: ſed nunc ſcilicet evolavit cogitatio illa, poſtquam fallacibus illius verbis, de conjuratione nunquam cogitaſſe dejerantis, plus fidei tribuere, quam tuorum periculo permoveri in animum induxiſti. Paulo ante haud incertis indiciis compertum jactabatur, cum regina periculoſe aegrotaret, percuſſores in Borbonii cardinalis, Franciſci Momorantii et Hoſpitalii perniciem ſubornatos eſſe, quod metus eſſet, ne, ſi regina moreretur, ſuperſtitibus illis, rex turbulentis factioſorum conſiliis minus ſe facilem praeberet.

XIV. DIVERSA parte [r] Caſtellionaeus cardinalis, qui ſe peti ſciebat, ad tumultus ſubiti famam e [s] Brelaea arce voluptuaria ſua in Bellovacis, ubi commorabatur, propere, majore ſupellectilis parte relicta, fugam capeſſit; et, cum ad Condaeum et fratres venire non poſſet, tanta locorum intercapedine, in [t] Neuſtria tandem nave conſcenſa vix manum inſequentium evaſit, et in Angliam incolumis pervenit.

XV. ANDELOTUS

INTERPR. [a] *d'Albret.* [b] *de Bearn.* [c] *de Clermont, ſieur de Piles.* [d] *Perigort, Quercy, & Auvergne.* [e] *Bernard d'Aſtarac, baron de Montamart, gouverneur & lieutenant general en Bearn & Baſſe Navarre.* [f] *le ſieur de S. Megrin.* [g] *Michel d'Aſtarac, baron de Fontrailles, ſeneſchal d'Armagnac.* [h] *Nerac.* [i] *Bergerac.* [k] *Mucidan.* [l] *de Briquemaut.* [m] *Aubeterre & Barbeſieux.* [n] *Archiac.* [o] *Cognac.* [p] *le duc d'Anjou.* [q] *de la Motte-Fenelon, ſieur de Salignac.* [r] *de Chaſtillon.* [s] *Breſlé, maiſon de l'eveſché de Beauvais.* [t] *Normandie.*

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

XV. ANDELOTUS tunc in [a] Armorica erat; qui, acceptis a Condaco et Colinio fratre literis, ex ea provincia, in qua ampliſſimas poſſeſſiones ex Claudiae uxoris defunctae patrimonio habebat, nam alteram tunc duxerat, ex vicina Neuſtria, [b] Cenomanis, Andibus numeroſas copias coegerat. Eae [c] Bellofortium in valle foecundiſſima convenerant, quo [d] Joannes Ferrerius Carnutum vicedominus et Antonius Rupifulcaudius Caldomontius Barbeſii frater cum ſuis venerant. Mox et Carolus [e] Bellomanerius Lavardinus cum IIII equitum vexillis et II ſcloppetariorum ſignis, Gabriel [f] Mongomerius comes cum III equitum, V peditum ſignis, ad [g] Mathurini fanum in Ligeris aggere hoſpitium ſumpſere; et Fr. [h] Lanovius, qui IIII equitum vexillationes et IↃ pedites ducebat, [i] Martini fanum et Roſeriam ad vadum tentandum occupare juſſus; quibus ſe adjunxere [k] Montejanus, Broſſacus, Sangravius, Cogneus, [l] Franciſcus Angeneus Cotilcus, [m] Rabodangius, Seius, Breſſalius, alii. Andelotus ipſe Mathurini fanum ſibi hoſpitium ſumpſerat, quod et cohortibus [n] Minquetetii et Broſſaei firmaverat, ad [o] Dagueneriae defenſionem deſtinatis Montejano et Breſſalio cum alis ſuis equitum et II peditum ſignis, qui ab [p] Andegavo venienteis tranſitu prohiberent. Ita fluvio a meridie, ab occaſu Dagueneria, ab ortu Martini fano defenſis caſtris, reſtabat vallis infra aggerem verſus ſeptentrionem, quae denſis conſita arboribus hoſti inacceſſa putabatur: nec longe Bellofortii Carnutum vicedominus cum ſuis ſubſederat, qui ab ea parte, ſi quid accideret, praeſto eſſet. Dum vadum a Minquetetio tentatur, et Andelotus ad prandium ſumendum ſe pararet, ſupervenit [q] Boſcoviridis caſtrorum praefectus, qui hoſtem adventare nunciat. [r] Monpenſerius cum Franciſco [s] Regio Chavignio [t] Salmuriam venerat; et Sebaſtiano [t] Lucemburgio Martigio mandaverat, ut cum iis, quas ſecum habebat, copiis quam primum ad ſe contenderet, quo conjunctis viribus Proteſtanteis adhue diſperſos, antequam ſimul convenirent, diſturbarent, et Ligeris tranſitu prohiberent. Verum is, cum jam in itinere eſſet, a [u] Namnetenſibus revocatus, qui Andeloto adeo ſibi vicino metuebant, multum temporis inutiliter contrivit, auctis interea Proteſtantium copiis: demum Andegavum reverſus et a Monpenſerio per literas crebro interpellatus, poſtridie, antequam de hoſtium rebus certo cognoviſſet, in viam ſe dat cum IX equitum vexillationibus et ſcloppetariis equitibus ex praetorianis fere diu ante delectis, cum pleraque item provinciae nobilitate, et X peditum ſignis; et, [v] Loto ſupra [w] Sorgam tranſmiſſo, [x] aggerum fauces occupat: unde XX cataphractos equites mittit, qui praecurrerent: et, ſcloppetariis equis deſcendere juſſis, rurſus iis CC alios ex omni numero delectos adjungit, quos ipſe cum ala ſua equitum pone ſequebatur: in ultimo agmine peditatus locatus erat, cui praeerat Jo. [y] Leomontius Pigallatius. Eo ordine Dagueneriam venit; quam vacuam praeſidio ei deſtinato nactus, [z] Capellam uſque progreditur; ubi Boſcoviridem obvium habuit. Ibi aliquandiu certatum, et [aa] Planus ſtipatorum Martigii praefectus primo congreſſu interfectus eſt. Sed rudis et novus miles, quales fere in Proteſtantium caſtris erant, ſuperveniente peditatu, loco ceſſit, amiſſis circiter XX ex ſuis et III ordinum ductoribus: captus et Minqueterius: ex quo cum Martigius cognoviſſet, Andelotum, quod minime putabat, jam prope eſſe, vix primo fidem habuit; et poenituit audacis conſilii. Cujus periculum cum virtute ſibi diſcutiendum exiſtimaret, territis Proteſtantibus inſtare ſtatuit, praemiſſo [bb] Lurchio cum XXV cataphractis equitibus, qui in Mathu-

tini

INTERPR. [a] *Bretagne.* [b] *le Maine & l'Anjou.* [c] *Beaufort en Vallée.* [d] *Jean de Ferrieres vidame de Chartres, & Ant. de la Rochefoucaud ſieur de Chaumont ſur Loire frere de Charles ſieur de Barbeſieux.* [e] *de Beaumanoir, ſieur de Lavardin.* [f] *de Montgomery.* [g] *St. Mathurin ſur la levée de la Loire.* [h] *de la Noue.* [i] *St. Martin & les Rozeirs.* [k] *de Montejan, Broſſay, St. Gravé, & Cogné.* [l] *Fr. d'Angennes, ſieur du Coudray, 3e fils de Charles ſieur de Rambouillet.* [m] *Rabodanges, le Sey, Breſſault.* [n] *la Minquetiere.* [o] *la Daguenière.* [p] *Angers.* [q] *Bois-verd.* [r] *le duc de Montpenſier.* [s] *le Roy, ſieur de Chavigny.* [t] *Saumur.* [t] *de Luxembourg, vicomte de Martigues.* [u] *ceux de Nantes.* [v] *l'Authion r.* [w] *port de Sorges.* [x] *entrée de la Levée.* [y] *de Leomont, ſieur de Puygaillard.* [z] *la Chappelle Bouha.* [aa] *le capitaine Plan.* [bb] *l'Ourches.*

rini fanum vicinum vim faceret. In eo res erat, cum Boſcoviridis ad Andelotum venit; qui, caſu inopinato turbatus, vix ſatis temporis habuit, quo in equum cum XII circiter e primaria nobilitate conſcenderet, et locum certamini aptum deligeret: ubi ſemel atque iterum repetitam Lurchii impreſſionem cum ſuſtinuiſſet, poſtremo ad manus cum ipſo Lurchio non ſine periculo venit; ſed Boſcoviridis Lurchium jam deditionem imperantem ſcloppeti ictu transfodit, qui periculum, quod ab Andeloto virtute propulſaverat, circumſtante milite, minime vitare potuit: nam et ipſe in veſtigio interfectus eſt. Andelotus ſenſim in valle ad ſuos, qui jam undique conveniebant, ſe recipit. [a] Martigius vero, cui ſatis erat viam ſuis aperuiſſe, et Andelotum tanti nominis ducem hoſpitio exuiſſe, cum metueret, ne, ſi longiorem moram certando traheret, interea ſupervenientibus hoſtibus tranſitu ad [b] Monpenſerium intercluderetur, ſuos revocat, et iter inſtitutum perſequitur, et ad Martini fanum ac [c] Roſetiam tendit, eodem, quo venerat, ordine. Heic cum [d] Lanovii copias in valle aggeri ſubjecta diſpoſitas conſpexiſſet, ſenſit ſe undique ab hoſte circumfuſum, nec aliam expediendae ſalutis viam ſupereſſe, quam ſi temeritatem conſilii audacia ſuperaret. Itaque Pigallario, qui, Andeloto extremum agmen cogente, auxilia ſummitti petebat, monito, ut ſibi conſuleret, nihil turbato vultu, nec ſpatio ad capiendum conſilium ſumpto, ſuos fere veteranos per aggerem citato gradu incedenteis ſigna inferre jubet; qui ſumma virtute hoſtileis copias tironibus fere conſtanteis diſſipaverunt, ſigno etiam iis erepto; et, pertupto agmine, victores Salmuriam recta tendentes [e] Richelium in itinere, qui obviam proceſſerat, offenderunt. Martigii conſilium juvit caſus ab Andeloti errore profectus; qui, temere ruſticis fide habita, Martigium retro ceſſiſſe, et [f] Andegavum repetiiſſe ſibi perſuaſerat: et ideo perſequi eum non inſtiterat: quod ſi feciſſet, procul dubio eum inter ſe et Lanovium intercluſum male mulctabat. Hujus ſucceſſus fama late ſparſa et in majus hominum ſtudiis aucta, ita ut de Andeloto et ejus copiis actum putaretur: quod cum per literas regi etiam ſignificatum eſſet, eo impenſius Andelotus ſibi enitendum exiſtimavit, ut, elevata Martigii gloria, quem potius fortunam quam virtutem adjuviſſe dicebat, quid agendum eſſet, in commune cum ducibus conſultaret: et cum, Septembri jam fere medio exacto, de vado reperiendo deſperaret, ante omnia deliberatur, quo tendi placeret. In [g] Armoricam retro cedendum eſſe pleriſque videbatur, et [h] Sartae, Ledi ac Meduanae aditus occupari debere, quo omnes conjunctae copiae, quas non dividi maxime intererat, commode traduci poſſent.. Alii, quando vado tranſiri non poſſet fluvius, pontes [i] Seios vi capiendos cenſebant, quod paucorum dierum opus eſſe affirmabant. Sed, tam vicino hoſte, et poſt recentem cladem, obſidionem vel infirmiſſimi loci tentari minime tutum viſum eſt. Lanovio autem privatim Andelotum roganti, ſi vadum reperiri non poſſet, quid opus facto videretur, ille, ut erat impavidi animi, ſtatim, nec petito deliberandi ſpatio, reſpondit, Quid vero potius agamus, quam aut extrema conſilia ſequentes tanquam ſtrenui bellatores moriamur, aut rurſus tanquam ſtrenui bellatores nos ex hoſtium manibus eripiamus? Quippe ſic ſentio e re eſſe, ut VII aut VIII abhinc leucis nos conjunctim recipiamus et patentioribus campis locum caſtris deligamus, rumore artificioſe ad Monpenſerii et Martigii aures perlato, quaſi ſolutis ordinibus diſſipati huc illuc receptui exitum ac perfugium quaeramus: quod facile illis perſuadebitur. Nos vero interim noſtros ad pugnam fortiter capeſſendam hortabimur: quod ſi illi recedenteis adorientur, ut eos veriſimile eſt ſtatim, quanquam praedae potius quam certaminis cauſa, advolaturos, tum demum exceptos totis animis ac viribus enixi ſternemus: quo facto, nemo erit toto regno, qui nos intra menſem aggredi audeat; liberumque victoribus erit, aut in Germaniam ad auxiliareis accipiendos tranſire, aut ad fluviorum fontes aſcendere,

INTERPR. [a] *le vicomte de Martigues.* [b] *le duc de Monpenſier.* [c] *les Roziers.* [d] *de la Noue.* [e] *le ſieur de Richelieu.* [f] *Angers.* [g] *Bretagne.* [h] *la Sarte, le Loir, & la Mayenne.* [i] *Pont de Cé.*

CIϽIϽLXVIII aſcendere, ut nos cum ſociis conjungamus. Aliis alia ſuadentibus, [a] Mongomerius, CAROLUS IX. qui tranſitum urgebat, ſupervenit; et vadum commodum reperiſſe ſe aſſeveravit, quod mox ſine mora exploratum, praemiſſo Garda veterano ordinum ductore cum ſcloppetatiis, quanquam plerique jam militiae pertaeſi domum redire mallent, tamen periculo territi, ſi ſe dividerent, ſumma alacritate ac celeritate cum omnibus impedimentis et bellico apparatu tranſmiſerunt, Monpenſerio neque in ulteriore ripa occurrente neque in citeriore ultimum agmen, cui praeerat [b] Lanovius, carpente. Quod ubi in aula cognitum eſt, miſſo etiam [c] Pigallario, qui factum excuſaret, multum de gloria regiorum ultimo ſucceſſu parta detractum eſt, qui cum univerſas Andeloti copias perrumpere aut diſturbare potuiſſent, cum tamen [d] Ligeris, quod facilius erat, tranſitu non prohibuiſſent.

XVI. REX initio belli, ſumma armorum cura [e] Andino fratri attributa, reſcriptum per provincias tranſmittendum curaverat, quo omneis Proteſtanteis peraeque atque alios ſuae ditionis populos in ſuam tutelam recipiebat, modo ſe domi pacatos continerent, facultate eis facta de injuriis expoſtulandi; ad quas uti ex aequo et bono remedia expedirentur, praeſidibus enixe ac ſpecioſe mandabatur. Sed, cum regina ac Lotharingus cardinalis viderent, nobilitatem ac ceteros, qui arma ferre conſueſſent, nihil illo reſcripto permoveri, et, cum verba ſibi dari crederent, et id agi ut diviſi facilius opprimerentur, in dies ad Condaei mandata tanto ſtudio cum armis undique confluere, exeunte Septembri aliud edictum longe ſeverius conditum. Eo, laudata ſuperiorum regum, fratris, parentis, avi clementia et in religionem ſtudio ac pietate, regni ſui auſpiciis ad ſedandas turbas edictum menſe Januario a ſe factum dicit in Proteſtantium gratiam; ſed temporarium illud, et donec ad majorem aetatem perveniſſet, quod mox graviſſimum bellum ſecutum ſit: rurſus id interpretatione mollitum, pace poſt biennium facta, confirmaſſe; quod Proteſtantes, ſpecioſo religionis nomine et regia bonitate abutentes, rurſus bello prius illato quam denunciato violaverint: nihilominus ſe crimen illis condonaſſe, et pacis ſtudio rurſus pacem aequis conditionibus cum illis feciſſe; quam cum neutiquam majore fide obſervent, ſed contra illius leges [f] Rupellam, Montalbanum, Caſtrum et alias urbes, quas reſtituere tenebantur, vi et praeſidio retineant, ad extrema remedia tandem confugiſſe; et nunc perpetuo et irrevocabili edicto omnibus, cujuſcunque conditionis ſint, per univerſum regnum, alius, praeterquam Catholicae ac Romanae, religionis, quam majores ſui coluerint, et nunc ipſe colat, uſum, ſtatuta capitis fortunarumque poena, interdicere; ac decernere, ut omnes illius religionis miniſtri intra XV dies ab edicti illius promulgatione omnibus regni finibus excedant; clauſula tamen addita, nolle regem, ut homines, qui religionem, quam vocant reformatam, hactenus profeſſi ſint, in conſcientiis ſuis vexentur, aut illis eo nomine moleſtia fiat, dummodo ne alterius religionis praeterquam Catholicae Romanae profeſſionem deinceps amplectentur. Tertium huic mox additum edictum, quo jubebantur omnes religionem reformatam profitentes, dignitate, magiſtratibus, ac muneribus publicis ſe abdicare. Quae omnia edicta ſaeviſſimi belli praeludia, incenſis Proteſtantium odio animis, ſummo ſtudio in ſenatu recitata ſunt, quaſi poſt longas pernicioſiſſimi belli vexationes per illa jucundiſſimae tranquillitatis ſpes affulgeret. Additum a ſenatu ad promulgationem, ut, qui ad magiſtratus ac munera publica deinceps admitterentur, quod nunquam antea factum fuerat, jurarent, in religione Catholica Apoſtolica Romana ſe victuros ac morituros, et, ſi quidem ab ea deficerent, paſſuros ſe, ut dignitate omni ac magiſtratu tanquam indigni privarentur. Quod juramentum, in dedecus et necem Proteſtantium conceptum, quamvis ſubſequentibus edictis illi dignitatum capaces declarati ſint, tamen revocari non potuit; vixque tandem XXX poſt annis poſt

INTERPR. [a] *le comte de Montgomery.* [b] *de la Noue* [c] *de Puygaillard.* [d] *la Loire.* [e] *le duc d'Anjou.* [f] *la Rochelle, Montauban, & Caſtres.*

poſt magnas contentiones publicae quietis bono in uſu eſſe deſiit. Haec acta, Hoſpitalio jam domum relegato, qui, cum ſana conſilia, regis ingenio factioſorum artibus praeoccupato, et regina ad alteras partes inclinante, nihil proficere cerneret, reipublicae, de cujus ſalute deſperabat, pertaeſus, ad quietem ſe contulerat. Poſtea experimento compertum, edicta illa, in perniciem Proteſtantium condita, longe alium effectum habuiſſe, quam putaverant ipſi auctores; quippe qui viderent ex cunctis regni provinciis Proteſtantes nec ſpe nec metu retardatos, quo magis aut promiſſis lactabantur, aut poenarum ſeveritate vexabantur, eo majore alacritate et incredibili celeritate, uxoribus, liberis et laribus relictis, ad Condaei mandata, a quo eos ſeparatos cupiebant, in dies convenire.

CIƆIƆLXVIII

CAROLUS IX.

XVII. Andelotus, Ligeri tranſmiſſo, recta [a] Thoarſium ducit, praecipuam [b] Tremolliorum arcem; quae illi patuit, Joanna Momorantia Annae magiſtri equitum filia et arcta cum ipſo cognatione conjuncta, quae Ludovico Tremollio nupſerat, eum perbenigne excipiente. Inde [c] Columbarius miſſus, qui aſtu Claudium [d] Guſerium Rodamnae ducem et regni hipparchum in [e] Oironanis ſuis aedibus regia magnificentia exſtructis cepit, et [f] Rupellam ſub cuſtodia miſit, imperato grandi [α] pretio; cujus ſolutionem cum ille ſemper differret, data tandem Condaeo fide, dimiſſus eſt: verum, mortuo eo, cum nemini ſe obligatum ac proinde omnino liberatum diceret, re diu agitata, Columbarium tandem ſpe praedae hiantem deluſit. Thoarſio [g] Parthenaeum ducit Andelotus, captoque oppido, cum [h] Malo loci praefectus arcem obſtinate defenderet, ea capta, temeritatis poenas luit, gula laqueo fracta, quod debili et impare loco juſtum exercitus impetum ſuſtinere auſus eſſet. Mox, conjunctis cum G. Colinio fratre copiis, ambo [i] Niortium petunt, munitum oppidum, et nundinis toto regno maxime famoſum, ad [k] Suram amnem ſitum, qui inde navigabilis per [l] Alnerenſem agrum decurrens ſupra [m] Maranum in mare exoneratur, alius ab eo, qui ex [n] Gaſtinenſis regionis ſtagnis ortus ſylvam vicinam permeat, et [o] Pometaei ponte junctus per [p] Mortanium et Cliſſionem labens ad [q] Condivicinum Namnetum [r] Ligeri mergitur. Niortio impoſuerat [s] Marcuſſium [ſ] Vidus Dallonius Ludii comes Pictonum praefectus, eique legionem peditum attribuerat cum delecta provinciae nobilitate: quibus auxiliis ille ſubnixus, cum deditionem facere juberetur, recuſavit, et ſe ad defenſionem comparavit. Igitur Rupella adducta tria tormenta; quibus admotis, tandem ille, res et vitam ſalvam pactus, urbem foederatis tradit. [t] [β] [1] Melaeum eodem tempore capitur, quod a [u] Ludovico ordinum ductore cum XL militum praeſidio tenebatur, deditionem initio facere recuſante, niſi prius tormenta in conſpectum adducerentur: quo facto, cum ille ſe arbitrio victoris permiſiſſet, promiſcua caede graſſatum eſt, nequicquam diſcurrente et humanitatem militis obteſtante Colinio, qui violari jus belli, publicam fidem labefactari et caedibus mutuis ac privatis ultionibus portam aperiri eo exemplo conteſtabatur. Miſſus et ſecundum haec cum parte copiarum, [v] Pluvialius, [w] Fontenaeum Comitis ad [x] Vandelam amnem ſitum oppidum in poteſtatem redegit; [y] Altacombio cum VII ex oppidanis in arcem compulſo, quam ille aliquot diebus tenuit: ſed, admotis ſcalis, et igne portis ſubjecto, tandem ſe dedidit, vitam ſibi ac ſuis ſalvam pactus: verum neque iis neque ipſi fides ſervata eſt: nam Rupellam abductus et ibi morte affectus eſt. Mox et

Maxentii

VAR. LECT. [α] redemptionis pretio *D. f.* [β] Magneum *D. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Thouars.* [b] *les ſieurs de la Tremoille.* [c] *Colombieres.* [d] *de Gouffier, duc de Roannez & grand ecuyer.* [e] *Oiron.* [f] *la Rochelle.* [g] *Parthenay.* [h] *Malo.* [i] *Niort.* [k] *la Seure.* [l] *pays d'Aunis.* [m] *Marans.* [n] *eſtangs de Gaſtines.* [o] *pont de la Pomeraye.* [p] *Mortagne & Cliſſon.* [q] *Nantes.* [r] *la Loire.* [s] *la Marcouſſe.* [ſ] *Guy de Daillon, comte du Lude, gouverneur de Poictou.* [t] *Melle.* [u] *le capitaine Louis.* [v] *Pluviaut* [w] *Fontenay-le-Comte.* [x] *la Vandée.* [y] *Hautecombe.*

NOT. [1] *Melaeum* fuit locus ubi Proteſtantes in dedititios promiſcua caede graſſati ſunt. Magnei quidem caſtellum, quod a Niortio, cujus obſidionem urgebat Ludenſis, III leucis diſtat, anno ſequente deditum, eadem militum, ſed Catholicorum, ſaevitia dehoneſtatum eſt. *C.*

[a] Maxentii fanum in poteſtatem citra certamen venit, et pecunia ab oppidanis in belli ſumptus exacta: [b] Luſinianum, quo ducere juſſus erat Pluvialius, F. [c] Deſpaei equitum tribuni, qui [d] Pictavii erat, et Joannis [e] Haii Pictavienſis praetoris diligentia ſervatum eſt, ſummiſſis in tempore praeſidiariis, et ceteris rebus ad obſidionem ſuſtinendam neceſſariis. Interea a rege mandatum Jacobo [f] Gobioni Matignono inferioris [g] Neuſtriae, Jo. [h] Grognetio Vaſſaco [i] Cenomanorum, Claudio [k] Caſtreo [l] Turonum et Biturigum praefectis, ut ſe cum Monpenſerio conjungerent. Miſſus et Timoleon [m] Coſſaeus Briſſaci comes cum peditatu, et cum aliquot equitum cataphractorum turmis Henricus Lotharingus Guiſiae dux, juvenis ſupra aetatem decoris cupidus, qui Pannonica expeditione nobilis et nominis paterni favore ſublevatus jam tum magnam de ſe ſpem excitaverat. Foederati [n] Pictonibus potiti in [o] Engoliſmenſem agrum deſcendunt; quo jam Mongomerium comitem cum VIII equitum vexillis praemiſerant, et metropolim regionis, antequam auxiliis a Monlucio ſummiſſis firmaretur, corona cingere ſtatuunt. Urbs eſt ad [p] Carantonum ſita in montis ſupercilio undique praerupto, niſi ab ea parte qua in [q] Lemovices itur, qua et triplici muro et foſſa praealta munita eſt. Ei praeerat cum CCCC peditibus Nicolaus [r] Andinus Meſetiae marchio; et cum eo erant [s] Vivonus Caſtaneus, [ſ] Argentius, [t] Ruſecus nothus et alii ex primaria provinciae nobilitate. Primo ad ſeptum infra arcem pulſatio facta; onde poſt ruinam editam impetu facto [u] Mongomerius cum damno repulſus eſt, [v] Petrobuſerio Geniſſaco etiam deſiderato. Igitur, rei difficultate perſpecta, cum diuturnam fore obſidionem appareret, et de exitu ejus duces dubitarent, deliberatum in concilio fuit, an expediret ab obſidione diſcedere, et copiis, quae ex [w] Septimania et Vaſconia ad eos veniebant, obviam procedere. Dum in eo ſunt, moniti a quodam ex oppidanis praeſidiarios animo linqui, et, ſi rurſus impetus fiat, deditionem facturos, ad [x] Clarae fanum machinas in altum ſublatas transferunt, et verberationem ab ea parte inchoant. Haud vana monita fuere. Nam mox Argentius, a marchione in caſtra hoſtium quaſi de conditionibus acturus ſaepius antea miſſus, cum, urbe arcte cincta, nullum a rege aut regiis praefectis nuncium haberet, tandem, ſpe omni auxiliorum abjecta, ſerio de conditionibus agere coepit: et deditionem his legibus fecit; ut proceres liberi cum armis et impedimentis, nobiles cum equis, milites cum gladio dimitterentur: quod et optima fide ſervatum eſt. Pluvialius, qui aliquot nobilium equos ſepoſuerat, non ſine gravi Colinii offenſione et objurgatione, eos reſtituere cogitur: vixque a Condaeo exorari potuit Colinius, ut manus a Pluvialio abſtineret. Ita urbs propter ſitus robur credita inexpugnabilis, et hactenus nunquam vi capta, deditione in manus Proteſtantium venit; cui Renatus [y] Hoſpitalius Sanmemmius a Condaeo cum praeſidio impoſitus eſt. Rufecus nothus ob privata odia rixa ex compacto excitata occiſus: quam caedem poſtea Proteſtantes multorum etiam innocentium ſanguine luerunt. Inde ad [z] Pontium in Santonibus verſa vis, quod ab Antonio Pontio antiquae nobilitatis regulo tenebatur; cui acceſſerunt Vivoni Caſtanei copiae, quas ille [aa] Joannis Angeriaci fano, cui praeerat, quodque ſtatim poſt ejus diſceſſum Condaeo patuit, [bb] Engoliſmam proficiſcens eduxerat, et, cum eas oppidani admittere nollent, Pontium miſerat. Primo appulſu occupatis ſuburbiis, ad portam Santonicam verberatio dirigitur; ſed, mox alio tranſlatis machinis, Armanus [cc] Claromontius Pilius cum legione ſua in ruinam inſilit, et, capto oppido, compulſum in arcem Pontium cum praeſidiariis poſtremo ad

INTERPR. [a] *S. Maixent.* [b] *Luſignan.* [c] *de Scepeaux, mareſchal de Vielleville.* [d] *Poictiers.* [e] *la Haye, lieutenant general en la Seneschauſſée de Poictou.* [f] *de Goyon, ſieur de Matignon.* [g] *Normandie.* [h] *de Grognet, ſieur de Vaſſé.* [i] *le Maine.* [k] *de la Chaſtre.* [l] *Touraine & Berry.* [m] *de Coſſé.* [n] *Poictou.* [o] *l'Angoumois.* [p] *la Charente.* [q] *le Limouſin.* [r] *d'Anjou, marquis de Mezieres.* [s] *de Vivonne, ſieur de la Chaſteigneraie.* [ſ] *d'Argence.* [t] *l'Abergement, fils naturel de la maiſon de Ruffec.* [u] *le comte de Montgomery.* [v] *Pierrebuffiere, ſieur de Geniſſac.* [w] *Languedoc & Gaſcogne.* [x] *l'abbaye de Ste Claire.* [y] *de l'Hoſpital, ſieur de Ste Memme.* [z] *Pons en Saintonge.* [aa] *S. Jean d'Angely.* [bb] *Angouleſme.* [cc] *de Clermont, ſieur de Piles.*

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

ad deditionem compellit. Ipſe [a] Pontius ſub cuſtodia [b] Rupellam miſſus eſt, [c] Boctio cum praeſidio in arce relicto. [d] Mediolanum Santonum et Joannis fanum jam a Proteſtantibus tenebantur; et [e] Talliaburgum Tremolliorum arx [f] Carantono impoſita, a [g] Romego, [h] Burdelii in [i] Autrici Carnutum obſidione interfecti fratre, antea capta, cum eam non minis aut ullis conditionibus intermedio pacis tempore ut reſtitueret adduci potuiſſet, adhuc in foederatorum poteſtate erat. [k] Blavia quoque munitiſſima et magni momenti arx in aeſtuario [l] Garumnae poſita tunc aſtu intercepta eſt, et ei cum valido praeſidio [m] Pardallanius impoſitus: ita ut Proteſtantes in [n] Santonibus, Engoliſmenſi agro et Pictonibus late rerum potirentur, et ex tanto periculo, in quo nuper verſati fuerant, in ſummam proſperitatem emerſiſſe ſibi viderentur, Themiſtoclis dicto ſaepe uſurpato, quo ſe ille ſocioſque in exilio ſuo ſolabatur, cum diceret, periiſſe ſe, niſi periiſſet. Nonnihil tamen ab illis nimia mora peccatum, [o] Moventii copiis ſub id tempus deletis, quod eorum felices ſucceſſus aliquantum conturbavit.

XVIII. Condaeus, antequam [p] Nuceto proficiſceretur, datis ad eccleſias, quas vocant, in [q] Allobrogibus, Provincia, Septimania et Vaſconia literis, auxilia quam maxima poſſent ad ſe ſummitti petierat, periculi magnitudine expoſita: idque ſaepius miſſo [r] Sangeorgio Veraco repetitis poſtea nunciis urſerat. Ii vero minime Condaei periculum contempſere; ſed incredibili alacritate nec ſine ducum aemulatione auxilia feſtinata ſunt, domibus, uxoribus, liberis a tergo relictis: in quibus auxiliis conſcribendis cum non parva difficultas fuiſſet, longe majus negotium fuit in eo, ut ſinguli ex ſingulis partibus in unum convenirent. Iis junctis, qui cum ſummo imperio praeeſſet, delectus eſt Jacobus [s] Cruſſolius Acierius. In Allobrogibus III equitum vexillationes, VII peditum legiones conſcriptae, ductoribus Ludovico [t] Podio Monbrunio, Ancono, Sanromanio, Virio, Blacono, Mirabello, Chelario, Oroſio. LXXV omnino ſigna erant. Paulus [t] Richiendus Moventius ex Provincia ducebat X ſigna peditum et II equitum vexilla, quibus praeerant [u] Valavirius et Paſquerius. Scriptae item in Septimania IIII legiones, XXXV ſignis conſtantes; quibus praeerat [v] Baudineus Acierii frater: ipſius praeterea Acierii, [w] Bulliargii, Ambrii equitis, Spondillani IIII alae equitum: et legiones in [x] Vivarienſi agro et Rutenis, [y] Petro Gurdio et Panato vicecomite ductoribus, XVIII ſignis conſtantes: et C levis armaturae equites, quibus praeerat [z] Thoraſius: quae omnes copiae XXIII CIↃ bellatorum efficiebant. Ad famam rei [aa] Bertrandus Simiena Gordius Delfinatus praeſes [bb] Montelium Adaemari venerat, ut [cc] Rhodani tranſitum copiis undique convenientibus impediret, navigiis quibuſdam inſtructis, quae huc illuc diſcurrentes hoſteis ad loca condicta venienteis diſturbarent. Huic incommodo ut remedium afferretur, ex ducum conſilio placuit, ut loca duo ſitu opportuna aut occuparentur aut munirentur, ad quae convenirent copiae, et pontonibus in ulteriorem ripam trajicerent. Itaque paulo infra Viennam in agro Vivarienſi [dd] Changius [ee] Peraldum occupat, quo [ff] Lugdunenſis praefectus tormenta admovere a Gordio juſſus eſt: ſed, inſtante Changio, Sanromanius praeſto cum ſuis fuit, et antequam tormenta advenirent incolumis cum ſuis tranſmiſit. Paulo inferius [gg] [a] Beſſium Beſſo cognomini amni impoſitum oppidulum

INTERPR. [a] *de Pons.* [b] *la Rochelle.* [c] *Boeſſe.* [d] *Saintes.* [e] *Tailleburg.* [f] *la Charente.* [g] *le ſieur de Romegou.* [h] *de Bourdeilles, ſieur d'Ardelles.* [i] *Chartres.* [k] *Blaye.* [l] *la Garonne.* [m] *de Pardaillan.* [n] *Saintonge, Angoumois, & Poictou.* [o] *de Mouvent.* [p] *Noyers.* [q] *Dauphiné, Provence, Languedoc, & Gaſcogne.* [r] *St. George de Verac.* [s] *de Cruſſol, ſieur d'Acier.* [t] *du Puy Montbrun, Ancone, St. Romain, Virieu, Blaçons, Mirabel, du Chelar, & Oroſe.* [t] *de Richiende, ſieur de Mouvent.* [u] *Valavoire & Paſquiers.* [v] *Galiot de Cruſſol, ſieur de Beaudiſner.* [w] *de Bouillargues, le chevalier d'Ambres, & Spondillan* [x] *le Vivarais & Rouergue.* [y] *de Pierre Gourde, & le vicomte de Panat.* [z] *de Thoras.* [aa] *Bertrand Raimbauld de Simiane, baron de Gordes, lieutenant general de Dauphiné* [bb] *Montelimart.* [cc] *le Rhone.* [dd] *Changy.* [ee] *Chateau de Perault au Vivarais.* [ff] *le gouverneur de Lyon.* [gg] *Bais ſur Bais au Vivarais.*

NOT. [a] M. de Thou prend cet endroit de la Popelinière, l. 15, fol. 70: mais il s'eſt trompé, il n'y a point de riviere, mais un bourg & un chateau qui domine le bourg.

dulum itidem occupaverant [a] Pontius et Olerius; quo ex loco copiae [b] Valentia, Vapinco et Dia venientes citra periculum trajecerunt. Serius venit [c] Moventius, a [d] Senare et quodam Merindoliano paſtore retardatus, qui pleriſque ſcrupulum injecerat, quaſi non religionis ſed privatae ſimultatis cauſa bellum gereretur. Tandem tertiis caſtris ad [e] Rhodani ripam acceſſit; et, cum navigiis per fluvium diſcurrentibus conſerto levi proelio, mox tumultuario opere munitionem forma triangulari exſtruendam curat, CIƆ bellatorum capacem, et VII exiguis propugnaculis diſtinctam, quae a milite noctem ac diem laborem continuante, dum altèra manu pugnat, altèra operi incumbit, ad eam altitudinem perducta eſt, ut defendi poſſet. Illac trajecere provincialis legio, [f] Mirabellus, et poſt eum ordine [g] Blaconus, Anconus, Monbrunius et Oroſius citra periculum. Nam [h] Gordius, qui [i] Creſto, Diae et Loriolo a tergo timeret, intra Provinciam receſſerat. Expectabatur et [k] Cocheus, qui IƆ CC circiter ſcloppetarios in montanis conſcripſerat: ſed, ſive ille in tempore non monitus, ſive ex alia cauſa, cum non compareret, [l] Chelarius, qui locum ſervabat, diem et noctem commoratus, relicta munitione, quae ex eo Moventiana dicta eſt, in ulteriorem ripam tranſit. Interea [m] Virius et Changius, qui primi ad [n] Peraldum tranſmiſerant, [o] Annoniacum, a nobis primo bello civili ſaepius commemoratum, in Vivarienſi agro occupant; et ibi ex [p] Seguſianis et vicinis locis advenienteis excipiunt. Inde [q] Albenacum et per [r] Cebennas facto itinere [s] Aleſiam ventum eſt; ubi Sanromanus copias, quas ex inferiore Delfinatu adduxerat, abdicato a ſe imperio, Virio tradidit: quo loco cum univerſi, uti condictum erat, conveniſſent, inde ſimul omnes quintis caſtris [ſ] Miliacum in Rutenis tendunt; quo Antonius [t] Plexius Gremianus [u] Acierii juſſu profectus erat, ſituti convenerat, ut oppidanos foederatis conciliaret. Ibi tranſmiſſo per pontem [v] Tarni impoſitum ad Acierium venere [w] Arpajonus, Thoraſius, Panatus et Montacutus: habitoque concilio, cum [x] Vicecomites [y] Cadurcis aegre diſceſſuri viderentur, et [z] Monclarius habere ſe a Condaeo literas diceret, quibus ſignificabat ſibi in animo eſſe quamprimum ad eos proficiſci, ad [aa] Cadenacum [bb] Olgam tranſeunt. Praemiſſus [cc] Morellus caſtrorum praefectus [dd] Solliacum, ut vadum exploraret; qui, [ee] Gramatii, quo [ff] Monlucius, Monſaleſius et Scarſius venerant, a Galeoto [gg] Turrio Limelii vicecomite captus, et ad Monlucium ductus, eum de numero hoſtium et proximo Acierii adventu certiorem fecit: cum vero Monlucius falſa eſſe, quae de numero illorum hactenus per Gul. [hh] Jouſam et alios intellexerat, per Morellum comperiſſet, neque cum VI CIƆ tironum et gregibus foeminarum puerorum et lixarum ſibi rem fore provideret, tamen, re cum Hectore [ii] Pardalhanio Gondrinio, Lomanio Terrida, Jo. Nogareto Valeta, Armano Guntaldo Birono caſtrorum praefecto, Sancolumbo, Limelio, Maſſaeo et ipſis Scarſio et Monſaleſio communicata, eos in [kk] Duranii tranſitu, loco, ſi ſors ferret, ipſis iniquo, aggrediendos cenſuit, Monſaleſio repugnante, qui regis mandata urgebat, ut, nulla mora interpoſita, et poſthabita omni occaſione, Aquitanicae copiae ad Monpenſerium adducerentur, imperantis: cumque initio belli duces non obtemperaſſent, poſtremo, poſtquam aliae literae a rege venere, a Monſaleſio ſuggeſtae, qui decus deducendi auxiliaris exercitus ambiebat, Monlucius, ut ipſe in commentariis ſcribit, manus dedit, et multum fremens, peditatu Fabiano filio equiti Hieroſolymitano

VAR. LECT. [a] impoſitum *deeſt D. f.*

INTERPR. [a] *du Pont & des Oleres.* [b] *Valence, Gap, & Die.* [c] *de Mouvens.* [d] *de Senas.* [e] *le Rhône.* [f] *Mirabel.* [g] *Blaçons, Ancone, du Puy Montbrun, & Oreſe.* [h] *de Gordes.* [i] *Creſt, Die, & Lauriol.* [k] *le capitaine la Coche.* [l] *du Chelar.* [m] *Virieu & de Changy.* [n] *Perault.* [o] *Annonay au Vivarais.* [p] *Forez.* [q] *Aulenas.* [r] *les Cevennes.* [s] *Alais.* [ſ] *Millaud en Rouergue.* [t] *Duplexis, ſieur de Gremian.* [u] *le ſieur d'Acier.* [v] *le Tarn.* [w] *d'Arpajon, de Thoras, le vicomte de Panat, & de Montagut.* [x] *les vicomtes.* [y] *Quercy.* [z] *Monclar.* [aa] *Cadenac.* [bb] *le Lot.* [cc] *Moreau, mareſchal de camp.* [dd] *Souillac.* [ee] *Gramat.* [ff] *Blaiſe de Montluc, de Monſalez, & d'Eſcars.* [gg] *de la Tour, vicomte de Limeuil.* [hh] *de Joyeuſe.* [ii] *de Pardaillan ſieur de Gondrin, de Lomaigne ſieur de Terride, J. de Nogaret de la Valette, Armand de Gontaut ſieur de Biron mareſchal de camp, de Ste Colombe, le vicomte de Limeuil, du Maſſes.* [kk] *la Dordogne.*

mitano commiſſo, retro [a] Gordonium conceſſit. Interim foederati ſemper ulterius procedunt, vadum tranſmittendo Duranio quaerentes; quem recedentibus regiis ſine certamine pridie Eid. Oct. trajecere, et Solliacum, ac Solliaco [b] Benacum et Sancaterium in Petrocoriis incolumes pervenere, [c] Inſulamque fluvium tranſmiſerunt. Jam Monpenſerius [d] Veſunam Petrocoriorum venerat ad Inſulam ſitam, cum prius exercitum, quem ducebat, ad [e] Caſtrum Eraldi in Pictonibus convenire juſſum luſtraſſet. Primum agmen ducebat [f] Martigius cum Guiſio et Briſſaco; ipſe Monpenſerius cum acie ſequebatur, oram [g] Vigennae legens. In itinere aliquot Proteſtantium turmae, [h] Pluvialio duce, quae [i] Confluentiae ſumpto hoſpitio minus diligentes cuſtodias agebant, a Briſſaeo noctu interceptae et caeſae ſunt, [k] Engaravatio juvene fortiſſimo e ſuis deſiderato. Ubi Veſunam venit Monpenſerius, exercitu per loca vicina diſpoſito, miſſis qui de hoſtium rebus cognoſcerent, comperit duabus abhinc leucis [l] Acierium cum acie ad Sancaterium veniſſe, et circa ſe peditum legiones diſtribuiſſe, binas in ſingulis hoſpitiis. CIƆIƆLXVIII CAROLUS IX.

XIX. RENUNCIATUM et Briſſaco, [m] Moventium elati animi virum, quod illi minus bene cum [n] Baudineo Acierii fratre et univerſi peditatus praefecto conveniret, ſeorſim ab aliis et longius ad [o] Meſſignacum vicum cum [p] Petrogurdio divertiſſe. Ea ratio ejus intercipiendi optima viſa eſt, ſi ad Sancaterium recta duceretur, et excitato certamine Acierius tamdiu diſtineretur, dum equitatus Meſſignacum ad Moventium et Petrogurdium delendos miſſus rem conficeret, mediis regiis, ne auxilio eos Acierius alio certamine occupatus juvare poſſet. Huic expeditioni deſtinatus [q] Briſſacus, qui noctu cum CIↃ CC cataphractis equitibus et totidem delectis peditibus profectus, jam albeſcente die, Meſſignaco propinquavit; ubi ardore pugnandi provectus paene rei gerendae occaſionem amiſit. Nam Petrogurdius, re cognita, ſtatim ad arma conclamat, et ſe in vico foſſa munit, multum fremente Moventio, qui ad certamen jam initio egredi volebat. Interea Monpenſerius ad Sancaterium, uti convenerat, acre certamen excitaverat, ubi Acierius, ejus quod agebatur non ignarus, dum regios fortiſſime ſuſtinet, miſſo interea [r] Oroſio Moventium monet, ut ſe in hoſpitio totum diem contineat, neque rem certamini committat: ſic enim fore, ut regiorum conatus evaneſcant: nam pugna fatigatos ſub veſperam diſceſſuros: ſe vero nocte proxima ad eum venturum aut idonea auxilia ſummiſſurum. Sano Acierii conſilio Moventius, Petrogurdio illud probante, vix tandem acquievit, et ad aliquod tempus copias ſuas continuit, donec Briſſacus, qui hoſteis, quamdiu ſe vico continerent, expugnari non poſſe cerneret, quod praecipitatione peccaverat, aſtu ſarcire ſtatuit, et ſub meridiem quaſi diſceſſurus receptui cani jubet: flexoque derepente ad dextram itinere, ſuos poſt collem objectum collocat. Moventius, homo fiduciae ſupra modum plenus, aut quod regios abiiſſe crederet, protinus vaſis conclamatis, ſigna explicari jubet, et [s] Riberacum petere ſtatuit, nequicquam inclamante Petrogurdio, qui, dum adveſperaſceret, expectandum cenſebat. In prima fronte ſtabat Moventius: ultimum agmen Petrogurdius ducebat. Ita incedentes dum ſylvam petunt, qua defenſi ſecure poſtea iter facturi videbantur, jam longius a vico progreſſi in regios imprudentes praecipitant: quorum primum impetum Moventius fortiter et cum damno irruentium excepit, a Petrogurdio ſummiſſis ex ultimo agmine delectis in tempore confirmatus; ſed, ſcindente ſe equitatu, et per latus in poſtremum agmen jam nudatum incumbente, Moventiani ſolutis ordinibus ceſſere, et, nequicquam egregie ſe ducibus defendentibus, poſt multam caedem in vicum proximum

INTERPR. [a] *Gourdon.* [b] *Benac & St. Chatier en Perigort.* [c] *l'Iſle r.* [d] *Perigueux ſur l'Iſle r.* [e] *Chatelleraut en Poictou.* [f] *de Luxembourg, vicomte de Martigues.* [g] *la Vienne.* [h] *Puy-Vidal.* [i] *Confolant.* [k] *d'Engaravagues.* [l] *Jacques de Cruſſol, ſieur d'Acier.* [m] *de Mouvens.* [n] *Galiot de Cruſſol, ſieur de Beaudiſner.* [o] *Meſſignac.* [p] *de Pierre-gourde.* [q] *le comte de Briſſac.* [r] *Oroſe.* [s] *Riberac.*

proximum et ſylvam vicinam dilapſi ſunt. Moventius in ea pugna interfectus temeritatis ſuae poenas luit, et Petrogurdium ſaniora ſuadentem pari ſecum exitio involvit. Deſiderati amplius CIↃ ex Proteſtantibus, et XVII ſigna amiſſa: [α] ex regiis pauci, ſi [a] Jacobum Caſtreum Sillaeum Claudii toties memorati fratrem excipias, qui unus magnae cladis inſtar eſſe potuit. Is ingenio literis exculto adoleſcens, et virtute militari quaſi gentilitia praeſtans, cum ſtipatorum Andini praefectus eſſet, cum delectis ex eo numero proelio interfuit; et, dum ardore in recedenteis acrius invehitur, ſepe, qua illi tegebantur, pernici equo ſuperata, nec ſubſequentibus ſuis, ſuffoſſo equo, lanceae ictu transfixus eſt. Re ſeliciter confecta, Briſſacus ad [b] Monpenſerium, a quo magna gratulatione exceptus eſt, ſub veſperam rediit. A pugna Monpenſerius [c] Veſunae triduum reficiendo militi impendit. [d] Acierius poſtridie ad [e] Riberacum acceſſit; quo ad eum ex Moventianis convenere CIↃ circiter milites. Ibi conſultatum inter duces, quid agendum eſſet: et humanior quorundam ſententia erat, ut ibi ſubſiſterent, dum ſtragis reliquiae ruſticorum ſaevitiae expoſitae colligerentur; ſed tutior ea tenuit, quae quam primum [f] Alba-terram tendendum ſuadebat, ut ſe cum Condaeo conjungerent. Eo ad Acierium venit Condaeus Kal. Nov. et, recedente Monpenſerio, Proteſtantes conjuncti eum jam vice verſa inſecuti tam prope, ut ipſius quaſi veſtigiis inſiſtere viderentur: et, cum [g] Montem-Morillonium Monpenſerius ſextis caſtris veniſſet, in eo biduum commoratus [h] Valetam cum levi armatura mittit, qui [i] G. Colininm levibus proeliis diſtineret: ipſe interim [k] Caſtrum Eraldi venit. Colinius vero [l] Calviniacum ad Vigennam ſitum oppidum obſidet; quo capto, et arx a [m] Paſſato vitam ſalvam pacto deditur; eaque ſtatim incenſa, ne regiis uſui eſſet, diſceditur.

XX. JAM [n] Andinus advenerat cum copioſo exercitu; in quo erant XII peditum et IIII equitum CIↃ, praeter Helvetios, qui magnum tormentorum numerum ſecum trahebant: huic cum ſe inde conjunxiſſet Monpenſerius, inde [o] Bocardus [p] Pontio pedeſtreis copias in caſtra Proteſtantium adduxiſſet, Condaeus cum toto exercitu ſuo, in quo erant XVIII CIↃ peditum, III CIↃ equitum, Andino occurrere ſtatuit: acciditque, ut eodem tempore primae utrinque acies, itinere [q] Luſinianum verſus inſtituto, praemiſſis caſtrorum praefectis, eundem locum pro hoſpitio ſumere vellent; cumque praecurſores regii primi [r] Pamprolium V infra [s] Pictavium leucis veniſſent, mox Proteſtantes ſupervenere. Ibi levibus proeliis utrinque certatum, donec, Colinio et Andeloto accedentibus, [ſ] Martigius, qui ſub Monpenſerio primam aciem ducebat, loco ceſſit, et in planitie ſubjecta aciem inſtruxit, per ſylvam vicinam diſpoſitis ſeloppetariis, qui in latus hoſteis ferirent: quos ut loco pellerent Proteſtantes, CCCC volones ex Mongomeriana legione ſumunt, et tertia poſt meridiem hora in eos emittunt. Ibi rurſus acriter certatum, cum majore regiorum damno, ex quibus L circiter deſiderati ſunt, et plerique ſauciati: tandem nox certamen diremit. Pulcherrimam rei bene gerendae occaſionem tunc regiis ereptam ſcribit [t] Lanovius, qui, rati totum hoſtilis exercitus robur initio Pamprolium veniſſe, temeritate equitum ſeloppetariorum ductoris conſerta pugna, cum dubitarent Andelotus et Colinius quid agendum eſſet, et ille eo loco cedendum, hic in veſtigio manendum cenſeret, non totis viribus in Proteſtantes impreſſionem feciſſent. Martigius nocte jam obſcura, cum iniquitate loci ſe premi videret, de receptu cogitare coepit: quod ut tutius faceret et hoſtem falleret, tympana omnia Helvetiorum more pulſari, quaſi Helvetii, qui in acie [u] Jaſenolii cum Andino remanſerant, adeſſent, et per

ſepes

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Caſtrei Sillaci morte, 6 ſcil. lineae, uſque ad* Re feliciter confecta, *deſunt D. ſ. o.*

INTERPR. [a] *Jacques de la Chaſtre, ſieur de Sillac.* [b] *le duc de Montpenſier.* [c] *Perigueux.* [d] *le ſieur d'Acier.* [e] *Riberac.* [f] *Aubeterre.* [g] *Montmorillon.* [h] *de la Valette.* [i] *l'amiral de Coligny.* [k] *Chatelleraut.* [l] *Chavigny ſur Vienne.* [m] *Paſſat.* [n] *le duc d'Anjou.* [o] *de Boucard.* [p] *Pons.* [q] *Luſignan.* [r] *Pampron.* [s] *Poitiers.* [ſ] *le vicomté de Martigues.* [t] *de la Noué.* [u] *Jaſeneuil.*

ſepes ac ſparſas huc illuc arbores funes accendi et igneis huc illuc excitari juſſit: quo facto, in viam ſe ſummo ſilentio dedit, et ad [a] Andinum ſine ullo alio quam impedimentorum damno ſe recepit, parte copiarum [b] Sanzacum ablegata, quod leucam a Jaſenolio abeſt. Condaeus, nihil de diſceſſu regiorum ſuſpicatus, totam noctem ſolicite egit, donec de re factus certior, jam albeſcente die, eos inſequi decrevit, et quavis ratione certaminis aleam tentare. Quod ut faceret, curatis corporibus, ad iter ſe accinxit, in duas vias diviſum; quarum altera Jaſenolium, altera Sanzacum ducebat: quod incedenteis feſellit, accedente brumoſa nebula, quae vix jam alto ſole diſcuſſa eſt. Praemiſſo igitur Colinio, qui cum delecta manu Sanzaeum peteret, Condaeus, qui cum robore ſubſequebatur, obſcuritate deceptus, alteram viam, quae Jaſenolium ducebat, inſedit, errore non ante cognito, quam Jaſenolio propinquaret. Heic, cum neque honeſtum neque vero tutum cenſeret in hoſtium conſpectu ſe recipere, peditatum omnem explicat, qui XII CIϽ peditum efficiebat, et per eos certaminis initium fecit, miſſis, qui Colinium ubicunque locorum eſſet, ſtatim revocarent. Parte alia, Andinus aciem inſtruxerat, tormentis ita diſpoſitis, ut in adverſos boſteis infeſta diſploſione fulminarent, ex quorum fragore Colinius, antequam nuncii a Condaeo veniſſent, quod erat ſuſpicatus, victoriam de Sanzaei copiis, quam in manibus habebat, omittit, et recta ad Condaeum inclinante jam nocte contendit. Totum eum diem levibus proeliis trivere utraeque acies, inter dumeta ac vepreta diſcurrentibus ſcloppetariis, inde conſertis ordinibus fronte porrecta, et inde continua ac lenta ſed certa diſploſione ferientibus. Heic Guiſius, cum delecto equitatu aliquoties progreſſus, cum neminem, cum quo congrederetur, videret, impetum ſuſtinuit: [c] Monfaleſius cum L cataphractis equitibus pariter progreſſus, [d] Perrerio ab Andeloto cum equitibus ſcloppetariis miſſo, quem [e] Mongomerius ſequi juſſus erat, ſe protinus recepit. Tantum res a pedite eo die geſta: multi utrinque interfecti, plures vulnerati; aequatoque periculo ac damno, a neutra parte victoria ſtetit. Procedentibus Condaeanis, proceſſerant quoque impedimenta; ſylvaque inſeſſa, lixae igneis complureis excitaverant, de dominis ſecuri, qui diuturno labore fatigati impedimentis ſuis, quae amiſſa credebant, ea nocte caruerunt. Ad ea inveſtiganda Condaeus profunda jam nocte IIII equitum turmas mittit; qui, conſpectis procul ignibus, regios caſtra promoviſſe rati, aliquandiu ſubſtiterunt, dum regii ob eandem cauſam hoſtem in propinquo caſtra poſuiſſe credentes anxie excubias agerent, mediis inter eos lixis et caculis, qui feſtam interea noctem inter pocula ducebant; ex quorum itidem garrientium et licenter laſcivientium incondito murmure Proteſtantes, quod erat ſuſpicati, propius accedunt, ab ignara turba primo infeſta diſploſione ſalutati, ſed, ut dominos agnoſcerent, procul moniti: et jam tandem, periculo agnito, mox inde ſine ſtrepitu pavidi ſarcinas colligunt, et ad ſuos ſe non ſine ducum riſu recipiunt. Poſtridie utrinque diſceſſum eſt: et Andinus [f] Pictavium petit, tranſlatis ſecum ſauciis, qui magnam partem ex vulneribus mortui ſunt; ob idque Proteſtantium pilas veneno illitas fuiſſe inter regios fama tenuit. Legioni Briſſaci ad [g] Auſantium [h] Metenſis praefecti arcem hoſpitium aſſignatum fuerat: quae dum ſolutius ageret per oppidum ſubjectum, Colinius, ex improviſo vi facta, CC ex iis cecidit; ceteris in arcem perfugium fuit, donec advenientibus Pictavio ſubſidiariis omnino periculo liberati ſunt. Condaeus caſtra movens [i] Mirabellum occupaverat, quod eſt oppidum in praefectura [k] Salmurienſi provinciae [l] Andegavenſis. Ibi cum [m] Portalius quaeſtor, ob religionem Lutetiae in carcerem truſus, et paulo ante liberatus, Condaeum regis et reginae nomine ad pacem faciendam hortaretur, moneretque, ejus officii eſſe,

regem

INTERPR. [a] *le duc d'Anjou.* [b] *Sauzay.* [c] *de Monſalez.* [d] *la Perriere.* [e] *le comte de Montgomery.* [f] *Poictiers.* [g] *Auſance.* [h] *le gouverneur de Metz.* [i] *Mirebeau.* [k] *le Saumurois.* [l] *Anjou.* [m] *le general Portail.*

CIↃIↃLXVIII regem ea in re antevertere, reſponſum coram frequenti procerum coetu a Condaeo
CAROLUS IX. tulit; coactum ſe ad arma confugiſſe, quae non in regem ſed inimicos ſuos atque adeo cardinalem Lotharingum harum turbarum incentorem ſumpſerit, depellendae non inferendae injuriae cauſa: quibus quando regem undique circundatum magno ſuo cum dolore videat, ſibi eſſe in animo, ipſum, Deo ſavente, adire, et coram petitiones ſuas exponere. Ita dimiſſus Portalius cum literis Condaei ad regem, in Guiſianos admodum acerbis; additis mandatis, ut regi ac reginae ſpem faceret, ſi conſcientiarum libertati idonee caveretur, fore, ut ipſe ac ſocii, quamvis tot viribus ſubnixi, pacis conditiones accipiant, et regis voluntati ea in re acquieſcant. Inde de loco in [a] Ligeris ripa, qui veluti medius Gallicum regnum dividit, occupando conſilium capit, quo libere in alteram partem, cum vellet, poſſet tranſmittere. Igitur, per [b] Thoarſenſem agrum itinere facto, ad [c] Campiniacum praecipuam Monpenſerii arcem caſtra ponit; qua vi expugnata, cum [d] Babelotus Franciſcanus in ea captus et laqueo ſuſpenſus eſſet, quod praeſidiariis, ne deditionem facerent, auctor fuiſſet, ejus mortem Monpenſerius aegerrime tulit, et Proteſtantium multorum in bello captorum poſtea morte ultus eſt. Condaeus cum toto exercitu [e] Salmuriam verſus contendit. Contra Andinus, ut annonae in caſtris hoſtium ſubvectionem impediret, acceptis ſub id tempus Gulielmi [f] Jouſae comitis, H. Momorantii [g] Damvillae legati, ex Septimania copiis, [h] Loviodunum, quod a Proteſtantibus tenebatur, ducit, et quaſi illud obſeſſurus praeſidiarios deditionem facere jubet, miſſo interim [i] Ludenſi et Briſſaeo comitibus cum VII CIↃ militum, qui [k] Mirabellum reciperent. [l] Bordius oppido muris et foſſa infirmo praeerat, attributis ei a Condaeo CCCC circiter defenſoribus ex [m] Allobrogicis et Septimanicis copiis. Petrus [n] Chupius arcem in tumulo ſpatioſo ad oppidi angulum poſitam et ſitu firmam cum idoneo praeſidio tenebat. Cum Bordius locum dedere recuſaſſet, admotis machinis et muro facile aperto pluribus locis fit impetus: defenſores in arcem confugiunt, amiſſis ex ſuis CXX: arx violenta quaſſatione pulſatur, et poſt aliquot dierum obſidionem honeſtis conditionibus Chupius cum Ludenſi tranſegit, quae minime ſervatae ſunt, regiis injuriae ad [o] Melaeum paulo ante acceptae ultionem quaerentibus; cujus memoriam renovabat Bordii praeſentia, quem Melaeenſi carnificinae interfuiſſe clamabant. Itaque in deditos, nulla fidei datae ratione habita, ſaevitum. Servatus ad vindictam Bordius poſtridie exquiſita morte interficitur, projecto in vicum nudo cadavere, ut inſepultum canibus pabulum eſſet. Mirabellenſi arci cum praeſidio impoſitus [p] Marca Guitinerius, et mox Gul. [q] Altamerus Fervacius; quo rurſus decedente, ei ſubſtitutus [r] Villenius. Cum interea Condaeus juxta Salmuriam, quae a [s] Sanſenario tenebatur, caſtra poſuiſſet, Andelotus [ſ] Florentis fanum proximum oppido coenobium ſitu et praeſidio CC militum firmum expugnandum ſuſcipit. Poſt paucorum dierum obſidionem [t] Haius, qui loco praeerat, cum ſe arbitrio Andeloti dediſſet, cum ſuis omnibus trucidatus eſt, recenti adhuc Mirabellenſis caedis ſenſu, licet regiis eam in antiquiorem cauſam, cum jus belli ad Melaeum violatum fuit, rejicientibus. Andinus per Thoarſium et [u] Monſtrolium-Bellaii, loca commeatu abundantia, ad Loviodunum acceſſerat; in quod [v] Acierius ſe cum legione incluſerat: cujus periculum minime ſibi negligendum ducens Condaeus, cum alioqui pugnandi occaſionem quaereret, confeſtim illo regreditur, et per ſuburbia copias explicat. Heic inſtructae utrinque acies intra machinae jactus, neque amplius ſpatium, totum quatriduum conſtiterunt, nullo interjecto rivulo, foſſa aut limite, niſi ſiqui dividendis agris poſiti erant; ſed aſpera adeo hyeme et infeſta ubique glacie, ut lapſantibus in

lubrico

INTERPR. [a] *la Loire.* [b] *le territoire de Thouars.* [c] *Champigny.* [d] *Babelot.* [e] *Saumur.* [f] *de Joyeuſe, lieutenant general de Languedoc.* [g] *le mareſchal de Damville.* [h] *Loudun.* [i] *les comtes du Lude & de Briſſac* [k] *Mirebeau.* [l] *la Borde.* [m] *de Dauphiné & de Languedoc.* [n] *de Choupes.* [o] *Melle.* [p] *la Marché, ſieur de Guitinieres.* [q] *de Hautemer, ſieur de Fervaques.* [r] *de Villarnes.* [s] *le ſieur de St. Senar.* [ſ] *abbaye de S. Florent.* [t] *la Haie.* [u] *Monſtreuil-Bellay.* [v] *le ſieur d'Acier.*

lubrico veſtigiis, neque pedes incedere neque eques conſiſtere poſſet, pluresque ex caſu quam ex ictibus vulnerarentur, ad haec torpentibus frigore membris, licet animis odio aut decore accenſis, corpora ad pugnandum omnino invalida erant, tantumque ducum praeſentia miles continebatur ad extremum frigus obdurata patientia. Ita cum acies altera in alterius conſpectu tam diu commoratae eſſent, res tantum tormentis utrinque acta, nulla praeterea memorabili pugna, donec Andinus, cui ſub dio in caſtris manendum erat, et ad quem quotidiana a regina parente mandata veniebant, pugnae aleam devitaret, tantum hoſtem a commeatu et pecunia laborantem extracto bello fatigaret, retro cedit, et per laxiora hoſpitia ad reficiendum militem, rivo interjecto, diſtribuit. Helveticum ſignum in receptu caeſum, et ti Gallorum, dum in pago ſolutius cauponantur, intercepti ſunt. Condaeanorum melior conditio fuit, qui ſuburbiis a coeli injuria noctu aliquantum defenſi ſunt. Itaque Colinius, in incautos ac ſparſim hoſpitia habenteis aliquid moliri opportunum ducens, cum XII CIƆ peditum et CIƆ CC equitibus et IIII levioribus machinis recta ad Andini hoſpitium tendit, rivum medium, cujus vadum tentari curaverat, tranſmiſſu facilem ratus, ſi incurioſius, ut ſibi perſuaſerat, a ſtationibus ſervaretur. Verum praeter ſpem accidit, ut regii ſtrenue admodum tranſitum impedirent; quo bis tentato, bis repulſus eſt Colinius, crebra interim diſploſione tormentorum ex Andini caſtris facta, ad cujus fragorem copiae huc illuc ſparſae in tempore advenere. Tunc Briſſacus favore Andini ſublevatus, et periculoſa quaeque affectans, audax conſilium iniit de Colinio et Andeloto, qui ad Monſtrolium-Bellaii caſtra habebant, intercipiendis; cujus rationes Franciſcus [a] Lanovius in commentariis explicat: de quo, quia exitum non habuit, plura dicere ſuperſedebo. Frememte interim milite, quaſi non ad bellum cum hominibus ſed cum coelo ac natura gerendum ducerentur, annuentibus facile ducibus, exercitus in hyberna deducti ſunt. Andinus [b] Chinonem ad Vigennam venit, per loca vicina diſtributis copiis. Condaeus [c] Lovioduno [d] Ivoeum cum praeſidio impoſuit, et retro in Pictones abiit. Quibus incommoditatibus et a coeli injuria et ab inopia conflictati ſint utrinque exercitus, ſtatim, iis dimiſſis, intellectum eſt, cum morbis ſeu violentis ſeu languidis intra menſem plus ab utraque parte VIII CIƆ hominum perierint. Navarraea, ne, ſtrenue rem gerente Condaeo et ſociis, nihil ipſa ageret, de re pecuniaria expedienda, a qua laborare ſuos intelligebat, diligenter conſultabat: et jam ante Eid. Oct. ad Eliſabetham Angliae reginam ſcripſerat, literaſque [e] Caſtellerio ex nobilibus domeſticis perferendas dederat; quibus eam de belli ſuſcepti cauſa, rationibus et foederatorum conſilio certiorem faciebat; petebatque, ut, quando non contra regem arma ſumpſiſſent, in communi cauſa Proteſtanteis auxilio et favore juvaret, ſeque ac liberos ſuos ipſius dignitati et obſequio perſtudioſe in poſterum commendatos haberet. Nec in vanum cecidere Navarraeae preces, adjuvante eas praeſentia ſua cardinali [f] Caſtellionaeo, qui plurimum auctoritate et gratia apud reginam Angliae valebat. Nam C angelorum CIƆ, id nummi aurei genus eſt, ut tormenta egregie inſtructa cum omni apparatu bellico ſtatim ſummiſit; de cetero Gallos exules, qui ex [g] Neuſtria et aliis citra [h] Ligerim provinciis propter religionem in Angliam confugerant, omni ope et humanitatis genere, a qua alioqui inſulani illi plerumque et maxime erga Gallos ob antiqua odia alieni ſunt, fovit, et a ſuis, ut idem facerent, procuravit. Commodata à Rupellanis XXVI aureorum millia. Diſtracta etiam auctoritate principum, ſic duces Proteſtantium vocabant, bona eccleſiaſtica; emptoreſque reperti, qui, quod totus ille tractus a Proteſtantibus occuparetur, audacter in id pecuniam conferrent.

XXI. JAM

INTERPR. [a] *de la Nouë.* [b] *Chinon ſur la Vienne.* [c] *Loudun.* [d] *Jean de Hangeſt, ſieur d'Ivoy.* [e] *du Chaſteliers Portaut.* [f] *de Chaſtillon.* [g] *Normandie.* [h] *la Loire.*

CIↃIↃLXVIII

CAROLUS IX.

XXI. [a] JAM ante rex Romam Baptiſtam [a] Alamannium Matiſconis epiſcopum, et poſt eum Hannibalem [b] Oricellarium etiam ad ſenatum Venetum, Ferrariae, Mantuae et Florentinorum duces miſerat; et mutuam in hoc bellum pecuniam et auxiliareis copias petierat. Eodemque tempore Antonium [c] Fumaeum Blandium libellorum ſupplicum magiſtrum ad Caeſarem legaverat, ut de ſubditorum inſolentia, qui rurſus contra ſe arma ſumpſiſſent, conquereretur; et ipſe auctoritatem ſuam interponeret, ne Condaeo ſuppetiae ex Germania ſive pedeſtres ſive equeſtres ſubminiſtrarentur. Is Viennae XVII Kal. Nov. auditus a ſapientiſſimo principe reſponſum hoc tulit; dolere ſibi, quod rex Chriſtianiſſimus Condaei et ſectatorum ipſius contumacia et temeritate coactus fuerit contra ipſos arma capere, quo illos omneis regno pellat, et unius tantum Catholicae religionis in eo uſum ac profeſſionem inſtauret; quippe qui nihil magis cupiat et exoptet, quam concordiam ac tranquillitatem inter principes ſervari, et a fundendo Chriſtiano ſanguine abſtineri, maximeque exhorreſcat civileis motus, quibus jam ſatis ſuperque infidelium armis attritae Chriſtianorum vires magis ac magis profligantur: proinde conſultiſſimum ſibi videri, ut rationes ineantur, quibus Chriſtiano ſanguini parcatur, et inter regem Chriſtianiſſimum ejuſque ſubditos firma ac ſincera pax ſanciatur: alioqui ſore, ut magnis incommoditatibus ac moleſtiis ſe regnumque florentiſſimum involvat, ſparſis jam non ſolum per Germaniam ſed etiam per Britanniam de ipſo ac potioribus conſiliariis ſermonibus, ut dubitare minime poſſit, non deſuturos haud parvae conditionis principes, qui non ſolum favore et quadam animorum in Condaei partes propenſione ſed etiam pecunia et milite propter cauſae conjunctionem eum adjuturi ſint. Quod vero petat, ut delectus, qui pro Condaeo per Germaniam habentur, impediat, ſummas habere difficultates: nam, ſi ſuperiore anno, cum belli cauſa aequior videretur, rege auctoritatem ſuam ac ſalutem contra rebellanteis ſubditos vindicante ac tuente, hujuſmodi delectus impedire, quamvis adhibita ſumma diligentia, non potuerit, quid jam faciat, cum longe alia belli cauſa, et quam plerique ſibi communem cum ejus ſubditis ſtatuant, expreſſis verbis proponatur ac publicetur? Hoc accepto a Caeſare reſponſo, Fumaeus, [d] Aldemburgum ad Joannem Willelmum Saxonem, quo ille colloquii religionis cauſa inſtituti venerat, contendit; a quo eadem conqueſtus, cum auxilia quoque ex foedere peteret, V Kalend. Dec. reſponſum tulit; quo pariter dolere ſibi teſtabatur, quod bellum nuper in Gallia compoſitum recruduerit: eoque magis, quod altera pars ejus cauſam in religionem, altera in rebellionem rejiciat: eſſe autem expreſſo Dei mandato Divina ab humanis diſcernenda: id feciſſe Chriſtianiſſimos Imperatores Conſtantinum, Theodoſium, Martianum, Juſtinianum, Carolum magnum, Ludovicum Pium, et noſtra memoria Jo. Fridericum ſeptemvirum Saxonem piae memoriae parentem ſuum: itaque pie juxta et prudenter facturum regem, ſi propter religionem ſuis periculum creari non patiatur; nam veram religionem non cauſam ſeditionum, ſed potius nervum omnis diſciplinae et obedientiae eſſe: ceterum Imperii principes male habere, quod de foedere inter regem Hiſpaniarum et pontificem contra Auguſtanae confeſſionis ſocios inito paſſim evulgatum ſit, cui et ipſum pravis conſultoribus impulſum participare nuper acceperit, cum ex Gallica expeditione rediens Fuldam tranſiret: id regem etiam atque etiam videre debere, cui, quantum ſalva religione et conſcientia fieri poſſit, exemplo majorum ſuorum nunquam ſit defuturus. Ita dimiſſus utrobique Fumaeus, re infecta in Galliam rediit.

XXII. TANDEM

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Alamannii et Oricellarii legationibus, 3 circiter lineae, uſque ad* Eodemque tempore *deſunt* D. F.

INTERPR. [a] *Alamanni, evêque de Maſcon.* [b] *Rucellai.* [c] *Fumée, ſieur de Blandy.* [d] *Altenburg.*

XXII. Tandem conſcriptus a rege exercitus exeunte anno prope [a] Moguntiacum Rhenum tranſmiſit: erant in eo v CIƆ IƆC equites, ducibus Philiberto marchione Badenſi, qui primarium locum tenebat, [1] duobus [b] Dietzüs Heſſis, [c] Weſterburgio, Leiningio, Heſſi ſpuriis, [d] [2] Rhingraviis comitibus, et Chriſtophoro [e] Baſſompetra; quos [f] Aumalius cum III cataphractotum equitum alis, ſua, Joannis [g] Lucemburgii comitis Briennii, et Franciſci [h] Deſpei equitum tribuni, VI levis armaturae turmis, X peditum ſignis, a rege miſſus, in Lotharingia oppericbatut: ubi, cognito [i] Cocheum Delfinatem, qui, praecluſa omni alia ad Condaeum via, Genevam cum copiis, quas habebat, conceſſerat, per [k] Sequanos et Alſatiam direptionibus paſſim graſſari, et [l] Salmenſem ditionem atque Argentinenſis epiſcopi pagos late vaſtare, continuo cum VIII CIƆ armatorum [m] Neoburgum ducit, et Cocheum cum CIƆ IƆ peditibus equitibuſque huc illuc diſperſis tumultuarie, ut in hoſtico, vagantem invitum ad pugnam cogit pridie Eid. Nov. et praemiſſo [n] Goa cum legione ſua Neoburgum, dejectis Proteſtantibus, occupat. Neque Cocheus, quamvis numero impar, heic ſe deſerit: ſed, ex neceſſitate conſilium capiens, quantum per difficultates et anguſtias temporis licebat, aciem inſtruit, et ſe viriliter defendit; multiſque ex Aumalianis occiſis, tandem a majore numero circumventus potius quam victus eſt. Cum eo erant [o] Oſſonvillius Lotharingiae praetor, Jacobus [p] Carterius, qui ſcloppetariorum equitum alam, et Claudius Antonius [q] Viennenſis Clarovantius, qui [r] Neocaſtrenſium Helvetiorum ſignum ducebat, et plerique proceres, Antonius [s] Claromontius Renelii marchio, [ſ] Cardeus, Baconus, Dullius, Sternaeus; qui jam praeceſſerant, et, itinere ſibi ad [t] Mariae fanum, quod a ruſticis vias inſidentibus impediebatur, vi aperto, incolumes [u] Argentinam ſe ad [v] Arauſionenſem contulerunt. Ex iis qui pugnarunt CXX interfecti. Captus ipſe Cocheus cum [w] Vaſſano et Salvio et aliquot tribunis ac centurionibus, et [x] Metim deductus, cum poſt aliquot dies quaſi cum aliis captivis permutandus urbe educeretur, a ſubornatis percuſſoribus confoſſus eſt.

XXIII. Tunc et [y] Nucetum in Heduis, unde diſceſſerat Condaeus cum Colinio, quod ab exiguo praeſidio tenebatur, a Carolo [z] Rupifulcaudio Barbeſio Campaniae praeſide obſeſſum; quod cum magna virtute diu defendiſſent propugnatores, tandem deditionem in has leges fecere; ut miles incolumis dimitteretur, ſupellex plane regia Condaei, quae in arce erat, deſcriberetur, et pro ea Barbeſius ſponderet. Verum, patefacta mox porta, legibus minime ſervatis, in deditos miles ſaeviit; quorum pauci ſpoliati evaſerunt, ceteri [aa] Auguſtobonam Tricaſſium abducti: quod eo conſilio factum a Barbeſio plerique credunt, ut ſupellectilis, cui inhiabat, depraedatae excuſationem pararet.

XXIV. Condaeus

INTERPR. [a] *Mentz ou Mayence.* [b] *les comtes de Diez, fils illegitimes de Philippes Landgrave de Heſſe.* [c] *le comte de Weſterburg & Leiningen.* [d] *les Rhingraves.* [e] *de Baſſompierre.* [f] *le duc d'Aumale.* [g] *de Luxembourg, comte de Brienne* [h] *le mareſchal de Vielleville.* [i] *la Coche Dauphinois.* [k] *la Franche Comté & l'Alſace.* [l] *comté de Salm.* [m] *Neuenburg.* [n] *de Goas.* [o] *d'Oſſonville, ſeneſchal de Lorraine.* [p] *Chartier.* [q] *de Vienne, ſieur de Clervant.* [r] *de Neufchaſtel.* [s] *de Clermont, marquis de Renel.* [ſ] *de Cardes, du Bac, du Dully, d'Eſternay.* [t] *Ste Marie.* [u] *Strasbourg.* [v] *le prince d'Orange.* [w] *les capitaines Vaſſan & la Sauge.* [x] *Mets.* [y] *Noyers en Bourgogne.* [z] *de la Rochefoucaud, ſieur de Barbeſieux, lieutenant general au gouvernement de Champagne & Brie.* [aa] *Troyes.*

NOT. [1] Lege *duobus Dietziis Heſſi ſpuriis, Weſterburgio, Leiningio, Rhingraviis et Chriſtophoro.*

Philippus, cognomento Magnanimus, Heſſiae Landgravius, e Margarita de Sala, quam legitimae conjugi, ejus tamen conſenſu et re cum theologis communicata, ſuperinduxit, ſex genuit filios, Mauritium, Chriſtophorum, Franciſcum, Philippum, Volrathum et Fridericum; quibus per ſupremas tabulas arces ac praefecturas aliquot donavit; et, ut honeſto aliquo titulo et nomine fruerentur, natos e domo Heſſiaca, comites de Diez, dynaſtas in Liſberg et Bickenbach appellari voluit: iſti omnes *ἄγαμοι* deceſſerunt. Gens autem Weſterburgica, a caſtro Weſterburg, in illo Wetteraviae tractu, quem den Weſterwald appellant, ſito, dicta, a dominis de Runckel originem ducit. Heſſone item Landgravio Leiningenſi ſine liberis An. 1467 mortuo, Reinhardus Weſterburgicus, qui Margaritam Heſſonis ſororem connubio ſibi junxerat, ditiones ejus occupavit, titulo comitis in Leiningen et Weſterburg, a progenie ſua ad uſque Reinhardi abnepotis cognominis mortem, uſurpato: ex quo duo quidem rami prodiere, Weſterburgicus et Leiningenſis. Vide Supplem. Op. Geneal. Ritterſhus. l. 4. c. 7. et l. 6. c. 9. C.

[2] Dele *Rhingraviis*: Lege *Rhenum.* Put.

CIƆIƆLXVIII
CAROLUS IX.

XXIV. CONDAEUS interea, poſtquam [a] Rupellam primum venit, ne quid deeſſet, quod ad cauſae, quam tuebatur, famam et robur facere poſſet, opportunitate loci fretus, etiam de claſſe armanda, quod ſuperioribus bellis non fecerat, cogitare coepit: ea IX navigiis egregie inſtructis et [b] liburnicarum numero conſtabat, quae CIƆ ſive nautas ſive milites cum reliquo belli apparatu portabant. Praefectuſque claſſi cum ſummo imperio eſt [c] Turrius [d] Caſtellerii Portalii junior frater; qui VI Eid. Oct. cum Rupella ſolviſſet, in pleraque navigia Belgica, Armoricana et Normanica mercibus et varia ſupellectile onuſta incidit; iiſque captis, [e] Conqueſtum praetervectus, quo ad famam piraticae claſſis jam multi in armis convenerant, [f] Plimoutham in Anglia tenuit: unde cum aliquot nobilibus per diſpoſitos equos ad Eliſabetham, quae tunc [g] Hamptoncuriae erat, contendit, et cardinalis [h] Caſtellionaei interventu, qui multum in ea aula poterat, a regina impetrat, ut ejus auctoritate tutus in Gallos et Belgas ut hoſteis belli jure uti poſſet, navigiaque ſimul et homines cum cardinalis Caſtellionaei approbatione capti, rite ac legitime capti intelligerentur, et quae inde pecunia colligeretur, in belli atque adeo in cauſae ſumptus impenderetur. [α]

VAR. LECT. [α] Acerbior de navibus Hiſpanorum interceptis et pecunia ab Eliſabetha interverſa fuit Albani querimonia. Nam accidit ſub id tempus, ut magna navis Cantabrica et IIII minores, Zabres vulgo dictae, et aureorum CIƆ onuſtae, Turrio eas hoſtiliter perſequente, in Angliae portum compulſae fuerint; ubi cum Geraldus Speſeus Philippi nomine literis reginae ſibi idonee caveri peteret, quo citra periculum ſive terra ſive mari res navibus impoſitae Antuerpiam tranſvehi poſſent, haud abnuit initio regina: ſed, dum certius ab Albano reſponſum exſpectat Speſeus, interim a Caſtellionaeo cardinali regina monetur, pecuniam eam, non Philippi, ſed negotiatorum Italorum eſſe, quam mox advectam Albanus in bellum contra Proteſtanteis ſuſceptum, vel invitis illis, ſumpturus eſſet: itaque, quo Albanum tanto praeſidio, quod in Proteſtantium perniciem redundaturum erat, denudaret, conſulto atque adeo jure ſuo facturam, ſi eam pecuniam, quam fortuna in ipſius manus tradidiſſet, retineret. Color rei quaeſitus, quod pecunia non regis foederati ſed negotiatorum propria eſſet, quam libere, neceſſitate urgente, mutuo ſumere poſſet. Itaque et eam fiduciaria cautione deſcribi, ciſtulaſque in terram exponi, et, ne a Gallis diriperentur, in ſuos uſus verti jubet. Quod ubi per Speſeum cognovit Albanus, injuriae impatiens, non conſultis ordinibus aut provinciarum conſiliariis, neque ulla foederum inter Anglos et Burgundos habita ratione, Antuerpiae aliiſque locis manus in Anglos injici, eoſque in Anglorum domo captos retineri et militum cuſtodia aſſervari jubet. Idem, inſtigante Albano, paſſim per Hiſpaniam factitatum. Nec ſegnius Eliſabetha, ubi id reſcivit, confeſtim mercatores Belgas Belgarumque bona comprehendi ac ſequeſtrari mandat: et, quo Anglorum ſecuritati et indemnitati caveretur, complures item naves, cauſa nautis tunc incognita, e mari in portum ſubductae. Facti mox Albanum poenituit, ubi plures naveis, merces et homines in Anglia retineri animadvertit: et Chriſtophorum Aſſonvillium protinus ad reginam ablegat: qui tamen, quod ab Albano tantum miſſus neque ullas a Philippo literas afferret, minime ab ipſa auditus eſt; ſed ad concilium remiſſus cum coram conſiliariis agere recuſaret, re infecta diſceſſit. Regina vero per ſuos Albano ſignificat, ſe quidem ſumma injuria affectam, neque tamen, niſi ipſe ulterius pergat, bello decernere ſtatuiſſe. Idem et Philippo ipſi ſignificandum curat, non ſine gravibus de praecipiti et inconſiderata Albani pervicacia querelis. Inter has manuum injectiones et navium retentiones, ne commercium intermitteretur, Angli mercibus Hamburgum miſſis mercaturam, mutato foro, in Germania inſtituunt. Viciſſim Albanus Aprili proximo provincialibus commercium omne cum Anglis interdicit, et paulo poſt Chapinum Vitellium Cetonae marchionem cum Fonkio et Torreo ab epiſtolis ad pecuniam recuperandam legat; ſed ſerius poſt edicta tam ſevera, quam ut a foemina imperioſa quidquam impetrare poſſet. Itaque rurſus repetita ſevera illa edicta, ac multo acriora addita; unde ortae ſine manifeſto bello inter Anglos et Belgas pernicioſae controverſiae, magno commercii et utriuſque ditionis populorum detrimento, quae vix quadriennio poſt componi potuerunt, ſicuti ſuo loco dicemus. *D.* f. Tom. II. p 465. et *D.* o. Tom. IV. p. 318. *Haec aliquantulum variata narrantur in D.* f. Tom. II. p. 514. *in D.* o. Tom. IV. p. 458. *in* D. d. Tom. VII. p. 332. *et in utraque editione Genevenſi, atque adeo in hac noſtra, ſub Anno* 1569. *Lib.* 46.

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *galiotes.* [c] *la Tour.* [d] *du Chaſteliers Portaut.* [e] *le Conqueſt.* [f] *Plimouth.* [g] *Hampton Court.* [h] *de Chaſtillon.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

MICHAELIS *fanum in Pictonibus a Rupellanis tertio obſeſſum, et in poteſtatem redactum. Vicini tractus deſcriptio.* II. *Sancerrarum irrita obſidio. Luſinianum fruſtra tentatum a Mongomerio.* III. *Dieppa itidem irrito conatu a Catevilla tentata, nec non Franciſcopolis.* IV. *Baſſacana pugna, in qua Condaeus occiſus.* V. *Turbatos ſucceſſu Proteſtanteis Navarra confirmat, oſtentato principe filio, et Henrico Condaeo, ut nominis ſic virtutum paternarum herede.* VI. *Cognacum ad Carantonum ab Andino tentatum. Mucidanum in Petrocoriis obſeſſum; et, deſideratis in obſidione Pompadoreo et mox Timoleonte Coſſaeo Briſſaco, deditum.* VII. *Navarrus ſummus Proteſtantium imperator pronunciatur. Audelotus Mediolani Santonum ex febre peſtilenti moritur. Ejus laudes et Lavallae gentis ſucceſſio ab eo propagata. Fr. Hangeſti Genlii, et Jacobi Bucardi mors.* VIII. *Ocellorum in Alpibus Gallicis arx a regiis recepta.* IX. *Bipontini cum auxiliaribus copiis in caſtra Navarri adventus.* X. *Regina cum Borbonio et Lotharingo cardinalibus Ratiaſtum Lemovicum venit.* XI. *Bipontinus, cum diu quartana laboraſſet, prius Wolrado Mansfeldio ſummo armorum duce dicto, ingraveſcente morbo exſpirat.* XII. *Copiae pontificiae ex Italia, duce Sanfloriano, in caſtra regia veniunt. Bernardi Corbinelli caedes.* XIII. *Ad Rupem-bellam diu ambigua pugna, poſtremo regii ceſſere, Philippo Strozzio Gallici peditatus praefecto capto et Rupilaureo occiſo.* XIV. *Libellus ſupplex regi oblatus. Lud. Lanoius Morvillerius moritur.* XV. *Ludenſis comes ad Niortium interim caſtra ponit, a Pluvialio gnaviter defenſum.* XVI. *Colinius Luſinianum oppidum capit. Arx, in quam Guro praefectus confugerat, poſt verberationem dedita; eique Pontius Mirambellus imponitur.* XVII. *Sanſacus Charitaeum fruſtra obſidet.* XVIII. *Expeditio Mongomerii in Novempopuloniam et Benearni pagum; ejuſque mirae celeritatis ſucceſſus. Navarrinum et Orteſium in poteſtatem redacta, Joanne Lomanio Terrida capto.* XIX. *Diverſa parte Mons-Marſani a Blaſio Monlucio captus.* XX. *Orillacum in Arvernis captum a Proteſtantibus et crudeliter direptum.* XXI. *Colinius Auguſtoritum Pictonum obſidione cingit, quod Henricus Lotharingus Guiſius defendendum ſuſcipit.* XXII. *Ad avertendos hoſtium conatus caſtra ad Eraldi-caſtrum ab Andino poſita, et ſoluta Auguſtoriti obſidio. De Condivicino Namnetum intercipiendo fruſtratoria Colinio ſpes facta. Irrita et damnoſa Italorum ad Eraldi-caſtrum oppugnatio.* XXIII. *Colinius horrendo ſenatuſconſulto proſcribitur. Dominicus Albius Colinii cubicularius proditionis et veneficii convictus.* XXIV. *Arauſionenſis a caſtris Colinii diſcedens, tranſmiſſo Ligeri, in Germaniam evadit.*

EX AUCTORIBUS,

Lud. Vicino P. P. Jo. Serrano, Fr. Lanovii commentariis, Blaſii Monlucii commentariis, Probatoriis caedis Bernardi Corbinelli actis.

LIBER QUADRAGESIMUS QUINTUS.

CIↃIↃLXVIII
CAROLUS IX.

RUPELLANI extremo hoc anno [a] Michaelis ſanum ad mare ſitum in Pictonibus, jam bis inſeliciter tentatum, quod inde excurſiones crebrae fierent, Condaei permiſſu poſtremo expugnare aggreſſi ſunt. Totus ille tractus a [b] Lucionio [c] Rupellam uſque olim ab oceano, ut creditur, inundatus fuit: dein, recedente mari, apparuere terrae paulatim, et paludes deſiccari et propter ſitus commoditatem ac ſoli ubertatem coli ac frequentari coeperunt. In eo ſacellum primo exſtructum eſt, peregrinationibus ac religione celebratum, quod poſtea in ampliſſimum ac locupletiſſimum monaſterium evaſit, quod tamen a prima origine ſive a ſitu Eremi nomen retinuit. Arcis ſerma quadrata ac praealta contra ſagittarum et baliſtarum, non hodiernarum machinarum, ictus firmiſſimo muro ac turribus paulum ad angulos prominentibus ac foſſa profunda ſuperioribus annis ad orae maritimae defenſionem ab Anglis vallata. Ad eam a nobilitate admotis II mediocribus tormentis cum primo impetus factus eſſet, [d] Caſtroperſius ex ſacri collegii ſodalitio homo ſtrenuus, qui per Jacobi [e] Billii Prunaei, cujus alias nomen propter raram eruditionem cum pietate conjunctam celebratiſſimum eſt, coenobiarchae abſentiam res moderabatur, non ſolum vim ſuſtinuit, ſed cum damno obſidentium repulit. Nam, amiſſis CXX ex ſuis, mox obſidionem ſolverunt; quam tamen poſt paulo repetierunt, duce [f] Campaniaco, qui ex monacho miles de monachis ſe victoriam reportaturum ſumma fiducia affirmabat. Is, cum IↃ delectis ſcloppetariis et provinciae equitatu illuc profectus, cum initio fortuna coeptis arridere videretur, compulſis intra ſepta ſua cum damno praeſidiariis, certo ictu a monacho quodam in capite ictus concidit; et, occiſo duce, rurſus obſidio ſoluta eſt; quam tertio ad extremum, non tam de victoria ſoliciti, quam injuriam ulturi, repetierunt. [g] Gulenius cum VII ſignis et II majoribus tormentis locum expugnandum ſuſcepit, praemiſſo Garda, qui municipium coenobio ſubjectum occupavit: quo ſacto, arctius, diſcurrente Proteſtantium equitatu, praeſidiarii cincti ſunt; neque tamen ita, ut non opportunis eruptionibus et deſignatis ictibus Proteſtanteis multum infeſtarent. Arx inde mari alluitur, hinc vineis, pratis et arenariis cingitur, loco plano et humili, adeo ut totus ille tractus, cum mare intumeſcit, et praecipue aequinoctio verno et autumnali auctis fluctibus, mergi ſaepius periclitetur: quod ſi contingat, ſolum aquae marinae ſalſugine delibutum ad multos annos, quantumvis cultu vitium corrigatur, infrugiferum manet. Huic malo remedium quaeſivere indigenae ductis per agros crebris [h] incilibus, quae pontibus arcuatis fraenantur, et portis ſubliciis clauſa modicum aeſtum aut admittunt aut nimium repellunt, et impetum ejus frangunt. His portis apertis obſeſſi, et quibuſdam locis, ut mare reſtagnaret, obſtructis, ita paludoſum per ſe ſolum tempore hyberno fere inacceſſum merſerant, ut tormenta terra advehi non poſſe confiderent; quod cum nec fieri poſſe Gulenius judicaret, mari illa advehi curavit, et advecta deſtitui in verticoſo vado, quod mari recedente arcem et portum interjacet, et planis navigiis imponi juſſit, Scipionis [i] Vergani muniendorum locorum peritiſſimi et aliquot tormentariorum Anglorum opera in ea recenſus. Ad Lucionenſem portam directa verberatio Kalend. Januar. factaque ruina, fruſtra ad eam tentatus impetus; quippe intus ducta foſſa et ad latus munitiones excitatae fuerant, a quibus irrumpentes infeſtabantur,

INTERPR. [a] *S. Michel en l'Herm en Poictou.* [b] *Luçon* [c] *la Rochelle.* [d] *de Chateau-pers.* [e] *de Billy, ſieur de Prunay.* [f] *le capitaine Campagnac.* [g] *Goulene.* [h] *grands & larges foſſez, qu'ils appellent Achenaux, eſquels la mer entre & ſe deſgorge quand elle vient.* [i] *Vergano.*

[a] Gauſevilla, dum locum explorat, inibi interfecto. Itaque alio tormenta tranſferuntur, loco a tranſfuga notato, qui exigua pulſatione ſtatim dirutus eſt. Nihilominus obſeſſi contra animos obfirmabant, ſive a [b] Ludenſi comite confirmati, qui [c] Vaccacum cum xxx militibus nuper auxilio ſummiſerat, ſive hyemis aſperitati, quae diuturnam obſidionem non patiebatur, confiſi, ſive denique vaticiniis antiquis Anglicae ſuperſtitionis temere fide habita, quae, nunquam ſacellum, S. Michaelis patrocinio defenſum, in manus hoſtium deventurum, ſpondebant, ac fore, ut, ſi qui, vel nemine defendente, locum oppugnarent, facie in tergum retorta, ſtatim in veſtigio exanimarentur: quod, ſive olim a collegii ſodalibus confictum, ſive falſo creditum, animos praeſidiariis faciebat, ut de exitu ſecuri extrema experiri parati eſſent. Tandem ad ruinam factus impetus a clypeatis; qui, ordine incedentes, et recentibus ſemper in feſſorum locum ſuccedentibus, loco potiti ſunt, [d] Caſtroperſio per poſticum elapſo, ſed poſtea capto. Obvii quique trucidati: non aetati, non ſexui parcitum; adeo ut per porticus, cellas et ciſternas omnia cadaveribus oppleta ſanguine exundarent. [e] Forteus ante alios ludo duxit brachium cubito tenus in cruorem immergere, ſervatis pleriſque in craſtinum et perendie, quos poſt pugnae furorem ſedatum manu propria mactaret. Ingens praeda facta: quippe ruſtici et alii vicini ac plerique etiam ex nobilitate, opinione de arcis firmitate ſive ob ſanctimoniam ſive ob ſitum et munitionem concepta, omnem ſupellectilem pretioſam in eam, ceu locum tutiſſimum, comportaverant. Caſtroperſius cum de pretio, quo vitam redimeret, conveniſſet, atque in eo eſſet, ut [f] Rupellam, dum pretium perſolutum eſſet, ſub cuſtodia abduceretur, literae ejus ſeu verae ſeu confictae repertae ſunt nefariorum conſiliorum et contumeliarum in principes plenae, ex quarum occaſione gratia vitae, ei amicorum interventu facta, revocata eſt, et ipſe cum aliis interfectus. cccc et amplius in ea crudeli laniena periiſſe memorantur. Forteus loco imponitur, negotio ei dato, ut munitiones atque adeo templum et coenobium ipſum demoliretur, ne regiis poſtea ad incurſiones uſui eſſet; quod ſedulo fecit, totum menſem ibi commoratus. Nec multo poſt miſerabili morte homo tot caedibus infamis periit. Ita [g] Michaelis fanum in Eremo vulgo appellatum ad orae defenſionem olim munitum funditus everſum eſt, cum, corruptis per bella civilia hominum judiciis, publicae quieti incommodare exiſtimaretur, quod, pacata Gallia, ad externos impetus propulſandos prudenter inſtitutum fuerat; quod et fortaſſe rurſus inſtaurandum erit, ſi quando Galli reſipiſcant, et potius foris cum hoſte quam ſecum domi pugnare malint.

II. DIVERSA parte, eodem fere tempore ad [h] Sancerras admota a regiis caſtra, ſed irrito ſucceſſu. Poſt factam nuper menſe Martio pacem oppidum illud in rupe praecelſa poſitum undique praerupta, niſi qua [i] Avaricum Biturigum itur, et ab ortu [k] Ligeri imminens, et in limite [l] Biturigum et Soloniacenſis agri ſitum, quod a Proteſtantibus fere, aut incolis aut in eo perfugium quaerentibus, inhabitaretur, rex a praefectis vicinis monitus in poteſtatem redigere ſtatuerat, aut ejus munitiones omnino diruere. Itaque juſſi primo oppidani praeſidium admittere cum ſe excuſaſſent ob tenuitatem oppidanorum, et quod locus extra vias regias et commercium poſitus cuſtodia indigere minime videretur, re in regio conſiſtorio agitata, poſtremo haec ſubſidiaria conditio adjuncta eſt, ut oppidum muris ac munitionibus nudaretur. Oppidani, ut periculo certo, quod a praeſidio imminebat, praeverterent, cum haud diu duraturam pacem providerent, aſſenſere, addita lege, ut Buelliorum comitum, ad quos Sancerrae pertinent, conſenſus accederet. Negotio interim in longum extracto, ubique ſumpta arma, et oppidani, occaſione ſumpta, loco natura firmo muniendo totis viribus incumbunt. Ex adverſo Sarra [m] Martinengus, qui [n] Genabum unius diei itinere a Sancerris diſſitum praeſidio
tenebat,

INTERPR. [a] *Gauſſeville.* [b] *le comte du Lude.* [c] *le capitaine Vaquay.* [d] *de Chateau-pers.* [e] *Forteau.* [f] *la Rochelle.* [g] *S. Michel en l'Herm.* [h] *Sancerre.* [i] *Bourges.* [k] *la Loire.* [l] *Berry & Sologne.* [m] *Martinengo.* [n] *Gyen.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX. tenebat, Franciſcus [a] Balſacus Interamnas Aureliani, Claudius [b] Caſtreus Biturigum praefecti, communicato conſilio, et captato tempore, dum [c] Avantinius ex vicina nobilitate dux ſtrenuus, in cujus virtute magnam fiduciam oppidani collocabant, abeſſet, coojunctas copias ad oppidum admovent: eae III CIↃ peditum et aliquot equitibus ex vicina nobilitate conſtabant: VIII murales machioae advectae, et cootra portam [d] Bituricenſem directae. Diſploſione facta ingens et idonea ruina edita eſt, ſed quae ducta interiore foſſa et ad latus utrinque exſtructis propugnaculis defendebatur. Cum in eam regii, duce [e] Viepootio Aquavilla Neoburgi reguli filio, juveoe ſupra modum audaci, impetum ſumma alacritate feciſſent, a praeſidiariis in latus ferieotibus excepti cum damno repulſi ſunt. Itaque tranſlata ad aliam portam tormenta, in qua expugnanda minus difficultatis ſubeſſe duces intellexerant, ad [f] Saturnini fanum. Ibi rurſus majore edita ruina, ab Aquavilla fit impetus; qui a praeſidiariis, quibus prior ſucceſſus animos fecerat, pari virtute repulſus eſt, occiſo ipſo Aquavilla et pleriſque ex ſuis, multis etiam graviter vulneratis. Praeerat loco [g] Joanellus juridicus, et [h] Florus ac Laurentius ordinum ductores. Inde non jam ad defenſionem obſeſſi, ſed ad vim inferendam ſe comparant, et crebris eruptionibus regios fatigabant. Sub id tempus in regia caſtra venit Jac. [i] Sabaudus Nemoroſii dux, ex [k] Lugdunenſi ac vicinis provinciis contracto exercitu, et adducto ſecum Franciſco [l] Bellomontio Adretio, bellis ſuperioribus Proteſtantium partes ſecuto, et tunc regi militante, qui non exiguas copias ſecum habebat. Is cum ad [m] Aumalium, qui in Lotharingia erat, tenderet, ſicuti a rege propediem illuc profecturo jubebatur, nequicquam a Caſtreo exoratus, ut taotiſper apud eos moraretur, dum auxiliarium ipſius copiarum ope Sancerras expugnaſſent, ille, qui non unius diei obſidionem illam duceret, et ab Aumalio, ut iter acceleraret, quotidie per literas urgeretur, non ſolum oon remanſit, ſed auctor illis fuit, ut obſidionem ſolverent. Itaque, cum v amplius hebdomadis in ea haeſiſſent, ineunte Februario, amiſſis plus IↃ ex ſuis, diſcedunt: et Nemoroſius quidem in Lotharingiam, illi in praefecturas quiſque ſuas, deductis tormentis, diverſi abeunt. Oppidani eo ſucceſſu inflati, creſcente cum fortuna audacia, [n] fanum Theobaldi infra Sancerras ad Ligerim poſitum munire ſtatuuot; ac valido praeſidio firmant; unde non ſolum excurſionibus ſubjecta circum regio infeſtabatur, ſed et commercium, imperato grandi in navigia illac tranſeuotia vectigali, impediebatur. Itaque, qui [o] Nivernium et [p] Charitacum, quibus locis Liger pontibus tranſmittitur, tenebant, ut praeſidium illud diſturbarent, hanc rationem commenti ſunt: navigia quaedam oblonga inſtruunt, ac locis idoneis perforata et pluteis contecta milite impleot, mercibus deſuper ingeſtis, ita ut armati laterent: tum equites haud procul hinc in inſidiis collocant: ita cum ſine ſtrepitu ad Theobaldi fanum veniſſent, praeſidiarii, juſſis conſiſtere navigiis, ea mercatorum eſſe rati, ad exigendum vectigal accurrunt; quos latentes ſubtus milites et equites ex improviſo eodem tempore circumfundunt, et, L ex iis interfectis, ceteros in fugam vertunt, qui vix manibus per vineta reptantes in oppidum loco maxime arduo ab ea parte poſitum tandem evaſerunt, et trepidi eladis acceptae nuncium ad ſuos pertulerunt. Interea [q] Burniquetus, Monclarius, Paulinus et Gordooius vicecomites, qui ſe cum [r] Acierio per [s] Aquitaoiam cum auxiliari exercitu incedente conjungere recuſaverant, quod provinciam praeſidio nudatam a tergo relinqui minime tutum exiſtimarent, circa [ſ] Montalbanum, Caſtrum, Millialdum, Podium Laurentii, quae illis perfugia erant, cum VI CIↃ peditum et delecto equitatu [t] Toloſam ac vicina loca continuis

INTERPR. [a] *de Balſac, ſieur d'Entragues, gouverneur d'Orleans.* [b] *de la Chaſtre, gouverneur de Berry.* [c] *d'Avantigny.* [d] *porte de Bourges.* [e] *de Vieuxpont, ſieur d'Aigneville, fils du baron de Neubourg.* [f] *St. Satur* [g] *Joaneau baili de la ville.* [h] *les capitaines Fleurs & Laurens.* [i] *de Savoye, duc de Nemours.* [k] *le Lyonnois.* [l] *de Beaumont, baron des Adrets.* [m] *le duc d'Aumale.* [n] *port S. Thibaut.* [o] *Nevers.* [p] *la Charité.* [q] *les vicomtes de Bourniquet, Monclar, Paulin, & Gourdon.* [r] *le ſieur d'Acier.* [s] *Guienne.* [ſ] *Montauban, Caſtres, Millaud, & Puy-Laurent.* [t] *Toulouſe.*

continuis excurſionibus infeſtabant. Horum ut conatus impediret B. Monlucius, poſt Acierii tranſitum, [a] Caſtellioni ad Duranium III ſigna peditum, totidem [b] Fidei fano, duce [c] Leberone, imponit, miſſo [d] Santorrentio cum ala ſua equitum [e] Liburnum, qui oppidum in confinio [f] Duranii et Inſulae poſitum, ad res provinciae ſummi momenti, cum III peditum ſignis teneret. Fabiano Monlucio item datum negotium, ut cum peditatu loca opportuna in [g] Cadurcis et Aginnenſi agro inſideret. Miſſus mox eo [h] Pilius a Condaeo, ut copias quantas poſſet, conſcriberet. Is cum CIↃ CC ſcloppetariis et CC equitibus [i] Bergeracum et fanum Fidei occupat: relictoque inibi peditatu, per [k] Petrocorios cum equitatu diſcurrit, incendio late graſſatus per vicos de ſtrage Moventiana ſuſpectos; unde collectis copiis [l] Mediolanum Santonum tendit. Dum haec agerentur, [m] Breſſaldi ala equitum, quae prope [n] Thoarſium hoſpitium habebat, a regiis [o] Salmuria egreſſis intercepta ac caeſa eſt: ipſe ſervum mentitus cum paucis ſe periculo ſubduxit. Eodem tempore Franc. [p] Caſillacus Seſſacus, alae equitum Guiſii legatus, a rege ad [q] Andinum fratrem, qui tunc [r] Vertolii in Engoliſmenſi agro erat, miſſus cum arcanis mandatis, dum per equos diſpoſitos iter acceleraret, a [s] Veraco, qui cum rapta manu itinera inſidere jubebatur, [t] Coveae captus, et [v] Rupellam adductus eſt; ſed faſciculo literarum prius ad irrumpentium ſtrepitum occultato, ita ut reperiri non potuerit; qui poſtea, digreſſo Veraco, ad Andinum perlatus eſt. Diverſa parte, Briſſacus [u] Luſiniano profectus [v] Mongomerium ad [w] Eligii fanum improviſo agmine aggreditur, caeſiſque XX ex ſuis, in arcem compellit, municipio direpto et captis aliquot ordinum ductoribus, et in iis Mongomerii ipſius fratre, [x] fani Joannis abbate: et, cum vereretur, ne a majore numero circumveniretur, e veſtigio ad ſuos rediit. Haud multo poſt Proteſtantes, de Luſiniano intercipiendo fruſtra conſilio inito, tandem ad arcem vertuntur; et cum [y] Guronis, qui loco praeerat, legato de tradenda arce paciſcuntur. Condicta dies ad XIII Kal. Mart. ad quem portis propinquare deberent. Tunc convivium, ad quod praecipui ductores invitati erant, in oppido celebrabatur; quod opportunum conſilii tempus ratus legatus cum VII conſciis occupat, et, caeſa infrequenti ſtatione, ſtatim ad Guronem tendit; quem ad fragorem forte egreſſum, et vix objectu uxoris, quae ictum lethalem pro viro excepit, protectum cum occidere non potuiſſet, nec loco potiri potuit. Nam Guro, e manibus inſequentium elapſus, in interius arcis propugnaculum ſe recipit, ſublatoque ingenti ac ſaepius repetito clamore comeſſabundos ſocios tandem excitat; qui laborantibus auxilio praeſto fuere, perque muros, nam portae a conjuratis tenebantur, enixi, caeſo legato ac conſciis, et iis praeterea qui intra arcem admiſſi fuerant, arcem regi ſervavere.

III. Eodem tempore et detecta conjuratio a [z] Catevilla Proteſtantium partibus addicto de [aa] Dieppa intercipienda cum nobilitate regionis inita, quae edicta regia non ſervari indignabatur, et praefectorum duritiem et iniquitatem peroſa perfugium eandem religionem profitentibus quaerebat. Is rem cum centurione, cui multum fidebat, communicat. Verum ille, ſive metu ſive facti horrore perculſus, id mox [bb] Ciconiae oppidi praefecto indicat; a quo re ad Joannem [cc] Moium Millaregium delata, ejus juſſu Catevilla capitur. Is poſtea interrogatus rem cum [dd] Lignabovio ex primaria Caletorum nobilitate et Millaregii perfamiliari communicaſſe confeſſus eſt. Inde arceſſitus Lignabovius, quamvis Catevillam captum ſciret, amicitiae Millaregii confiſus, venire non dubitavit; et interrogatus, cum Catevillam quidem de

INTERPR. [a] *Chaſtillon ſur la Dordogne* [b] *Ste Foy.* [c] *de Leberon.* [d] *de Tilladet, ſieur de St. Orens.* [e] *Libourne.* [f] *la Dordogne & l'Iſle.* [g] *Quercy & Agenois.* [h] *de Piles.* [i] *Bergerac.* [k] *Perigort.* [l] *Saintes.* [m] *Breſſaut.* [n] *Thouars.* [o] *Saumur.* [p] *de Caſillac, ſieur de Seſſac.* [q] *le duc d'Anjou.* [r] *Vertueil en l'Angoumois.* [s] *Verac.* [t] *Couë.* [v] *la Rochelle.* [u] *Luſignan.* [v] *le comte de Montgomery.* [w] *la Motte S. Eloy.* [x] *abbé de Cormery.* [y] *de Guron.* [z] *de Cateville.* [aa] *Dieppe.* [bb] *de Cicogne.* [cc] *de Mouy ſieur de la Meilleraye.* [dd] *de Lignebœuf du pays de Caux.*

CIↃIↃLXIX. de ea re ſecum egiſſe faſſus eſſet, ceterum factum ſemper improbaſſe ac diſſuaſiſſe affirmaret, nec id diffiteretur Catevilla, tamen, quod praefecto non indicaſſet, pari cum Catevilla ſupplicio [a] Rotomagi ſenatus decreto plexus eſt, multis nimiam Millaregii ſeveritatem accuſantibus, ſed pluribus fidem laudantibus, qui in re, quae ad ſalutem publicam pertinebat, amico proprio non peperciſſet. Tunc et ad [b] Franciſcopolim factus a conjuratis Proteſtantibus impetus, eodem conſilio. Navis in ancoris ſtans, [c] Africanis pellibus in ſpeciem onuſta, petito a [d] Sarlaboſio, qui urbem cum IIII ſignorum praeſidio tenebat, commeatu, ad portum appulerat, conjuratis intus latentibus; qui ſigno dato cum conſciis oppidanis ad forum noctu concurrunt, caeſiſque excubiis, omnia metu ac tumultu miſcent. Sarlaboſius, ut in nocte, confuſus, tamen pro tempore miſſis, qui inde portas ſervarent, inde per moenia diſcurrerent, periculum tandem illuceſcente die diſcuſſit, cum pauciores, quam rebantur, conjurati, et contra majorem praeſidiariorum numerum impares, ad tumultum accurriſſent; ex quibus plerique nave conſcenſa aufugerunt, ceteri, qui convicti fuerunt, perquiſitione diligenti a [e] Montacutio ſenatore Rotomagenſi facta, morte affecti ſunt.

Carolus IX.

IV. Tandem hyemis aſperrimae rigore aliquantum mitigato, exercitus utrinque educti; et Andinus, facto per [f] Pictones, Lemovices et Engoliſmentem agrum itinere, [g] Carantoni oram legebat, quaſi [h] Caſtrum-novum occupaturus, ut ſe medium inter [i] Pilium cum auxiliaribus copiis advenientem et Condaeum interponeret. Quem ut anteverteret Condaeus, Carantono ad [k] Cognacum tranſmiſſo, recta Caſtrum-novum tendit, quod cum praeſidio a centurione quodam Scoto tenebatur, quaſi proelio certaturus. Nec a conditione abhorrebat Andinus, novis copiis ſubnixûs: nam Claudius [l] Sabaudus Tendae comes, qui [m] Sanecrras uſque [n] Nemoroſium ſecutus fuerat, inde diviſo itinere cum III CIↃ peditum et delecto equitatu ad Andinum venerat: praeterea Philippus [o] Rheni comes et Chriſtophorus Baſſompetra II Germanorum equitum CIↃ in caſtra adduxerant, relicto in Lotharingia [p] Aumalio, Nemoroſio et [q] Adretio, qui auxiliarem Germanorum exercitum ad Condaeum venientem tranſitu prohiberent. Cum his copiis Andinus [r] Confluentiam in Lemovicibus venit; et, [s] Vigenna tranſmiſſo, [ſ] Vertolium tendit, ubi de Proteſtantium conſilio certior factus, eos nimirum obviam Pilio proficiſci decreviſſe, ob idque Cognacum, ubi Carantonum tranſirent, petere, ut copias a [t] vicecomitibus ſummiſſas et ob periculum cunctanteis exciperent, et inde conjunctis omnibus viribus Ligerim verſus tenderent, Wolfangum [u] Baioarum Bipontinum ducem cum Germano auxiliari exercitu propediem venturum ibi expectaturi, praevertendum ratus, Hardoinum [v] Villerium [α] Riverium cum delecta manu praemittit, qui [w] Jarnacum occuparet. Quod cum ille feciſſet, mox Colinio ſuperveniente oppreſſus, oppido, quod tueri non poterat, relicto, in arcem ſe recipit. Ad eam ſtatim admota tormenta; quorum diſploſionem cum ſuſtinuiſſet aliquot dies, promiſſum auxiliorum tempus exiiſſe cernens, tandem [x] Bricomotio, quem Colinius obſidioni praefecerat, arcem tradit, vitam et res ſalvas pactus. Loco impoſitus vicecomes [y] Montamarius cum legione ſua. Andinus, cum Carantoni ad Jarnacum tranſmittendi ſpe excidiſſet, ſupra [z] Engoliſmam fluvium ſuperat, et in itinere [aa] Ruſecum in poteſtatem recipit, trucidatis, qui in eo erant, praeſidiariis. Idem et [bb] Melaei in Pictonibus eodem tempore factitatum. Inde Caſtrum-novum verſus tendit, quod a LX circiter ſcioppetariis

VAR. LECT. [α] Riparium *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le parlement de Rouen.* [b] *Havre de Grace.* [c] *cuirs de Barbarie.* [d] *de Sarlabout.* [e] *Montagut, conſeiller.* [f] *Poictou, Limouſin, & Angoumois.* [g] *la Charente.* [h] *Chateauneuf.* [i] *de Pilet.* [k] *Cognac.* [l] *de Savoye, comte de Tende.* [m] *Sancerre.* [n] *le duc de Nemours.* [o] *le Rhingrave, & Chr. de Baſſompierre.* [p] *le duc d'Aumale* [q] *le baron des Adrets.* [r] *Confolant en Limouſin* [s] *la Vienne.* [ſ] *Vertoeul.* [t] *les vicomtes.* [u] *de Baviere, duc de Deux Ponts.* [v] *de Villiers, ſieur de la Reviere.* [w] *Jarnac.* [x] *de Briquemaut.* [y] *de Montamart.* [z] *Angouleſme.* [aa] *Ruffec.* [bb] *Melle.*

petariis defenſum antea [a] Pilius, dum Engoliſma obſideretur, ceperat, et praeſidio firmaverat. Ad ripam [b] Carantoni arx ſita eſt inter Engoliſmam et [c] Jarnaeum, quae, Scoto, qui loco praeerat, cum vita et rebus ſalvis abire permiſſo, mox regiis patuit. Pons a Proteſtantibus abruptus confeſtim inſtaurari juſſus, et alius ex navigiis conſtrui, ejus rei cura Armanno [d] Guntaldo Birono caſtrorum praefecto commiſſa. Tum regii Cognacum verſus provecti, ut opinionem, quaſi fluvium ad [e] Caſtrum-novum tranſire in animo haberent, hoſti demerent, eodem revertuntur. Colinius contra, qui primam aciem ducebat, ut regios propius contemplaretur, cum IↃ CCC equitibus et totidem ſcloppetariis Jarnaco profectus iis occurrit; ſed medio fluvio; quem cum regii aliquot naviculis tranſmiſiſſent, levi pugna inter eos certatum aliquandiu eſt. Poſtridie Colinius, qui ad exiſtimationem pertinere duceret, regios, ne ulterius citra certamen progrederentur, impedire, caſtra promovet, duabus legionibus ad id, quae leucae quadrantis ſpatio non amplius a loco abeſſent, deſtinatis, et pone eas IↃ CCC equitibus, qui peditatui praeſto eſſent, et ad duces cum opus eſſet tranſvolarent, ſubſequi juſſis. Ipſe [f] Baſſacum concedit, medio inter Andini caſtra et Jarnacum itinere: ſed tam pedites quam equites hoſpitia aſſignata a metatoribus incommoda cauſati alio diverterunt, magno errore et ſuorum detrimento. Nam eà re factum, ut ſtationes ad tranſitum regiorum impediendum diſpoſitae infirmiores eſſent, quam ut eos laceſſere et valenter repellere poſſent, aut etiam metum injicere quaſi tota prima Proteſtantium acies adeſſet, quod erat Colinii conſilium. Conſummato Bironi diligentia ponte, media nocte ſine ſtrepitu regii trajicere coeperunt: qua re vix ante diluculum a L circiter ſtationariis equitibus animadverſa, ſerius monitus Colinius, quod unum poterat, ſuos per laxiora hoſpitia diſperſos viciſſim monet, ut ad ſe Baſſacum quamprimum contendant, quo conjunctim honeſtius ſe in regiorum conſpectu recipiant, peditatu interim cum impedimentis praemiſſo. Et, ſi quidem illi matutius ad ſigna conveniſſent, citra jacturam Colinius ſe in tutum recipere potuiſſet: ſed, tribus amplius horis conſumptis, antequam Gabriel [g] Mongomerius et [h] Pluvialius ſuos collegiſſent, nam [i] Acierius aliud iter ingreſſus Engoliſmam verſus deflexit, vix omnes ad horam nonam convenerunt, jam regio exercitu fere tranſmiſſo, et incaleſcente inter eos et ultimum Proteſtantium agmen, quod cum IIII equitum vexillis Franciſcus [k] Lanovius claudebat, proelio. Condaeus, qui aciem ducebat, et jam in eo erat ut ſe reciperet, ad rei famam ſuos ſiſtit. Vix leucam dimidiam confecerat Lanovius, cum cuneo regiorum ingruente valide impellitur: verum ab Andeloto proximo opportune exceptum primum impetum citra damnum ſuſtinuit: ſed, cum ulterius pergentibus gravior numeroſiorque cuneus haud multo poſt incubuiſſet, ducibus [l] Guiſio, [m] Martigio, Joanne Sutchio Malicornio, et Briſſaco, ipſe, poſtquam ſe viriliter diu defendit, equo dejectus, in regiorum manus devenit, et cum eo [n] Loeus. Copiae in Andelotum proturbatae ſunt, qui ſumma virtute non ſolum incumbenteis ſuſtinuit, ſed [α] Briſſacum cum damno repulit. In eo conflictu periere ex regiis Jacobus [o] Valaguerius Monſalceſius, Jo. [p] Billius Prunaeus, alii: ſed mox, recentibus ſcloppetariis ſupervenientibus, Baſſacum a regiis receptum, et ab illis ita pro tempore munitum, ut inde pelli poſtea non potuerint. Quod ubi ex Andeloto cognovit Colinius, per [q] Montacutum Condaco ſignificat, e re videri, ut, quod e prima acie penes ſe haberet, confeſtim promoveret: quod ille impigre fecit; et infra colliculum ad ſiniſtram aciem inſtruit. Heic Colinius primus impreſſionem facit, praemiſſo [r] Turrio Caſtellerio, qui paulo ante claſſe [s] Rupellam reducta ad Condaeum venerat. Is cum primam aciem ad pugnam ſortiter

VAR. LECT. [α] Baſſacum D. f. *ſed rectius forſan* Baſſaco. *Vide* Popelin. l. 25. fol. 83.
INTERPR. [a] *de Piles.* [b] *la Charente* [c] *Jarnac.* [d] *de Gontaut de Biron, mareſchal de camp.* [e] *Chateauneuf* [f] *Baſſac.* [g] *le comte de Montgomery.* [h] *de Pluviaut.* [i] *d'Acier.* [k] *de la Noüe.* [l] *Henri, duc de Guiſe* [m] *le vicomte de Martigues, Jean de Chourſes ſieur de Malicorne, & le comte de Briſſac.* [n] *de la Loüe.* [o] *de Balaguier, ſieur de Monſalez.* [p] *de Billy, ſieur de Prunay.* [q] *le baron de Montagu.* [r] *la Tour du Chaſteiller Portaut.* [s] *la Rochelle.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX. fortiter capeſſendam hortaretur, ipſe ante alios pugnans, equo ſuffoſſo, everſus et captus eſt, proque eo, qui [a] Charrium Lutetiae ante quinquennium interfecerat, agnitus ſtatim occiditur. Jamque regii, qui fere omnes tranſmiſerant, ad laevam late effuſi ſpargebantur, ubi [b] Subizius, Anguillarius, Pluvialius Clavaeus et alii e [c] Pictonum nobilitate ſtabant. Certatum ibi acriter, ſed iniquiore Proteſtantium prope inter fluvium et regios interceptorum, qui numero vincebantur, conditione. Captus Subizius, qui mox cuſtodum manibus evaſit, et Anguillarius: [d] Meſanchærius et Brandonerius in ipſo pugnae calore confoſſi ſunt.[e] Interjacebat agger ſtagno impoſitus, quem Proteſtantes adhuc tuebantur: verum ii, Germanorum equitum incumbente cuneo, tandem cedere coacti, ſolutis ordinibus fuſi ſunt: quod indigne ferens Condaeus, cum CCC equitibus ad ſuos converſus, tali eos oratione compellat: En vobis, quod fruſtra ſaepius antea optaſtis, pugnandi copiam neceſſitas facit. Quod a conſilio et a ducum ſolertia ad communem ſecuritatem deſiderari potuit, id abunde, quantum in illis fuit, praeſtitum eſt. Nunc reſtat, ut loci et temporis anguſtias, in quas nos belli caſus conjecit, et alias, quae occurrunt, difficultates animis ac virtute ſuperemus. Jam oppoſitam aciem ab Andeloto inclinantem vidiſtis: eam nunc a Colinio rurſus concuſſam nos, ſi animis ac viribus connitamur, Deo propitio, evertemus. Is eſt, qui exercituum Deus cognominari amat, qui bonam cauſam ſemper tuetur, qui praeſenti patrocinio nunquam ſuos deſtituit, noſque hodie proteget, ſi modo in ipſo, cujus auſpiciis arma pro animarum libertate ſumpſimus, fiduciam collocemus. Nam heic cauſa ejus praecipue agitur, quo minus ad ingentem hoſtium numerum exhorreſcere exigua manus debemus, qui mox flatu illius momento diſſipabuntur. Pugnandi non deliberandi hora inſtat: neque jam de receptu, niſi poſt partam victoriam, cogitare licet. Quicquid erit, commilitones, ſi quidem res proſpere cadant, quod plane confido, id ut ad Dei gloriam, ſin contra, quod avertat ille, ut in meum unius caput redundet, eum ipſum belli ac victoriarum diſpenſatorem oro obteſtorque. Quibus dictis, imperterrito vultu ſigna inferri jubet; tantaque vi impreſſionem fecit, ut obvios quoſque ordines ſolveret. Sed jam eum toto exercitu adveniente Andino, a majore numero undique circumfuſus et poſt acerrimum ac ſaepius reſtitutum certamen, dum ante alios pugnat, nullumque non ſolum ducis ſed militis officium hortando, pugnando et ordines circumeundo praetermittit, tandem deſertus a ſuis, equo ſuffoſſo et ſupra incumbente, oppreſſus eſt. Ibi [e] Eparchium Tiſonem Argentium et Sanjanium conſpicatus, et quis eſſet, reducta galea, profeſſus, eorum ſe fidei permiſit. Verum illi cum de vita ſalva fidem viciſſim interpoſuiſſent, quo minus eam ſervare potuerint, in cauſa fuit [f] Monteſquius Andini ſtipatorum ductor; qui mox non ſine occultis, ut creditur, mandatis advenit, et cum ipſis colloquentem Condaeum a tergo aggreſſus ſclopeto in cervicem adacto confecit. Hic exitus fuit Ludovici Borbonii Condaci, regiae ſtirpis; viri ſupra natalium ſplendorem magnitudine animi ac virtute illuſtriſſimi; qui fortitudine, conſtantia, ingenio, ſolertia, rerum uſu, comitate, facundia, liberalitate, quae omnes ſimul virtutes in illo uno excellebant, paucos aequaleis, neminem ſua aetate vel inimicorum confeſſione ſuperiorem [α] habuit. Hujus morte, quam multorum clarorum virorum mortes et aliae clades eodem hoc anno ſecutae ſunt, cum Proteſtantium vires prorſus concidiſſe crederentur, Colinii unius conſtantia et prudentia rurſus praeter omnium opinionem erectae ſunt: eoque res devenere, ut bellum, quod plena victoria finem habiturum putabatur, tandem per pacificationem componi oportuerit. Periere eo proelio praeter jam memoratos ex Proteſtantibus

VAR. LECT. [α] habuit: ad haec, religionis quam profitebatur, non ambitione, cujus alioqui excelſum ſupra quam dici poſſet illius ingenium maxime capax fuerat, ſed inſito pietatis ſtudio obſervantiſſimus fuit. Hujus morte *MS. Sanm.*

INTERPR. [a] *le capitaine Charry.* [b] *de Soubize, Languillier, & Pluviaut de Claveau.* [c] *de Poictou.* [d] *Meſanchere & Brandamere.* [e] *Cibar Tiſon, ſieur d'Argence, & de St. Jean.* [f] *de Monteſquiou.*

CIↃIↃLXIX.
CAROLUS IX.

Proteſtantibus Chriſtophorus [a] Rupichuartius Chandenerius, Julius [b] Bellomontius Riuſſius, [c] Beſſo major natu, [d] Tabarerius junior, [e] Baretus, [f] Melereus, et L circiter ex Pictonum nobilitate. Praeterea [g] Montejanus, [h] Cantelmus Duglaſſius et Cornelius Scoti, [i] Augerius Morinerius ductor peditum, qui rari eo die deſiderati ſunt: nam fere certamen equeſtre fuit; et pauci pedites atque adeo ſola [k] Pluvialii legio proelio interfuerunt. [l] Robertus Stuartus Scotus, qui Annam Momorantium equitum magiſtrum proelio [m] Sandionyſiano ante biennium occidiſſe dicebatur, captus et poſtea pugionum ictibus confoſſus eſt. [n] Corboſo Mongomerii frater, et [o] Guerchius graviter vulneratus in regiorum poteſtatem venit. Permutatus poſtea cum [p] Seſſaco [q] Lanovius: quod Corboſo, qui cum eodem permutari petierat, graviter ferens, deſertis Proteſtantibus, ſe deinceps domi continuit. Ex Proteſtantibus occiſi CCCC: ex regiis numerus duplo minor. Praecipui ex iis deſiderati [r] Monſalceſius, Prunaeus, Ingrandius, Picus Mirandulanus comes, Moretus comes, Moncanurius, Lignerius is qui [s] Autricum Carnutum ſuperiore anno defenderat, alii. Colinius et Andelotus, cognita Condaci morte, cum nullam fugae ſiſtendae et pavoris demendi ſpem viderent, cum delecta, quae ex certamine ſuperabat, nobilitate ad dextram flectentes, diverſo a fugientibus itinere [t] fanum Joannis eo die venerunt. Pediratus a Condaeo praemiſſus, cum res ad neceſſitatem proelii ſpectare intellexiſſet, ut ſuis praeſto eſſet, itinere converſo Jarnacum repetebat; quo ubi pervenit, nuncio cladis accepto, paene a regiis fugientium tergo inhaerentibus oppreſſus, tamen ſatis temporis habuit ad fluvium trajiciendum: quo trajecto, pontes mox abrupti ſunt, ut eos inſequi victor non potuerit. Id actum III Eid. Mart. quo die Andinus victor Jarnacum venit, quo et Condaci corpus aſellae ad ludibrium impoſitum illatum eſt; deinde [t] Bencarni principi redditum, qui illud poſtea [u] Vindocini in majorum monumento recondi curavit. Andinus, tanta victoria juveniliter exultans, poſt grates publice actas, etiam de ſacello in loco, in quo Condaeus occubuerat, exſtruendo impetum ceperat, auctore Claudio [v] Sanctio nobili concionatore, qui poſtea Ebroicenſis epiſcopus fuit. Verum meliore conſilio uſus, et a Franciſco [w] Carnavenoio perſuaſus, qui rumorem, quaſi ipſius juſſu interfectus eſſet, ea re firmari aiebat, mutavit; nunciumque proſperi proelii quam citiſſime ad regem fratrem perferendum curavit. Is tunc [x] Diviodurum in Mediomatricibus venerat, ut [y] Aumalio ad auxiliaris Germanici exercitus avertendum ingreſſum cum copiis miſſo praeſentia ſua opitularetur. Media nocte nuncio accepto, e lecto ſurrexit, et ad majus urbis templum cum aulico comitatu confeſtim pergens [z] canticum B B. Ambroſii et Auguſtini recitari juſſit: regio dein mandatu ſupplicationes paſſim per regnum decretae. Poſt Baſſacenſem pugnam qui e clade ſuperfuerunt profugi ad [aa] Cognacum ſub noctem pervenere; quo et [bb] Acierius cum C peditum ſignis, qui proelio non interfuerant, venit, et cum eo [cc] Baudineus frater, Blaconus, Chellarius, Mirabellus, alii. Ex equitum ductoribus [dd] Mongomerius et [ee] Rupifulcaudius Caldomontius cum aliis aderant.

V. [ff] NAVARRAEA virili ingenio foemina eo confeſtim advolavit, et coram procerum coetu frequenti ac militum corona orationem firmandis eorum animis habuit, laudata Condaci, qui in defenſione tam juſtae cauſae fortem ſimul et fidam operam

INTERPR. [a] *de Rochechoaart, ſieur de Chandenier* [b] *de Beaumont, ſieur de Rieux.* [c] *l'ainé des Beſſons* [d] *le puiſné de la Tabariere.* [e] *Barrette.* [f] *la Meleraye.* [g] *de Montejun Breton.* [h] *Cantel Douglaſe & le capitaine Corneille, Eſcoſſois.* [i] *Auger de la Morniere.* [k] *Puviaut.* [l] *Stuart.* [m] *de S. Denis* [n] *le ſieur de Corbaſon, frere du comte de Montgomery.* [o] *de Guerchy.* [p] *le ſieur de Seſſac.* [q] *de la Noüe.* [r] *de Monſalez, les barons de Pranay & d'Ingrande de la maiſon de Billy, Pic comte de la Mirandole, le comte de Moret, de Moncanure, & de Lignerés.* [s] *Chartres.* [t] *S Jean d'Angely.* [t] *Bearn.* [u] *Vendoſme.* [v] *de Saintes, evêque d'Evreux.* [w] *de Carnevenoy ou Carnavalet.* [x] *Mets.* [y] *le duc d'Aumale.* [z] *le Te Deum* [aa] *Cognac.* [bb] *Jacques de Craſſol, ſieur d'Acier.* [cc] *les ſieurs de Beaudiſner, de Blacons, du Chelar, & Mirabel.* [dd] *le comte de Montgomery.* [ee] *Antoine de la Rochefoucaud, ſieur de Chaumont ſur Loire.* [ff] *la Reine de Navarre.*

CIↃIↃLXIX. operam ad mortem uſque navaſſet, virtute ac conſtantia; ejuſque exemplo ceteros
CAROLUS IX. hortatur, ut conſtantiam retineant, et ad veritatem ac patriae libertatem tuendam, quae ſceleratis inimicorum armis petantur, animos obfirment: nam in Condaeo minime intermortuam eſſe bonam cauſam, neque eo caſu viros pios animis ſpem omnem abjicere debere: Deum ſuae cauſae ita proſpexiſſe, ut comites Condaeo, dum vixit, dederit, qoi ei e vivis ſublato mox praeſenti ac parabili remedio ſuccederent: Benearni principem, atque adeo ipſius Condaei filium, qui ut paterni nominis ſic etiam virtutis heres ſit, adeſſe: quos et alios praeterea proceres nunquam bonae cauſae defuturos confidat. Haec illa apud exercitum et proceres, privatim apud filium multa acuendo juveoili ingenio prolocuta, [a] Rupellam ad ſubſidia nova paranda redit. Poſtea inter duces deliberatum, quid facto opus eſſet; atque in primis, quo loco ſeponi placeret priocipes, ſic Henricum Benearni principem et Henricum demortui Condaei filium, quorum auſpiciis poſtea bellum adminiſtratum fuit, appellabant. Et multi cenſebant, tutiſſimum illis perfugium fore [b] Engoliſmam, ſitu et arte munitiſſimam urbem, et extra oppugnationis metum poſitam. Alii illis manendum Cognaci dicebant, ne, ſi longius abſcederent, copiae jam caſu Baſſacenſi conſternatae plane animum deſponderent, et ex deſperatione huc illuc, oppido relicto, dilaberentur. Tandem decretum, ut principes [c] Mediolanum Santonum deducerentur, ubi, vocatis Colinio et Aodeloto, in commune conſultaretur: interim praecipui ductores Cognaci manerent ad obſidionem ſuſtinendam, ſi caſus ferret, parati. Igitur, illis Mediolanum profectis, mox ſupervenere Colinii fratres, ex quorum ſententia placuit, ut tamdiu ibi colligendis animis et reficiendis viribus ſubſiſterent, dum de ſucceſſu oppugnationis Engoliſmae et Cognaci, quo regios ducturos rumor erat, ex eventu cooſtaret: tum obviam auxiliaribus Germanis proficiſcereotur; quibus interim mandaretur, ut in itinere oppidum aliquod [d] Ligeri tranſmittendo opportunum occuparent, aut vi expugnarent. Inde a Coliniis fratribus principes [e] Joannis Angeriaci fanum deducti ſunt, quod is locus tutior videretur, [f] Chelario cum valido praeſidio impoſito. [g] Pilius Mediolani ſubſtitit cum copiis ſuis, donec [h] Pontium proficiſci juſſus eſt, ſubſtituto in ejus locum [i] Blacooo, qui urbem cum ſua legiooe tueretur. Engoliſmam miſſus Mongomerius cum XIIII equitum turmis; quae, dum ante urbem diutius morantur, ſuos praeſtolantes, incumbente Briſſaco, qui eas inſecutus fuerat, fuſae ac, pleriſque in foſſam urbis praecipitantibus, diſſipatae ſunt. Capta II vexilla, et ex ducibus [k] Caldomootius.

VI. ANDINUS interim caſtra [l] Cognaeum verſus promovet, tormentis etiam adductis, [m] Martigio et Briſſaco poſt tantam victoriam nihil ſuae virtuti invium credentibus. Sed Blaconi juſſu aperto ſepti muro cum de improviſo obſeſſi in regios impetum feciſſent, C amplius ex illis interfecerunt. In oppido erant VII CIↃ recentium peditum, qui cladis nuper acceptae nullo, niſi per famam, ſenſu tangebantur. Tandem per crebras eruptiones fatigatis regiis, ex quibus CCC amplius deſiderati, ab obſidione diſcedi placuit. Progreſſo ulterius Andino, et Proteſtantibus quaſi io arctum compulſis, regii in [n] Pictonibus conſcriptis III CIↃ peditum, ducibus [o] Pigallario et Bouileo Andium et Namnetenſium praefectis, [p] Montacutum [q] Tremollianorum oppidum, quod a [r] Pleſſio homine avaro et ſecuro tenebatur, corona cingunt, C. [s] Roaldo Landereo inſtigante, qui capto eo Proteſtantium audaciam refraenatum iri et excurſiones omnino impediri poſſe affirmabat. [t] Condivicino advecta tormeota, et ad molatrinam, quae Namnetenſem portam reſpicit, foſſa promota. Biduo ab incepta pulſatione Pleſſius, ne dedecori ſuo ſupereſſet, febre an ex moerore animi

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Angouleſme.* [c] *Saintes.* [d] *la Loire.* [e] *S. Jean d'Angely.* [f] *du Chelar.* [g] *de Piles.* [h] *Pons.* [i] *de Blacons.* [k] *de Chaumont.* [l] *Cognac.* [m] *le vicomte de Martigues, & le comte de Briſſac.* [n] *Poictou.* [o] *de Puy-gaillard & de Boilé, gouverneurs d'Angers & de Nantes.* [p] *Montagu.* [q] *les ſieurs de la Tremoille.* [r] *du Pleſſis la Gayne.* [s] *de Rounult, ſieur de Landereau.* [t] *Nantes.*

CIƆIƆLXIX.
CAROLUS IX.

animi incertum deceſſit: quo mortuo, [a] Broſſius cum XL circiter, qui [b] Niortio antea profugerant, et illuc perſugium habuerant, loco praefuit; ſeque gnaviter initio cum eo hominum, quem penes ſe habebat, numero defendit, aliquoties eruptione cum damno regiorum facta. Eodem tempore Landereus [c] Tiſaugium ducit, quod eſt [d] vicedomini Carnutum oppidum, olim populoſum, nunc infrequens, ſed arce ſuperimpoſita firmum; quae inde [e] Sura amne, inde ſtagno ſubjecto clauditur; ab aliis partibus ſaxo praerupto fere inacceſſa, ad haec muro et turre ingenioſe conſtructa contra hoſtileis impetus tuta. Loco praeerat [f] Moterius Caſalius junior cum XL defenſoribus: ſed, exorta inter eum et [g] Griphonem arcis procuratorem diſſenſione, cum neque ſtipendia procederent, et commeatui minime proſpiceretur, ſenſim milites alii alio dilapſi. Itaque [h] Priolus, eo a vicedomino miſſus, cum milite et re omni neceſſaria deſtitueretur, deditionem facere coactus eſt, falſo perſuaſus a [i] Landereo, [k] Montacutum, quod III abhinc leucis diſtat, jam deditum eſſe. Loco impoſitus [l] Guionerius; qui mox arcem omnem incendio, ne Proteſtantibus uſui eſſet, deformavit. Haud multo poſt [m] Creſſonerius [n] Foreſtam ad Suram arcem firmam vi cepit, non ſine ſuorum jactura, in obſidione amiſſo Moterio. Landereus Montacutum reverſus, cum nihil pulſatione profectum hactenus per abſentiam ſuam videret, tormenta alio transferendi auctor fuit ſtagnum verſus; ubi cum ingens ruina, et quae ab obſeſſis defendi non poterat, edita eſſet, monitis tintinnabuli pulſu praeſidiariis, ut ſe in arcem reciperent, oppidum [o] Pigallario paruit. Loco a furente milite direpto, mox juſſi, qui arcem tenebant, ſe dedere, Baſſacenſis cladis terrore intentato, quo fiebat, ut auxilii omni ſpe deſtituerentur. Itaque urgente inutili turba, quae aſſiduis lamentis, ploratibus et ejulatibus defenſores fatigabat, tandem aequis conditionibus vitam, libertatem et res ſalvas pactus Broſſius locum deſerit. Spoliati tamen plerique, et retenti quidam, qui niſi pretio exſoluto libertatem reciperare non potuerunt. Poſt irritam [p] Cognaci obſidionem, Andinus, cum [q] ad Joannis Angeriaci fanum progreſſus cuncta loca vaſtaſſet, [r] Engoliſmam verſus retro iter flectit; cujus intercipiendae ſpes illi injecta erat a tribunis quibuſdam, qui intus erant. Sed, cum de re ſuboluiſſet Colinio, ex ejus ſententia G. [s] Mongomerius paulo ante in urbem miſſus fuerat, et [ſ] Sanmemmius, qui urbi praeerat, et [t] Monbrunii et Mirabelli legiones ſecum habebat. Igitur diruto [u] ſepti muro, ut libere noctu per pomoerium diſcurri poſſet, obviam clandeſtinis conſiliis itum eſt. Itaque Andinus, re deſperata, inde diſcedit pridie Eid. April. et, capta in itinere poſt aliquot dierum pulſationem [v] Alba-terra arce munitiſſima, in [w] Petrocorios tranſit, miſſo Briſſaco, qui [x] Mucidanum [y] Granmontanorum oppidum, diu ante a Blaſio [z] Monlucio et Franc. Scarſio obſeſſum, in poteſtatem redigeret. Praeſidiarii, cum jam diu oppidum tenuiſſent, poſtremo, eo incenſo, in arcem confugiunt; in qua poſt violentam pulſationem et factam ruinam aliquot impetus magna animi praeſentia ſuſtinuerunt, occiſo etiam [aa] Pompadoreo ex primaria [bb] Lemovicum nobilitate: cujus deſiderium impatienter ferens [cc] Briſſacus, cum ipſe ruinam inſpicere et foſſam oculis metiri ſtatuiſſet, parma et galea tectus ultra vallum progreditur, et dum incogitantius os retegit ſcloppeti ictu in capite accepto exanimatur, magno ſuorum deſiderio, qui juvenem illuſtri patre natum et vix XXVI annum egreſſum, jamque in illa aetate ad maximos honores ac dignitates pleno gradu properantem, morte praematura interceptum lugebant. Certe, arce poſtmodum a praefecto vitam et res ſalvas ſuis pacto dedita, recens occiſi dolor fecit, ut fides praeſidiariis minime ſervata fuerit. Nam ipſi, cum primum oppidi conſpectum amiſerunt, continuo ad

unum

INTERPR. [a] *la Broſſe.* [b] *Niort.* [c] *Tiſauges.* [d] *du vidame de Chartres.* [e] *la Seure.* [f] *Moterie Caſau le jeune.* [g] *Griſon, procureur du vidame.* [h] *le capitaine Prion.* [i] *de Landereau.* [k] *Montagu.* [l] *la Guionere.* [m] *la Creſſoniere.* [n] *la Foreſt ſur Seure.* [o] *Puygaillard.* [p] *Cognac.* [q] *S. Jean d'Angely.* [r] *Angouleſme.* [s] *le comte de Montgomery.* [ſ] *le ſieur de Meſmes.* [t] *de Monbrun & Mirabel.* [u] *le Parc.* [v] *Aubeterre.* [w] *Perigort.* [x] *Mucidan.* [y] *les ſieurs de Gramont.* [z] *de Montluc & d'Eſcars.* [aa] *de Pompadour.* [bb] *Limouſin.* [cc] *le comte de Briſſac.*

CIƆIƆLXIX. unum omnes a furente milite trucidati ſunt. In ea obſidione deſiderati et Baptiſta

CAROLUS IX. [a] Carnaſecus et Ludovicus [b] Alamannus Florentini.

VII. ID incidit in tempus, quo Navarrus ſummum ſe foederati Proteſtantium exercitus ducem profeſſus eſt, adactis in fidem ſacramento proceribus. Andelotus poſt luſtratas exercitus profligati reliquias, in quo IIII CIƆ equitum recenſita ſunt, reſpirandi ſpatio ad hunc uſque diem ſumpto, cum delectis copiis in [c] Pictones deſcendit, ut pecuniam ad uſus neceſſarios undique et maxime ex ſacro patrimonio pararet, ac res Proteſtantium paulum labeſactatas iis locis inſtauraret. Is igitur cum [d] Mirabello et Caſa ex illuſtri Pontiorum familia fratribus, Franciſco [e] Angenneo, II equitum alis, [f] Sanmegrinii, Lamuſſonis et Montamarii legionibus Kal. Maii Landereum fruſtra intercipere conatus, Montacutum uſque fugientem inſecutus eſt; quod facile deditum non perinde tam ſtrenuo defenſore recipi potuit. [g] Cliſſo etiam fruſtra tentatus Odeti [h] Avaugurii, qui ex Britanniae noſtrae principibus ortus cum II ſignis illud regis mandatu tuebatur, ad [i] Suram, qui haud hinc longe in [k] Ligerim influit, ſitus. Inde, oſtentatis tantum per provinciam viribus, [l] Andelotus [m] Mediolanum Santonum revertitur; ubi febre ardenti ac peſtilenti correptus, quales fere eo tempore paſſim graſſabantur, incertum an ex veneno, ultimum diem clauſit VI Kal. Jun. vir prudentia, aequitate ac rei militaris ſcientia inter Gallos praecipuus, et cujus morte, ut nuper Condaei, ſummopere labeſactatas Proteſtantium vires cum cuncti merito exiſtimarent, tamen Colinii, in quem totum belli onus recumbebat, virtute reſtituta res eſt; qui, nec primarii principis nec conjunctiſſimi fratris amiſſione animo fractus, ſe ſummae rerum ſuſtinendae, cujus partem antea tantum attingere putabatur, vel inimicorum judicio parem oſtendit. Andelotus Claudiam Riuſiam in uxorem duxerat, [n] Lavallenſis et Riuſiae domus, quae duae ſunt in [o] Armorica ampliſſimae et opulentiſſimae familiae, heredem; unde Lavallenſis comes, qui hodie eſt, genus ducit, qui, relicto avito nomine, gentile et adoptivum illuſtriſſimae familiae aſſumpſit. Poſt ſummi viri mortem Jacobus [p] Bucardus, vir et pace et bello clarus, qui rei tormentariae praepoſitus erat, in eadem urbe deceſſit: quo mortuo, praefectura tormentorum Joanni [q] Hangeſto Ivoco genero demandata eſt, cum ejus frater Franciſcus [r] Jenlius paulo ante [s] Argentinae obiiſſet, ex animi, uti jactabatur, moerore, quod Ludovicum [t] Lanoium Morvillerium in copiarum Gallicarum, quae auxiliaribus Germanis ſe adjunxerant, ſumma praefectura ſibi praelatum doleret. Is, cum nullos ex Iſabella [t] Urſina liberos reliquiſſet, fratrem bonorum et tituli primarii nobiliſſimae familiae heredem reliquit: itaque eum deinceps Jenlium appellabimus. Summa peditatus praefectura, qua Henricus II Andelotum olim ob merita ſua donaverat, Jacobo [u] Cruſſolio Acierio pro tempore a principibus attributa eſt; quam contra rex, Briſſaco nuper extincto deſtinatam, Philippo Strozzio, proxima cognatione cum regina parente conjuncto, et Petri ſummi bello ducis filio, attribuit, adjuncta etiam peditatus [v] Sub-alpini, quam Briſſacus peculiari titulo obtinebat, praefectura.

VIII. TUNC allatum eſt de [w] Ocellorum arce, cui Joannes [x] Gaius cum XX praeſidiariis praeerat, ad radices [y] Cottiarum Alpium munitiſſima paulo ſupra [z] Suſionem, a Proteſtantibus Aprili menſe intercepta, duce [aa] Columbello Gratianopolitano homine ſtrenuo. Is cum delecta manu ſummo mane locum incuſtoditum, quem vi aperta vix legitimus exercitus longo tempore expugnaſſet, in poteſtatem nullo negotio redegit, trucidatis praeſidiariis. Sed, quam feliciter rem confecit, tam ſolote

ac

INTERPR. [a] *Carneſecchi.* [b] *Alamanni.* [c] *Poictou.* [d] *le baron de Mirembeau, & la Caſe, de la maiſon de Pons.* [e] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [f] *de St. Megrin, la Mouſſon, & Montamart.* [g] *de Cliſſon.* [h] *d'Avaugour.* [i] *la Seure.* [k] *la Loire.* [l] *d'Andelot.* [m] *Saintes.* [n] *de Laval & de Rieux.* [o] *Bretagne.* [p] *de Boucard.* [q] *de Hangeſt, ſieur d'Ivoy.* [r] *le ſieur de Genlis.* [s] *Strasbourg.* [t] *de Lanoy, ſieur de Morvilliers.* [t] *des Urſins.* [u] *de Cruſſol, ſieur d'Acier.* [v] *de Piedmont.* [w] *Exilles.* [x] *de Gaye.* [y] *Mont Geneure.* [z] *Suſe.* [aa] *Colombel de Grenoble.*

ac licenter poſtea ſe geſſit, in templis expilandis ac imaginibus confringendis quam CIƆIƆLXIX.
de loco muniendo et commeatu firmando magis ſolicitus. Itaque, cum ad rei caſum CAROLUS IX.
magnus viciniae toti pavor injectus eſſet, [a] Ruſſellus et Caſeta, qui [b] Brigantionem arcem haud hinc longe munitiſſimam tenebant, conſcripto ſtatim milite, locum corona cingunt, occupato ſubjecto oppidulo, quod [c] Duria alluitur; nec ſolum ex regia ditione ſed etiam Sabaudiae ducis fit hominum ingens ad eam concurſus: cujus is exitus fuit, ut, cum vis fruſtra ſaepius facta fuiſſet, tandem obſeſſi ab hoſte ſeenti penuria, extrema commeatus poſt menſem exactum laborare coeperint; cumque ſub id tempus [d] Fremigius ordinum ductor, a Proteſtantium religione non alienus, ob idque de induſtria delectus a Ludovico [e] Birago Ludovici Gonzagae [f] Nivernii ducis legato, miſſus eſſet, qui cum Columbello de deditionis conditionibus ageret, jam luctante cum fame milite, auditus eſt, et ſcriptis legibus, quibus vitam et res ſalvas ſibi ac ſuis Columbellus paciſcebatur, arx deditur. Fides ſervata Columbello; non etiam ceteris, qui ſtatim egreſſi ad unum omnes trucidati ſunt. Ille captus et poſt dimiſſus Genevam perfugium habuit. Sub id miſſus [g] Pilius cum II CIƆ peditum, qui [h] Meduleniem inſulam, per litus [i] Santonicum inter [k] Burdigalam et Rupellam porrectam, occuparet; quod ille impigre fecit, magna praeda abacta. Inde [l] Burgum ad Duranium ducit, magni momenti ad commeatus ſubvectionem oppidum, quod praemiſſis [m] Sora rei maritimae apprime perito et [n] Roboreo, qui [o] Neuſtria ob religionem pulſi nuper Anglia Rupellam venerant, intercipere conatus cum fruſtra fuiſſet, quippe loco ſummiſſis in tempore a B. Monlucio ſubſidiis egregio defenſo, a principibus revocatus obſidionem ſolvit, amiſſo Dominico [p] Provana Valfenerio magnae virtutis tribuno, qui eruptione a praeſidiariis facta, cum propria inſignia non geſtaret, inter certandum a ſuis per errorem interfectus eſt.

IX. INTEREA Wolfangus [q] Baioarus Bipontinus dux per Gervaſium [r] Barbetium Francurium a Condaeo rogatus cum exercitum conſcripſiſſet, ei a Friderico ſeptemviro gentili ſuo cum ſummo imperio dux deſtinatus eſt, [1] ut in Gallia laborantibus foederatis praeſto eſſet: cumque provideret fore, ut in varias non ſolum apud regem ſed et apud externos principes reprehenſiones ob id incurreret, ab [s] Aumalio, qui, ut tranſitum ejus impediret, miſſus fuerat, per literas interpellatus, non ad ipſum ſed ad regem [α] [1] IX Kal. Mart. prolixum ſcriptum dedit: et, excuſata conſcripti exercitus neceſſitate, nimirum, ut fineis ſuos ſuperioribus annis militaribus copiis per eos tranſeuntibus populatos ac direptos tueretur, Navarraeum ac Condaeum et qui eandem cum ipſis doctrinam in Gallia profitentur apud ſe de injuriis graviſſimis conqueſtos dicit, quod bonis fortuniſque et, quod minus tolerabile ſit, in conſcientiarum libertate contra edicti nuper promulgati fidem affligentur, introductis in regnum in ipſorum perniciem peregrinis copiis, et in iis anguſtiis opem ſuam flagitaſſe; quod eis in tam juſta cauſa nec oportuerit nec debuerit denegare; quippe cum pro regni quiete ac ſalute propria, non ad turbandam Galliam, neque contra regem, ſed adverſus publicae pacis hoſteis arma ſumpſerint: nam conſtare ſibi de ipſorum cauſae bonitate et aequitate, et quae contra illos paſſim jactentur meras calumnias eſſe; ac meminiſſe eadem de ipſis ſuperiore bello apud Jo. Caſimirum ſobrinum ſuum ab adverſariis praeter veritatem conficta, quorum vanitas ex edicto mox condito apparuerit, quo rex cuncta ab illis facta ac ſuſcepta tanquam recte ac ſuo juſſu in regni bonum facta approbat: itaque teſtari ſe, tam pro tenuiſſimis quibuſque eandem ſecum religionem

VAR. LECT. [α] XI *D. f.*

INTERPR. [a] *de Rouſſel & de la Caſette.* [b] *Briançon* [c] *la Doire.* [d] *le capitaine Fremige.* [e] *de Biragne.* [f] *Nevers.* [g] *de Piles.* [h] *Iſle de Medoc.* [i] *de Saintonge.* [k] *Bourdeaux & la Rochelle.* [l] *Bourg ſur Dordogne.* [m] *Sore.* [n] *Rouvray.* [o] *Normandie.* [p] *de Provane, ſieur de Valfenieres.* [q] *de Baviere, duc de Deux Ponts.* [r] *Barbier de Francour.* [s] *le duc d'Aumale.*

NOT. [1] Lege XI *Kal.* C. V. Pop. l. 16. p. 92.

religionem colentibus, quam pro Navarraeo et Condaeo, ſicuti ex charitatis Chriſtianae officio teneatur, cum exercitu auxiliari regnum ingredi, fide obligata, ſi quidem illi aliud quam religionis et conſcientiarum libertatis tuendae propoſitum habere comperiantur, ſe protinus, iis relictis, in regis, cui in omnibus rebus bene velit et vero inſervire paratus ſit, caſtra tranſiturum: jamque ſe diſcedere paratum, dummodo Proteſtantibus in Gallia conſcientiarum plena libertas permittatur, cum libera dignitatum ac facultatum poſſeſſione, et ipſis eo nomine idonee caveatur: quod ſi fiat, ut oſtendat, non privatae utilitatis cauſa in Galliam veniſſe, ſe ſumptus in hanc militiam factos, quamvis c aureorum CIↃ exſuperent, liberaliter condonare: quae rationes ſi minus audiantur, ex hoc ſcripto intellecturos omneis, ſe abunde officio defunctum, et incommodorum, quae inde in regnum importari neceſſe ſit, culpam minime in ſe ac ſuos derivari debere. Iis literis a [a] Bipontino ad regem datis, cum eas in Gallicam lingnam factioſi quidam transferrent, multa inſarſerunt aſpera et peracerba et offenſionis in regem regiſque fratrem plena de caede Condaei, quae prudentiſſimus princeps et in ponderandis verbis accuratiſſimus, poſtea, tanquam ſuppoſititia et ab ingenio ſuo, urbanitate ac cultu, quo regem proſequebatur, prorſus aliena, per ſuos refutavit. Poſtridie quam ſcriptum dedit, cum pars copiarum Rhenum tranſmiſiſſet, ipſe [b] Tabernis montanis ditionis ſuae oppido diſcedit; et pridie Kal. Mart. [c] Hocheſeldum in praefectura [d] Haganoenſi ſitum pagum pervenit; quem locum pro diribitorio equitum delegerat; in eoque uſque ad Eid. ejuſdem menſis ſubſtitit. Ibi luſtrato exercitu et in fidem adacto, cenſiti ſunt, ut ex codicillis militaribus conſtitit, VII CIↃ IↃ XCVI equites, non putatis equis curulibus: praecipui duces Franciſcus [e] Harrocurius, Gillius Sonnebergus, Willelmus Hedecus, Balthaſar Dierbachius, Reinhardus Cracovius, Joannes Buechus, Joannes Derſius, Henricus Steinius, Ludolfus Heinbrukius, qui nomine Juſti comitis [f] [α] Schomburgii CCLXXIX ducebat, Carolus [g] Mansfeldius, et Theodoricus [h] Schombergius: peditum egregie inſtructorum ſub XXVI ſignis VI CIↃ, ducibus Quirino [i] Gangolfo Hohengerolſekii barone Bipontini vicario, Jo. Jacobo [k] Granvillario, qui Belgicis bellis contra nos Philippo operam addixerat. Praefectura caſtrorum demandata [l] Meinardo Schombergio. Bipontinus, qui univerſis praeerat, [m] Wolradum Mansfeldium Caroli fratrem legatum dixerat. His ſe adjunxere ex Gallis et Belgis [n] Willelmus Naſſovius Arauſionis princeps et Ludovicus ac Henricus fratres et aliquot turmae equeſtres; ii praeterea, quos dixi, [o] Morvillerius, Jo. [p] Hangeſtus Jenlius, Ant. [q] Claromontius Renelii marchio, Claudius Antonius Viennenſis Clarovantius, Oſſonvilleus, Duillius, Arturus Valdraeus Moios, Sternaeus, Fequierius, Bricomotius, Autricurius, Lantius, alii, qui ad IↃC equites efficiebant, quibus praeerat Morvillerius; IↃCCC item ſcloppetarii, quos Bricomotius junior ducebat. Ii cum per Alſatiam iter facerent, [r] Argentinenſis epiſcopus, qui vereretur ne Condaeanorum male nuper acceptorum memoria ſibi fraudi eſſet, obvia benevolentia et commeatu copioſo Bipontinum excepit. Aumalius viribus inferior quam ut Bipontinum ingreſſu regni prohibere poſſet, per [s] Sequanos [t] Ciſtertium uſque Germanos, qui juxta [t] Monſtrolium Araris fluvium tranſmiſerant, inſecutus eſt. Ad [u] Gillicum haud longe a Ciſtertio acriter certatum, aequato fere utrinque damno: nam CC hinc inde cecidere.

Ad

VAR. LECT. [α] Sconburgii *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le duc de Deux Ponts.* [b] *Berg Zabern.* [c] *Hochefeld.* [d] *le Bailliage de Haguenau.* [e] *de Harancour, G. de Sonnenberg, Guil. baron de Heideck, B. de Dierbach, Reinhard de Cracow, J. de Buech, J. de Ders, H. de Stein, L. de Heimbruck.* [f] *le comte de Schaumburg.* [g] *le comte Charles de Mansfeld.* [h] *de Schomberg.* [i] *Gangolf, baron de Hohen-geroltzeck.* [k] *Granvillars.* [l] *Meinard de Schomberg, mareſchal de camp.* [m] *le comte Wolrad de Mansfeld, lieutenant general.* [n] *Guillaume, comte de Naſſau, prince d'Orange.* [o] *de Lanoy, ſieur de Morvilliers.* [p] *de Hangeſt, ſieur d'Ivoy, appellé, depuis la mort de ſon frere ainé, ſieur de Genlis.* [q] *de Clermont marquis de Renel, de Vienne ſieur de Clervant, d'Oſſonville, de Duilly, de Vaudray ſieur de Mouy, d'Eſternay, de Fequieres, de Briquemaut, d'Autricour, le baron de Lanty en Bourgogne.* [r] *de Strasbourg.* [s] *la Franche Comté.* [t] *Ciſteaux.* [t] *Monſtreuil ſur Saone* [u] *Gilly.*

CIƆIƆLXIX.
CAROLUS IX.

Ad VIII Kal. April. [a] Belnam tendunt; ubi biduum morati, dum carri et cetera impedimenta advenirent, [b] Vezelias caſtra promovent. Heic Aumalius, re deſperata, ab inſequendis Germanis deſtitit, et per [c] Autiſſiodorenſem agrum ad [d] Ligerim deflectit, ut eos tranſitu prohiberet, ibique cum Andino, quem eum toto exercitu illuc venire intellexerat, ſe conjungeret. Is ante [e] Genabum venerat, et ſecum praeter Gallicas copias Germanorum auxiliarium equitum V CIↃ habebat, [a] quorum primarii duces erant Philibertus marchio Badenſis, duo [f] [g] Dietzil ex Heſſo ſpurii, Weſterburgius, Leiningius, Rheni [y] comites fratres. [g] Bipontinus, vado indicato juxta [h] Pullium in agro Nivernenſi ab Antonio [i] Marraſino Guerchio Colinii vexillifero, qui nuper in proelio Baſſacenſi captus, et poſtea ab Andino domum remiſſus fuerat, cum partem copiarum Ligerim tranſmiſiſſet, de [k] Charitaeo in poteſtatem redigendo cogitare coepit, loco opportuno ad copias, cum opus eſſet, citra periculum ultro citroque trajiciendas. Oppidum eſt in citeriori Ligeris ripa loco plano ſitum, forma fere quadrata, undique muro debili et raris turribus cinctum: qui deſectus profunda ac lata foſſa ſupplentur, quae tamen ab ea parte, qua amnem reſpicit, aſſurgit, et cum planitie ſubjecta confunditur. Oppido pons lapideus ingentis operis, et trans pontem ſuburbium ſubeſt hortis et viridariis omni fructiferarum arborum genere conſitis peramoenum. Ab ea parte admotae III colubrinae; et a Moio ad turreis angulareis et oppoſitum murum directa verberatio, quae praeſidiarios ab intermedii muri defenſione arceret. Tum alia ad [l] turrem Nivernenſem a Bipontino cis flumen directa pulſatio, quae et murum ad [m] portam uſque S. Petri porrectum quaſſaret. Facta ruina, is qui loco praeerat territus, praetextu auxilii ab Andino petendi, re vera, ut ſe periculo ſubduceret, juxta pudendo ac pernicioſo conſilio clam noctu aufugit; ejuſque diſceſſu turbati oppidani mox, urgente hoſte, colloquium poſcunt: acciditque, ut, dum colloquuntur utrinque delegati, quidam ex oppidanis, qui Proteſtantibus favebant, ſigno dato, funem demiſerint, per quem hoſtes alius poſt alium enixi oppidum trepidum occupaverunt XIII Kal. Jun. ſed Gallorum ducum auctoritate effectum eſt, ut miles noſter a direptione abſtineret, et oppidum Germanis loco menſtrui ſtipendii, quod promiſſum ſibi et non repraeſentatum querebantur, in praedam concederetur. Deſideratus in ea obſidione [n] Paſſus Fequierius, dux bello impiger et locorum expugnandorum apprime gnarus. [o] Caſtelletus Duillius Franciſci [p] Deſpaei equitum tribuni gener, illuſtri loco in Lotharingia natus, ex morbo in caſtris eodem tempore obiit. Capto oppido Guerchius cum II peditum ſignis et aliquot equitibus imponitur. Inde duces, relictis mortariis et colubrinis, et inſtructis ceteris machinis, ſe in viam dant.

X. JAM ante regina [q] Ratiaſtum Lemovicum ad filium Borbonio et Lotharingo cardinalibus comitata venerat: cumque ſimul ad [r] Oblineam in Biturigibus proceſſiſſent, conſultatum fuit inter regios coram ipſa, quid in adventu Bipontini facto opus videretur: et, penſitatis hoſtium conſiliis, ſic judicabant omnes; eo pertinere Bipontini in [s] Aquitaniam profectionem, ut conjunctis cum Navarraeo viribus res Proteſtantium iis provinciis hoc bello multum amplificatae magis firmarentur: quod Navarraeam maxime urgere exiſtimabant, ut in [t] Benearni poſſeſſionem, qua paene ſpoliata erat, militari manu reſtitueretur: aut ipſi mox unitis viribus, Aquitania relicta et praeſidiis firmata, Ligerim ad Charitaeum rurſus tranſmitterent, et, per Burgundiam itinere facto, novas copias, quas, ductore Joanne Caſimiro duce, exſpectare

VAR. LECT. [a] *Hinc ad* Bipontinus, vado *duae lineae, in quibus ducum nomina recenſentur, deſunt* D. d. [g] Dietzii, nati ex illuſtriſſima Heſſorum principum familia, Weſtemburgius, Leiningius *D.* f o. [y] comites et Baſſompetra. Bipontinus *D.* f o.

INTERPR. [a] *Beaune.* [b] *Vezelay.* [c] *l'Auxerrois.* [d] *la Loire.* [e] *Gien.* [f] *les comtes de Diez, fils illegitimes de Philippes Landgrave de Heſſe, les comtes de Weſterburg & de Leiningen, & les Rhingraves.* [g] *le duc de Deux Ponts.* [h] *Pouilly au Nivernois.* [i] *de Maraſin, ſieur de Guerchy.* [k] *la Charité.* [l] *tour de Nevers.* [m] *porte de S. Pierre.* [n] *de Paz, ſieur de Fequieres.* [o] *du Chaſtelet, ſieur de Duilly en Lorraine.* [p] *le mareſchal de Vielleville.* [q] *Limoges.* [r] *le Blanc en Berry.* [s] *Guienne.* [t] *Bearn.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

exſpectare dicebantur, acciperent, et cum iis aut proelii aleam tentarent, aut, ſi regii detrectarent, Lutetiam uſque pergerent, eoque regem adigerent, ut foedam pacem iniquis conditionibus offerre cogeretur. Quibus conſiliis turbandis optimum viſum eſt, uti rex undique copias, quam maximas poſſet, in unum cogeret, et auxiliareis ex Italia miſſis nunciis accelerare juberet, et cum iis inſtando et aſſequendo, non ſolum urbibus et oppidis ſed vicis ac pagis infeſtis, hoſtem continuo fatigaret, eademque belli ratione uteretur, qua nuper [a] Albanus [b] Arauſionenſem cum auxiliari Germanorum exercitu per Belgium incedentem tota provincia citra univerſum certamen pepuliſſet. Unum regios male habebat, quod vererentur, ne, hoſtili exercitu Lutetiam verſus procedente, Colinius in [c] Aquitania remaneret, et Anglis foederatis viam ad invadendas illas a tergo relictas provincias aperiret: ideoque rem proelio, ſi ſe occaſio in manus daret, committendam plerique ſuadebant, cunctationem regi perniciosam rati; ſed contra alii diſſerebant, et periculum impendere, ſi pugna decerneretur, multis rationibus oſtendebant. Quid enim fore, ſi Germani, qui regi militent, contra Germanos certare detrectent? quid ſi ipſi, qui a Proteſtantium partibus ſtant, ſpectatores ſedere quam manus conſerere malint? nam confligentibus Gallis, in utram partem victoria inclinabit, cum certamine cruento debilitatum, quamvis victorem, Germanorum praedam fore. Itaque prior ſententia obtinuit, ut citra periculum hoſtis crebris aſſultibus peteretur; et, ſi fieri poſſet, [d] Bipontinus, ne ſe cum foederatis conjungeret, impediretur. Eo conſilio [e] Andinus tranſitu [f] Vigennae prohibendo juxta [g] Ratiaſtum Lemovicum praeſidiarios impoſuerat, quibus a [h] Moio et Autricurio, qui ad vadum explorandum praemiſſi fuerant, obtruncatis, facilis Bipontino aditus ad ſocios patuit. Nam Colinius cum ſuis ſtatim poſt nuncium de Charitaei expugnatione acceptum jam ſe in viam dederat, ut optime merito de ſe principi obviam honorifice procederet, et vireis ſociaret. Is, [i] Lanovio ad res Aquitaniae componendas relicto, dum per [k] Engoliſmenſem agrum et Petrocorios iter faceret, Antonium [l] Rupiſulcaudium Caldomontium cum delecta peditum manu praemiſerat, qui [m] Nantronium Navarraeae oppidum, quod ab xxc militibus tenebatur, in poteſtatem redigeret. Loco vi capto, id actum VII Eid. Junias, et trucidatis praeſidiariis, iter ſuſceptum perſequuntur, ablegato inde Mongomerio comite, qui [n] vicecomitum inter ſe diſſidentium exercitui cum ſummo imperio praeeſſet, et B. Monlucii ac Joannis [o] Lomanii Terridae magnos progreſſus in Benearni pago facientis conatibus reſiſteret.

XI. DUM in eo ſunt, et de ſecuro Vigennae tranſitu allatum eſſet, magna Germanorum laetitia in caſtris fuit, quae ducis morbo et ejus mox ſecuta morte valde turbavit. Bipontinus corpore gravis, cum diu ante quartana laboraſſet, ex itineris fatigatione gravius aegrotare coepit; tandemque [p] Neſſunii III a Ratiaſto leucis inter [q] Ludovici Naſſovii comitis manus exſpiravit III Eid. Jun. annos XLIII tantum natus, cum prius ſuos ad bellum pro communi cauſa et idem ſentientium principum ac ſociorum libertate ſuſceptum fortiter perſequendum hortatus eſſet, et [r] Wolradum Mansfeldium, qui ei legatus erat, ſummum armorum ducem dixiſſet. Corpus exenteratum [s] Engoliſmam honorifice perlatum; et poſtea in patriam relatum, et in majorum tumulo conditum fuit. Quatriduo poſt ambo exercitus convenere, majore admiratione an gaudio incertum, reputantibus utriſque quantis periculis expoſiti, et Germani praecipue, qui a Rhèni finibus, hoſte inſequente, per infeſta ſemper loca incedentes in Galliam ingreſſi, tranſmiſſis tot fluviis, ad intima uſque Aquitaniae incolumes perveniſſent. Poſt gratias a Navarraeo et Condaeo actas foedus renovatum,

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *le prince d'Orange.* [c] *Guienne.* [d] *le duc de Deux Ponts.* [e] *le duc d'Anjou.* [f] *a la Vienne.* [g] *Limoges.* [h] *de Mouy & d'Autricour.* [i] *de la Nouë.* [k] *l'Angoumois & Perigort.* [l] *de la Rochefoucaud, ſieur de Chaumont ſur Loire.* [m] *Nantron.* [n] *les vicomtes.* [o] *de Lomaigne, ſieur de Terride.* [p] *Neſſon.* [q] *le comte Ludovic de Naſſau.* [r] *le comte Wolrad de Mansfeld.* [s] *Angouleſme.*

renovatum, cuſa aurea moneta, in cujus antica parte Navarraeae et Henrici filii expreſſa effigies erat cum elogio, in poſtica, PAX CERTA. VICTORIA INTEGRA. MORS HONESTA. Quae tamen belli exitus minime comprobavit. VII Kal. Jun. rurſus [a] Vigennam ad [b] Aeſſum [c] Scarſiorum oppidum juncti ſimul tranſmittunt. Eo [d] Locus cum nonnullis ſcloppetariis miſſus cum [e] Roboteo, qui regios tranſitum impedituros ſummoveret: et regii primum acri pugna conſerta Proteſtanteis pepulerunt; ſed mox illi, receptis animis, certamen reſtituunt, et regios, occiſis amplius ex iis C, in fugam vertunt. Nonnullorum ibi dierum ſtativa habita reficiendis ex longi itineris fatigatione Germanis. Inde ad [f] Aredii fanum in Lemovicibus Proteſtantes proceſſerunt; perſolutoque Germanis menſtruo ſtipendio, exercitus luſtratur. CIƆIƆLXIX. CAROLUS IX.

XII. ANDINUS ad [g] Rupembellam, dimidio abhinc milliari, caſtra poſuit IX Kal. Quintil. ubi cum tot animae diu conſiſtere ob ſterilitatem loci commode non poſſent, erant quippe in Andini caſtris bellatorum XXX CIƆ, in Proteſtantium XXV, tandem ad commeatum parandum laxius hoſpitia regii deligere coacti ſunt. Paulo ante auxiliares copiae a Pio V miſſae in Andini caſtra ad [h] Joannis fanum venerant: in iis erant IIII CIƆ peditum, IƆCCC equites; quibus cum ſummo imperio praeerat S. Sfortia [i] comes Sanflorius, ob ſingularem rei militaris peritiam tanto muneri par a pontifice nihil gratiae dante delectus; CIƆ item pedites, duce Fabiano [k] Montano, Balduini Julii III fratris filio; et CC equites, ducibus Franciſco [l] Somma Cremonenſi et Alberto Pio, a Coſmo Florentinorum duce, pontifice auctore, conducti. Huic militiae nomen dederat Bernardus [m] Corbinellus, Jacobi illius, non minus ingenii elegantia quam rara eruditione praediti, quem nos Lutetiae vidimus ac dileximus, frater; homo ſtrenuus, qui, quod conjurationi cum Pandolfo [n] Puccio initae participaſſe diceretur, per Aurelium [o] Sanctium graſſatorem [p] Molinii in Boiis ante triennium inſidiis petitus fuerat. Verum Sanctius comprehenſus et rem confeſſus capite luerat. Tunc vero per [q] Leonellum comitem ab Oddis Peruſinum et Conſtantinum quendam, dum ad Sanfloriani [α] caſtra ſimul cum Franciſco [r] Jacomino proficiſceretur, in via Lugdunenſi juxta [s] Paliſſam interfectus eſt. Ipſi Bernardo caput a percuſſoribus abſciſſum: quod percuſſores ſacco incluſum, repetito ſtatim per Lugdunum itinere, per diſpoſitos equos in Italiam properantes Florentiam ſecum aſportaverunt. Interea Itali, qui ad Andini caſtra venerant, ut virtutem ſuam noſtris approbarent, crebris velitationibus cum Proteſtantibus confligebant. Erant Andini caſtra loco plano poſita, ſed molli clivo in valleis deſinenti, undique foſſa et vallo munita, niſi ab ea parte quae Aredii fanum reſpicit; qua et profundior vallis ſuberat, quae rurſus in collem aſſurgebat, in quo regiae machinae diſpoſitae erant, ab Helvetiis defenſae. Ad collis radices rivulus et ſcatebrae fluebant, quarum aquae ſtagnum colli ſubjectum efficiebant. Trans aggerem ſtagno imminentem Andinus ſtationem firmam impoſuerat, II legionibus ad id deſtinatis, quibus praeerant [t] Barta et Goas, adhuc recenti Briſſaci peditatus univerſi praefecti morte atrati, qui, ſi quid inopinati accideret, ad ſepimenta et caſtaneta vicina receptum habebant, collocato a tergo equitatu, et delecto peditatu, qui laborantibus ad omneis caſus praeſto eſſet. Quo cognito, Colinius, qui Andini ſemper ulterius progredientis conatibus praevertere famae et ſecuritatis ſuae intereſſe exiſtimabat, eo quam primum ducit cum toto exercitu.

XIII. IPSE primum cornu ducebat; in quo erant Joannes [t] Subizius, [u] Laſinius Bellovaſius,

VAR. LECT. [α] caſtra ſimul proficiſcerentur, in via Lugdunenſi juxta Paliſſam cum Franciſco Jacomino Florentino interfectus eſt. *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *la Virune.* [b] *Eſſ.* [c] *les ſieurs d'Eſcars.* [d] *de la Louë.* [e] *Rouvray.* [f] *St. Irier en Limouſin.* [g] *Roche d'abeille.* [h] *S. Jean de Lavron.* [i] *conte di Santa fiore.* [k] *di Monte.* [l] *Somma Cremonois & Alberto Pio.* [m] *Corbinelli.* [n] *Pucci.* [o] *Sauti.* [p] *Moulins en Bourbonnois.* [q] *il conte Leonelli de l'Oddi Peruſino.* [r] *Giacomino.* [s] *la Paliſſe.* [t] *la Barte & Goas.* [t] *le ſieur de Soubize.* [u] *Jean de la Fin, ſieur de Beauvoir la Nocle.*

Bellovaſius, Franciſcus [a] Bricomotius, Locus, Telinius, et cum delecta Germanorum manu [b] Ludovicus Naſſovius. Aciem ducebat Franciſcus [c] Rupiſulcaudius; in qua Navarraeus et Condaeus erant, Arauſionenſis princeps, Henricus Naſſovius ipſius frater et Wolradus Mansfeldius. Latera cingebant, inde dextrum [d] Baudineus et Pilius cum ſuis legionibus, inde ſiniſtrum [e] Roboreus et Pouillius, quos deſtinatae ad id equitum turmae ſequebantur. Germani pedites aciem tegebant, et machinas bellicas ſecum trahebant. Tam vicinis caſtris, tanta ſecuritas regios inceſſerat, ut non, niſi ex captivo paulo ante dimiſſo, dum redit, de hoſtis, quamvis cum toto exercitu incedentis, adventu, antequam propinquaret, cognitum ſit. Tum ad arma tumultuario, ut in ſubitis fit, conclamatum, et ſepimentis emiſſi ſcloppetarii, qui ſtationes in aggere poſitas ſuſtinerent. Pugnae initium a Pilio factum: et Piliani primum ante alios progreſſi a conglobatis regiis pelluntur; ſed mox illi ſupervenientibus ſociis intra ſepimenta contrahuntur, ex quibus per clathros et inter caſtaneta tecti in Proteſtanteis non ſine damno ejaculabantur. Ita aliquandiu certatum, donec numero victi regii, nam interea totus hoſtilis exercitus advenerat, de receptu ad ſuos, ſed ſerius, cogitare coeperunt. Dum in eo ſunt, et vix a ducibus vicinis auxilii ſpem certam facientibus retinentur, ſupervenit cum ccc circiter delectis ac praecipuis tribunis et centurionibus Philippus ipſe Strozzius, nuper Gallici peditatus praefectura donatus; qui, et paterna et ſua virtute fretus, ad haec aemulatione Briſſaci nuper mortui, quem crebro in colloquiis milites requirere non ſine aliquo animi morſu ſentiebat, incitatus, ſingulos appellando et ipſe ante alios pugnando pervicit, ut certamen jam intermiſſum reſtitueretur; effecitque, eo die ſpecimine fortitudinis ſuae edito, ut miles Briſſaci deſiderium in poſterum patientius ferret. Igitur Strozzii patientia firmati milites cum impetum in Pilianos feciſſent, pulſi illi rurſus, et ſolutis ordinibus a ſuperveniente Somma Cremonenſi cum ala equitum obtriti, pugnam ambiguam reliquerunt. Pilius ipſe a ſuis deſertus mortis periculum adiit, ab exiguo numero circumventus: quod conſpicatus Colinius recenteis immittit, qui feſſis et jam fugientibus ſuccederent; et, cum huc uſque a fronte tantum pugnatum eſſet, circumire vicum, et per latera in ſepimenta vim facere jubet. Miſſus ad id [f] Ramerius ſtrenuus ordinum ductor, et poſt eum Roboreus et Pouillius, qui per ſtagni ripam circumducto milite per latus et a tergo regios invaſerunt. Tum vero mutata rerum facies; et Strozziani undique circumventi, cum vim hoſtium ſuſtinere non poſſent, poſt obſtinatum certamen incumbente hoſtili equitatu, ducibus Joach. [g] Vaſſorio Cogneo et Franciſco [h] Angenneo Corileo, fuſi ac omnino diſſipati ſunt. [i] Sanlupius Strozzii legatus et [k] Rupilaureus ſumma virtute duces interficiuntur: ipſe Strozzius, cum nullum ducis, integris adhuc ordinibus, et, ſolutis iis, militis munus praetermiſiſſet, vix Proteſtantium, qui ira magis quam ſpe praedae inflammati paucis eo die pepercere, rabiem evaſit: tandem captus, et, poſtquam agnitus eſt, ad Colinium perducitur. Ex regiis deſiderati amplius cccc; et in iis L circiter tribuni ſeu centuriones: ex Proteſtantibus circiter L; et in iis [l] Tremetmundus et Fontanus ordinum ductores. Ne equitatus hoſtilis ulterius in fugienteis inveheretur, imbre continuo ac moleſto prohibitus eſt, ſcloppetis madore corruptis, et peditatu certamine ac pluvia fatigato: quo et factum, ut diſperſi regii, nemine inſequente, ſe ad ſuos recipere potuerint. Poſtridie, ut pridiani certaminis ſucceſſum elevaret, [m] Nemoroſii dux cum levi armatura et cccc Italis in caſtra hoſtium vim facere tentavit; quos ob loci incommoditatem et penuriam commeatus diſceſſuros putabat: verum, cum eos in armis offendiſſet, fruſtra fuit; et cum damno repulſus eſt. Haec acta XVII et XVI Kal. Jul.

XIV. Eo

INTERPR. [a] *de Briquemaut, de la Louë, & de Teligny.* [b] *le comte Ludovic de Naſſau.* [c] *le comte de la Rochefoucaud.* [d] *les ſieurs de Beaudiſner & de Piles.* [e] *Rouvray & Pouilly.* [f] *le capitaine la Ramiere.* [g] *le Vaſſeur de Cognée.* [h] *d'Angennes de Rambouillet, ſieur du Coudray.* [i] *le capitaine St. Loup.* [k] *de Roquelaure.* [l] *les capitaines Trememond & la Fontaine.* [m] *de Nemours.*

XIV. Eo tempore fœderati, jam collectis omnibus copiis, ut ſuae cauſae innocentiam regi magis approbarent, libellum ſupplicem ad eum mittendum decernunt; quo, repetita ſuperiorum bellorum memoria et rejecta eorum in Guiſianos et ceteros publicae quietis hoſteis culpa, arma ſe pro conſcientiarum libertate, vita ac fortunis, quas ab illis peti aiebant, coactos ſumpſiſſe teſtabantur; petebantque a regia clementia, ut liceret Proteſtantibus per univerſum regnum cum bona ejus gratia libere convenire, vitam, bona ac dignitates ſecure poſſidere, eoque nomine ſibi idonee caveretur: quod ſi fieret, ſe protinus ab armis diſceſſuros oſtendebant. Perferendo ad regem libello deſtinatus erat [a] Leſtrangius, qui cum commeatum ab Andino ad id peteret, ille ad regem ſe perſcripturum reſpondit. Cum vero rex Andini arbitrio, ſi id e re ſua fore judicaret, rem permiſiſſet, ille rurſus protelationibus petitiones fœderatorum diu eluſit. Igitur ex Colinii conſilio libelli exemplum ad Franciſcum Momorantium equitum tribunum, qui in aula erat, virum antiqui moris et tranquillitatis publicae apprime ſtudioſum, ſed ob proximitatem cum Condaeo et Coliniis ſuſpectum, mittitur. Is continuo ad Colinium reſcribit, datis [b] Aureliano XIII Kal. Sextil. literis; quibus ſignificabat, nullum libellum aut conditiones a Proteſtantibus regem accepturum, priuſquam in gratiam cum ipſis rediiſſet, iique viciſſim ad officium et obſequium rediiſſent. Quibus literis acceptis, Colinius ſexto poſt die rurſus alias ad Momorantium [c] Monſtrolio-Bonino dat: et, quando nullae rationes admittantur, principum ac ſociorum nomine proteſtatur de injuria, quae ſibi a publicae tranquillitatis hoſtibus fiat; Deumque teſtem et Chriſtianos omneis principes appellat, invidiamque calamitatum inde obventuram a ſe deprecatur; et ſocios curaturos dicit, ut publicae et privatae rei idoneis remediis in poſterum diligentius proſpiciatur. Interea deliberatione inter belli duces in Andini caſtris habita, placuit ad reficiendum militem, ut copiae per praeſidia ad aliquod tempus diſtribuerentur, dum nobilitas domum ad vireis colligendas et pecuniam parandam profecta alacrior in caſtra reverteretur. Condicta omnibus dies ad XVIII Kal. Sept. qua cuncti ad ſigna convenirent. Proteſtantes contra, ſive quod receptus non ita commodos haberent, ſive ut otio tumultuanteis Germanos labore bellico fatigatos in officio continerent, et, regiis ceſſantibus, fortunae beneficio uterentur, in Petrocorios tranſgreſſi V Kal. Sextil. [d] Tiverim veniunt, et [e] Brantolmium coenobio nobile oppidum deditione capiunt; tum [f] Petrocoriorum epiſcopi [g] arcem et alteram Capellam dictam vi expugnant, CC circiter militibus ſeu ruſticis in ea occiſis. Ineunte dein Sextili, tranſmiſſa ad [h] Confluentiam [i] Vigenna, [k] Chabannaecum [l] vicedomini Carnutum oppidum ducunt, quod [m] Plancius a B. Monlucio cum peditum ſigno impoſitus tenebat. Is ſpe proximi auxilii a Monlucio impletus deditionem facere jubentibus fœderatis recuſavit. Itaque admota tormenta; quorum diſploſione turre majore dejecta, ipſe, qui arci ſpatioſae defendendae parem numerum bellatorum non haberet, in partem magis debilem ignem injicit, qui vento glomeratus Proteſtantibus impetum facientibus cum fumum in oculos defenſorum torqueret, illi et numero et adverſo vento victi poſtremo expugnati ſunt. Capta arx, occiſis fere praeſidiariis. Plancius ingenti promiſſo pretio, ac praeterea Petrum [n] Viretum [o] Benearni a Monlucio captum libertati ſe reſtituturum pactus, ſe redemit. Sub id tempus Ludovicus [p] Lanoius Morvillerius, qui in equitatus Gallici praefectura [q] Jenlio praelatus fuerat, ex morbo [r] Engoliſmae deceſſit. Mox et [s] Geneſii fanum a [ſ] Moio pacto receptum, quod X CIϽ librarum ſe a direptione redemit. Andinus, relicta [t] Veſuna Petrocoriorum, per [u] Lemovices facto itinere cum [v] Lochias in Turonibus veniſſet, militem dimittit,

INTERPR. [a] *l'Eſtrange.* [b] *Orleans.* [c] *Monſtreuil Bonnin en Poictou.* [d] *Tiviers.* [e] *Brantome.* [f] *Perigueux.* [g] *Chateau l'evêque, & la Chappelle.* [h] *Conſolant.* [i] *la Vienne* [k] *Chabanes.* [l] *le vidame de Chartres.* [m] *le capitaine la Planche.* [n] *Viret.* [o] *Bearn.* [p] *de Lanoy, ſieur de Morvilliers.* [q] *François de Hangeſt, ſieur de Genlis.* [r] *Angouleſme.* [s] *S. Genais.* [ſ] *de Mouy.* [t] *Perigueux.* [u] *Limouſin.* [v] *Loches en Touraine.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

dimittit, juſſis cunctis ad Kal. Oct. ad ſigna convenire, prorogato ad reficiendas vireis tempore.

XV. DUM haec in Lemovicibus ac Petrocoriis agerentur, Vidus [a] Dallonius Ludae comes in [b] Pictonibus non ceſſabat; qui cum V CIↃ peditum, quorum IIII ſigna ſub [c] Onuxio militabant, IIII tormentis muralibus, et aliquot colubrinis, receptis in itinere [d] Cerveſio et Magneo [e] Sangelaſii arcibus, et occiſis ſeu fluvio merſis contra pacta, ut invidioſe jactabatur, praeſidiariis, ad [f] Niortium caſtra metatus eſt XII Kal. Quintil. Cum eo erant [g] Landereus, Grangius Marronerius, et primarii e Pictonum nobilitate. Juſſus et [h] Pigallarius Andium praefectus cum viribus, quas penes ſe habebat, Dallonio praeſto eſſe: cujus rei certior factus [i] Lanovius [k] Pluvialium cum VI peditum ſignis, ala equitum ſua, et aliquot ſcloppetariis equitibus, ut obſeſſis ſuppetias ferret, mittit. Is cum ad [l] Frontenacum [m] Rohanorum oppidum ſuis diem condixiſſet, cognito Dallonium viam inſidere, diſpoſitis ad [n] Fortium, qua tranſeundum erat, copiis, [o] Boſio praemiſſo, paulum a via deflexit, et incolumis Frontenacum pervenit; ubi relictis impedimentis, quo expeditior eſſet, ad iter ſe accingit, eo ordine, ut ipſe in fronte cum XII cataphractis equitibus ſtaret, peditatus ſubſequeretur, cujus latera hoſti objecta ſcloppetarii equites tegebant, loricati equites ultimum agmen clauderent. Ita conſerto agmine incedens hoſtem fefellit, majorem vero numerum credentem, donec jam propior eum primum turreis binas majoris urbis templi conſpicatus, Haec ſunt vexilla, inquit, in quae vos intueri, quae ſequi et ad quae tendere hodie oportet; huc animis, huc manibus pedibuſque nobis enitendum eſt, omnique ope laborandum, ut potius lucis quàm eorum conſpectum amittamus. Sane, quando non gloria aut decoris cupiditate incitaremur, nos periculum ſociorum admonere debuit, ne iis in tali occaſione deeſſemus; quos non belli ſolum eventibus expoſitos, quod viri ſtrenui facile contemnunt, ſed inimicorum odiis et ultioni privatae objectos, quae fortiſſimus quiſque exhorreſcit, deſerere juxta flagitioſum et impium eſt. Bonis ergo avibus, commilitones, pergamus, aut pulchre morituri aut certam perniciem a ſociis averſuri. Quibus dictis, ſuos inſtruit: et [p] Rupium Luparium ad laevam conſtituit; ipſe dextrum latus regendum ſumit, relicto [q] Stagnio legato in extremo agmine. Cumque VII equitum turmae in eos ex vico vicino incubuiſſent, Pluvialius, qui non tam certandi quam ad urbem penetrandi conſilium ceperat, levi pugna conſerta, ſemper iter perſequens tandem in urbem cum majore ſuorum parte pervenit: ſed, peditatu tardius inſequente, amiſſum unum ſignum, et C circiter interfecti; reliqui per vineas ſparſi saluti, qua poterant, conſuluere. Eodem die pulſata porta ponti impoſita et turres vicinae II tormentis. Praefectus urbis ictu ſcloppeti ſauciatus cum aliquot oppidanis: ruinaque nocte inſequenti utcunque obſtructa, tranſlata ad [r] turrem Spingalam tormenta, quam partem [s] Garguellaudius tuendam ſuſceperat, et, biduum continuata verberatione Garguellaudioque vulnerato, totis viribus inde ad ruinam, hinc eodem tempore ad adverſam urbis partem admotis ſcalis factus impetus; in quo poſt acre ſemihorae certamen [t] Membrolius praefecti legatus et XXV praeſidiarii interfecti: repulſi tamen regii majore cum damno; cumque a pueris, foeminis et imbelli ſexu ſumma ſedulitate ſarciendae ruinae opera impenſa eſſet, poſtridie verberatio ad diruendam omnino turrem redintegrata, cujus partem obſeſſi, partem regii jam tenebant. Sed accidit magno obſeſſorum damno ac paene exitiò, ut Pluvialius, dum diſcurrendo ad omneis caſus praeſto eſt, ex fragmine ingentis lapidis in ipſum tormenti ictu vibrato fere obrueretur; ex quo vulnere totos X menſeis poſtea decubuit, ad munia bellica inutilis:

INTERPR. [a] *de Daillon, comte du Lude.* [b] *Poictou.* [c] *d'Onoux.* [d] *Cherveux & Magné,* [e] *de St. Gelais.* [f] *Niort.* [g] *de Rouhaut, ſieur du Landereau, & la Grange Marroniere.* [h] *Puygaillard, gouverneur d'Angers.* [i] *de la Noue.* [k] *de Puviaut Claveau.* [l] *Frontenay l'abbatu.* [m] *les vicomtes de Rohan.* [n] *Chateau de Forts.* [o] *le capitaine Bois.* [p] *la Roche aiſné de la maiſon de la Louviere.* [q] *de l'Eſtang.* [r] *la tour de l'Eſpingale.* [s] *le capitaine Gargouillaud.* [t] *le capitaine Membrolle.*

inutilis: tunc vero pro mortuo habitus, et a ſuis, ne miles ex eo caſu animum deſponderet, celatus eſt. Reſtituto demum certamine, obſeſſi irrumpenteis regios fortiter ſuſtinuere, ac tandem repulere. Toto dein quatriduo continuata verberatio ad Pelleriam turrem; ſed aliquanto remiſſior, quod, pulvere tormentario deficiente, novus ex proximo convehendus in horas exſpectabatur. Nec ceſſabant obſeſſi, in ruinis ſarciendis aſſidui, et animis in ſpem regiorum repellendorum erectis; quibus et non mediocreis ſtimulos addebant continuae Pluvialii in lecto decumbentis crebrae et efficaces adhortationes et de ſperatis a [a] Lanovio ſuppetiis repetitae ſaepius promiſſiones. Id incidit in tempus Strozzianae cladis, de qua diximus; quo tempore Lanovius raras copias penes ſe habebat; qui tamen ne ſuis laborantibus deeſſet, a Franciſco [b] Folio Vigeano ſolicitatus, cum CCC equitibus et II peditum ſignis ad [c] Rupellae praeſidium deſtinatis, ac praeterea [d] Sanmegrinii, qui nuper Rupellae deceſſerat, legione aſſumpta, in viam ſe dedit, ea mente, ut ſummo mane urbem conſerto agmine ingrederetur. Sed cum, corruptis luto itineribus, ad tempus condictum omnes pedeſtres copiae non convenirent, ne nihil ageret, ad [e] Frontenaeum deflexit; ubi [f] Landerei, Richelii et Dantis alae ſe vallo muniverant; quo perrupto et vi diverſis locis facta, CCL occiſi, et impedimenta fere omnia capta. Tum Lanovius de ſuppetiis a Dallonio ſummiſſis certior cum praeda ſe recepit, et non intermiſſo itinere [g] Moſcum pervenit. Is caſus animos obſeſſis fecit, qui, cum poſtridie de impetu totis viribus a regiis faciendo certo cognoviſſent, ad eum ſuſtinendum viriliter ſe parant, ſpe injecta, ut poſt eum ſucceſſum Lanovius cum novis copiis ad eos liberandos advolaret. Edita duobus locis ingenti ruina, [h] Dallonius, qui de eventu vereretur, et obſeſſos omni auxilii ſpe deſtitutos in deditionem honeſtis conditionibus conſenſuros ſibi perſuaderet, treis centuriones mittit, qui eos ad colloquium invitarent. Sed, cum praefectus urbis imperterrito vultu ad poſtulata Dallonii reſponderet, ſibi a Navarraeo [i] Aquitaniae, quae etiam [k] Pictones amplectitur, praeſide impoſito non licere citra ejus voluntatem ulla de re paciſci; proinde petere, ut ſibi idoneum tempus concedatur, quo principes conſulere poſſit, ſanciris interim induciis; illi, re infecta, ad Dallonium redeunt; qui, omni alia ratione deſperata, aciem inſtruit, et ſtatim poſt meridiem tympanis pulſantibus et lituis clangentibus vim ad ruinam fieri jubet. Nocte praecedenti obſeſſi aquam per portas tranſverſas ſtiterant, quae regurgitans foſſam, per quam regiis tranſeundum erat, tanta altitudine impleverat, ut militem ad umbilicum uſque pertingeret; quo factum, ut, cum illuc ventum eſt, ordines ſervari non potuerint, ſed ſoluti, eoque ad impetum ſegniores, vix inde enataverint. Certatum tamen acriter: ſed, eo, qui praetorianum ſignum geſtabat, interfecto, paulatim animis concidere regii, ignibus artificioſis, oleo, aqua bulliente et ſaxorum imbre infeſtati, et retro pedem referre coacti ſunt, amiſſis pleriſque e ſuis; qui, trans aquam cum evaſiſſent, rurſus a ductoribus pudore revocati in eo fuere ut certamen reſtituerent: ſed pauci aquam rurſus ſuperare auſi, qui et occiſi ſunt. Praetorianum ſignum ab obſeſſis captum, et in urbem magna pompa et laetitia relatum eſt. Poſtridie in caſtris regiis deliberatum fuit, obſidioni haerendum an ab ea diſcedendum videretur. Et pleriſque placebat diſcedi; milite toties repulſo et ſegnius in dies rem gerente: ad haec per exploratores reſciverat Dallonius, Carolum [l] Telinium cum Carolo Mansfeldio Wolradi fratre IIII equitum Germanorum turmas ſecum trahente, adducta praeterea Franciſci [m] Bricomotii legione et delecta equitum manu, ut ſuppetias obſeſſis ferret, jam in itinere eſſe. [n] Pigallarius tamen, qui ex [o] Andibus copias adduxerat, ſuorum adhuc recentium virtuti

INTERPR. [a] *de la Noüe.* [b] *du Fou, baron du Vigean.* [c] *la Rochelle.* [d] *le vicomte de St. Megrin.* [e] *Frontenay l'abbatu.* [f] *du Landereau, de Richelieu, & de Dante.* [g] *Mosé* [h] *le comte du Lude.* [i] *Guienne.* [k] *Poictou.* [l] *de Teligny* [m] *de Briquemaut.* [n] *de Puygaillard.* [o] *Anjou.*

virtuti conſiſus, auctor fuit, ut denuo certaminis alea tentaretur; cenſuitque, ut impetus noviſſimus ad urbem fieret, antequam auxiliares advenirent. Res tentata: verum, obſeſſis tot proſperis ſucceſſibus et ſpe auxiliarium elatis, contra regiorum alacritate omnino paene extincta, Pigallariani quamvis recentes ceterorum ſociorum caſu conſternati minus fortiter pugnam capeſſivere, et ſe ad ſuos, paulum abſuit, ignominioſe receperunt. Deſiderati ex regiis in illa obſidione amplius cccc: ex obſeſſis L circiter. Dallonius [a] v Non. Quintil. vaſa conclamari jubet; et inſtructa acie incedendo, ne ab obſeſſis erumpentibus aut ſuperveniente Telinio quidquam damni acciperet, [a] Cerveſium incolumis primis caſtris pervenit, alteris [b] Maxentii fanum profectus; ubi, [c] Onuxio cum ſua legione, II tormentis muralibus ac totidem mediocribus relicto, [d] Luſinianum tranſit, eoque loco VI tormenta depoſuit, commendata arcis toto eo tractu munitiſſimae cuſtodia [e] Guroni et Cluſio fratribus, et relicto [f] Paleario cum IIII peditum ſignis: poſtremo [g] Auguſtoritum Pictonum conceſſit. Telinius, jam obſidione ſoluta, Niortium venit, Pluvialium in lecto decumbentem ſolatus, et, laudata praeſidiariorum et oppidanorum virtute ac conſtantia, diſcedit: eodemque tempore Colinius, qui pleroſque [h] Caſtri-Eraldi oppidanos Proteſtantium partibus favere in occulto intellexerat, tantumque ducem iis deeſſe, [i] Locum cum delecta manu mittit; qui, rebus in urbe ſuo advento turbatis, cum [k] Villerio praefecto tranſigit, et certis conditionibus eam Navarraei nomine in fidem IIII Eid. Quintil. accepit, ita ut, Villerius cum per unam portam egrederetur, Locus per alteram cum ſuis intraret.

XVI. Quo pacto, Maxentii fanum, quod obſeſſurum ſe ſimulaverat, praetervectus, Luſinianum v ab Auguſtorito leucis ducit, et oppidum primo impetu capit, Gurone in arcem cum ſuis confugiente, et pretioſa quaeque ſecum aſportante. Ea ſaxo undique praerupto et lato impoſita, qua extra oppidum prominet; duplici muro firmiſſimae ſtructurae ac craſſitudinis circundatur, ut a tormentorum ictibus nihil aut parum labeſactetur; ad haec foſſa admodum profunda, ut, quanquam ex collibus imminentibus in eam deſpectus ſit, difficillimo acceſſu adeatur. Qua oppidum reſpicit, triplici muro ac duplici foſſa cingitur. Loci firmitati confiſi plerique ex nobilitate et vicinis oppidis illuc, tanquam ad ſecuriſſimum perfugium, ſe cum liberis et omni gaza ſua contulerant, Auguſtoritum prae illa arce parvi aeſtimantes: ſed tum accidit, ut, machinis bellicis ac cetero omni apparatu apprime inſtructa, a milite laboraret, et, cum IIII ſigna ad defenſionem relicta eſſent, vix c bellatores reperti ſint. Igitur Eid. Quintil. quae in Veneris diem incidebant, advectis [l] Rupella et Talliaburgo II tormentis, aliquot mediocribus et campeſtribus, qualia ſunt quae Germani vulgo ſecum trahunt, verberatio coepta ex colle impendenti caedua ſylva conſito, qua tecti ſcloppetarii infeſta diſploſione in arcem ejaculabantur. Facta ingenti ruina, ad quam per ardua, expoſito ad hoſtileis ictus corpore, militi enitendum erat, [m] Pilius impetum faciendum cum ſua legione ſuſcipit; quem [n] Bricomotius et Vidus [o] Philippus Laſinius Noeleus, quiſque cum ſua equitum ala, ſubſequi debebant. Miſſi a Colinio [p] Bruelius et Roboreus, qui [q] clypeati propius locum, an idonee complanatus eſſet, inſpicerent; quorum ille diſploſo imprudenter a ſuis machinae ictu et lapidum ruina obrutus eſt: Roboreus vero, graviter vulneratus, cum Colinio renunciaſſet locum nondum idonee complanatum eſſe, redintegratur verberatio: tandemque imbre ſcloppetariorum defenſores exterriti, cum ad ruinae defenſionem non comparerent, Paleario forte ictu machinae in aerem in conſpectu hoſtium

INTERPR. [a] *Cherveux.* [b] *S. Maixent.* [c] *d'Onoux.* [d] *Luſignan.* [e] *de Guron & des Cluſeaux.* [f] *le capitaine Paillerie.* [g] *Poictiers.* [h] *Chatelleraut.* [i] *de la Loue.* [k] *de Villiers.* [l] *la Rochelle & Taillebourg.* [m] *de Piles.* [n] *de Briquemaut.* [o] *la Fin de Beauvoir la Nocle.* [p] *les capitaines Bruel & Rouvray.* [q] *la rondache au bras.*

NOT. [a] Lege VI. C. La Popeliniere l. 17. p. 105. f. v. dit que le comte du Lude leva ſon camp le ſamedy deuxieme de Juillet.

hoſtium rotato ac diſcerpto, quod magnam iis deſperationem injecit, de deditione CIƆIƆLXIX.
agi coeptum: et conditionibus honeſtis tandem arx, hactenus inexpugnabilis credita, CAROLUS IX.
et ab Anglis olim fruſtra tentata, Colinio tradita eſt XII Kal. Sextil. Quatriduo poſt egreſſi praeſidiarii, et qui cum iis erant; quibus religioſe promiſſa fides ſervata eſt; eoque exemplo primum privatis ultionibus, quae paſſim antea exercebantur, et mutuis lanienis finis impoſitus. F. [a] Pontius Mirambellus cum II ſignis arci praeficitur. Dum terra res geritur, in mari minime ceſſabatur. [b] Turrio, qui claſſi Proteſtantium a Condaeo praefectus erat, in Baſſacenſi pugna occiſo, Joannes [c] Sora ei ſuffectus, per oram maritimam diſcurrens, aliquot Luſitana navigia poſt acre certamen in [d] Breſti conſpectu in Armoricano tractu cepit; et Rupellam appulit, ubi et L circiter Anglos cuneorum agendorum et ſtruendorum omnis generis vallorum apprime gnaros expoſuit, qui magno uſui poſtea ſuis fuere. Inde rurſus XX navibus inſtructis, quarum praetoria Principis nomen praeferebat, rurſus ad piraticam faciendam ſe mari commiſit. Aliis et in regni partibus ſparſim bellum interim ardebat. [e] Caſtellio ad Lupam, a quo Gaſpari Colinio maris praefecto uſu noſtro nomen, ab A. [f] Gigone domini nomine tenebatur. Is menſe Maio praecedenti, cum Sarra [g] Martinengus Joannis [h] Tilii curiae protonotarii rogatu ex [i] Buſſeriana vicina arce eo duxiſſet, incenſo oppido et vento flammam in arcem jaculante, vitam ac res ſalvas pactus, eam dedidit, ſeque cum familia [k] Montargirium recepit, ubi Proteſtantibus pacate viventibus Renatae Ferrarienſis beneficio tutum perfugium erat: is etiam de conſervanda [l] Caſtellionaei copioſa et pretioſa ſupellectile et non exportanda Martinengi fidem obligaverat; quae tamen Quintili proximo Lutetiam convecta et publice ſub haſta vendita eſt. [m] Renardi caſtrum itidem Caſtellionaei oppidum, quod a [n] Fretinio Italo tenebatur, ad praedas per Lugdunenſe iter ac latrocinia diſcurrente, a Triſtano [o] Roſtinio illuc a rege miſſo in fidem acceptum eſt. Poſt Strozzianam dein cladem, cum Ludovicus [p] Bloſſetus, vulgo balbus dictus, cum aliquot e ſuis [q] Regeanum Autiſſiodorenſis epiſcopi arcem antea interceptam veniſſet, mox [r] Autiſſiodoro, a quo illa II leucis abeſt, [s] Villanova, [t] Juniaco concurrentibus praeſidiis obſeſſus, cum ſpatium colligendi vireis et animos non daretur, vix cum paucis evaſit: ceteri aut ſtatim trucidati, aut capti poſtea exquiſitis cruciatibus enecti ſunt; quos inter unus, cui [t] Cordiregio nomen, ob crebras incurſiones vicinis ſummopere inviſus, a furente plebe diſcerptus eſt, eique cor extractum, et ad ſatiandum Autiſſiodorenſium odium per urbis compita circumgeſtatum, publice ſub haſta venditum, ac poſtremo carbonibus impoſitum eſt; de quo etiam nonnulli inaudito immanitatis exemplo guſtarunt. [u] Laſſaeum quoque, Joannis [v] Ferrerii Carnutum vicedomini oppidum in [w] Cenomanis, a Jacobo [x] Gobione Matignono inferioris Neuſtriae praeſide obſeſſum, tandemque, advectis [y] Cadomo tormentis, duce [z] Lago arcis Cadomenſis praefecto, a [aa] Rupio, qui arci praeerat, deditum eſt. [bb] Firmitas denique Carnutum vicedomini arx munitiſſima in ſtagno ſita in agro [cc] Perticenſi ab eodem Matignono recepta eſt, et praeſidio firmata.

XVII. DUM haec agerentur, Ludovicus [dd] Prevotius Sanſacus Andini juſſu cum VII CIƆ peditum ex [ee] Genabi, Aureliani, Nivernii, Avarici praeſidiis collectis et aliquot equitum turmis pridie Non. Quintil. caſtra ad Charitaeum, cui Guerchius praeerat, metatur; oppidum ob [ff] Ligeris tranſitum Proteſtantibus opportunum; quod proinde illis adimi, et ſic hoſtem omni ex [gg] Aquitania in ulteriores provincias

tranſitu

INTERPR. [a] *de Pons, baron de Mirembeau.* [b] *la Tour, puiſné des Chaſteliers Portaut en Poictou.* [c] *Sore.* [d] *Breſt.* [e] *Chaſtillon ſur Loing.* [f] *Gigon.* [g] *Martinengo.* [h] *du Tillet, greffier du parlement.* [i] *la Buſſiere.* [k] *Montargis.* [l] *l'amiral de Coligny.* [m] *Chateau-Regnard.* [n] *Fretin.* [o] *de Roſtaing.* [p] *de Bloſſet.* [q] *Regeane.* [r] *Auxerre.* [s] *Villeneufve-le-Roy.* [t] *Joigny.* [t] *Cœur de Roy.* [u] *Laſſay.* [v] *de Ferrieres, vidame de Chartres.* [w] *le Maine.* [x] *de Goyon, ſieur de Matignon.* [y] *Caen.* [z] *le capitaine Lago.* [aa] *la Roche.* [bb] *la Ferté-au-Vidame.* [cc] *le Perche.* [dd] *de Prevoſt, ſieur de Sanſac.* [ee] *Gien, Orleans, Nevers, & Bourges.* [ff] *la Loire.* [gg] *Guienne.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

tranſitu excludi maxime regis intererat. Primum ad portam Pariſienſem admota tormenta; quorum diſploſione cum ingens edita ruina eſſet, tamen, quod difficilis eſſet ad eam acceſſus, machinas ad aliam partem transferri placuit, et, parte peditatus in vinearum circumpoſitarum declivibus locis collocata [a] Nivernenſem portam verſus, aliam ex adverſo oppidi ad [b] turrem Barbenſem ſtatui. Franciſcus [c] Balſacus Interamnas Aurelianenſium praefectus in ſuburbio trans Ligerim hoſpitium habebat, in via quae [d] Avaricum ducit; [α] unde cum aliquot machinis ad munitiones et ruinam a Sanſaco faciendam tranſverſa verberatione ictus dirigebat. Mox ſtatutis in colle molatrinae impoſito machinis in vallem trans flumen pulſationem facit, ut turrem [e] S. Petri portae vicinam dejiceret: quam oppidi partem tuendam ſuſceperat [f] Rantius. Cum parum proficeretur, tertio mota loco tormenta ſunt, et ad turrem portae Nivernenſi vicinam directa; totoque muro hinc et inde diruto, parum tamen labefactata ob ſtructurae ſoliditatem turris fuit: nihilominus, loco prius explorato, decretus totis viribus impetus; in quo acriter utrinque certatum, ſed, praeſidiariis, qui intus foſſam duxerant et latera muniverant, gnaviter ſe defendentibus, Sanſacus fruſtra fuit. Amiſſi ex oppidanis et praeſidiariis C. [g] Ravetotius a Guerchio in foro, quod diſciplinam militarem turbaret, interfectus fuit: ex regiis amplius IↃ hactenus deſiderati. Huic et incommodo acceſſit caſus, qui regios maxime conſternavit: nam, fune forte a diffugiente milite per imprudentiam in dolium pulveris tormentarii demiſſo, confeſtim ignis conceptus ſeriatim in alia dolia prope collocata emanavit, tanta vi fragore inde excitato, ut frequens militum corona ſubito impetu diſſipata omnino fuerit, immo etiam ad ulteriorem ripam vi ignis delata et horribili ſpectaculo coram ſuis in arena concremata. Cum vero Sanſacus verberationem repeteret, ut ampliore ruina edita acceſſum planiorem ſuis redderet, fama de Proteſtantium auxilio advenientium in caſtris ſparſa, tanta animorum commotio ſecuta eſt, ut ducibus militem ſub ſignis retinere facultas non fuerit, [h] Dorbato etiam a ſuis interfecto, quod in diffugienteis ſeveriorem ſe praeberet: ita tumultuarie poſt menſem obſidio ſoluta. Bloſſetus paulo poſt a Colinio miſſus Charitaeum venit, et poſt eum [i] Boſius; quorum adventu firmior [k] Guerchius [l] Donzium capit, locum commeatui in oppidum ſubvehendo commodum, eique Boſium cum praeſidio imponit. Mox et [m] Pouillium, Leonardi fanum, et Antranium in poteſtatem ejus venere, tota ditione vicina perdomita, donec Sanſacus cum novis copiis ad [n] Vezeliarum obſidionem venit.

XVIII. EODEM tempore Gabriel [o] Mongomerius comes in [p] Aquitaniam a [q] Navarraea cum CC equitibus miſſus, aſſumptis vicecomitum viribus, magnos progreſſus faciebat. Is poſtquam [r] Caſtrum venit, Galliaco, [β] Rapiſtagio, Antonini fano, Montalbano, Arrii caſtro et Foxio ad eum tanquam ſummum belli ducem confluunt Proteſtantes; et inter eos [s] Caumontius vicecomes, qui, occupato ſuperiore anno Foxio, dein a [t] Mailletio exturbatus in Pyrenaeum vicinum confugerat. Ad eum praeterea venit [t] Montamarius Benearni pagi Navarraeae nomine praeſes cum L delectis equitibus ac totidem ſcloppetariis. Cum iis expedito comitatu per [u] Podium Laurentii incedens, et conſerto acri proelio cum aliquot equitibus, qui, [v] Nigrapellicio duce, occurrerant, per Foxenſem comitatum, tranſmiſſo ad [w] Gaudentii fanum [x] Garumna, et mox [y] [γ] Aurigera, magnis et impeditis itineribus tranſit, et in [z] Bigertones deſcendens civitatem [aa] Tarbenſem alveo irriguo et amoeniſſimo juxta

Atiri

VAR. LECT. [α] toto obſidionis tempore *D. f. o.* [β] Rabaſteio *D. f. o.* [γ] Riega *D. f. o.*

INTERPR. [a] *porte de Nevers.* [b] *le tour de Barby.* [c] *de Balſac, ſieur d'Entragues, gouverneur d'Orleans, & lieutenant general de l'Orleannois.* [d] *Bourges.* [e] *porte de S. Pierre.* [f] *le baron de Renty.* [g] *Ravetot.* [h] *Dorbate.* [i] *le capitaine Bois.* [k] *de Maraſin, ſieur de Guercy.* [l] *Douzy.* [m] *Pouilly, S. Leonard, & Autrain.* [n] *Vezelay.* [o] *de Montgomery.* [p] *Guienne.* [q] *la Reine de Navarre.* [r] *Caſtres, Gaillac, Rabaſteins, St. Antonin, Montauban, Caſtelnau-dary, & Foix.* [s] *de Caumont.* [t] *le capitaine Maillet.* [t] *Bernard d'Aſtarac, baron de Montamars, gouverneur de Bearn.* [u] *Puy-Laurent.* [v] *le ſieur de Negrepeliſſe.* [w] *S. Gaudens.* [x] *la Garonne.* [y] *l'Ariege r.* [z] *Bigorre.* [aa] *Tarbes.*

CIↃIↃLXIX.
CAROLUS IX.

[a] Atiri ſontes ad Pyrenaeorum radiees ſitam inopinato eingit; eamque a paucis praeſidiariis ac ruſticis obſtinata fiducia auxiliorum a Monlucio promiſſorum deſenſam vi capit ac diripit; et eeleritate ſumma [b] Damvillam, Monlucium, Bellogardium, Scipionem Vicomercatum et Nigrapellicium, qui IIII CIↃ peditum et IↃCCC equites ſecum trahebant, fallens, nullaque interjecta mora, Benearnenſem pagum proximum irrumpit, quem ſere in poteſtatem redegerat Jo. [c] Lomanius Terrida, vir illuſtris. Is enim [d] Andini, dum in [e] Pictonibus et Santonibus tem geteret, mandatu cum delectis Vaſconibus eam expeditionem ſuſceperat, quo hoſtium vites, quarum partem ad ſua turanda Navarraeam ablegaturam vero ſimile fiebat, dividerentur, ac diviſae minuerentur: tum vero, [f] Orteſio et Podio captis et praeſidio firmatis, in [g] Navarrini obſidione haerebat, quod de nomine amiſſi tegni reges [h] Labretani appellaverant, et Henrieus Joannae parens propugnaculis egregie ad uſum hodiernum conſtructis ſumma arte et magnis ſumptibus muniverat. Totos jam duos menſeis oppidum obſederat Terrida, et III tormentis, quae [i] Aquis Tarbellieis et Baiona advehi euraverat, pulſatis munitionibus arcem in ſummas anguſtias redegerat, [k] Baſſilone a Navarraea impoſito quantumvis ſe egregie defendente. Tandem cognito Mongomerii adventu, ad caſum inopinatum perculſus Terrida vaſa conelamari jubet, et, abductis ſecum tormentis, ſumma trepidatione cum [l] Sancolombo, viro ex provinciae nobilitate primario, Orteſium ſe recepit; quo ſtatim eum inſecutus eſt incunte Sextili Mongomerius; et, poſt aliquod certamen ſuburbiis occupatis et urbe vi capta, machinae in ea reperrae eodem momento ad arcem admotae ſunt, ne colligendi ſe ex fuga et pavore hoſti ſpatium daretur. Terrida, igne paſſim per urbem graſſante et jam inferiorem arcis cortem invadente territus, miſſo a Mongomerio [m] Seriniaco ipſius fratre, qui Proteſtantium partes ſequebatur, et exitium certum, ni neceſſitati parerent, interminante, de deditione agere coepit. Capitibus inter Terridam et Mongomerium perſcriptis comprehenſi Sancolombus et VI alii torquati equites, qui vita ſalva dimitti debebant, cum Terrida fidem de Mongomerii fratre ad [n] fanum Eligii capto liberando interpoſuiſſet. Caumontio viceeomiti negotium datum, ut praeſidiarios ac duces in tutum deduceret. Retenti Sancolombus, [o] Pordeacus, Goaſius, Fabarus; qui perduellionis accuſati Navarraeae juſſu morte mulctati ſunt. Nam illa ſibi ſupremum jus in Benearni pago tunc vindicabat, qui tamen juris Francici olim et inter praeturas ad ſenatus Toloſani juriſdictionem pertinenteis annumeratus fuit. Sed Labretanis, ob fidem regibus noſtris ſervatam, Navarrae regno ab Aragoniis memoria noſtra ſpoliatis, in ſolatium amiſſi regni, regum noſtrorum indulgentia conceſſum eſt, ut ſe pro regibus in ea provincia in poſterum gererent. Monlucius Atiram epiſcopalem civitatem ad cognominem fluvium ſitam, et inde [p] Severi uſque fanum proceſſerat, ut Terridae laboranti ſuppetias ferret: ſed, exorta inter eos aemulatione, cum neuter alteri jure ſuo cedere vellet, Terrida medio tempore, amiſſis copiis, ipſe captus eſt. Podium et ſtatim deſertum a [q] Peraeo, qui regis nomine praeerat; et, interſectis aliquot Proteſtantium paſtoribus, mortis etiam metu Petro [r] Vireto intentato, ſenatus denique praeſidi et uni ex ſenatoribus gula publice fracta, oppidanorum magnum in ſe odium concitaverat. Baſſilo, quod, poſt rem ad Navarrinum bene geſtam aut non bene remuneratus, aut plura a rege, ſi Navarraeae partes deſereret, ſperans, occulta cum Monlucio conſilia agitare crederetur, a [s] Marcaſtello et Mota-Pujolio, non ignaro Mongomerio, interfectus, et ignominioſe tanquam proditor a lixis et caculis per vias tractus eſt. Seriniacus Terridae frater Navarrino

INTERPR [a] *l'Adour r.* [b] *le mareſchal de Damville, & les ſieurs de Montluc, de Bellegarde, de Vimercat, & de Negrepeliſſe.* [c] *de Lomaigue, ſieur de Terride.* [d] *le duc d'Anjou.* [e] *Poictou & Saintonge* [f] *Ortez & Pau.* [g] *Navarreins* [h] *d'Albret.* [i] *Acqs & Bayonne.* [k] *le capitaine Baſſillon.* [l] *de Ste Colombe.* [m] *de Serignac.* [n] *S. Eloy.* [o] *le baron de Pordeac, & les capitaines Goas & Favas.* [p] *S. Sever.* [q] *Peré.* [r] *Viret.* [s] *Marchaſtel & la Motte-Pujols.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

Navarrino cum valido praeſidio a Mongomerio impoſitus fuit. Monlucius ea ſpe fruſtratus animum ad alia adjecit: et, cum [a] Damvillam, cui ſummum imperium belli non ſolum in [b] Septimania, cujus peculiari jure praefectus erat, ſed etiam in [c] Provincia, Allobrogibus et Aquitania gerendi regiis mandatis attributum erat, in Aquitaniam evocaſſet, cum eo ſtatim homo conſortis atque adeo ſuperioris impatiens altercari coepit, quod, quantum illi a rege tributum, tantum ſibi detractum crederet: cumque ipſe bellum trans [d] Atirum transferendum diceret, Damvilla in Septimaniam redire vellet, quo a ſenatu Toloſano revocabatur, nullum magnum operae pretium factum eſt.

XIX. Monlucius tamen, ne nihil ageret, mutuo ſumptis a Damvilla x peditum ſignis, quibus [e] Saviniacus praeerat, adductis praeterea [f] Gondrinio Montiſpano, Tilladeto, Arnaco, Arbuſio, Capella Loſerio, Stagnio, Caſtella, primariis ducibus, [g] Montem-Marſani, ad eundem fluvium ſitum, commeatu copioſum oppidum, quod a [h] Fabato Sanmacarienſi Navarraeae nomine tenebatur, capiendum ſuſcipit. Igitur Mauritii ſano profectus cum Mathurino [i] Scuto Romegaſio, in orientali mari variis expeditionibus famoſo equite, cum ad locum veniſſet, primo impetu ſuburbia admotis ſcalis capit. Ea pars oppidi ſimul et muro valido cingitur, qua cis Atirum porrigitur; inde medio Atiro oppidum praecipuum trans flumen jacet, et poſt illud arx, quod tertiam ejus partem efficit, ita ut triplex oppidum quodammodo ſit. Captis ſuburbiis, pons a regiis inſeſſus, et faſces comportati, quibus porta oppidi ſuccenderetur: ſed ex turre impoſita infeſtati nihil efficere potuerunt. Monlucius, apertis quibuſdam aedibus, quae fluvio imminebant, et vado explorato, delectos mittit, qui in ulteriorem ripam enatarent, antequam praeſidiarii, nam in eo jam erant, doliis terra oppletis et aditu regiis intercluſo, ſe intus muniviſſent: quod felicius quam prudentius factum. Nam regii a ſuis, qui ex feneſtris aedium citeriorum in ulteriorem partem crebro jaculabantur, defenſi, cum ſecure in alteram ripam evaſiſſent, aliis mox inſequentibus, urbem metu trepidam capiunt, et Fabatum intra arcem cum praeſidiariis compellunt: ad quam admotis a [k] Monteſtrucio tormentis, Fabatus, ſpe auxilii abjecta, colloquium poſcit; in quo dum de conditionibus inter eum et Saviniacum agitur, milites a Monlucio monentur, ſi interea arcem intercipere poſſent, mortem tot illuſtrium virorum in [l] Benearni pago crudeliter interſectorum ultum irent, et nemini parcerent: quod et eadem felicitate tentatum et perfectum eſt. Nam poſtica parte admotis ſcalis impetus fit, et arx, dum de conditionibus diſputatur, a furente milite capitur, occiſis obviis quibuſque. Vix Fabatus a Saviniaco et Fabiano Monlucio ſervatus fuit cum paucis, qui ſe feneſtris dimiſerunt, ab equitibus excepti. Quo facto, Damvilla, abductis ſuis copiis, retro in Septimaniam abiit, et [m] Maſeram longa ac cruenta obſidione cinxit. Monlucius facto per [n] Nogarolam itinere [o] Lactoratum reverſus eſt, [p] Gondrinio [q] Eluſae cum ſua equitum ala et una peditum cohorte nuper conſcripta impoſito; quam mox ille, adveniente Mongomerio, deſerere coactus fuit: [r] Florentia quoque praeſidio firmata. Arnacus poſtea, cum juxta Neracum incurſionibus crebris vicina loca infeſtaret, fruſtra a B. Monlucio monitus ut ſe ad [s] Auſciorum civitatem reciperet, a [t] Caumontio vicecomite interceptus, dum ultimum agmen ducit, cum ſuis caeſus eſt. Eodem quoque tempore [t] Culantius, qui principum nomine in Septimaniae montanis imperabat, [u] Bonefidianum coenobium dives et ſitu firmum in [v] Vivarienſi agro aſtu intercipit ac diripit, impoſito L militum praeſidio, ducibus [w] Tialeto et Carrerio: quod

INTERPR. [a] *le mareſchal de Damville.* [b] *Languedoc.* [c] *Provence, Dauphiné, & Guienne.* [d] *l'Adour* [e] *de Savignac.* [f] *de Gondrin ſieur de Monteſpan, de Tilladet, le capitaine Arnay, le baron de l'Arboux, de la Chappelle Laſieres, de l'Eſtang, & le capitaine Caſtella* [g] *Mont de Marſan.* [h] *de Favat de S. Macaire.* [i] *de l'Eſcut, ſieur de Romegas.* [k] *de Monteſtruc.* [l] *Bearn.* [m] *Mazeres.* [n] *Nogarole.* [o] *Leytoure.* [p] *le baron de Gondrin.* [q] *Euſe.* [r] *Fleurance.* [s] *Auſch.* [t] *de Caumont.* [t] *Conlans.* [u] *abbaye de Bonneſoy.* [v] *au Vivarais.* [w] *Tialet & Charrieres.*

quod antequam majore cora firmaret, Petrus [a] Caſtronovius Rupibonus Velauno- CIƆIƆLXIX.
rum praefectus collecta tumultuaria manu locum corona cingit, ac poſtremo dedi- CAROLUS IX.
tione capit, nequaquam ſervata praeſidiariis fide, qui omnes, Tialeto excepto, trucidati ſunt. Sed magis ab humanitate abeſt, quod [b] Aureliani a furente plebe XII Kal. Sept. in Proteſtanteis admiſſum eſt. Ii decreto praetoris, in ſpeciem ut ſecuritati urbis proſpiceretur, in carcerem conjecti fuerant, viri ac foeminae: pars in aedibus [c] quadrangularibus vulgo dictis, pars [d] Martin-villae turre incluſa. Eo die, plebe a ſeditioſis incenſa, ad ea loca impetus factus eſt, et in iis quidem omnes reperti crudeliter jugulati ſunt. Aedeis quadrangulareis cum perrumpere non poſſent, incendunt, et igne vireis concipiente plerique arſerunt; quidam, ex feneſtris dum ſe praecipitant, aut caſu enecti, aut in manus circumfuſae plebis incidentes haſtarum ictibus crudeliter confoſſi ſunt. Utrobique c amplius interfecti; nec foeminis magis quam viris parcitum eſt. Quo caſu territi plerique ex Proteſtantibus [e] Montargirium tanquam in tutiſſimum aſylum Renatae Ferrarienſis beneficio uſi confugerunt; qui tamen poſtea jubente rege, Renata quantumlibet id aegre ferente, inde migrare coacti ſunt, a [f] Beco Burrio commodum cum V equitum alis ſuperveniente in tutum deducti. Pars [g] Sancerram, pars [h] Charitaeum oppidum petiit.

XX. PAULO ante [i] Orillacum in Arvernis aſtu nocturno interceptum fuit. [k] Rupius et Beſſonerius, animadverſo portam, quae amnem ſubjectum ſpectat, ab oppidanis muro obſtructam eſſe, poſtico tantum relicto, quod duobus oſtiolis ligneis claudebatur, externum oſtium terebra perforant, et per foramen circiter C libras pulveris tormentarii inter utrumque oſtium effundunt, obſtructoque foramine et ducto e longinquo tractu, ignem injiciunt; quo concepto, vis tanta pulveris fuit, ut, disjectis in altum valvis, non ſolum porta aperta, ſed et magna ſtrages in muro edita ſit, per quam illi cum CL circiter ingreſſi oppidanos ad fragorem in armis per noctem accurrenteis pellunt, CXX ex iis interfectis; et ita oppido potiuntur; ac templa, et in primis B. Petri coenobium, immani furore, ut alia pleraque paſſim hoc bello, demoliuntur. Quo audito, [l] Santeranus provinciae praefectus ſtatim cum delecta manu advolat, praeſentia ſua nondum confirmatis praeſidiariis, ut rebatur, terrorem injecturus. Sed, cum illos ad reſiſtendum paratos videret, nec ſatis virium haberet quibus eos vi cogeret, re infecta [m] fanum Flori ſe contulit.

XXI. DIVERSA parte Colinius poſt captum [n] Luſinianum primam aciem [o] Jaſenolium praemittit XI Kal. Sextil. et poſtridie peditatum omnem [p] Quincaeum uſque procedere jubet, tertio ab [q] Auguſtorito lapide. Captum interim [r] Covaeum a [s] Sangeorgio Veraeo loci domino, paulo ante a regiis interceptum; praeſidiariis poſt vim aliquandiu toleratam, ſive caſu ſive conſilio per deſperationem capto, igne vireis concipiente et omnia coram inflammante, cum arce concrematis. [ſ] Sanzaeum item, Vivonum, Monſtrolium Bonini et alia vicina oppida commeatu opportuna in fidem recepta. Quatriduo poſt Colinius ad urbem caſtra metatur. Hujus conſilium erat initio, Luſinianum, [t] Maxentii fanum, et Mirabellum in praefectura [u] Salmurienſi in poteſtatem redigere: quibus captis, totius provinciae potens copioſum ex ea ad alendum militem vectigal in ſingulos menſeis colligeret, et oppida validis praeſidiis munita in officio contineret. Inde Salmuriam ducere decreverat, ſitu et arte debilem, ideoque expugnatu facilem, ſed propter pontem magni momenti; quem proinde munire in animo habebat, ut ſecurum in provincias regi et Lutetiae proximiores ſibi tranſitum in poſterum pararet. Sic enim judicabat, ab aula et matrice regni urbe conſilia et opes ad bellum gerendum ſubminiſtrari, nec pacem ſperari poſſe,

INTERPR. [a] *de Châteauneuf, ſieur de Rochebonne, gouverneur du Puy en Velay.* [b] *Orleans.* [c] *de quatre coins.* [d] *Martin-ville.* [e] *Montargis.* [f] *du Bec, ſieur de Bourry.* [g] *Sancerre.* [h] *la Charité.* [i] *Aurillac en Auvergne.* [k] *la Roche & Beſſonniere.* [l] *de St. Heran.* [m] *S. Flour.* [n] *Luſignan.* [o] *Jaſeneuil.* [p] *Quinçay.* [q] *Poictiers.* [r] *Coubé.* [s] *de St. George, ſieur de Verac.* [ſ] *Sanzay, Vivonne, & Monſtreuil-Bonnin.* [t] *St. Maixent & Mirebeau.* [u] *le Saumurois.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

poſſe, quamdiu bellum ab illis procul eſſet. Itaque eo transferenda arma cenſebat, ut belli vicini taedio regem et Pariſienſeis ad pacem inclinaret. Sed, capto Luſiniano et VI tormentis in eo repertis, omiſſo priore conſilio, [a] Maxentii quoque fanum omiſit; et, cum ſpes de [b] Auguſtorito capiendo, fortuna primis coeptis arridente, ſubiiſſet, eo, reclamantibus pleriſque, ducit, quod urbem ob vaſtitatem difficilis cuſtodiae, et ob raritatem oppidanorum ſucceſſu recenti territorum capi poſſe crederet. Urbs ea [c] Pictonum metropolis vaſto ambitu porrecta clivoſo montis dorſo inſidet, et praeruptis collibus undiquaque cingitur, intermedia anguſta valle, ex quibus intus in urbem deſpectus eſt, ita ut ſcloppetarii ad angulum urbis imo loco citra periculum in urbanum militem ejaculari poſſent: tantum ad [d] portam Valli, vulgo dictam, planitie ſpatioſa excipitur. Inter ortum et meridiem [e] Clanius e [f] Lemovicibus deſcendens pedem clivi alluit, et porta Valli ad laevam relicta per canaleis diviſus inſulas quaſdam non minus amoenas quam oppidanorum uſibus utileis efficit, et infra vallum ad [g] Cypriani fanum rurſus finditur, parte alvei ſecundum muros urbis, parte longius fluente, quae tandem ad [h] Joberti pontem jungitur, et [i] pratum Abbariſſae vulgo dictum praetervectus inter [k] Rupirolium et arcem triquetra forma olim a Joanne [l] Biturigum duce Caroli V fratre conſtructam exit; dein haud longe a [m] Caſtro-Eraldi [n] Vigennae miſcetur. Ultra arcem [o] ſuburbium S. Lazari porrigitur in imo urbis loco. Inde ad Hilarii fanum ſeptentrioni et occaſui objectum pars ſuperiore non minor extenditur; cujus muris [p] ſtagnum vulgo Santhilarianum dictum ſubjacet, ponte, cui [q] Achardo nomen, diviſum; ex quo ſurſum enitendo ad Valli portam aſcenditur. [r] Ludenſis comes poſt irritam Niortii obſidionem Pictavium venerat, et cum eo tres ipſius fratres, [s] Renatus Caſtellerii abbas, [ſ] Franciſcus Sautreus, et Fr. Brianconus, Philippus [t] Volvirius Ruſeeus, Jo. Graechus Boſſeguinus, Gul. Altamerus Fervacius, Argentius, Berauderius Roetus [u] Tremollii legatus, et aliquot alii equites torquati, nonnulli item equitum ductores. Peditum duces aderant [v] Paſſaeus, Prada, Vacarius, Arſacius, Liſius, Boſcoviridis, Bonnavallius, Boſlandius, Jarrius, alii: praeterea VI urbanorum peditum cohortes conſcriptae ſub ſingulis ducibus: quibus omnibus praeerat Joannes [w] Haius urbis praetor, homo impiger et ſupra ſortem ambitioſus, quod illi tandem exitium attulit. Is dictim eam obſidionem deſcripſit, [α] et poſtea ſub alieno nomine publicandam curavit. Proſpectum et antea ab Andino fuerat urbis ſecuritati, miſſo Germanorum equitum vexillo, et CC equitibus Italis, Angelo [x] Caeſio et Joanne Urſino ducibus, et CCC ſcloppetariis, Paulo Sfortia duce, [y] Sanfloriani fratre; ita ut univerſus equitatus CIↃ CC cataphractos efficeret. Ludenſis arcem non ita per ſe firmam novo propugnaculo uteunque muniverat, ad ſubitas belli occaſiones, quo eam partem ad aliquod tempus tutaretur. Ad pontem item Achardi vulgo dictum praeſidium poſitum, et in Hilarii fano propugnaculum extructum eſt. Andinus, de Luſiniani obſidione certior factus, eo ſtatim Henricum [z] Lotharingum Guiſium, et ob paternum nomen et ob propriam indolem jam in illa aetate ſummae exiſtimationis ducem, cum Carolo [aa] Meduanae marchione fratre miſerat; qui, cognito in itinere arcem jam deditam eſſe, ne fruſtra veniſſe viderentur, Pictavium XI Kal. Sextil. ingrediuntur, et cum iis Melchior [bb] Depreus Monpeſacus, Renatus Rupichuartius Mortemarius, Paulus Chabotius Claravallius,

V AR. LECT. [α] et poſtea ſub alieno nomine publicandam curavit *deſunt* D. ſ.

INTERPR. [a] *S. Maixent.* [b] *Poictiers.* [c] *Poictou.* [d] *porte de la tranchée.* [e] *le Clain.* [f] *Limouſin.* [g] La Popelinere met *prés la porte S. Cyprien.* [h] *pont Joubert.* [i] *Pré l'Abbeſſe.* [k] *Rochereuil.* [l] *Berry.* [m] *Chatelleraut.* [n] *la Vienne.* [o] *fauxbourg S. Ladre.* [p] *l'eſtang de S. Hilaire.* [q] *pont Achard.* [r] *du Lude.* [s] *René de Daillon, abbé des Chaſteliers.* [ſ] *François de Daillon ſieur de Sautray, & François de Daillon ſieur de Briancon.* [t] *de Volvire ſieur de Ruffec, J. le Jay ſieur de Boiſſeguin, de Hautemer ſieur de Fervacques, d'Argence, & de la Beraudiere ſieur du Rouet.* [u] *de la Tremoille.* [v] *les capitaines Paſſac, la Prade, la Vacherie, d'Arſach, le Lys, Bois-verd, Bonneau, Boiſlande, & Jarrie.* [w] *la Haye, lieutenant general en la ſeneſchauſſée de Poictou.* [x] *de Ceſi, & Giovanni Orſino.* [y] *Sforza, conte de Santafiore.* [z] *de Lorraine, duc de Guiſe.* [aa] *Mayenne.* [bb] *des Prez ſieur de Montpezat, de Rochechouart ſieur de Mortemar, de Chabot ſieur de Clervaux.*

Claravallius, [a] Ph. Caſtrobriandius Rupibaritonius, Claromontius junior et alii ex primaria nobilitate: qoorum adventu recreati ex ingenti pavore, qui in urbe erant, animos aliquantum collegeruot, et ſe ad obſidionem ſuſtinendam pararunt. Biduum inſequens velitationibus conſumptum eſt, quibus ex oppidanis aliquot male mulctati ſunt, a Philippo [b] Laſinio et [c] Pillo ad S. Lazari ſuburbium uſque compulſi: multi viciſſim ex Proteſtantibus, fugati certamine acri io ora Santhilariani ſtagoi commiſſo, a II campeſtribus tormenris ex urbe inſeſtati. Poſtridie Franciſcus [d] Caſſillacus Seſſacus Guiſii legatus cum delecta equitum manu, in iis erant [e] Guitinerius, Bajordaous, Joannes Urſinus, [f] Marnam uſque vicum progreſſus hoſteis ſuperioris diei labore feſſos ae vix ſe lecto ad ſtrepitum molienteis oppreſſit, et multos ex iis eccidit. In reditu eum [g] Bricomotium et Mandolſom Joannis [h] Buchii legatum obvios habuiſſet, eos fudit, Mandolſo ipſo occiſo: quod in cauſa fuit, ut ab ea parte foſſa ducéretur, ne deinceps erumpentibus praeſidiariis exitus pateret; ejuſque ſervandae cura [i] Blacono a Colinio commiſſa eſt. Erant in urbe omnino VI bellarorum ram externorum quam urbanorum CIↃ, exiguus numerus contra numeroſum hoſtium exercitum ad ranram defendendam urbem; ſed, exiguo ſuppetente commeatu et bellieo apparatu, ex eventu ad diuturnam obſidionem ſuſtinendam ſatis magnus: praererea VI majora tormenta, et II mediocria, et aliquot alia uſus obſoleti in arce aſſervata, ſed ad praeſentem neceſſitatem oon prorſus inutilia: magna deniqoe copia ignium artificialium omnis generis, ollarum oleo bullienti fundendo, [k] circulorum ignitorum, picis, bituminis et mareriae igoi concipiendo aptae, [l] aſſerum elavis acutis ac praelongis confixorum, ac poſtremo [m] muricum in loca, per quae militi irrumpenti incedendum erat, demittendorum. Kalend. Sextil. qui dies ſuperſtitioſis in urbe formidabilis erat, quod ante ſeptennium ea urbs a [n] Santandreano [o] Pioelli, qui arcem tenebat, proditione capta ac direpta fuiſſet, comparata omnia ad verberationem faciendam, diſpoſitis in colle, qoi [p] Joberti pontem reſpicit, VIII muralibus machinis, quibus pulſata pontis turris toto triduo. Rei tormeotariae praeerat Joannes [q] Hangeſtus Genlius. Suburbia adhue obſeſſi tenebant; quae taodem deſerunt, conſilio potius quam coacti, quod idoneum defenſorum numerum tot locis tuendis oon haberenr. [r] Rupiſuleaudius, qui aciem ſub principibus ducebat, et [s] Wolradus Mansfeldius Lazari ſaoum, Bricomotius [ſ] Petrae-ſuſpenſae vulgo dictum ſuburbium inſedit. [t] Rupirolium ab utriſque neglectum, quod parvi momenri ad res gerendas videretur, in obſeſſorum poteſtate manſit. Ad [u] ſanum Benedicti [v] Colioius et Laſinius hoſpitium habuerunr. Levibus procliis urrinque multoties interim certatum, crebro erumpentibus regiis, quorum mulri vulocrati, quod ipſi io inferiore loco pugnantes ex eollibus ſuperioribus ab hoſte petereotur. Sed cura [w] Haii urbis praetoris proviſum fuerat, ut ſauciati diligenter curarentur, praeter chirurgos foeminis ſumma ſedulitate ae humanitate medicamenta et omoia ad aegrotorum curationem et victum neceſſaria expedientibus. Nonis hujus menſis acriter certatum fuit; et [x] Vacarius ſtrenuus dux, dum cum ſua cohorte per vioeam inrer Rupirolium et arcem diſcurrit, accepto in capite ſeloppeti ictu, interſectus eſt, magno Guiſii et oppidanorum deſiderio. Poſtridie [y] Onuxius, quem Ludeuſis [z] ſano Maxentii impoſuerat, a Guiſio evocatus cum [aa] Burgo, Calveraco et Prunaeo praecipuis ducibus, magno aſtu et ſumma felicitate in urbem incolumis cum ſuis pervenit, ablegatis [bb] Parthe-

oaeum,

CIↃIↃLXIX.

CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *de Chateau-Briand ſieur des Roches-Baritaut, & de Clermont.* [b] *la Fin de la Nocle.* [c] *de Piles.* [d] *de Caſillac, ſieur de Seſſac.* [e] *de Guitinieres, de Bois-Jourdain, & Jean des Urſins.* [f] *village de Marne.* [g] *de Briquemaut & Mandolf.* [h] *le colonel Buech.* [i] *de Blacons.* [k] *cercles de feu.* [l] *carreaux de bois percés de clous longs & pointus.* [m] *des chauſſes-trapes.* [n] *le mareſchal de St. André.* [o] *Pineau.* [p] *pont Joubert.* [q] *de Hangeſt, ſieur de Genlis.* [r] *le comte de la Rochefoucaud.* [s] *le comte Wolrad de Mansfeld.* [ſ] *fauxbourg de Pierre-levée.* [t] *fauxbourg de Rochereuil.* [u] *abbaye de S. Benoit.* [v] *l'amiral de Coligny.* [w] *la Haye.* [x] *le capitaine la Vacherie.* [y] *d'Onoux.* [z] *S. Maixent.* [aa] *les capitaines Bourg, Calverac, & Prunay.* [bb] *Parthenay.*

CIƆIƆLXIX. Carolus IX. naeum, cui [a] Alardus ordinum ductor praeerat, impedimentis et omni inutili turba, tanto ſilentio ac diligentia uſus, ut rei fama ad hoſtem emanare non potuerit. Siquidem corruptis tormentis, pulvere inter milites diſtributo, et commeatu inter oppidanos diviſo, exploratis primum itineribus, nocte apperente cum ɪↄ delectis, inter quos erant [b] Donaldus Macrodotus Scotus, loci praetor juridicus, cognitor et patronus regius, in viam ſe dat; et IIII horarum ſpatio X leucas emenſus ad [c] Jaſenolium, quod a CCC ſtationariis tenebatur, [d] Vona ſine ſuſpicione pertranſito, ad [e] Valli portam a [f] Jarrio ſervatam, quae illis mox patuit, incolumis pervenit, magna Guiſii gratulatione et obſeſſorum laetitia; nec minore Colinii admiratione et occulta indignatione. Triduo poſt praeſidiarii, qui [g] Eraldi-Caſtrum tenebant, egreſſi, duce [h] Normano, aſſumptis regiorum inſignibus, [i] Crepacordium Bonivetum, et [k] Viepontium Neoburgi regulum, illius, qui nuper ad [l] Sancerram interfectus eſt, parentem, ſtationariis deluſis, in hoſpitio aggrediuntur; et, aliquot occiſis, Bonivetum capiunt. Captus [α] et marchio [m] Rangonius, et [n] Niortium perductus. Inde tranſlata ab hoſtibus tormenta; et III ſupra Cypriani fanum collocata fanum Benedicti verſus, quibus totum diem turris porta pulſata, faſtigioque diruto, ima contignatio a [o] Lilio, qui eam tuendam ſuſceperat, doliis munita et ad ultimum uſque inter continuas ſcloppetorum fulminationes ſumma conſtantia ſervata fuit; quo nomine magnam gloriam meruit. Tum verſa omnis vis ad murum, qui [p] prato abbatiſſae ſubeſt; et pluribus locis in latus et in frontem directa verberatio, magno obſeſſorum incommodo ac damno; quippe quibus per declivia aperto ad obſidentium ictus corpore ad ruinam defendendam deſcendendum erat. Itaque, ingenti ruina edita et ponte ex doliis et aſſeribus funibus grandioribus alligatis ſupra [q] Clanium, qui murum alluit, ſtrato, cum in eo eſſent hoſtes ut impetum facerent, magna trepidatio et deſperatio in urbe fuit; reque inter duces conſultata, multis placebat, ut Guiſius cum fratre ſeponeretur, neque tantae dignationis juvenes et praecipua religionis, quae petebatur, ſic eos vocabant, columina, manifeſto exitio atque adeo hoſtium et capitalium inimicorum ludibrio exponerentur. Contra, [r] Ludenſis, [s] Ruffecus, Onuxius, Burgus diſputabant; et impetum hoſtium, ſi animis cuncti adeſſent, poſſe ſuſtineri dicebant; quibus poſt ruinam ſuperatam et in vallo per pratum ducto iniqua conditione pugnandum, quippe cum regii ex ſuperiore loco ictus ejacularentur; atque etiam equeſtri pugna certandum eſſet; nam id commode loco tam ſpatioſo fieri poſſe, pejore ſemper ipſorum conditione, qui pedites tantum per ruinam ingredi poſſent, et poſtea cum equitibus certare neceſſarium haberent: ad hoc fratrum praeſentiam requiri; in quibus et patris et [t] Metenſis urbis contra potentiſſimum imperatorem totas Germaniae opes ſecum trahentem ab eo defenſae memoria reviviſcat; qui ſi diſcedant, ſtatim caſuros militi animos, et oppidanos de ſalute ſua deſperanteis ſegnius, quam hactenus fecerint, in opere verſaturos: quam in ſententiam facile tranſiit Guiſius, juvenis jam in illa aetate ſpes immenſas alens et decoris ſupra modum cupidus; qui vel cum certa pernicie ſpem de ſe apud plebem et pleroſque ex nobilitate excitatam tueri decreverat, neque committere, ut vitae potius quam illuſtriſſimae familiae et paternae atque adeo ſuae exiſtimationis, quae in ea obſidione vertebatur, rationem habuiſſe videretur. Itaque, repudiatis tutioribus conſiliis, honeſtiora quamvis cum periculo conjuncta amplexus eſt; et, deſtinatis qui ruinam defenderent, et inſtructa poſt vallum intus ductum acie, in hoſtium extra urbem trans Clanium ad vim faciendam paratorum conſpectu conſtitit die Laurentii feſto.

VAR. LECT. [α] et a Proteſtantibus marchio *D. f. o.*

INTERPR. [a] *le capitaine Allard.* [b] *Donald Macrodore Ecoſſois, le lieutenant, le procureur, & l'avocat du Roy.* [c] *Jaſeneuil.* [d] *la Vonne r.* [e] *porte de la Trenchée.* [f] *Jarrie.* [g] *Chatelleraut.* [h] *le capitaine Normand.* [i] *de Crevecœur Bonnivet.* [k] *de Vieuxpont, baron de Neubourg.* [l] *Sancerre.* [m] *de Rangone.* [n] *Niort.* [o] *le capitaine le Lys.* [p] *Pré l'abbeſſe.* [q] *le Clain.* [r] *le comte du Lude,* [s] *de Ruffec, d'Onoux, & Bourg.* [t] *Mets.*

feſto. Sic autem aciem ſuam inſtruxerat Colinius, ut IↃCC ſcloppetarii delecti primi impetum facerent, quos CCC loricati et clypeati ſubſequerentur, quibus totidem ſariſſophori et haſtati Germani additi erant. Sed, cum pons tumultuarie paratus tanto ponderi ſuſtinendo minime par videretur, nihil eo die actum fuit: pons vero ille nocte inſequenti ab aliquot Italis urinatoribus, dum regii ſcloppetaria velitatione cum hoſte haud binc longe certarent, inciſis funibus, abruptus eſt. Ex Carmelitarum coenobio, in quo propugnaculum intus extructum erat, in tormenta Proteſtantium contraria diſploſione fulminabant obſeſſi; et utrinque magnum damnum accipiebatur. Nam corruptae rotae unius tormenti hoſtilis, et in urbe Antonius [a] Seraſonus Romanus machinas ſtruendi et loca muniendi apprime peritus occiſus eſt, et [b] Calveracus ſtrenuus ordinum ductor in his levibus pugnis deſideratus. Verberatione uſque ad XIIII Kal. Sept. continuata, pluribus locis murorum ingentes ſtrages ab ea parte editae: quam ruinam Proteſtantes occupavere, graviter ſauciato [c] Billio Prunaco, nobilitate non magis quam virtute claro duce, qui ex hoc vulnere aliquot diebus poſt deceſſit. Sauciatus et lethaliter Onuxius, dum nocte cum delectis, ut ex turricula ſemidiruta [d] Lanovium cum turma ſua deturbaret, murum circuit, ictu majoris ſcloppeti galea luxata et in caput adacta; quo ex vulnere conſimiliter, quantumvis ſumma adhibita cura, obiit. Ex Carmelitano dein propugnaculo mutata verberatione in turriculam vis facta, et diſcerptus [e] Ambrianae legionis primarius centurio. Lanovius ipſe in brachio dextro ictus, [f] Conſorginus in femore: permultis crura confracta. In his rerum anguſtiis, cum hinc nulla ſpes ruinae ulterius defendendae eſſet, inde ſumma commeatus penuria in urbe laboraretur, molatrinis corruptis, et conſumpta fere annona, ut in equorum paſtum pampinis tantum et frondibus uterentur, foeno deficiente, et avena ac hordeo in uſum hominum ſervatis, ad haec accedente rerum omnium caritate, ex [g] Maxentii Pictavini Bidolerii urbis aedilis et unius urbanae cohortis ducis conſilio inita ratio aquae [h] Clanii in pratum effundendae; quod palis in amnem duplici ordine deſtitutis et terra intus ingeſta factum. Nam regurgitante fluvio ſtatim aqua ad imum uſque murum internum tanta altitudine inundavit, ut ad vallum intus ductum, niſi per pontem, adiri non poſſet: quod rurſus deſperantibus obſeſſis animos fecit; qui et nunciis crebro ab Andino miſſis interim confirmabantur; quibus ille fidem obſtringebat, de auxiliis intra menſem ſummittendis. Cum vero de ſuſpectis ob religionem eo rerum ſtatu aliquis Guiſio ab oppidanis ſcrupulus injectus eſſet, vocati omnes ad B. Franciſci, nec ſeverius tamen cum iis actum; tantum moniti ſunt, ut ſe domi continerent, et fidem, quam concivibus ſuis pro publica ſalute laborantibus debebant, ſervarent. Emiſſi et omnis ſexus homines magno numero obſidioni inutiles ad levandam annonam; quos cum hoſtis intra foſſam vi compuliſſet, fame paene enectos oppidani commiſeratione adducti rurſus intra urbem acceperunt. Secundum haec pons novus ſupra Clanium inter [i] Joberti pontem et Cypriani fanum ab hoſte ſtratus ex adverſo ſuburbii [k] S. Saturnini, ut inde in [l] pratum epiſcopi tranſirent, SS. Radegundis et Sulpitii templa verſus, ex doliis, aſſeribus, cratibus, palis in flumen deſtitutis, qui funibus ac catenis validis conſtringebatur, tanta firmitate, ut etiam machinae murales per eum tuto tranſmitti poſſe crederentur. Alius mox paulo infra eodem artificio inchoatus. Sub id tempus, cum [m] Dallonius Brianconus comitis Ludenſis frater ex levi eruptione, in qua per occaſionem cum [n] Acierio collocutus fuerat, ſe ad Carmelitarum propugnaculum reciperet, ictu tormenti in capite accepto enectus eſt, magna clariſſimae familiae jactura, et ſui ingenti oppidanis ac Guiſio ipſi relicto deſiderio.

INTERPR. [a] *Seraſon ingenieur.* [b] *Calverac.* [c] *de Billy, ſieur de Prunay.* [d] *de la Nouë.* [e] *regiment d'Ambres.* [f] *le baron de Conſergien.* [g] *Maixent de la Bidoliere, eſchevin de la ville.* [h] *le Clain* [i] *Pont Joubert.* [k] *fauxbourg S. Sernin.* [l] *Pré l'evêque.* [m] *Fr. de Dallon, ſieur de Briançon.* [n] *de Cruſſol, ſieur d'Acier.*

CIƆIƆLXIX. CAROLUS IX.

deſiderio. Girardus[a] Ruſſetius et alae equitum Ludenſis vexilliſer graviter vulneratus fuit. Demum IX Kal. Sept. qui dies B. Bartholomaeo ſacer eſt, vehementior quam antea a Proteſtantibus verberatio inſtauratur, diſploſis eo die plus IƆCCC ictibus. Jamque inſtructis ordinibus Guiſius et Ludenſis ſe ad ſuſtinendum impetum comparabant, et adhortationibus ſuos ad pugnam fortiter capeſſendam confirmabant; rati citra certamen diem non elapſurum, ſepoſitis etiam illuſtibus ducum matronis et aliis in arcem clauſis, ut, ſi quid ſiniſtri accideret, quod merito quiſque verebatur, ab injuria tutae primum militis ſurorem effugerent; cum Colinius et ruinam explorandam et altitudinem aquae intus regurgitantis metiendam ante omnia cenſuit; et commodum accidit, ut centurio quidam nomine[b] Dominicus, qui pugione in Colinii conſpectu inſolenter ſtricto ſtatim comprehenſus militarem caſtigationem expectabat, loco poenae ex ducum ſententia ad id deſtinatus ſit. Is igitur loricatus et clypeatus audacter vadit, et, ruina diligenter luſtrata, ad Colinium reverſus, eam idoneam ad vim faciendam renunciat; ſed aquam tanta altitudine eſſe, ut in ea miles umbilico tenus extaret: quo cognito, militem jam in aciem inſtructum revocat, et in hoſpitia diſcedere jubet. Leviter tantum eo die certatum; et[c] Guacurtius magni nominis dux ex obſeſſis interfectus eſt. Nox ſatciendae ruinae impenſa eſt; in qua, Guiſio ipſo exemplo ſuo praeeunte, labori nemo pepercit: itaque ea ſarta, et firmior pars illa quam antea reddita eſt. Poſtridie, tranſlatis III tormentis et verberatione ingeminata, conſilium de impetu nocte media citra tympanorum et lituorum ſtrepitum faciendo, ut obſeſſi inopinantes opprimerentur, initum eſt: ſed, ſerius convenientibus ad horam condictam militibus, id fruſtra fuit, quamvis Navarraeus et Condaeus[d] Maxentii fano illuc veniſſent, ut, cum impetus fieret, ſpectatores adeſſent; qui, ſalutatis Germanorum ducibus et convivio lauto exceptis, mox[e] Niortium conceſſerunt. Regina interea cum Borbonio et Lotharingo cardinalibus[f] Amboſiam et Caeſarodunum Turonum uſque proceſſerat; quo ad eam[g] Lochiis venit[h] Andinus, ut in commune de ſuppetiis[i] Pictavio ferendis conſultarent. Miſſus inde Fabianus Monlucius cum IƆ delectis ſcloppetariis; qui, cum[k] Rupipozacum uſque veniſſet, detectus ab hoſtibus ulterius progredi non potuit. Hoſtes interim ad[l] molatrinam Tiſonis vulgo dictam, ut farinae parandae commoditatem omnem obſeſſis eriperent, III tormenta dirigunt; cujus et faſtigium decuſſerunt; et, cum viderent aquam intra murum reſtagnantem maximo ſibi impedimento eſſe, omnem operam dant, ut eam averterent. Dum haec fierent, erumpentibus per[m] Achardi pontem Italis, aliquandiu certatum fuit, Jo.[n] Bellomanerio Lavardino juniore ſtrenuam ac fortem operam navante; qui in conſertos ruens, occiſo ictu ſcloppeti uno ex Italis, vix a[o] Santerminio ſuperveniente ex eorum manibus eripi potuit. Inde totus impetus in[p] Rupirolium ſuburbium, quod antea ab utriſque neglectum fuerat, verſus eſt, quod eo capto[q] Clanium in antiqnum alveum objicibus remotis reduci poſſe ſperarent: ſed ictus ad ſaccos lana oppletos et ad murum objectum frangebantur. Ut in urbe, ſic et in caſtris hoſtium multi ſauciati: ſed plures graviſſimis morbis tentati; et ipſe Colinius ex dyſenteria periculum mortis adivlt.[r] Rupifulcaudius comes adeo graviter aegrotavit, ut caſtra deſerere mutandi aeris cauſa coactus ſit.[s] Acierius vero, medicis urgentibus, Niortium,[ſ] Bricomotius[t] Caſtrum Eraldi conceſſit. Jo.[u] Laſinius Bellovaſius[v] Luſinianum atque inde Maxentii fanum, nec non et[w] Noeleus ipſius frater, amiſſo[x] Beduelio filio, adverſae valetudinis neceſſitate compulſi, migrarunt. Kalend. Sept. inſtaurata verberatio ad Rupirolium; inptimiſque ad pontis turrem; qua paene dejecta, et occupato ſuperiore loco, de quo tamdiu certatum hactenus

INTERPR. [a] *le ſieur de la Rouſſiere.* [b] *ſergent Dominique.* [c] *de Guacourt.* [d] *S. Maixent.* [e] *Niort.* [f] *Amboiſe & Tours.* [g] *Loches.* [h] *le duc d'Anjou.* [i] *Poictiers.* [k] *de la Rochepozay.* [l] *le Moulin Tiſon* [m] *Pont Achard* [n] *de Beaumanoir, ſieur de Lavardin* [o] *de Ste Ermine.* [p] *Rochereuil.* [q] *le Clain* [r] *de la Rochefoucaud.* [s] *le ſieur d'Acier.* [ſ] *de Briquemaut.* [t] *Chatelleraut.* [u] *Jean la Fin, ſieur de Beauvoir la Nocle.* [v] *Luſignan.* [w] *Philippes la Fin de la Nocle.* [x] *le ſieur de Beduell.*

hactenus fuerat, ac doliis diſpoſitis, ut fit, munito, in ſuburbium libere ab hoſtibus CIↃIↃLXIX.
deſpiciebatur; quippe, qui illac ultro citroque commeabant, denſa ſeloppetorum CAROLUS IX.
grandine infeſtabantur: cui malo ut remedium afferrent obſeſſi, per ſubjectam viam dolia grandia noctu diſponunt, eaque aſſeribus idoneae craſſitudinis conſternunt, quibus tecti defenſores ſubtus ire et redire poſſent: lintea etiam ad eripiendum hoſti proſpectum ſuſpenſa. IIII Non. Sept. egreſſi regii Rupirolio in vineam illam eminentem ab hoſte nuper occupatam evadunt, et dolia, quibus hoſtes ſe illic muniverant, ut ab arce oppoſita tuti eſſent, diruunt: quo facto, ſine damno ad ſuos redeunt. Poſtridie poſt longam ac vehementem ex [a] Nuceto ſubjecto verberationem, dejecto Rupirolii muro, Proteſtantes vim faciunt. [b] Pilius primus ibat cum ſua legione, quem [c] Santaudentius Bricomotii frater cum ſua item ſequebatur. Poſt eos Germanica legio ſariſſis fere horrida incedebat, pulſatione, qua arx petebatur, minime interim intermiſſa. Ruinam defendebant [d] Paſſacus, Noerius, Montalius, et Carbonerius: a quibus Piliani catenis, clavis, et ramentis ferreis vi tormentorum emiſſis infeſtati cum damno repulſi ſunt, Pilio ipſo in femore graviter ſauciato. Suos recedenteis Santaudentius nihil territus gnaviter ſuſtinuit: ſed ipſe graviter vulneratus, ſegniter rem gerentibus ſuis, retro pedem ferre coactus eſt; qui poſtea ex eo vulnere deceſſit. Germani Gallorum damno attoniti, a ducibus tamen ſuis incitati, et ipſi proelium reſtituere conati ſunt: ſed a Colinio revocati, quod illos fruſtra futuros provideret, impetum inhibuerunt. Nec incruenta obſeſſis victoria fuit. Nam Paſſacus, qui ſuperiore bello Proteſtantium partes ſecutus fuerat, et Montalius, Guiſium in expeditione Pannonica nuper ſecutus, [e] Renaudius, et plerique alii ſtrenui ductores in eo certamine deſiderati ſunt. Colinius et [f] Moius cladem excuſabant, quod impetum non ad ultimam vim faciendam, ſed ad ruinam explorandam decretum dicerent; ſed nobilitatis decoris cupidae imprudentia factum, ut oppugnatores ulterius, quam oportuerat, progreſſi eſſent. Nox inſecuta magno ſilentio tranſacta fuit, inde ob moerorem Proteſtantium, hinc obſeſſis, ne in ipſa quidem victoria ob exitus incertum exultantibus. Triduum ſequens levibus proeliis conſumptum eſt, in quibus [g] Caſtrobriandus Rupibaritonius ſauciatus fuit.

XXII. CREBRESCEBAT fama de Andini cum ingentibus copiis adventu; qui, ut Proteſtanteis ab obſidione coepta averteret, ad [h] Caſtrum-Eraldi caſtra poſuit: quo cognito, Colinius vaſa conclamari jubet, honeſtam diſcedendi occaſionem quaerens, amiſſis in ea obſidione, ut multi tradunt, duobus hominum millibus, et diſploſis amplius IIII CIↃ tormentorum ictibus. Non plus quam C ex praeſidiariis, ut [i] Haius ſcripſit, et in iis XX ex nobilitate deſiderati: quorum circiter XII ducum partibus in exercitu fungebantur. Supplicationes mox decretae: quibus peractis, Guiſius, laudata oppidanorum conſtantia et amicitia ſua ultro delata, ad regem, qui [k] Caeſarodunum Turonum venerat, profectus eſt V Eid. Sept. cum eodem die Renatus [l] Sanzaeus comes cum CC equitibus majorem partem Italis, duce P. [m] Paulo Tuſingo, urbem ingreſſus eſſet. Poſt Guiſii diſceſſum oppidani [n] coenobium B. Cypriani, ex quo magna damna ab hoſtibus acceperant, ruinis jam foedatum, a fundamentis demoliti ſunt. Eo tempore de [o] Condivicino Namnetum primaria Armoricani principatus urbe praedivite in aeſtuario [p] Ligeris intercipienda Colinio ſpes facta eſt, ac [q] Poemenico arcis, cui praeerat Renatus Sanzaeus pater, VI conſciorum ope capiendae provincia demandata. Miſſus [r] Telinius cum IↃ equitibus ac totidem ſeloppetariis, qui, arce capta, urbem tenerent. Sed Poemenicus in ipſo rei gerendae momento, dum manus cum ſtationariis, jentaculo parato, lavat, annuli, quem digito

INTERPR. [a] *une batterie deſſous des Noyers.* [b] *de Piles.* [c] *de St. Audens.* [d] *les capitaines Paſſac, de Nozeret, Montail, & Carbonieres.* [e] *la Renaudie.* [f] *le ſieur de Mouy.* [g] *de Chateau-Briand, ſieur des Roches Baritant.* [h] *Chatelleraut.* [i] *la Haye.* [k] *Tours.* [l] *de Sanzay, dit St. Marſaut.* [m] *Paulo Toſinghi.* [o] *Abbaye de S. Cyprien.* [o] *Nantes en Bretagne.* [p] *la Loire.* [q] *Pomenic.* [r] *de Teligny.*

CIƆIƆLXIX. CAROLUS IX.

digito geſtabat, gemmam nulla vi ſed ſponte confractam animadvertit: eaque ſuperſtitione revocatus, quaſi rei infeliciter ſucceſſurae indicium eſſet, ab incepto ſuis ut deſiſterent, auctor fuit: et ita Telinii ad urbem adventus exitu caruit: ignorata tamen a Sanzaeo et oppidanis conjuratione, ejus conſilium nemini ex conſciis fraudi fuit. Jam Andinus ad Eraldi-caſtrum cis [a] Vigennam vallum duxerat; quo cum X CIↃ peditum, III CIↃ Germanorum equitum, CIↃ Italorum, II CIↃ Gallorum venerat, et VII Eid. Sept. infeſta verberatione L amplius paſſuum ruinam fecerat, juxta B. Catharinae portam, cum de [b] Pictavii ſoluta obſidione cognovit, et Colinium cum toto exercitu in itinere eſſe; quo magis ſibi maturandum duxit, ut ante adventum ejus extrema vis a ſuis tentaretur. Ibi controverſia inter Gallos et Italos exorta eſt, qui hunc honorem deferri petebant auxiliari genti religionis et decoris cauſa ex tam longinquis locis profectae: cum contra Galli pertenderent, tandem contentio ſorte dirempta eſt, qua Itali vicerunt. Itaque, ſigno dato, illi, virtutis oſtentandae et laudis, quam cupide adeo affectaverant, captandae ſtudio inflammati, ſumma alacritate ad ruinam vadunt. Urbi cum ſummo imperio praeerat [c] Loeus caſtrorum praefectus, qui penes ſe habebat ſuam levis armaturae, et [d] Valavorii, Broſſaci, Motae et Roeſſi alas, ſed numero ob crebra praelia valde deminutas, VII peditum ſigna, et ſcloppetarios equites, duce [e] Normano. Urbs in plano jacet, muro debilis, nec ſatis profunda foſſa vallata, aut pomoerio firmata ad Vigennam, cui et pontem impoſitum habet: verum inter murum et domos oppidi ſpatium quamvis vacuum interjacet; et praecipue in ea parte, ad quam ruina facta eſt. Ad ejus latus obſeſſi munitiones opera tumultuaria excitaverant, et in oppoſitis domibus, et praecipue [f] Caſtelletis aedibus ſcloppetarios collocaverant, qui infeſta ejaculatione irrumpenteis pellerent. Nam ad ruinam comparere, niſi cum manifeſto exitio, non licebat. Itali, qui viderent ruinam quaſi ab hoſte deſertam, [g] Octavium Montacutum et Scipionem Corbinellum, qui eam explorent, mittunt; quorum reditum minime ſibi exſpectandum rati ſocii ſubito inſiliunt, et ſigna in muris ſtatuunt. Verum ulterius provecti, cum undique in latus et a fronte a ſcloppetariis peterentur, urgentibus a tergo Gallis, duce [h] Coſſenio, qui, extra periculum poſiti, Italos, ne retro pedem ferrent, impediebant, unicum praeſidium in morte glorioſa repererunt, et conſertim caeſi amplius CC; in queis praecipui fuere [i] Juſtinianus Bencius, qui ſigno, quod geſtabat, complicato ſe involvens, Quando, inquit, cum hoc vincere non licet, in hoc moriamur: quo dicto, per mediam ſcloppetorum grandinem irrumpens, multis ictibus confoſſus vitam et ſignum ſimul amiſit. Deſiderati Octàvius Montaldus et ipſe III ſignorum dux, [k] Callocius Senenſis, Fabianus Montanus, Balduini Julii III pontificis maximi frattis filius, qui lethaliter ſauciatus, cum a ſociis in foſſa relictus eſſet, in urbem a victotibus praeſidiariis relatus ex vulnere paulo poſt deceſſit. Graviter vulnerati Franciſcus [l] Gualterotus et Hieron. Oricellarius. Nocte inſequenti cum Colinius ad ſuburbium trans Vigennam veniſſet, et per pontem, [m] Bernerio Allobroge ductore, CCCC ſcloppetarios auxiliareis in oppidum immiſiſſet, poſtridie Andinus ex ducum conſilio, jam tormentis loco motis, et retro remiſſis, vaſa conclamari jubet: et, relictis, qui contra erumpenteis pugnarent, ſub veſperam ad [n] Pilarum-portum progreditur; ubi pacate ac ſine tumultu tranſmiſit, cum fruſtra Proteſtantes, ducibus [o] Subiſio, Bellovaſio et Bricomotio, portum occupare et relictos in ea ſtationarios profligare conati eſſent, qui, obſtructis aditibus, ſe generoſe admodum defenderunt, et, digreſſis hoſtibus, tranſmiſſa [p] Creuſa ſe cum ſociis conjunxerunt. Colinius, vado inter Portum et Haiam explorato, poſtridie amnem tranſmittit;

INTERPR. [a] *la Vienne.* [b] *Poictiers.* [c] *de la Loüe, mareſchal de camp.* [d] *les capitaines Valavoire, Broſſay, la Motte, & de Roeſſes.* [e] *le capitaine Normand.* [f] *un logis nommé le Chaſtelet.* [g] *Ottavio da Montauto & Scipione Corbinelli.* [h] *de Coſſeins.* [i] *Giuſtiniano Benci.* [k] *Calloccio da Siena & Fabiano di Monte.* [l] *Gualterotti & Girolamo Rucellai.* [m] *le capitaine Bernier Dauphinois.* [n] *Port de Piles.* [o] *les ſieurs de Soubize, de Beauvoir la Nocle, & de Briquemaut.* [p] *la Creuſe.*

tranſmittit; et Andinum loco firmo caſtris munitis ſe continentem cum fruſtra ad proelium prolectare conatus eſſet, biduum commoratus, commeatu deficiente, retro pedem ferre, et rurſus, Creuſa tranſmiſſa, [a] Faiam-Vinoſam ad militem ex continuo labore recreandum concedere coactus eſt. Andinus ad [b] Cellas ſubſtitit uſque ad XVII Kal. Oct. reliquas copias ad ipſum in diem confluenteis expectans; et inde [c] Chinonem ad Vigennam divertit, per laxiora hoſpitia diſtributo exercitu. Hic exitus [d] Pictavii et Caſtri-Etaldi obſidionum fuit, utrique parti damnoſarum; quarum haec alterius ſolvendae cauſa extitit, cum errorem ſuum Colinius quamvis ſero agnoſcens honeſtam ab ea diſcedendi occaſionem quaereret: et cum huc uſque fortuna poſt Baſſacenſe proelium aequatis inter partes ſucceſſibus diu ambigua luſiſſet, totis viribus certandi neceſſitate impoſita, tandem commiſſa ad [e] Moncontürium pugna ad regis partes inclinavit.

XXIII. PAULO ante Eid. Sept. in ſenatu, Aegidio [f] Burdino cognitore regio poſtulante, in Gaſparem Colinium tanquam perduellem et laeſae majeſtatis reum peractum ſententia lata eſt; qua ille ad mortem damnatus, praemiumque L CIↃ aureorum ei conſtitutum, qui vivum ſtitiſſet. Poſtea IIII Kal. Oct. eodem Burdino poſtulante, ut omnis ambiguitas et dubitandi occaſio tolleretur, decretum, ut idem de eo intelligeretur, qui Colinium occidiſſet, ſive is externus ſive indigena eſſet; cui et praeter praemium, ſi in idem crimen incurriſſet, gratia delicti fieret. Eadem in Joannem [g] Ferrerium Carnutum vicedominum et Gabrielem comitem [h] Mongomerium ſententia lata eſt; quorum ut et Colinii effigies ignominioſe in plauſtro traductae et publice patibulo affixae ſunt. Senatuſconſultum in Colinium factum per totum regnum promulgatum; et, ut ad exteros ejus notitia perveniret, non ſolum patria, ſed curantibus Lotharingis etiam Latina, Germanica, Italica, Hiſpanica et Anglica lingua evulgatum eſt. Quod a Colinio pro tempore neglectum, tamen ex eventu tandem ratum [α] fuit. Dum Colinius Faiae eſſet, Dominicus [i] Albius ipſius cubicularius proditionis et veneficii accuſatus et convictus laqueo vitam finivit. Is, cum Navarrael, Condaei atque heri ſui literis ad [k] Bipontinum, cum adhue in limite noſtro eſſet, miſſus, et a [l] [β] Riverio Andini ſtipatorum praefecto [m] Briſſaci captus, literas et fiduciam ſibi commiſſam reginae, Andino et cardinali Lotharingo aperuerat; ab iiſque aliquot aureis corruptus et ſpe facta opimioris fortunae, cum ad Bipontinum perrexiſſet, et literas ab eo accepiſſet, eas rurſus ad Riverium affert, et quid de Germanorum rebus didicerat renunciat. Riverius, qui, ſemel fide violata, hominem nihil recuſaturum ſperaret, cum novis promiſſis onerat, et, ſi herum veneno tollere in animum inducat, montes aureos pollicetur: nec ille ſcelus abnuit; acceptaque pecunia et pulvere venenoſo, fidem obligat, et cum iis ad Colinium ad Pictavium haerentem redit; qui, ob diuturniorem moram aliquid ſiniſtri ſuſpicatus, Albium comprehendi jubet, et interrogatum ad criminis confeſſionem poſtremo adigit; ob quod ad mortem damnatus eſt.

XXIV. HEIC [n] Arauſionenſis, ne Belgii res omnino deſeruiſſe videretur, quo laborantibus ſuis praeſto eſſet, et novas copias in Germania ad Proteſtantium in Gallia et Belgio cauſam ſublevandam conſcriberet, principibus ac Colinio vale dicto, relictis Ludovico et Henrico fratribus cum expedito comitatu, diſſimulata perſona, ſe ſummo ſilentio in viam dat; et, tranſmiſſo [o] Ligeri, per [p] Vezelias in limitem noſtrum et inde in Germaniam incolumis evadit.

VAR. LECT. [α] fuit, ut ſuo loco videbimus *D. f. o. d.* [β] Rivario *ſemper* *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Faye la Vineuſe.* [b] *Celles.* [c] *Chinon ſur la Vienne.* [d] *Poictiers & Chatelleraut.* [e] *Montcontour.* [f] *Bourdin, procureur general.* [g] *de Ferrieres, ſieur de Maligny, vidame de Chartres.* [h] *de Montgomery* [i] *d'Albe, valet de chambre.* [k] *le duc de Deux Ponts.* [l] *la Riviere.* [m] *Briſſac.* [n] *le prince d'Orange.* [o] *la Loire.* [p] *Vezelay.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

ANDINUS, *Vigennam traducto exercitu, ad Loviodunum caſtra metatur. Inde ad Moncontur ium in hoſpitiorum metatione conflictus, quem nox diremit. Poſtridie totis viribus certatum, magno Colinii damno. Germanicus peditatus ab Helvetiis ad internecionem caeſus.* CIↃ *inter eos deſiderati, et* CCCC *equites;* CIↃ *Galli: reliqui ad Parthenaeum receptum habuerunt.* II. *Conſultatioue habita, duces in Angliam, Scotiam, Daniam ad auxilia imploranda mittunt.* III. *A. Valdraei Moii inſidioſa caedes.* IV. *Niortium deſeritur, quo rex venit. Luſinianum a Mirambello deditum, Fontenaium et Caſtrum-Eraldi. Couſilium de Joannis Augeriaci ſano in poteſtatem redigendo Niortii captum.* V. *Colinius cum reliquiis in Aquitaniam, abductis ſecum Navarro et Condaeo, tendit, ut Andinum ad ſe adtraheret.* VI. *Sanſacus Vezelias tentat.* VII. *Nemauſus in Septimania a Proteſtautibus exulibus Maduronis aſtu intercepta, et Santandreanus praefectus a fureute milite crudeliter confoſſus.* VIII. *Fani Joannis obſidio, in qua Seb. Lucemburgicus Martigius occumbit. Mediolanum Santonum deſeritur. Fanum Joaunis honorificis conditionibus a Pilio regi deditur.* IX. *Joannis Capellae et Honorati Caſtellani praeſtantiſſimorum medicorum, qui regi operam navabant, ex lue peſtilenti mors.* X. *Res in Boiis a Montaraeo geſtae. Mariae Barbanſonae Joannis Barrenſis viduae virtus.* XI. *Maranum* IIII *a Rupella leucis a regiis interceptum.* XII. *Avarici Biturigum proditio detecta et a Cl. Caſtraeo provinciae praeſide revicta.* XIII. *Excurſiones per Belſiam a Bulaeo equite. Milliacum in via Lugdunenſi nundinarum die direptum. Capti graſſatores Lutetiae capite luunt.* XIV. *In Aquitaniam deſcendunt principes: Aguillonium in Aginnatibus, cedente Monlucio, venientibus patet.* XV. *Ad eos triumphans e Benearni pago Mongomerius, Eluſa et Condomo in itinere captis, ſe adjungit, nequicquam ponte a Monlucio abrupto retardatus. Inde Montalbano in Septimauiam deſcendunt. Rex Italicas copias dimittit.* XVI. *Controverſiam de praerogativa inter Ferrarienſem et Coſmum, quae coram Caeſare agitabatur, inſigni praejudicio diremit pontifex, Coſmo magno Etruriae duce non citra Caeſaris indignationem creato. Exempla conſimilium creationum in medio allata.* XVII. *Altemburgenſe de religione colloquium ſine exitu ſolutum. Victoris Strigelii, Pauli Eberi, Joannis Loniceri, Danielis Barbari, Sixti Senenſis, Caelii Secundi Curionis, Baptiſtae Menilii obitus.* XVIII. *In Saxonia de controverſia Brunſvicorum cum urbe Bruuſvica tranſactum; quae, utcunque tunc compoſita, ſemper poſtea per intervalla renovata eſt. Boruſſiae ducis inauguratio Lublini a Sigiſmundo Auguſto Poloniae rege coufirmata. Gedanenſium cum ſenatu diſſidium, quod ſecutis inde calamitatibus materiam praebuit. Dani in Revalienſem portum invadunt.* XIX. *In Belgio Anglorum naveis Albanus ſiſtit, ob pecuniam interceptam; cujus cum reſtitutionem per Chapinum Vitellium in Angliam miſſum peteret, fruſtra fuit, magno negotiationis mutuae iucommodo.* XX. *Rei pecuniariae intentus Albanus, quaſi*

omnino

omnino debellatum eſſet, ſtatuam in arce Antuerpiana invidioſam ſibi ipſe ſtatuit. Varia in Belgio et Norico prodigia. XXI. *In Britannia occaſione tumultuantis Hiberniae varii motus fuere. Ormondiae comitis fratres foedus pro majorum religione reſtituenda ineunt, in id opes pontifice et Albano clam ſuas ſumminiſtrante. Regina in eos tandem ſupplices, in gratiam Ormondiae comitis fratris, ſumma clementia utitur. Compreſſus et Turloghus Leinighus ab Hebridianis, qui in Ultonia res novas movebat.* XXII. *In Scotia, reverſo in regnum Moravio, Araniae comes in patrem a Maria adrogatus ſe ei oppoſuit; et mox, cum a ſuis dezereretur, tranſegit. Argathelius in gratiam acceptus. Huntleius, quod cedere nollet, durius habitus.* XXIII. *Maria regno proprio excluſa in alieno laborat. Anglorum, qui majorum religionem abolitam dolebant, ſecreta conſilia: deſignati duces Norfolcii dux, Arundelii et Penbrochiae comites, non omnino ignaro aut alieno ab iis Suſſexiae comite. Interpellata a Norfolcio Eliſabetha de herede nominando, eoque Scotiae principe, et ut cum bona ipſius venia Mariam Scotam ipſi in uxorem liceat ducere. Id in malam partem interpretata Eliſabetha rejicit, et Scotam ab eo tempore diligentius obſervari jubet: et benignas pro ea ad Scotiae ordines literas ſcribit. Norfolcius turre Londinenſi incluſus cum Roberto Ridolfo a pontifice clam ſummiſſo; et inde aliquanto poſt emiſſi.* XXIV. *Percius Northumbriae et Nevillus Weſtmorlandiae comites pro majorum religione in limite arma ſumunt: quibus oppreſſis, Leonardus Dacreus majore mole res in limite novas molitur.* XXV. *In Scotia interim Limuuchi Moravius a percuſſore Jo. Hamiltonio ex inſidiis occiditur. Excurſiones a Waltero Scoto et Thoma Carro in limite Anglicano, et a Suſſexio revictae.* XXVI. *Proſcribitur a pontifice Eliſabetha; et a Joanne Feltono imperterrita audacia diploma ad epiſcopalium aedium valvas affigitur, qui ex conjectura comprehenſus ultro et palam ſe feciſſe profeſſus eſt et ſupplicio affectus. Ex ejus et aliorum confeſſionibus de conjuratione conſtitit.* XXVII. *Matthaeus Stuartus Leviniae comes, regis pueri avus, interrex et paulo poſt prorex creatur.* XXVIII. *Miſſi ab Eliſabetha Gul. Cecilius et Walterus Mildmaius ad Mariam, qui foedus Edimburgenſe urgerent, et conditiones novas proponerent. Ad eas graviter et prudenter a Maria reſponſum, re ad delegatos a vicariis ſuis remiſſa.* XXIX. *Thomas Stucleius, acciſis rebus, in Italiam profectus, ſpe pontificis animum implet; et pecuniam ab eo ſine alio fructu emungit. Connogherus O-brienus tertius Thomondiae comes res novas in Hibernia movet; ac poſtremo, fruſtra implorato noſtro auxilio, ſe reginae clementiae ſummittit.* XXX. *Gul. Herberti Penbrochiae comitis, Henrici Cliffordi Cumberlandiae itidem comitis, Nicolai Throcmortoni mors et elogium.*

Ex auctoribus,

Lad. Vicino P. P. Joanne Serrano, Bl. Monlucio, Fr. Lanovio, Hieronymo Catena, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.

LIBER

LIBER QUADRAGESIMUS SEXTUS.

CIϽIϽLXIX.
CAROLUS IX.

ANDINUS, refecto milite et acceptis XXV peditum ſignis, regni item delectibus, [a] Vigennam aquarum incremento tumidam non citra laborem ac moleſtiam rurſus VI Kal. Oct. pontibus ad id fabricatis tranſmittit, et hoſtem verſus tendit. [b] Monpenſerius primum cornu ducebat: ipſe cum acie [c] Loviodunum venit, locum commeatus copia abundantem, ut hoſteis annonae commoditate excluderet; et [d] Mirabellum uſque proceſſit, quo tranſitum iis in [e] Pictones et ulteriorem [f] Aquitaniam medius impediret: ejuſque conſilium ſucceſſus comprobavit. Nam, cum in itinere eſſet, Armanus [g] Guntaldus Bironus caſtrorum praefectus ei renunciat, ſe in hoſtium praecurſores [h] Moncontutium petenteis incidiſſe: quae res maturandi proelii cauſa exſtitit, ad quod utrique pronis animis ferebantur. Colinium urgebant [i] Septimani, Provinciales, Allobroges: qui, procul a domo diuturnitatis belli pertaeſi, et intolerabilibus incommodis conflictati, fortunae arbitrio quam primum rem committi exoptabant; quod ni fieret, diſcedere ſe paratos oſtendebant. Germani item ob non ſoluta ſtipendia paſſim murmurantes, et, paulum aberat, tumultuantes, ut decerneretur, petebant. Itaque Colinius, qui in eo erat ut aut ab illis deſereretur, aut ab his ſeditione excitata, quod Germanis ſolemne eſt, hoſte tam propinquo, opprimeretur, cum ſibi pugnandi neceſſitatem impoſitam videret, ne cogi videretur, proelium quoque conſulto ſe appetere ſimulavit. Andino etſi multae cauſae erant, quae eum a tentanda proelii alea dehortarentur, quod bellum ducere, abundante commeatu, qui ab oppidis circumpoſitis ſummittebatur, et nuſquam deficiente ſtipendio, quo militem ſub ſignis continere poſſet, ei utile et perfacile erat, tamen et ipſe diuturni belli pertaeſus proelium appetebat; eoque magis, quod intellexiſſet, [k] Arauſionenſem nuper in Germaniam profectum et ante eum Theodoricum [l] Schombergium novos delectus conſcribere; quos ſi rurſus in Galliam induxiſſet, novi nec niſi cum mutua pernicie finituri belli initium fieri: nam et regem externum militem conductutum, et ita effectum iri, ut, tot externis copiis utrinque convenientibus, belli duces, non in ſua ſed illorum poteſtate conſtituti, non plus periculi ab hoſtibus quam ab auxiliaribus ſibi ante oculos propoſitum viderent. Haec ducum, qui circa Andinum erant, ipſorumque conſiliariorum regis de univerſa belli, quod inſtabat, gerendi ratione argumenta memorabantur. Sed pro tempore maxime ad maturandum de pugna conſilium incitabat, quod allatum erat, [m] Mongomerium de [n] Benearno atque adeo porrecta ad Pyrenaeum Aquitania triumphantem cum victricibus copiis, aſſumptis in itinere [o] vicecomitum viribus, propediem in hoſtium caſtra venturum. Colinius igitur, cum ad vicum, cui [p] Clari fano nomen, II a Moncontutio leucis, veniſſet, pridie Kal. Oct. in planitie ſubjecta mane aciem inſtruit. In Proteſtantium exercitu tunc numerabantur VI CIϽ equitum tam Gallorum quam Germanorum, VIII CIϽ ſcloppetariorum, IIII Germanorum peditum haſtatorum fere et fariſſophororum; quippe ſcloppetarii inter eos tunc rari et inutiles; III murales machinae, II colubrinae et III minora tormenta: nam cetera a [q] Pictavio diſcedens [r] Luſinianum amandaverat. Aciem ducebat Ludovicus [s] Naſſovius per [t] Rupifulcaudii ex morbo decumbentis abſentiam. Colinius primum cornu regebat. Verum, cum

co

INTERPR. [a] *la Vienne.* [b] *le duc de Montpenſier.* [c] *Loudun.* [d] *Mirebeau.* [e] *Poictou.* [f] *Guienne.* [g] *Gontaut de Biron, mareſchal de camp.* [h] *Montcontour.* [i] *ceux de Languedoc, Provence, & Dauphiné.* [k] *le prince d'Orange.* [l] *de Schomberg.* Germ. *Schoenberg.* [m] *le comte de Montgomery.* [n] *Bearn.* [o] *les vicomtes.* [p] *St. Cler.* [q] *Poictiers.* [r] *Luſignan.* [s] *le comte Ludovic de Naſſau.* [t] *le comte de la Rochefoucaud.*

eo die non comparerent regii in aciem inſtructi, poſt levia aliqnot proelia a praecurſoribus utrinque conſerta, ipſe ab exploratoribus deceptus, qni regium exercitum procul abeſſe renunciaverant, Moncontnrium, quod jam [a] Lanovius, Locus cum VII equitum vexillis, et [b] Normanus cum ſuis ſcloppetariis praemiſſi occupaverant, verſus tendit, relicto a tergo [c] Moio, qui ultimum agmen cum CC equitibus ac totidem ſcloppetariis clauderet. Dum incedunt, Monpenſerius, qui primum cornn in Andini exercitu ducebat, in itinere a ſuis de hoſtium receptu monitus gradum accelerat, et in Moium aliquot equitnm vexilla immittit; contra quos viriliter frontem obvertens Moius CC ſcloppetarios in ultimo agmine opponit, qui crebra diſploſione primum ſequentium equitum impetum aliquantum inhibuerunt, donec incumbente equitatu fuſi, et C amplius ex iis caeſi ſunt. Heic vero Moius minime ſe deſeruit; ſed firmiter pugnans, eum ad manus cum regiis veniſſet, eorum vim, ſed cum damno ſuorum, ſuſtinuit. Nam [d] Dodencurtius ipſius legatus, vir inſigni virtute praeditus, in eo conflictu deſideratus, et [e] Monteurinius, qui juxta eum pugnabat. Captus et Albertus [f] Papa Santalbanus, qui ex regiorum manibus ſe explicuit. Dum certatur, utraque Proteſtantium acies trans rivulum, non citra tumultum, per lutoſas voragines evaſit: quo pertranſito, regii vim inhibuerunt, et ſpatium colligendi ſe hoſtibus dederunt, jam tum plenam victoriam relaturi, vel fatente F. Lanovio, ſi recedentibus inſtitiſſent. Ubi vero, regiis conſiſtentibus, illi quoque ſubſtitere, Colinius, qui ab exploratoribus deluſus, cum regium exercitum minime adeſſe crederet, in ejus conſpectu ſe magno errore receperat, eum emendare voluit, ad pugnam ſuos hortatus, ſingulos duces appellando et prenſando; in primiſque Germanos in fidem adactos bono animo eſſe jubet; factumque excuſat, quod de ſtatu rerum [g] Andini non certo cognoviſſet: finem errori in rivi tranſitu factum eſſe: nunc, quod antea tantopere expetiviſſent, ac paene facto convicio flagitaſſent, pulchram occaſionem dari conſerendi cum Andino proelii; gratiaſque Deo agendas eſſe, quod eam ultro Andinus ipſe offerat. Haec cum ſumma animi praeſentia ac conſtantia dixiſſet, ne eam potius ſimulare quam habere videretur, quo magis ſuos confirmaret, illis conſilii audacis et, ut multis viſum eſt, temerarii, ſed pro tempore neceſſarii, auctor extitit; ut, rivo tranſmiſſo, rurſus regios laceſſerent: et ipſe cum ſuo agmine et [h] Acierii equitum turma primus, quamvis ſolutis ordinibus, ut fit in hujuſmodi anguſtis callibus, tanto impetu in eos invectus eſt, ut, ſuccedentibus Germanis nullo ordine, ut quemque obvium habebant, in fugam verterint, captis uno atque altero ſigno, et XXV circiter interfectis: ſed, incumbente totis viribus acie, facies rerum verſa; et, qui inſequebantur, mox pedem retulere, nec fugiendi finem fecere, donec in peditatum obvium incurrere. Pars [i] Parthenaeum, alii [k] Moncontnrium uſque, quaſi jam debellatum eſſet, trepida fuga ſe recepere. Vulnerati graviter [l] Serra et Riverius, qui poſtea ex eo vulnere deceſſit. Jamque quaſi ad pugnam inſtruuntur utrinque acies, cum Bironus in collibus ad fauces planitiei ſubjectas diſpoſitis loco opportuno tormentis, cum ſua jam Proteſtantes Moncontnrium praemiſiſſent, in hoſteis infeſta diſploſione ejaculari coepit. Peditatum Gallicum ad pedem collis locaverat Colinius, ut a fulminatione tormentorum tegeretur, Germanico ob loci anguſtiam ad ictus expoſito, qui proſtratis in terram corporibus eos uteunque eludebant: ſed, tranſlatis tormentis et utrinque diverſis locis collocatis, ita ut decuſſata verberatione ntrinque latus ferirent, tum vero Germanicus equitatus, qui confertus ſtabat, graviter admodum infeſtari coepit. Prima diſploſione interfecti [m] Carolus Wolradi Manſeldii frater et tres cum eo equites. Minus damni Gallicus equitatus a tormentis patiebatur; quippe qui longa ſerie, non conſertis ordinibus, ut hodie,

INTERPR. [a] *de la Nouë, & la Louë.* [b] *le capitaine Normand.* [c] *de Mouy.* [d] *de Dodencourt.* [e] *de Monteurin* [f] *Pape de S. Auban.* [g] *le duc d'Anjou.* [h] *le ſieur d'Acier.* [i] *Parthenay.* [k] *Montcontour.* [l] *la Serre & la Riviere.* [m] *le comte Charles de Manſfeld.*

CIƆIƆLXIX. hodie, porrigebatur. Heic Wolradus querelis ſuorum victus, cum apud Colinium Carolus IX. inſtaret, ut ſe reſpiceret, et alia cuncta Colinio deeſſent quae praeſenti incommodo levamentum afferrent, non defuere voces, quibus ille, laudata Wolradi et Germanorum fide ac virtute, eos Gallicae libertatis atque adeo religionis vindices unicos identidem appellans ad conſtantiam hortabatur. Inter has anguſtias nox praecipitans plenam victoriam regiis abſtulit, et Proteſtanteis, ſicuti pugna [a] Sandionyſiana acciderat, certo exitio eripuit, qui feſſi et lento ac infeſto certamine fracti, nullo receptus ſigno dato, ſenſim recedentes tribus abhinc milliaribus inter duos amneis pernoctaverunt; quorum alter, cui [b] Divae nomen, Moncounturium alluit, quo ante auroram poſtridie profecti ſunt. Deſiderati in eo conflictu ex Proteſtantibus, praeter jam memoratos, [c] Inſulanus nobilis ordinum ductor, et cxx pedites et xv equites; ex regiis haud amplius quam xxx. Andinus, promota ad [d] Clari fanum acie, loco, in quo certatum fuerat, in victoriae ſignum tentoria fixit, et poſtridie, praemiſſis qui de hoſtium ſtatu cognoſcerent, Moncounturium verſus cum exercitu iter habuit. Cumque hoſteis trans Divam copias patentibus campis diſpoſuiſſe per exploratores didiciſſet, ut eos ad proelium cogeret, retro ad Divae fontes juxta [e] Grimalderiam tendit, quo citra periculum exercitum tranſmitteret. Dum in eo res ſunt, duo ex Andini caſtris, petito cum Proteſtantibus colloquio, de propenſa ſua erga conciveis voluntate praefati, Colinium monendum curant, ut a pugna abſtineret, et nocte ſe in tutum reciperet: nam eas eſſe regiorum vireis, eamque in milite alacritatem, cui ſuſtinendae pares minime ipſos exiſtiment. Id Colinio renunciatum, re in concilio ducum agitata, eos anxios aliquandiu tenuit; cum alii non negligenda amicorum monita, et tuta honeſtioribus conſilia anteponenda cenſerent: alii contra id inimicorum aſtu agi, conſiliaque ab hoſtibus profecta tanquam ſuſpecta rejicienda ducerent; qui et addebant, nocturnos receptus non ſolum dedecoroſos, ſed et periculi et confuſionis plenos eſſe. Haec ſententia cum viciſſet, Colinius, qui alteram probaret, tamen contradicere non auſus, ſic res componit, quaſi praevalenti opinioni acquieſceret. Erant et alia, quae Colinium etſi reſtitantem ad rem proelio permittendam incitabant. Nam audiebantur vulgo in caſtris hae voces, Quouſque noſtra patientia principes ac duces abutentur? Jam totus annus procul a domo ſine ſtipendio abiit; et hyemem ſub dio per nives, per glaciem ſine tentoriis exegimus, tam adverſa tempeſtate, ut inter ſe infeſtae acies confligere non potuerint; neque animi ſed vires ad mutuam perniciem ſibi inferendam defuerunt. Nunc eadem ab aeſtu patimur, in obſidionibus, in ſtativis tam crebro permutandis, inter gladios et inimica omnia: nec ſatis eſt ferro includi, niſi etiam ſpe pugnae adempta petamur, ut nuper, cum denſo tormentorum imbre obrueremur, et lenta peſte concidentibus tela in adverſum hoſtem mittere non licebat. Tandem finis miſeriis vel ipſa morte imponatur. Nullum periculum defugimus. In hoſtem quam primum ducamur, aut ſacramento ſolvamur. Pars miſericordiae eſt, cum neceſſitas moriendi inſtat, cito occidere. His et aliis de cauſis incitatus ſeu coactus Colinius, praemiſſis noctu impedimentis, ſummo mane ante ſolis ortum vaſa conclamari jubet, et [f] Ervallium verſus iter pronunciat: et, ſi quidem omnes in tempore adfuiſſent, neceſſitati pugnandi praevertere potuit; ſed, ſerius ad iter convenientibus copiis, etiam illud incommodum acceſſit, ut Germani pedites niſi perſoluto ſtipendio ſigna efferre recuſarent, eorumque exemplum ſecutae aliquot equitum turmae eodem momento tumultuari coeperunt; quibus placandis aliquot horae impenſae; quo factum eſt, ut Andinus, quamvis flexuoſo itinere incedens, Proteſtanteis, antequam in tutum evaſiſſent, aſſecutus ſit, et eos ad periculoſam proelii aleam ſubeundam invitos compulerit. Colinius, ut ſuos, qui jam importunis querelis diſcedendi occaſionem quaerebant, in officio

INTERPR. [a] *de St. Denis.* [b] *la Dive.* [c] *le capitaine de l'Iſle.* [d] *S. Cler.* [e] *la Grimaudiere,* [f] *Ervaux.*

officio contineret, principes [a] Parthenaeo evocaverat; quorum adventu magnam CIƆIƆLXIX.
recentium hominum et praecipue Santonicae et Aquitaniae nobilitatis acceſſionem CAROLUS IX.
fore ſperabat: quae ſpes illum feſellit; nam tantum illi cum CL equitibus venere, adducto ſecum [b] Acierio jam ex morbo convaleſcente, ut proelio intereſſent; qui, ſalutatis Germanorum ducibus et nobilitate Gallica benigne appellata, intermortuam veluti in militum animis alacritatem praeſentia ſua reſtituerunt. Cum igitur ſerius ob eas, quas dixi, cauſas Monconturio profecti eſſent, [c] Ervallium verſus tendentes, in Andinum, jam [d] Diva tranſmiſſa, cum toto exercitu properantem inciderunt, in campis [e] Aſſaeis vulgo appellatis. Is ad laevam deflexerat, ut deſcenſum in inferiores Pictones Proteſtantibus intercluderet, miſſo Ervallium [f] Allardo, qui locum occuparet; iiſque, qui [g] Thoarſium tenebant, mandarat, ut [h] Thoae amnis illac labentis vada diligenter ſervarent. Diverſa parte, Colinius [i] Banvinerium Campenſem cum delecta manu miſerat, qui anguſtias paludoſas, quibus Ervallium itur, inſideret, quo ad omnem eventum ſibi eo receptum pararet. Ipſe autem ſic rem ordinaverat; ut Ludovicus Naſſovius, qui aciem ducebat, ad dextram incederet, et quaſi Ervallium petens paulum progrederetur, attributis ei III tormentis et I colubrina: ipſe primum agmen regebat, ad laevam incedens, qua parte venturos regios cognoverat: [k] Moius ſubſequebatur cum II tormentis, totidem colubrinis et aliquot campeſtribus machinis, penes ſe [l] Pigreſerium, Lanovium et Telinium habens. Aderat et Wolradus Mansfeldius, ſummus Germanici exercitus dux; cujus partem Ludovico attribuerat, partem item peditatus, quam Granvillarius ducebat. Ibi Germani, cum proſtrati terram more ſuo exoſculati eſſent, fidem ſacramento obligant, pugnam ſe fortiter capeſſituros. Ita diſpoſitis copiis, ut inter equites ipſi pedites pugnarent, quod erat Colinio conſuetum, in primo cornu Germani conſerto agmine ſtabant, ducibus [m] Gerolſechio et Granvillario; quos hinc inde legiones Gallicae cingebant [n] Pilii, Roborei, Bricomorii junioris et Chelarii, quibus admixtae erant IIII equitum turmae Gallorum et Germanorum. In acie erant legiones [o] Baudinei, Monbrunii, Blaconi, Mirabelli, Virielli, ſcloppetariis fere ac raris ſariſſophoris conſtantes; quos equites eadem ratione intermixti ſuſtinebant. Ante frontem volones conſiſtere juſſi utramque aciem praetexebant. Andinus in totidem acies exercitum partitus fuerat: primae praeerat Monpenſerius, in qua Helvetiorum IIII CIƆ, duce [p] Clerio, ad dextram collocatorum cum VIII majoribus tormentis, V Gallorum legiones, ducibus [q] Barta, Sarlaboſio, Inſulanis fratribus, et Onuxio. Primam equitum turmam ducebat [r] Martigius; qui primus poſt levem armaturam, ut fit, in fronte poſitam impetum facere juſſus erat; quem Franciſcus Borbonius [s] Delfinus Monpenſerii filius cum Franciſco [t] Regio Chavignio ſubſequebatur; cui ad dextram attributi [t] Sanflorius comes cum Mario et Paulo fratribus, Franciſco [u] Saxatelli comite, Scipione [v] Picolomineo, et Carolo Birago cum Italico equitatu: ultimus incedebat Monpenſerius; cujus latus tegebant Germani equites, ducibus [w] Dietziis Heſſis, Rheni comitibus fratribus, [a] Weſterburgio comite, et Gaſpare Schombergio, qui XVIII vexilla habebant. Guiſius et Jo. [x] Nogaretus Valeta cum Helvetiis ſtare juſſi, qui ad omneis caſus praeſto eſſent. Erant omnino in prima acie V CIƆ IƆ equitum. In acie quam Andinus ducebat, erant [y] Aumalius et Longavillanus duces,

Arturus

VAR. LECT. [a] Veſtenburgio *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Parthenay.* [b] *d'Acier.* [c] *Ervaux.* [d] *la Dive* [e] *la plaine d'Aſſay.* [f] *le capitaine Allard* [g] *Thouars.* [h] *le Touet.* [i] *l'Aubouymere des Champs Poiclevin.* [k] *de Mouy.* [l] *de Puygreffier, la Noüe, & Teligny.* [m] *le baron de Gerolſeck, & Granvillars.* [n] *de Piles, Rouvray, le jeune Briquemaut, & du Chelar.* [o] *de Beaudiné, de Montbrun, Blacons, Mirabel, & Virieu.* [p] *le colonel Clery.* [q] *la Barte, de Sarlabous, les deux de l'Iſle, & d'Onoux.* [r] *le vicomte de Martigues.* [s] *le prince Dauphin d'Auvergne.* [t] *le Roy, ſieur de Chavigny* [t] *di Santa fiore.* [u] *Saſſatello.* [v] *Piccolomini & Ch. de Birague.* [w] *les comtes de Diez de la maiſon de Heſſe, les Rhingraves, le comte de Weſterburg, & Gaſpard de Schomberg.* [x] *Nogaret de la Valette.* [y] *d'Aumale & de Longueville.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX. Arturus [a] Coſſaeus equitum tribunus, Gaſpar Saulius Tavanius, Honoratus Sabaudus Villarii marchio nuper a rege poſt Colinii condemnationem maris praefectura donatus, [b] Faieta, Gulielmus Momorantius Thoreus, Franciſcus Carnavenoius, Jo. Scarſius Valliguidonius, Renatus Villoclarus, Podius Vatanus, Veſinius, Mallius Monſtrolii praefectus cum III equitum cataphractorum CIↃ, et cum eo CIↃ equites Germani ſub V vexillis, duce Petro Erneſto [c] [α] Mansfeldio cum aliquot peditum ſignis; CIↃ item alii, quos Carolus marchio Badenſis ducebat. Helvetiorum legioni praeerat Lud. [d] [β] Fiſerus, et ante eum Carolus [e] Momorantius ſtabat ſummus Helvetiorum praefectus, quos hinc inde Hiſpani et Belgae a Philippo miſſi tegebant. Tum IIII legiones ſequebantur, duce [f] Coſſenio, Goa, Fabiano Monlucio, et Rantio; ante quos collocata erant VII majora tormenta; et rurſus in prima acie volones ante omnes conſtitui. Andinus inter Helvetios et Badenſem ſtabat. Helvetios hinc inde Coſſaeus et Mansfeldius cum ſuis equitum turmis cingebant. Carnavenoius cum L cataphractis equitibus ex primaria nobilitate ante Andinum pugnare, Bironus cum praefectis caſtrorum a tergo ad latus Andini dextrum conſiſtere juſſi. Cum jam utrique propinquarent exercitus, Tavanius et [g] Bironus, quibus multum tribuebat Andinus, in collem proximum aſcendunt, ut hoſtem venientem commodius contemplarentur. Heic Tavanius, eo conſpecto et inceſſu diligenter notato, exultanti ſimilis et quaſi de eventu ſecurus ad Andinum redit, et, felicia omnia ſpondens, non ſolum alacritatem in militum animis excitavit, ſed etiam incredibilem cunctis ardorem pugnandi injecit. Andinus cohortatus ſuos, ut non tam ad pugnam quam ad certam victoriam ſe pararent, aciem quo dixi ordine inſtruit, ſub VIII fere horam matutinam more noſtro. Diſploſa ſtatim tormenta hoſtilia; quibus regii, majore cum fragore reſponſantes, non tam certos, ſed crebriores ictus plerumque inferiora ferientes in terram frangebant. Cum vero ex Tavanii conſilio Andinus acies ad laevam paulum flexiſſet, Colinius contra ſuas ad dextram tendere jubet, ut [h] Ervallium verſus ſibi liberum iter ſervaret. Primus in Proteſtantium volones factus impetus; quibus poſt acre certamen caeſis ac diſſipatis, Monpenſerius ex Coſſaei conſilio ordinibus laxatis paulum ad laevam flectit, ut Andino venienti viam aperiret. Heic principes ſuos adhortati, ut virtutis ſuae memores in hoc proelio aut ſalutis aut exitii fortunam verti ſibi perſuaderent, pugna excedunt. Colinius, qui totis viribus Monpenſerium in ſe incumbentem videret, a Ludovico Naſſovio, qui ſub principibus aciem ducebat, petit, ut ſibi Germanorum equitum vexilla ſubſidio mitteret; qui ſtatim, relicta acie, pugnandi deſiderio incenſus, magno errore ea ipſe ad Colinium adduxit. Tum Monpenſerius [i] Martigium immittit, qui poſt violentum certamen [k] Moium ſuſum in peditatum impulit: mox incumbente totis viribus Monpenſerio, et Colinio impetum firmiter ſuſtinente, acerrime utrinque pugnatur ancipiti diu fortuna, ita ut Proteſtantes multoties victoriam inclamarent. Ibi Colinius ſcloppeti ictu tranſverſo in mala vulneratur, quod fruſtra tegere conatus, tandem pugna ſubducere ſe ſine ſtrepitu cogitur: [l] Autricurius, qui mediam oppoſitam aciem calore pugnae incitatus perruperat, in conflictu periit. Tum Andinus, jam labare regiam aciem a Tavanio monitus, Helvetios ſuos praetervectus et in conſertos ruens praeſentia ſua eam reſtituit; ſed non citra periculum: nam in primo conflictu Badenſis marchio, qui latus ejus cum Germanorum equitum agmine tegebat, interfectus eſt; et, niſi Arturus Coſſaeus, qui Helvetiis ad laevam ſtabat, neque dum ſe loco moverat,

ad

VAR. LECT. [α] Mansfeldio, a Philippo uti dixi miſſo, cum aliquot *D. f.* [β] Triferus *D. f.*

INTERPR. [a] *le mareſchal de Coſſé, G. de Saulx ſieur de Tavanes, de Savoie marquis de Villars.* [b] *la Fayette, de Montmorency ſieur de Thoré, F. de Carnavalet, Jean d'Eſcars ſieur de la Vauguyon, R. de Villequier, du Puy-Vatan, de Veſigny, de Mailly gouverneur de Monſtreuil.* [c] *le comte de Mansfeld.* [d] *Phiffer.* [e] *de Montmorency, ſieur de Meru, colonel general des Suiſſes.* [f] *de Coſſeins, de Goas, Fabian de Montluc, & Rance.* [g] *de Biron.* [h] *Ervaux.* [i] *Seb. de Luxembourg, vicomte de Martigues.* [k] *de Mouy.* [l] *d'Autricour.*

ad omneis caſus intentus, cum ſuis in tempore accurriſſet, procul dubio Proteſtantes CIↃIↃLXIX.
victoriam omoium judicio reportabant. Sed feſſi illi et oumero impares a recenti- CAROLUS IX.
bus repulſi primo cedere, dein, ſupervenieotibus Birono et ceteris caſtrorum praefectis, poſtremo in ſugam verti coeperunt; Germanique peditatum ſuum, jam ab Helvetiis regiis obſtinata pugna pro aemulatione, quae inter eos intercedit, labefactatum, ſugientes obtriverunt. Nam medii quaſi per ruinam ingreſſi eos diviſerunt; quod poſtea Helvetiis ad illos internecione delendos viam aperuit; et, quamvis, abjectis armis, ſupplices in terram prociderent, crudeliter fere omoes jugulati ſunt. Gallis, qui III CIↃ ſe ad illos applicuerant, nam alii jam ſe fuga in tutum ſubduxerant, ab Helvetiis et equitatu regio ſuperveniente Andini juſſu parcitum; quorum tamen CIↃ circiter in pugna cecidere. CC fere Germani ex IIII CIↃ ſuperſtites noſtrorum humanitate ſervati ſunt, qui cum duce illorum Hectore [a] Reileno in Germaniam regis juſſu incolumes remiſſi: reliquiae fuſi exercitus partim [b] Parthenaeum, partim [c] Niortium cooceſſerunt. Quidam etiam, metu alas pedibus addente, [d] Rupellam et Engoliſmam uſque profugerunt. Ludovicus Naſſovius et Wolradus Mansfeldius cum Germanorum, quos ducebant, agmine, ordinibus ſervatis, [e] Ervallium et inde Parthenacum nocte concubia pervenerunt. [f] Aumalius, [g] Bironus, Thoreus cum caſtrotum praefectis fugienteis aliquanto tempore inſecuti ſunt; ſed irrito ſucceſſu, Naſſovio ſumma cum militaris ſcientiae et virtutis laude in ipſorum conſpectu ſe recipiente. Magna ſtrages edita a milite, caedis ad [h] Rupembellam editae et Sancolumbani et aliorum in Benearni pago interfectorum adhuc memori: oumerati ſunt, ultra Germanos pedites, de quibus diximus, bis mille Galli pedites et CCC circiter equites; complures equi vulnerati. Numerum cum augent, qui lixas, caculas et hujuſmodi hominum colluviem, quorum magna multitudo diverſo mortis geoere periit, inter caeſos recenſent. Capta tormenta, et Germanorum impedimenta; nam Gallorum ante pugnam Parthenaeum et Niortium praemiſſa ſunt ſervata: omnia fere peditatus ſigna. Magni nominis ex oobilitate viri occiſi [i] Tanaquilius Bochetus Pigreſſerius veteranus dux, [k] Autricurius, [l] Bironus Birooi frater, et [m] Sanbonetus. Captus Fr. [n] Lanovius, et vix e maoibus furentium ereptus; captus et Jacobus [o] Cruſſolius Acierius a [p] Sanfloriano, multum ſuccenſente pontifice, quod ei contra mandata pepercisset; et poſtea, ſic jubente eodem pontifice, ſine pretio dimiſſus, ne praedae potius quam Sectariae peſtis extinguendae cauſa ſui militare viderentur: ſic enim in ejus vita ſcribit Hieronymus Catena. Ex regiis deſiderati IↃ equites; et in iis magni nominis [q] Rheni comes grandior natu, Philibertus marchio Badenſis, et [r] Claromontius Allobrox: ex Italis Franciſcus [s] Saxatelli comes, [t] Franceſcinus Peruſinus, et Scipio Picolomineus [t] Othonis Montacuti legatus. Petrus Erneſtus Manſfeldius in brachio graviter vulneratus, et Rheni comes junior: Guiſius ipſe in pede vulnus accepit, ex quo diu claudicavit: Gaſpar [u] Schombergius, in coxendice ictus, in campo cum ſuis in victoriae ſignum pernoctavit: [v] Mallius item et Baſſompetra ſauciati: qui omnes convaluere. Id actum V Non. Oct. Albertus [w] Gondius Radeſiarum comes ab Andino, qui ad [x] [α] Geneſii fanum venerat, profunda jam nocte ſtatim ad regem fratrem, qui [y] Caeſaroduni erat, mittitur, optatum rei feliciter geſtae nuncium ferens; qui, per Galliam ſparſus, et inde in Italiam perlatus, inaudita laetitia omnium animos implevit, ac ſpe in poſterum, quaſi de Proteſtantibus in Gallia omnino debellatum eſſet.

II. DISPERSI

VAR. LECT. [α] Genuſii *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Reilen.* [b] *Parthenay.* [c] *Niort.* [d] *la Rochelle & Angouleſme.* [e] *Ervaux.* [f] *le duc d'Aumale.* [g] *de Biron & le ſieur de Thoré.* [h] *Roche d'abeille & Ste Colombe.* [i] *Tannegay du Bouchet, ſieur de Puygreffier,* dit *St. Cyre.* [k] *d'Autricour.* [l] *Foucault de Gontaut de Biron, ſieur de Puybeton.* [m] *de St. Bounet.* [n] *de la Noue.* [o] *de Cruſſol, ſieur d'Acier.* [p] *le comte de Santa fiore.* [q] *le Rhingrave.* [r] *de Clermont Dauphinois.* [s] *Saſſatello.* [t] *le capitaine Franceſino da Perugia.* [t] *Otto da Montauto.* [u] *de Schomberg.* [v] *de Mailly & de Baſſompierre.* [w] *de Gondy, comte de Retz.* [x] *S. Generoux ſur le Thouet.* [y] *Tours.*

CIↃIↃLXIX.
CAROLUS IX.

II. DISPERSI poſt tantam cladem duces cum Parthenaeum omnes conveniſſent, concilio habito, oratores ſuos in Angliam, Scotiam, Daniam, unde [a] Sanſimonius paulo ante redierat, et ad Helvetios mittunt, qui cladem acceptam quibus poſſent ſpecioſis rationibus apud eos elevarent, et nihilominus, conjunctione cauſae demonſtrata et communi periculo propoſito, auxilia mature ſummitti peterent. Ante alios cardinalis [b] Caſtellionaeus cum Joanne [c] Ferrerio Carnutum vicedomino ea de re ſedulo apud ſereniſſimam Angliae reginam agebat; quae non ſolum ſociorum laborantium periculum non neglexit, ſed ipſa miſſis ad foederatos principes eandem religionem profeſſos legatis eos ad ſuppetias in communi cauſa ferendas hortata eſt. His decretis, principes ac ceteri belli duces cum iis, quae ſuperetant, copiis, aliquanto tempore, quantum anguſtiae patiebantur, ad reficiendas vireis conceſſo, poſt tertiam a media nocte horam [d] Parthenaeum relinquunt, et [e] Niortium recta tendunt III Non. Oct. quo eodem die Henricus [f] Champernounus cum C equitibus Anglis egregie inſtructis in caſtra venit, a Navarraea regina ac principibus honorifice exceptus, in cujus vexillo inſcriptum erat, DET MIHI VIRTUS FINEM. Rebus pro tempore ordinatis, principes Niortio, utpote ſatis firmo, quod victorem inſequentem ad aliquot dies remoraretur, [g] [*] Moium fortiſſimum ducem cum idoneo praeſidio imponunt; et inde [h] Joannis Angeriaci fanum petunt, quo jam Armanus [i] Claromontius Pilius venerat, qui oppido muniendo ſedulo incumbebat. Attributi ei, praeter eos quos penes ſe habebat, IↃ ſcloppetarii cum ala equitum [k] Motae Pujolii, et Murei ſcloppetariis. [l] Oriolus Santo nobilis, qui antea oppido praeerat, Pilio ultro imperium detulit. [m] Engoliſmam quoque miſſa ſubſidia. [n] Rupellam inde concedunt principes, tutum et unicum poſt tantam cladem perfugium; et quod non minori Proteſtantibus tunc adjumento fuit, vel F. Lanovii judicio, quam ſuperioribus bellis Aurelianum fuerat. Nam, praeter urbis firmitatem et ſitus commoditatem, vix dici poteſt, quantum ex claſſe illic fabricata et inſtructa utilitatis in belli ſumptus ad eos redierit.

III. NEC ceſſabat Andinus, qui ex ducum conſilio ſucceſſibus inſiſtendum ratus Parthenaeum vacuum venit, et mox Niortium ducit. Cumque Moius ad ejus adventum violenta eruptione cum ala ſua equitum excurriſſet, dum redit, a tergo nefanda proditione a [o] Lupario Morevellio ſcloppeti ictu vulneratur, percuſſore ſe mox pernicis equi, quem dono ab ipſo Moio paulo ante acceperat, ope ad regios recipiente. Graſſator is noſtra memoria inſignis in Lotharingorum familia inter pueros nobileis educatus fuerat, qui jam tum pravae indolis ſpecimen dedit, cum ob graviorem culpam admiſſam a paedagogo, ut fit, ſevere caſtigatus eum proditione occidit, et mox ad hoſtem transfugit paulo ante [p] Rantiacam pugnam. Ab eo tempore transfuga, poſt pacem cum Philippo factam ſe rurſus in Guiſianorum familiam inſinuavit; et, cum praemium interfectoribus Gaſparis Colinii curiae Pariſienſis decreto propoſitum eſſet, operam ſuam in id ultro detulit, acceptaque pecunia ad hoſteis tranſiit, ac ſtudium erga Proteſtantium doctrinam ut puriorem mentitus, quo fidem majorem faceret, gravibus ſe a Guiſianis injuriis affectum, multa praeter verum comminiſcens, affirmabat. Cum fruſtra, quod promiſerat, ſaepius exequi tentaſſet, et periculum veritus de eventu deſperaret, ne nihil egiſſe videretur, familiaritatem cum Moio arctiſſimam contraxit, cum quo ſatis diu conjunctiſſime vixit; tuncque vicinis adeo exercitibus occaſione captata, in eum, qui praecipuae ſecundum Colinium auctoritatis inter Proteſtanteis erat, quod contra Colinium non auſus fuerat, executus eſt: quod ei tamen poſtea exitium, ut merebatur, tandem attulit; ſed funeſto

VAR LECT. [*] Moium Valdraeum D. f.

INTERPR. [a] *de St. Simon.* [b] *de Chaſtillon.* [c] *de Ferrieres, vidame de Chartres.* [d] *Parthenay.* [e] *Niort.* [f] *Champernoun.* [g] *de Mouy.* [h] *S. Jean d'Angely.* [i] *de Clermont, ſieur de Piles.* [k] *la Motte-Pujols & la Mure.* [l] *d'Oriol.* [m] *Angouleſme.* [n] *la Rochelle.* [o] *de Louviers de Maurevel.* [p] *bataille de Renty.*

funeſto ipſis ultoribus exitu, ut ſuo loco videbimus. Ex eo vulnere Moius non ſtatim mortuus eſt; ſed, cum hortatu amicorum Niortium deſerere, ut muneribus militaribus inutilis, et [a] Mediolanum Santonum ac poſtremo Rupellam ſe recipere coactus eſſet, ibi paulo poſt deceſſit.

IV. Ejus diſceſſu praeſidiarii animis concidere, et [b] Broſſio, qui urbem prius contra [c] Ludenſem defenderat, cum ccc ſcloppetariis diſcedente; quae mox venienti Andino patuit: eoque ſtatim rex ac regina cum Carolo cardinali Lotharingo venere, ut victoriam praeſentia ſua magis firmarent. [d] Luſinianum munitiſſimam totis his regionibus arcem eodem tempore [e] Pontius Mirambellus, cum, milite fremente, omnem auxiliorum ſpem ſibi praecluſam videret, a [f] Lanſaco proxima cognatione ſibi conjuncto perſuaſus vitam et res ſalvas ſuis pactus poſt crebras denunciationes dedidit; cujus rei ratione poſtea non mediocriter ſugillatus eſt. [g] Fontenaeum item, quod a [h] Pluvialio Clavaeo, adhuc ex ruina, quam dixi, non ſatis firmo tenebatur, quod ſuſtinendae obſidioni impar eſſet, deſeritur: et ille [i] Maranum, quod ſummiſſis ſub id auxiliis tuendum ſuſcepit, conceſſit. [k] Lornaeus, qui [l] Eraldi-caſtrum tenebat, cum ſua equitum ala et [m] Moranii ſcloppetariis, ad fecialis ab Andino miſſi denunciationem locum deſerit; cui praeſidiarii, qui [n] Calviniaci ad Vigennam, Rupipozaci, Angulae, Prulliaci, et Clarovallii erant, ſe conjunxerunt, et per [o] Oblincam in Biturigibus profecti [p] Sancerram verſus et Charitaeum iter inſtituerunt. In itinere [q] Gornaeus ſtrenuus ordinum ductor poſt Monconturianam cladem [r] Dei-Burgum oppidum ſitu firmum aſtu interceperat, cum in eo [s] Monlucius, Panſerius et Fagius et alii ordinum ductores eſſent, qui tamen Proteſtantium manus evaſere. Cumque ex [ſ] Caſtro-ruffo, quod hinc vix ſcloppeti jaculatione abeſt, et vicinis locis ad rei famam multi eo accurrerent, quibus ille ſuſtinendis minime par erat, commodum ei accidit, ut illi, quos dixi, e [t] Pictonibus profecti, Lornaeo duce, Burgum advenirent; et ante eos [u] Bricomotius, qui e gravi morbo paulum recreatus, cum iis quos penes ſe habebat, cum ſe in viam dediſſet, a ruſticis et aliis infeſtatus, impedimentis amiſſis et multis ex ſuis, vix tandem incolumis eodem appulit, ubi ex recidivo morbo afflictus ad aliquot dies ſubſiſtere coactus eſt. Tam vicinis praeſidiis acriter quotidie certabatur, et plus cc utrinque deſiderati ſunt, alternante ſemper fortuna et ad neutras partes inclinante, donec praeter provincialeis et alii undique mandatu Claudii [v] Caſtrei Biturigum praefecti ſubito coacti tandem advolarunt, et Burgum-Dei corona cinxerunt, locum procul dubio vi expugnaturi, niſi Guerchius cum delecta manu Charitaeo profectus, et fluviis interjectis ſumma temeritate an audacia incertum tam alieno tempore vado aut natatu tranſmiſſis, illos obſidione liberaſſet, et ſecum in tutum deduxiſſet. Poſtea exorta inter [w] Boſium et Guerchium diſſenſione res paulum ab exitiali ſeditione abſuit, et progreſſus Proteſtantium illis locis multum retardavit. Jam ante [x] Allobrogum et Septimanarum copiarum ductores domum redeundi copiam a principibus et Colinio petierant, quos ille variis promiſſis oneratos et ſpe proximae pugnae huc uſque in caſtris retinuerat. Tunc vero, re cum Verbelio [y] Anicienſis epiſcopi fratre communicata, non petita venia, [z] Engoliſmam ſe contulerunt; quibus multi mox ſe adjunxerunt. Ii igitur, [aa] Monbrunio, Mirabello, Quintello, Verbelio Ponteſio, praecipuis ducibus, pridie Eid. Oct. numero cccc equites et aliquot ſcloppetarii equites per [bb] Petrocorios

Solliacum

INTERPR. [a] *Saintes.* [b] *la Broſſe.* [c] *le comte du Lude.* [d] *Luſignan.* [e] *de Pons de Mirembeau.* [f] *de Lanſac.* [g] *Fontenay.* [h] *de Puviant Claveau.* [i] *Marans.* [k] *Lornay.* [l] *Chatellerant.* [m] *le capitaine Morans.* [n] *Chauvigny ſur Vienne, la Rocheposay, Chateau d'Angle, Prouilly, & Clervaut.* [o] *le Blanc en Berry.* [p] *Sancerre & la Charité.* [q] *le capitaine Gournay.* [r] *le Bourg-Dieu.* [s] *le jeune Montluc, Panſieres, & du Faux.* [ſ] *Chateaux-roux ſur Indre.* [t] *Poictou* [u] *de Briquemaut.* [v] *de la Chaſtre, gouverneur de Berry.* [w] *le capitaine Bois, & de Maraſin ſieur de Guerchy.* [x] *de Dauphiné & de Languedoc.* [y] *l'evêque du Puy.* [z] *Angouleſme.* [aa] *de Montbrun, Mirabel, Quintel, de Verbelet.* [bb] *Perigort,*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX. [a] Solliacum biduo poſt venerunt. Ibi [b] Duranium tranſire decreverant; ſed, amne ultra modum inflato, ut vado tranſiri non poſſet, conquirendis navigiis moram diututniorem, quam oportuit, fecere, et interim locorum vicinorum praeſidia, [c] Sarlato, quo convenerant, profecta, in ſcloppetarios incogitanteis, parte eorum jam tranſmiſſa, irruunt, et citra magnum certamen fuſos partim ſpoliant, partim in flumen mergunt. Capti Quintellus, [d] Mormoronus, et Sarraſius, qui tamen mox dimiſſus eſt. Qui jam tranſmiſerant, non minus et ipſi initio ſecuri, ad ſtrepitum excitati arma capiunt, et inſtructis ordinibus periculum, quod illis par immiaebat, in tempore anteverterunt. Nam, ſociis deſertis, per [e] Cadurcos ſacto itinere [f] Acieram profecti, citra damnum [g] Aurillacum in Arvernis paulo ante a [h] Beſſonerio interceptum incolumes pervenerunt. Poſtquam rex [i] Niortium venit, in concilio agitatum fuit, quid facto opus eſſet. Nam alii hoſtem nulla mora interjecta perſequendum cenſebant, et veſtigiis fugientium inſiſtendum; quos ſi adſequerentur, aut facile vincerent, aut muris incluſos, capto loco, omneis in poteſtate haberent. Alii irritum inſequendi hoſtis conſilium dicebant, qui, diſtributo per praeſidia peditatu, cum equitatu expeditus ſine impedimentis incederet: victoriae tantae cum praecipuum fructum eſſe, ut loca ab hoſtibus occupata recipiantur; multis jam deditis, pauca ſupereſſe, quae, ſi diligentia et vis adhibeantur, mox aliorum exemplum ſecutura ſint: proinde primariam eorum urbem petendam, quo Pictonibus et Santonibus omnino exturbentur: alioqui, ſi quae loca ab iis inſeſſa a tergo relinquantur, fore, ut vel unius oppidi occupatione totius provinciae poſſeſſionem retineant. Et in horum ſententiam itum eſt, aeque pernicioſo errore, quam Colinius nuper [k] Pictavium obſederat, et, quamvis diſpari fortuna, haud feliciori exitu. Igitur decretum, ut [l] Joannis Angeriaci fanum ante omnia in poteſtatem redigeretur.

V. INTERIM, dilabentibus in dies copiis, principes ex Colinii ſententia, relicto [m] Rupellae Franciſco [n] Rupiſulcaudio comite, in [o] Aquitaniam ſecedere et in [p] Septimaniam tranſire ſtatuunt; partim, ut a conſilio obſidendi Joannis fani Andinum, quem ſe inſecuturum rebantur, revocarent; partim, ut novum exercitum conſciberent, et ſocios praeſentia ſua illis locis confirmarent; miſſis prius ad Mongomerium nunciis, qui cum [q] Montalbani ſubſiſtere juberent, et [r] vicecomites monerent, ut quantas poſſent copias cogerent: nam brevi adfuturos principes; et intereſſe communis cauſae, ne adventu ſuo res imparatas offendant. Igitur [s] Mediolano Santonum, cum equitatu Gallico et Germanico ac III circiter CIↃ peditum, quos [t] Roboreus ducebat, [t] Argentalium ad Duranium profecti ſunt VIII Kal. Nov. quo Beſſonerius Aurillaco nuper a ſe occupato venerat, ut navigia fluvio tranſmittendo pararet. VIII dies in id inſumpti. [u] Bordum interea in Arvernis oppidum, deditionem facere juſſum cum initio recuſaret, tandem II aureorum CIↃ exſolutis et libero tranſitu permiſſo vim a ſe avertit. Arvernis metu injecto, quaſi belli moles in eos eſſet inclinatura, principes per [v] Rutenos et Cadurcos iter flectunt, infra [w] Cadenatum [x] Olga trajecto, et per [y] Martini fanum et Cauſſadam Montalbanum tandem perveniunt; ubi illos Mongomerius, qui nuper [z] Benearno, re bene geſta, venerat, cum victricibus ſuis et vicecomitum copiis opperiri juſſus erat. [aa] Monbrunius et Mirabellus jam Aurillacum pervenerant, et [bb] Arpajonum ad reficiendum militem hoſpitium ſibi delegerant, quo et [cc] Fulcus cum LX circiter equitibus diverſa via venerat, et inde cum Mirabello iter inſtitutum perſequens, a praeſidiariis [dd] Rolliaco egreſſis et ruſticis, qui ſumma montis cacumina occupaverant, ac per devia interclusis aditibus ubique

INTERPR. [a] *Souillac.* [b] *la Dordogne.* [c] *Sarlat.* [d] *Mormoiron du Comtat, & Sarraz du haut Vivarais.* [e] *Quercy.* [f] *Acier.* [g] *Aurillac en Auvergne.* [h] *la Beſſoniere.* [i] *Niort.* [k] *Poictiers.* [l] *S. Jean d'Angely.* [m] *la Rochelle.* [n] *de la Rochefoucaud.* [o] *Guienne.* [p] *Languedoc.* [q] *Montauban.* [r] *les vicomtes.* [s] *Saintes.* [t] *Rouvray.* [t] *Argental.* [u] *Bord en Auvergne.* [v] *Rouergue.* [w] *Cadenac.* [x] *le Lot.* [y] *St. Martin & Cauſſade.* [z] *Bearn.* [aa] *de Montbrun & Mirabel.* [bb] *d'Arpajon.* [cc] *de Foulques.* [dd] *Rouillac.*

ubique infeſti occurrebant, repulſus, rurſus Arpajonum redit: tandemque, trajecto Olga, per Rutenos et [a] Cebennas montes [b] Privatum et mox Albenacum in Vivarienſi agro cuncti incolumes [α] pervenerunt. Aurillaco et toti provinciae [c] Verbeletus a principibus cum ſummo imperio praepoſitus, [β] qui nuper Arvernis CIↃ CC ſelopetarios et CCC cataphractos conſcripſerat, et grandem pecuniam in eos ſumptus provinciae imperaverat. Eodem tempore [d] Santeranus Arvernorum praeſes, eum, capto Aurillaco, tumultuarias copias, ut oppidum reciperet, coegiſſet, adventu principum revocatus, [e] Sulpitii fanum, arcem quae a [f] Salliano tunc aegro tenebatur, vi capit, et, Salliano obtruncato, uxorem ejus virilis animi foeminam, quae ipſum Santeranum vulneraſſe dicebatur, captivam [g] Flori fanum ſecum abduxit. CIƆIƆLXIX. CAROLUS IX.

VI. DIVERSA parte, Sanſacus, qui poſt irritam [h] Charitaei obſidionem in vicinis regionibus, quo eas in officio contineret, haeſerat, ſub tempus victoriae ad [i] Moncontourium partae in Burgundia et [k] Nivernenſi agro ſucceſſibus tantis inſiſtendum ratus, exercitum rurſus conſcribit, in quo erant VIII equitum alae et XXXII peditum ſigna, quibus Odoardus [l] Foeſſius praeerat, IIII machinae murales, II colubrinae; et cum his [m] Donzium oppidum commeatu opportunum ducit, quod a [n] Boſio tenebatur, qui ſtatim, loco deſerto, ut infirmo, Charitaeum ſe contulit. Impoſito praeſidio, Sanſacus [o] Nucetum tendit, quod a militibus vitam ſalvam pactis deditur, quorum plerique tamen [p] Auguſtobonam Tricaſſium abducti a furente plebe immaniter trucidati ſunt. [q] Vezeliae firmiſſimum in Heduis oppidum, initio belli a [r] Taroto et aliquot ex vicina nobilitate aſtu admotis ſcalis ſub crepuſculum matutinum, cum excubiae mutarentur, interceptum, tunc a [s] Saraceno ſtrenuo ordinum ductore cum peditum ſigno tenebatur. Eo cum Sanſacum ducere decreviſſe intellexiſſet Guerchius, II peditum ſigna auxilio ſummiſerat, et [ſ] Bloſſetus, Ribompetra, Beſanſeus ſe ad rei famam eodem contulerunt, quod locum momenti maximi ad provinciam in officio retinendam exiſtimarent. Oppidum monti praealto et undique praerupto, niſi ab una parte, qua aditur, inſidet; ad haec firmis muris ac turribus cingitur. Sanſacus pridie Non. Oct. locum luſtrat, et inde [t] Aquenum et fanum Petri, qui vici ad pedem montis ſiti ſunt, conceſſit, ac biduo poſt III ſigna ad obſidionem praecedere jubet, juxta [u] Barlenſem portam fano Stephani adjacentem: contra quos praeſidiarii eruptione violenta egreſſi II ſigna fundunt; tertium vinetis proximis ſe continuit. VI Eid. ducta foſſa, Barlenſis turris pulſatur; biduumque continuata verberatione angulus turris dejectus eſt: ſed biduo poſt tranſlatis machinis ad poſticum nova verberatio facta, et ad eam partem VIII ſigna collocata ſunt; aliaque ruina rurſus edita, pridie Eid. duobus locis Sanſacus vim facit; et eodem tempore, quo vireis praeſidiariorum magis diſtraheret, juxta Franciſcanorum aedem ſcalas admoveri jubet: utrobique acriter certatum; ſed propter arduum et difficilem ad ruinas aſcenſum, egregie ſe defendentibus oppidanis, qui direptionem veriti pari cum praeſidiariis fide et animorum alacritate pugnabant, conatus fruſtra fuit. Repertus tamen unus nomine Albertus [v] Caſſius, qui communicato cum ludimagiſtro conſilio crebris literis de ſtatu obſeſſorum Sanſacum monebat, locis item oppidi infirmis, ad quae commodius verberationem fieri oporteret; eaſque funda ſuper muros ejaculabatur; qui tandem deprehenſus cum ludimagiſtro capite plexus eſt. Occiſi utrinque in illo impetu plerique; et inter eos Saracenus ipſe loci praefectus. Tum mutata rurſus verberatio, et ad Franciſcanorum aedem directa eſt, quod praeſidiariis

fidiariis

VAR. LECT. [α] pervenerunt, Monbrunio propter adverſam valetudinem Aurillaci relicto: cui nuper et toti provinciae *D. f. o. d.* [β] qui nuper Arvernis *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *les Cevennes.* [b] *Privas & Aubenas en Vivarais.* [c] *de Verbelet.* [d] *de St. Heran, gouverneur d'Auvergne.* [e] *St Sulpice.* [f] *le ſieur de Saillans.* [g] *S. Flour.* [h] *la Charité* [i] *Montcontour.* [k] *le Nivernois.* [l] *le ſieur de Foiſſy.* [m] *Donzy.* [n] *le capitaine Bois.* [o] *Noyers.* [p] *Troyes.* [q] *Vezelay.* [r] *du Tarot.* [s] *le capitaine Sarrazin.* [ſ] *Bloſſet, Ribompierre, & Beſanſeu.* [t] *Aquien & S. Peré.* [u] *porte du Barle,* autrement dite *St. Eſtienne.* [v] *de la Chaſſe.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX. ſidiariis ſucceſſu primo inflatis animos fecit. Itaque cum rurſus Sanſacus vi facta fruſtra fuiſſet, corruptis tormentis et CCC ex ſuis amiſſis, quamvis aegre, ab obſidione diſcedit, et [a] Avalionem proficiſcitur, ut comparatis novis machinis rurſus eandem obſidionem tentaret: a qua et pari infelicitate nec diſpari praeſidiariorum virtute repulſus, quod vi non poterat, arcta indagine cincta urbe, ut eam commeatus inopia ad deditionem compelleret, facere decrevit: quod conſilium illi aeque infeliciter ſucceſſit, importato aliquoties [b] Charitaeo commeatu a [c] Bricomotio et Guerchio; qui, regiorum ſtationibus plerumque dejectis, oppidum ingreſſi animos obſeſſis addebant, et eos ad ſuſtinendam conſtanter obſidionem hortabantur. Praeter primam obſidionis jacturam uſque ad XVII Kal. Jan. quo omnino obſidionem ſolvit Sanſacus, amplius CIↃ equites amiſſi; et in iis Odoardus [d] Foeſſius peditatus praefectus.

VII. EODEM fere tempore [e] Nemauſus in Septimania miro Proteſtantium aſtu intercipitur. Ea Narbonenſis Galliae praecipua civitas eſt, praeter opes et alia hujus aevi decora, ſupra omneis, quae toto orbe Romano fuerunt, ſi Romam unam excipias, antiquitatis venerandae monumentis ſpectanda, amphitheatro, palatio, delubro Veſtae extra urbem, et admirandae paſſim pulchritudinis ruderibus ac fragmentis, quae cum recentibus regum noſtratium aedificiis integris etiam hodie certant, ac poſtremo fonte cognomine veterum teſtimoniis famoſo et tunc urbi fatali. Nam Proteſtantes, qui nimium quam multi illis locis ſunt, partim inde exacti, partim in dignitatibus ac fortunis male habiti a [f] Santandreano urbis praefecto jam ſeniore, ſed ſupra aetatem ferociter iracundo, ut ſunt Septimanorum ingenia aut in amorem aut in odium nimia, cum et ultionis et patriae repetendae deſiderio aeque arderent, nihil non agebant, occultis cum amicis, qui in urbe remanſerant, conſiliis, hortatibus, vi, dolis, ut bona ſua ac libertatem priſtinam reciperarent. Magna exulum pars ad [g] Geneſii fanum haud procul profugerant, locumque ante moenibus a regiis nudatum rurſus vallo et foſſa muniverant; ubi dum in commune conſultant, lignarius quidam faber ex Calviſſone municipio nomine [h] Madaro ſpe praemii invitatus viam ſe reperiſſe dicit, qua civeis Nemauſenſeis in patriam reduceret. Fons ille, quem dixi, tanta aquarum copia fluit, ut molatrinis compluribus extra et intra urbem ferviat, inter [i] arcem et Carmelitanam portam decurrens, in quam per canalem admittitur, porta humili clathris ferreis obſerata; ſupra quam haud longe ab arce, quam [k] Aſtulius cum praeſidio ſervabat, ſpecula collocata erat, quae ſingulis horis noctu permutabatur; iſque, qui in ſtatione erat, cum ex ea diſcederet, pulſato arcis tintinnabulo commilitoni ad id deſtinato, ut in vicem ſuccederet, ſignificabat. Id aliquo temporis ſpatio interjecto fiebat: quo obſervato, Madaro, re cum amico, qui haud procul ab urbis foſſa juxta arcem humileis aedeis habebat, communicata, cancellos illos ferreos lima ſecandos aggreſſus fuerat. Id autem ea ratione peractum ferunt. Cum Madaro in foſſam excendebat, fune a ſocio, qui in urbe erat, accepto ſe cingebat, et cum [l] ſpeculae permutabantur, prout ſocius ducebat aut laxabat funem, nam ita inter eos convenerat, per intervalla illa monebatur aut opus urgere aut intermittere. Tum, antequam illuceſceret, cera et luto deſuper ſecturas oblinebat, et quam minimo cum ſtrepitu diſcedebat. Opus per XV circiter noctes, non continuas, ſed ut maxime illunes ac nimboſae erant, ſumma conſtantia conſummatum, cum Madaro toto eo tempore in luto genuum tenus haereret, et pluviam ac coeli injurias patientiſſime ferret. Adjuvabat hominis induſtriam tempeſtas autumni, quae maxime iis regionibus ventoſa eſſe ſolet, et aquae ſubterlabentis murmur, ne fragor exaudiretur; qui ſi quando exaudiebatur, cuivis cauſae potius tribuebatur, et aut fontis collidentia ſaxa ſecum volventis aut canum erronum ſemeſa

oſſa

INTERPR. [a] *Avallon* [b] *la Charité.* [c] *de Briquemaut & de Guerchy.* [d] *de Foiſſy.* [e] *Niſmes en Languedoc.* [f] *de St. André.* [g] *S. Geniez.* [h] *Madaron charpentier de Cauviſſon.* [i] *le Chateau & la porte des Carmes..* [k] *le capitaine Aſtoul.* [l] *Sentinelles.*

oſſa rodentium eum ſonitum ſtationarii ſuſpicabantur. Non prius quam perfecto ſummo ſilentio opere, ne interim res emanaret, Madaro exules XVII Kal. Dec. adit. Res periculi ſummae plena initio videbatur: ſed, cum univerſorum ſalus in illa verteretur, eam tentari placuit; negotiumque a [a] Salvatio, qui principum nomine vicinae regioni imperabat, datum [b] Sancoſmo ſtrenuo ordinum ductori, ut cum CCC delectis tam equitibus quam peditibus rem ſuſciperet. Is igitur magno ſilentio profectus ſuos in olivetis, quibus urbs circumdata eſt, in inſidiis collocat: dumque paſtor, quem ille ſecum duxerat, precibus de more conceptis, ſocios ad rem fortiter capeſſendam efficacibus et ex religione ipſa petitis argumentis hortatur, res incidit, quae animos alioqui periculi magnitudine perculſos ſere conſternavit. Nam repentina et Novembri menſe inſolita coruſcatio emicuit, tam crebro ac longo ſulgore, ut plerique ſe a ſtationariis detectos arbitrarentur; et alioqui pavidi homines occaſionem diſcedendi quaerentes caſum illum tanquam averſantis rem Dei ſignum ſuperſtitioſe interpretabantur. Contra cum Sancoſmus, ſuffragante paſtore, tanquam proſperum rei feliciter ſucceſſurae augurium a Deo acciperet, qui luce ſua fidis gloriae ſuae aſſertoribus in tenebris contra veritatis hoſteis praeiret, ſic ille partibus ſuis blandiens loquebatur, tandem ipſe in foſſam exſcendit; et, cancellis facile revulſis, cum XXX, quibus magis fidebat, per canalis portam in urbem ingreditur, dato negotio lixis ac caculis, ut, cum primum ingreſſus eſſet, ipſi cum equis circa muros magno cum ſtrepitu diſcurſantes numeroſi equitatus advenientis opinionem oppidanis injicerent; tum ſe ad [c] portam Coronalem, qua admitti debebant, ſiſterent, et, per eam ingreſſi, per vicos itidem eadem ſpecie diſcurſantes opinionem jam conceptam magis ac magis confirmarent: adjuncti eis inſuper tubicines aliquot, qui per urbem quaſi captam perſonarent. Ad ſtrepitum ſtationarii, qui ſupra canalem excubabant, in arcem confugiunt; et pulſato tintinnabulo ad arma conclamant. [d] Paſſanus cum XXC Sancoſmum ſecutus juxta arcem conſedit, ut praeſidiariis egreſſum et oppidanis ad illam acceſſum intercluderet. Sancoſmus, ad [e] Carmelitarum profectus, ſtationem obviam trucidat, quae ſere ſacerdotibus conſtabat, qui de ſalute ſua anxii contra infenſos aſſidue excubabant. Iis caeſis, ad Coronalem portam tendit; ubi centurionem nactus, pugione ad os adacto teſſeram ab eo expoſcit: qua intellecta et inter ſuos diſtributa, jam libere per urbem divagari coepit; et Coronali porta refracta cacularem equitatum admittit; qui, ut juſſus erat, majore, quam bellatores feciſſent, ſtrepitu vicos implevit, tanto terrore praeſidiariis ac oppidanis, qui in IIII ſigna diſtributi continuo in armis erant, injecto, ut multi pedem domo efferre vix auderent: alii palantes et trepidi ſine ducibus a conſciis, et iis qui in urbe erant, capti et armis ſpoliati ſunt. Santandreanus cum armatis aliquot ſubito caſu oppreſſus, fruſtra diſperſos colligere conatus, cum receptum ad arcem ſibi percluſum videret, gratia a Proteſtantibus deſperata, temerario conſilio ſe ex moenibus in foſſam ſaltu demiſit; lapſuque illo cum homo jam ſenio gravis ſibi crus fregiſſet, in foſſa a ſuis relictus ad lucem uſque jacuit. Multi, qui in amphitheatrum, vulgo arenas vocant, trepide confugerant, portaſque lapidum fortuito objectu obſeraverant, mane, loco deſerto, per [f] Santantonianam portam emiſſi ſunt. [g] Aſtulius arcis dux, qui in urbe hoſpitium habebat, cum XXV, quos penes ſe habebat, [h] Dominicanam portam occupat, eamque fortiter reſiſtens ad medium uſque diem inſequentem contra victores defendit; quo tempore urbe excedens per poſticum rurſum in arcem ingreſſus eſt. Capta citra magnum certamen urbe, tamen, ut ab infenſis et recenti injuria irritatis, vario inſolentiae et crudelitatis genere etiam extra belli jura a victoribus in victos ſaevitum

CIↃIↃLXIX.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Servat, lieutenant pour les princes.* [b] *Nicolas de Calviere, ſieur de St. Coſme au dioceſe de Niſmes.* [c] *porte de la Couronne.* [d] *de Pouſſac.* [e] *porte des Carmes.* [f] *porte de S. Antoine.* [g] *Aſtoul.* [h] *porte des Jacobins.*

CIↃIↃLXIX. ſaevitum eſt, CL amplius ex oppidanis occiſis. Santandreanus in urbem et hoſpitium
CAROLUS IX. ſuum telatus mox a furente plebe, cum in lecto decumberet, ſcloppeti ictu confoſſus eſt. Saevientium in dies oppidanorum furorem compreſſit [a] Sanromani adventus, a principibus miſſi, ut cum ſummo imperio [b] Septimaniae praeeſſet, quem [c] Fulcas cum iis quas ſecum adduxerat copiis ſecutus eſt. Reſtabat arx, quam Aſtulius cum L armatis totum trimeſtre obſtinate defendit, accepto a [d] Margaritani caſtri, quod III leucis abeſt, praeſidiariis auxilio: ſed poſtea cuneis actis cum aliqua pars turrium concidiſſet, neque magno praeterea profectu, tandem praeſidiarii omnis auxilii ſpe deſtituti deditionem fecere.

VIII. INTEREA Andinus caſtra ad Joannis fanum promovit; quo principes, antequam [e] Santonibus relictis in ſuperiorem [f] Aquitaniam tenderent, multos auxiliareis miſerant: ſed, ſeu ſucceſſus deſperatione ſive aliam ob cauſam diſcedentibus illis, nemo fere mandatis paruit; unuſque Franciſcus [g] Perſona repertus eſt, qui cum XXX circiter militibus et totidem locorum vicinorum oppidanis, eodem ipſo die quo regiae copiae propinquavere, in urbem ingreſſus eſt, hoc eſt, XVII Kal. Nov. cum ante Bironus eo a rege miſſus praeſidiarios ad deditionem faciendam fruſtra hortatus eſſet. Fanum [h] Joannis Angeriaci, cui a coenobio venerandae antiquitatis nomen, oppidum eſt loco humili ſitum ad [i] Botonam, quae ex [k] Engoliſmenſi agro deſcendens per [l] Chiſaeum et Tonaeum, quod, ad diſtinctionem [m] alterius ad Carantonum poſiti, ad Botonam vulgo cognominatur, alveo anguſto, ſed profundo, labitur, et foſſam urbis majorem partem alluit, ac [n] ſuburbium S. Crucis ab ea dividit; de cetero turribus ac moenibus ſtructurae optimae firma urbs, quam et operibus feſtinatis [o] Pilius, quantum per temporis anguſtias licuerat, poſt amiſſum [p] Niortium muniverat, excitatis juxta arcem, [q] Alnetenſem portam, quam terra ingeſta ſolido opere firmaverat, et alia loca, quae minus valida cenſebantur, ſumma diligentia propugnaculis. Cum eo erant [r] Mota-Pujolius, Ramerius, Palvelius, cui vulgo Fravo Serido nomen, Eſſartius, Garda Montaltus, et Perſona. Eruptionibus per [s] Matenſem et Niortenſem portam factis primo die pugnatum, dum interim a ceteris praeſidiariis ſuburbia diruebantur, et arbores circum ſuccidebantur, quo conſpectus obſeſſis liberior eſſet, inde quoque congeſtis ad firmanda pomoeria lignorum faſcibus. Quinto poſt die Pujolius, rurſus eruptione cum CC facta, regios, qui Alnetenſe ſuburbium tenebant, magno impetu aggreditur, et II ſigna capit, amiſſo ex ſuis [t] Paraſolio centurione, cujus et frater a regiis captus eſt. Demum VII Kal. Nov. rex in caſtra venit, feſta tormentorum diſploſione et ſublato laetantium militum clamore ſalutatus; moxque juſſi deditionem facere praeſidiarii cum recuſaſſent, qui locum Navarri principis Aquitaniae praeſidis ſe mandato tenere aiebant, poſtero die admota tormenta, ex colle vineis conſito ad Niortenſem et Alnetenſem portas verberatione directa; cujus vi eo die magna ruina edita eſt, nocte inſequenti fere ſarta; intus etiam foſſa ducta, et propugnaculis ad latera exſtructis, ex quibus infeſta ſcloppetariorum ejaculatione regii vim facientes repellerentur. Ea diſploſione praeſidiarii plerique male habiti; et Ramerius in primis ictu repercuſſi tigni locis duobus ſauciatus; qui, cum de exitu, ſi ſtatim impetus factus fuiſſet, vereretur, in hoſpitium referri non tulit; maluitque curationem differre, quam officio tam neceſſario tempore deeſſe; praeſentiaque ſua effeciſſe creditur, ut regii, cum militem ad vim ſuſtinendam ſe pro ruina oſtentantem cernerent, rem eo die tentandam non exiſtimaverint; quod ut obſeſſis ſaluti fuit, ſic Ramerio, ex vulneribus, ſi in tempore curatus fuiſſet, fortaſſe convalituro, exitium maturavit. Nam violenta illius diei contentione plaga inflammata

INTERPR. [a] *le ſieur de St. Romain.* [b] *Languedoc.* [c] *de Foulquet.* [d] *Château des Marguerites.* [e] *Saintonge.* [f] *Guienne.* [g] *la Perſonne.* [h] *S. Jean d'Angely.* [i] *la Boutonne.* [k] *l'Angoumois.* [l] *Chiſay & Tonnay-Boutonne.* [m] *Tonnay-Charente.* [n] *fauxbourg Ste Croix.* [o] *de Piles.* [p] *Niort.* [q] *porte d'Aunis.* [r] *la Motte-Pujols, la Ramiere, l'un des Paluels dit le capitaine Fravo Serido, les Eſſarts, & la Garde Montaut.* [s] *portes de Matas & de Niort.* [t] *le capitaine Paraſol.*

inflammata paulo poſt deceſſit, magno ſui deſiderio relicto. Sequeotibus diebus CIƆIƆLXIX.
alio directa verberatio fuit, editaque ingenti ruina ad [a] Alnetenſe propugnaculum, CAROLUS IX.
injuſſu ducum impetus ad eam factus; ſed non illatis ſignis, ac proinde minus felici ſucceſſu. Semel atque iterum repetito certamioe, tandem repulſi regii, [b] Aralio, qoi ruinam tuebatur, et VII armatis ac totidem ad Alnetenſem munitionem obliqua colubrinarum pulſatione occiſis: plures ex regiis deſiderati. Opinio tenuit etiam inter Proteſtanteis, ſi totis viribus impetus factus fuiſſet, eo die debellari potuiſſe. Certe [c] Pilius jam murum diverſa parte aperiri juſſerat, illac cum ſuis erupturus, dum miles praedae intentus pet urbem diſcurreret. Repetita dein rurſus per Bironum concordiae via, monito Pilio ut ſe reſpiceret, neque extremam regis patientiam tentaret: jam [d] Luſinianum et Niortium deditum; et [e] Mediolanum Santonum ac Cognacum in eo eſſe ut conditiones acciperent; et principes, quorum contrarium mandatum cauſaretur, procul abeſſe, ac jam [f] Duranium tranſmiſiſſe: nullam jam auxiliorum ſpem ſupereſſe, infeſtis undique locis vicinis: proinde ad pacis rationes inclinaret, a qua rex minime alienus eſſet, et ipſe interim honorificas conditiones non reſpueret. Pacis injecta mentio, etſi colloquia reformidantem, accipere cooditionem de pace agendi ſubegit. Igitur obſides utrinque dari placuit. [g] Guitinerius pridie Non. Nov. a rege in urbem miſſus, dum [h] Perſooa a foederatis delegatus ad regem, qui [i] Landis hoſpitium habebat, veniret. Ibi a tribunis equitum humaniter exceptus, cum nullum ſe de deditione mandatum habere, tantumque ſibi permiſſum diceret, ut de pacis per univerſum regnum conſtituendae conditionibus, quae ptoponerentur, ad ſuos referret, illi viciſſim pacis ſe rationes conſectari teſtati ſunt; ſed non videre, qui, principibus abſentibus, res tanti momenti confieri poſſit: itaque ſie velle regem, ut, pactis x dierum induciis, Pilius ad principes mittat, et cum eis agat; intra quod tempus, ſi nulla auxilia obſeſſis ſuperveniant, ipſe oppidum dedere teneatur, his conditionibus; ut duces ac milites cum eqois, armis et impedimentis liberi dimittantur, oec eorum, qui in oppido remanebunt, conſcientiis vis afferatur: quibus conditionibus, qoanquam aegre, Pilius ſubſcripſit. Secundum haec miſſus F. Perſona cum [k] M. Barbeſerio Chemeraldo ad principes: iſque per [l] Engoliſmam iter faciens [m] Sanmemmium, quo loco res obſeſſorum eſſent, edocuit, et ut auxilia maturaret rogavit. Nihil non actum interim per induciarum tempus, ut illa maturarentur, miſſo etiam [n] Fonbeducro, qui auxiliareis vado monſtrato deduceret: et [o] Sanſutinus Engoliſma veniens cum XL eqoitibus ſe pro foſſa oſtentavit, et pet [p] Matenſem portam admiſſus eſt. Ad hujus colloquii famam, qui Mediolanum Santonum tenebant, non exſpectato dum obſidione a victore exercitu cingereotur, urbem injuſſi deſerunt: cui Andious firmum praeſidium imponit cum equitato, qui Proteſtantes fano Joannis [q] Rupellam commeanteis excurſionibus continuis diſturbaret. Tandem XIIII Kal. Dec. in quem diem induciae exibant, cum Bironus ſecundum pacta miſſo feciali deditiooem fieri poſtularet, Pilius, qui aegre in eam conſenſiſſet, ut moras necteret, ſibi mori potius eſſe reſpondit, quam committere, ut ſe ſuoſque pecudum more hoſti jugulandos praeberet: quam fortunam manere ſe ac ſuos, ſi conditionem acciperet, certo ſibi conſtare dicebat. Itaque redintegrata pulſatio, et quatriduo poſt tranſlatis machinis ad arcem vis facta, disjecta carnificis, quam vocant, turre. Nec ceſſabant obſeſſi, pluteis in foſſa exſtructis, quibus milites tecti regios ad ruinam tendenteis in latus feriebant; ubi dum Sebaſtianus [r] Lucemburgus Martigius vallo producendo et vimineis doliis ſtatuendis intentus huc illuc diſcurreret, ſclopperi ictu in capite accepto concidit, ex eoque vulnere mox deceſſit,

INTERPR. [a] *le ravelin d'Aunis.* [b] *d'Arial.* [c] *de Piles.* [d] *Luſignan & Niort.* [e] *Saintes & Cognac.* [f] *la Dordogne.* [g] *Guitinieres.* [h] *la Perſonne.* [i] *les Landes.* [k] *Mery de Barbezieres, ſieur de la Roche-Chemeraut.* [l] *Angouleſme.* [m] *de St Meſmes.* [n] *Fonbedouere.* [o] *St. Surin.* [p] *porte de Matas.* [q] *la Rochelle.* [r] *de Luxembourg, vicomte de Martigues.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

deceſſit, natalium ſplendore et virtute bellica praecipuus dux. Ejus morte Britanniae Armoricanae noſtrae, cujus per [a] Joannis Broſſii Stampenſis avunculi ſui deceſſum [b] praeſes creatus fuerat, praefectura Ludovico [c] Borbonio Monpenſerio attributa eſt. Obſeſſi interim eruptionem faciunt, ducibus [d] Pujolio et Sanſutino, cum xxc circiter equitibus, quos ccc ſcloppetarii ſequebantur: et Sanſurinus Franciſci Bernardi [e] Sanſeverini Somenſium ducis turmam equitum, quae in ſtatione erat, poſt aliquod certamen tandem diſturbavit; Pujolius, ad tormenta uſque progreſſus, ea et pulverem tormentarium aliquandiu in poteſtate habuit; ſed, cum ſupra ſpem id incidiſſet, et inſtrumenta idonea deeſſent, nec tormenta corrupta, nec pulvis incendio conſumptus fuit. Pujolius in eo certamine grave vulnus accepit. Poſtea verberatio ad [f] Alnetenſem munitionem directa eſt, admotis v muralibus machinis et foſſae ipſi impoſitis, ita ut in munitionem tanquam ex ſuperiore loco deſpectus eſſet, et defenſores non niſi aperto ad vulnera corpore comparere poſſent. Dejecto a munitione uſque ad arcem muro exteriore, et everſa interiore munitione tignis et palis ſuperſtructa, quae murum ſuſtentabat, magnus terror obſeſſis injectus eſt: ſed magna operum vi eam rurſus erigunt; quo in opere pleraeque foeminae et oppidani infeſta colubrinarum diſploſione interfecti ſunt, terra ſabuloſa ac recenti interjecta, quae ad ictus facile diſſiliebat. Ad famam auxiliarium [g] Engoliſma venientium duce [h] Santalbano, [i] Fonbeduerus a Pilio miſſus eſt, qui eos [k] Chiſaeum uſque deduxit: ſed illi a regiis detecti retro cedere coacti ſunt. Santalbanus cum paucis ad [l] Sanjulianum pontem uſque progreſſus, cum et ipſe detectus eſſet, dum recedit, inſequentibus regiis captus eſt. Unde, ſpe omni auxiliorum adempta, rurſus de deditione actum, Birono ac [m] Carolo Momorantio ſuadentibus et inſtantibus; tandemque IIII Non. Dec. per Pujolium res tranſacta eſt his conditionibus: ut duces ac milites, rebus ſalvis, cum equis, armis ac ſignis complicatis, abirent, et in tutum a [n] Birono et Coſſenio deducerentur: intra quatuor menſeis ne arma pro religionis cauſa ferrent. Poſtridie IↃ ccc pedites, tot enim ſupererant, egreſſi cum c circiter equitibus, ductore [o] Paluelio Serido, ſtatim in ſuburbio a regiis, ſeu praedae aviditate, ſive ob Martigii recentem necem irritatis, circumventi et vi in vicina hoſpitia compulſi poſtremo ſpoliati ſunt; quamvis [p] Aumalius Andini legatus, qui ad [q] Matenſem portam, per quam emiſſi fuerant, ſtabat, et Bironus ac Coſſenius omnem operam darent, ut ab omni injuria vindicarentur. Tandem [r] Sechiam uſque a Birono deducti, et inde ad [s] Eparchii fanum venerunt, proſequente eos Engoliſmam uſque feciali regio ac tubicine: quo ex pago ad Aumalium ac Bironum dant literas, quibus de injuria ſibi contra fidem illata expoſtulabant: iiſque cum verbis potius quam re ſatisfieret, Pilius, qui fidem ſibi ſervatam negabat, ſe quoque minine pactis obligatum exiſtimans, non exſpectato quadrimeſtri, intra quod ne arma ferre poſſet cavebatur, cum delecta manu, [f] Dnranio tranſmiſſo, ad principes ſe confert, [t] Jo. Scarſio Valliguidonio, qui IIII equitum alas penes ſe habebat, nequicquam eum in itinere ſaepius intercipere aggreſſo. In ea obſidione ex praeſidiariis c interfecti; paulo minus ex oppidanis omnis ſexus in operibus faciendis deſiderati: ex regiis ſive ex ictibus ſive ex morbis, qui crebri ea hyeme per exercitum graſſabantur, amplius VI CIↃ: ut ex eventu conſtiterit, eodem errore, omiſſa inſequendi hoſtis occaſione, caſtris ad Joannis fanum poſitis, a regiis peccatum eſſe, quo a Colinio in [u] Pictavii obſidione paulo ante peccatum fuerat; eoque majore, quod recenti exemplo ſapere et errorem, quem ipſi in veterano duce tantopere nuper improbaverant, emendare debuerant.

IX. IN

INTERPR. [a] *Jean de Broſſe,* dit *de Bretagne, duc d'Eſtampes.* [b] *gouverneur de Bretagne.* [c] *de Bourbon, duc de Montpenſier.* [d] *la Motte-Pujols & St. Surin.* [e] *Sanſeverino, duc de Somma.* [f] *le ravelin d'Aunis.* [g] *Angouleſme.* [h] *de S. Auban.* [i] *Foubedouere.* [k] *foreſt de Chiſay.* [l] *pont S. Julien.* [m] *Charles de Moutmorency, ſieur de Meru.* [n] *de Biron & de Coſſeins.* [o] *de Paluel,* dit *le capitaine Serido.* [p] *le duc d'Aumale.* [q] *porte de Matas.* [r] *Sieche.* [s] *S. Cibardeau.* [f] *la Dordogne.* [t] *d'Eſcars, ſieur de La Vauguyon.* [u] *Poictiers.*

IX. In ea obſidione quoque perierunt duo viri inſigoes, oec magis profeſſione CIↃIↃLXIX.
quam voluntatum et ſtudiorum conſenſione conjuncti, eodemque fere diu in aula CAROLUS IX.
et in exercitibus cootubernio uſi, Joannes [a] Capella et Honoratus Caſtellanus, regis regioaeque archiatri, utrique praeclari, et partis liberalitate principum opibus extra quaeſtum, qui illam artem in pleriſque dehoneſtat, poſiti: Capella in primis, qui ad has etiam paternas divirias adjecerat, et, quamvis inter aulae turbas, in libris aſſiduus, quos diligenter et acri judicio a ſe anootatos cum inſtructiſſima bibliorheca moriens reliquit, in tumultu Pariſienſi magna reipublicae jactura, aut amiſſos aut diſſipatos: tunc vero ambo, ut conjuncti vixerant, ita in eadem domo et eadem peſtilenti lue, quae multos ab ipſis curatos abſumpſit, eodem tempore e vivis exceſſerunt. Deditum oppidum rex cum regina ac cardinali Lotharingo mox ingreſſus eſt; impoſitoque [b] Guitinerio cum VIII peditum ſignis, inde digreditur, et per [c] Pictones in Andeis deſcecodit: ac poſtremo [d] Andegavum initio anni ſequentis venit; ubi delegati a principibus, qui de pacis conditionibus agerent, auditi ſunt. Dum rex in obſidione adhuc haereret, [e] Talliaburgum fruſtra tentatum fuit, et [f] Blavia, cui [g] Segurius Pardallanius praeerat, miſſo ad eum Lanſaco cum regiis literis III Non. Nov. ad quas Segurius de obſequio et fide ſua proteſtatus reſcripſit; et religionis cauſa ſuſceptum bellum cauſatus a Proteſtantibus contra regii edicti violatores, qui regem iovitum ad arma ſumenda coegerunt, petit, ut cum booa ejus venia Blaviam teoere ſibi liceret, uſque dum paci ac ſecuritati publicae optimis rationibus conſulatur. Miſſi interim Renatus [h] Sanzaeus cum aliquot equitum turmis, et [i] Goas cum legione ſua in [k] Bituriges Cubos, ut [l] Charitaei praeſidiariorum excurſiones illis locis reprimereot.

X. Jam ante exeuote Octobri [m] Montareus Boiorum praefectus [n] Benegonium arcem, quam Maria Barbanſona Joannis [o] Barreoſis Neovii vidua, [p] Canii, quem Condaei accuſationi implicatum et proelio Sandionyſiano occiſum ſupra diximus, ſoror, cum L circiter militum praeſidio tenebat, corona cinxerat, Proteſtaotibus per Bituriges, Boios ac vicina loca praedas facientibus receptum a loci domina dari cauſatus. Eo ſecum adduxerat ad II CIↃ homioum, undique ex ruſticis et confuſa multitudine collectorum, cum aliquot tormentis, quibus XV dierum ſpatio pulſati muri ac turres arcis omnino dejectae ſunt; vixque poſt opinione omni diuturniorem obſidionem, Maria nullum militare munus non obeunte, quae praeſentia ſua plerumque ante alios pugnaos, et a Montareo non ſine ſtupore conſpecta, animos acuebat, tandem, cum pulvis et annona militi potius quam animus Mariae ſupra ſexum fortiſſimae foeminae deeſſet, VIII Eid. Nov. dedita eſt, et ipſa Maria capta, quae tamen ob virtutis inauditae gloriam mox juſſu regis dimiſſa eſt. Arx direpta et propter ruinas quaſi inutilis a Mootareo deſerta ſtatim a Proteſtantibus ioſtauratur, et iis ad excurſiones rurſus receptum praebuit, qui alia loca in Biturigibus occupaverant: nam [q] Belonus cum XXC ſcloppetariis [r] Ligoerium, [s] Rentius, qui paſtoris munere fungebatur, [t] Baugium nuper receptum, [t] Carootenſis [u] Capellam Angeronam, [v] Aureliaoum tendentibus locum opportunum, [w] Boſius [x] Monfalconium, [y] Baudrius [z] Caſtrum-oovum cum praeſidio tenebant. Claudius [aa] Caſtreus provinciae praeſes, cum Germanis, quos habebat, IↃCC circiter ſcloppetariis et aliquot equitum alis ad loca ea recipienda profectus, [bb] Menetovium ad Carim, ubi [cc] Patauderius alam levis armaturae habebat, aſtu iotercipit praeſidio vacuum; quippe cum duces ad expeditionem

INTERPR. [a] *Chapelain & Honoré Caſtellan.* [b] *Guitinieres.* [c] *Poiꝭou & Anjou.* [d] *Angers.* [e] *Taillebourg.* [f] *Blaye.* [g] *de Segur, ſieur de Pardaillan.* [h] *de Sanzay.* [i] *de Goas.* [k] *Berry.* [l] *la Charité* [m] *Montaré, gouverneur du Bourbonnois.* [n] *Chateau de Benegon* [o] *des Barres, ſieur de Neuvy.* [p] *de Barbançon, ſieur de Cany.* [q] *Belon.* [r] *Ligneres.* [s] *Reuts le miniſtre.* [t] *Baugy.* [t] *le capitaine Chartres.* [u] *la Chapelle d'Angeron.* [v] *Orleans.* [w] *le capitaine Bois.* [x] *Montfaucon.* [y] *la Baudrie.* [z] *Chateauneuf.* [aa] *de la Chaſtre.* [bb] *Meneton ſur Cher.* [cc] *Pataudiere.*

CIƆIƆLXIX. CAROLUS IX. expeditioocm faciendam exiiſſent. Ibi Patauderius, caſu inopinato oppreſſus, amiſſa majore ſuorum parte, cum paucis in aedeis inſulae inſtar firmatas ſe recepit, tanta defendendi ſui pertinacia, ut Caſtreus, loco dirrepto, abire re infecta coactus ſit. [a] Panſerius, qui videret [b] Bricomotium, cujus legatus erat, CIƆ IƆ ſcloppetariis et XIX equitum turmis ſubnixum, Patanderio intra Menetovium veloti obſeſſo ſuppetias ferre detrectantem, prae indignatione ab eo diſcedit, et cum delecta manu, relicto exercitu, per Pictones et Eogoliſmenſem agrum tendens, in itinere a nobilitate circumventus, amiſſis XL ex ſuis, vix ipſe cum fratre pernicis equi ope periculum evaſit, et, relictis ſociis, quorum pars caeſa, pars ſpoliata ruſticorum injuriae expoſita eſt, in [c] Cadurcos ad principes perrexit. Caſtreus Menetovio Caſtrum-novum itidem ad Carim ducit, quod a Baudrio cum LX praeſidiariis ſervabatur. Captum primo impetu oppidum, utpote invalidum, milite in arcem coofugiente. Poſt vim admotis fruſtra ſcalis factam, cum murorum ſuffoſſio procederet, jam praeſidiariis intra vetus munimentum compulſis, in quod ex templi, quod in arce erat, fornice machinae directae violenta diſploſione fulminabant; tandem in has conditiones locus deditus; ut milites vita ac rebus ſalvis dimitterentur; quae tamen minime ſervatae ſunt, pleriſque ex iis in proximum fluvium a licentioſa turba praeter Caſtrei voluntatem praecipitatis. Ad [d] Lignerium diſpar exitus fuit; quod poſt repetitos ſaepius ac ſumma virtute repulſos impetus, accedente ad haec commeatus inopia, quam [e] Beloous equinae carnis eſu aliquandiu toleravit, initio capi non potuit. Tentata et [f] Capella Angerona infelici obſidione, quam Bricomotius ſuperveniens ſolvit. Haec in tempus inciderunt, quo [g] Sanzaeus et Goas in [h] Bituriges deſcenderunt; qui ruſus Lignerium aggreſſi deditione receperunt, milite vita ac rebus ſalvis dimiſſo. Inde ad [i] Baugium facta vis: et, cum defeoſores fortiter initio ſe gererent, amiſſo duce, et impetu pluribus locis facto, tandem expugoatur locus, occiſis fere obviis, vixque ex omni numero ſeptem elapſis, in queis [k] Rentius fuit, qui captus et [l] Avaricum deductus eſt.

XI. DUM haec in Biturigibus agerentur, in [m] Pictooibus Vidus [n] Dallonius Ludii comes cum [o] Pigallario, qui [p] Fontenaeum poſt pugnam Monconturianam a Proteſtantibus deſertum occupaverat, vireis coojungit, et [q] Maranum IIII a [r] Ropella leucis expugnandum ſuſcipit. Locus eſt ſitu ſolo munitus, utpote nullis moenibus cinctus, arce, ſi tormenta ooo admoveantur, adverſus hominum impetus firma; de cetero vaſtis et ſpatioſis paludibus, in quibus hyeme aqua reſtagnat, omni fere ex parte clauditur; ad ſeptentrionem a [s] Beraldino canali vallata. Ad eum per aggerem ſilicibus munitum [t] Surgeria et fano Joannis ad municipium tendentibus aditus patet, quo in aggere inciſo [t] Silvagius, qui ſuperioribus bellis Proteſtantium nomine loco praeerat, ſublicio ponte impoſito, ad latera ex ceſpite munitiones excitaverat, quas [u] Pluvialius altius extructas longius porrexerat: vadum item [v] Veluriense muniverat, et alios aditus munitionibus tumultuaria opera excitatis firmaverat. Ad pontem cum fruſtra vim feciſſet Pigallarius, a ruſticis loci monitus, juncis et ſtramineis faſcibus paludum nondum imbribus omnino corruptarum voragines implere ſtatuit, ut firmato ſolo miles pede ſicco per paludes incedere et anfractuoſo itinere munimentum a tergo circumire ac Maraoum ex improviſo invadere poſſet. Verum, re detecta, miſſis qui jam ſtationes in palude locis idoneis ſecreto collocatas diſturbarent, conatus Pigallarii ruſus fruſtra fuit. Eodem ſub id, ſed ab alia parte, venit Sanzaeus poſt captum [w] Bellovarium, quod a Renato [x] Roano Poutivio tenebatur, locum ad mare firmum, ſed penuria aquae ac neceſſarii commeatus tandem honeſtis conditionibus,

INTERPR. [a] *Panſeret.* [b] *de Briquemaut.* [c] *Quercy.* [d] *Lignerês.* [e] *Belon.* [f] *la Chapelle d'Angeron.* [g] *de Sanzay & Goas.* [h] *Berry.* [i] *Baugy.* [k] *Renty.* [l] *Bourges.* [m] *Poictou.* [n] *de Daillon, comte du Lude.* [o] *Puy-gaillard.* [p] *Fontenay-le-Comte.* [q] *Marans.* [r] *la Rochelle.* [s] *canal d'eau de mer,* nommé *le paſſage du Berauld.* [t] *Surgeres & S. Jean de Noaille.* [t] *le capitaine Sauvage.* [u] *de Puviaut.* [v] *le gué de Veluere.* [w] *Beauvoir ſur mer.* [x] *de Rohan, ſieur de Pontivy.*

nibus, quae tamen non uſque bona fide ſervatae ſunt,[r] deditum: et mox Ludenſis comes cum C. [a] Roaldo Landerco ad Beraldinum canalem caſtra poſuit. Ibi Pluvialius, dum praeter opinionem ſe omni ex parte einctum videt, cognitoque ad [b] Brunam, quae [c] Rupellam Marano tendentibus ducit, unde minus putabat vim fieri, et Joannem [d] Cambium Monſorellium, occupata [e] Ella ſuper Maranum, cum navigiis armatis ad ſe venire, cum CC equitibus Charonem verſus tendit: ubi, revocatis undique ſuis, cum de incendendo municipio, priuſquam in Ludenſis poteſtatem veniret, comportata palea cogitaret, ſupervenientibus ſpe citius regiis, vix ſatis temporis habuit, quo ſe Rupellam incolumis cum ſuis reciperet. Hardoinus [f] Villerius Riverius, qui egregiam operam in municipio capiendo navaverat, Marano impoſitus cum VIII peditum ſignis et legione Ludenſis, qui totam oram maritimam, quae Rupellae a [g] Michaelis fano praetenditur, occuparent, et incurſionibus infeſtam redderent. Ad [h] Marennas deinde inſulas in Santonibus ſupra Rupellam ducunt victores cum XXX peditum ſignis et VIII equitum alis; ita undique cincta urbe fore rati, ut in extremas anguſtias redacta aut ipſa tandem ad deditionem compelleretur, aut ingentes, quae ex eo emporio ad communem Proteſtantium cauſam utilitates et commoditates redibant, omnino impedirentur, ſalinarum, quae ampliſſimae et optimae illis locis ſunt, adempto uſu. Aditum Marennarum [i] Catenarius ductor cum reliquiis Germanorum et popularibus undique collectis ſervabat; quem initio graviter defendit: ſed, cum recentes ſemper feſſis a regiis ſummiſſi ſuccederent, tandem numero et vi victi Proteſtantes locum deſerunt, et, palantes huc illuc per itinera ob crebros ſalinarum canaleis interciſa in gurgites ac lutoſas voragines plerumque praecipitantes, [k] Broagium pervenerunt; ubi, rurſus incumbentibus regiis, cum vix ſe ex itineris fatigatione et pavore collegiſſent, ad ſubita conſternati huc illuc diverſi fugam capeſſunt: pars paludibus hauſti, pars per litora maris diſperſi aut ictibus caeſi aut fluctibus abſorpti ſunt; Germani in primis, qui locorum minime gnari inſtar pecudum paſſim trucidabantur. Catenarius, [l] Minquetetius et Caſanovus vix navigiis conſcenſis Rupellam pervenere, deſertis ſuis, ita ut ex illo omni Germanorum auxiliarium numero tantum CCC ſuperſtites fuerint.

XII. EXTREMO anno [m] Avaricum Biturigum a Proteſtantibus occulto conſilio tentatum. [n] Spavius, Roſa Sancerrani praeſidii centurio, et Grangacus urbis aſſeſſor, ob religionem profugus, cum [o] Urſino Pallo, qui [p] Marino, turris, quae eſt veluti urbis arx, praefecto, militabat, pacti II CIϽ aureorum, convenerant, ut ſibi ad turrim aditum praeberet; iſque fidem obſtrinxerat, perſuaſus, uti prae ſe ferebat, a Gulielmo fratre, qui Sancerrae habitabat. Igitur, re Marino et ipſi Claudio [q] Caſtreo Biturigum praeſidi revelata, ab illis jubetur fratri ſpem de prodenda arce factam confirmare. Dies ad [1] XI Kal. Jan. condicitur, quo foederati convenirent. In urbe inſidiae ſtruuntur, paratis ignibus artificioſis, ollis ardentis olei plenis, malis granatis, pulvere praeterea tormentario locis idoneis ſubſtrato, ac tormentis denique diſpoſitis: et, cum Caſtreus, ut omnem fraudis ſuſpicionem removeret, diem, quae noctem rei exequendae deſtinatam praeceſſit, haſtiludiis conſumpſiſſet, ſub veſperam, portis clauſis, omneis ſummo ſilentio in armis eſſe jubet; et, ſigno ab Urſino dato, id erat fax incenſa bis ſublata, cum foederati id quod erat veriti ſubſiſterent, ipſe ultro prodit, et rem optime compoſitam confirmat; tantum venirent, et praeſentem animum adferrent: quibus dictis, primus in turrem ingreditur, ab

coque

INTERPR. [a] *du Roubaut, ſieur du Landereau.* [b] *la Brune.* [c] *la Rochelle.* [d] *de Chambes, ſieur de Monſoreau.* [e] *Elle, petite iſle prés de Marans.* [f] *de Villiers, ſieur de la Riviere Puy-taillé.* [g] *S. Michel.* [h] *les iſles de Marennes en Saintonge.* [i] *le capitaine Cheſnet avec le reſte des lanſquenets.* [k] *Brouage.* [l] *les capitaines la Minguetiere & Maiſon-neuve.* [m] *Bourges.* [n] *l'Eſpau, la Roze ſergent major de Sancerre, & la Grange conſeiller de Bourges.* [o] *Urſin Palut.* [p] *le capitaine Marin, qui avoit la garde de la groſſe tour.* [q] *de la Chaſtre, gouverneur de Berry.*

NOT. [1] Lege XII *Kal. Jan.* C. La Popelin. l. 21. f. 156, dit que c'eſtoit le 21 de Decembre.

eoque decepti Spavius cum XII delectis, [a] Rantius cum XXV, [b] Eſſartius cum L armatis, cum clypeis et ſtrictis enſibus ſubſecuti ſunt. [c] Bricomotius haud inde procul eventum rei opperiens cum CIↃ CC ſcloppetariis et XIII equitum turmis venerat. Ubi illi in foſſam deſcenderunt, comportatis ſecum ſcalis, quibus ad locum monſtratum eniterentur, mox inſidiae patuerunt, infeſta diſploſione tormentorum et igne in pulverem tormentarium immiſſo, quo multi diſcerpti ſunt aut flammis hauſti, plures vulnerati: pauci, qui ſupererant, cum effugium non eſſet, in manus regiorum venere; quos cum ad poenam depoſcerent urbis aediles, ac praecipue oppidanos, ut patriae proditores ac perduelleis, Caſtreus recuſavit, exemplum veritus, nè plerique ex regiis, qui ab hoſtibus quotidie capiebantur, pari poena plecterentur; et apud regem tenuit, ut jure belli in captivos ageretur. Itaque Rantius, Spavius, Roſa et alii dedititii perhumaniter a Caſtreo habiti ſunt, ac denique pretio perſoluto dimiſſi.

XIII. DUM haec agerentur, plerique, qui ad praeſidia a Proteſtantibus ad [d] Ligerim occupata ſe receperant, otii impatientes, non ſolum per [e] Bituriges ac Soloniacum agrum, ſed trans Ligerim in [f] Belſiam uſque et Gaſtinenſem agrum excurrebant; et in iis ex vicina nobilitate notus quidam nomine eques [g] Bulaeus cum [h] Botavilla et aliis volonibus, cognito Decembri menſe [i] Milliaci, quod eſt inter [k] Stampas et Fontembellaqueum in via Lugdunenſi municipium ante novennium a Franciſco [l] Vindocino loci domino, qui in carcere periit, Henrico Momorantio [m] Damvillae donatum, nundinas frequenteis celebrari, protinus eo XL amplius leucas emenſi advolant, et negotiatores omneis partim ſpoliant, partim capiunt, ingentique praeda onuſti diſcedunt. Sed dum, jam feſſis equis, perfugium, quo adverſus inſequenteis ſe defenderent, circumſpiciunt, [n] Mareſcalli-villam Joannis Olivarii Lombarienſis epiſcopi arcem in itinere intercipiunt; ibique praeda depoſita ſe muniunt, reditus ad ſuos obliti et ad faciendas circum novas praedas intenti. Interea Franciſcus [o] Balſacus Interamnas provinciae praefectus, cujus opem omnes implorabant, Petrum Erneſtum Mansfeldium cum auxiliaribus Philippi copiis in Belgium redeuntem, dum illac pertranſiret, magno ſuo commodo nactus, mutuas operas ad aliquot dies poſcit; iiſque ſubnixus arcem obſidione cingit. Advecta etiam Lutetia II tormenta, quorum diſploſione facta ruina, cum Bulaeus obſeſſis ſpem feciſſet de auxilio adducendo, mane ad ſuos eruptione facta transfugit. Botavilla omni re deſtitutus neque par ad ſuſtinendum impetum, jam lata ruina edita, poſtremo vitam ſalvam ſibi ac ſuis pactus deditionem facit: multi tamen ex iis a furentibus ruſticis injuria recenti irritatis occiſi. Botavilla et filius ejus capti; quos Interamnas, cum juxta pacta ſervare cuperet, ſenatus decreto, qui cum iis minime jure belli ſed tanquam cum latronibus agendum cenſeret, ſiſtere juſſus, paruit; tandemque illi tanquam perduelles ac publici graſſatores laqueo vitam finierunt.

XIV. JAMQUE principes, [p] Duranio tranſmiſſo, et ad [q] Cadenacum [r] Olga, poſtquam [s] Montalbanum venerunt, [ſ] Loco praemiſſo cum levi armatura, [t] Aguillonium in confluenti Olgae et [u] Garumnae, quod cum exiguo admodum praeſidio tenebatur, obſederant; quod mox Proteſtantibus patuit, dedente oppidum [v] Leberone, qui ad [w] Mariae fanum e veſtigio cum Monlucio avunculo [x] Aginnum infra ſe recepit. Id actum XIIII Kal. Decembreis. Poſtridie Proteſtantium exercitus Mariae fanum venit; in eoque ad IIII Eid. Dec. permanſerunt, quo prima acies inde diſceſſit, ut Navarro et Condaeo venientibus locum vacuum relinqueret. Ibi fabricatus pons navigiis diſpoſitis et XIIII palis ferratis in fluvium defixis, et deſuper

tranſverſis

INTERPR. [a] *le baron de Renty.* [b] *des Eſſars.* [c] *de Briquemaut.* [d] *la Loire.* [e] *Berry & Sologne.* [f] *la Beauſſe & le Gaſtinois.* [g] *du Boulay.* [h] *de Bouteville.* [i] *Milly.* [k] *Eſtampes & Fontainebleau.* [l] *de Vendoſme, vidame de Chartres.* [m] *le mareſchal de Damville.* [n] *Ville-mareſchal appartenante au frere du chancelier Olivier, n'agueres evêque de Lombez.* [o] *de Balſac, ſieur d'Entragues, lieutenant general de l'Orleannois.* [p] *la Dordogne.* [q] *Cadenac.* [r] *le Lot.* [s] *Montauban.* [ſ] *de la Loue.* [t] *Aiguillon.* [u] *la Garonne.* [v] *de Leberon.* [w] *port de Ste Marie.* [x] *Agen.*

tranſverſis trabibus idonea craſſitie collocatis, quae rurſus aſſeribus optime compactis tegebantur, fimo ſupra impoſito, ut commodius equi per illum incederent: funibus grandibus item Aguillonio allatis et catenis ſummae firmitudinis ab utraque ripa ductis pons utrinque firmatus fuerat, ſublicis in utraque ripa rotis ſuppoſitis, quo facilior ingreſſus et deſcenſus ex eo eſſet. Pons autem ille eo conſilio Colinii juſſu a Loco inſtitutus, ut tranſmiſſo commode per illum exercitu loca in ulteriore ripa, quae fere [a] infirma ſunt, [a] Vaſatum et Allingonem uſque in poteſtatem redigeret. CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

XV. [b] MONGOMERIUS, [c] Benearno in fidem accepto et [d] Eluſa in reditu capta ac [e] Larboſio et [f] Arnaeo deletis, [g] Condomum venerat; ubi, ſeu victoria recenti ſecurior, ſive dum pontis exſtructionem exſpectat, menſem amplius moratus eſt ſummo errore, ſicuti Monlucius ſcribit; cui poſt tantum de ſe terrorem ubique ſparſum, ſi ſucceſſum urſiſſet, Damvilla circa [h] Mazeram occupato, et ipſo Monlucio a cunctis rebus imparato, omnia circum loca ceſſura apparebat. Ponte conſtructo, cum Damvilla de eo deſtruendo [i] Toloſa miſſo [k] Pageto cum duobus navigiis armatis fruſtra cogitaſſet, Monlucius gloriae [l] Damvillae aemulus idem conſilium ſed feliciori ſucceſſu, quam putarat, executus eſt, adhibita tandem architecto cuidam ignobili fide, qui, molatrina, quales in Olga et vicinis fluviis frequentes illis locis ſunt, revulſa, et ſecundo flumine, quod per ſe rapidum, tunc vero aquis paſſim plus ſolito exundantibus ſumma violentia ferebatur, in pontem incumbente, dejectum iri ſpondebat. Cujus architecti ſententiam [m] Thodias locorum muniendorum peritus ſemper probaverat; hoc addito, quo majore impetu molatrina in pontem incumberet, pretium videri, ut gravi ſaxorum ingeſtorum pondere oneraretur. Hominis conſilium ab initio riſerat Monlucius; quod poſtremo tentandum duxit; nec exitu caruit. Nam noctu molatrina incumbente fluminis rapiditate pontem non ſolum dejecit, ſed perruptis funibus et catenis ferreis navigia ſecum traxit, quae [n] Macarii fanum et inde Burdigalam uſque abrepta ſunt: quo caſu interturbata Colinii conſilia, et vix tandem navigiis aliquot colligatis multorum dierum ſpatio traductae Mongomerii copiae, et eae quae, antequam pons abrumperetur, in ulteriorem ripam tranſmiſerant: ac demum, repetito Montalbano, de perſequendo per [o] Septimaniam itinere conſilium initum eſt. Eo tempore dimiſſi Itali, paucis retentis, ductore Petro Paulo [p] Tuſingo, qui in [q] Santonibus militarunt. [r] Sanflorius poſt actas a rege pontifici et ipſi gratias, honorificis teſtimoniis decoratus, inſuper ſignis bello captis donatus, cum praecipuis ducibus honorifice item remuneratis domum abit. Pontifex ex felici illa expeditione non ſolum eximiam laetitiam animo concepit, ſed et eam monumento inſigni ad poſteritatem teſtatam voluit, ſignis illis in principem eccleſiarum baſilicam S. Joannis Lateranenſis illatis, addito elogio, quo ea tanquam a Sanflotiano pontificis viribus ſubnixo Caroli IX perduellibus erepta fuiſſe perhibebantur.

XVI. ALIQUANTO ante, cum Alfonſus [s] Ferrarienſis et Coſmus de controverſa inter ſe dignitatis praerogativa diu magna contentione certaſſent, cauſam inde Caeſare, hinc pontifice ad ſe trahente, pontifex, Coſmi, cui in occulto ultra modum favebat, inſtigatu, cauſam inſigni praejudicio, et quod ad manifeſtam Alfonſi injuriam ſpectabat, jugulavit, et emiſſo diplomate VI Kal. Sept. Coſmum magnum Etruriae ducem creavit. Eo praefatus de poteſtate ſibi tanquam in excelſo militantis eccleſiae ſolio excubanti a Deo tributa, et paſtoralis muneris ratione undique circumſpicienti ad eos, qui ob merita erga ſedem Romanam honorandi ſunt, occurriſſe ante alios Etruriam provinciam dicit, et ejus principem Coſmum; quem propterea eo honore

VAR. LECT. [a] infima *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Bazas & Langon.* [b] *le comte de Montgomery.* [c] *Bearn.* [d] *Euſe* [e] *de l'Arboux.* [f] *le capitaine Arnay.* [g] *Condom.* [h] *Mazeres.* [i] *Toulouſe.* [k] Monluc le nomme *le ſieur Projet* [l] *le mareſchal de Damville.* [m] *Thodias ingenieur.* [n] *S Macaire & Bourdeaux.* [o] *Languedoc.* [p] *Toſinghi.* [q] *Saintonge.* [r] *il conte di Santa fiore.* [s] *le duc de Ferrare.*

CIϽIϽLXIX. CAROLUS IX.

honore dignatus ſit, his maxime de cauſis; quod ob pietatem et ferventem erga Romanam ſedem cultum inter omneis excellat, Carolo Gallorum regi ultimis bellis auxilia liberaliter ſummiſerit, B. Stephani militiam ſuperioribus annis ad Dei honorem et verae religionis propagationem inſtituerit, ſumma prudentia et incorrupta juſtitia populos ſibi commiſſos moderetur, opibus et milite abundet, ampliſſimas ditiones poſſideat, in iiſque abſoluta poteſtate fruatur, et ratione liberi dominii nemini ſit ſubjectus, quodque arctiſſima cum Maximiliano Caeſare adfinitate conjunctus ſit. Addit; ſe id facere exemplo Alexandri III, Innocentii III et Honorii III, qui Portugalliae, Bulgarorum, [a] Blachorum et Hiberniae reges olim crearunt, et, ut Bohemiae dux nunc rex appellari poſſit, conceſſerunt. Inſuper eum regali corona donat, cujus exquiſitam et novam formam depingi curavit: quod factum a pontifice aequitatem et animi moderationem profeſſo, cum inſolens pleriſque viſum tum vero Caeſari graviſſimum fuit, quod ad illius et Imperii haud dubiam injuriam pertinere exiſtimaretur. Itaque, cum Coſmus poſtea regio comitatu Rumam veniſſet, ut ſolemni ritu inaugураretur IIII Non. Mart. qui dies peragendis ceremoniis dictus erat, Caeſar per oratores ſuos interceſſit; proteſtatione facta, quam et ſcripto comprehendit, additis minis, ſi pontifex ulterius in Imperii jura invaderet. Cumque proteſtationem ſe non admittere pontificii fiſci patronus reſpondiſſet, peractae ſunt inaugurationis ceremoniae: ſed, exacerbatis Imperii principibus, poſtremo eo res devenit, ut pontifex, quamvis natura ſua moroſe pertinax, aegre ſententiam mutaret, ejus vero rationem ut ulli redderet, nunquam adduci poſſet; de ea re tamen ſibi cum Caeſare agendum exiſtimaverit. Itaque per Joan. Franciſcum [b] Commendonum cardinalem approbare factum conatus eſt, his maxime teſtimoniis et exemplis; quod et auctoritate Romani pontificis Imperii ſedes ab Oriente in Occidentem tranſlata ſit, et ſeptemviri conſtituti; Pipinus a Zacharia, Childerico amoto, in regem Francorum aſſumptus ſit: ſic Caſimirum in Polonia, quam ad Imperium ſpectare Germani contendunt, a Benedicto IX, Demetrium Croatiae et Dalmatiae, quae provinciae regno Pannoniae ſubditae ſunt, a Gregorio VII, Alfonſum Luſitaniae ducem, quae Caſtellenſi juriſdictioni ſuberat, ab Alexandro III reges creatos; ab eoque tempore a Luſitanis tributum ſedi Romanae depenſum, ut ex commentariis Lucii II, et Gregorii VII, regnum Hiſpaniae patrimonium B. Petri eſſe affirmantis, probari poſſit: ſic Innocentium III Colam Joannem regem Bulgarorum et Blachorum feciſſe, quae provinciae regno Pannoniae itidem ſubjectae erant: ſic Honorium III regis Theſſalonicae, quae ad imperium Conſtantinopolitanum pertinebat, patrocinium ſuſcepiſſe: eundem Honorium Conſtantinopolitanum imperatorem creaſſe comitem [c] Autiſſiodorenſem: ſic Mindacum Lithuaniae ducem et Danielem Ruſſiae auſtralis reges auctoritate ſedis apoſtolicae appellatos: ſic pletoſque per Italiam a Ludovico Caeſare tyrannos conſtitutos, poſtea pontificum auctoritate legitimos principes effectos: ſic Hiberniae regnum ab Hadriano pontifice Romano regi Anglorum donatum: nec alio titulo hodie Hiſpaniae teges Navarrae regnum poſſidere, [d] Labretanis et Borboniis eorum heredibus ereptum, quam pontificum auctoritate, qui eo Labretanos ſpoliaverunt, et jus in Arragonios tranſtulerunt. Ad has rationes et Coſmus addebat ſuas; ſed per os pontificis, qui cauſam ejus in ſe ſuſceperat; qnod Florentina reſpublica ſui juris eſſet, neque ad Imperinm pertineret; adminiſtratio ipſius ex foedere cum Carolo V inito a Clemente VII ordinata eſſet; Mediceos illius principes ducum titulos a ſe, non Caeſarum auctoritate, ſibi ſumpſiſſe; et licuiſſe Coſino, qui ſine Caeſaris conceſſione ducis nomine ſe inſigniſſet, magni ducis dignitatem pontificis beneficio accipere. Nec contentus per Commendonum Pius cum Maximiliano egiſſe, per Michaelem [e] Bonellum cardinalem Alexandrinum

etiam

INTERPR. [a] *Blaches ou Valaches, que les Grecs nomment Blaches.* [b] *Commendone.* [c] *d'Auxerre.* [d] *d'Albret.* [e] *Bonelli.*

etiam cum Philippo agit de hac controverſia amice componenda, eodem tempore dato negotio Sitico Altempſio cardinali, niſi Caeſar aequis rationibus rem confici pateretur, ut II CIƆ peditum in Germania conſcriberet, ac ſe Caeſaris potentiae parem, ſi opus eſſet, oſtenderet. Verum haec ad ſeqnenteis annos pertinent. CIƆIƆLXIX. CAROLUS IX.

XVII. In Germania hoc anno nihil fere memoria dignum publice geſtum; niſi quod colloquium anno ſuperiore XIII Kal. Nov. [a] Altemburgi inter theologos Miſenenſeis et Thuringicos inchoatum, ſcriptis hinc inde de uno atque altero capite controverſo huc uſque commutatis, tandem citra Auguſti ſeptemviri et Joann. Willelmi Saxonis voluntatem ac conſenſum VII Eid. Mart. ita ſolutum eſt, ut potius novis diſſidiis initium quam antiquis contentionibus finem dediſſe videatur, adeo exacerbatis utriuſque partis animis, ut in magnam offenſionis publicae evaſerit occaſionem, quod evulgatis utrinque ſcriptis mox cunctis innotuit. Victorinus Strigelius magni nominis inter ſuos theologus, qui colloquio interfuit, et diſſenſioni praecipue cauſam dediſſe dicebatur, paulo poſt VII Kal. Quintil. Heidelbergae fatis conceſſit, cum tantum XLV annos explevisſet. Paulus Eberus [b] Kitzinga, Franconiae oppido natus, [c] Witembergae, ubi diu docuerat, IIII Eid. Dec. hoc eodem anno obiit. Eberum praeceſſit Joannes [d] Lonicerus, [e] Orthernii in Mansfeldica ditione natus, qui, cum, patre defuncto, ad literas, invito vitrico, animum addidiſſet, e patria [f] Iſlebiam profugit; atque poſtremo Witembergam conceſſit; tantumque aſſiduo labore in trium linguarum cognitione et philoſophicis ſtudiis profecit, ut [g] Marpurgum cum Jano Cornario ab Heſſiae principibus evocaretur, ubi literas Graecas diu magna auditorum frequentia ac fructu profeſſus eſt; praeter doctrinam, verecundiae, ſobrietatis ac modeſtiae laude cum primis conſpicuus, multa Graecorum ſcripta Latinitate donavit: tandemque ſeptuagenarius hoc anno, XIII Kal. Sextil. e vita placide exceſſit, relicto Adamo filio; qui Marpurgo [h] Francofurtum ad Moenum migravit, et magna artis felicitate medicinam in ea urbe fecit. Ad Italos venio. Et primus dicetur Daniel [i] Barbarus, Venetae nobilitatis praeclarum lumen; ex eadem familia, quae Hermolaum verae philoſophiae et literarum meliorum in Italia inſtauratorem olim dedit, prognatus, philoſophiae et mathematicarum artium exquiſita ſcientia praeſtans; atque adeo eadem qua ille dignitate ornatus, hoc eſt, patriarcha Aquileienſis deſignatus. Multa is ſcripſit; ac praecipue Pollionis Vitruvii de architectura libros doctiſſimis poſt Gulielmum Philandrum commentariis illuſtravit. Dicere ſolebat, niſi Chriſtianus eſſet, ſe in Ariſtotelis verba juraturum fuiſſe; adeo in rerum veritate perveſtiganda, eaque in ſingulis naturae partibus recto rationis ductu, quantum et ſupra quam humanus captus fert, perſequenda feliciſſimum illius ingenium admirabatur. Poſtea ſe totum theologicis ſtudiis, ut epiſcopali functioni magis convenientibus, addixit; et multa ex patribus Graecis Latina fecit, quorum pars edita, pars apud heredes manet; plura in eo genere praeſtiturus, niſi feſtinata mors eum, ut et Hermolaum, diutius publico invidiſſet: haud enim multum quadragenario major Eidibus Aprilibus hoc anno ad Deum migravit; vilibus exſequiis, ſic enim homo ab omni vanitate et ambitione alienus extremis tabulis mandaverat, funeratus, et ad S. Franciſci in vinea ſine elogio ſepultus. Hunc paucis poſt diebus ſecutus F. Sixtus Senenſis [k] Genuae in Dominicanorum coenobio animam Deo reddidit; haud ita ſenex, vir eruditae diligentiae, qui a Pio V, dum Dominicani ordinis ſupremus curator eſſet, e tenebris errorum, ut ipſe dicere ſolebat, et quaſi ab inferis revocatus huic ſacrae militiae nomen dedit; et inſigni opere libris VIII diſtincto gratum animum erga ipſum teſtatus eſt, quo ſacrorum librorum cenſuram fecit, et eorum explanandorum et a falſis Sectariorum interpretationibus aſſerendorum repetitis ex antiquitate patrum

INTERPR. [a] *Altenburg.* [b] *Kitzingen.* [c] *Wittenberg.* [d] *Lonicer* [e] *Orthern.* [f] *Eiſleben.* [g] *Marpurg.* [h] *Francfort ſur Mein.* [i] *Barbaro* [k] *Genoua* ou *Genes.*

patrum teſtimoniis rationes explicavit. Ultimus dicendus venit [a] Coelius Secundus Curio, [b] Kyriaci ſano Taurinorum oppido natus, homo omni literarum genere non medioctiter expolitus; qui, cum, eruditionis ſuae ſama [c] Mediolani ac Ticini ſparſa, dein [d] Lucae, Auguſtae Taurinorum, ac poſtremo Eporediae, ob religionem non citra vitae periculum exagitatus eſſet, poſtremo [e] Baſileam ſe contulit, ubi philoſophiae et eloquentiae ſtudia publice per XXIII annos profeſſus eſt; ac tandem anno LXVII aetatis VIII Kal. Dec. e vita migravit; cum Auguſtinum filium ſummae ſpei jovenem, quod ejus ſcripta ad poſteritatem edita abunde teſtantur, turbato naturae ordine ante paucos annos extuliſſet. Apud nos, non ſolum eruditione, ſed aequitate, prudentia ac ſolertia praeſtans, Baptiſta [f] Meoilius, de quo in cauſa Jeſuitarum tanta animorum contentione ante quinquennium in ſeoatu agitata jam ſupra honotificam meotionem ſecimus, hoc eodem anno in vivis eſſe deſiit; cum tantum annos LI egreſſus eſſet; vir longiore vita dignus, ſi Deus pacatam Galliam voluiſſet, et non potius eam novis turbis et triſtibus ſceleſtorum conſiliorum eventibus reſervaſſet. Is, in foro Pariſienſi cauſis privatorum agendis ſumma diligentiae, fidei et induſtriae fama primum verſatus, majori laude, poſtquam fiſci patronus a rege creatus eſt, magiſtratum geſſit, cum ad eam dignitatem praeter eruditionem et exactum rerum forenſium uſum infractam animi conſtantiam, generoſos citra vanitatem ſpiritus et perpetuum in aequali vitae tenore amorem recti et publici boni ſtudium attuliſſet: ad haec, tanto ingenii acumine ac luce excellebat, ut, cum jus publice diceretur, quae multis horis ac verbis advocati partium perplexe diſſeruerant, ille uno verbo expediret; tanta aequitatis apud judices opinione, ut vocem perorantis mox decretum ſequeretur, et ipſe quodammodo praeſidis verbis praeire videretur. Obſervatum a curioſis, nunquam fere ſenatum ab ejus ſententia ſeu rogatione diſſenſiſſe. Tandem vir patriae amans, et nominis Gallici ſupra conditionem ſtudioſus, vitia ſaeculi in dies invaleſcentia et procerum conſilia ad publicam perniciem inſanabili ſeu furore ſeu caecitate inclinare aegerrime ferens, contracto inde moerore in hydropem incidit, ex quo IIII Non. Sextil. deceſſit; et in munere ſucceſſorem Auguſtinum Thuanum delegit, quem, ut familia bene de republica ſentiente prognatum, haec enim verba ex ipſo audita ſunt, et Chriſtophori ſenatus principis, quem ille unice dilexerat et coluerat, fratrem, cum bona regis venia, antequam moreretur, ſibi ſuccenturiari voluerat. Funus ei ſenatorium decretum; et in aedem S. Joannis, ubi ſepultus eſt, non minore omnium ordinum luctu quam pompa deductum eſt. Mortem ejus, ut optime de regno meriti, Michael [g] Hoſpitalius domum tunc relegatus, quicum ille ob conſiliorum de republica et voluntatum conſenſiooem conjunctiſſime vixerat, elegantiſſimis verſibus deploravit, et inſigni elogio decoravit.

XVIII. IN Saxonia controverſiae, quae Brunſvicis ducibus cum urbe Brunſvica intercedebant, amice compoſitae ſunt, his fere cooditionibus; ut ſenatus praefecturam [h] Aſſenburgenſem, arci [i] Guelſorum propinquam, quam ante CLXVIII anoos Bernardus et Henticus fratres, Friderici Caeſaris electi caedem ulturi, primum oppugnaverant, Julio duci integram reſtitueret: Julius viciſſim [k] Eichenſem et Venthauſenam praefecturas duobus conſulibus reipublicae nomine beneficii loco attribueret, et actioni in [l] Veterem vicum et [m] Saccum, quas urbis Brunſvicae partes a majoribus ſuis ſenatui oppigneratas tantum fuiſſe, noo etiam venditas, pareos Henricus coorenderat, pro ſe et heredibus ſuis renunciaret. In [n] Boruſſia novo duce [o] Lublini in comitiis inaugurato initio anni gratiam eam Sigiſmundus Auguſtus beneficio addito cumulavit; et, cum Alberto Friderico Brandeburgico confirmaſſet, omnes ejus

ditionis

INTERPR. [a] *Cælio Secundo Curione.* [b] *San Chirico en Piedmont.* [c] *Milan & Pavie.* [d] *Lucques, Turin, & Ivrée.* [e] *Basle.* [f] *du Mesnil.* [g] *le chancelier de l'Hoſpital.* [h] *Offenburg*, Germ. *Aſchberg ſur la Carte.* [i] *Wolffenbuttel.* [k] *d'Eych & Wensbauſen.* [l] *la vielle rue.* [m] *Sack.* [n] *la Pruſſe.* [o] *Lublin.*

CIↃIↃLXIX. Carolus IX.

ditionis populos in confeſſionis Auguſtanae doctrina conſervaturum, idque ſuo et ſucceſſorum in regno Poloniae nomine promiſiſſet, etiam ei privatim cavit, ſanctione edita, ne quiſquam ex Boruſſiae nobilitate eo vivo regem appellet, niſi violenta et manifeſta injuria a principe laeſus, aut juris adminiſtratio ei denegata ſit; plebeius vero in litibus privatis, ut de actis denuo cognoſcatur, ſupplicans, aut ad curiam parium provocans, non audiatur. Quibus peractis, novus dux in patriam laetus rediit. Durius cum [a] Gedanenſibus actum; quos exortae inter ſenatum ac populum contentiones ad praeſens turbavere, in poſterum magnis calamitatibus involverunt. Nam, cum quidam etiam ex magiſtratibus apud regem conqueſti eſſent, publica civitatis vectigalia ac portoria in privatos uſus a ſenatu converti, pro libidine omnia in republica geri, privatis ſimultatibus civeis a ſenatu opprimi, jus aequabile plebi a potentioribus non dici, Sigiſmundus delegatos Danriſcum mittit, qui de civitatis ſtatu ac juſtitiae adminiſtratione cognoſcerent. Ii initio ſenatus factione non admiſſi: ob idque rex ultra modum irritatus eo minus aequum poſtea, introductis legatis, ſenatui ſe praebuit. Nam illi, diſcuſſis ſevere rationibus, ut plebem cum optimatibus committerent, quibuſdam opificum collegiis, ut laniis ac cerviſiae coctoribus, quod genus hominum ad ſeditiones promptum, ampla et inaudita privilegia ac jura regis nomine tribuerunt, reſciſſis contractibus ab iis olim cum ſenatu initis. Quo facto, ut ex diſſidio privatum emolumentum captarent, portorium, quod ab initio urbs, poſtea ſenatus ad portus maritimi et Viſtulae aggerum munitionem et alia opera publica deſtinaverat, duplicant; partemque dimidiam regi addicunt; et viciſſim piratarum et aliorum onerum levamentum et abolitionem repromittunt; haud alia ratione regem placari et de injuria nuper accepta ipſi ſatisfieri poſſe affirmantes. In pleriſque praeterea rebus ordine judiciorum mutato ſenatus auctoritatem infregerunt, ac popularium etiam privilegia magnopere labefactarunt. Nam, cum cauſae majoris momenti ex privilegio a Caſimiro rege conceſſo in concilio Boruſſiae ordinum per regem aut ejus legatum, nec alibi, cognoſci et decidi poſſent, tunc novo decreto earum cognitio ad ſenatum regni in Poloniam tranſlata eſt, paulatim Boruſſorum, qui regem tantum agnoſcebant, non etiam regni ſenatum, immunitate et libertate ſenatus Polonici juriſdictioni ſubjecta. Interea piratae Poloni, qui receptum in Dantiſcano portu habebant, regis auſpiciis, bellum inde cum Suecis inde cum Moſcis gerentis, naveis [b] Revaliam, quam Sueci tenebant, et [c] Narvam occupare juſſi, etiam Danicas ſubinde diripiunt. Quam injuriam ut Daniae rex Fridericus ulciſceretur, Gedanenſium naveis in ditionis ſuae portubus ac ſtationibus retineri jubet, quod piratas illos in eorum portu receptum habere diceret. Miſeri Gedanenſes tum legatorum opem implorare, regis fidem appellare, et, ut pacta nuper magno ſuo damno inita ſervarentur, petere. Itaque, miſſis in Daniam legatis, naves reſtitutae; ac tandem, cum res ad arma ſpectarent, in Auguſtum et Brandeburgicum ſeptemviros compromiſſum eſt, nullo profectu: quod in cauſa fuit, paulo poſt mortuo Sigiſmundo, ut ipſi, quo commercii libertatem reciperarent, ſuo periculo ac ſumptu, nulla Polonici ſenatus auctoritate interpoſita, cum Dano tranſegerint, et depenſis c Joachimicorum CIↃ naveis et merces interceptas cum libera navigationis et commercii facultate receperint: qua re cum ſe quaſi juris ſui effectos exiſtimantes animos ſuſtuliſſent, rurſus ſe magnis cladibus implicuerunt; ut ſuo loco dicemus. In Suecia, dum Joannes III Guſtavi filius in Erici vicem, qui loco motus fuerat, magna procerum ac populi corona ac laetitia inaugur aretur, VI Eid. Quintil. Danica et Lubecenſis claſſes conjunctis viribus Revalienſem portum hactenus a direptionibus ſecurum improviſo invadunt, et captum diripiunt, abductis circiter

INTERPR. [a] *ceux de Dantzich.* [b] *Revel.* [c] *Narva.*

circiter xxx navibus vario pretioſarum mercium genere onuſtis. Quo facto, claſſe Danica domum reverſa, rex militem in terram expoſitum ad [a] Warbergenſis arcis a Sueco occupatae oppugnationem ducit; in qua praecipui militiae Danicae imperatores periere, Daniel [b] Ranzovius et Franciſcus Brokenhuſius. Arx paulo poſt dedita III Eid. Nov. cujus obſidione durante, Succi in [c] Blekingiam [d] Scaniae provinciam excurrentes oppida pleraque ac vicos partim diripuerunt, partim incendio vaſtarunt,

XIX. In Belgio [e] Albanus, rebus feliciter bello geſtis, ubi initio anni [f] Bruxellas rediit, de novis epiſcopis ubique conſtituendis et inquiſitionis telo in ſuſpectos ſtringendo cogitare coepit: citatiſque ad concilium ſanguinarium, quod vocant, pleriſque, multos terrore injecto ſolum vertere coegit; opificibuſque, quibus [g] Belgium ſupra cunctas orbis provincias abundat, ſtatim ob placitorum ſeveritatem dilabentibus, Ingens vaſtitas ubique et triſtis rerum facies apparuit. [h] Britannia proxima illis perfugium fuit; quo exules ſecum pannorum texturam intulerunt, et eam Anglos antea agriculturae et pecuariae ſolum deditos magna Belgici opificii jactura docuerunt: tantoque numero in inſulam confluxerunt, ut urbes aliquot infrequentes ac paene deſolatas, ac [α] [i] Norwicum praecipue, [β] Coleeſtriam, Maidſtonam, Sandwicum, Hamptonam et alias inſtaurarint. [γ] Nec mediocre negotium Albano exhibuit Eliſabetha ex ea occaſione. Cantabrica navis et IIII minores, cc aureorum ciↄ onuſtae, perſequente eas Jo. [k] Sora a Colinio ablegato, ſe in [*] Angliae portum ſubduxerant: et, cum eas dimitti peteret Philippi orator, a regina commeatus diploma impetraverat; ſed, dum aut venti commoditatem aut certum ab Albano mandatum expectat, regina a [l] Caſtellionaeo cardinali ac [m] Carnutum vicedomino perſuaſa gratiam revocat, et pecuniam L ciſtis concluſam in terram exponi mandat, cauſata eam non ad Philippum ſed ad negotiatores privatos Genuenſeis pertinere: id autem juris principibus eſſe, neceſſitate urgente, ut pecunia mercatorum libere utantur; proinde decreviſſe pecuniam, quam a praedonum violentia defenderit, in uſus praeſenteis mutuo ſumere: idque evulgato ſcripto VIII Eid. Jan. palam teſtata eſt. Qua re Albanus ſupra modum irritatus, qui ad exiſtimationem ſuam pertinere arbitraretur, ne inultam tantam injuriam fineret, non conſultis Ordinibus, neque negotiationis interrumpendae, qua una opes Belgicae conſtant, periculo perpenſo, ſtatim [n] Antuerpiae et aliis locis in Anglos mercatores manus injici eoſque in Anglorum domo captos retineri adhibita cuſtodia jubet; et bona eorum deſcribi ac publice ſub haſta diſtrahi mandat. Regina viciſſim ſecuritatis indemnitatiſque cauſa ſuis, ut Belgas retinere eorumque bona ſequeſtrare poſſent, permittit, eorumque naveis, cauſa adhuc nautis incognita, e mari in portum abductas ſibi ſervare, donec iis plene ſatisfactum eſſet. Ita exſatiata utrinque ira, mox de diſſidio componendo agi coeptum, Albano ſerius errorem agnoſcente; quippe qui videret potius Belgis et Hiſpanis ea re quam Anglis incommodari, qui interim pannis Hamburgum miſſis commercium mutato foro a Belgio in Germaniam tranſtulerunt. Itaque miſſus ab eo Chriſtophorus [o] Aſſonvillius; quem regina, quod nulla a Philippo mandata haberet, audire recuſavit, et ad ſuum concilium, ut eum eo ageret, contemptim remiſit, ſumma ſe injuria affectam clamitans praecipiti et inconſiderata Albani pervicacia. Qua re rurſus homo contumeliae impatiens eo inflammatior Kalend. April. propoſito edicto commercium

VAR. LECT. [α] Noruicam *D.* f. o. d. *Ed. Gen.* [β] Colcheſtram, Maiſtonum, Sanduicham, Hamptonum *D.* f. o. d. *Ed Gen.* [γ] Vide hanc hiſtoriam aliis verbis narratam in variantibus lectionibus ad libri 44 finem appoſitis. *C.*

INTERPR. [a] *Warberg.* [b] *de Ranzow & Fr. Brokenhauſen.* [c] *Bleking.* [d] *Schonen.* [e] *le duc d'Albe.* [f] *Bruxelles.* [g] *Pays-bas.* [h] *Angleterre* [i] *Norwich, Colcheſter, Maidſtone, Sandwich, & Southampton.* [k] *Sore.* [l] *de Chaſtillon.* [m] *de Chartres.* [n] *Anvers.* [o] *d'Aſſonville.*

NOT. [*] Plimutham, Falmutham, et Hamptonam, Angliae portus. *Cand.*

commetcium omnino eum Anglis interdicit, adjecta publicarionis poena, et elanſula, donec aliter provifum fuerit: quod ne irritum eſſet, exploratores ac delatores praemio invitati eodem edicto: ſed nulli fere praeter exules Anglos invidioſo officio defungi ſuſtinuerunt. Ex iis Willelmus [a] Parkerus vicarium habebat Joannem [b] Storium doctorem, qui inquiſitorem olim, Maria regina, in Britannia egerat, et tunc, ſive egeſtate ſive male affecto erga ſuos animo incitatus, quadruplatoriae operam dabat. Is, indicata nave, pretioſarum mercium, uti credulo ſeni perſuaſum fuerat, Anglia advectarum plena, ſubito gaudio exſiliens in eam inſilit: ſed a [c] Cornelio Eichio nauta ad id ab Anglis conducto incluſus ſtatim expanſis velis cum nave in Angliam abducitur; ubi pro praemio, quod ex indicio navis ſperabat, mortem ignominioſam tulit, tanquam perduellis et exulum contra reginam ac patriam conjuratorum. princeps, ſic enim titulus praeſerebat, laqueo publiee ſtrangulatus. Exin ceſſante commercio, et quiritantibus Belgis, miſſus ab Albano in Angliam Chapinus [d] Vitellius Ctonae marchio, tato, dignationem hominis apud reginam aliquid valituram, ut ſaltem honeſtius acciperetur: iſque cum [e] Fonkio doctore et [f] Torreo ab epiſtolis, qui ei attributi fuerant, cum nihil non egiſſet, ut et pecunia reſtitueretur, et a manuum injectionibus in poſterum temperaretur, nihil impetrare potuit. Itaque, re infecta reverſis legatis, rurſus acerbiora contra Anglos ab Albano decreta promulgata, magno publicae negotiationis ſed praecipue commercii Belgici incommodo ac detrimento.

XX. INTEREA Albanus, ſi negotium hoc excipias, toto hoc anno belli ſecurus rei pecuniariae expediendae incumbebat; et, vocatis provinciarum Ordinibus, decimam omnium mobilium, quae diſtraherentur, viceſimam rerum ſoli divenditarum, centeſimam omnium cujuſque bonorum, tam mobilium quam ſoli, ſemel perſolvendatum in belli jam facti ſumptus, et qui deinceps ad provinciarum ſecuritatem faciendi eſſent, ab iis petebat. Id permoleſtum iis fuit. Nam, praeter exactionum gravitatem, quid injurioſum magis, quam juſtae bonorum cujuſque aeſtimationis rationem iniri? Itaque, re agitata, cum metu in decimam et viceſimam primo conſenſiſſent, poſtea magnae querimoniae exortae ſunt, quod ex cervisia et pane etiam decima exigeretur; et ad invidiam augendam cerviſiae ac panis coctores aliquot dies Bruxellis ab opere ceſſarunt. Idque tandem remiſſum. Geldrenſes et Friſii centeſimam pecunia exſoluta redemerunt. Cum grande aes ad redimendam eandem ceteris provinciis imperatum eſſet, exortae rurſus novae difficultates, pro quota nimirum parte ſingulae provinciae in tributum venirent. Nam vetere inſtituto Flandria pecuniae imperatae tertiam, Brabantia quartam, Hollandia quartam ejus quam Flandria pendebat, [g] Arteſia et Hannonia ac ceterae ſingulae ſextam exſolvebant. Sed reclamabant Flandri ac Brabanti; et bellorum contra Galliae reges temporibus conſtitutum dicebant, ut in limite poſitae provinciae tributis levarentur: nunc, pacatis iis, durum eſſe Flandris et Brabantis tertiam et quartam dependere; et aequius videri, ut aliae tributo legitimo ad alias exonerandas graventur. Contra [h] Atrebates, Hannonii, Inſulani, Orchienſes, Duacenſes, Namurcenſes et alii morem veterem ſervari debere contendebant. Quibus diſſidiis effectum eſt, ut difficilius pecunia exigeretur, alienatis haud parum ex ea occaſione provincialium animis; quod novorum poſtremo motuum cauſa extitit. Dum haec agerentur, a pontifice venit ad Albanum Carolus [i] Nicolaius Neapolitanus, et gladium inauratum ac galerum pretioſis gemmis diſtinctum ritu ſolemni conſecratum ei tanquam acerrimo religionis Catholicae propugnatori de ſacra Romana eccleſia optime merito ex pontificis et cardinalium decreto exquiſita ceremonia obtulit. Ille, pro

munere

INTERPR. [a] *Parker.* [b] *Story.* [c] *Cornelis van Eycken van Bergen-op-zoom.* [d] *Vitelli, marcheſe di Cetona* [e] *Fonck.* [f] *la Torre ſecretaire.* [g] *Artois & Hainaut.* [h] *ceux d'Artois, Hainaut, Lille, Orchies, Douay, & Namur.* [i] *Nicolai.*

CIƆIƆLXIX. CAROLUS IX.

munere accepto gratiis actis, etiam publicam laetitiam pompis et ludicris ſpectaculis teſtatus eſt; et in eo ipſo loco, in quo ſuperiore anno tot proceres ſupplicio affecti fuerant, Hiſpani ac plerique e primaria nobilitate haſtis adverſis magno paratu concurrerunt. Arces inter haec ubique per Belgium inchoatae continuatis operibus feſtinabantur; et Antuerpienſis in primis; qua ad exitum fere perducta, Albanus, ne quid aut ad provinciae ſecuritatem aut ad privatum decus deeſſet, monumentum in ea ſibi non tam glorioſum quam invidioſum erigi curavit; conflata ingenti mole ex tormentis aeneis [a] Ludovico Naſſovio in pugna [b] Gemingenſi nuper ereptis, in qua effigies ejus loricata ſtabat ſtylobatae impoſita, brachio dextro urbem verſus protenſo: ſtatuae duae aeneae pedibus ſubſtratae tanquam ſupplices plura brachia habentes et manibus libellos porrigentes, crumenas inſuper, fractas ſecuris, faces et malleos tenentes; quae Belgii nobilitatem et plebem, ſacro ordine a violentia utriuſque aſſerto, devictam referebant. His et pendebant ab auriculis ſcutellae, et a collo perae mendicantium, quod Proteſtantibus Belgii nomen inditum eſt, inſignia, unde ſerpentes ac colubri prorepebant, cum larvis et hujuſmodi terriculamentis, quibus falſitas, malitia, avaritia eorundem notabantur. [c] Anteriori ſtylobatae ex lapide caeruleo inſcriptum erat, FERDINANDO ALVAREZ A TOLETO ALBAE DUCI, PHILIPPI II HISPANIARUM APUD BELGAS PRAEFECTO, QUOD, EXTINCTA SEDITIONE, REBELLIBUS PULSIS, RELIGIONE PROCURATA, JUSTITIA CULTA, PROVINCIIS PACEM FIRMARIT, REGIS OPTIMI MINISTRO FIDISSIMO P. Ad dextrum ſtylobatae latus opilio viſebatur, cum ovibus ad paſcua tendens, lupis et leonibus diffugientibus, et bubonibus ac veſpertilionibus avolantibus ad aurorae ſurgentis et luce ſua peſtcis illas diſcutientis ſplendorem, cum inſcriptione, ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ: ad ſiniſtrum latus inſcriptum erat, DEO PATRUM NOSTRORUM; et paulo inferius, PIETAS, additis trophaeis et inſtrumentis bellicis victoriam ſignificantibus: infra ipſam ſtatuam adſcriptum erat, [d] [α] JONGELINGI OPUS, EX AERE CAPTIVO. Cum vero Albanus judiciorum ſeveritate, tributorum exactione, veteribus revocatis et novis adjectis, privilegiorum, libertatum et immunitatum auctoritate labefactata toti Belgio maxime gravis eſſet, nulla re tamen provincialium in ſe et Hiſpanorum nomen aeque odium concivit, quam ea ſtatua poſita; cujus ſpectaculo aſſidue in oculos obverſante ſibi non victi tantum ſemel et in ordinem redacti, ſed quaſi in aeternam ſervitutem rapti et quotidie vinciri et in triumphum duci videbantur. Superbiam hominis, alioqui vel inimicorum confeſſione ſummi noſtra aetate imperatoris, ipſe iniquo animo tuliſſe Philippus dicitur; qui et eam quadriennio poſt per Ludovicum [e] Requeſenem, qui Albano e provincia decedenti in ea praefectura ſuffectus eſt, amoveri curavit; quam et nos ſepoſitam et humi jacentem, cum [f] Antuerpiae poſtea eſſemus, in arce ſpectavimus, conſilium Albani et operis pariter excellentiam diverſa ratione admirati. Magna hoc anno paſſim prodigia memorantur. Nam juxta [g] Lovanium horrenda tempeſtas terrae motum conſecuta eſt, et terra ſemel atque iterum dehiſcere viſa. Et pridie Eid. Maias et XIIII Kalend. Junias viſi volitare per coelum ſerenum ignes. Item V Non. Mart. luna defecit. Et [h] Paſſavii ac Salisburgi in Norico VI Eid. Nov. cometes colore livido et flammis ardentibus radians in prima facie quinti gradus Capricorni apparuit prope lucidam ſtellam Sagittarii, cauda ad orientem verſa; ſed in occaſum vergens; a Benedicto Valerio mathematico obſervatus. Quae omnia motus noſtros portendiſſe creduntur.

XXI. IN Britannia longe varii ac diverſi motus fuere. Tumultuatum in [i] Hibernia ab

VAR. LECT. [α] Joſelingi *D.* f. o. d. *Ed Gen.* [β] *Quae ſequuntur de rebus Hibernicis uſque ad* Nam poſtquam Jacobus *deſunt D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *le comte Ludovic de Naſſau.* [b] *de Gemmingen.* [c] *devant le pied d'eſtal.* [d] *Jongelingh.* [e] *Requeſenes.* [f] *Anvers.* [g] *Louvain.* [h] *Paſſau & Salzburg* [i] *Irlande.*

ab Edmnndo [a] Botelero comitis [b] Ormoodiae fratre, qui cum Petro aliiſque fratribus vicinos per [c] Momoniam praedationibus ac incendiis diu infeſtaverat; ultionemqne metuens, eum Jacobo [d] [α] Fitz-Moris e familia [e] Deſmonia, [f] Mac-Arti-Moro, et Fitz-Edmundo [g] Imokelliae ſeneſcallo, aliiſque, qui majorum religionem reſtitutam cupiebaot, ſoedus iniit, accedenre pontificis auctoritate, et Philippo in id opes ſuas e proximo Belgio pollicente. Contra eos perduelleis ilicet pronunciatos miſſus Petrus Carew ſenior; qui varia fortuna diſcurſanteis cohibuit. [h] Kilkennia obſeſſa, cum uxorem [i] Warhami a S. Leodegario tradi peterent, praeſidiariis erumpentibus repulſi varia peſte circumpoſitam regionem depopulari ſunt, miſſo clam ab Albano, quo ſeditionem magis inflammaret, Joanne Mendoza. Incendium tandem reſtinxit Ormondiae comes ex Anglia miſſus; qui fratribus praeſenria ſua perſuaſit, ot ſe reginae benignitari ſummitrerent. Illi in carcerem in obſequii ſignum conjecti; ne tamen judicio ſiſterentur, tenuit gratia frarris apud reginam; quae clementiae ſuae inſigni documento apud malevolos teſtificandae oblatam occaſionem gaudebat, et illuſtriſſimam genrem cognarione ſecum proxima conjunctam tanto beneficio demereri ſaragebar. Rebellionis reliquiae per Humſredum [k] Gilbertum a prorege profligarae. In [l] Ultonia etiam tumultuatum, [m] Turlogho Leinigho modo ad pacis conſilia modo ad bellum inſira levitate praecipiti, et ſuorum libidini obſecundante; qui non tam praeſidiariorum vi repreſſus, quam Hebridianorum continuis excurſionibus, qui, ex macris ſuis inſulis in ſertileis ejus agros effuſi, Anglico bello foris occupatum domi divexabant.

XXII. Verum major a Scoria metus. Nam, poſtquam Jacobus [n] Moravius Scotici regni prorex ex Anglia domum incolumis rediit, regiarum partium proceribus vocatis [o] Stetlioum, conventus habentur; ubi, quae cum Eliſabetha acta erant, recitata et ingenti omnium applauſu comprobata ſunt. Eodem tempore et ex Anglia Jacobus [p] Hamiltonius, ſamiliae ſuae princeps, in patriam venit, a Maria Scotorum regina, inſolira ad hoc tempus arrogatione, in patrem adoptatus, et regni vicarius factus. Ptopoſitis [β] edictis vetitum ab eadem, ne Scoti aliis quam a ſe ſubſtitutis pareant. Cum contra jam ad bellum ſe regii collata pecunia et milite conducto pararent, et frequentes condicta die [q] Glaſcuam conveoiſſent, Hamiltooius, qui raros ad ſe confluere videret, ſpe deceptus concordiae viam tentari per amicos paſſus eſt: hiſque conditionibus conventum; ut ante omnia regem pro ſupremo magiſtratu agnoſceret. In eam rem foedus initum; quo comprehendi [r] Gileſpicus Cambellus Argatheliae et Georgius [s] Gordonius Huntilaeae comites recuſarunt, Hamiltonio ſuccenſentes, quod ſe ultro, ut aiebant, in hoſtium poteſtatem dediſſet, cum id non niſi ſumma neceſſitate compulſus ſeciſſet. Verum illi, qui ampliores pacis leges metu potentiae ſuae ſperarent, ad haec literis Scotorum reginae, quae jam laxiore cuſtodia detineri dicebatur, confirmari, diffindi comitia petebant, et ad VII Eid. Mart. remitti. Heic contentione exorta, eum Hamiltonius ſe vi adactum conſenſiſſe in foedus novum ingenue magis quam prudenter palam diceret, neque, ſi liberum foret, qnicquam eorum, quae acta erant, probaturum, prorex, non interpoſita longiore mora, eum et [t] Maxvallium praecipuum conſultorem in arcem Edimburgenſem cuſtodiendos tradit. Tum de Argathelio et Huntilaeo conſultatum eſt. Et minus negotii in Argathelio fuit, quod, quamvis contrarias partes per proregis abſentiam ſecutus eſſet, tamen ſumma moderatione ac citra maleficium armatos, quos ſecum habebat, per regnum duxiſſet. Itaque tantum jusjurandum ab eo,
cum

VAR. LECT. [α] Moriſii filio *Ed. Gen.* [β] edictum *D. f.*

INTERPR. [a] *Butler.* [b] *Ormond.* [c] *Munſter.* [d] *Fitz-Morris.* [e] *Deſmond.* [f] *Maccarty-More & Fitz-Edmund.* [g] *Imokelly.* [h] *Kilkenny.* [i] *Warham St. Leger.* [k] *Gilbert.* [l] *Ulſter.* [m] *Turlogh Leinigh.* [n] *le comte de Murray.* [o] *Sterling.* [p] *Hamilton, duc de Chatelleraut.* [q] *Glaſgow.* [r] *Archibald Campbel, comte d'Argyle.* [s] *Gordon, comte de Hintley.* [t] *Maxwel, lord Harriet.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

cum [a] Andreae fanum veniſſet, exactum, regi in poſterum abſque fraude pariturum: ſi falleret, ultra poenas legibus comprehenſas, non recuſaret, quin apud omneis homines ignominioſus et inteſtabilis haberetur. Huntilaei cauſa majore animorum contentione agitata eſt; quippe cujus ingenium regiis ob fluxam fidem ſuſpectum eſſet, ad haec popularibus odioſum, recenti adhuc memoria damnorum, quibus regiones ſibi vicinas affeciſſet. Nam alii expedire dicebant, ut civilia vulnera citra bonorum direptionem ac citra caedeis et ſanguinem ſanarentur, eique vetere potentia, propinquitatibus ac clientelis praecellenti, et qui victus ex deſperatione vireis quieti publicae metuendas poſſet quaerere, praeteritorum venia impertiretur. Contra multi diſputabant; et, patrem integris familiae opibus ſubnixum nuper levi negotio ſubverſum; neque nunc filium adhuc paterna calamitate oppreſſum ex ea omnino conſurrexiſſe: quo minus verendum eſſet, ne, ſi legibus cum illo ageretur, quidquam, quod tranquillitati publicae incommodaret, ex eo oriri poſſet. Tandem ita temperatae ſententiae, ut neque venia Huntilaeo denegaretur, neque latrociniorum ac damnorum ultimis excurſionibus illatorum ei gratia fieret: de quibus permiſſum, ut cum ſpoliatis tranſigeret, datis ex partium voluntate arbitris. De iis, qui eum ſecuti fuerant, aliter atque aliter pronunciatum: et, cum placuiſſet, ut ſeorſim de ſingulis judicaretur, tamen ei conceſſum, ut domeſticos judicio exemptos ipſe ſuo arbitrio mulctaret.

XXIII. PACE ita utcunque conſtituta, prorex in ſeptentrionalem plagam copias ducit; unde, rebus ex voto ac praeter multorum ſpem compoſitis, paulo poſt [b] Perthum rediit, ubi literae a Roberto [c] Bodio ex Anglia ad eum allatae recitatae ſunt, quibus de conjuratione contra Eliſabetham inita certior fiebat. Additum erat, idque Bodius confirmabat, eam tanta potentia ſubnixam, tanta prudentia inſtructam, ut vix conjunctis totius Britanniae viribus ei reſiſti poſſet. Sic autem ſe res habebat. Maria Scotorum regina, cum poſt rem male in patria geſtam in Angliam conceſſiſſet, ſtatim animum ad res in eo regno novandas adjecit: quae res confectu difficilis videbatur, animis adhuc tumentibus et recenti mutatae nuper religionis ſenſu faces admoventibus, quem accendebant inde pontifex oſtentatis opibus et ſuis et alienis, inde Galli et Hiſpani, in quibus plus erat quidem momenti; ſed aemulatione inter reges de potentia certanteis familiari fiebat, ut neuter, bellis ſuperioribus alioqui fractus et exhauſtus, tantum virium alterutri accreſcere, quantum devicta Anglia adjectura eſſet, aequo animo laturus videretur. Nec tamen propterea Angli, qui majorum religionem interdictam dolebant, a ſuſceptis conſiliis abſtinebant: in primis vulgus magis ad ſpem novarum rerum erectum ora procerum circumſpiciebat, ſi quem idoneum juſtae cauſae vindicem ex omni numero cernerent, cujus virtuti ſe ſuaſque fortunas committerent. Is fuit Thomas [d] [α] Howardus Norfolciae dux, et natalium ſplendore et paternis meritis, quae tamen ignominioſo fine compenſata fuerant, et opibus vir toto regno primarius, ad haec prudentiae fama inter ſuos conſpicuus; qui, non tam ſponte ac ſuopte ingenio, quam fortunae arridentis illecebris impulſus, cum dux turbis quaereretur, non ſe magis ducem certo conſilio praebuit, quam iis imprudenter miſcuit. Cum vero trium uxorum conjugiis ditatus, tum primae adfinitate praecipue, opes firmaverat, Henrici [e] [β] Arundeliae comitis in regno primarii viri filiae; qui et alteram [f] [γ] Lumleio ſeptentrionalis plagae regulo elocaverat, ſub Henrico VIII magnus caſtrorum praefectus, cum is ante XXVI annos ad Bononiam caſtra poſuiſſet, et nuper magnus regiae magiſter, eo ſe munere deſperatis reginae, quas ambiverat, nuptiis ſponte abdicaverat, vitam quietam ab aula procul ſectatus. His tertius acceſſerat

VAR. LECT. [α] Hauartus Norfolcii *D. f. o.* [β] Arondelu *D. f. o. d. Ed. Gen.* [γ] Lomelaeo *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *St. Andrews.* [b] *Perth.* [c] *le lord Boyd.* [d] *Howard, duc de Norfolk.* [e] *Arundel.* [f] *le lord Lumley.*

CIↃIↃLXIX.
CAROLUS IX.

acceſſerat Gulielmus [a] Herbertus [α] Penbrochiae [β] comes, qui princeps cubiculariorum ſub Henrico VIII, ſub Edvardo magnus regni ſcutifer, ſub Maria copiarum contra [b] Wiatum dux, exercitus item auxiliaris ad [c] Auguſtae Veromanduorum obſidionem a regina miſſi imperator, ante biennium in locum Arundelii magnus aulae magiſter creatus fuerat. Huic ex ſorore Gulielmi [d] Parri, [γ] Northamptoniae marchionis, et Catharinae illius, quae ſexta et ultima uxor fuit Henrici VIII, nati ſunt duo filii; quorum major natu Georgii [e] Talboti [δ] Salopiae comitis filiam in uxorem duxit. Nec alienus ab eorum conſiliis putabatur Thomas [f] Suſſexiae comes, quanquam non ita renudato animo, ut poſtea, diſſipata conjuratione, factionem negare non potuerit. [g] Norfolcius, qui toto regno unicus dux et dignitate ſecundum reginam maximus, quam et proxima cognatione contingebat, tot amicis, clientibus et opibus ſubnixus cum in ſpem magnarum rerum erigebatur, tum vel maxime [ε] Edvardi [h] Seimori Hertfordiae comitis aemulatione incendebatur, quem ad regni Anglici ſucceſſionem vocari, regina ſine liberis decedente, cum ſuae factionis proceribus ſupra quam dici poteſt impatienter ferebat. Siquidem Edvardus iſte Catharinam Henrici [i] [ϛ] Greii et Franciſcae [k] Brandonae filiam in matrimonio habebat; quae Brandona Caroli Brandoni Suffolciae ducis et Mariae alterius Henrici VIII ſororis, quae prius Ludovico XII nupſerat, filia erat. Igitur, captata occaſione, Norfolcius cum Arundelio, Penbrochio et Lumleio Londinum venit; et compoſita oratione reginam humiliter compellat atque obſecrat, ut heredem regni ac ſucceſſorem certum, ſi ſine liberis decederet, deſignare dignaretur: id ad quietem publicam pertinere, cujus conſervandae etiam poſt obitum curam jam nunc agitare ejus exiſtimationis interſit: cum autem eſſe, ſive ad regni leges ſive ad omnium conſenſum reſpiceret, Scotorum principem; ad quem et paterno et materno jure tanquam proximiorem tanti regni hereditas pertineat; quippe cujus pater nepos fuerit Margaritae Henrici VIII ſororis natu grandioris, quae Jacobo IIII Scotorum regi primum elocata eſt, deinde, eo mortuo, Arcibaldum [l] Duglaſſium Anguſiae comitem maritum aſcivit; ex quo matrimonio Margarita [m] Herbotellae in [ζ] Northumbria Anglici regni limite nata ſit, quae deinde Matthaeo [n] Stuarto Leviniae comiti rurſus in Anglia nupſit; unde natus Henricus Jacobi VI parens: proinde petere, ut is deſignetur, ne, dum de regni ſucceſſione ambigitur, novis motibus, fortaſſe ipſa etiam viva, certe poſt ejus mortem haud dubie exorituris, materia praebeatur. His pro publica regni tranquillitate praemiſſis, ſubjecit Norfolcius privato ſuo nomine demiſſas preces, quibus petebat, ut cum bona reginae venia ac gratia Mariam Scotorum reginam in uxorem ducere poſſet; nam aliter neque velle neque poſſe. Id etſi privato ſuo nomine petat, ſic exiſtimare tamen, ad futuram regnorum concordiam ſpectare, ut is Mariae vir ſit, qui in inſula natus neque externos mores neque conſilia et opes in eam inducat, et reginae Anglorum omni cultu proſequendae ſtudioſus, odiis priſcis extinctis, amicitiam inter Anglos et Scotos alat, foveat, et, ne ulla occaſione olim diſſiliat, omni cura enitatur: quae omnia ab ipſo expectare et certo ſibi polliceri debeat. Eam orationem quo minus in bonam partem acciperet regina, multa obſtabant. Nam recordabatur, primis regni ſui annis reginam Scotorum, cum e Gallia in patriam rediret, eadem de re ſecum per legatos egiſſe; nec latere Norfolcium, quid ipſa tum reſponderit. Quo reſponſo ſatis oſtenderat, diſplicuiſſe ſibi hujuſmodi poſtulata.

Tum

VAR. LECT. [α] Penbrucii *D.* f. o. d. [β] comes, proxima cognatione cum utriſque conjunctus, qui *D.* f. o. [γ] Norantoniae *D.* f. o. [δ] Sariſburienſis *D.* f. o. Shrowsburienſis *D.* d. *Ed. Gen.* [ε] Henrici *D.* f. o. [ϛ] Graii *D.* f. o. d. [ζ] Nortombria *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Herbert, comte de Pembroke.* [b] *Wiat* [c] *St. Quintin.* [d] *Parr, marquis de Northampton.* [e] *Talbot, comte de Shrewsbury.* [f] *Ratcliff, comte de Suſſex.* [g] *le duc de Norfolk.* [h] *Seymour, comte de Hertford.* [i] *Grey, duc de Suffolk.* [k] *Brandon.* [l] *Douglaſs, comte d'Angus.* [m] *Harbotle en Northumberland.* [n] *Stuart, comte de Lenox.*

CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

Tum ſic apud ſe diſputabat; non eandem rem nunc retractari; ut regni quieti in praeſens et in poſterum conſulatur, cujus adeo illos minime ſolicitos credat: nam cujus audaciae imo dementiae eſſe, quod a regina fruſtra olim tentatum ſciant, id ſubditos ſuos a ſe ſperare tam alieno tempore conſequi poſſe? non igitur veniſſe, ut impetrarent, ſed ut eo facto ſe duces factioni per regnum exortae oſtentarent. Quod vero de nuptiis additum erat, id animum ejus magis pungebat; quod inconſulta Scota minime fieri ſibi perſuadebat. Sic autem cogitabat; reginam bis viduam, et [a] Bothuelio, uti jactabatur, eodem vinculo obligatam, neque dum eo ſolutam, ſtatim in regni vicini ingreſſu de quartis nuptiis cum primario regni Anglici viro cogitare, quid aliud eſſe, quam praetenta hoſpitii religione res in alieno regno, cujus ſucceſſionem ad ſe et ad ſuos pertinere contendat, turbare velle? Meminerat enim eam, cum primum regnum ſuum ingreſſa eſſet, apud [b] [α] Scropum limitis illius praefectum divertiſſe. Scropus autem ille Norfolcii ſororem in matrimonio habebat; et per eam de matrimonio inter Norfolcium et Scotam contrahendo actum fuiſſe vero ſimile fiebat. Nec ignorabat, res ubique fere tumere, plebe ob mutatam religionem paſſim murmurante, nec nobilitate plerîſque locis ſatis aequa, ut, niſi dux defuiſſet, non defuturos motus appareret. Itaque ab eo tempore Scotae ut ſuſpectae conſilia, conatus, molitiones diligentius per Georgium [c] Talbotum [β] Salopiae et Edvardum [d] Haſtingum [γ] Huntingdoniae comites et Henricum [e] [δ] Knollium vicecamerarii fratrem obſervari juſſit. Quod ad Norfolcii poſtulata, cum per Joannem [f] Baconum cancellarium, Gulielmum [g] Cecilium ab epiſtolis, Franciſcum Knollium vicecamerarium et alios primarios concilii ſui ſenatores, cum eo et ſociis, ut ab incepto temerario ac ſibi pernicioſo deſiſterent, egiſſet, ſic illa ambiguo reſponſo eluſit, ut non obſcura alieni ob id animi ſignificatione a ſe dimitteret. Illi vero cum ſe primo [h] [ε] Nonſucham [i] Arundelii [ϛ] aedeis et mox [k] Wiltonam Penbrochii comitis domicilium contuliſſent, ſuſpicione injecta quaſi ſeptentrionalium populorum ad ſeditiones paratorum ope aliquid molituri eſſent, regina continuo ad eos, antequam vireis colligeret factio, delectos ex aula Londino mittit, qui conjuratorum conatus anteverterent; qui ea diligentia uſi ſunt, ut, oppreſſo Norfolcio, cum [l] Windeſorae XX a Londino paſſuum CIↃ coram regina ſtiterint: unde mox ejus juſſu a corporis regii ſtipatoribus in arcem Londinenſem deductus eſt, eo uſque ibi permanſurus, dum de eo aliter decretum eſſet.

XXIV. QUA re audita, Thomas [m] Percius Northumbriae et Carolus [n] [ζ] Nevillus Weſtmorlandiae comites, a Nicolao Mortono presbytero Anglo a pontifice in Britanniam miſſo perſuaſi, majorum religionem a perditis hominibus, qui circa reginam ſunt, paene ſepultam tuendam ſuſcipiunt; et per limitem ſeptentrionalem copias conſcribunt, evulgato prius ſcripto, quo conſilii ſui rationem explicabant. Eorum poſtulata erant; ut majorum religio reſtitueretur; ſex de reginae concilio ejiciantur; antiqui conſiliarii ordine moti in priſtinam dignitatem reſtituantur; praeteritorum venia univerſis impertiatur. Praeter illos ſubſcripſere Chriſtophorus [o] Flannerus eques, [η] Richardus [p] Nortonus pater, et Franciſcus ejus filius, alii, nulla de Scotorum reginae et Norfolcii nuptiis mentione injecta, ut ſpecioſior eſſet belli ſuſcepti ratio. Jamque ad IX CIↃ in armis habebant, cum Eliſabetha, dum vireis parat, contrario diplomate VIII Kalend. Dec. publicato reſpondet; quo, retecta et exagitata

VAR. LECT. [α] Scrupum D. f. o. d. *Ed. Gen.*
[β] Sariſburienſem D. f. o. Shrowsburienſem D. d. *Ed. Gen.*
[γ] Huntingtoniae D. f. Hungtingtoniae D. o.
[δ] Knouchium D. f. o.
[ε] Norſucham D. f. o.
[ϛ] arcem et mox Viltonam, Penbrucianae ditionis oppidum, contuliſſent D. f. o.
[ζ] Nevelus Veſtumbriae comites D. f. o.
[η] Ritardus D. f. o.

INTERPR. [a] *le comte de Bothwel.* [b] *le lord Scroop.* [c] *Talbot, comte de Shrewsbury.* [d] *Haſtings, comte de Huntingdon.* [e] *Knolles.* [f] *Bacon, garde des ſceaux.* [g] *Cecil, ſecretaire d'Eſtat.* [h] *Nonſuch.* [i] *le comte d'Arundel.* [k] *Wilton, maiſon du comte de Pembroke.* [l] *Windſor.* [m] *Percy, comte de Northumberland.* [n] *Nevil, comte de Weſtmorland.* [o] *Planner.* [p] *Norton.*

exagitata Thomae et Caroli Northumbriae et Weſtmorlandiae comitum ac conſciorum conjuratione, quam quibus potuerit rationibus, ne in manifeſtam rebellionem erumperet, hactenus impediverit, tandem eos tanquam perduelleis proſcribit, negotio dato Henrico Suſſexiae comiti ſeptentrionalis limitis praeſidi, ut per illas regiones regium diploma promulgari juberet, et in perduelleis ac eorum ſectarios manu armata ducat. Dum haec agerentur, diſſimulato ad tempus injuriae ſenſu, Eliſabetha in Scotiam ad ordines, qui [a] Perthi convenerant, literas mittit, eodem fere tempore quo Scotorum regina ad eos ſcripſit. Angla trium conditionum unam proponebat: ut Scota in priſtinum locum et auctoritatem reſtitueretur: ſin id impetrari non poſſet, ut communiter cum filio regii nominis honore in literis et actis publicis frueretur: ſi rurſus neutrum horum obtineri queat, ut, ſi quidem id ipſa ſibi perſuaderi permitteret, privata domi viveret, eis contenta honoribus, qui, ſalva regia auctoritate, concedi poſſent: quod additum ab illa, jam reginae foederatae, ſed ſibi ſuſpectae, cauſam ſenſim deſerente; in idque facile aſſenſum praebuere, qui regis partes tuebantur, ceteris obſtinate negatis. Dein Scotae literae in concilio recitatae ſunt; quibus petebat, ut judices darentur, qui de ſuis cum [b] Bothuelio comite nuptiis cognoſcerent; quae ſi contra leges contractae comperirentur, a viri poteſtate libera pronunciaretur. Verum inſolenti reſponſo a regis pueri ſectariis cluſae ſunt, cenſentibus, ut illa ad Danorum regem ſcriberet; atque oraret, ut in Bothuelium prioris mariti interſectorem jure animadverteretur: ſic enim fore, ut, eo ſublato, invitis omnibus, cui vellet nubere poſſet: ſin abnueret, eam non ex animo ſed ſimulate de divortio agere videri; ut, ſicuti cum proximo etiam viro, ſi cui nuberet, in incerto matrimonio eſſet. Decreto concilii ad Eliſabetham perlato, etſi non moleſte ferebat, conditionem illam acceptam, quae minus auctoritatis Scotae jam ſibi ſuſpectae tribueret, et literis tale reſponſum factum, ut, mora nuptiis, quae a conjuratis maturabantur, injecta, tantundem ſibi temporis, quo adverſus tantam vim omnia domi diſponeret, concederetur; tamen, cum huc uſque ſimulate cum Scota egiſſet, rurſus affectata mora ſibi minime decreto ordinum ſatisfactum dicit, nec hominem idoneum ad ſe miſſum, quicum de tali negotio tranſigi poſſet. Itaque ex compacto cum prorege, qui et rem in longum extrahi cupiebat, rurſus in procerum concilio [c] Sterlini idem negotium retractatum eſt; et variis ludificationibus eluſae Mariae petitiones initio, mox omnino et aperte rejectae; vel ea maxime ratione, quod, cum omnis regni ſocietas infida ſit, vero ſimile non fieret, foeminam florentis aevi paſſuram ſibi infantem aequari, quae virum non tuliſſet; et, ſi homini alicui potenti, quod tunc agebatur, nuberet, verendum eſſet, ne duplicatis inde reginae viribus, et amicis regis praeſentem largitionem futurae ſpei anteferentibus, tum marito in partem imperii accepto, qui non libenter pateretur liberos ſuos a privigno in regni poſſeſſione anteiri, pueri vita et ſtatus in diſcrimen vocaretur. Haec per Robertum [d] Pitcarnium partibus regiis valde addictum Anglae pronunciata ſunt, eo tempore quo conjuratorum inſidiae omnino patuere et revictae ſunt, diſſipatis Northumbriae et [α] Weſtmorlandiae comitum copiis. Nam capti ex iis plerique, et [β] Norwici a [e] Catelino juridico praefecto et Gilberto [f] Gerardo [1] fiſci patrono ad mortem damnati et extremo ſupplicio affecti ſunt: in iis praecipui [g] Joannes [γ] Throcmortonus, Georgius Redmanus, Joannes Apleartus, Thomas Brookus, Chriſtophorus Platerus, Briandus Hollandus, Edvardus [δ] Fiſcherus. Ad perpetuos carceres damnati

VAR. LECT. [α] Veſtumbriae *D. f. o. d.* [γ] Trogmartonus *D. f. o.* Throgmartonus *D. d.*
[β] Noruicae *D. f. o.* [δ] Fiſerus *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Perth.* [b] *de Bothwel.* [c] *Sterling.* [d] *Pitcarn.* [e] *le chevalier Robert Catlin, premier juge du Banc du Roy.* [f] *Gerard, procureur general.* [g] *J. Throckmorton, G. Redman de Cringleford, J. Appleyard, T. Brooke de Rolsby, Chr. Plater, Brian Holland, & E. Fiſher.*

NOT. [1] Dele *fiſci patrono*: Lege *procuratore regio.*

CIƆIƆLXIX. CAROLUS IX.

damnati [a] Robertus Floodus, Jo. Hubertus et Edvardus Smithus. Northumbriae comes, cum in Scotiam ſugiſſet, Jacobi Moraviae comitis juſſu, ut Eliſabethae, a cujus nutu res ſuas pendere intelligebat, gratificaretur, in cuſtodiam traditus eſt. [α] Weſtmorlandiae comes latebras apud [b] Cartum Fernihurſtium et Walterum Scotum Buchluium invenit, et inde in Belgium evaſit; ubi exili penſione ab Hiſpanis accepta vitam in ſumma egeſtate ad ſenectutem uſque toleravit. Diſturbatis conjuratorum copiis, belli ſomes, qui reſtinctus credebatur, a Leonardo [c] Dacreo gibboſo, haud citra publicae tranquillitatis periculum, [d] Naworthi in Cumbria juxta Sept. [e] Severi vallum denuo accenſus eſt. Guil. Dacreus ejus ex fratre majore nepos, deſultorii equi lignei ruina oppreſſus, cum exſpiraſſet ſine maſcula prole, Leonardus aegerrime tulit, opimum adeo patrimonium ſoeminis ab eo relictis ex lege obveniſſe; liteque contra nepteis intentata cum ſucceſſus non reſponderet, ad res novas animum intendit; et Mariam, quae interim a [f] Tutburia [g] Coventriam oppidum munitum a [h] Salopiae et Huntingdoniae comitibus longius a limite tranſportata eſt, liberandam ſuſcepit. Quo rem magis tegeret, primum in aulam venit, ubi Chapinus Vitellius erat ab Albano miſſus, in ſpeciem, ut commercii negotium componeret, re vera ut conjurationis eventum coram opperiretur, dux Marianis partibus deſtinatus, ſi res ex voto ſucceſſiſſet. Ibi dum eſſet Leonardus, conjuratione Northumbrii et Weſtmorlandii praecipitata, cum in ſuſpicionem participationis conſilii veniſſet, tamen in conſpectum Eliſabethae admiſſus, et venia praeteritorum impetrata, ſtrenuam ad diſturbandas rebellium reliquias operam detulit: continuoque ad limitem, in quo praepotens Dacreorum familia eſt, a clementiſſima regina remiſſus, conſilia denuo cum rebellibus repetit; et [i] Scropum illo tractu primarium regulum et epiſcopum [k] Carleolenſem, reginae addictiſſimos, homo manu promptus interficiendos ſuſcipit. Quod cum efficere non potuiſſet, Northumbrium et Weſtmorlandium conatu irrito fugienteis, literis commendatitiis ad Scotos ſcriptis, proſecutus eſt, et renudato animo [l] Greiſtochum caſtrum aliaſque Dacreorum arces occupavit; et Naworthum, tanquam ſui juris caſtrum, feſtinatis operibus munire aggreſſus eſt, magna praedonum per limitem diſcurſantium manu collecta, qui, [m] Hunſdono contra eos ab Eliſabetha miſſo, munimentis protinus relictis, obviam venienti proceſſerunt, et acri ad [n] Geltum amniculum proelio cum eo conflixerunt; in quo cum nullas fortiſſimi ducis partes Leonardus praetermiſiſſet, haud incruentam victoriam Hunſdono reliquit, et in Scotiam primum, deinde in proximum Belgium profugit, ac [o] Lovanii tandem in ſumma egeſtate deceſſit. Interea [p] Norfolcius, qui in arce Londinenſi attinebatur, ut ſuſpicionem criminis purgaret, IX Kal. Sextil. per amicos toto regno ac praecipue in aula publicari curat, dolere ſibi ex animo, quod temere aures ſermonibus de Scotae matrimonio injectis praebuerit, et juſtam reginae ob id in ſe indignationem commoverit; poenitere ſe facti, ac poenam et iram ſuae herae deprecari; atque orare, ut ſe confeſſum ac ſupplicem in priſtinum gratiae locum recipiat, vitam, opes, ſanguinem ad ejus arbitrium, prout debeat, profundere paratum; fide inſuper obligata, neque de matrimonio illo neque re alia ad rempublicam pertinente poſthac, inconſulta hera ſua aut injuſſu ejus, cogitaturum. Qua ingenua, ut videbatur, animi declaratione ac confeſſione Eliſabetha permota, quae alioqui minime Norſolcio male vellet, ipſius et amicorum precibus condonavit, ut turre emitteretur, et ad aedeis ſuas juxta Carthuſianorum coenobium divertere liceret. Miſſus a pontifice fuerat Robertus [q] Ridolfius, qui ſpecie negotiorum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Weſtmorlandii fato et Dacrei rebellione, 31 lineae, uſque ad* Interea Norfolcius, *deſunt D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *R. Flood, J. Hobert, & E. Smith.* [b] *Ker ſieur de Ferniburſt, & Scot ſieur de Buccleugh.* [c] *Dacres.* [d] *Naworth en Cumberland.* [e] on l'appelle communément la muraille des Pictes, *the Picts wall.* [f] *Tutbury.* [g] *Coventry.* [h] *Shrewsbury & Huntingdon.* [i] *le lord Scroop.* [k] *l'evêque de Carliſle.* [l] *Chateau de Greyſtock.* [m] *le lord Hunſdon.* [n] *Gelt r.* [o] *Louvain.* [p] *le duc de Norfolk.* [q] *Ridolfi.*

negotiorum in Eliſabethae aulam venit, ut fidem Anglotum ſolicitaret, et ampliſſima ab ipſo et Philippo polliceretur; quo praecipue adminiſtro [qui circa reginam erant utebantur. Is igitur] ex ſuſpicione in carcerem conjectus; ſed mox cum Norfolcio liberatus in Italiam conceſſit: commodumque accidit, ut tunc abeſſet, cum ex commentariis et arcanis literis anno inſequenti manifeſto inſidiae et conſilia contra reginam inita patuere. CIↃIↃLXIX. CAROLUS IX.

XXV. [1] INEUNTE poſt anno in Scotia magna rerum mutatio ſecuta eſt, morte proregis ſciſſo mox in apertas factiones regno, ſed auſpicata pueri regis fortuna citra bellum aut exitioſum periculum rebus paulo poſt compoſitis. Qui Mariae reginae partibus ſavebant, nihil non agebant, ut turbas in eo regno excitarent: cumque [a] Moravium conatibus ſuis maxime adverſum experirentur, de eo tollendo conſilium inierunt. Princeps conſilii Gulielmus [b] Metellanus habebatur, qui, quod participaſſe regis caedi diceretur, a Thoma [c] Crafordio accuſatus, et poſt aliquot dierum cunctationem [d] Sterlinum profectus juſſu proregis captus, et poſtea [e] Edimburgum ductus, ab Alexandro [f] Humio ac Gulielmo Kirkadio, qui arctam cum Moravio amicitiam hactenus coluerat, perſuaſo eo, dimiſſus eſt, quod proregi exitium poſtremo maturavit. [g] Pitcarnius enim cum, rebus ex animi ſententia confectis, ex Anglia rediiſſet, et proregem quaecunque ipſe geſſerat Eliſabethae gratiſſima eſſe monuiſſet, quod nimirum limitem pacaſſet, quod Northumbriae comitem e conjuratis unum in Scotiam fugatum comprehendiſſet, et ſub cuſtodia haberet, et res regis pupilli feliciter adminiſtraret, omniaque ab Angla prolixe pollicitus eſſet, prorex jam ex eo ſecurius rumores de conjuratione contra ſe inita perlatos negligere coepit; dilatiſque comitiis ac miſſo ſub cuſtodiam ad lacum [h] Levinium Northumbriae comite, Sterlinum pridie Kal. Jan. proficiſcitur. Cumque de inſidiis undique afferretur adverſus ſe ſtructis ab aemula factione, quippe quae vivo illo nullum conſilii exitum reperiret, ſublato omnia voluntati ſuae prona crederet, ad hoc inducta reginae captivae pollicitationibus, quae Gallorum et Hiſpanorum auxilia brevi affore affirmabat; tamen is, ſive talium periculorum natura contemptor, ſive quod ſe ſatis nobilitate latus aſſidue tegente tutum exiſtimabat, nihil de priore ſecuritate mutavit. Hamiltonii conjurationis principes erant, qui, quod Moravium regno inhiare dicerent, ac per eum ſtare quo minus regina a ſuis in ſuo regno reciperetur, atque id agere, ut, puero rege, quem tuendum in ſpeciem contra matrem ſuſceperat, regiam poteſtatem atque adeo regnum ipſum in ſe paulatim ex occaſione transferret, foedus ad eum de medio tollendum inierant, Gulielmo Kirkadio arcis Edimburgenſis praefecto, ut creditur, minime ignaro. In eam rem Jacobus Hamiltonius ex archiepiſcopi [i] ſani Andreae ſorore natus operam ſuam ultro detulerat, tempuſque idoneum patrando facinori aucupabatur. Cum inſidiae primum [k] Glaſcuae ac poſtea Sterlini non proceſſiſſent, poſtremo [l] Limnuchi loco, ut ſibi videbatur, commodo, quippe quod in Hamiltoniorum clientela eſſet, rem exequendam ſuſcepit. Cum igitur prorex ab indicibus monitus ut ſibi caveret, nam percuſſorem inter tertias aut quartas aedeis ab ejus hoſpitio diverſari, nihil commotus, tantum per aliam portam regredi et mutato itinere progredi ſtatuit: ſed multitudine equitum eum opperiente impeditus eſt; et ſuſpecta loca celeriter in equo praetereuntem turba obſiſtens cum temoraretur, percuſſor e podio ligneo linteis operto cum plumbea pila paulo infra umbilicum transverberat, et per poſticum equo ad id parato elabitur. At Moravius, vir animo imperterrito, nihil in ſpeciem commotus ex equo velut ſine vulneris ſenſu deſiliit, CIↃIↃLXX.

D. ſ. o. d. [*Scotorum regina utebatur. Igitur*]
VAR. LECT. [a] Galatino D. f. o. d. *Ed. Gen.*
INTERPR. [a] *le comte de Murray.* [b] *Maitland de Lidington.* [c] *Crawford.* [d] *Sterling.* [e] *Edimbourg.* [f] *le lord Hume, & le chevalier Guillaume Kirkaldy ſieur de Grange.* [g] *Pitcairn.* [h] *Lough-Levin.* [i] *St. André.* [k] *Glaſgow.* [l] *Linlithgow.*
NOT. [1] *Hic locus, uſque ad* Cumque de inſidiis, *qui in Edd. Genev. turbato ordine legitur, ex Put. L. emendatur, lineis aliquot, ſine ulla quidem ſenſus mutatione, tranſpoſitis.*

deſiliit, et pedibus in hoſpitium rediit; ubi ſtatim, dolore oborto cum ſupremam horam inſtare cerneret, [α] ſuprema ordinavit, et, rege proceribus, qui aderant, commendato, placide ſe ad mortem compoſuit, frementibus amicis, qui ipſum ſibi lenitate ſua exitium peperiſſe dicebant, gratia percuſſori ſuo perduellionis damnato ante aliquot dies facta. Quae cum ille audiret, Haud unquam importunitate veſtra efficietis, inquit, ut me meae clementiae poeniteat. Tandem ſub mediam noctem ad x Kal. Febr. fatis conceſſit; dum viveret, ſciſſo factionibus regno, ſiniſtris rumoribus ab aemulis laceratus; ſed, poſtquam mortuus eſt, veris laudibus etiam ab inimicis laudatus, qui et praeſentiam animi in periculis, felicitatem in proeliis, in jure dicundo aequitatem, morum gravitatem cum liberalitate et humanitate ſumma conjunctam praedicabant. [β] Joanni Hamiltonio nomen fuit percuſſori; qui, ſive ab Jacobo ſani Andreae archiepiſcopo ſubornatus, ſive privata injuria, ut alii dicunt, ſtimulatus, in Galliam poenam metuens venit; et, quia manu promptus putabatur, ut in Gaſparem Colinium maris praefectum, qui jam tum ad perniciem petebatur, idem quod in Moravium auderet, praemio invitatus, praefracte reſpondit; non ſe auctoratum ad caedeis e Scotia in Galliam tranſmiſiſſe; quod fecerit, impatienti juſti doloris ſui ſenſu, cujus poeniteat, feciſſe; alieni vindicem nec prece nec pretio unquam futurum. Proregis morte cum res in Scotia in incerto eſſent, et inde qui reginae partes tuebantur, hinc regis cauſae faventes contrariis factionibus ſcinderentur, diu regnum extra bellum magis quam pacatum fuit, arbitra inter utroſque Eliſabetha Anglorum regina, quae jam arctiore cuſtodia Scotorum reginam tenebat. Hamiltonii, cum aliter res domi turbare non poſſent, Scotos cum Anglis, qui jam regis cauſae favere videbantur, committere decreverunt. Eo conſilio illorum inſtigatu Walterus [a] Scotus Buchluius et Thomas [b] Carrus [γ] Fernihurſtius [δ] Mariae addictiſſimi, qui in limite erant, Angliam ingreſſi ſolito crudelius omnia flammis et ferro foedarunt, ut, ſi alia ratione vicinos ad arma ſumenda nequirent adducere, injuriis inferendis invitos ad bellum pertraherent. Tum comitia indicta de creando prorege ex eorum numero quos regina mater tutores filio nominaverat, modo in adverſam factionem non tranſiiſſet; et poſtea dilata ex conſilio Gulielmi [c] Metellani, qui turbarum praecipuus auctor, ob idque in arcem ſub cuſtodia conjectus poſt Moravii caedem nuper inde eductus fuerat, aſſentiente [d] Atholio. In his comitiis introductus Thomas [e] Randolfus, ab Eliſabetha, ut de incurſionibus Scotorum ſeditioſorum conquereretur, et ſuam egregiam erga vicinum regnum voluntatem teſtaretur, miſſus; cui, nemine in ſummum magiſtratum adhuc electo, verba honorifica tantum data, certiore reſponſo in id tempus dilato, quo prorex creatus eſſet. Poſtremo proregis proxime occiſi fratres ex eadem matre Robertus et Gulielmus [f] Duglaſſii audiri ſunt, petentes, ut ſui fratris indigna mors, nullas ob inimicitias privatas ſed ob rempublicam illata, ne inulta eſſet. Ibi ſententiis variatum; cum alii rem ad comitia remittendam, alii diutius non expectandum cenſerent adverſus eos qui jam arma ſumpſerant, ut facilius, quod ſcelere patrarant, vi defenderent. Tandem ex Atholii et [g] Mortonii ſententia nihil ante Kal. Maias, qui dies comitiis dictus erat, agi placuit. Interea, qui reginae favebant, Hamiltonii, [h] Argathelius et Bodius ad conſultandum [i] Limnuchum venere. Cum exitum conventus non habuiſſet, [k] Huntilaeus, Atholius, [l] Crafordius, [m] Ogilvius, Humius, Setonius, Metellanus ex eadem factione Edimburgum convenerunt IIII Non. Mart. ſed nihil fere actum. Tantum inter eos diſceptatum, quo jure Scoti proregem creare poſſent;

VAR. LECT. [α] de re familiari ſtatuit, et, rege *D. f.*
[β] *Quae ſequitur de praemio Hamiltonio, ut Colinium percuteret, oblato, narratio deeſt D. f. o. d.*
[γ] Farniheſtius *D. f. o. d.*
[δ] Mariae addictiſſimi *deſunt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Scot, ſieur de Bucclugh.* [b] *Ker, ſieur de Ferniburſt.* [c] *Matland, ſieur de Ledington.* [d] *le comte d'Athol.* [e] *Randolph.* [f] *Douglaſs.* [g] *le comte de Morton.* [h] *le comte d'Argyle, & le lord Boyd.* [i] *Linlithgow.* [k] *le comte de Huntley.* [l] *Crawford.* [m] *les barons d'Ogilvy, Hume, & Seaton.*

poſſent, an diplomate reginae captivae, an univerſalis procerum conventus auctoritate. Cum inter eos non conveniret, re infecta, ſolutum eſt concilium: et qui metuebant, ne, captiva regina, res pueri regis, cui Angli favebant, ſtabilirentur, ad belli Anglici ſemina rurſus revoluti, eoſdem, quos antea, per limitem immittunt, qui nihil ſibi ad extremam crudelitatem reliquum fecere: ipſam interea Eliſabetham conviciis proſcindebant, proceres Scotorum calumniantes, quaſi Anglorum clientes; ac vulgo minabantur, ſi Anglica accerſerentur auxilia, ſe Gallorum et Hiſpanorum viribus uſuros, ad hoc incitati et confirmati [a] Veraci e domeſticis regiis adventu, qui e Gallia ſub id tempus [b] Britannodunum appulit a Guiſianis miſſus, et ingentibus promiſſis nutantium animos erexit. Inde ad Eid. April. [c] Hamiltonii conventus indicunt, Edimburgum mox tranſlatos, ut major auctoritas ex loco illis accederet. Oppidani ab eorum cauſa alieni erant, ut qui regis cauſae faverent, et Eliſabethae offenſionem, in cujus regno negotiantur, vererentur. Sed Gulielmus [d] Kirkadius arcis et urbis praefectus et reginae captivae partibus addictus hunc metum diſcutiebat. Dum in eo ſunt, et fruſtra Jacobum [e] Duglaſſium Mortonium [f] Atholii interventu ad ſuas partes perducere conantur, rumor ſubitus de adventu Angli exercitus [g] Berwicum, ductore Thoma [h] Ratcliffo Suſſexiae comite, conſilia eorum turbavit. Nam Alexander [i] Humius et Joannes Maxvallius nuper e cuſtodia emiſſi ad ſua in limite tuenda inde proficiſcuntur. [k] Carrus vero et Scotus, qui archiepiſcopi ſani Andreae inſtigatu bello huic ad conſilia ſua, uti rebantur, accommodato cauſam dederant, jam viribus impares et a vicinis derelicti trepide ad factionis ſuae principes mittunt rogatum auxilia, aut, ſi id gravarentur, [l] Lauderam ſaltem propinquum oppidum accederent, ut inde bellum Anglis oſtentarent. Cum id impetrari non poſſet, Hamiltonii legationem ad Suſſexiae comitem mittendam curant, quae inducias fieri peteret, dum per legatos Anglorum reginam de rerum Scoticarum ſtatu edocerent, et ſe de excurſionibus apud eam purgarent. Sed Suſſexius, qui ludificationes eorum cognoſceret, nullis rationibus adduci potuit, ut ullis conditionibus ab hoſte oblatis otioſum militem per inducias aleret, et bellum omitteret. Itaque ad artes ſuas redeunt; et per Guiſianorum emiſſarium, qui cum regis mandatis venerat, rumores ſpargi curant; in Gallia pacata omnia, Gaſparem [m] Colinium Caſtellionaeum alioſque rebelleis eo adactos, ut ſe regno diſceſſuros pollicerentur, ne quietem publicam ſua praeſentia turbarent, ac brevi militem conſcriptum ſubſidio e Gallia venturum. Legati in Angliam miſſi paene cum convicio rejecti ſunt; et, literis ad captivam reginam e Gallia miſſis ab Anglis interceptis, cum vanitas tabellarii patuiſſet, ſpes illa omnino evanuit. Jamque tempus comitiorum ad Maii Kal. indictorum inſtabat: et Hamiltonii [n] Limnuchum cum ſuae factionis proceribus, regii Edimburgum venerant, fruſtra inſidiis in itinere inſtructis, quas Jo. [o] Areskinus Matriae comes vix evaſit. Dum in eo ſunt, et ſibi invicem ſeditionum cauſas imputant, regii ſe in alias quaſvis conditiones facile conſenſuros ac, ſi quis de ſe queratur, bonorum virorum arbitrio ſatisfacere paratos oſtendunt, ſi quidem, incolumi regis auctoritate, ſuperioris regis et proregis caedem conjunctis conſiliis ſibi ulciſci liceat. Hamiltonii, ad haec nullo reſponſo dato, comitia in III Non. Sextil. Limnuchi habenda indicunt. Regii Robertum Pitcarnium ad Eliſabetham mittunt, qui ageret cum ea de communi hoſte reprimendo, et, ut Scotorum voluntatem in ſe intelligeret, ex ejus arbitrio proceres proregem electuros affirmaret. [a] Sub id

Jac.

VAR. LECT. [a] *Quae ſequitur de Setoni ad Albanum legatione narratio uſque ad* Sopitae interea *deeſt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Verac.* [b] *Dunbritton.* [c] *Hamilton,* [d] *Kirkaldy de Grange.* [e] *Douglaſs, comte de Morton.* [f] *Stuart, comte d'Athol.* [g] *Berwick.* [h] *Ratcliff, comte de Suſſex.* [i] *le lord Hume, & Jean Maxwel lord Harries.* [k] *Ker de Fernihurſt, & Scot de Buccleugh.* [l] *Lauder.* [m] *l'amiral de Coligny, ſieur de Chaſtillon ſur Loing.* [n] *Linlithgow.* [o] *Erskine, comte de Marr.*

CIↃIↃLXX. CAROLUS IX. Jac. Hamiltonius dux [a] Caſtri Eraldi, [b] Huntilacus et Argathelius, reginae vicarii, Georgium [c] Sětonum e ſuo numero ad [d] Albanum, conſulta prius illa, in Belgium ablegant; qui pro Mariae libertate multis verbis egit, et, ut partes ſuas apud Philippum interponeret enixe petiit: in fortuna reginae adflictae pietatem, decus et juſtitiam ſimul ob oculos verſari, quibus rex potentiſſimus ſupremum ſit impoſiturus faſtigium, ſi cauſam tam ſanctam, tam honeſtam, tam juſtam ſuſcipiat: nam eadem opera majorum religionem conſtitui: et, quod parens ejus in Florentinorum duce et principe Mahumetano tanta cum laude fecit, id filius cum regina Chriſtiana et legitima Anglicani ſceptri herede, multo majore cum gloria, facturus: atque hoc facto non ſolum Galliam, ſed Daniam, Lotbaringiam et Guiſianos obſtricturum: nobileis pleroſque et religioni majorum addictos ei favere: regni portus in ejus poteſtate eſſe: nec dubium, quin e longinquo pontifex in hoc ſacrum bellum conſpiret, et opes ſuas abunde ſuppeditet: petere interim, ut Scotis rebellibus commercio in Belgio interdicatur, et captivae reginae ad ſe ſuſtentandam x aureorum CIↃ dependantur. Per [e] Noerkarmium ſtatim Albanus reſpondit; ſe diligenter de re omni ad Philippum ſcripturum: de Scotorum commercio interdicendo quod petatur, contra libertatem Belgicam eſſe; de cetero repraeſentata pecunia. At Setonus, non contentus cum Albano clam egiſſe, obſoleto habitu in caſtra profectus circuire ordines, Scotos, qui Hiſpano militabant, tentare, menſae adhibitos prenſare, ac pecunia, ut ſe ſequerentur, ſolicitare coepit: quo in crimine deprehenſus, cum judicio militari tormento diſplodendo inſidere juberetur, fuga ad Albanum evaſit, et aſportata ſecum pecunia et multis promiſſis oneratus ad ſuos revertit.

XXVI. SOPITAE interea paulum in Anglia ſuſpiciones ex eo renovatae ſunt, quod Pius V, qui aſtu et per inſidias Eliſabetham antea tantum adortus fuerat, tunc demum publico diplomate eam V Kal. Martias Romae proſcripſit tanquam Sectariam et Sectariorum fautricem; et in primis, quod Romanae ſedis oratores hac de cauſa ad ipſam miſſos in Angliam trajicere non permiſerit, ac vicinorum principum plamonita et preces contempſerit; ipſam et ipſius impietatibus adhaerenteis a Chriſti corporis unitate tanquam membra putrida praecidit, omni regni jure privat, ſubditoſque, qui ei juramenti ratione obſequium debent, a ſacramenti religione ſolvit. Quo facto, reſtabat, ut Eliſabetha, non prius citata aut ante monita, ſaltem poſt condemnationem de ſententia certior fieret: qua in re non parum periculi ſuberat: quod tamen ingenti ſive audacia ſive temeritate diſcuſſit Joannes [f] Feltonus, qui cum amico conſcio menſe Sextili pontificium diploma Londini ad valvas aedium epiſcopi ſub veſperam affixit, ita ut ad octavam uſque inſequentis diei horam publice proſtiterit: cumque ſocius fugiturus Feltonium moneret, ut fuga periculo ſe ſubduceret, ille, ſe, quicquid ea cauſa ferendum eſſet, minime recuſare teſtatus, ſtatim ex conjectura comprehenditur; et a duodecimviris, quis diploma affixiſſet, interrogatus, Ego vero, inquit, vos omni ulteriore ſolicitudine ac cura libero, meque fateor id feciſſe. Inde ſtatim ad ſupplicium VI Eid. Sextil. raptus; et monitus, ut errorem agnoſceret, et delicti veniam a regina peteret, ſe reginam non laeſiſſe intrepido animo reſpondit. Ob eam cauſam et quod ex conſciorum ac damnatorum confeſſionibus magis ac magis de conjuratione conſtaret, rurſus importunis conſiliariorum vocibus victa regina Norfolcium in turrem cuſtodiendum includi juſſit: nondum tamen renudato adverſus Scotam hoſpitam animo, quam diligenter obſervare contenta, appoſitis ſtipatoribus, adhuc ſub libera cuſtodia tenebat. [α] Actum et tunc a rege per virum illuſtriſſimum [g] Paulum Foxium oratorem ſuum et Jo. [h] Monlucium Valentiae

VAR. LECT. [α] *Actio quae ſequitur de Maria liberanda uſque ad* Dum in aula conſultatur *deeſt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Chatelleraut.* [b] *les comtes de Huntley & d'Argyle.* [c] *le lord Seaton.* [d] *le duc d'Albe.* [e] *Philippes de Ste Aldegonde, ſieur de Norcarmes.* [f] *Felton.* [g] *de Foix.* [h] *de Montluc, evêque de Valence.*

Valentiae epiſcopum extra ordinem miſſum de Maria liberanda: et inſtigatu [a] Roſſenſis epiſcopi inſtituta querimonia, quod arctiore cuſtodia nec citra vitae periculum detineretur ab Henrico [b] Haſtingo Huntingdoniae comite; quippe qui jus in Angliae regno ſibi vindicaret, eoque durius ac minus humane cum ipſa ageret. Idem Philippus per oratorem ſuum urgebat. Ad quae ab Eliſabetha reſponſum; nihil mirum, ſi, poſt detectam conjurationi affinem machinationem, cautius in poſterum ſibi agendum putet, eamque, quae malis artibus ad regnum alienum aſpirat, quam conjurati reſpiciunt, minime dimittat: ſummae quippe imprudentiae eſſe, dum alienae ſaluti conſulis, propriam neglexiſſe: Huntingdonii jus nullum in regni ſucceſſione agnoſcere; cognationem aliquam non diffiteri, ſed jampridem illum amotum, et [c] Salopiae comiti cuſtodiam Mariae commiſſam eſſe: in Mariae gratiam ſe omnia feciſſe, et porro facturam, quae a benevola ſorore expectari poſſunt: ceterum neque Gallum neque Hiſpanum iniquo animo ferre debere, ſi in conſiliis capiendis ante omnia ſuae et publicae regni Anglicani ſaluti conſulat. Dum in aula conſultatur, Scota dimitti an retineri debeat, in limite Angli cum infeſto exercitu [d] Teviotiam ingreſſi Carrorum et Scotorum, qui incurſionibus principium fecerant, villas ac poſſeſſiones incendio ac rapinis deformant, [e] Humiam arcem capiunt ac diripiunt, ſpe falſo loci domino, qui, cum [f] Suſſexium et Gul. Drurium equitem Anglum in occulto Norfolcianae factioni favere ſciret, ſecurior in rebus ſuis tuendis fuerat. Parte alia, [g] Scropus Anglus [h] Annandiam ingreſſus Jonſtoni, qui et ipſe in Anglorum limitem excurrerat, agros populatur. Drurius vero, acceptis a regia factione obſidibus cum CIↃ peditibus, CCC equitibus, adverſus Hamiltonios ducit, qui [i] Glaſcuae arcem obſederant, decreto de ea diruenda facto, ne Matthaeo [k] Stuarto Levinio nuper ex Anglia reverſo receptaculum ac belli ſedes eſſet: ſed, dilapſis ad ſubitum Anglorum adventum [l] Hamiltonio, Argathelio et Huntilaeo, foederati Scoti trepide ab obſidione diſcedunt. Angli Glaſcuam profecti agros Hamiltoniorum, et ſi qui in proregis caedem conſenſerant, aut Anglos exules receptaverant, toto tractu [m] Glottiano vaſtant ac diripiunt, neque alio praeterea operae pretio facto, Drurii praevaricatione, qui militi Anglo ob non ſoluta ſtipendia tumultuandi auctor fuiſſe creditus expeditionem irritam fecit.

CIↃ IↃ LXX.
CAROLUS IX.

XXVII. REVERSUS interim ex Anglia [n] Pitcarnius retulit in concilio, Eliſabetham primum conqueſtam, quod poſt quartum a proregis morte menſem nullas ab iis literas accepiſſet; eamque cunctationem in cauſa fuiſſe, ut incerta hactenus fuerit quid de eis ſperaret: interea ſe, regum Galliae et Hiſpaniae precibus ac Scotorum reginae aſſiduis querelis fatigatam, ei audientiam certis legibus promiſiſſe; quo fiat, ut conſilii eorum in creando prorege particeps fieri non poſſit; ne reginae nondum auditae praejudicium feciſſe videatur: interim rogare, ut ab armis et incurſionibus abſtineatur. Haec palam acta: ſed in occulto auribus procerum inſuſurratum, gratum fore Eliſabethae, ſi Leviniae comes, regis avus, in eum magiſtratum aſſumeretur. Itaque regii eum interregem creant, non auſi initio plenam poteſtatem ei attribuere, dum de Angiae voluntate certius cognoſcerent; et imperium interregi uſque ad IIII Eid. Quintil. prorogant. Poſtea, acceptis Eliſabethae literis, quibus in eo munere neminem ſibi avo praeferendum videri ſignificabat, Matthaeum ex interrege proregem conſentientibus votis pronunciant. Is vero ſtatim, ſacramento de more dicto, edicit, ut omnes, qui arma ferre poſſent, IIII Non. Sextil. [o] Limnuchi praeſto eſſent, ad comitia ſeditioſorum, ſic Hamiltonios vocabat, impedienda: deinde ordinum conventus in VI Eid. Oct. rejecit. Ad diem prorex Limnuchum cum

INTERPR. [a] *l'evêque de Roſt.* [b] *Haſtings, comte de Huntingdon.* [c] *Shrewsbury.* [d] *Teviotdale.* [e] *Hume.* [f] *le comte de Suſſex, & le chevalier Guil. Drury.* [g] *le lord Scroop.* [h] *Annandale* [i] *Glaſgow.* [k] *Stuart, comte de Lenox.* [l] *le duc de Chatelleraut, & les comtes d'Argyle & de Huntley.* [m] *Clyddeſdale.* [n] *Pitcairn.* [o] *Linlithgow.*

CIↃIↃLXX. cum v cıↄ armatorum proſectus, audito [a] Brechini a Gordonio Huntilaeo aliquot
Carolus IX. mercenarios collocatos, qui et civeis et obvios quoſque praetereunteis ſpoliarent, de concilii ſententia eo ducit, celeritate iſta ſe illos oppreſſurum ratus, unaque factionis duces, [b] Crafordiae comitem, Jacobum [c] Ogilvium et Jacobum Balſurium. Igitur Patricium [d] Lindeſium, Gulielmum Ruvenum et Jacobum Haliburtonum Taoduni praeſectum praemittit; qui, ſublatis in equos peditibus, quanquam ad ſummam celeritatem nihil reliqui feciſſent, rumores tamen praevenire non potuerunt, quin, eorum adventu cognito, Ogilvius et Balſurius, milite amice compellato et ſpe prompti auxilii implere, ſtatim per proximos montes ſe periculo eriperent. Milites, ubi ſe a ducibus ſuis derelictos viderunt, ad praedas vertuntur; et turrim templi vicini occupant: alii in aedeis comitis [e] Marriae confugiunt. Adveniente dein [f] Mortonio cum ıↄ ccc equitibus et mox prorege, praeſidiarii deditionem faciunt. xxx ex iis laqueo vitam finivere: ceteri inermes dimiſſi ſunt.

XXVIII. Quibus peractis, cum prorex Edimburgum rediiſſet, Angliae interventu cauſa conſciorum caedis Moravii jam agitari coepta diffinditur, dum colloquium ad audiendam reginae Scotorum cauſam ab Eliſabetha promiſſum et inſtitutum finiretur. [α] Nam miſſi ſub id Gul. [g] Cecilius et Walterus [h] Mildmaius ad Mariam, quae [i] Chatteſworthi in agro Derbienſi tunc agebat; qui difficili admodum itinere, aquis ſupra modum intumeſcentibus, Octobri menſe ad eam venerunt; et, ad componendum Scotorum diſſidium et ipſam in regnum reſtituendam, has conditiones propoſuerunt: foedus Edimburgenſe ante decennium factum, de quo toties actum fuerat, firmaretur: Maria titulis et juri in Angliae regnum, quamdiu Eliſabetha viveret et liberi ex ea legitimi ſuſcepti ſupereſſent, renunciaret: cum nullo principe contra Anglos foedus renovaret: exteros milites in Scotiam non admitteret: cum Anglis et Hibernis, inconſulta regina, conſilia nulla agitaret: profugos Anglos et Hibernos bona fide repoſcenti redderet: de caede Henrici [k] Darlaei et Moravii ſevere ex lege inquireret: filium in Angliam tanquam obſidem ducendum traderet: cum nullo Anglo, inconſulta regina, aut quovis alio, citra ordinum Scotiae conſenſum, matrimonium contraheret: curaret, ne Scoti ſine reginae licentia in [l] Hiberniam tranſmitterent: in hoc obſides idoneos daret: et, ſi quid contra pacta in Eliſabetham moliretur, omni jure, quod in Angliam ſibi vindicat, excideret. Amplius ſecuritatis loco additum; ut [m] Humia et Faſtcaſtelli arces in treis annos ab Anglis praeſidio tenerentur; et in [n] Gallovidia vel Cantira, ne Scoto-Hiberni inde in Hiberniam deſcenderent, aliquot munimenta traderentur: haec omnia ab ordinibus Scotiae parlamentaria quam vocant auctoritate firmarentur. Ad haec Maria; calamitoſiſſimam fortunam ſuam deplorare: memoriam Moravii, de cujus caede, ut lege inquireret, petebatur, incuſare: [o] Norſolcium excuſare: poſtremo in Eliſabethae benignitate omnem ſpem collocare. Cum reſponſum urgerent delegati, primo ad [p] Roſſenſem epiſcopum ſuum in Anglia oratorem, Alex. [q] Gordonium Gallovidienſem epiſcopum et Gul. [r] Leviſtonium a vicariis ſuis delegatos rem remiſit. Ubi in rem ventum, reſponſum: ante omnia, foedus vetuſtum cum Gallis, quod tanti Scotis conſtiterit, niſi damna ex eo ſecutura ab Anglis cumulate reſarciantur, reſcindi non poſſe: in pleriſque capitibus quod a Scotis exigatur, ſi viciſſim idem Angli repromittant, non gravare aſſenſuram Mariam: de Darlaei et Moravii caede legibus agere licere: regem obſidem tradi non poſſe; quippe qui in eorum ſit poteſtate, qui regis nomen rebellioni contra reginam obtendant: de cetero inauditum eſſe,

VAR. LECT. [α] *Cetera uſque ad hujus libri finem deſunt* D. ſ. o. d.

INTERPR. [a] *Brechin.* [b] *Crawford.* [c] *le lord Ogilvy, & J. Balfour.* [d] *le lord Lindſay, le lord Ruthven, & J Haliburton prevoſt de Dundee.* [e] *Marr.* [f] *le comte de Morton.* [g] *Cecil.* [h] *Mildmay.* [i] *Chatteſworth en la province de Derby.* [k] *le lord Darnley, & le comte de Murray.* [l] *Irlande.* [m] *Hume & Faſtcaſtle.* [n] *Galloway & Cantire.* [o] *le duc de Norfolk.* [p] *Leſly, evêque de Roſs.* [q] *Gordon, evêque de Galloway.* [r] *le lord Levingſton.*

eſſe, ut liberae reginae ab altero principe aut ſubditis in matrimonio contrahendo leges praeſcribantur: ſi conveniat, qui ex proceribus Scotiae obſides dentur, non recuſare; ita ut ab eo numero dux [a] Caſtri-Eraldi, [b] Huntilaeus, Argathelius et Atholius comites excepti intelligantur: aſſenſuram Mariam, ut, ſi quid contra pacta in Angliam moliatur, jure in regnum Angliae omni excidat, dum viciſſim idem Eliſabetha polliceatur: de Humia et Faſtcaſtelli arcibus quod petatur, cum locorum domino agi debere: munimenta in Gallovidia ſive Cantira Anglis qui tradi petant, eoſdem petere, ut novum belli per Scotiam incendium excitetur. Cum non convenirent, et interim auxilia ab Albano et pontifice crebris nunciis efflagitari non lateret Anglam, pro arbitrio rerum, quod ſibi in Scotia ſumpſerat, inducias prorogari et conventum ordinum differri juſſit. Roſſenſis in negotio Mariae promovendo impiger exemplum conditionum ſubito ad pontificem et Philippum miſit; monuitque, niſi promiſſa auxilia quam primum repraeſentarentur, fore, ut Maria, quamvis aegre faciat ut inconſultis amicis ac foederatis principibus cum Angla tranſigat, tamen, cum in tantis rerum anguſtiis incolumitati ſuae proſpicere ante omnia teneatur, nullas conditiones ſit recuſatura: itaque viderent, quam pulchram religionis in his ampliſſimis provinciis conſtituendae, et reginae, a Sectariis regno exutae, in priſtinam dignitatem reſtituendae, occaſionem praetermitterent.

XXIX. HIS monitis incentor additus Thomas [c] Stucleius, homo vita in ganeis acta infamis; qui, cum [d] Wexfordiae in Hibernia praefecturae ad ſarciendas domeſticas ruinas ſpe excidiſſet, et contumelioſa multa contra reginam ſumma ingratitudine evomuiſſet, in Italiam ad Pium V ſub id evolavit; et credulo ſeni aſſentandi mirus artifex perſuaſit, ſe cum III Hiſpanorum CIↃ Anglos ex Hibernia nullo negotio deturbaturum, et claſſem Anglicam incenſurum: nec emunctae eo nomine grandis a pontifice pecuniae alius fructus fuit, quam ut ſerum tam vano auctore de invadenda Hibernia conſilium a pontifice et Philippo conjunctis viribus ſuſciperetur; quod, poſt immancis ſumptus, tot hominum perniciem et annorum jacturam, tandem cum Eliſabethae morte irritum evanuit. Tunc vero [e] Connogherus O-brien, tertius Twomundiae comes, cum Edvardum [f] Fittonum, quem Henricus [g] Sidneius prorex Connachtiae praefecerat, ſevere nimis jus dicentem ferre non poſſet, homo depraedationibus innutritus, ſeditionem concitavit: ſed poſt aliquot infelices velitationes a ſuis deſertus ad nos confugit; unde ſupplex in Angliam reverſus clementiſſimae reginae beneficio omnia ſua recepit, domum remiſſus ac priſtinae dignitati reſtitutus. [*]

XXX. ANTEQUAM e Britannia egrediamur, clarorum in ea virorum mortes commemorandae ſunt; in primis Gulielmi [h] Herberti Penbrochiae comitis. Is Richardum, Gulielmi Herberti ſenioris naturalem filium, patrem habuit; vir magni animi, et parem animo fortunam nactus, quam prudentia non parum adauxit. Nam cum Henricus VIII et ipſe duas ſorores Gulielmi [i] Parri filias in uxores duxiſſent, ex eo in gratia regis ſummopere floruit: et poſt ejus mortem, ſub Edvardo VI factionibus ſciſſo regno, valentiori ſe addixit; et Georgianae periſcelidis ac Penbrochiae comitis

Ed. Gen. 1620. [*] *Eodem tempore Anna Auſtria, Maximiliani Caeſaris filia; Philippo avunculo deſponſata, ad maritum in Hiſpaniam tendens e Zelandia ſolvit: ad quam per mare Britannicum deducendam Elizabetha,* quae ſibi illius imperium, rebus apud nos turbatis, arrogabat, *officioſe Carolum Howardum cum bellica claſſe et ſelecta nobilitate miſit, nondum renudato prorſus contra Philippum odio, et conſtantibus adhuc inter ipſam et familiam Auſtriacam continuis amicitiae officiis.* Vide lib. ſeq. p. 780.

INTERPR. [a] *Châtelleraud.* [b] *les comtes de Huntley, Argyle, & Athol.* [c] *Stukeley.* [d] *Wexford en Irlande.* [e] *Conogher O-brian, comte de Thomond.* [f] *Fitton, preſident de Connaught.* [g] *Sidney.* [h] *Herbert, comte de Pembroke.* [i] *Parr.*

comitis dignitatem meruit. Sub Maria jus regni ſtrenue tutatus eſt; ac Wiatum profligavit; et auxiliari exercitui, ad Philippum, cum [a] Quintini ſanum obſideret, contra nos miſſo, praefuit. Dein [b] Walliae praeſes, et [c] Caleti, antequam reciperetur, praefectus fuit. Poſtremo ſub Eliſabetha magnus aulae magiſter creatus, ſummaque fidei et prudentiae laude publicam rem curaſſe ſemper creditus, in [d] Norfolcii cum Scotorum regina nuptias, quamvis haud malo animo, conſenſiſſe inſimulatus fuit, et gratiam praeteritorum, ut ſaepe in aulis principum uſu venit, ſolo hoc facto amiſit, tanto odio inde contracto, ut, niſi mors naturalis anno climacterico ſuo oppreſſiſſet, periculum vitae ex alia cauſa aditurus fuiſſe credatur: parumque abſuit, quin etiam in eum licet mortuum legibus ageretur. Eum mox ſecutus eſt Henricus [e] Cliffordius Cumberlandiae comes, Henrici filius; qui, antiqua alioqui proſapia ſatus, ad ſummos honores ab Henrico VIII evectus fuit; et cui per conjugia ex ampliſſimis [f] Veſciorum et e Veteri ponte hereditatibus magnae opes acceſſerunt. Ipſe ex Helionora, Caroli Brandoni ducis Suffolciae ex Maria Henrici VIII ſorore filia, Margaritam habuit, ſumma pompa et majore tam opulentae ſucceſſionis ſpe Henrico [g] Derbienſi enuptam; quae, poſtquam ille ex altera uxore [h] Dacrea filios duos ſuſcepit, cum tempore evanuit. Ultimus dicetur toties a nobis memoratus Nic. [i] Throcmortonus, Georgii equitis, ex Catharina [k] Vauxia, filius; vir acri et impigro ingenio, ac ſingulari in negotiis explicandis ſolertia; qui ſub Maria fortunae incrementa coepit, ſub Eliſabetha multis ac variis legationibus magna prudentiae laude defunctus, non tamen primarii Angliae pincernae et camerarii fiſci regii modicas dignitates ſupergreſſus fuit, aemulo Cecilio; cui dum ſe in [l] Leiceſtrii gratiam opponit, amplificationi fortunae ſuae remoram attulit, ab eoque malam gratiam poſtremo retulit; quippe qui in ejus aedibus coena dubia exceptus non ſine veneni ſuſpicione morte ſubita oppreſſus fuerit.

INTERPR. [a] *St Quentin* [b] *Wales.* [c] *Calais.* [d] *le duc de Norfolk* [e] *Clifford, comte de Cumberland.* [f] *Veſcies & Vieponts.* [g] *le comte de Derby* [h] *Anne Dacres.* [i] *Throckmorton.* [k] *fille de Nickolas, baron de Vaulx.* [l] *Dudley, comte de Leiceſter.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

ALBANUS eventum rerum Britannicarum opperiens domi ſedet. II. Prodigia horrenda et terrae motus ingentes Ferrariae, Mutinae, Regij, Corregii, Florentiae, et Finalii in Liguribus. III. Formula concordiae inter Proteſtanteis a Jacobo Andreano perſcribitur. In Lithuania et Samogitia idem Sandomiriae tentatum. Joannes Caſimirus Baioarus Eliſabetham Auguſti Saxonis ſeptemviri filiam uxorem ducit. IV. Spirenſia comitia: Hamburgenſium et Holſatiae ducis in iis agitata controverſia. V. Anna Caeſaris filia, Philippo deſponſata, Zelandia ſolvens in Hiſpaniam ducitur: Eliſabetha altera filia regi uxor deſtinata in Galliam itidem deducitur. VI. Decreta in comitiis facta, et querelae ac legationes auditae. VII. Res in Livonia Magnus Holſatus turbat; et ad Moſcum profectus ab eo impetrat, ut Livoniae rex renunciaretur. Tandem Stetini de pace inter partes auctoritate Caeſarea actum. VIII. Apud nos Rupella in Santonibus a Polinio Garda in arctum redacta. IX. Joannes Sora naveis Venetas intercipit. X. Lanovianorum praecipitata contra Polinium pugna. Noallium et Maranum a Lanovio deditione recepta. Mox et Olonenſes arenae captae. XI. Pigallarius a rege contra Lanovium in Pictones miſſus Graviam arcem et Talmonium et Chiſaeum capit. XII. Proteſtantes quaſi pacis violatores ubique exagitati apologia edita ſe purgant. XIII. Res in Septimania a principibus geſtae. Bironus et Malaſiſius de pace acturi ad eos, cum jam circa Carcaſſonam incederent, mittuntur, cum literis regis, reginae, Andini ad Colinium amantiſſimis, irrito ſucceſſu. XIV. Principum per Septimaniam et Allobroges iter et expeditiones. Ad Ramberti-pontem in Seguſianis Colinius periculoſe aegrotat. Tandem principes in Aeduos deſcendunt, ubi Bricomotius rem gerebat; et Arnaeum-ducis petunt; et cum Arturo Coſſaeo equitum tribuno confligunt, dubio utrinque eventu; et inde Charitaeum ad Ligerim veniunt. Miſſi inde ad regem de pace legati. XV. In Santonibus et Pictonibus interim geſta. Sangemmenſis pugna, in qua victor Lanovius; qui nullam tamen, qua modeſtia erat, ejus mentionem in commentariis facit. Lucionium captum; et eodem ſucceſſu Fontenaium; ubi Lanovius graviter in brachio vulneratus, ita ut, gangraena jam ſerpente, illud ſibi praecidi paſſus ſit. XVI. Jacopolis olim et vulgo Broagium in Proteſtantium poteſtatem venit; et eodem ſucceſſu Mauritii turris. XVII. Mediolanum Santonum a Subizio vi capitur, et Botavilla et Pontium occupantur. XVIII. Monlucius in Benearni pago bellum gerit: ad Rabaſtenium ingens et tota vita moleſtum vulnus in facie accipit. XIX. Luſitana navis a Jo. Sora intercepta. XX. Tandem pax ad Germani fanum conventa, multum reclamante oratore Philippico: et Germanicae copiae dimiſſae. XXI. Rex ad Meſeriam cum aulico comitatu profectus Eliſabetham ſponſam accipit. Germanorum principum Proteſtantium legatio ad regem de nuptiis gratulantium, et eum ad pacem nuper factam ſervandam exhortantium. XXII. Joannis Bernardi Sanſeverini Sommenſium ducis obitus. Bitſeorum comitum, in Germania

Germania familia extincta. Joannis Brentii, Tiliorum fratrum, Jacobi Grevini, Joannis Merceri, Petri Montaurei mors.

Ex auctoribus,

Imm. Meterano, Joanne Parvo, Jo. Baptiſta Hadrianio, S. Schardio, D. Chytraeo, Lad. Vicino P. P. Fr. Lanovio.

LIBER QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

CIƆIƆLXX. CAROLUS IX.

ALBANUS in Belgio Britannicarum rerum eventum opperiens, cum conjuratos ſpe auxiliorum diu ludificatus manifeſto exitio objeciſſet, domi pacatus ſe continebat; et inter tot ſevera contra Proteſtanteis judicia et acerbas tributorum exactiones, ut plebis benevolentiam aliquo operae pretio demereretur, juſtitiae cultoris nomen affectans J. [a] a Grovelſum Speellam vulgo appellatum, criminalium cauſarum praecipuum miniſtrum, ob concuſſiones ſummo ſupplicio Bruxellis affecit, et cum eo Conradum et Joachimum complices et praecipuos miniſtros. Monetae item Dordracenſis praefectum, et qui ei adulterandae operam navaverat, in carcerem conjici juſſit. Et ille quidem capite luit; huic complurium interventu et ob aetatem juvenilem ab Albano gratia certis conditionibus facta. Atque, ut fraudibus ac falſitatibus obviam in poſterum iretur, propoſito edicto Eid. Mart. ab eodem prohibitus eſt uſus monetarum argentearum cujuſcunque formae, niſi quae Philippi nomine cuſae ac ſignatae eſſent, captata inde publicae utilitatis laude, ſed non modico privatim ad ipſum redundante emolumento. Proxima fuit de religione cura. Proviſumque in primis, ut prohibitae lectionis librorum uſus omnino interdiceretur. Itaque Lovanienſibus theologis id negotii datum, ut librorum cenſura dignorum loca notarent, eorumque diligentia, et Benedicti Ariae Montani in primis, qui tunc in Belgium ex Hiſpania Philippi mandatu venerat, ut Bibliorum regiorum editioni praeeſſet, index expurgatorius eſt concinnatus, ac ſequenti anno regia auctoritate publicatus, addita clauſula, ne quis eum augeret vel minueret, neve ex impreſſis manuſcriptum exprimeret, citra gubernatoris et concilii auctoritatem. Celebratum dein [b] Mechliniae eccleſiaſticorum concilium menſe Junio; in quo de concilii Tridentini decretis executioni demandandis actum eſt: editaeque eodem tempore ab Albano conſtitutiones ad criminalia judicia pertinentes, aequitatis in ſpeciem plenae. Secundum haec ſtructo [c] Antuerpiae ligneo theatro ante aedeis publicas Albanus regium diploma, ſuperiore anno XVI Kal. Dec. [d] Madriti datum, palam recitari juſſit XVII Kal. Sextil. quo principis benignitate ex pontificis conſenſu et Albani conſilio univerſis praeteritorum gratia condonabatur. Ab ea tamen permulti excepti: compluresque clauſulae adjunctae, quibus beneficium illud non mediocriter enervabatur. Cumque haud multo poſt Germanorum III CIↃ, quae [e] Valencianis erant, ob non perſoluta ſtipendia ſeditione excitata Albericum [f] Lodronium comitem ſub cuſtodia retinuiſſent, occaſione captata, ipſos Antuerpiam revocat; et, Lodronio libertati reſtituto, cum urbi propinquarent, eos ab Hiſpanis undique cingi jubet, et ſepoſitos praecipuos tumultus auctores ſupplicio ante arcem affecit.

II. Id toto Septembri actum: ac menſe inſequenti tanta tamque inſolita aquarum diluvies toto Belgio exundavit, ut, aggeribus locis pleriſque dejectis, in Friſia,

Batavia

VAR. LECT. [a] Grenelſum *D. f. o. d. Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Gravels,* appellé *Spelle, prevoſt de la Cour.* [b] *Malines.* [c] *Anvers.* [d] *Madrid.* [e] *Valenciennes.* [f] *de Lodron*

Batavia et [α] Zelandiae inſulis et Antuerpiae praecipue incredibile damnum acceptum ſit: quod prodigii loco habitum eſt; cujuſmodi multa toto orbe paſſim eodem anno viſa ſunt. CIƆIƆLXX. CAROLUS IX. Nam VI Eid. Januar. in principatu [a] Tirolenſi prope [b] Oeni ſalinas multi pagi aliena maxime anni tempeſtate flammis de coelo tractis conflagrarunt. In [c] Norico juxta [d] Donaverdam circiter quintam horam veſpertinam ad quadrantem horae IIII Non. Sextil. ſanguine pluiſſe narratum eſt, qui in ſolia et hominum veſtimenta guttulis impreſſis in varia loca tranſmiſſus eſt. Nec mulro poſt XV Kal. Dec. Venetiis et toto illo tractu ingens terrae motus exortus; qui tamen urbi nullam cladem importavit: ſed eodem Ferraria adeo quaſſata fuit, ut aedes multae corruerent, aliae pleriſque locis apertae ac nutantes vix tibicinibus et trabibus fulcitae ſunr; princeps vero cum ſuo comitatu et permulri e nobilitate panlum ab aedificiis ſub tentoriis concedere coacti. Jamque plebs urbem omnino deſerere parabat, compluribus dilapſis, cum Alfonſus ſevero ſed pro tempore neceſſario edicto bonorum amiſſionis poena propoſita, mox etiam graviore, fugam eorum ſtitit. Similes terrae tremores [e] Mutinae, Regii, Corregii, Florentiae, etiam Finalii in Liguribus fuere. Tuncque Brabanti perſolura ingenti ſumma odioſam decimae et viceſimae exactionem redemerunt. Extremo demum anno res ridicula incidit, quae digno exitu terminata eſt. Nam, cum putidus quidam declamator [f] Lovanii in Albani, tanquam de Gallis, Italis, Germanis, Mauris ac Belgis triumphantis, laudes ad nauſeam effuſa oratione difflueret, ſiniſtra audientium ſaepius repetita acclamatione exceptus et interturbatus fuit, non ſine manifeſta Albani contumelia. Ob id academiae moderatores iram ejus veriti e ſuo numero Elbertum [g] Leoninum et Joannem [h] Wameſium delegant, qui, cum compoſita oratione factum prolixe excuſare aggreſſi eſſent, ſtrepitu eorum, qui circa Albanum erant, viciſſim interturbati ſunt, et cauſam cur hoc fieret admirantibus ac quaerentibus feſtive reſponſum fuit, adverſam exclamationem contrario applauſu vindicari debuiſſe. In Germania initio anni et VI Eid. Januar. Joachimus Fridericus Brandeburgicus, Joannis Georgii filius, Joachimi II ſeptemviri nepos, archiepiſcopatus Magdeburgici adminiſtrator, quem jam Albertus cardinalis et poſt eum Sigiſmundus ex eadem ſamilia tenuerant, novo et inſolenti more ex ſodalium illius collegii conſenſu, eadem adminiſtratione ſervata, nuptiis [i] Cuſtrini celebratis uxorem duxit Catharinam Joannis patrui filiam; ex qua numeroſam ſobolem ſuſtulit, opportuno ad illuſtriſſimam gentem, quae fere ad ſolitudinem redacta erat, propagandam ſubſidio: quod indigne admodum tulit Pius V, et nihil non movit, ut ei archiepiſcopatum abrogaret, ſolicitato fruſtra Maximiliano, qui cum videret id facilius Romae decerni quam tuto in Germania executioni demandari, re in longum extracta, vota et intempeſtivas pontificis preces prudenter eluſit. Caeſar tunc [k] Pragae erat; quo cum Imperii principes ad natalem ejus celebrandum cenveniſſent, comitia ad Quintilem proximum [l] Spirae Nemetum indicit.

III. INTEREA [m] Serveſtae, quae [n] Cheruſcorum olim ſedes fuiſſe dicitur, VI Eid. Mart. formula concordiae a Jacobo [o] [β] Andreano perſcribitur; qua controverſiae de V articulis inter Miſnenſes et Thuringicos theologos, poſt [p] Aldemburgicum colloquium per contentiones ſolutum exacerbatae, aliquo modo compoſitae ſunt, Julio Brunſvico duce et Willelmo Heſſorum principe operam dantibus, nt conciliationis via iniretur, et a verborum acerbitate tam in concionibus quam in librorum editione ab utraque parte abſtineretur. Cum Julius Pragam initio anni veniſſet cum Jac. Andreano, et conſilii ſui rationem Caeſari expoſuiſſet, prudentiſſimus princeps, qui ſciret quantum ad Imperii tranquillitatem et belli, quod contra Turcam parabatur,

VAR. LECT. [α] Mattiacorum *D. f. o. d.* [β] Andrea *D. f.*

INTERPR. [a] *le comté de Tirol.* [b] *les Salines d'Inſpruck.* [c] *Baviere.* [d] *Donawerth.* [e] *Modene, Reggio, Correggio, Florence, & Finale au Genoueſat.* [f] *Louvain.* [g] *Leonin.* [h] *Wames.* [i] *Cuſtrin.* [k] *Prague.* [l] *Spire.* [m] *Zerbſt.* [n] *ceux de la haute Saxe.* [o] *Andrea.* [p] *d'Altenburg.*

CIↃIↃLXX. batur, gerendi rationes expediendas intereſſet, ut inter Proteſtanteis principes con-
CAROLUS IX. cordia farciretur, eorum propoſitum non ſolum laudavit, ſed, ut in eo pergerent, hortatus eſt. Itaque Jacobus Andreanus longis per Germaniam itineribus hoc perſecit, ut complurium theologorum ſubſcriptionibus corrogatis libri tunc Serveſtae publicati auctoritatem confirmaret; qui poſtea a Tilemano [a] Heſſuſio propalam in concionibus et a Matthia [b] Flaccio Illyrico, qui Melanchthonem pacis ſtudioſum tota vita exagitaverat, ſcriptis oppugnatus eſt: quod et in cauſa fuit, ut Witembergenſes theologi ſententiam mutarent et conſenſum revocarent, ſicuti ex ſcriptis ab utraque parte evulgatis abunde videre licet. Exorta et inter Proteſtanteis in Lithuania et Samogitia contentio; quae, cum alii Germanicam, alii Helveticam confeſſionem ſequentes aliter atque aliter de mediatore Chriſto et coena Dominica ſentirent ac loquerentur, ſynodo [c] Sandomiriae coacta XVIII Kal. Maias dirempta eſt, theologis in id, quod primum caput reſpiciebat, conſentientibus, ut meritis Chriſti vis et efficacia a Chriſto Deo et homine, a Patre non homine, a Spiritu Sancto non homine procedat. De altero capite ſic decreverunt: coenam Dominicam duabus rebus juxta B. Irenaei ſententiam conſtare, terrena ac coeleſti; neque elementa ſignave illa nuda eſſe et vacua, ſed ſimul re ipſa credentibus exhibere ac repraeſentare fide quod ſignificent: cui decreto poſt octiduum [d] Poſnanienſes ſubſcripſere. Haud multo poſt Non. Jun. Joannis Caſimiri [e] Baioariae ducis Friderici Palatini ſeptemviri filii et Eliſabethae Auguſti Saxonis ſeptemviri filiae nuptiae magna principum, qui invitati venerant, frequentia Heidelbergae celebratae ſunt: ubi inter feſtivitates ac ludos illorum animos ſubiit adflicti ſtatus Gallici memoria; indeque occaſione ſumpta, ad regem dant literas; quibus, poſt delata more ſolito humaniſſime officia, ex literis reginae ad Heſſum ſcriptis intellexiſſe magno cum gaudio teſtantur, ad pacem res in regno inclinare; ad quam regem prolixe hortantur, et ſua et ipſius regis, cui ob conjunctionem regni cum Imperio ex animo bene velint, cauſa: nam per iſta bella Gallicana ſacrum Imperium tam propter diribitoria et tranſitus quam alias cauſas graviſſimis damnis affici: ad haec diffidentiae cauſam ob religionem pleriſque Imperii principibus praeberi: ad amicitiam autem ſacri Imperii retinendam, in qua incrementum et felicitas regni Gallici conſiſtat, neceſſarium eſſe, ut bujuſmodi bellis finis imponatur, iiſque ſublatis, Imperium oneribus et aliis offenſionum cauſis liberetur: ceterum id aliter fieri non poſſe, quam permiſſa renovatae religionis per totum regnum libertate, et aequabili inter ſubditos ſuos ſine religionis diſcrimine jure conſtituto. His literis ſubſcripſere, praeter Palatinum et Saxonem ſeptemviros, Georgius Fridericus Brandeburgicus, Ludovicus Wirtembergicus, Willelmus, Philippus et Georgius Heſſi, Adolfus dux [f] Holſatiae, et Carolus marchio Badenſis.

IV. TANDEM Eidibus ejuſdem menſis Caeſar magno comitatu cum Auguſta conjuge, filiis duabus, Anna Philippo Hiſpaniarum, Eliſabetha Carolo Galliarum regibus deſponſatis Spiram ad comitia venit; quibus initium fecit III Eid. Quintil. [g] Marquardo urbis epiſcopo praeeunte. Tum de coercenda libertate Germanorum militum in addicenda principibus exteris opera actum; de diſciplina militari ad veterem gravitatem revocanda; de pace publica conſtituenda, et maturandis per circulos ad ejus executionem, cum opus erit, auxiliis; de [h] Pannoniae arcibus adverſus impetus Turcicos muniendis; de [i] Gothani belli ſumptibus, de quibus jam in [k] Francoſurtenſi conventu tractatum fuerat, ſed irrito ſucceſſu, Auguſto ſeptemviro refundendis; de jure aequabili in Imperiali camera adminiſtrando, reſectis litium flexuoſis ambagibus ac tricis; de reciperandis provinciis ab Imperio avulſis, qua de re in Auguſtanis comitiis prius injecta mentio fuerat; de Imperii matricula ſupplenda et in ordinem redigenda; de moneta et rei nummariae fraudibus corrigendis; de

opificum

INTERPR. [a] *Heſſuſius.* [b] *Flacius d'Albona en Iſtrie, partie de l'ancien Illyricum.* [c] *Sendomir.* [d] *de Poſen.* [e] *Baviere.* [f] *Holſtein.* [g] *Marquard.* [h] *Hongrie.* [i] *de Gotha* [k] *de Francfort.*

opificum collegiis, pannis laneis, officinis typographicis, ac poſtremo de ſeſſioni- CIↃIↃLXX.
bus inter quoſdam Imperii ordines controverſis. In his quoque comitiis Hambur- CAROLUS IX.
genſis civitatis cauſa cum [a] Holſatiae ducibus per legatos acri contentione agitata fuit. Ejus haec origo fuit; quod, cum Caeſarei fiſci patronus anno hujus ſaeculi XLIIII Hamburgenſeis ad collationem pecuniae et onera Imperii ferenda adigere vellet, illi, Chriſtiano rege [b] Daniae et Holſatiae ducibus appellatis, conſilium eorum ac defenſionem in jure petierant: Holſati vero ampliſſima ad Carolum V legatione tunc decreta et poſtea ad Ferdinandum miſſa Ratiſponae interceſſerant, et tenuerant, ut ante omnia a Camera cognoſceretur, Hamburgum civitas et [c] Slevicenſis dioeceſis ad Imperium pertineret, an Holſatiae ducibus ſine medio ſubjecta eſſet; ac, ſi quidem Holſatiae membrum eſſet, ab Imperii oneribus immunis declararetur; ſin inter Imperii ordines conſeretur, ad collationem cogeretur. Ita cauſa Hamburgenſium ad praeſens oneribus Imperii levatorum ad Cameram tunc quadriennio poſt remiſſa eſt: quod cum Holſatis ducibus deberent, minus dignam gratiam eis poſtea rependerunt. Quapropter de ipſorum contumacia multum ac graviter conqueſti per legatos Holſati petebant, ut, juxta Caroli et Ferdinandi Caeſarum reſcripta, controverſia haec Camerae judicio dirimenda committeretur. Heic Hamburgenſium legati negare ullo ſe unquam tempore Holſatici juris fuiſſe; et, ſi qui Holſatiae principes ſuo nomine appellaſſent, id ſine mandato feciſſe. Contra Holſati teſtimonia haec adſerebant; cum, Carolo IIII Caeſare anno Chriſti CIↃ CCC LXXV, Hamburgenſes Rolandi ſtatuam in libertatis ſignum in foro erexiſſent, et exemplo Lubecenſium a fide Holſatis debita deſeciſſent, Carolum Caeſarem, re ad eum remiſſa, [d] Tangermundae ad Albim ſecundum Holſatiae principes pronunciaſſe, et Hamburgenſeis ad obſequium Holſatis praeſtandum, dejecta Rolandi ſtatua, condemnaſſe: ſecundum haec civeis Chriſtiano I et ejus fratribus, Chriſtiano III, qui et privilegia ipſorum confirmavit, fidem obſtrinxiſſe, et folium urticae, quod principum Holſatiae inſigne eſt, ab eo tempore paſſim urbis inſignibus in curia, portis, ſigillo publico ac moneta ſculpſiſſe: a Caeſaribus ad Cameram citatos, hoc praetextu, quod Holſatis ſubjecti eſſent, forum declinaſſe: inter ordines Holſatiae olim ad conventus comparuiſſe; in quem uſum et aedeis proprias [e] Segenbergae habuerunt: cum vero ab Henrici Brunſvici exercitu ante XVI annos infeſtarentur, auxilium ab Holſatis petiiſſe; quorum interventu res [f] Bergeredorpti compoſita ſit: denique nuper, cum ad onera Imperii a Caeſarei fiſci patrono cogerentur, ad Holſatos provocaſſe. Quibus rationibus utrinque re diſceptata, nihil tamen certi pronunciatum; ſed amplior de ea diſceptatio ad ſenatum remiſſa eſt.

V. DUM de capitibus propoſitis ordines deliberarent, Caeſar Annam Philippo deſtinatam, poſt amplexus datos et extremum vale dictum, [g] Joanni ab Hoia Monaſterienſi epiſcopo et ordinis [h] Boruſſiae praefecto in Belgium deducendam tradit; qui, ineunte [α] Quintili Rheno ſecundo cum [i] Noviomagum appuliſſent, eam ſolemni ritu in Albani, qui eo ex compacto venerat, confecto ea de re publico inſtrumento, manus tradiderunt. Ille vero reginam, duobus fratribus junioribus Alberto et Wenceſlao eam comitantibus, [k] Antuerpiam deduxit; ubi ſumma ac regali magnificentia excepta eſt. Inde [l] Vliſſingam profecta mox ibi claſſem conſcendit, cui cum ſummo imperio praeerat Maximilianus [m] Boſſuvii comes maris praefectus. Cum eo erant Ferdinandus [n] Toletanus [β] filius, R. Toletanus, et Chriſtophorus [o] Mondragonius, qui cum ſua legione ob id [p] Deventriae evocatus venerat. [γ] Eliſabetha Angliae

VAR. LECT. [α] Sextili *D. f. o.*
[β] Albani filius *D. f. o.*
[γ] *Quae ſequitur narratio de Anglica claſſe Annam officioſe per mare Britannicum deducente uſque ad* Albanus jam *deeſt D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Holſtein.* [b] *Dannemarck.* [c] *Schleſwick.* [d] *Tangermund ſur Elbe.* [e] *Segenberg.* [f] *Bergerdorpt.* [g] *de Hoyen, evêque de Munſter.* [h] *la Pruſſe.* [i] *Nimegue.* [k] *Anvers.* [l] *Fleſſingue.* [m] *de Boſſut.* [n] *de Tolede.* [o] *de Mondragon.* [p] *Deventer.*

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

Angliae regina Carolum [a] Howardum maris praefectum officioſe ad eam per [b] mare Britannicum deducendam cum bellica claſſe et ſelecta nobilitate miſit, nondum renudato prorſus contra Philippum odio, et conſtantibus adhuc inter ipſam et familiam Auſtriacam mutuis amicitiae officiis. Albanus jam ante veniam e Belgio diſcedendi et ſibi ſucceſſorem dari a Philippo petierat, nec impetraverat: tunc vero commeatum maxime urgebat, ut reginam uxorem ad maritum deduceret; ſed nec id pro tempore obtinere potuit. Illa ſecundo vento uſa ſub exitum Sept. fanum [c] Andreae incolumis appulit; et inde [d] Burgis et Pinciae, quo ei obviam prodierunt Rodolfus et Erneſtus fratres, regali cultu excepta Segoviam poſtremo ad Philippum venit; ubi ſumma laetitia ac pompa nuptiae celebratae ſunt; mirantibus tamen, imo indignantibus pleriſque, Philippum, nulla neceſſitate urgente, nullo manifeſto pacis bono aut ſpe inde propagandi imperii inductum, ſororis filiae matrimonium expetiviſſe, ex quo nullum emolumentum, multum invidiae in caput ipſius redundaret, peſſimo exemplo in principe orbis Chriſtiani familia inchoato, et inde ad nobilitatem et a nobilitate ad plebem uſque ſe extendente. [α] Adventu reginae decretam Florentis [e] Momorantii Montinii, qui jam diu indigno carcere attinebatur, mortem praecipitatam fuiſſe plerique crediderunt, quod parenti ipſius per Belgium tranſiens recepiſſet, ſe gratiam hanc a ſponſo petituram, ut filius libertati reſtitueretur. Nam, antequam in Hiſpaniam appelleret regina, vir varia in carcere fortuna jactatus, ſicuti ex Jo. Dickenſonii Speculo tragico amplius petere licet, et huc uſque fere per quinquennium aſſervatus, tandem ſecuri Philippi juſſu in ipſo carcere percuſſus eſt, ne primo occurſu, qui hilaris eſſe debet, ſponſa a viro triſtem repulſam pati cogeretur. Ubi regina in Hiſpaniam venit, Joannes [f] Cerda Medinae dux Albani ſucceſſor a Philippo decretus fuit; qui, dum in apparanda claſſe commoratur, poſtremo tempeſtate foeda prohibitus, novis motibus in Belgio ex eo ſubortis cauſam praebuit. Sub id et Caeſar Eliſabethae alterius filiae ſponſalia cum Carolo rege x Kal. Nov. celebrat, Ferdinando Caeſaris fratre ad id a rege cum mandato ampliſſimo et Carolo altero item fratre auſpice conſtituto, qui regem repraeſentaret. Peractae a Daniele [g] Brendello Moguntino praeſule ſeptemviro ceremoniae: et pridie Non. Nov. in Galliam miſſa, deducentibus eam Jacobo [h] Trevirenſi praeſule ſeptemviro, Imperii per Gallias cancellario, et Joanne [i] Argentinenſi epiſcopo, Carolo Badenſi marchione, [k] Philippo Araſcotii duce, [l] Hohenloenſi et Zollerenſi comitibus, Margarita [m] Marciana Arenbergica, Joannis [n] Lignaei Barbanſoni Arenbergici comitis in pugna contra [o] Naſſovium in Friſia commiſſa occiſi, vidua, quae reginae gynaeceo praepoſita erat. Atque ita Maximilianus duas filias duobus potentiſſimis Chriſtiani orbis regibus uno eodemque menſe elocavit; quod inter rara felicitatis exempla commemorari poteſt.

VI. TANDEM III Eid. Dec. poſtquam ab Imperii ordinibus capita a Caeſare propoſita diu ac matura deliberatione diſcuſſa ſunt, comitiis finis impoſitus eſt; in quibus, quod ad [p] Pannoniae arces muniendas et praeſidia iis cum idoneo ſtipendio imponenda, Caeſaris deſiderio ſatisfactum eſt; iis, quae ad externae militiae prohibitionem et armamentorum conſtructionem pertinebant, prorſus denegatis. Decretum inſuper, ut a Joanne Friderico Saxone captivo ſumptus in bellum Gothanum facti Auguſto ſeptemviro refunderentur, et quatuor praefecturae cautionis ergo illi a Jo. Willelmo oppigneratae traderentur, quoad illi plene de impenſis ſatisfieret. Filiis deinde Joan. Friderici captivi in Caeſaris gratiam acceptis, ditionis paternae portio reſtituitur,

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Montinii morte deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Howard, depuis comte de Nottingham.* [b] *la Manche.* [c] *S. Andero.* [d] *Burgos & Valadolid.* [e] *de Montmorency, baron de Montigny.* [f] *de la Cerda, duc de Medina-Celi.* [g] *Brendel, archevêque de Mentz* ou *Mayence.* [h] *de Trier* ou *Treves.* [i] *de Strasbourg.* [k] *Philippes de Croy, duc d'Arſchot.* [l] *les comtes de Hohenlo & Hohen-zollern.* [m] *de la Marck d'Aremberg.* [n] *de Ligne, prince de Barbançon, comte d'Aremberg.* [o] *le comte Ludovic de Naſſau.* [p] *Hongrie.*

reſtituitur, et tutores dantur. Judiciorum item Spirenſis camerae forma emendata. CIↃIↃLXX.
Urbes Imperio ademptas reciperandi rationes in ſpeciem initae complures; quarum CAROLUS IX.
optio Caeſari relicta eſt, recipienti ſe, quae officii ſui ſunt, diligenter curaturum. Praeterea de matricula ſupplenda et corrigenda, de moneta factae conſtitutiones repetuntur ac confirmantur. In comitiis auditi Roſtochienſium legati de [a] Megalopolenſium principum injuriis querentes; et poſt eos Belgae ob religionem exules, qui porrecto libello patriae reſtitui petebant, et lamentabili calamitatum ſuarum jam praeteritarum commemoratione futuras denunciabant. Externorum quoque principum legati admiſſi; et inter hos Sigiſmundi Auguſti Poloniae regis, qui de ordinis Teutonici magiſtro querimonia inſtituta proſcriptionem Alberti [b] Boruſſiae ducis aboleri poſtulaverunt. Admiſſus et Jo. [c] Hangeſtus Argenlius, vir prudentiae et virtutis ſpectatae, a Joanna Navarra, principibus et G. Colinio miſſus, qui foederatorum nomine pro ſuppetiis benigne et in tempore ſummiſſis gratias ageret, et literis in ipſorum favorem, cum Heidelbergae eſſent, nuper ad regem ſcriptis; peteretque, ut legatio a principibus Imperii confeſſionis Auguſtanae ſociis rurſus ad regem [α] decerneretur: qui ab illis benigne auditus eſt, ſpe facta, ut propediem ſplendida legatio in Galliam mitteretur, quae regi et ob compoſitos regni motus inteſtinos et contractum nuper cum Caeſaris filia matrimonium gratularentur, et ad pacem ſervandam hortarentur.

VII. DUM haec paſſim in Imperio agerentur, ut et longinquiora attingamus, [d] Revaliae arx in Livonia initio anni ex ea occaſione amiſſa eſt: Nicolaus Kurſelius equitum praefectus cum aliis ex nobilitate a Magno [e] Holſato, quem ad Moſcum tranſiiſſe diximus, corruptus ſeditionem in urbe movet; et, cum plurium menſium ſtipendia ſibi a Sueciae rege deberi praetexeret, arcem ſe tantiſper et regiones circumpoſitas ſervare velle declaravit, donec militi plene ſatisfactum eſſet; eoque Gabrielem [f] Morbuum arcis gubernatorem adegit, ut, cum pecuniam praeſentem non haberet, aſſentiretur, ut arx ad Pentecoſten uſque penes eum remaneret, dum ſtipendium a rege debitum exſolveretur. Id ex compacto cum Magno agebatur; qui, cum lenius in eo negotio verſatur, Suecis ſpatium dedit arcis eadem arte, qua praeſidiarii oppreſſi fuerant, reciperandae. Nam nocte, quae Paraſceves diem praeceſſit, duorum ex praeſidiariis novis, qui itidem a Suecis corrupti fuerant, opera, per cloacam foras projectam ſcalis cannabeis admotis admiſſi regii circiter CCC; qui, obviis paucis trucidatis, ceteros inermeis et imparatos oppreſſerunt. Livoni nobiles in cuſtodiam dati; exteri vadibus acceptis dimiſſi ſunt, ex quibus plerique fidei datae obliti ad Moſcum transfugerunt: de Nicolaö Kurſelio defectionis auctore, Framboldo [g] Dukero, Henrico [h] Hakio et aliis ſupplicium ſumptum: quidam in Sueciam miſſi interventu ac deprecatione Caroli Sudermaniae ducis ac regis fratris ſervati ſunt. Eo caſu Magnus cum ſpe res aſtu in Livonia conficiendi excidiſſet, quod proximum erat, ad vim apertam ſe parat: et, iis viribus, quibus Kurſelio opem laturus venerat, in limite relictis, [i] Torpato movet, et Moſcam retro proficiſcitur; ubi, impetrata Germanis captivis a principe libertate, ab eo quoque obtinuit, ut Livoniae rex renunciaretur: acceptoque XXV CIↃ Ruſſorum exercitu menſe Sextili in Livoniam deſcendit, et prope Revaliam caſtra metatur, miſſis ad oppidanos literis, quibus ſe veniſſe aiebat, ut Livonos juris Germanici populos ſervili Polonorum jugo eximeret, et diſcerptas miſerabiliter provincias ſub unius Germani principis imperio colligeret: nam Ruſſorum Imperatorem, cujus viribus ſubnixus venerit, ſibi diplomate ſolemni crucis oſculo confirmato et heredibus ſuis, aut, iis non exiſtentibus,

VAR. LECT. [α] decerneretur; quo pacis conditiones ſartae intactaeque in poſterum ſervarentur: qui ab illis D. f.

INTERPR. [a] *les ducs de Mecklenburg.* [b] *la Pruſſe.* [c] *Jean d'Hangeſt, ſieur d'Argenlieu.* [d] *Revel.* [e] *le duc de Holſtein.* [f] *le baron de Morbus.* [g] *Duker.* [h] *Hak.* [i] *Derpt.*

CIƆIƆLXX. exiſtentibus, coronae Danicae, aut onius ex Holſatiae ducibus, Livoniam regio titulo
CAROLUS IX. poſſidendam conceſſiſſe; nec quidquam ſibi juris in ea provincia praeter patroni et defenſoris nomen reſervaſſe, in quod vitam ac fortunas omnes impendere paratus ſit: proinde, ablegatis Suecis, ſponte ſe ipſi tanquam principi Germano ſubjiciant, ſpe ampliſſima privilegiorum et immunitatum, aut, ſi recuſent, certo inevitabilis exitii metu. His accedebant Livonûm nobilium aſſidui hortatus et obteſtationes; et in iis Joannis Dubii, Elardi Cruſii et aliorum, qui Ruſſo militabant. Quibus ſeu minis ſive promiſſionibus is qui Sueciae regis nomine rebus praeerat, et ſenatus [a] Revalicoſis nihil territi aut infracti, cum ſe ad extrema quaeque paratos oſtenderent, Magnus urbem corona cingit, et juxta obſtinata et incommoda ob diuturnitatem obſidione totum trimeſtre fatigavit, donec, pace jam inter principes vicinos facta, Ruſſi anno ſequenti tandem, incenſis caſtris, domum, re infecta, abierunt. De pace jam ante menſe Julio [b] Stetini agi coeptum erat; negotioque Caeſaris nomine Joannes Fridericus Pomeraniae dux, Joachimus [c] Slikius comes, Chriſtophorus [d] Carolovitius et Chriſtophorus [e] Minquitius praefuerunt: aderant et Daniae regis et Joannis Sueci legati: regis Poloni nomine Martinus Cromerus nobilis hiſtoriae patriae ſcriptor, et Demetrius [f] Solicovius. Legatos et ſuos miſerat ſenatus Lubecenſis, Dano foederatus. Carolus [g] Danſaeus regis et Hubertus [h] Languetus Auguſti [i] ſeptemviri nomine actioni interfuerunt. Cum mandata Suecorum legatorum minime idonea viderentur, pleniora ex Suecia petita: quibus poſt bimeſtre allatis, novae rurſus exortae difficultates. Nam Dani [k] Roſchildenſem conventionem urgebant; quae, quia minime acceptata fuerat, tandem pro irrita habita eſt. Cum variis affectibus hinc inde animi raperentur, et Poloni jam Livoniae inhiarent, contra Caeſariani aegre ferrent eam provinciam ab Imperio tanquam membrum a corpore avelli, et Moſci beneficio Magnum regios titulos in illam ſibi arrogare, tandem, poſt acreis ab omni parte contentiones novennali bello, utrique regi et Lubecenſibus ac toti maritimae orae damnoſiſſimo, quod Erici temeritate coeptum, dein utcunque, poenitentia ducto eo, ſopitum, mox, eodem Erico in ordinem coacto, Joannis pertinacia renovatum fuit, conditionibus Maximiliani interventu finis Eid. Decembribus impoſita eſt: ut Suecus locis, quae in [α] Livonia poſſidet, Caeſari cedat; ex quibus dioeceſim Revalienſem et [l] Oſilicoſem, [m] Padiſium coenobium, Sonneburgam et Hapſelam Caeſar Daniae regis patrocinio committat: urbs vero Revalia et [n] Wittenſteinum tantiſper penes Suecum maneant, donec Caeſar cum eo Imperii nomine de impenſis in Revaliae defenſionem factis tranſegerit: rex Daniae Ruſſum et Magnum fratrem tamdiu ab ejus obſidione avocet, dum de legatione a Caeſare et ſeptemviris Imperii, Daniae, Poloniae et Sueciae regum nomine, ad Ruſſum decernenda convenerint, ut vel pacem cum eo habeant vel acri bello conjunctis viribus ejus conatus reprimant: limites utriuſque regni inconcuſſi maneant, prout tempore Chriſtiani et Guſtavi regum fuere: bona ſubditis utrinque tempore belli in alterius regno adempta et in alios tranſlata veris et antiquis dominis reſtituantur: capti in bello ſine pretio dimittantur: Danus Sueco [o] Elſeburgam cum ſua ditione et bellicis munitionibus, quae in ea expugnationis tempore VII Eid. Jun. repertae ſunt, bona fide reddat; omni item juri et actioni in regnum Sueciae renunciet: Suecus viciſſim omni jure ſuo in Norvegia, [p] Gotolandia, Hallandia, [q] Scania, Blekingia, et Daniae ac Norvegiae inſignibus in perpetuum cedat: [r] Jemptericam ditionem et Herdalam, regni Norvegiae partes, cum juriſdictione omni eccleſiaſtica reddat: trium coronarum inſignia, quae uterque rex pro ſuis vindicet, utrique uſurpare fas ſit, dum

lis

VAR. LECT. [α] Revalia *D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Revel.* [b] *Stetin.* [c] *de Schlick.* [d] *de Carlewitz.* [e] *Minquitz.* [f] *Solicow.* [g] *de Danzay.* [h] *Languet.* [i] *electeur de Saxe.* [k] *de Roſchild.* [l] *de Oſel.* [m] *Padis, Sonneburg, & Hapſal.* [n] *Wittenſtein.* [o] *Helſingborg.* [p] *Gothland.* [q] *Schonen.* [r] *Jempterland & Herdal.*

lis Caeſaris, Auguſti ſeptemviri, Julii Brunſvici, Brandeburgici ſeptemviri, et Georgii Joannis Palatini, in quos partes compromittere tenebuntur, arbitrio decidatur: Suecus item Dano VIII naveis XIII Kalend. Maias ereptas cum omni inſtrumento bellico reſtituat; Danus II naveis prope Elſeburgam captas et totidem in Pomerania ſequeſtratas retineat; et inſuper a Sueco pro belli ſumptibus CC talerorum CIↃ accipiat, penſionibus certis exſolvenda: navigationis Narvicae libertas, prout utriuſque regni ſubditis hactenus fuerit, deinceps integra maneat; cui tamen, quod ad Imperii ſubditos, certus modus a Caeſare praeſcribatur: libelli famoſi in utroque regno editi mandatis ſeveris aboleantur: huic paci Carolus Sueci frater ſubſcribat; in qua comprehenſi a Dano intelligantur Caeſar, Galliae, Hiſpaniae, Angliae, Poloniae, Scotiae reges, Saxo et Brandeburgicus ſeptemviri, Julius Brunſvicus, Wilhelmus Luneburgicus, omnes Pomeraniae duces, Ulricus [a] Megalopolenſis, Holſatiae duces, Gotardus [b] Curlandiae dux, reſpublica Lubecenſis; a Sueco Caeſar, Poloniae rex, Brandeburgicus ſeptemvir, Pomeraniae duces, Chriſtophorus marchio Badenſis, Ezardus Friſiae comes. Inter Suecum et Lubecam civitatem ita conventum eſt, ut privilegia Lubecenſium in Sueciae regno juxta formulam a delegatis ſubſcriptam per regem et regni ſenatum confirmentur, iiſque Lubecenſes libere in poſterum utantur: pro aere alieno Guſtavi, Erici, Joannis pro navibus ac mercibus hoc bello interceptis rex LXX CIↃ Joachimicorum intra ſeptennium dependat: Lubecenſes viciſſim omnia chirographa, nomina, obligationum inſtrumenta tanquam diſſoluta et extincta Sueco reddant: utrinque nomina ſua privatis exigere fas ſit: Narvica navigatio Lubecenſibus libera ſit; ita ut formulae a Caeſare praeſcriptae obedire teneantur, cautione item data de Ruſſis commeatu et armis contra Imperium et Livonos non juvandis: hujus tranſactionis inſtrumentum, a Sueco, regni ſenatu et Carolo fratre ſubſcriptum, proximo XVI Februarii die ad [c] Olai vadum Lubecenſibus tradatur. CIↃIↃLXX. Carolus IX.

VIII. Apud nos, capto [d] Marano et Santonicis inſulis in poteſtatem redactis, regii in ſummas anguſtias [e] Rupellam conjecerant, omni a parte qua terra aditur fere cinctam. Diverſa parte [f] Polinius Garda, cui ante quadriennium, Renato [g] Lotharingo Ellebovii marchione mortuo, adempta olim triremium praefectura reſtituta fuerat, [h] Maſſilia advectis VIII triremibus [i] Burdigalam appulerat; ibique duabus ex iis relictis, tertia amiſſa, quam captivi, vinculis ruptis et occiſo milite, ſecum in altum abduxerant, cum V reliquis promontorium [k] Blavienſe venit, haud longe a Rupella, [l] Retam inſulam occupaturus, quae ex adverſo urbis jacet: eaque capta, mari et terra urbs arctiſſime obſidebatur. [m] [α] Riverius, qui Maranum tenebat, et [n] Noallium munimento firmaverat, cum Rupellanorum inſidias ad locum intercipiendum ſtructas eluſiſſet, ipſe, capto forte centurione, et, cum prodendae urbis ſpem feciſſet, ſine pretio dimiſſo ac multis promiſſis onerato, ſi res ex voto ſuccederet, viciſſim ad intercipiendam aſtu urbem animum adjecit. Centurio munimentum, quod [o] Evangelii vulgo vocatur, et interjecta foſſa interiore per ſublicium pontem urbi conjungitur, ſpecula occluſa, occupaturus erat, et, ſigno dato, quod erat pallium in foſſam exteriorem demiſſum, regios per ſcalas in propugnaculum enitenteis admiſſurus, et inde per pontem in urbem introductos per vicos ad loca opportuna diſtributurus, per quos, ſtationariis ex improviſo facile oppreſſis et plateis inſeſſis, brevi oppido potituri eſſent. Sed, cum Riverius in itinere eſſet, ut rem exequeretur, ab aliis monitus, per centurionem ipſum Rupellanis de occulto conſilio innotuiſſe, et

VAR. LECT. [α] Riparius *D. f. o.*

INTERPR. [a] *les ducs de Mecklenburg & de Holſtein.* [b] *Courlande.* [c] *le gué d'Olaus.* [d] *Marans & les iſles de Saintonge.* [e] *la Rochelle.* [f] *le baron de la Garde, dit le capitaine Polin.* [g] *de Lorraine, marquis d'Elbeuf.* [h] *Marſeille.* [i] *Bourdeaux.* [k] *Chef de Baye.* [l] *l'iſle de Ré.* [m] *la Riviere Puy-taillé.* [n] *Chateau de Noaillé.* [o] *boulevart de l'Evangile.*

NOT. [k] Baiae. *Put.*

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

et omnia in urbe ad ejus perniciem, ſi ulterius pergeret, parata, re infecta domum reverſus eſt.

IX. NEC ceſſabant Proteſtantes, qui mari rem gerebant; et Jo. [a] Sora praefecti maris legatus duas onerarias Venetas, quas ex [b] Britannia ſolventeis per aliquot e ſuis ſpecie amicitiae inſecutus fuerat, poſtremo partim metu, partim honeſtarum conditionum aequitate propoſita in poteſtatem redegit: major harum IↃCCC doliorum capax erat, cujus apparatus bellicus, qui XLV aeneis tormentis conſtabat, cedere Sorae debebat, mercibus ſalvis. Verum et naves et merces omnes, quae C aureorum CIↃ aeſtimatae ſunt, tanquam jure belli captae, et Navarra haud multum repugnante, cauſae addictae ſunt, haud dubia injuria. Color tamen ab iniquis judicibus quaeſitus, quod Veneti Proteſtantibus infeſti et pecunia ipſorum hoſteis juvare dicerentur.

X. DUM haec agerentur, Franciſcus [c] Lanovius ad recipienda loca [d] Rupellae circumpoſita animum adjecit: et, cum [e] Broagium paulo ante amiſſum, quod a [f] Riverio juniore tenebatur, petiturus [g] Tonaeum ad Carentonum veniſſet, obviam Polinii claſſem forte habuit, qui cum praetoria, I Scipionis [h] Fliſci, II Alberti [i] Gondii Radeſiani, ac praemiſſa [k] Belliloci trireme, in ſpem Tonnaei ſitu opportuni loci occupandi amnem ingreſſus fuerat. Lanovius ſumma ſolertia adventum celaverat, ut ex improviſo in appellenteis claſſiatios impetum majorem faceret: ſuos tamen pugnae ardore incenſos continere non potuit; qui, citius imperio in triremem ſcloppetorum effuſa grandine, et legato Belliloci ac ductoribus aliquot occiſis, cum ſe triremis tam anguſto alveo circumagere non poſſet, et captivi remiges, quibus ſpes libertatis facta fuerat, ſegnius rem gererent, triremem ac ceteros peditum ductores cepere. Inde vis ex ſuperiore ripa in ceteras facta; ſed praemature, cum nondum [l] Polinius militem in terram expoſuiſſet: quam occaſionem ſi Lanoviani imperio obſecuti cautius exſpectaſſent, facile univerſam claſſem, quippe gnari locorum et numero potiores, in poteſtatem redegiſſent. Polinius poſt aliquod certamen ſenſim remigii ope cedendo in altum ſe ſubduxit. Lanovius, qui Broagii petendi occaſionem ſibi hoc caſu ereptam videbat, ne nihil ageret, a Scipione [m] Vergano, qui muniendae Rupellae egregiam ac fidam operam navaverat, perſuaſus, de [n] Noallio capiendo cogitare coepit, dato negotio [o] Pluvialio, qui [p] Surgeriam tenebat, ut cum legione ſua Scipioni expeditionis duci praeſto eſſet. Is igitur, cum copiae conveniſſent, ſummo mane ſtationem adortus, et per tabulam tranſverſam cum Pluvialio ingreſſus, praeſidiarios inopinato impetu adeo perculit, ut, ex iis XV occiſis, reliqui in arcem trepidi confugerint; ubi mox obſeſſi, ſuperveniente Lanovio cum omnem auxilii ſpem praeciſam viderent, vitam ſalvam pacti deditionem faciunt, et Maranum ſe recipiunt. Id exeunte Februario actum: quo eodem tempore Riverius ſenior [q] Marani, cui praeerat, ex morbo deceſſit; militari vir gloria clarus et multis egregie factis de rege optime meritus. In ejus locum [r] Capero, qui tunc in [s] Santonibus cum legione ſua erat, ab Arturo [ſ] Coſſaeo equitum tribuno ſuffectus eſt. Is cum in itinere eſſet, a [t] Rupinardo male acceptus, amiſſis impedimentis cum IIII ſignis admodum debilitatus tandem Maranum pervenit: cumque illi cum Riverianis militibus non bene conveniret, ſtatim, iis dilabentibus, ſolus cum ſuis manſit, [u] Joanne Epirota ad [v] Baſtiliae defenſionem cum Italorum ſigno excubante. Quo cognito, Lanovius ſucceſſum urget: praemiſſoque Pluvialio cum ala equitum et legione ſua, qui ad Baſtiliam vim faceret, ipſe cum [w] Subiſio, [x] Paieto, aliis ex Pictonica nobilitate locorum gnaris, tota nocte itinere facto, [y] Charoniam arcem praetervehitur, et per vorticoſa loca, peditibus plerumque vix umbilico tenus aqua extantibus,

incedens

INTERPR. [a] *Sore, vice-amiral.* [b] *Angleterre.* [c] *de la Nouë* [d] *la Rochelle.* [e] *Brouage.* [f] *la Riviere Puy-taillé.* [g] *Tonay-Charente.* [h] *dal Fieſco.* [i] *de Gondy, comte de Retz.* [k] *de Beaulieu des Chaſteigners en Poictou.* [l] *le baron de la Garde.* [m] *Vergano.* [n] *Noaillé.* [o] *Puviaut Claveau.* [p] *Surgeres* [q] *Marans* [r] *Chaperon* [s] *Saintonge.* [ſ] *le mareſchal de Coſſé.* [t] *la Rocheynard.* [u] *le capitaine Jouan Albanois.* [v] *la Baſtille.* [w] *le ſieur de Soubize.* [x] *Payet.* [y] *Chateau de Charon.*

incedens tandem albeſcente die in Matani conſpectum venit, tanta praeſidiariorum et Caperoois io primis ab omni re imparati conſternatione, ut ſtatim, noo prius cooſerta manu, in arcem ſe receperit; quam continuo [a] Laoovius corona cinxit; eoque Caperonem adegit, ut vitam ſalvam pactus deditionem faceret. Eodem tempore, dum Pluvialius a fronte Baſtiliam adotitur, [b] Pondevius Subiſii legatus a tergo ad eundem locum vim facit: moxque [c] Garda poſt receptum Maranum a Lanovio miſſus ubi ſe cum ſuis oſtendit, et Maranenſem arcem deditam obſeſſis confirmavit, iiſdem, quibus Capero dimiſſus fuerat, ipſi ſe conditionibus dedidere, et [d] Fontenaium conceſſere. Garda praeda valde opima potitus eſt, multis ex ſuis amiſſis. Dein Charonia arx deſeritur, per [e] Betaldioum canalem dilapſis noctu praeſidiariis. Pluvialius Marano cum ala equitum et legione ſua impoſitus fuit. Eodem victoriae veluti rapido impetu a Lanovio recepta vicina munimenta, quibus antea veluti e longinquo [f] Rupella obſidebatur. [g] Gravia a [h] Guiminerio capta, et, quod ad excurſiones opportuna videbatur, praeſidio inſeſſa: vadum item [i] Velurienſe, [k] Langonium, Lucionium, Marolium, caeſis [l] Lilii et Bonnaldi ductorum cohortibus. Cum Pluvialius Fontenaium petere ſtatuiſſet, cognito v ſigna ex legione Ludovici Berengarii [m] Gaſtii, duce [n] Maſcarone, a Philippo [o] Freſco Freſelerio [p] Ludenſis comitis legato [q] Niortio ſummiſſa, ad [r] Olonenſeis arenas deflexit. Id municipio [s] Tremolliorum ditionis nomen eſt, arenoſo ſolo toto illo tractu opulentiſſimo, de cetero nullis mutis aut foſſa vallato, quod ſtationem navibus opportunam habet, ſinu ſe maris anfractuoſo flexu curvante et municipium ab omni fere parte ambiente. Locum tenebat Carolus [ſ] Roaldus Landereus, vir et natalium claritate et militaris rei peritia clarus; qui aliquando Proteſtantium partes ſecutus fuerat, et poſtea eos variis cladibus afflixerat, hoſtis et ob propinquitatem moleſtus et ob praeteritorum memoriam ſumme inviſus. Is IIII naveis in illa ſtatione egregie inſtructas habebat, et crebris incurſationibus mare infeſtum Rupellanis faciebat. Ad eum omni ratione expugnandum cum totas vireis coovertiſſet Lanovius, evocato etiam [t] Sora, qui cum exigua claſſe ſua locum obſidiooe maritima invaderet, ioitio fruſtra fuit, exorta tam foeda tempeſtate, ut Sora expoſitum militem in naveis recipere et, omiſſis Arenis, retro ſe aperto mari committere coactus ſit. Ita primus Proteſtantium conatus fortunae beneficio eluſus eſt: alterum non item vitare potuit Landereus, quamvis medio tempore vallum ab omni parte praealtum et machinis ubique firmatum duxiſſet, equitatu per terram, peditatu, cui Paictus praeerar, a matitima parte vim faciente: quod incidir in Eid. Mart. qua die Proteſtantes vallum ante portum, qua maximus fluctus excutrit, poſitum, neque longius promotum, aggreſſi ſunt, quod, recedeote mari, facile ad ictus oppugnantium patebat. Certatum tamen acriter, hinc ſpe praedae ante oculos obverſante, et de qua vero major inter milites fama ſparſa fuerat, animos accendente; binc Olonenſibus pro vira et fortunis pugnantibus, quos Landereus bello exercitatus dux et praeſentia et exemplo ſuo ad proelium animabat. Tandem a duabus partibus eodem tempore impetu facto, ille numero et viribus impar, cedeotibus ſuis, equum perniccm inſcendit, ſeque in fugam conjecit; ſed, per avia incedens et in paludoſas voragines ſaepius praecipitans, tandem, cum ſe, ſeſſo ac deficiente equo, extricare ooo poſſet, in hoſtium inſequentium manus devenit, vita vix ſalva, quam pletique, quos ſibi inimicos per boc bellum fecerat, ei eripere conati ſunt. Inde Rupellam abductus etiam periculum mortis ignominioſae adivit, pleriſque eum ad ſuppliciom depoſcentibus. Arenae captae ac direptae, [u] Cambrenſibus etiam

INTERPR. [a] *de la Nouë.* [b] *Pondevie.* [c] *le capitaine la Garde.* [d] *Fontenay.* [e] *paſſage du Berauld.* [f] *la Rochelle.* [g] *la Greve* [h] *Gumeniere.* [i] *le gaé de Velvire.* [k] *le Langon, Luçon, Mareuil.* [l] *les capitaines le Lys & Bonneau.* [m] *le ſieur du Gaſt.* [n] *Maſcaron.* [o] *Freſeau, ſieur de la Freſeliere.* [p] *le comte du Lude.* [q] *Niort.* [r] *les ſables d'Olonne.* [s] *de la Tremoille.* [ſ] *de Roubaut, ſieur de Landereau.* [t] *Sore.* [u] *ceux du Bourg* nommé *la Chambre.*

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

etiam ex adverſo ſinus qui portum Olonenſium efficit, non jam occulta invidia et aemulatione ſed aperto odio ad eorum perniciem ruentibus; quippe qui tam addicti erant Proteſtantium doctrinae, quam Olonenſes majorum religionis retinentes. Cladem Arenis amiſſis acceptam [a] Polinius paulo poſt egregio facinore non tam ultus eſt quam obſcuravit, in conſpectu Proteſtantium praedae intentorum capta majore illa navi et [b] Broagium retro abducta, quam infami latrocinandi licentia Venetis ereptam ſupra diximus, quamque Rupellani ad convaſandas municipii direpti reliquias ſummiſerant. Quod cum moleſte admodum tuliſſet Navarra praealti animi foemina, reperti ſunt nautae quidam Normani prompta audacia, qui, ut moleſtiam illam ex generoſae foeminae animo demerent, ſpecie amicitiae Broagii portum ingreſſi igneis artificioſe paratos cum pice et alia ejuſcemodi materia in navem conjecerunt, unde ſactum ſubito incendium vento flammas accendente tanta vi graſſatum eſt, ut brevi ingens illa lignea domus in praeſidiariorum ac claſſiariorum conſpectu, nulla vi aut ope humana contra ignis violentiam ſatis valida, conflagrarit: incendiarii vero, dum circa navem jam ardentem diſcurritur, cum tribus, quibus venerant, navigiis Rupellam incolumes reverſi ſunt, magnum ſe operae pretium feciſſe exiſtimantes, quod, ſi navem de hoſte non recepiſſent, tamen ei de capta illa ulterius gloriandi materiam eripuiſſent. Nec mulro poſt ad [c] Boſium promontorium Anglicana navis, quae ad excurſiones prohibendas excubabat, ut commeatus, a quo jam Rupella laborare coeperat, tutius in urbem importaretur, a tribus Polinii triremibus circumventa, cum iis ſumma virtute nec minore periculo conflixit; quod et exitiali fere ipſi caſu diſcuſſum eſt. Nam, cum, poſt obſtinatum certamen et quaſſatas antennas ac malum tormentorum diſploſione dejectum multoſque utrinque vulneratos, jam vires animuſque Anglis deficerent, venti vi impulſa navis in brevia puppem illiſit, iiſque adhaeſit; tumque a tergo et lateribus milites ſecuri ex prora tanquam in terra et firmis veſtigiis inſiſtentes ſibi cum adverſo hoſte depugnare videbantur: itaque reſumptis animis certamen redintegrant, et hoſti propinquare ulterius non auſo navis potiundae ſpem eripiunt.

XI. MISSUS mox in [d] Pictones [e] Pigallarius cum II Italorum equitum alis, Julio [f] Centurione et Carolo [g] Birago ductoribus, et I peditum ſigno, VIII item peditum Gallorum ſignis ex praetoria legione, quae [h] Coſſenius ducebat: [i] Fervacius etiam [k] Fontenaium miſſus: quorum adventu circa Rupellam ſtatim [l] Langonium et Velurienſe vadum ac denique [m] Lucionium receptum; ubi et equitum aliquot delectorum praeſidium impoſitum eſt; in quos paulo poſt Lanovius cum L, [n] Grangio Meſſaeo, [o] Groſſinerio, et aliis ductoribus delectis, noctu ex improviſo impetum fecit, et, ſtatione caeſa, ceteros diſſipavit. Occiſi pauci; plures capti: maxima fuit equorum genetoſorum praeda. Dum ſe recipit Lanovius, obvios Italos habuit, qui ad [p] Gemmae ſanum hoſpitium habebant; quorum adventu ii, quos ad [q] Carriae pontem, qua tranſeundum erat, defendendum reliquerat, [r] Topana duce, locum turpiter deſerunt: ſed, conſerta acrirer manu, cum Itali quendam ex ſuis primarium ducem amiſiſſent, Lanovius ſucceſſum urget, et Italos praetervectus ſe cum ſuis in tutum recepit. Eo jam Joannes [s] Cambius Monſorellus cum CC ſcloppetariis venerat; et, [ſ] Talmonio et Moricia turre, quam [t] Riverius Sanmartinius tenebat, fruſtra tentatis, in caſtra redierat, cum de [u] Gravia obſidenda conſilium captum eſt, arce ſitu et arte firmiſſima, ſed in qua unicus aquae dulcis puteus erat; qui, aqua ex foſſis a Pigallario derivata, cum omnino exaruiſſet, praeſidiarii vitam et res ſalvas pacti deditionem faciunt; qui tamen majorem partem a licentioſo milite ſpoliati ſunt.

Gravia

INTERPR. [a] *le baron de la Garde.* [b] *Brouage.* [c] *Chef de Baye,* vulgo *de Bois.* [d] *Poictou.* [e] *de Puy-gaillard.* [f] *Centurione.* [g] *de Birague.* [h] *de Coſſeins.* [i] *de Fervacques.* [k] *Fontenay.* [l] *Langon & le gué de Velvire.* [m] *Luçon.* [n] *de la Grange Meſſac.* [o] *Groſſiniere.* [p] *Ste Gemme.* [q] *pont de la Charrie.* [r] *le capitaine la Topane.* [s] *de Chambes, comte de Montſoreau.* [ſ] *Talmond & la tour de Moric.* [t] *la Riviere St. Martin.* [u] *la Greve.*

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

Gravia capta, qui Talmonium tenebant, locum deſerunt, et Maranum conceduut. Inde Pigallarius, re in [a] Pictonibus ſeliciter geſta, impoſitis Lucionio vtti peditum ſignis, cum reliquis quas habebat copiis, in [b] Santones tranſit; et, evocato [c] Riverio Pitallerio, qui Broagium et inſulas Santonicas tenebat, et [d] Guitinerio ſani Joannis praefecto, [e] Chiſacum, quod a [f] Tiſarderio cum delecta nobilitate et aliquot militum praeſidio tenebatur, adoritur; quod ſtatim deditum eſt honeſtis conditionibus, ſed quas minime ſervatas queſti ſunt Proteſtantes, qui [g] Engoliſmam ſe recepere. Chiſaco capto, dum Guitinerius et Riverius ad ſua redeunt, in [h] Caldomontium et Gulenum, qui duas equitum alas Engoliſma profecti ducebant, incidunt, et poſt acre initio certamen, Guitinerio occiſo, tandem funduntur, amiſſis duobus vexillis, quae victores Rupellam ſecum abſtulerunt; [i] Blacono et Santalbano cum ſuis juxta inſulas Santonicas diſpoſitis, ut Rivetii conatus impedirent, et, ſi occaſio ſe offerret, ea uterentur. Eodem tempore [k] Pluvialius [l] Marano profectus [m] Dantem cum ala equitum per Pictones excurrentem [n] Tiraci ante auroram oppreſſit, et, duce occiſo, ſocios ejus huc illuc diſturbavit. Inde Maranum redit; et, miſſis in hoſticum Germanis, qui ſupererant fere ccc, cum delecto Gallico peditatu, duce [o] Sanſtephano, annonae anguſtiam, qua premebatur, aliquantum ſublevavit. Qui Engoliſmam tenebant, [p] Herbeletae et Italorum incurſiones pertaeſi, Joachimum [q] Vaſſoreum Cogneum cum delecta manu emittunt; qui in Herbeletam incidens ab eo locorum gnaro ſenſim in inſidias ſe praecipitatum ſenſit, inter ipſum et Italos medius: ſed periculum audacia diſcuſſit, acrique cum Herbeleta conſerto proelio et ipſo interfecto ac vexillo capto, ceteros ſudit; et inde victoriam urgens in Italos inſequenteis impetum facit; qui, ſumma virtute cum initio reſtitiſſent, ſenſim cedendo recipienti ſe Vaſſorio viam apertam reliquere.

XII. Dum haec in Pictonibus agerentur, de pace ſub extremum anni praecedentis injecta mentio rurſus ineunte Januario renovata eſt: et Novembri quidem proximo Arturus Coſſacus cum Navarrae delegatis egerat, ea ſpe, ſicuti Proteſtantes poſtea interpretati ſunt, ut, poſt Monconturianam cladem infractis viribus, nullam pacis oblatae conditionem vel iniquiſſimam recuſarent. In eo colloquio cum de publicis conventibus ſpes praeciſa eſſet, et tantum conſcientiarum libertas promitteretur, negotium omnino intermiſſum eſt; cumque capita quaedam a Coſſaco propoſita eſſent, et res non ſcripto ſed tractatu inter delegatos potius tranſigenda videretur, placuit, ut principum ac ſociorum, qui jam in [r] Aquitaniam penetraverant, conſilium exquireretur, et ex eorum voluntate delegati quamprimum ad regem mitterentur. Miſſi [s][α] Jo. Laſinius Bellovaſius et Carolus [f] Telinius; qui, poſtquam [t] Andegavum venerunt, mandata ſua coram rege expoſuerunt. Poſtulata eorum erant; ut rex eis non ſolum conſcientiarum ſed conveniendi publice ubique per totum regnum religionis cauſa libertatem concederet; idque, ſalva dignitate et honore, ipſis liceret, reſciſſis et abolitis contra illos latis ſententiis tam intra quam extra regnum: ab iis ſacta, tanquam pro regni ſalute facta approbaret; eoſque bonis ac dignitatibus reſtitueret: deque iis, quae nunc promittat, ſervandis et exequendis, quibus poteſt et aequius judicabit rationibus idonee caveret. Ad haec a rege reſponſum; de libertate conſcientiarum ipſis idonee cautum velle, aſſignatis duabus in regno [β] urbibus nominandis, in quibus libere convenire poſſent: de cetero, liceret illis pacatis domi vivere, ita ut nulli ob religionis cauſam periculum creari poſſet: copiae militares dimitterentur: urbes occupatae traderentur: ipſi ab omni foedere et cum externis principibus conſiliis

VAR. LECT. [α] ergo Bellovarius Nocleus et Telignius; qui, poſtquam *D. f.* [β] urbibus, a Birono, cui id negotio datum erat, nominandis, *D. f.*

INTERPR. [a] *Poitou.* [b] *Saintonge.* [c] *la Riviere Puy-taillé.* [d] *Guitinieres, gouverneur de S. Jean d'Angely.* [e] *Chiſay.* [f] *Tiffardiere.* [g] *Angouleſme.* [h] *Chaumont & Goulene.* [i] *Blacons & St. Auban.* [k] *Puviaut.* [l] *Marans.* [m] *le capitaine Dante.* [n] *Tiré.* [o] *de St Eſtienne.* [p] *l'Herbelette.* [q] *le Vaſſeur, ſieur de Cognée.* [r] *Guienne.* [s] *Jean de la Fin, ſieur de Beauvoir la Nocle.* [f] *de Teligny.* [t] *Angers.*

conſiliis diſcederent: bonis, dignitatibus cuncti reſtituerentur; idque in iis locum haberet, in quorum vicem alii, perſoluta regi in belli ſumptus pecunia, ſuffecti eſſent. Cum in has conditiones delegati conſentire non poſſent, negotium Andegavo [a] Caſtrum-Briandi, quo rex ibat, translatum. Cumque magna invidia laborarent Proteſtantes, quaſi pacis conditiones rejicerent, edito ſcripto Martio menſe proximo culpam ejus rei deprecati ſunt; quo adverſariorum aſtu factum dicebant, ut de pace mentio injiceretur, cum eorum mentes longe a pacis conſiliis alienae eſſent: nam interea miſſos in [b] Britanniam et Germaniam homines, qui pacem jam factam eſſe confirmarent, ut auxilia, quae juſtae cauſae merito ſperari poſſent, retardarentur, dum diverſa parte a foederatis et juratis Gallicae tranquillitatis hoſtibus pecunia homines ac cetera ſubſidia undique compararentur: Raimondum a [c] Papia Furcovallium, regis apud Philippum oratorem, de ea re saepius cum Hiſpanis egiſſe: eadem conſilia cum pontifice a Guiſianis agitari: nuper vero miſſum in Germaniam Nicolaum [d] Neovillum a ſecretis epiſtolis, ut apud Maximilianum Caeſarem, prudentiſſimum principem et publicae tranquillitatis apprime ſtudioſum, ſparſam hujus rei famam dilueret; qui et Auguſto Saxoni ſeptemviro perſuadere conatus eſt, res in Gallia ad pacem inclinare: ſed haec omnia revinci haud occultis adverſariorum machinationibus, qui odio religionis Proteſtantium partes Romanae eccleſiae in Anglia foveant, et [e] Northumbrio et Weſtmorlandio comitibus in manifeſta conjuratione deprehenſis ad alendas ſeditiones animos faciant: id ex interceptis literis et aliis teſtimoniis conſtare, ac promiſſis auxiliis et xx navium armatarum claſſe, quam major ab [f] Albano inſtructa paulo poſt ſecutura ſit: interceptas et Caroli Lotharingi cardinalis ad amicos et factionis conſcios, quos Lutetiae habet, literas; quibus mentionem pacis factam confirmat, ut interea rex tempus extrahat, dum a Philippo et pontifice reſponſum, hoc eſt, conſiliorum contra Proteſtanteis in regni perniciem inter eos jamdudum agitatorum ſumma definitio veniat. His et aliis rationibus adductos, in propoſitas hactenus pacis conditiones nequaquam conſentire potuiſſe affirmabant; eam ſe amplecti alioqui paratos, quae nihil haberet inſidiarum, et qua conſtituta non ſolum in praeſens ſed in poſterum firma ac ſincera toto regno concordia ſanciretur.

XIII. INTEREA Armanus [g] Guntaldus Bironus, magnus rei tormentariae praefectus, et cum eo Henricus [h] Memmius conſiſtorii ſecretioris conſiliarius cum Telinio ad Navarrum et Condaeum miſſi, qui jam e [i] Cadurcis et Aginnenſi agro, ubi hyemaverant, in [k] Septimaniam deſcenderant. Dum circa [l] Toloſam eſſent, quo Henricus Momorantius [m] Damvilla provinciae praeſes et cum eo Jo. [n] Nogaretus Valeta cum IIII CIϽ peditum et IϽ equitibus venerant, crebris excurſionibus utrinque initio anni certatum a Gabriele [o] Mongomerio comite, [p] Loco et Roboreo, incenſis oppidanorum et ſenatorum praecipue circa urbem praediis, quod a publica quiete maxime omnium abhorrere [α] dicerentur, recenti adhuc ob oculos obverſante [q] Rapini, ante biennium a rege et Condaeo, ut edicti pacificatorii promulgationem [β] urgeret, immani perfidia per eos ignominioſo ſupplicio affecti memoria; cujus indignam necem illi inauditis et jure belli inconceſſis vaſtationibus ultum ſe ire teſtabantur. Inde orta ab ignara plebe in Damvillam ſuſpicio, quaſi in Colinii arcta ſibi cognatione conjuncti gratiam ad Proteſtantium conatus conniveret; quae fama aemulorum et veterum illuſtriſſimae familiae inimicorum artibus adjuvabatur, ut, Momorantiis in poſterum veteris religionis cultorum odio expoſitis, ipſi ſe duces illis neceſſarios praeberent. Quod quam calumnioſe confictum ſit, ſatis teſtatum reliquit Franciſcus Lanovius,

VAR. LECT. [α] dicerent Proteſtantes *D. f. o.* [β] urgeret, in urbem miſſi, et immani *D. f.*

INTERPR. [a] *Chateau-Briand.* [b] *Angleterre.* [c] *de Pavie, ſieur de Fourquevaux.* [d] *de Neufville, ſieur de Villeroy, ſecretaire d'Eſtat.* [e] *les comtes de Northumberland & de Weſtmorland.* [f] *le duc d'Albe.* [g] *de Gontaut de Biron.* [h] *de Meſmes, conſeiller d'Eſtat.* [i] *Quercy & l'Agenois.* [k] *Languedoc.* [l] *Toulouſe.* [m] *le mareſchal de Damville.* [n] *Nogaret de la Valette.* [o] *de Montgomery.* [p] *de la Loüe & du Rouvray.* [q] *Rapin.*

[a] Lanovius, qui nullum infeſtiorem toto illo itinere hoſtem expertos Proteſtanteis CIↃIↃLXX.
refert. Exeunte Januario, ad [b] Caſtrum promota caſtra, exercitu per vicina loca CAROLUS IX.
circa [c] Julii et Felicis ſana, [d] Oriacum, et Carmanium diſtributo; quae mox Caſtro, quod tenebant, advectis duobus tormentis in poteſtatem redegerunt: atque omnium primum Carmanium vi captum, caeſis ad internecionem praeſidiariis. Eodem modo habiti, qui Oriacum et [e] Lesbum tenebant. [f] Roboteus [g] Montaſtrucium, caeſis defenſoribus, et [h] Cucum ſtatim in poteſtatem recepit. Qui [i] Faiam in Mirapicenſi agro tenebant, cum gnaviter initio ſe defenderent, ubi Proteſtanteis ad obſidionem obſtinatos viderunt, locum noctu, pretioſiore ſupellectile aſportata, deſerunt. Ad Felicis fanum dein admota tormenta, duce [k] Monclario vicecomite; qui, cum peditum legione pulſatis muris et repulſo impetu, ipſe graviter ſauciatus eſt, amiſſis plus L ex ſuis; ac tandem ab obſidione diſcedere coactus Caſtri ſive ex moerore ſive ex vulnere paulo poſt deceſſit. Sub id tempus in caſtra principum venere [l] Baudineus et Rentius; qui [m] Rupellae cum [n] Rupifulcaudio comite relicti, pertaeſi otii, per [o] Engoliſmam et Lemovices iter fecere, et ad [p] Angeli ſanum tranſmiſſo [q] Duranio, nequicquam eos inſequentibus Jo. [r] Scarſio Valliguidonio et [s] Pompadoreo, ad [s] Acietiam item [t] Olga ſuperato, [u] Montalbanum et poſtremo Caſtrum incolumes cum ſuis pervenere. [v] Pilius cum delecta manu miſſus, qui per Pyrenaeorum ſaltum infra [w] Salſulenſem praefecturam, hominibus latrocinio aſſuetis infamem, mitiore jugo, qua mediterraneum mare ſpectat, deſcendentem, excurreret, et per [x] Ruſcinonenſem comitatum praedas ageret. Inde Petrus [y] Lubiacus ille, de quo diximus, cum [z] petrinariis ſuis, quos a ſcloppetorum genere ſic vulgo appellant, in Gul. [aa] Jouſae caſtra primo bello civili ad [bb] Monpelii et Limoſii obſidionem venerat. Ex eo hominum genere, qui turmatim per factiones diviſi latrocinia illis locis publice exercent, quamplurimi egregie armis instructi, Jo. Claudio [cc] Levio Odoſio ex illuſtri [dd] Mirapicenſium vicecomitum familia, et Petro [ee] Oſſunio ducibus, Navarro et Condaco, quamvis a Proteſtantium religione fere alieni, operam ſuam detulerunt: ſed, diſſentiente Colinio, qui homines per avia ac impedita loca bellum gerere ſolitos apertis campis minus valituros aiebat, et, latrociniorum exemplum inter milites licentioſos ne ſerperet, merito verebatur, poſt actas gratias remiſſi ſunt; tantum quidam ſpecie et agilitate corporis excellentes delecti, quos principes ſtipatoribus ſuis aggregaverunt, ne per cohortes ſparſi ceteros corrumperent. Cum exercitus ad [ff] Montem-regalem a regiis deſertum III a [gg] Carcaſſona leucis veniſſet, Bironus cum [hh] Telinio a rege miſſus in caſtra acceſſit, cum publicis de pace mandatis, et literis privatis regis, reginae et Henrici [ii] Andium ducis, prolixae benevolentiae plenis, ad Colinium, quem auctoritate inter Proteſtanteis praecipuum ſciebant. Expoſitis mandatis, a [kk] Pontio Pontiano Caſa foederatorum nomine reſponſum, agere ſe immortaleis Deo omnipotenti gratias, qui corda omnium ad quieta conſilia inflexiſſet; dein ſecundum Deum regi, principi ſuo ac legitimo domino, cujus tam propenſam erga ſe voluntatem experirentur: porro regiam majeſtatem, quam ſuppliciter poſſunt, orare, ut cum bona ejus gratia conſcientiarum ſuarum libertatem ſibi tueri liceat; quam minime plenam habituri ſint, ſi publica illius, quam amplectantur, doctrinae profeſſione prohibeantur: id ſe de aequitate majeſtatis ſuae conſecuturos, tanquam rem pietati et rationi conſentaneam, minime deſperare; alioqui fore,

INTERPR. [a] *la Nouë.* [b] *Caſtres.* [c] *S. Julia de Capongras & St. Felix.* [d] *Oriac & Carmain.* [e] *Lesbous.* [f] *du Rouvray.* [g] *Montaſtruc* [h] *Cucq.* [i] *la Faye, à une lieuë de Mirepoix.* [k] *de Monclar.* [l] *les ſieurs de Beaudiſner & Renty.* [m] *la Rochelle.* [n] *le comte de la Rochefoucaud.* [o] *Angouleſme & le Limouſin.* [p] *St Ange.* [q] *la Dordogne.* [r] *d'Eſcars, ſieur de la Vauguyon* [s] *de Pompadour.* [s] *Acier.* [t] *le Lot.* [u] *Montauban.* [v] *de Piles.* [w] *les Montagnes de Sault, aux Pirenées, au delà de Saulſet.* [x] *Rouſſillon.* [y] *Loubiac.* [z] *Arquebuſiers,* nommés *Petrinats.* [aa] *de Joyeuſe.* [bb] *Montpellier & Limoux.* [cc] *de Levis, ſieur d'Odoux.* [dd] *de Mirepoix.* [ee] *d'Oſſun.* [ff] *Montreal.* [gg] *Carcaſſonne.* [hh] *de Teligny.* [ii] *d'Anjou.* [kk] *Pons de Pons, ſieur de la Caſe.*

ſote, ut apud Deum abominandae defectionis rei inter homines inteſtabiles habeantur, et rex ipſe de eorum fide merito diffidat, quos Deo fidem ſefelliſſe et religionis cultum humanis commoditatibus poſthabuiſſe cognoverit: armorum invidiam, quae extrema neceſſitate adacti ſumpſerunt, et magno cum ſuo dolore nunc in manibus habeant, a ſe deprecari, paratos ea deponere, cum aequis ad Dei gloriam et tranquillitatem conditionibus pax ſancita fuerit: de cetero habere Birono gratias, de cujus in regem ac regnum ſtudio et egregia erga ipſos voluntate tam confidant ac bene ſperent, quam ipſius virtutem his bellis plerumque magno ſuo eum damno experti ſunt: proinde eum obſecrare, ut in eadem voluntate perſtet, et tam ſe in pacis negotio aequum praebeat, qnam in proeliis hactenus ſortem et ſtrennum oſtendit. Ita remiſſus Bironus eum Navarri et Colinii ad regem, reginam et Andinum literis; quibus ſe pacem ſummopere expetere, ſed non niſi publica religionis libertate permiſſa, demonſtrabant; neque enim, ſalva conſcientia, poſſe aut velle. Poſt Bironi diſceſſum miſſi, uti convenerat, [a] Bellovaſius, [b] Telinius et Victor Brodaeus Caſſeterius Navarro ab epiſtolis; qui x Kal. April. [c] Monte-regali profecti [d] Caſtrumbriandi, ubi tunc rex erat, ſe contulere.

XIV. Interea Proteſtantium exercitus oram [e] Atacis legens prope [f] Narbonem conſedit, magno de ſe paſſim terrore ſparſo, ita ut, cum per Carcaſſonam iter haberent, oppidani, veriti, ne, ſuburbiis, quae ampliſſima intet utramque urbem ſuperiorem et infimam erant, et medio Atace intetluebantur, occupatis, de expugnanda alterutra urbe occaſionis commoditate illecti conſilium caperent, ea incenderint, et eum iis pulcherrima mendicantium coenobia, ne hoſti uſui eſſent. Captum haud longe a Narbone [g] Caſalium; et [h] Monpelium uſque promota caſtra. Cumque [i] Locus [k] Lucaris, qnod municipium leuca tantum a Monpelio abeſt, et [l] Guitinerius hoſpitium haberent, ſeſſo milite, Locus ipſe praeteritorum dierum itinere fractus qnieti ſe dedidit, dum Guitinerius eum L circiter excubaret: quos frater illius qui urbi praeerat, cum II equitum alis et cc ſcloppetariis, nocte quae Kal. April. anteceſſit, incumbens non ſolum disjecit, ſed et Locum in lecto oppreſſum cum ſuis omnibus ad unum trucidavit. Ita Locus bello clarus dux et ob merita ſua caſtrorum praefectura ornatus, qui hoſtem ſaepius oppreſſerat, miſerabili caſn interceptus eſt. Corpus ejus, ne regiis ludibrio eſſet, in [m] Columbariam arcem firmiſſimam tranſlatum et in ea ſepulrum eſt. Cladem illam utcunque Antonius [n] Claromontius Renelii marchio ultus eſt, fugatis iiſdem et intra urbem compulſis. Poſtea promota ad [o] Lunellum caſtra; a cujus obſtinata initio ſed irrita obſidione tandem diſceſſum eſt: [p] Emarga [q] Acierii arx etiam fruſtra tentata, quae a II regiorum ſignis tenebatur: quibus omiſſis, [r] Margaritum, Ambroſii, Juſti et Privati fana, minoris momenti oppida, vi aut deditione ceperunt. Mox [s] Uticam praetervecti [f] Nemauſum venere; nbi reficiendo militi aliquantum temporis inſumptum. Inde luſtratus a curioſis pons admirandi opetis, [t] Gardo amni, qui Privati fanum allnit, impoſitus; qui triplici fornice montes duos connectit, in id olim immanis ſumptus ſtructura aedificatus, ut per illum deducendo Nemauſum fonti alveus ſterneretur. Nemauſo digreſſis [u] Mariae fanum expugnatum; et poſt illud [v] Vacaria haud longe ab [w] Aletenſi civitate a Wolrado Mansfeldio in poteſtatem redacta eſt. Quibus peractis, Rhodano ad dextram relicto, per [x] Balneum, Spiritus, Juliani et Juſti fana in [y] Vivarienſem agrum facto itinere tendunt, tranſmiſſo ad [z] Coſonem amne, qui Vivarienſeis a [aa] Septimania dividit,

INTERPR. [a] *Jean de la Fin, ſieur de Beauvoir la Nocle.* [b] *le ſieur de Teligny, & Brodeau ſieur de la Chaſſetiere.* [c] *Montreal.* [d] *Chateau-Briand.* [e] *l'Aude r.* [f] *Narbonne.* [g] *Caſon.* [h] *Montpellier.* [i] *la Loue, mareſchal de camp.* [k] *le Cres, village ſur un hauteur à une lieue à l'Eſt-Sud-Eſt de Montpellier.* [l] *Gutimieres.* [m] *Colombiers.* [n] *de Clermont, marquis de Renel.* [o] *Lunel.* [p] *Emargues.* [q] *le ſieur d'Acier.* [r] *Marguerit, St. Ambroiſe, St. Juſt, & St. Privat.* [s] *Uzez.* [f] *Niſmes.* [t] *le Gardon.* [u] *Ste Marie.* [v] *la Vaccaire.* [w] *Aleth.* [x] *Bagnols, Pont St. Eſprit, & S. Julien.* [y] *le Vivarais.* [z] *Choſon.* [aa] *Languedoc.*

dividit, et altero, qui [a] Albenacum alluit, cui [b] Poictum Allobrogem praeſecere. [c] Montaltum dein vi captum: et, cum inter [d] Burgum et Vivarium acies prima incederet, ab aliquot praeſidiariis [e] Avenione egreſſis in [f] Pujolium et Paulinum vicecomitem, qui peditatum in extremo agmine ducebant, impetus factus non ſine damno: idque in cauſa fuit, ut in poſterum hoſpitiorum et incedendi mutata ſit ratio. Nam, cum prius peditatus ſenſim ab equitatu incederet et hoſpitia haberet, tunc periculo ſuo edocti peditem equiti miſcuerunt, ut per loca aſpera et impedita, cum mutua opera uterque indigeret, alter alteri praeſto eſſe poſſet. Heic conſilium de machinis ultra Rhodanum tranſvehendis captum, quod per citeriorem ripam commode deduci non poſſent; praemiſſuſque [g] Ludovicus Naſſovius ſecundum Colinium primarius exercitus dux cum parte equitatus, qui alteram ripam, dum tormenta tranſveherentur, ſervaret: quo tranſmiſſo, [h] Santarduellius, qui Burgum tenebat, cum delectis egreſſus, eos, qui ad machinas bellicas excubabant, diſturbavit, et carros pulvere tormentario et pilis onuſtos ſecum Burgum adduxit: cumque videret, ſerius, quam putaſſet, Proteſtantium auxilia advenire, longe diſſitis ob locorum incommoditatem hoſpitiis, etiam machinas ſecum [α] traxit. Dum abducuntur, [i] [β] Sanjoannius, quem Mongomerius comes cum fratre ſecutus eſt, collecta tumultuaria manu, accurrit, et acri commiſſo certamine, in quo Santarduellius ipſe occiſus et Mongomerii fratres ſauciati fuerunt, machinas tandem recepit, amiſſo tantum apparatu bellico, qui jam intra oppidum acceptus fuerat. Tranſmiſſis machinis, [k] Montelium Adaemari corona cinctum, quod in Delfinatu haud longe a Rhodani adverſa ripa ſitum eſt: ſed, cum ſegnitet et ignave res a milite longis itineribus fracto gereretur, ulterius progrediendi [l] Charitaeum verſus conſilium cepit Colinius, tormentis, quae trans Rhodanum deducta fuerant, in [m] Granenſi arce firmiſſima paulo ante dedita depoſitis. Pars tormentorum [n] Puſinii relicta, quod eſt municipium in Vivarienſi agro ad montis radices loco munito ſitum, moenibus et arce ſuperimpoſita firmum; ex adverſo cujus in medio flumine [o] Loriolum in Delfinatu aſſurgit. Diſcedente Proteſtantium exercitu ad Puſinium, quaſi locum arcta cincturus obſidione, ne ex eo copiae per Rhodanum in Allobroges trajicerent, Bertrandus [p] Simiena Gordius provinciae praefectus IIII navigia armaverat, quae pluteis tecta per fluvium huc illuc ad prohibendum tranſitum excurrebant. [q] Monbrunius, qui cum [r] Sanromanio, Mirabello, Santangelo Puſinium venerat, tranſmiſſo flumine, delectus peditum habere juſſus: nam rari jam in exercitu pedites conſpiciebantur, partim morbis abſumpti, partim ob locorum difficultates ſparſim huc illuc relicti, atque ſenſim dilapſi, ita ut ad cohortes ſupplendas et novum militem conſcribendum matura celeritate opus eſſet. Itaque, cum Monbrunius Rhodanum omni ratione tranſmittere conſtituiſſet, quo in tranſitu periculum et in exſcenſione damnum prohiberet, munimentum in citima Rhodani ripa tumultuariis operibus forma quadrata erigit, cui XL delectos imponit, cum ſcloppetis majoribus, qui in illa navigia armata per flumen decurrentia diſploſione infeſta ejacularentur, et tranſeuntes ſuos a regiorum impetu defenderent. Santangelus muniendorum locorum peritus cum ala Monbrunii et altera Sanromanii, quam [s] Luſſanus Septimanus ejus legatus ducebat, flumen tranſire juſſus, adductis ſecum foſſoribus cum marris et palis, ſtatim ubi trajecit, munimentum jam exſtructo oppoſitum in altera ripa excitat paulo infra Loriolum,

VAR. LECT. [α] traxit; ſed lentius incedenteis, ita ut, Bruneto et Roierio ductoribus cum delecta manu ſupervenientibus, recipi potuerint; quae mox tamen incumbente ab oppido majore manu rurſus Proteſtantibus ereptae ſunt, cum jam Burgo propinquarent. Dum abducuntur *D.* f.
[β] Sanjanus *D.* f.

INTERPR. [a] *Aubenas.* [b] *Poiet Dauphinois.* [c] *S. Montan Chateau à une lieue & demie de Viviers.* [d] *Bourg & Viviers.* [e] *Avignon.* [f] *la Motte-Pujols & le vicomte de Paulin.* [g] *le comte Ludovic de Naſſau.* [h] *de St. Andeol, gouverneur de Bourg.* [i] *le capitaine St. Jean.* [k] *Montelimard.* [l] *la Charité.* [m] *Château de Granes.* [n] *le Pouſin.* [o] *Loriol.* [p] *de Simiane de Gordes.* [q] *de Montbrun.* [r] *de St. Romain, Mirabel, & St. Ange.* [s] *Luſſan de Languedoc.*

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

lum, itidem forma quadrata; quod cum jam ad mediocrem altitudinem perduxiſſet, Gotdius, qui nunciis de Monbrunii tranſitu hactenus fidem non habuerat, et, dum cunctatur, trajiciendi et ſe in ulteriore ripa muniendi ſpatium hoſti dederat, tandem cum ſua equitum cataphractorum ala, quae L equitibus conſtabat, C levis armaturae equitibus et CC circiter ſcloppetariis ad Monbruniom accurrit. [a] Sanromanios [b] Puſinii remanſerat, eventum rei opperiens; qui ſignum regiorum adventus, uti convenerat, ex arce Monbrunio dedit; ſtatimque Monbrunius ſe ad certamen inſtruit, praemiſſo [c] Pedegroſſo ſtreouo ordinum ductore, qui ſalieeta et arboribus denſis conſita loca ad laevam inſideret, et obliqua diſploſione venienteis regios infeſtaret. Nec conſilium eventu caruit. Nam [d] Ruſſetus Gordii legatus, cum recta ad Monbrunium ante propugnaculum cum ſuis ſtantem tenderet, inſidiis illis exceptus et cum damno diſturbatus eſt; cumque Gordius veſtigiis ejus inbaerens certamen reſtituere tentaret, a diſſipatis ſuis et ipſe ſolutus eſt. Captus Ruſſetus, [e] Gifreus Buterios, magni illius Buterii Cariniana pugna clari filius, et LX ex ejus militibus deſiderati. Ipſe vix equi pernicis a puero nobili in tempore ſubminiſtrati, nam is cui inſidebat jam defecerat, ope ſervatus eſt; et [f] Creſtum ſe recepit. Mox Loriolum Monbrunio patuit, quod et ipſum et propugnaculum, a [g] Santangelo praecipuo ejus architecto denominatum, muniri feſtinatis operibus coeptum eſt. Monbrunius in eo certamine ſauciatus, viginti circiter ex ſuorum numero amiſſis, Puſinium renavigavit, ut ibi curaretur. Sanromanius in ulteriorem ripam per [h] Dienſem et Vapincenſem agrum ad delectus habendos trajecit. Gordius, ut errorem nimia cunctatione admiſſum emendaret, ſtatim XII ſigna cogit, et cum oumeroſiſſimo equitatu ad impediendas munimenti operas deſcendit. Quo cognito, Colinius, cum et ſuos deſerere inhoneſtum judicaret, et, ſi desererentur, omnem ſibi auxilii a peditatu ex illis regionibus ſpem praeciſam videret, Ludovicum Naſſovium cum XIIII equitum vexillis et delecto peditatu mittit, qui regios ab obſidione diſcedere cogeret. Is [i] Albenaeo, per praerupta montium magna hominum vi comportata colubrina, continuo advolat, cum jam regii foſſa ducta omni ex parte locum a CXX circiter ſcloppetariis defenſum cinxiſſent, occiſo ipſo Santangelo, admotis etiam duobus tormentis, quae ex tumulo in muoimentum infeſta pulſatione fulminabant, et duobus ex illis, quae dixi, navigiis aſſidue in obſeſſos ejaculantibus. Heic Naſſovius, cum jam res in arcto eſſent, conſilium ex neceſſitate capit; et CXX cataphractos ex omni numero deligit, qui per navigia ad vallum contenderent, et regios obſidioni haerenteis diſturbarent. Ii, colubrina illa et levibus aliquot tormentis ſecum adductis, cum navigia Gordiana aliquot jaculationibus quaſſata recedere coegiſſent, jam foſſae propiores, injecto regiis metu, ne ceteri eodem ordine ſobſequerentur, ad ipſos tendunt; qui, non expectato hoſte, locum, abducto omni apparatu bellico, deſerunt. Obſidione ſoluta, [k] Pipetus loco cum idoneo praeſidio et II colubrinis imponitur; qui ad tranſitum firmandum et res gerendas poſtea noo mediocris momenti fuit. Ad [l] Doozeram [m] Bolacus, [†] Broſſacus Sanravius ad militem reficiendum cooceſſerant; ubi, facto a [n] Petrae-latae, quae illinc haud longe abeſt, praeſidiariis impetu, noctu intercepti et caeſi ſunt, ſignis amiſſis; et Broſſacus ipſe captus et [o] Arauſionem abductus eſt, cum paulo ante Italos aliquot Petra-lata egreſſos ipſe cecidiſſet. Turris ex adverſa parte in Vivarienſi agro, a [p] Salevae praeſidiariis ſervata, aſtu Proteſtantium intercepta eſt, quatuor juvenculis foeminarum habitu illuc molendae farinae ſpecie introductis, qui ſtationem oppreſſam trucidaverunt. Jamque principes in [q] Seguſianos deſcenderaot, et fanum [r] Stephani a [s] Columbario praemiſſo interceptum

venerant

INTERPR. [a] *de St. Romain.* [b] *le Pouſin.* [c] *le capitaine Piedgros.* [d] *du Rouſſet, lieutenant de Gordes.* [e] *Gufrey, ſieur de Bouteres.* [f] *Creſt.* [g] *le capitaine St. Ange.* [h] *de Die & de Gap.* [i] *Aubenas.* [k] *le capitaine Pipet.* [l] *Donzere.* [m] *Bolac & Broſſay de St. Gravé.* [n] *Pierrelate.* [o] *Orange.* [p] *Salevas.* [q] *Forez.* [r] *St. Eſtienne.* [s] *Colombiers.*

NOT. [†] Lege *Broſſaeus Sangravius.* Vide Popelin. l. 22. p. 176.

venerant vii Kal. Jun. quorum adventu cognito, [a] Urſeus provinciae praefectus cum [b] Morroni et Valetae equitum alis et vi peditum ſignis ſtatim [c] Briſonis-montem, Seguſianorum hodie metropolim, intrat. Inde [d] Ramberti pontem [e] Ligeri nondum navigabili impoſitum miſſo [f] Sanjoannio Mongomerii fratre occupandum curat Colinius: ſtatimque longe graviſſimo morbo corripitur, quo mortis periculum adivit; ſed medicorum diligenti opera ter ſecta vena curatus ex eo tandem convaluit, interim valde anxio exercitu, cujus ſalus in illius unius vita et prudentia tunc vertebatur, amiſſo eo procul dubio periclitatura. Nam poſt illum, qui ſummae rerum praeeſſet, unus erat Ludovicus Naſſovius, et dignitate et militari virtute vir clarus; ſed longo rerum uſu et profunda prudentia ac moderatione et inveterata inter ſuos auctoritate Colinio longe inferior, quibus in Proteſtantium rebus adminiſtrandis praeter bellicas artes maxime opus erat. Tandem, ſanitate ei reddita, et res quoque eorum una convaluere. Ad foederatos, cum in Forenſi agro haererent, venerant a rege [g] Bironus et mox Henricus Memmius de pace acturi; qui re tandem infecta diſceſſere, ne quidem impetratis induciis, dum negotium pacis conficeretur: ſpes tamen facta de legatis in aulam primo quoque tempore mittendis. Nam Colinius ſic judicabat; nunquam ad pacem, qui circa regem erant, ſerio inclinaturos, quam diu bellum longe ab aula atque adeo a regni metropoli Lutetia Pariſiorum gereretur: itaque eo arma prius inferenda, ut, eorum incommoditatibus plebis furore domito, qui vulgi gratiam per bellum captabant, plebe conſentiente et bellum deteſtante, ipſi in pacem conſentirent. Interea Proteſtantes, quo ſe cum ↀ ccc circiter ſcloppetariis ex Gallis profugis circa Genevam undique collectis et cccc equitibus conjungerent, in [h] Heduos deſcenderunt, datis ad [i] Bricomotium, qui circa [k] Charitacum oppidum bellum gerebat, literis, ut quamprimum cum iis, quas penes ſe habebat, copiis ad principes veniret. Is cum ſua, [l] Claromontii, Joannis Calvimontii Quitrii, Meſſonerii, Tremblaci, Eſſartii alis, et vii equitum ſcloppetariorum ſignis in viam ſe dat; factoque per [m] Nivernenſem agrum itinere, et occupato [n] fano Leonardi, altero civili bello moenibus denudato, xx amplius dierum mora ad reficiendum militem inſumpta, per aſperos [o] Morvantii montes [p] Tiſium in Carolarenſi agro expugnat, et admotis ſcalis [q] Laiam in Bellijocenſi principatu deditione in fidem accipit. Inde ad [r] Caroli-locum, municipium coenobio nobile, tendit; et irrito conatu tentat. Principes, [s] fano Stephani relicto, per [ſ] Forum Seguſianorum, Symphoriani fanum, ac Rodamnam, viam ingreſſi, ad [t] Cluniacum caſtra poſuerunt; quod deditionem facere imperatum cum recuſaſſet, quippe [u] Matiſcone ſummiſſis auxiliaribus firmatum, per Leonardi fanum haud longe a [v] Cabilone ad Ararim, [w] Arnacum ducis veniunt, et inopinato adventu capiunt. Cognito Proteſtantium conſilio, qui circa regem erant, quo conatus eorum impedirent, quam maximum exercitum conſcribendum curant. Ei praeficitur cum ſummo imperio Arturus [x] Coſſaeus equitum tribunus, vir et prudentia et virtute inſignis; cui datum a regina negotium, ut foederatos, quantum poſſet, longe ante ſe pelleret; qui ſi vim facere vellent et in provincias regi viciniores penetrare conarentur, vires contrarias opponeret, et captata occaſione cum iis confligeret. Is cum [y] Aurelianum veniſſet, cujus praefecturam obtinebat, evocatis, quacunque incedebat, praeſidiariis, per [z] Bituriges in Nivernenſem agrum deſcendit; et xv Kal. Quintilis ad [aa] Dezizium, [bb] Ligeri tranſmi[illegible] ad [cc] Auguſtodunum in Heduis, et inde [dd] Solium, ac poſtremo ad S. Joannis mon[illegible]

INTERPR. [a] *D'Urfé, bailli de Forez.* [b] *de Morron & de la Valette gentilhommes de Fore[illegible]* [c] *[illegible] brisen.* [d] *Pont S. Rambert.* [e] *la Loire.* [f] *de St. Jean, frere du comte de Montgomery.* [g] *[illegible] de Meſmes.* [h] *Bourgogne.* [i] *de Briquemant.* [k] *la Charité.* [l] *de Clermont d'Amboise, de Chaumont [illegible] Guitry, la Meſſoniere, du Tremblay, des Eſſarts.* [m] *le Nivernois.* [n] *St. Leonard.* [o] *Morvant [illegible]* [p] *[illegible] en Charolois.* [q] *Laie en Beaujolois.* [r] *Charlieu.* [s] *St. Eſtienne.* [ſ] *Feurs, S. Saphorin [illegible]* [t] *Clugny.* [u] *Maſcon.* [v] *Chalons ſur Saone.* [w] *René le Duc,* vulgo *Arnay le Duc.* [x] *le [illegible]* [y] *Orleans.* [z] *Berry.* [aa] *Dezize.* [bb] *la Loire.* [cc] *Autun en Bourgogne.* [dd] *Sols & [illegible]*

CIƆIƆLXX.

CAROLUS IX.

caſtra metatus eſt: demum VII Kal. Jul. in hoſtium conſpectum venit, occupato colle porrecto et ſylvis caeduis fere conſito, qui molli jugo crebris ſepibus interſecto deſcendens media convalle oppoſitum collem, in quo Proteſtantes conſederant, reſpiciebat. Habebat in exercitu Coſſacus IIII CIƆ Helvetiorum, VI CIƆ Gallorum peditum, III CIƆ equitum Gallorum, Germanorum et Italorum, et XII machinas bellicas. Sic autem acies inſtruxerat; ut primum cornu propius ad S. Joannis montem et [a] Clomenſem arcem accederet, quod ad laevam cingebat longa cataphractorum equitum ſeries, et ulterius ſylvam verſus ſcloppetariorum legio ſylvis defenſa: ad dextram pone apparebat equitatus. Acies magis ad dextram tendebat Arnaeum verſus, qua parte collis aſſurgebat arduo magis clivo et perinde difficiliore deſcenſu, in qua Helvetii erant, admiſtis peditibus Germanis, qui reliqui ex Monconturiana clade ſe armis traditis dediderant. Machinae duobus locis diſpoſitae erant, unde maxime Proteſtantes infeſtabantur. In Proteſtantium caſtris bis mille quingenti ſcloppetarii nec amplius erant ex omni illo numero, qui, partim morbis et aliis caſibus imminutus, partim milite, cui longius a domo militare moleſtum erat, a ſignis recedente, ad hanc paucitatem redactus erat: paucique auxiliares ex [b] Allobrogicis ſupplementis venerant. Iis praeerat [c] Sanjoannius Mongomerii frater, [d] Bricomotius junior, Roboreus, et Meſſonerius, qui neceſſitate urgente iis equorum exiguum uſum conceſſerant, quo et tam longi itineris per impedita et infeſta loca fatigationem melius ferrent, et, cum opus eſſet, integris viribus pugnam alacrius capeſſerent; peſſimo tamen in poſterum exemplo, quippe quibus, temporis tractu ſoluta omni diſciplina, non ad neceſſitatem, ſed ad praedas ac vagas a ſignis diſcurſationes deinceps licentioſe abuſi ſunt. Equitatus II CIƆ conſtabat; quorum CIƆ ex Gallica nobilitate egregie armis inſtructi, totidem Germani, quem ad numerum XVIII vexilla reducta erant, ſed fere inermes, ut qui, amiſſis impedimentis, arma aut perdiderant, aut in itinere laboris ac ponderis pertaeſi abjecerant. Tormenta in Allobrogibus reliquerant; quorum pecuria a ruſticis multa indigna pati et incommoditatibus magnis conflictari tam longo itinere coacti ſunt, jam octo menſium ſpatio CCCC amplius leucas emenſi. Cum his copiis principes Arnaeo egreſſi caſtra in colle regiis oppoſito locant, cujus latior area, ſed minus porrecta erat, crebris convallibus diſtincta, quibus tecti minus a tormentorum ictibus infeſtabantur. Media inter utroſque vallis jacebat, quae duobus ſtagnis vicinis fluentibus ac ſeſe conjungentibus dividebatur. Aggerem ſtagno propiori impoſitum et in aciem regiorum objectum ſervabat Sanjoannius. Roboreus ad molatrinam, quae ad oppidum ſpectabat, cum CCCC ſcloppetariis conſederat. Equitatus Gallicus in VI turmas diſtributus erat. Nam experimento jam tunc conſtabat, confertis quam porrectis agminibus tutius pugnam conſeri. [e] Naſſovius primum agmen, cui praeerat Navarrus, ſecundum [f] Reoclii marchio ſub Condaco ducebat; ipſique principes aderant, ut praeſentia ſua pugnantibus animos facerent: tertium Colinio attributum erat: [g] Mongomerius, [h] Joannes Hangeſtus Jenlius et Franciſcus Bricomotius reliquis tribus praeerant. Wolradus Mansfeldius in totidem agmina ſuos diſtribuerat. Inter utrumque collem depreſſum jugum deſcendebat, praealtis arboribus in ſummo faſtigio conſitum et in imo caedua ſylva diſtinctum, quod a neutris occupatum in medio tanquam victoris praemium jacebat. Primus a regiis factus impetus; qui rivulum medium tranſmittere aggreſſi poſt VII horarum obſtinatam pugnam, recentibus crebro in feſſorum locum ſummiſſis, tandem cum damno ſe recipere coacti ſunt. Tum miſſi, qui Sanjoannium de ſtagni oppoſiti aggere depellerent; juſſuſque [i] Valeta cum levi armatura ſubſequi. Heic rurſus regii, rivo ſuperato et primo aditu perrupto, cum

INTERPR. [a] *Chateau de Clomo.* [b] *de Dauphiné.* [c] *le ſieur de S. Jean.* [d] *de Briquemaut le jeune, Rouvray, & Moſſoniere* [e] *le comte Ludovic de Naſſau.* [f] *Renel.* [g] *le comte de Montgomery.* [h] *Jean de Hangeſt, ſieur de Genlis.* [i] *la Valette.*

cum a Sanjoanninis in latus ferientibus excepti multum damni accepiſſent, ac jam pedem referrent, ſuperveniente Valeta, fugam ſiſtunt. Mox [a] Pilius a Colinio praemiſſus, ſubſequente Mongomerio, pugnam acriter reſtituit. Eodem tempore contra [b] Roboreum, qui aditum ad oppidum ſervabat, impetus factus: veritusque Colinius, ne, ſi illac regii perrumperent, oppido vacuo potiti a tergo ſuos adorirentur, et quaſi indagine clauſos in extremum diſcrimen adducerent, Renelium continuo cum delecto agmine Roboreo laboranti ſummittit; qui impetum regiorum ſtrenue conſerta pugna ſuſtinuit. Mongomerius et eum ſubſecutus Bricomotius in vallem deſcendunt cum regiis, qui jam majorem partem deſcenderant; ac totis viribus certant, Strozzio et Claudio [c] Caſtreo egregiam operam in eo navantibus: tandemque repulſi illi et rivum remeare coacti ad ſuos ſe recepere, paene inclinata acie, quam inde Helvetii, inde Germani equites immoti tegebant. In eo conflictu [d] Bellogardius deſideratus, alae equirum dux: plures capti. Ex Proteſtantibus periere [e] Campenſis [f] Columbarii ſignifer: [g] Claromontius graviter vulneratus; [h] Jameſius ac Brunetus ordinum ductores ſauciati: captus [i] Moninus peditatus Gallici legatus, dum tranſmiſſo rivo recedenteis regios ardentius inſequitur, ab Italis pugnam repetentibus circumventus. Jamque Proteſtantes, qui in colle remanſerant, cum Germanis in planitiem ſubjectam deſcenderant, rivum et ipſi tranſmittere parati, quos Colinius non tam animis ſuorum quam numero diffidens inhibuit. In eos Coſſacus, crebra diſploſione ejaculari juſſo peditatu, conſertos veluti deſignatis ictibus petebat. Graviter heic adflicti foederati: cui incommodo ut citra proelii univerſi aleam, ad quod rem deducere Coſſacus conabatur, remedium afferret Colinius, ſuos paulatim recedere jubet, oppoſita ex Sanjoannii legione delecta manu, quae levi pugna regios interea diſtineret. Ita dies extracta: poſtridieque, cum ſe utraque acies rurſus in armis eodem loco et ordine oſtendiſſet, poſt aliquot tormentorum diſploſionem, neque alio praeterea operae pretio facto, utrinque diſceſſum eſt, cum, ſuperioris diei certamine edocti, alter alterum laceſſere et pugnandi ardore victoriam tradere vereretur. Inde quartis caſtris principes, ſumma celeritate facto per [k] Auguſtodunum, Molinium Engilberti, Dampetram, ac Caſtrum-novum itinere, inter [l] Charitaeum oppidum, Sancerram, Antranium, et Vezelias, foederata oppida, conſederunt, fruſtra inſecuto eos Valeta, quippe qui, nullis impedimentis tardantibus, expediti incederent. Ubi Charitaeum venerunt, ex Colinii jam belli pertaeſi conſilio delegati ad regem [m] Telinius, Bellovaſius, Arnoldus Cavagnius ſenator Toloſanus, et is, quem dixi, [n] Caſſeterius Navarro ab epiſtolis; qui cum plenis mandatis Non. Quintil. in aulam profecti ſunt. Inſtructae interea III colubrinae, V mortaria, et aliquot campeſtria tormenta; quorum tamen nullus uſus fuit, pactis mox induciis, quae pridie Eid. Quintil. inciperent, et in IX Kalend. Sextil. exirent; quo tempore ab armis utrinque et ab omni maleficio abſtineretur: datique a rege [o] Sanremigius, a principibus [p] Sanſimo obſides: ſed nequaquam in longinquis locis ab armis ceſſatum. Nam interim [q] Loriolum, quod poſt cladem eo loco nuper acceptam [r] Monbrunio patuerat, et tunc a [s] Mirabello cum CC praeſidiariis tenebatur, a [ſ] Gordio ultionem quaerente cinctum et ſtatim tormentis admotis pulſatum eſt; dejectiſque muris et ruina ingenti edita, cum fruſtra regii vi locum expugnare tentaſſent, ruina ab oppidanis ſarta, impetum ſuſtinuit Gordius, ea ſpe, ut obſeſſi rerum quibus egebant penuria ad deditionem poſtremo compellerentur. Sed interim a Monbrunio, qui [t] Granenſem arcem duabus abhinc leucis tenebat, per certaminis cum

Gordianis

INTERPR. [a] *de Piles.* [b] *Rouvray.* [c] *de la Chaſtre.* [d] *de Bellegarde.* [e] *le capitaine Des Champs.* [f] *Colombiers.* [g] *de Clermont l'aiſné.* [h] *les capitaines Jamez & Brunet.* [i] *de Moneins.* [k] *Autun, Moulin Engilbert, Dampierre, & Chateauneuf.* [l] *la Charité, Sancerre, Antrain, & Vezelay.* [m] *de Teligny, de Beauvoir la Nocle, & Arnaud de Cavagnes conſeiller de Toulouſe.* [n] *la Chaſſetiere.* [o] *le baron de St. Remi.* [p] *St. Simon.* [q] *Loriol.* [r] *le ſieur de Montbrun.* [s] *Mirabel* [ſ] *de Gordes.* [t] *Granes.*

Gordianis commiſſi occaſionem introductis in oppidum L ruſticis, pulvere, funibus et farina onuſtis, fracti regiis animi; Proteſtantibus contra jam penuria omnium rerum laborantibus crevere, qui ad pacificationem uſque locum tenuere. Nec feliciori ſucceſſu [a] Corpum in Vapinceníi agro eodem tempore a regiis tentatum eſt.

XV. MAJOR belli moles [b] Santonibus et Pictonibus incubuerat. [c] Pitallerius junior [d] Rupiſortium in Santonibus, quod a [e] Menilio cum LX praeſidiariis [f] Subiſii nomine tenebatur, obſidione terreſtri cinxerat; quam [g] Polinius in [h] Carantoni aeſtuario cum triremibus ſuis in anchoris ſtans adjuvabat. Eo [i] Rupella mox profectus Fr. [k] Lanovius cum Subiſio, XL delectis equitibus et [l] Gardae, Normani ac Mondini cohortibus ad canalem interjectum nec opinato advolat; quo partim trabibus tranſverſis injectis tranſmiſſo, partim recedente mari ab equite et pedite umbilico tenus aquis extante ſuperato, tantus pavor iis, qui ad obſidionem haerebant, injectus eſt, ut, Pitallerio nequicquam ſuos retinere conante, omnes, vallo relicto, amiſſis impedimentis, ſumma trepidatione diſceſſerint; quorum pars viarum ignara in ſalinarios canaleis et vortices illis locis crebros praecipitans periit, alii ad vicinum litus vix tandem incolumes confugerunt, ubi propius appulſis Polinii triremibus excepti ſunt. Molatrina canali impoſita et quae a [m] Goionerio tenebatur poſt aliquod certamen capta, noctu dilapſis praeſidiariis. Eam cladem Pitallerius, pudore an indignatione magis confuſus incertum, ut aliquo operae pretio penſaret, confeſtim ſe ad [n] Pigallarium ad [o] Joannis fanum colligit, de cingenda undique Rupella cogitantem. Quo cognito, Lanovius exultanteis jam apertis campis ſuos propius ducit, praemiſſis qui de regiorum ſtatu cognoſcerent: ſed imprudentius invecti, cum regios majore quam putarant numero offendiſſent, ſubito pavore conſternati ad ſuos redeunt; et eundem pavorem ſociis injiciunt, qui nullo Lanovii ſingulos prenſantis et appellantis reſpectu, vix viſo hoſte, palantes dilabuntur, et trepida fuga quaſi panico terrore perculſi Rupellam ſe conferunt. Quo caſu quodammodo revicta ad Rupifortium regiorum fuga, et ipſe [α] Riverius ſibi abunde ſatisfactum Lanovio ſignificavit, et inde in Santones ſe recepit. Cum vero Pigallarius cuperet Proteſtanteis per praeſidia vicina diſtributos, et non niſi ad incurſiones inde egredienteis, ad certamen elicere, et aditibus, qui Rupellam ducunt, undique obſeratis neceſſitatem ipſis pugnandi, ut ſe liberarent, injici exiſtimaret, poſtremo munimenta juxta [p] Lucionium ad [q] Triaſium, [r] Charrium et Morrellum excitat, qua aggeres, quibus ſolis ab ea parte per paludoſa illa loca e Pictonibus [s] Maranum et Rupellam tendentibus iter eſt, ſeſe contingunt, commodo viatorum olim facti, et ut inundationem aquarum a paludibus illis defenderent, quae per foſſas aggeribus utrinque ſubjectas derivantur. Igitur inciſi illi aggeres, et e ceſpitibus forma quadrata munitio IIII ſignorum, quae, duce [f] Maſcarone, loco impoſita ſunt, capax erigitur; ac brevi ad juſtam altitudinem perducta aditum ab ea parte foederatis intercludebat: neque dubitabat Pigallarius, quin Rupellani omni ope eniterentur, ut hoc rebus ſuis adeo grave impedimentum removerent; quoque eos magis incitaret, omneis copias [t] Niortium, Maxentii fanum et Breſſuriam verſus ablegat, fama artificioſe ſparſa, quaſi ad [u] Arnaeum totis viribus debellatum eſſet, et victoria penes principes ſtetiſſet, ex eaque occaſione Pigallarii vires a rege revocatae eſſent. Quo intellecto, Lanovius minime omnium credulus, Etſi nuncii, inquit, vel laeti ab hoſte venientes merito de dolo et inſidiis ſuſpecti eſſe debent, tamen ut veri ſint opto, et omen accipio in futurum, ſi quidem vana ſunt quae de praeterito narrantur. Itaque ſucceſſibus inſiſtendum cenſeo;

neque

VAR. LECT. [α] Riparius *ubique D. f. o.*

INTERPR. [a] *Corp en Gapençois.* [b] *Saintonge & Poictou.* [c] *la Riviere Puy-taillé.* [d] *Chateau de Rochefort.* [e] *le capitaine Meſnil.* [f] *le ſieur de Soubize.* [g] *le baron de la Garde.* [h] *la Charente.* [i] *la Rochelle.* [k] *de la Neuë.* [l] *les capitaines la Garde, Normand, & Mondin.* [m] *Goioniere.* [n] *Puy-gaillard.* [o] *S. Jean d'Angely.* [p] *Luçon.* [q] *Triaiſe.* [r] *la Charrie & Moureilles.* [s] *Marans.* [f] *le capitaine Maſcaron.* [t] *Niort, S. Maixent, & Breſſaire.* [u] *René-le-Duc.*

neque committendum, ut occaſioni defuiſſe videamur. Quibus dictis, Lanovius copias educit. Et [a] Pluvialius, cognito Girardum [b] Ruſſerium ad paratum venationis ſpectaculum in [c] Voveliana ſylva [d] Pigallarium, Genulliacum epiſcopum [α] Turcleuſem, Freſellerium, alios invitaſſe, Matano profectus cum II equitum alis, ut et ipſe oblectamento participaret, eo advolat, praemiſſo [e] Davieto cum delecta manu. Pigallarius quoque inſidias veritus Maſcaronem cum XXX expeditis equitibus miſerat; qui in Proteſtanteis praecipitarunt, et partim caeſi, partim fugati, Maſcarone ope ſegetum jam adultarum, quibus tectus eſt, vix elapſo. Sed in eo conflictu Davietus, dum ardentius fugienteis inſequitur, interfectus eſt; cujus mors cladem a regiis acceptam penſavit. Pluvialius progreſſus, ubi ad locum Pigallario a Ruſſerio ad prandium condictum venit, vacuum nactus, dapes aliis paratas conſumpſit; et mox Ruſſerium forte obvium juxta [f] Cudebraeum ipſius arcem capit; et [g] Gemmiac fanum ducit: intellectoque ex captivis, exiguum commeatum Lucionenſis munitionis praeſidiariis ſuppetere, et, ſi arctius ſtringantur, intra paucos dies, antequam Pigallarius, evocatis copiis, praeſto eſſe poſſet, locum aut vi aut deditione captum iri, Lanovio auctor fuit, ut illo duceret: quod libenter ille fecit, adductis ſecum III machinis, CCC Germanis, duce Hectore [h] Reileno, XI peditum ſignis, et IIII equitum alis. Qua de re per Maſcaronem factus certior Pigallarius, qui nihil magis expeteret, quam ut daretur occaſio, qua totis viribus cum Proteſtantibus decerneret, copias ſtatim colligit. Eae erant IX alae equitum cataphractorum et levis armaturae; ſua nimirum, Joannis [i] Surchii Malicornii, [k] Bovillac Namnetum praefecti, quam [l] Gaſtemorus ipſius ſignifer ducebat; et II aliae Italorum, ducibus Julio [m] Centurione et Carolo [n] Birago; III peditum legiones, XVIII ſignis conſtantes, fere ex veteranis militibus. Cum iis ſumma celeritate duabus diebus ac totidem noctibus continuis nuſquam intermiſſo itinere et exiguo cibo in via ſumpto, relictis [o] Fontenaii impedimentis, quo expeditius incederet, XVIII Kal. Quintil. ad Gemmiac fanum caſtrametatur; et aditum, qua per [p] Morellium coenobium [q] Rupellam itur, inſedit, ſpe Proteſtantibus illac regrediendi praeciſa. Ipſe vero, Fontenaii ſparſa fama, quaſi ex febre ardenti decumberet, et, accerſitis medicis, ut rumori fidem aſtrueret, a multis in lecto conſpectus nocte praecedenti, cum XII equitibus profectus ſuorum adventum praevertit, miſſo interim tubicine redimendi Ruſſerii ſpecie, qui et famam de ſimulato morbo confirmaret, et de hoſtium ſtatu certius cognoſceret. Verum aſtutia in perniciem vertit. Nam tubicen cum curioſe, ut fit, a Pluvialio interrogaretur, in mendacio deprehenſus, mortis metu intentato, Pigallarii conſilia aperuit; et eum in propinquo cum totis viribus, ſed ex continuato itinere fractis, adeſſe confeſſus eſt. Quo cognito, Pluvialius ſtatim vaſa conclamari jubet; et ſe retro ad Lanovium recipit, cumque de regiorum conſiliis certiorem fecit. Jamque regiae copiae advolaverant, perturbatis ut in nocte ordinibus, nec ſilentio, ut oportuit, incedentes. Nam, qui ultimum agmen claudebant, jam in fronte, qui aciem ducebant, in ultimo agmine, collocati reperiebantur; et plerique per avia paludum abrepti, falſis ipſis viarum ducibus, ſocios inconditis clamoribus ac ſibilis appellantes, manifeſtum adventus ſui indicium hoſti fecerant. Illi vero Gemmiac fanum, unde Pluvialius ab exploratoribus monitus et ſtrepitu advenientium magis confirmatus paulo ante digreſſus fuerat, protinus ingreſſi, quaſi oppreſſo hoſte ferocientes, ad praedas vertuntur; vixque illos Pigallarius ad ſigna revocare potuit, dum alii itinere feſſi ſe ad quietem componunt, alii, quaſi re confecta, ſecuti licentioſe huc illuc diſcurrunt, et minus

CIↃIↃLXX.

CAROLUS IX.

ſe

VAR. LECT. [α] Tullenſem D. f. o. d.

INTERPR. [a] *de Puviaut.* [b] *Rouſſiere.* [c] *foreſt de Vouvant.* [d] *de Puy-gaillard, de Genouillac evêque de Tulle, & le ſieur de la Freſeliere.* [e] *Daviere.* [f] *Cudebray.* [g] *Ste Gemme.* [h] *Reilen.* [i] *de Chourſes, ſieur de Malicorne.* [k] *de Bouillé, gouverneur de Nantes.* [l] *Gaſtemor.* [m] *Centurione* [n] *de Birague.* [o] *Fontenay.* [p] *Moureilles.* [q] *la Rochelle.*

CIƆIƆLXX. CAROLUS IX.

ſe ſummi ducis imperio audienteis praebent. Interea, [a] Pluvialio in caſtra cum ſuis profecto, [b] Lanovius, advocatis belli ducibus, in commune conſultat: et rem eo deductam oſtendit, ut quam primum recipere ſe aut pugnare neceſſe habeant; nihil medium relinqui: pugnae aleam periculoſam eſſe, incerto rerum in Burgundia inter [c] Coſſaeum et principes geſtarum eventu: nam, ſi quidem Proteſtantes [1] vincantur, victoriam, quae non niſi multorum ſanguine conſtare poſſit, etiam fore luctuoſam: alterum igitur ſupereſſe, ut ſe quam primum recipiant; quod cum nec periculo ſuo careat, nunc videndum eſſe quod in commune magis e re praeſenti ſit. Eo erat ingenio Lanovius, ut, cum natura ſua ad omnem certandi occaſionem praecipiti inclinatione ferretur, tamen ſeu modeſtia ſeu innata prudentia in conſiliis capeſſendis haerere et ambigere videretur, et, dum alieno potius quam proprio periculo terrêtur, plenam deliberandi libertatem relinqueret. Vicit tandem ea, quae potius certandum cenſebat, ſententia; quam et duces alacritate ſumma adjuvabant, et Pluvialius auctoritate ſua confirmabat, cum diceret, ſi quidem ſtrenue pugnam capeſſerent, de regiis procul dubio victoriam reportatum iri, quippe labore fractis, pulvere foedatis, et ob continuas vigilias ſomno ſepultis: de cetero, Deum omnipotentem, cujus auſpiciis vires contractae ſunt, in omnem eventum ſuis proſpecturum; neque ſuis, modo ne ſe ipſi deſerant, in tempore defuturum. In cujus ſententiam, quam et fere univerſi probabant, diſſimulata initio voluntate, Lanovius libentiſſime deſcendit; tantoque conſenſu exhilaratus cuncta ad pugnam parat, dato negotio ducibus, ſuos monerent, ut cominus pugnarent, inſtarent, et ictus repeterent, quamdiu hoſtem confertum viderent, ne ex fuga collecti rurſus in ſolutos invecti certamen reſtituerent; quod et illi impigre exſecuti ſunt: nec ſegnius paſtores militem ad fortiter pugnandum hortabantur. Ita inſtructi locum pugnae capiunt. [d] Fano Gemmae [e] Lucionium tendentibus iter eſt, foſſis praealtis et denſis ſepibus ab omni parte munitum, ad vineta a viatorum injuria defendenda excavatis. Nam vineta, illic undique fere continua, interdum aliquibus intervallis, quae in patenteis campos excurrunt, diſtinguuntur. Heic ſuos extra viam Lanovius collocat, eo ordine, ut [f] Sanſtephanus cum XXX cataphractis equitibus ac delecta ſcloppetariorum manu praecederet; poſt eum [g] Rupius cum XV, et poſtremo Pluvialius cum XL equitibus ſubſequeretur. In quadrivio juxta molarrinam, quae Lucionio exeuntibus occurrit, collocatus peditatus; cujus latus regebat [h] Subiſius. Ipſe Lanovius cum equitatus robore ſe medium inter munitionem obſeſſam, ad quam III peditum ſigna reliquerat, juxta audaci ac periculoſo, ſed quod neceſſitas excuſabat, conſilio injecit, ut et illis, ſi eruptione facta laborarent, et Pluvialio ad omneis caſus praeſto eſſet. Praemiſſi item volones, ducibus [i] Garda et Normano, qui, eodem quo Sanſtephanus et Pluvialius tempore vim facerent, et ipſi rem gererent. Pigallarius cum vix tandem ſuos fano Gemmae eduxiſſet, ſparſa fama, ut eos magis incitaret, hoſteis jam fugere, et [k] Maranum tranſmiſſo [l] Beraldino canali contendere, ſic in aciem inſtruit. Pone ſepeis illas, quas memoravi, volonibus aliquot diſpoſitis, in planitie [m] Eraldinae valli ſubjecta legionem praemittit; cumque peditatum ad laevam collocatum equitatu tegere vellet, Sanſtephanus, a Lanovio monitus, ut in equites, dum ſinguli foſſas ſuperant, antequam conglobati eſſent, impetum faceret, ipſe dicto citius gradum accelerat, et [n] Hervillerium Malicornii legatum cum XXV equitibus occurrentem excipit, tanta impreſſione facta, ut eos palanteis in globum ſuorum impulerit, qui paene ſoluti jam nutabant: cumque a Pigallario confirmati et jam ad vim ſuſtinendam ſe pararent, incumbente ad laevam Pluvialio, qui Sanſtephanum ſubſequebatur, omnes diſturbati ſunt, et in peditatum ſuum revoluti eum omnino ſolverunt,

ac

INTERPR. [a] *de Puviaut.* [b] *de la Nouë.* [c] *le mareſchal de Coſſé.* [d] *Ste Gemme.* [e] *Luçon.* [f] *St. Eſtienne.* [g] *la Roche* [h] *de Saubize.* [i] *les capitaines la Garde & Normand.* [k] *Marans.* [l] *le paſſage de Berauld.* [m] *la vallée Eraut.* [n] *d'Hervilliers.*

NOT. [1] *potius* vincant

ac pleriſque locis protriverunt, nequicquam Pigallatio reclamante et Dei et hominum fidem obteſtante; qui tandem et ipſe, fugientibus aliis, quaſi torrente abreptus eſt, et [a] Fontenaium cum ſuis IIII abhinc leucis continuo ſe recepit. At volonum utrinque longe obſtinatius certamen fuit; ubi, poſt primam diſploſionem, viro vir congreſſus, et conſerto pedi pede quaſi ad mutuam perniciem diu pugnarunt, nutante et alternante ſaepius victoria, donec regii, qui ſuos pone ab equitatu proprio protritos ab hoſtibus caedi viderent, vociferationibus et horrendis clamoribus eorum attoniti, et ipſi jam viribus exhauſti paulatim animo deſecere. Nam interea incumbente Proteſtantium in eos peditatu immani laniena trucidati ſunt; praecipue a Germanis, quibus Monconturiaſae cladis recens memoria ob oculos obverſabatur; et, niſi [b] Lanovius, qui maxime omnium a cruore abhorrebat, ſaevientcis coercuiſſet, ad unum omnes crudeliter interfecti eſſent. Ex regiis deſiderati IↃ, majorem partem ductores; hoc eſt legati, centuriones, ſigniferi: nam primarii duces impetium [c] Pigallarii pertaeſi aberant: plures multo capti: XVI ſigna peditum, II equitum vexilla amiſſa. [α] Inter occiſos merito ſuo recenſetur veteranus ordinum ductor Ludovicus [d] Margarinus Graſſenſis, in Provincia natus, obſcuris natalibus; quem, quod in [e] Subalpina regione et bello Etruſco et Corſica meruiſſet, et Petrum Strozzium tota fere vita ſecutus eſſet, Italum falſo faciunt qui haec ſcripſere. Mortuo Strozzio patre, ſub Philippo filio, ſummo Gallici peditatus tribuno, primarii centurionis in legione praetoria dignitatem adeptus fuerat; quo munere, dum eo fungitur, nullas non voce vel manu ſtrenui ducis partes implevit; tandemque fortiter pugnans in primis ordinibus cecidit. Hic exitus Sangemmenſis pugnae fuit, auſpiciis et ductu Lanovii, de qua eo mihi diligentius perſcribendum exiſtimavi, quod ipſe, qui de his bellis civilibus ſummo judicio ac fide ſcripſit, alienae virtutis largus praedicator, parcus ſuae, qua erat animi magnitudine ſimul et moderatione, de ea omnino ſiluit. Mox ad munitionis [f] Lucionenſis obſidionem reditum; ubi pro vallo ſtatutis ſignis captis, deditio a Maſcarone facta eſt, vitam ſalvam ſuis pacto. Capta et in ea IIII ſigna; quae cum aliis Rupellam perlata ſunt. Quaerenti Maſcaroni de impedimentis quibuſdam a milite contra quam promiſſum fuerat ereptis, Lanovius, non ſolum ſuae ſed etiam alienae fidei religioſus obſervator, damnum exiguum CCCC aureorum ex redemptione cujuſdam captivi contracto pretio luit. Capti milites cum exarmarentur, quidam ex iis reperti ſunt, qui, mortem ignominioſae ſpoliationi poſthabentes cum recuſarent, ultro ſe interficiendos praebuerunt; et in iis ſignifer, qui ſigno ſe involvit, et, cum vitam potius quam illud eripi paſſurum conteſtaretur, in eo quoque mortuus eſt. Inde, Pluvialio hortante, ad Fontenaium promota caſtra, quod, digreſſis jam regiis, a [g] Bonpaſſo Armoricano cum IIII ſignis tenebatur. Suburbium ad portam S. Michaelis primo impetu occupatur. Oppidum muris debile nec turribus ſatis munitum [h] [β] Vandela amne alluitur, qui magnas commoditates ſuppeditat, navigiorum capax, et juxta [i] Maranum [k] Surae miſcetur. Trans Vandelam ſuburbium urbi ſubjectum jacet, aedibus frequens ob celebreis illas nundinas, quae ſemel atque iterum ſingulis annis in eo habentur. Ad eam partem admota machina, ubi cum pulſatione facta nihil proficeretur, Lanovius ad S. Michaelis portam redit; et, dum locum ſolus attentius contemplatur, ictu in brachio laevo accepto, quod illi os fregit, tam graviter vulneratus eſt, ut mox Rupellam tranſlatus, qui lethali malo praeverteret, gangraena jam ſerpente, brachium ſibi praecidi paſſus ſit. [l] Subiſius in ejus locum [γ] ſuffectus, jam relangueſcente ob eum caſum victore exercitu: paulumque abfuit, fama de auxilio a Pigallario brevi ſummittendo

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Margarino Graſſenſi uſque ad* Hic exitus *deſunt* D. f. o. d. [β] Vaudea *D.* f. o. [γ] ſuffectus haud perinde victoriae famam tueri aut ſucceſſum urgere potuit: paulumque abfuit *D.* f.

INTERPR. [a] *Fontenay.* [b] *de la Noüe.* [c] *Puy-gaillard.* [d] *Margarin de Graſſe en Provence.* [e] *Piedmont.* [f] *fort de Luçon.* [g] *Bonpat Breton.* [h] *la Vandée.* [i] *Marans.* [k] *la Seure.* [l] *de Soubize.*

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

ſummittendo ſparſa, quin ab obſidione diſcederetur. Sed dum tormenta loco moventur, ut, ſi caſus ferret, ad diſcedendum expeditiores eſſent Proteſtantes, praeſidiarii, rati id fieri, ut ad portam S. Michaelis pulſatio fieret, de exitu veriti ultro deditionem fecere, vitam, arma et res ſalvas pacti, multum reclamante Nicolao [a] Rapino urbis praefecto; qui, Proteſtantibus, quod C. [b] Roaldum Landereum ab eorum partibus alienaſſet, ſumme inviſus, ad haec inſita virtute et ſagacitate de exitu, ſi diutius obſidionem ſuſtinuiſſent, Pigallarii auxiliis tam propinquis, minime deſperans, deditionem diſſuadebat. Tandem IIII Kalend. Quintil. dimiſſi illi et juxta pacta incolumes Niortium deducti ſunt. [c] Bellavilla Anguillarius oppido cum praeſidio impoſitus eſt.

XVI. INTERIM in [d] Santonibus et Engoliſmenſi principatu cum diu ante agitatum eſſet de exercitu educendo, et ob ducum aemulationes res hactenus exitum non habuiſſet, ad famam Sangemmenſis ſucceſſus Navarra rurſus torpenteis excitat, et, praefecto illis Renato [e] Roano Pontivio arcta ſecum cognatione conjuncto, ſocios ad profectionem urget. Is, aſſumptis [f] Sanmemmii Engoliſmae praefecti, Cognaci, Calvimontii Petrocorii, Torii Cognaci praefecti, et Santalbani cataphractorum alis, et III legionibus [g] Blaconi, Glandaiae, et Bretovillae, in viam ſe dat; cui ſe junxere [h] Pictonicae et Alnetenſis agri copiae, duce [i] Rupifulcaudio comite; et ad [k] Abbatiſpontem loco et die condictis convenere. Primus impetus in Santonicas inſulas factus; et [l] Marennarum aditus occupatus. [m] Jera mox capta; et municipio [n] Poietus cum VI ſignis et Subiſii ala impoſitus. Inde ad [o] Broagium verſus impetus, [p] Pontii Mirambelli oppidum, et cui ex ejus nomine Jacopoli nomen; quod ex conſilio [q] Bellarmati Beſani muniendorum locorum periti, Caſtritii Urbinatis, et equitis Hotologii, [r] Riverius foſſa ducta cinxerat, et ad quatuor angulos ex malis in terram defixis et glarea injecta ac ceſpitibus conſtrata quatuor propugnacula etexerat. Ad oppidum canalis pertinet, in quem tanquam in tutiſſimum portum naves onerariae quovis vento flante et tempore ſubducuntur. Canalem a tergo circumductis copiis Proteſtantes inſederunt; et claſſe, quae nave majore, duabus minoribus, bireme, et XXXV lembis egregie inſtructis conſtabat, et CCCC armatos portabat, in [s] Olcronenſem, Vliarum olim dictam, inſulam, Broagio objacentem, [ſ] Minqueterio duce, miſſa, [t] Petri et Dionyſii fana, dedente [u] Moncaverello, in poteſtatem redegere, ab inſulanis adjuti, qui Proteſtantium doctrinae addicti et regiorum incurſiones pertaeſi animoſe pugnabant. Arcem tenebat [v] Sarnietus, a Riverio cum duobus ſignis impoſitus; qui cum X ſcloppetariis egreſſus in hoſteis praecipitavit, et vulnere lethali ſauciatus eſt. Huic [w] Daniel [1] Riverius ſignifer in munere ſucceſſit, introductis XL Italis auxiliaribus; quibus et ſtatim ſummiſſae duae triremes milite et commeatu onuſtae, ſed irrito ſucceſſu. Igitur praeſidiarii, cum fruſtra ſigno ſaepius dato majora a Jacopoli auxilia exſpectaſſent, tandem deditionem fecere, vitam et res ſalvas pacti; et per [x] Alvertenſem inſulam in tutum [y] Burdigalam deportati ſunt. Secundum haec inter claſſem Proteſtantium victricem et [z] Polinii triremeis aliquoties certatum; ſed iniquiore regiorum conditione, quod mare illud navigia plana, cujuſmodi ſunt triremes, non ferat. Tandem Proteſtantes in canalis faucibus anchoras jecere ex adverſo Broagii, cui per Riverii abſentiam [aa] Dorienus praeerat. Is jam ante Riverium, qui tum ad [bb] fanum Joannis erat, de periculo, in quo inſula et oppidum

INTERPR. [a] *Rapin, maire de la ville.* [b] *de Roubaut, ſieur du Landereau.* [c] *l'Anguilier de la maiſon de Belleville.* [d] *Saintonge & Angoumois.* [e] *de Rohan, ſieur de Pontivy.* [f] *de St. Meſmes gouverneur d'Angouleſme, de Cognée, de Chaumont en Perigort, de Tars gouverneur de Cognac, & de St. Auban.* [g] *de Blacons, Glandaie, & Bretauville* [h] *Poictou & pays d'Aunis.* [i] *de la Rochefoucaud.* [k] *Pont l'Abbé.* [l] *Marennes.* [m] *Tees.* [n] *le colonel Poyet.* [o] *Brouage.* [p] *de Pons de Mirembeau.* [q] *Bellarmat Beſano ingenieur, Caſtritio d'Urbino, & le chevalier Horologio.* [r] *la Riviere Puy-taillé.* [s] Oleron. [ſ] *la Minquetiere.* [t] *S. Pierre & S. Denis.* [u] *Moncavrel.* [v] *Sarniguet.* [w] La Popeliniere l'appelle *le capitaine Daniel, enſeigne de la Riviere.* [x] *Iſle d'Alvert.* [y] *Bourdeaux.* [z] *le baron de la Garde* [aa] *d'Orien.* [bb] *S. Jean d'Angely.*

NOT. [1] *Lege* Riverii. C.

oppidum ipſum verſabatur, monuerat: qui, dum approperat deviis itinetibus ad CIↃIↃLXX.
[a] Doctum arcem, quae a XXX ſcloppetariis tenebatur, temere progreſſus, ictu in po- CAROLUS IX.
plite accepto [b] Mediolanum Santonum tranſlatus deceſſit, magno ſui deſiderio ob virtutem militarem ac vigilantiam relicto. Jamque Proteſtantes producto vallo Jacopolim arcte cinxerant, ita ut a machinarum ictibus defenſi foſſae propinquarent, induſtria praecipue Scipionis [c] Vergani harum rerum ſumme periti. Et praeſidiarii quidem, cognita Riverii morte animo conſternati, accedente ad haec navis onerariae Flandricae in portu vi demerſae incommodo, ex qua in oppidum quaſi ex tumulo oppugnatores ejaculabantur, poſtquam irrito exitu navem incendere conati, et [d] Blaconi legione, quae foſſam ſervabat, fruſtra ſemel ejecta, poſtremo intra munitionem compulſi ſunt, ſpe omni deſtituti de deditione agere coeperunt, vitam, arma et res ſalvas pacti; ſed licentia militum effectum, ut pleriſque fides minime ſervata ſit, ſpoliatis et indignum in modum habitis. Erant in oppido tempore obſidionis VI ſigna Gallorum ex Riverii legione, V Italorum, duce Hannibale [e] Coconacii comite, et aliquot equites, quibus praeerat [f] Goetus. Dimiſſi illi; et pars Joannis fanum, pars Mediolanum Santonum, pars denique [g] Niortium conceſſit. [h] Gilletus inter inſulanos opulentiſſimus, quod foeminas ac virgines, cum regii [i] Broagium occupaverant, in ſuam domum tanquam in tutiſſimum perſugium confugienteis militi proſtituiſſe, et pecuniam ex ſalinis contractam intervertiſſe dicebatur, comprehenſus et ſupplicio affectus eſt. [k] Poictus loco cum praeſidio imponitur. Interea [l] Mauritii turris in maris litore III a [m] Michaelis ſano leucis a Proteſtantibus recipitur; cui dum ſuppetias ferret [n] Pigallatius, nuncio deditionis in itinere accepto, [o] Curtium Chiraeum ex nobilitate Pictonica hominem, et doctum, quippe qui paſtoris inter ſuos munere fungebatur, et ſtrenuum ducem, ad [p] Moſevillias oppreſſit. Nam, ad aedeis, in quibus ille ſe incluſerat, impetu facto, et amiſſis LX circiter ex ſuis, tandem locum vi capit, et Curtium ipſum dedere ſe recuſantem militeſque ad unum omneis trucidavit. Inde [q] Maxentii ſanum tendit; et, cognito [r] Pluvialium [s] Marano fere omneis praeſidiarios deduxiſſe, praeſentia Fr. [ſ] Borbonii Delfini, qui a rege miſſus jam [t] Pictavium cum [u] Ludenſi comite venerat, confirmatis popularium animis, ulterius tendit, et municipium vacuum occupat, [v] Ollino ordinum ductore, antequam ſe in arcem recipere poſſet, oppreſſo. Cum vero arx praeſidiariorum obſtinata virtute, quamvis jam deficiente commeatu, defenderetur, Pigallarius de exitu veritus, incenſis quam plurimis municipii domibus, obſidionem ſolvit.

XVII. DIVERSA parte Proteſtantes, inſtigante Navarra, quae ſuos tot exantlatis laboribus feſſos et quietis cupidos otio torpere non ſinebat, duce R. [w] Roano Pontivio, Mediolanum Santonum ducunt, [x] Tonnaco ad Carantonum deductis tormentis et per fluvium, cui urbs impoſita eſt, advectis. Subiſius ad urbem trans Carantonum miſſus cum Blaconi et [y] Glandaiae legionibus. Pontivius cis fluvium ad ſuburbium, cui [z] Dominarum-Ponti a nobili coenobio nomen, caſtrametatur cum Poieti legione et VIII equitum alis, ut auxilia, quo minus in urbem e Pictonibus introducerentur, impediret. Eam tuebatur Jo. [aa] Belloſortius Canilliaci marchio cum aliquot peditum ſignis et II equitum alis: Coconacius item cum Italis ſuis et praecipua provinciae nobilitate ei ſe adjunxerat. Admotis praeter obſeſſorum opinionem tormentis ſolertia Scipionis Vergani ad portam ponti oppoſitam vis facta. Inde in latus ex ejuſdem Scipionis conſilio directa verberatio, et magna ſtrages murorum

INTERPR. [a] *le Douet.* [b] *Saintes.* [c] *Vergano.* [d] *Blacons.* [e] *de Coconas.* [f] *le capitaine Gort.* [g] *Niort.* [h] *Guillet.* [i] *Brouage.* [k] *le colonel Poyet.* [l] *tour de Moric.* [m] *S. Michel.* [n] *Puy-gaillard.* [o] *de la Cour de Chiré* [p] *Mozeuil.* [q] *S. Maixent.* [r] *Puvraut.* [s] *Marans.* [ſ] *de Bourbon, prince Dauphin d'Auvergne.* [t] *Poictiers.* [u] *le comte du Lude.* [v] *le capitaine Olin.* [w] *de Rohan, ſieur de Pontivy.* [x] *Tonay-Charente.* [y] *Glandaie.* [z] *Pont aux Dames.* [aa] *de Beaufort, marquis de Canillac.*

CIↃIↃLXX. murorum edita; ad quam deſtinati, qui impetum facerent, Glandaia, et cum ſubſe-
CAROLUS IX. qui juſſus Hector [a] Reilenus cum Germanis, et poſt eum III ſigna ex legione [b] Poieti, admiſtis XL cataphractis, duce [c] Subiſio. Verum is impetus, virtute praeſidiariorum depulſus, fruſtra fuit, quantumvis gnavam operam Subiſio navante, qui ſemel atque iterum illo die ſauciatus eſt. Nec ceſſabat [d] Pigallarius; qui [e] ſano Joannis cum IↃCC equitibus profectus et Rupellam uſque progreſſus, ubi paene Navarram forte levandi animi gratia foras egreſſam oppreſſerat, [f] Briſanburgum uſque venerat. Ibi ſe, quamvis numero impares, [g] Pluvialius et Sanſtephanus in armis oſtenderunt, in ora ſylvae oppoſitae, lixis et caculis cum impedimentis in aciem inſtructis, multo majorem vero numerum e longinquo referentes. Itaque, cum totum diem alteri in alterorum conſpectu ſtetiſſent, nocte ſuperveniente Sanſtephanus et Pluvialius ſine damno ſe ad ſuos receperunt; qui, arctius obſeſſa urbe, cum in eo eſſent, ut, ruina omnino complanata, majorem priore impetum facerent, praeſidiarii, qui omnem auxilii ſpem praeciſam videbant, tandem vitam, arma et res ſalvas pacti urbem dedunt, a licentioſo nihilominus milite, qui longe a caſtris in inſidiis latebat, majorem partem ſpoliati: quam militis inobedientiam nequaquam duces, aut ipſe Subiſius, interſectis aliquot manu propria, refraenare potuit. Mox [h] Botavilla et Ponrium a foederatis victoribus ac vicinae arces in fidem acceptae: et, creſcentibus cum fortuna animis, actum inter duces, Pluvialio inſtigante, de Joannis ſano obſidendo: ſed, induciis ante pacem publicatis, omiſſa in [i] Pictonibus belli conſilia.

XVIII. AT in Aquitania B. [k] Monlucius, poſt obſtinatas et injurioſis utrinque evulgatis ſcriptis exacerbatas contentiones, ne, cunctis in bellico opere ubique per Galliam occupatis, homo vel in illa aetate impiger et laudis cupidus ceſſare videretur, auctor regi fuerat, ut bellum in [l] Benearni pagum, cui tunc [m] Montamarius cum ſummo imperio praeerat, transferretur: ſic enim fore aiebat, ut Navarra, quae omnem belli molem in Pictones et propinquiores provincias immiſerat, periculo ſuorum territa, partem copiarum eo revocaret, et ita diviſis viribus debilitata facile utrobique vinceretur. Id cum maxime iis qui in aula erant probaretur, ſed ſegnius a Monlucio pecuniae et aliarum ad id neceſſariarum rerum penuria adminiſtraretur, rex peracerbis literis cunctantem increpuit; quibus ille ſtimulatus, et pecunia exigua Joan. [n] Monlucio epiſcopo Valentino procurante [o] Burdigala ſummiſſa, et ſumptis mutuo a [p] Toloſae conſulibus tormentis, [q] Gondrinium et Santorrentium [r] Nogarolam praemittit, quo ſtatim eos ſubſequitur. Inde ad [s] Aſpramontium Hortenſem vicecomitem Baionae praefectum ſcribit, ut quanta poſſet celeritate tormenta adverſo [ſ] Aturo ſummitteret; quod et ille mox fecit, adductis ſecum [t] Luxio et Dameſano provinciae regulis. Interea in commune deliberatur, unde expeditionis initium ſumendum eſſet. Et quibuſdam placebat, a [u] Severi fano incipiendum eſſe: alii cenſebant, recta [v] Podium principatus caput peti debere: Monlucio aliter viſum; qui [w] Rabaſtenium ducendum decrevit, ſitu munitiſſimam tota provincia ſecundum [x] Navarrinum arcem, in qua obſidenda multae commoditates eſſent, et qua capta ceteras nullo negotio in poteſtatem redactum iri apparebat. Itaque tribus a Nogarola caſtris eo ventum; et, cum ambigeretur, an capto prius oppido intus ad arcem, an omiſſo oppido extra ad eam faciendus eſſet impetus, vicit rurſus Monlucii ſententia, qui ante omnia oppidum capiendum eſſe cenſebat. Praeſidiarii loci firmitati diffidentes, cum illud diutius teneri non poſſe cernerent, ſtramine in domos congeſto, omnia ad receptum intra arcem paraverant. Igitur, admotis tormentis

et

INTERPR. [a] *Reilen.* [b] *le colonel Poyet.* [c] *le ſieur de Soubize.* [d] *de Puy-gaillard.* [e] *S. Jean d'Angely.* [f] *Briſembourg.* [g] *Puviant & St. Eſtienne.* [h] *Bouteville & Pons.* [i] *Poiſſou.* [k] *Blaiſe de Monluc.* [l] *Pays de Bearn.* [m] *le vicomte de Montamart.* [n] *de Montluc, evêque de Valence.* [o] *Bourdeaux.* [p] *les capitoux de Toulouſe.* [q] *les ſieurs de Gondrin & de St. Orens.* [r] *Nogarolle.* [s] *d'Aſpremont, vicomte de Horte, gouverneur de Bayonne.* [ſ] *l'Adour.* [t] *de Lux & de Damezan.* [u] *S. Sever.* [v] *Pau.* [w] *Rabaſteins.* [x] *Navarreins.*

et ruina edita, igne in paleam conjecto, ſtatim ad arcem confugiunt; nec, quantumvis diligenti regiorum ignem reſtinguere conantium cura, incendium ſiſti potuit, quin totum paene oppidum conflagraverit. Capto oppido, ad arcem vallum productum, et viminea dolia ſuper exſtructa; ex quibus diſploſione tecta et porrecta continuatis ictibus, poſt quintum ab obſidione diem cuncta ad vim ultimam faciendam inſtructa ſunt. x Kalend. Sextil. [a] Sala et Lartigius primi juſſi incedere; quos ſubſequebantur aliae cohortes in aciem inſtructae; quibus omnibus praeerat [b] Santorrentius. Cum illac ſegnius, quam par erat, rem gererent, et in foſſae adverſae ora conſiſterent, Monlucius, quamvis proprii mali praeſagus, tamen indignatione incitatus, nobilitatis non gregarii militis opus illico eſſe dixit; hortatuſque amicos qui aderant, [c] Gondrinium, vicecomitem Uzac, Montaltum, Leberonem, Montiſpanum Gondrinii filium, Larboſium, Baſiliacum, Labatuti vicecomitem, Beſolium, Capellam Lozetium, qui ex [d] Cadurcis delectam manum ſecum adduxerat, ipſe primus ante alios, [e] Goa manu prenſo, ad ruinam vadit, ut militi cunctanti animos praeſentia ſua faceret. Cum admoveri ſcalas juberet, dum circumſpicit, immani ſcloppeti ictu utraſque malas et naſum tranſverberatus, ſtatim ſanguine per os et nares in faciem diffuſo, tamen dolorem celavit; et clam ſociis, ne militi animos caſu ſuo infringeret, ſe ſubduxit, monitis prius amicis, ut fortiter pugnam capeſſerent, et vulnus duci ſuo illatum capta arce et trucidatis ad unum omnibus praeſidiariis ulciſcerentur. Quibus dictis, curto equo impoſitus aegre in hoſpitium deducitur; ubi ad eum viſendum venit Antonius [f] Grammontanus Vaſconum regulus, [g] Bidachia arce ſua profectus, qui neutrarum partium hactenus fuerat. Interea impetu facto arx expugnatur; et, interfectis omnibus ad unum praeſidiariis, cum loci praefectum et paſtorem duces ſepoſuiſſent, ut majore exemplo et ſolatio ante Monlucii domum in furcam agerentur, per iratum militem, qui illos e ducum manibus ereptos crudeliter diſcerpſit, non licuit. [h] Rabaſtenio capto, Monlucius, poſtquam, convocatis proceribus, eos, ut ad Gondrinii primarii et nobilitate et aetate ac virtute ducis imperia audientes in poſterum eſſent, ſacramento adegit, de ſalute dubius [i] Marſiacum Leberonis cura tranſlatus eſt; eique ſtatim, antequam praefecturam arbitrio regis ejeraſſet, [*] ſuffectus eſt non citra injuriam Honoratus [k] Sabaudus Villarii comes. Haec Monlucio jam ſeptuagenario, multis praeclaris rebus tota vita geſtis claro duci, ſed intolerandae iracundiae, quam ſubinde ipſe in commentariis excuſat, poſtremo apud regem inſimulato, ob idque a praefectura regni ampliſſima remoto, expeditio ultima fuit; cui tamen ille, ex illo vulnere ad mortem uſque graviter vexatus, aliquot annis ſuperſtes fuit, tribuni equitum dignitate magis in praeteriti praemium quam futuri ſpem ornatus: et per otium res ipſe ſuas, partim ex ſchedis, partim memoria ſua commentariis ſuppletis, qui poſtea publicati ſunt, copioſe deſcripſit.

XIX. EODEM tempore Joannes [l] Sora, cognito Ludovicum Luſitanae claſſis praefectum in Indias vela facere, cum ad fortunatas inſulas appuliſſet, congreſſui cum hoſte impar ad [m] Palmariam deflexit, quo navis, cui S. Jacobi nomen, et qua monachi, ac plerique ex iis quos Jeſuitas appellant, portabantur, ſeorſim a reliqua claſſe diverterat; in eamque invectus, amiſſis uno et altero ex praecipuis naucleris, qui, ferreis manibus injectis, cum in Luſitanam navem inſiliiſſent, diſſilientibus navibus, deſtituti et oppreſſi fuerunt, poſt aliquod certamen nave potitur; et ſuorum clade irritatus repertos in ea interfecit, et in iis Ignatium [n] Azebedam et Didacum Andradam

VAR. LECT. [*] a rege ſuffectus *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Salles & Lartigues.* [b] *de St. Orens.* [c] *le ſieur de Gondrin, le vicomte d'Uza, le capitaine Montaut, de Leberon, de Monteſpan fils du ſieur de Gondrin, Larboux, de Baſillac, le vicomte de Labatut, Beſoles, & la Chapelle Lozieres.* [d] *Quercy.* [e] *de Goas.* [f] *de Grammont.* [g] *Bidache.* [h] *Rabaſteins.* [i] *Marſiac.* [k] *de Savoie, comte ou marquis de Villars.* [l] *le capitaine Sore.* [m] *Palme.* [n] *d'Azevedo & Diego d'Andrada.*

CIϽIϽLXX. Andradam ex illo, quem dixi, ordine; et inde praeda non mediocri onuſtus, de
CAROLUS IX. cetero in mare projectis ſigillis, calculis, roſariis, reliquiis, et hujuſmodi myſticae ſupellectilis inſtrumentis, quibus religioſi illi patres novitios Indos Chriſtianae pietatis ſacris initiant, exeunte Sextili [a] Rupellam incolumis rediit.

XX. INTEREA principes, qui in [b] Heduis erant, cum exercitu [c] Antranium et Amandi fanum proceſſere, ſub finem Quintilis, [d] Caſtellionem ad Lupam Gaſparis Colinii arcem verſus tendentes, effuſis circa [e] Montargirium, [f] Blenacum et vicina loca copiis: quibus ut ſe medium interponeret, et tranſitum, quo minus in Franciam excurrerent, impediret [g] Coſſacus, in vallem [h] Allianenſem deſcenderat, et per [i] Juniacum [k] Agendicum Senonum civitatem venerat; cum tandem, poſtquam rex ex [l] Armorica Lutetiam reverſus [m] Germani fanum ſe contulit, re ultro citroque per delegatos agitata, de pace inter partes convenit, multum reclamante Philippi oratore, qui nullis non ſe promiſſis obſtringere paratum oſtendebat, dum ne rex cum Sectariis ac perduellibus, ſic Proteſtanteis appellabat, eo tempore tranſigeret. Nam hactenus, ſive de his quae poſtea ſecuta ſunt nondum cogitatum erat, ſive jam regina, ſed ignaro tunc rege filio, cum Renato [n] Birago, cui paulo ante ſigillorum procuratio, [o] Morvillerio ultro tradente, fuerat attributa, et Alberto, Petro ac Carolo [p] Gondiis fratribus, qui plurimum in aula poterant, de re contulerat, certe occulta conſilia ea latebant Philippum; qui, veritus, ne pace in Gallia facta belli moles in Belgium incumberet, quod Ludovicum [q] Naſſovium et Arauſionenſem fratrem apud regem urgere intelligebat, quantum poterat regem a pacis conſiliis dehortabatur. Multa hanc pacem ſuaſiſſe dicuntur: bello hoc ultimo civili omnium maxime violento attritae utrinque opes, et ſumma pecuniae ex eo inopia ad ſtipendium militi numerandum; quo fiebat, ut rari ad ſigna convenirent, crebri quotidie dilaberentur; proximus jam Lutetiae atque adeo regiae aulae hoſtis, et Germanorum auxiliarium propediem diſceſſurorum, quod a Wolrado Mansfeldio, cum in Burgundiam deſcendens limiti propinquaret, Colinio praedictum fuerat, certa defectio; et, inde nova reginae conſilia, quae aſtu, quoniam vis non proceſſerat, in poſterum utendum cenſebat; inde Colinio innatum belli civilis taedium et odium, quod ad perniciem ſuam uſque deteſtatus eſt, cum diceret, ſibi potius eſſe vel morte violenta atque adeo ignominioſa mori, quam rurſus ad arma deſcendere; vir alioqui licentiae infeſtus, et ſummus vitiorum oſor, et qui, ſevera diſciplina olim, cum peditatui praeeſſet, a milite exacta, invitus faciebat, ut eam belli civilis neceſſitate victus conniventia corrumpi pateretur; et ſpes ei, quod hominem ab armis civilibus abhorrentem et tranquillitatis patriae ſtudioſum potentiſſime ſefellit, injecta fuerat, de bello, pace in Gallia facta, in Belgium transferendo. Itaque tandem VI Eid. Sextil. certis conditionibus conventum eſt: edictumque conditum, quo praeteritorum oblivio ſancitur: concordia publica imperatur: majorum religio ubique inſtauratur: libertas conſcientiarum Proteſtantibus permittitur, ita ut publice ad preces faciendas convenire poſſent, locis tamen tempore et modo edicto comprehenſis, a quibus Lutetia regni caput et aula principis excluduntur: loca ſepulturae in ſingulis urbibus a praeſidibus aſſignantur: ediciturque, ne intra conſanguinitatis gradus matrimonia contrahantur; ut pauperes et aegroti nullo diſcrimine per valetudinaria, et qui dant operam literis per ſcholas admittantur. Ad extremum rex Navarrae reginam amitam ſuam, Navarrum, Condaeum teſtatur ſe habere pro fidis conſanguineis ac ſubditis; etiam proceres, equites et alios, qui principum partes ſecuti ſunt; item [r] Bipontinum ducem, Arauſionenſem, Ludovicum ac fratres eorum

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Bourgogne.* [c] *Antrain & St. Amand.* [d] *Chaſtillon ſur Loing.* [e] *Montargis.* [f] *Bleneau.* [g] *le mareſchal de Coſſé.* [h] *vallée d'Aillan.* [i] *Joigny.* [k] *Sens.* [l] *Bretagne.* [m] *S. Germain en Laye.* [n] *de Birague.* [o] *de Morvilliers.* [p] *de Gondy.* [q] *le comte Ludovic de Naſſau, & le prince d'Orange.* [r] *le duc de Deux Ponts.*

eorum, Wolradum Mansfeldium et alios omneis extraneos, qui eos in hoc bello manu conſilio aut alia re juverint; et ſingulari elogio Navarrae mandatu captam regiam pecuniam et alia aliorum ducum juſſu hoc bello et ſuperioribus facta ſe rata habere, ac jubere ne de his in poſterum quaeri poſſit: privilegia urbium confirmantur: Proteſtantes omnium publicorum munerum civilium capaces declarantur; ita ut aequaliter ad regni onera ſuſtinenda teneantur. Addita capita quaedam de captivorum redemptionibus, ac pretio pro iis penſitando, mobilium hoc bello captorum reſtitutione, fructuum perceptione, aedium ruinis, et urbium a praeſidiis immunitate. Quod ad Arauſionenſem et Naſſovios fratres, ii bonis omnibus, quae intra regni fineis poſſident, reſtituuntur, juxta pacta olim ab Henrico parente et Franciſco avo facta, addito, ut non ſolum illis ſed et aliis domeſtica ſcripta, inſtrumenta ac documenta hoc bello capta utrinque reddantur; jus aequabile conſtituatur: ſententiae tam in civilibus quam criminalibus cauſis ardente bello pronunciatae revocantur et antiquantur, ita ut praeſcriptio adverſus Proteſtanteis toto illo tempore currere non potuerit; de cetero, ipſi in poſterum civileis regni leges ſervare teneantur. Et, quia [a] Toloſanus ſenatus eis maxime ſuſpectus eſſet, recenti adhuc Rapini contra fidem publicam damnati et ſupplicio affecti memoria, decernitur, ut cauſarum, quarum ad eam curiam provocatio eſt, cognitio ad ſupplicum libellorum magiſtros pertineat, quibus eas ſupremo judicio definiendi jus ſit: in [b] Rotomagenſi vero, Divionenſi, Aquenſi, Armoricano et Gratianopolitano facultas ſit ſex praeſides ſeu ſenatores rejicere; treis nimirum in ſingulis claſſibus; in [c] Burdigalenſi autem quatuor in ſingulis claſſibus, nulla expreſſa cauſa. Securitatis cauſa attributae eodem edicto quatuor urbes, [d] Rupella, Montalbanum, Cognacum, et Charitacum, quas Navarrus et Condaeus et xx ex proceribus ſe poſt biennium reſtituturos jurejurando interpoſito promittere teneantur. Hoc edictum in omnibus regni curiis promulgatur; et mandatur, ut omnes praefecti, praeſides, adminiſtri de eo religioſe ſervando fidem publico ſacramento obſtringant, poena capitis in ejus violatores ſancita. Edictum triduo poſt in ſenatu recitatum, et poſtulaote cognitore regio promulgatum eſt. Secundum haec principes cum [e] Colinio, Ludovico Naſſovio, Telinio, et Bellovaſio, qui egregiam ac diligentem operam in pace procuranda navaverat, in [f] Lingones uſque progreſſi ſunt: unde, poſtquam, gratiis Wolrado Mansfeldio actis, Germanos promiſſis potius quam pecunia oneratos dimiſerunt, deducente eos [g] Renelii marchione extra regni fineis, Charitacum et inde, per [h] Lemovices et Engoliſmam facto itinere, ineunte Octobri ſe Rupellam ad Navarrae reginam contulerunt. Tum, quaſi poſt foedam tempeſtatem ſumma in mari quies, ſic poſt cruentiſſimum bellum inopinata animorum ſerenitas et concordia ſtatim ubique apparuit.

XXI. [α] DUM pacis negotium agitaretur, de matrimonio quoque inter Margaritam regis ſororem et Navarrum contrahendo actum fuerat: quod paci firmandae ſeu inſidiis tegendis optimum commentum ne exitu careret, ſcrupulum regi injecit nimia, ut ſibi videbatur, ſororis cum Henrico [i] Lotharingo Guiſiano, juvene ſpecie et indole praeclaro, familiaritas; qua princeps ſuſpicax et leviſſimae injuriae impatiens, ultra quam dici poſſit, illico perculſus de Guiſio tollendo conſilium cepiſſe dicitur, negotio dato Henrico [k] Engoliſmenſi fratri notho, magno Franciae priori, ut cum delectis inter venandum ex occaſione ſubitae rixae oblata Guiſium aggrederetur et interficeret. Re aliquoties tentata, cum voluntas non deeſſet, animus Engoliſmenſi defuit:

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Margarita et Guiſio uſque ad* Rex denique 19 *lineae deſunt* *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *parlement de Toulouſe.* [b] *parlements de Rouen, Dijon, Aix, Rennes, & Grenoble.* [c] *de Bourdeaux.* [d] *la Rochelle, Montauban, Cognac, & la Charité.* [e] *l'amiral de Coligny, le comte Ludovic de Naſſau, les ſieurs de Teligny, & de Beauvoir la Nocle.* [f] *Langres.* [g] *Renel.* [h] *le Limouſin & l'Angoumois.* [i] *de Lorraine, duc de Guiſe.* [k] *Henry d'Angouleſme, grand prieur de France.*

CIↃIↃLXX. CAROLUS IX.

deſuit: cujus rei cauſa cum ei rex ignaviam contumelioſe exprobraſſet, illo facinoris patrandi jam certo, quo minus tamen exequeretur poſtea Guiſius obſtitit; qui, a Franciſco [a] Balſaco Interamnate regis perfamiliari clam monitus, a venatoriis conventibus ex eo tempore abſtinuit, et interim, ut omnem ſuſpicionem ex regis impotenti ira ardentis animo deleret, ex Annae Ateſtinae parentis prudentiſſimae foeminae conſilio feſtinatis nuptiis Catharinam [b] Cliviam Antonii Croii Porciani viduam uxorem duxit, cum aliquot ante menſibus Ludovicus [c] Borbonius Monpenſerius Catharinam Guiſii ſororem in matrimonio [d] Andegavi accepiſſet, procurante Carolo cardinali Lotharingo, qui ea adfinitate Monpenſerium, alioqui Proteſtantibus infeſtiſſimum, a ſuis gentilibus alienatum, in partes ſuas protrahere ſe poſſe exiſtimabat. [α] Rex denique, belli et hac domeſtica, quae rempublicam ſpectabat, cura ſolutus, jam de nuptiis propriis ante contractis, tunc vero celebrandis, cogitare coepit: eoque conſilio [e] Meſeriam ad Moſam uſque proceſſit, praemiſſis VIII Kal. Dec. [f] Andino et Alenconio fratribus cum Carolo Lotharingiae duce ſororio, [β] Guiſio, de quo, poſtquam uxorem duxerat, jam ſecurus degebat, [g] Aumalio et Momorantio ducibus et aliis proceribus ac CCC circiter equitibus, qui venienti ſponſae regis nomine obviam prodirent, eamque honorifice [h] Sedani exciperent. Igitur Sedani perhonorifice excepta ab Henrico Roberto [i] Marciano Bullionii duce, et inde, comitantibus iis quos dixi, Meſeriam deducitur in aedeis regi apparatas; ubi a regina et Claudia Lotharingiae ducis uxore et Margarita peramanter excepta eſt in inferiore aedium aula, et in ſuperiorem, in qua rex eam expectabat, deducta, poſt ſolitas ſalutationes a Trevirenſi archiepiſcopo ſeptemviro more ſolemni Caeſaris nomine in regis manus conſignatur. Tum, recitato matrimonii contractu, rex per vicecancellarium, quod actum eſſet, ratum ſe habere reſpondit; et magnas ſe gratias Caeſari et Imperii ſeptemviris ac principibus, atque in primis ipſi [k] Trevirenſi, Argentinenſi epiſcopo, marchioni Badenſi et Hohenloenſi comiti, qui aderant procuratores a Caeſare nominati, agere dixit; et Eliſabetham Caeſaris filiam honore et amore conjugali ſe proſecuturum declaravit. Poſtridie, qui in VI Kalend. Dec. incidit, magna ac regali pompa celebratae nuptiae, ſacra faciente Carolo Borbonio cardinali: interſuere principes et proceres totius fere regni, et foeminae in primis numero amplius LXX pannis argenteis veſtitae. Rex tunc natus erat XX annos, V menſeis; Eliſabetha XVI; cui gubernatricis loco attributa Magdalena [l] Sabauda, Annae Momorantii equitum magiſtri vidua, antiqui moris ac pudoris matrona; eique ſubrogatur Joanna [m] Vivona Caſtanea, Claudii [n] Claromontii Dampetri vidua et uxoris Alberti [o] Gondii comitis Radeſiarum parens. Equitis honorarii loco Scipio [p] Fliſcus, Ludovici illius, qui res novas Genuae ante XXIII annos molitus fuerat, frater. Poſt donativum et convivia more ſolemni peracta, haſtiludia et ceteras nuptialeis pompas, tandem cum muneribus honorifice dimittuntur legati. Rex Meſeria diſcedens, per [q] Cantiliam primariam Momorantii arcem facto itinere, [r] Villeriam in Retia ſylva venit, voluptuarium caſtellum ad venationes regia magnificentia a Franciſco avo extructum; ubi auditi [1] X Kalend. Januar. principum Auguſtanae confeſſioni addictorum legati, ex comitiis [s] Spirenſibus miſſi, ut regi de matrimonio cum Caeſaris filia contracto gratularentur, et ad pacis nuper in regno factae conditiones ſervandas

VAR. LECT. [α] Rex, belli omnique alia urgente cura, quae rempublicam ſpectabat, ſolutus, *D. f. o.* [β] Guiſio, qui ſub id Catharinam Cliviam Antonii Croii Porciani viduam feſtinatis nuptiis duxerat, Aumalio *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Balſac, ſieur d'Entragues.* [b] *de Cleves, veuve d'Ant. de Croy, prince de Porcean.* [c] *de Bourbon, duc de Montpenſier.* [d] *Angers.* [e] *Mezieres ſur la Meuſe.* [f] *les ducs d'Anjou & d'Alençon.* [g] *d'Aumale & de Montmorency.* [h] *Sedan.* [i] *de la Marck, duc de Bouillon* [k] *l'electeur de Treves, l'evêque de Strasbourg, le marquis de Baden, & le comte de Hohenlo.* [l] *de Savoie, veuve du connêtable de Montmorency* [m] *de Vivonne, dame de la Chaſtaigneraie.* [n] *de Clermont, ſieur de Dampierre* [o] *de Gondy, comte de Retz.* [p] *il conte dal Fieſco* [q] *Chantilly.* [r] *Villiers-Cote-de-retz.* [s] *Diete de Spire.*

NOT. [1] La Popeliniere, qui donne la harangue, dit que ce fut le 24 Decembre. T. 2. l. 24. p. 3. *C.*

ſervandas hortarentur. Principes ii erant, Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, ſep- CIƆIƆLXX.
temviri; Richardus [a] Baioariae dux, Georgius Fridericus Brandeburgicus, Julius CAROLUS IX.
Brunſvicus, Ludovicus Wirtembergicus, Willelmus Heſſorum princeps, Joannes Albertus [b] Megalopolenſis et Carolus Badenſis. Longae ac prolixae orationis haec ſumma fuit: foedus nuper per matrimonium inter Caeſarem et regem ictum non ſolum ad amicitiam inter potentiſſimos principes, atque adeo inter Germanos et Gallos, valiturum; ſed etiam ad remedia malis paſſim praecipue ob religionem graſſantibus mature adhibenda maximum pondus habiturum: gaudere interim ſummopere ipſos, quod pace inter ſuos facta pernicioſiſſimos tumultus quorundam ambitione excitatos prudentia et aequitate mira ſedarit; proindeque orare, ut auctoritatem ac dignitatem pace praeter multorum voluntatem conſtituta reciperatam tueri in poſterum velit; neque iis aures praebeat, qui Sectariis fidem ſervandam negant, et impoſſibile aiunt, ut in eo regno tranquillitas ſarciri poſſit, in quo diverſae de religione ſententiae obtinent: nam et in Turcico imperio nullam conſcientiae vim inferri; et monachos in monte Atho habitanteis quotannis donativum a ſultanis accipere: et in regno Poloniae, quod inter Chriſtiana ampliſſimum ſit, religionem Romanam et Graecam ſemper locum habuiſſe, et in compluribus civitatibus templa utriſque aſſignata eſſe: paucis vero abhinc annis pleramque nobilitatem Auguſtanae confeſſioni ſubſcripſiſſe; nec tamen turbas in eo regno conſpici per homines diverſae religionis adminiſtrato, et in quo publica munia indiſcriminatim inter ipſos diſtribuuntur: id vidiſſe, ſed ſerius, Carolum v, et poſt eum Ferdinandum Caeſarem, qui tandem non aliam pacis in Impetio conſtituendae rationem inire potuerit, quam juſta conſcientiis libetrate permiſſa; et, quamvis maxime omnium Romanae eccleſiae addictus fuerit, ut videretur potius Imperii beneficiariis quam patrimonialibus ſubditis ſuis eam gratiam feciſſe, idem in Luſatia et Sileſia primum, dein et paulo ante mortem in quibuſdam Auſtriae locis, ut fieret, toleraſſe: eadem et Maximilianum prudentiſſimum principem gratia et indulgentia erga ſuos uſum; cujus ut adfinitatem expetiverit, ſic ut exemplum ea in re rex ſequatur, illuſtriſſimos principes, quam vehementer et enixe poſſint, regiam majeſtatem obſecrare: jamptidem et primis Chriſtianorum temporibus diſputationibus agitatum, res diverſas eſſe bonum ſubditum et bonum Chriſtianum eſſe: itaque et Tataros in Polonia, qui Mahumetani ſunt, ac pleriſque locis, etiam Romae, Judaeos, in Turcico imperio Chriſtianos ſimul et Judaeos ferri: videre igitur debere prudentiſſimum principem, praeteritorum malorum inſontem, ut hujuſmodi pravis conſultoribus ac turbarum incentoribus aures claudat; ſieque apud ſe ſtatuere, pace pietatem et leges vigere, bello religionem et regiam auctoritatem convelli: ac, ſi quis adeo audax reperiatur, qui regem ad pacis conſilia animum contra ſeditioſos obfirmantem turbare conetur, illuſtriſſimos principes iſtuc ſe ablegaſſe ad ſignificandum majeſtati ſuae, paratos eos omneis opeis ac vireis in id impendere, ut conatus tam pernicioſi reprimantur, et regno florentiſſimo, cujus bona et mala ad publicam Chriſtiani orbis tranquillitatem ſpectant, pax et quies conſtet. Poſtridie rex reſpondit; et, poſtquam de propenſiſſima ſeptemvirorum et principum benevolentiae ſignificatione gratias egit, foedus hoc ob id ſe praecipue expetiviſſe dixit, quod cognoverit, Caeſarem, ut dignitate inter principes Chriſtianos praecellentem, ſic prudentia, magnanimitate, clementia et aequitate principem inter eos locum tenere; in idque ſemper laboraſſe, ut ſecuram ac firmam in Chriſtiano orbe tranquillitatem procuraret; cui egregiae voluntati ſe ſalutaribus juxta ac benevolis ipſorum monitis inſtructum reſpondere decreviſſe, et amicitiam, quam majores ſui et in primis Henricus parens ac Franciſcus avus cum iis coluerit, ſancte religioſeque ſervare. Cum hoc reſponſo dimiſſi legati, et

INTERPR. [a] *Baviere.* [b] *le duc de Mecklenburg.*

CIƆIƆLXX. Carolus IX.

et honotifice munetibus donati, domum ad ſuos revertuntur. Vix promulgatum per regni cutias et inſeriora tribunalia edictum fuerat, cum inde a Catholicis, inde a Proteſtantibus ingentes querimoniae in aulam perlatae ſunt; quibus ut aliqua ex patte ſatisfietet, et ne qui motus ob eas excitarentur, Arturo [a] Coſſaeo equitum tribuno et Philippo Guttaeo Proterio libellorum ſupplicum magiſtro negotium datur, ut [b] Rupellam proficiſcantur, et de vera edicti interptetatione et executione cum Proteſtantium delegatis ex aequo agetent. Sed haec ad annum inſequentem pertinent.

XXII. Hoc anno Joannes Bernardus [c] Sanſevetinus, Somenſium dux, qui noſtras partes ſecutus bello Etruſeo et aliis fidam opetam regibus navaverat, [d] Langeſti ad Ligetim, quod beneficiario uſufructu obtinebat, VIII Kalend. Jun. fatis conceſſit placida et diu exoptata morte, cum annum aetatis LXIIII attigiſſet. Moriens teſtamento condito ditionum, quas in regno Neapolitano poſſidebat, a Philippo proſeriptarum, heredem inſtituit regem; non tam propenſa in ipſum voluntate, a quo jamdudum, graſſante aulica avaritia, minime pro dignitate habitus fuerat, ſubſtractis etiam alimentis, aut odio in ſuos, atque adeo Horatium Sanſeverinum fratris filium, qui morienti aſtitit, quam quod nollet vir juxta genetoſus et prudens, ut ad egeſtatem, ad quam tedactos ſuos videbat, etiam inanium titulorum ludibrium accedetet. Eodem hoc anno perantiqua Bitſacorum comitum familia in Germania extincta eſt, Jacobo Renatdi filio, Simonis nepote, ſine liberis maſculis defuncto XII Kal. Aptil. ac telicta tantum Margarita Aloiſia filia, quae Philippo juniori [e] [α] Hannoviae comiti ante decennium nupſetat. Hujus ditionem Wirtembergicus, Lotharingiae dux, et [f] Argentinenſis epiſcopus tanquam lege beneficii ad ſe devolutam quiſque pro jure ſuo poſſeſſum iverunt. Haud multo poſt Joannes [g] Brentius, [h] Weilae imperiali Sueviae oppido natus, magni nominis inter ſuos theologus diuque ob id varia ſortuna jactatus, [i] [β] Stugardiae in agro Wirtembergico ſeptuagenario major fatis conceſſit III Eid. Sept. Idem annus abſtulit nobiliſſimum cognominum fratrum par; videlicet [k] Tiliorum, Engoliſmenſi agro oriundorum: quorum Joannes grandior natu euriae protonotarius fuit, qui cura, diligentia et ſumma in ſuo munere aſſiduitate non ſolum ingentes opes, ſed veram gloriam, et qua majorem nemo noſtrorum antea meruit, exacta juris noſtri et Franco-Gallicae omnis antiquitatis cognitione, ſibi comparavit: altet natu minor, ſaeris addictus, primum [l] ſani Brioci in Atmorica et poſtea [m] Meldorum epiſeopus fuit; qui a puero literis inſtructior ad rerum noſtrarum, qua fratet ejus excelluit, peritiam, etiam linguarum, juris priſci Romani et eccleſiaſticae antiquitatis exactam cognitionem adjunxit, perluſtratis Franciſci I permiſſu coenobiorum ac aliorum locorum toto regno celebrium, cum adhuc integrae eſſent, bibliothecis, atque inde peculiari ſibi inſtructo librorum veluti penu copioſo, ex quibus pleraque in utroque genere venerandae antiquitatis monumenta publico dedit; eoque nomine magnam a ſui et poſteri aevi hominibus gratiam ac laudem meruit. Paulo poſt Non. Novembribus [n] Auguſtae Tautinorum, nondum ſuperato XXX anno, obiit Jacobus [o] Grevinus, Claromontio in Bellovacis natus; ingenio et rara eruditione praeſtans: qui, cum a [γ] pueritia induſtriam in poetica feliciſſime exercuiſſet, quod [p] Gelodacrys et alia edita cum raris illius aevi poetis comparanda et aeternum victura ad poſteritatem teſtantur, ad medicinae ſtudium animum appulit, in qua pari felicitate ingenium exercuit. Nicandrum, elegantiſſime a Jo. [q] Gorraeo Latinum factum, Gallicis verſibus non cedente Graecis Latiniſque elegantia reddidit; et de venenis commentarium Gallice itidem ſcriptum adjecit:

VAR. LECT. [α] Hanoviae *D.* f. o. [β] ut ſupra diximus, Stugardiae *D.* f. o. [γ] pueritia poeticae elegantia excelleret, quod Gelodacrys *D.* f. o.

INTERPR. [a] *le mareſchal de Coſſé, & Ph. de Gourreau ſieur de la Proutiere.* [b] *la Rochelle.* [c] *Sanſeverino, duc de Somma.* [d] *Langeſt ſur Loire.* [e] *Hanau.* [f] *de Strasbourg.* [g] *Brentzen.* [h] *Weil en Souabe.* [i] *Stutgard.* [k] *les Du Tillets de l'Angoumois.* [l] *S. Brieu en Bretagne.* [m] *Meaux.* [n] *Turin.* [o] *Grevin de Clermont en Beauvoiſin.* [p] *la Gelodacrye.* [q] *des Gorris.*

adjecit: multa inſuper ſive edidit ſive commentatus eſt, quae, morte praecipitata, ultimam manum non receperuot. Hominem tot ingenii dotibus inſtuctum et amoenitate ingenii cunctos in ſui amorem rapientem Margarita, quae Philiberto Emmanueli Sabaudiae duci nupſit, virtutum inſigne noſtro aevo exemplar, inter familiareis adſcitum in Italiam ſecum duxerat, eoque poſtea non ſolum medico ſed et conſiliario in graviſſimis negotiis ſemper uſa eſt, adeo ut, Grevino extincto, ſe et valetudinis ſuae curatore eximio et in animi anxietatibus amico ſolatore orbatam doleret. Itaque et mortuo honorificum funus fecit, et viduam ac filiam ejus unicam Margaritam Emmanuelida, quam de ſacro lavacro ſuſcepetat, quamdiu vixit, penes ſe retinuit, et omni humanitatis ac beneficentiae genere proſecuta eſt, ut, quae virum dilexerat, etiam oſſa ac reliquias, quae in vidua ejus ac chariſſima filia reſtabant, inſigoi grati animi exemplo ſe diligere oſtenderet. [α] Joannes item [a] Mercerus, Uticae in Septimania [β] natus, hoc anno vivere deſiit. Is, cum primo juriſprudentiae operam dediſſet, et utriuſque linguae peritia apprime inſtructus, quantos in ea perplexa ſcientia progreſſus feciſſet, Harmenopuli epitoma elegantiſſime in Latinum verſa et illuſtrata ſummum ſpecimen dediſſet, tandem, ea relicta profeſſione, qua fere opes et celebritatem homines noſtri ſibi comparant, totum ſe ſacris literis, et Hebraicae ac Chaldaicae linguae in primis ſtudio, addixit; in quo diligentia, contentione, ac rara animi perſpicacis felicitate taotum profecit, ut, cum ſub id tempus Franciſcus [b] Vatablus e vivis exceſſiſſet, ſumma omoium profeſſorum ac doctorum conſenſione is eſſe viſus ſit, qui jacturam morte tanti viri acceptam, qualem in ea lingua nulla ante aetas audiverat, facile ſarciret. Itaque Vatablo in ordinario explicaodae ſacrae linguae munere ſuccenturiatus, vix credibile eſt, qualem ſe quantumque praeſtiterit; quippe qui quatuor linguarum peritiſſimus ad incredibilem diligeotiam acerrimum judicium attuliſſet; accedente rurſus ad eximiam doctrinam caodore, modeſtia et ſumma morum innoceotia; adeo ut ex ipſius paene unius ſchola prodiiſſe cooſtet, quicunque in Gallia hodie paulo melius Chaldaicam et Hebraicam linguam callent. Turbatis poſtea per bella civilia ob religionem in Gallia rebus, homo rurbarum fugiens Venetias conceſſit, ut cum Hebraeis, qui illic ſunt, de nonnullis conferret, hoſpitio viri clariſſimi, et in eadem ſcientia juris a teneris educati, tunc vero literis ſacris operam dantis, Arnoldi [c] Ferrerii regii oratoris uſus, cum quo aliquanto tempore conjunctiſſime vixit. Inde cum Lutetiam repetere in animo haberet, de ſcriptis ſuis recognoſcendis et edendis cogitans, in itinere [d] Uticam deflexit; ubi, quae cunas illi paterna domus dederat, lue populari per illas regiones tunc graſſaote correpto ſepulchrum dedit. [γ] Ejuſdem viri optimi, qui cum io patriae calamitatibus protexerat, beoeficio ac liberalitate ſervata ac [δ] poſt mortem ejus publicata ſunt eruditiſſima in VI minores prophetas priores, Jobum, Solomonem, et poſtea in Geneſim, commentaria: qui foetus licet poſthumi accuratam parentis ſui diligentiam produnt, ut vel ex iis et aliis, quae vivus publicavit, monumentis in confeſſo ſit, ounquam quenquam Chriſtianum felicius Hebraiſaſſe. [ε] Ne vero totus intercidiſſe videretur, [ζ] effecit et Joſias ſuperſtes, tanto patre digniſſimus filius, qui praeter exactam utriuſque linguae peritiam et raram puriotis antiquitatis cogoitiooem acerrimo judicio in iis penſitandis excelluit; quod non ſolum in literis ſed in caſtris et rebus gerendis per haec bella civilia exercuit, deploranda

VAR. LECT. [α] *Hoc Merceri elogium ponitur ad calcem lib.* 56 *in* *D* f. o. d.
[β] honeſto loco natus, quem comitem ſibi dari Hoſpitalius, ſi reviviſcat, non indignetur, cum primo juriſprudentiae *D.* f. o. d.
[γ] Nec tamen totus morte ereptus eſt: nam ejuſdem *D.* f. o. d.
[δ] poſt mortem ejus *deſunt* *D* f. o. d.
[ε] *Quod ſequitur hujus elogii uſque ad* His addam Petrum *deeſt* *D.* f. o.
[ζ] effecit Joannes ſuperſtes *D.* d.

INTERPR. [a] *Merciere d'Uſez en Languedoc.* [b] *Guaſteblé*, vulgo *Vatable.* [c] *du Ferrier.* [d] *Uſez.*

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

deploranda ſane temporum conditione, quae Muſis colendis nata ingenia ſive armorum vi ſive negotiorum aeſtu a recto ſtudiorum curſu plerumque revocarunt. [α] His addam [a] Petrum Montaureum Pariſienſem, ſenatorii ordinis, magni et excellentiſſimi ingenii virum, et in philoſophiae ac mathematicis artibus, in quibus multa antiquorum illuſtravit, non pauca ipſe adinvenit, verſatiſſimum, ad haec pangendis verſibus magnam laudem promeritum; qui ob religionis cauſam bellis civilibus varie jactatus, cum [b] Sancerras ad Ligerim, tanquam in tutiſſimum et amiciſſimum ſibi et ſtudiis ſuis nidum, confugiſſet, ex moerore contracto morbo haud ita ſenex eodem hoc anno deceſſit [β] XIIII Kalend. Sept. a Michaele [c] Hoſpitalio, ampliſſimo viro ac praecipuo amico, verſibus acerbae in ſaeculi hujus ingratitudinem querimoniae plenis deploratus.

VAR. LECT. [α] *Hoc Montaurei elogium ponitur ad calcem lib.* 43. *D.* f. o. d. [β] XIIII Kal. Sept. *deſunt D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Pierre Montauré.* [b] *Sancerre ſur Loire.* [c] *le chancelier de l'Hoſpital.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

B*ELLUM Granatenſe, triennio ante repetitis ejus initiis, deſcribitur.* II. *Granatae prima cunabula.* III. *Mauriſci, Feſſanorum in Africa et Turcorum imploratis auxiliis, Ferdinandum Valorium in regem eligunt; et ſolemni ritu Mahametem Aben-humeiam indigitant.* IV. *Inde Granatam recta ducunt: et vis ad Alhambram facta ſine ſucceſſu.* V. *Per totam Baeticam excurſiones et immanis crudelitas, ne reconciliationis ſpes eſſet.* VI. *Ab Inico Lupo Mendoza Mondejaris marchione provinciae praeſide ad Tablatam funduntur.* VII. *Toxici inter Mauros uſus.* VIII. *Gaſca a Toronenſibus inſidioſe necatur. Ad Guaiaras novi motus. Joannis Villaroelii inſauſta audacia.* IX. *In partem belli miſſus P. Faſciardus Velezii marchio, non ſine occulta Mondejaris offenſa. Virgines a Mauriſcis immani ſacrificio mactatae. Subinde et Granatam miſſi Joannes Mendoza et Antonius Luna, qui Tendillae comiti Mondejaris filio praeſto eſſent, ſenſim imminuta patris ac filii dignitate.* X. *Bellum a Mauriſcis inſtauratur: et Aben humeia rex, qui ante curſitando latebat, jam regia pompa prodire et incedere coepit.* XI. *Joannes Auſtrius belli contra Mauriſcos ſuſcepti ſummus imperator. Almeriae deſcriptio et origo. Catinus ſmaragdinus Genuenſium. Alcudia capta. Aben-Jahuaris belli incentoris ex moerore mors.* XII. *Mondejari adventu Joannis Auſtrii praefectura abdicatur.* XIII. *Mauriſci Granata miſerabili ſpectaculo expelluntur: a praeſidiariis injurioſe infeſtati. Ad Guadim ſive Accim Conſalvus funditur. Aben-humeiae regis ad captandam clementiae laudem edictum. Frexilliana a regiis obſeſſa, et tandem capta. Italicae triremes dum adveniunt varia tempeſtate jactatae.* XIV. *Magnae in caſtris regiis ducum ſimultates, Lud. Quixada diſciplinae auſterae viro et Conſalvo Sueſſano cum Velezio, Mondejare cum Deza et Velezio inimicitias haud occultas exercentibus.* XV. *Conventus regni Cordubae; quo Philippus ipſe venit. Conſerta feliciter a Velezio ad Bergim pugna. Vice verſa, ad Albunuelas feliciter a Mauriſcis pugnatum; et rurſus cum damno ad Bergim. Velezianorum militum rebellio.* XVI. *Aben-humeiae libidines, faſtus et ſecuritas. In eum conjuratio. Aben-humeia ab Alquacile ſtrangulato, Abdala in regem eligitur, qui ſe initio excuſat.* XVII. *Orgiva a Mauriſcis obſeſſa, et tandem capta. In regiis caſtris res confuſae. Sueſſanus, dum Orgivae obſeſſae ſuppetias laturus incedit, gravi damno affectus. Galeria et Urci et mox Illipula Filabriae et totus Bacenſis ager ad Abdalam deficiunt.* XVIII. *Ad Galeriam poſita a Velezio caſtra. Queiaris belli arx ab Auſtrio petita et, diffugientibus Mauriſcis, capta. Inde tota vis contra Galeriam verſa. Favarce marchio juxta Calahorram funditur, et impedimenta amittit.* XIX. *A. Luna Ronda deducere Mauriſcos in longinquiores provincias juſſus, ſeditione excitata impeditur, quae licentia militum immani vindicatur, corrupta foede militari diſciplina.* XX. *Guſmanorum et Pontiorum Legionenſium illuſtres in Baetica familiae. Per principes illarum cum Mauriſcis de conditionibus agitur. Melicus*

homo

homo facinoroſus pacis internunciis interfectis rem turbat. Ad Arbotam locum a Mauriſcis munitum pugnatur. Clades ab Aracoſio ad Mundam accepta. XXI. *Tandem Melici morte debellatum, biennali bello fine impoſito.*

EX AUCTORIBUS,

Antonio Fuen-majore, qui vitam Pii v *Hiſpanice ſcripſit; Lud. Marmolio Carvajali; Antonio Errera; Didaci Hurtadi Mendozae commentario* [1] *non edito, quem auctor a lectiſſima ac virilis animi foemina, Julia Sabella, illuſtriſſimi Joannis Vivoni marchionis Piſanii vidua, habuit; Ambroſio Morale; Genuenſium annalibus.*

LIBER QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX

IN hunc annum deſiit Maurorum Granatenſium motus; qui, quo minoribus initiis coepit, ac proinde neglectus primum eſt, eo majore cum periculo totum biennium res Hiſpanas miſcuit. Ejus originem, cauſas et ſucceſſus nunc ordine exequemur; eoque diligentius, quod ejus mentionem facere alii contenti fuerunt, Hiſpani ſoli ſua lingua bellum illud deſcripſerunt. Pyrenaeo et mari Mediterraneo oceanoque incluſas illas provincias Saraceni, Jacobi Almanſoris, qui tunc in [a] Arabia felice ſedem habebat, auſpiciis poſt ſeptingenteſimum viceſimum quartum a nato Chriſto annum, Juliani [b] Baeticae comitis privatam injuriam ultum euntis, inſtigatu ingreſſi, tractu temporis totas, paucis exceptis, occuparunt, ex vicina [c] Africa confluentibus in dies ad eos auxiliaribus: varioque eventu diu inter eos pugnatum fuit, uſque ad Ferdinandum [d] Arragonium et Iſabellam [e] Caſtellenſem, qui reliquias abominandae ſectae tota Hiſpania abolevèrunt, Granatenſi regno, quod ſolum ex tot victoriis ſuperabat, armorum vi in poteſtatem redacto. Sed non propterea expugnatae populorum illorum mentes; ex quibus plerique, ne bona ac res ſuas deſerere cogerentur, nomen Chriſtianum nefanda diſſimulatione mentiti, in Baetica remanſerunt, ceterum priſtinos animos et de republica ac impia ſecta ſenſus retinuerunt. Id cum praeſules iis praepoſiti praeſentirent, idonea pro tempore remedia adhibuerunt. Petrus [f] Guerrerius Granatenſis archiepiſcopus, de ſuo munere ſolicitus, poſt Tridentinum concilium peractum, concilio in provincia celebrato ad eos in fide confirmandos pleraſque ſanctiones fecit: placuitque in eo inter praeſules, rex ſacri ordinis nomine rogaretur, ut conſtitutione publica aboleret ritus et quae ejus ſectae adhuc veſtigia ſervabant, exemplo ex conciliis Africanis ſumpto, in quibus idem contra infideleis olim decretum fuit. Probavit rex conſilium; et pragmarica edita mandavit Mauriſcis, ſic eos populos vulgo vocant, linguam ac ceremonias ex ſecta antiqua derivatas mutarent; balneorum, quibus admodum delectatur gens munditiei dedita, uſus omitterent; nuptias, omiſſis inter eos uſurpari ſolitis ritibus, celebrarent; denique domorum januas Veneris diebus, qui apud eos ſolemnes ſunt, ad purgandam ſuſpicionem, minime clauſas tenerent. Vetitum item, ne mulieres velata facie incederent. Severe admodum ab Inquiſitionis miniſtris contra ſuſpectos exercita juriſdictio. Sed nulla re magis exaſperati ſunt, quam quod aſyla in ipſorum odium ſublata ſunt, et negatus ad templa Chriſtianorum fugientibus receptus, quod in uſu inter eos populos huc uſque fuerat. Multi ob id, quibus in urbe minime aut tutum aut honeſtum

INTERPR. [a] *l'Hyemen.* [b] *Andalouſie.* [c] *Barbarie.* [d] *d'Arragon.* [e] *de Caſtille.* [f] *Guerrero, archevêque de Grenade.*

NOT. [1] Depuis imprimé à Lisbonne l'an 1627, dix ans après la mort de M. de Thou. *Put.*

honeſtum videbatur degere, ea relicta, in montes proximos conceſſere, ex rapto vitam CIƆIƆLXX. tolerantes, et viatores plerumque vita et re ſua ſpoliantes. Itaque ſeniores et aucto- CAROLUS IX. ritate praecipui ac ſub iis adulti juniores, memoria repetentes, poſt Ferdinandi et Iſabellae tempora, ſemel atque iterum ſimileis ob cauſas non tam inſeliciter quam nullo ſucceſſu ſumpta arma, facile ſibi perſuaderi paſſi ſunt, ut in tam juſta cauſa pro libertate, cujus recipiendae commodius tempus veniſſe arbitrabantur, extremum periculum facerent. Ardebat tunc bellis civilibus Gallia proxima ob religionis cauſam; et in [a] Belgio ob eandem cauſam tumultuante vires Hiſpanae occupabantur. Ex Africa crebri nuncii, ſeu veri ſeu ab motus incentoribus conficti, afferebantur, Turcum magnam claſſem contra Chriſtianos parare; quam, ſi in Hiſpania res turbare intellexerit, eo potius, quam in aliam quamvis provinciam, ſit inducturus: illic vim et propugnaculum Chriſtiani roboris eſſe: nec commiſſurum potentiſſimum imperatorem, ut ſuae ſectae reliquias miſerabiliter ante oculos perire ſinat. Hac fama praeoccupatis animis, alioqui continua injuriarum ſerie irritatis, conventus ſecretus indicitur, in quo primarii inter illos de republica in commune conſultarent, ad [b] Cadiarum municipium inter [c] Granatam et mare vicinum [d] Almeriamque urbi cognominem fluvium ſitum ad [e] Alpuxarrae fauces. Id monti nomen, qui ab ortu ad occaſum XVII leucarum ſpatio porrigitur, X leucas latus, aſper ac fere ſterilis, niſi quibus locis miti jugo in planitiem deſcendit; Mauriſcorum cura et induſtria excultus, ita ut fruges producat, armentis ac pecoribus abundet, et ſerici magnam copiam praebeat. In eo belli gerendi arx poſita, quod et difficilis acceſſu, et vicinus mari, unde auxilia exſpectabantur, et jamdudum a ſuis, ut libertatem tuentur, illuc confugientibus totus fere inſideretur. Ex omni aetate et conditione delecti aderant; in iiſque qui vulgo [f] Monfies vocantur, quibus reſpondent qui in belli ſacri hiſtoria Aſſaſſini nominantur; homines ad caedeis auctorati: eoque conventu actum de tempore et ratione rei cum ſingulis communicandae; decretumque fuit, ut vidui viduos, qui uxores haberent maritos, qui nondum uxores duxiſſent coaetaneos adoleſcentes conſilii participes facerent. Hyemis tempus delectum, cum noctes longiſſimae; qua commoditate uſi conſcii citra tumultum ex proximis montibus urbi propinquare poterant, claſſe regia per portus huc illuc diſtributa, ſine milite et debili remigio: placuitque tandem, ut ad Domini proximum natalem anni CIƆ IƆ LXVIII coirent, cum Chriſtiani in templis ſecuri et de precibus puro corde ad Deum fundendis tantum ſoliciti feriabantur, de cetero frigore torpentes et ſine armis domi reſiderent; tunc enim a conſciis armatis et expeditis rem tuto tentari poſſe. Sic autem ordo compoſitus: ut eodem tempore, quo motus per urbem crebreſceret, IIII CIƆ hominum ex Alpuxarrae montibus ſe cum [g] Albaicinis conjungerent, et urbem atque [h] Alhambram in primis partim facto per portam impetu partim ſcalis admotis aggrederentur.

II. GRANATA a Mauris condita fuit in [i] Illiberis ruinis, quam Hiſpani vulgo Elviram dicunt; et ambitu ſuo [k] campum Inſantium complectitur, locum ita dictum, quod in eo Petrus et Joannes principes ſortiter pugnantes occubuerunt, ab [l] Oſmi Iſmaelis primario duce caeſi. Ex Damaſci vicinis populis huc coloniam deductam memorant Arabum annales, anno decimo poſt Gothos Baetica exactos a [m] Tariſa Aben-Ziet ſummo Jacobi Almanſoris exercituum imperatore; neque tamen in ea urbe regiam ſedem conſtitutam ante [n] Bedim Habudi filium, qui relicta [o] Corduba civitatem ad [p] S. Joſephi turrem fundavit in Alcaçava, vulgo Judaeorum dictam, et ad [q] Chriſtophori ſanum regiae ſedem fixit, ſtatua equeſtri ex aere in ſummo colle erecta cum

INTERPR. [a] *Pays-bas.* [b] *Cadiar.* [c] *Grenade.* [d] *Almeria.* [e] *l'Alpuxarra.* [f] *Monfiez* [g] *habitans de l'Albayzin.* [h] *l'Alhambra.* [i] *Illiberia*, Hiſpanis *Elvira*, Mauris *Gebel Elbeyra.* [k] *Sierra de los Infantes.* [l] *Hoſmen.* [m] *Tarif Aben Ziet.* [n] *Bedis Aben Habuz.* [o] *Cordoua.* [p] *Torre de San Joſefo, que llamanan de los Judios en el Alcançava.* [q] *San Chriſtoval.*

cum lancea et clypeo, adjecto elogio, BEDIS ABEN-HABUD SAPIENS EDICIT, HINC ANDALUZIAM DEFENDENDAM ESSE. Addunt, ab uxoris ejus nomine, quae Nahata dicebatur, et voce Garb, quae occaſum ſignificat, nomen urbi inditum: nam id in uſu Saracenis praecipue Aſianis eſſe, ut ex ſitu nomina urbibus imponantur. Alii alias denominationis rationes afferunt, quas referre ſuperfluum videtur. Conſtat certe inſigne urbi regnoque malum-granatum datum, ſive id ex alliterationis errore, ut in [a] Legionenſi regno et Galaecia evenit, ſive a fructu in ea regione copioſo id fluxit. Poſt Bedim reges Saraceni ſemper in ea urbe ſedem habuerunt, uſque ad Aben-hul, qui [b] Almohadas Hiſpania expulit, et Almeriam regni caput conſtituit. Occiſo Aben-hul virtute et ductu Ferdinandi Sanctii, Granatenſes ſibi in regem delegerunt Mahometem [c] Alhamarem Arionae dynaſtam, qui ſedem regni ex Almeria rurſus [d] Granatam tranſtulit: crevitque ab eo tempore in tantam magnitudinem urbs, ut Arabes affirment LX CIↃ domos in ea numeratas. [e] Bulharis, qui artem tranſmutandi in aurum metalla cetera percalluiſſe inter ſuos putatur, [f] Albaicinum muris cinxit, et a reliqua civitate diviſit, Alhambram cum [g] turre Commarenſi exſtruxit. Huic decem reges ordine ſucceſſerunt, quorum effigies in ſpatioſa Alhambrae aula nunc et hodie viſuntur, et a multis tradita per manus ſcientia adhuc internoſcuntur. Poſtea Philippus arcem in ea ſtupendi operis ex coeruleo lapide artificioſe ſecto ſtruxit; cujus area rotunda triplicibus moenianis, quae columnis marmoreis venuſto ordine diſpoſitis ſuſtentantur, et lata ambulatione diſtincta eſt. Urbs partim in quatuor collibus, partim in plano ſita eſt: ima a mercatoribus Hiſpanis et opificibus, ſacro ordine et nobilitate incolitur, majore templo admirandi operis, in quo Ferdinandi Arragonii et Iſabellae Caſtellenſis monumentum viſitur, ſpectabilis. In ea et Albaicinum eſt a Mauriſcis fere habitatum, quaſi Baecenſem vicum dicas, quod ex [h] Baça pulſi Mauri eum in locum quaſi in coloniam deducti ſint: [i] Daurus fluvius mediam praeterlabitur, cujus ripas ſingulari urbis commodo tinctores et fullones tabernis ſuis occupant. Nam magnum ſerici et panni opificium in ea urbe eſt, praecipue in [k] Antiquerula, ſic dicta urbis regione, quod Mauri ab Antiquera eo olim commigraverint. Daurus ex monte nivoſo ſcaturit haud longe a Genilii, [l] Singlis olim dicti, fontibus; qui alter fluvius extra urbem labitur, tam ſalubribus aquis, ut infirmi ejus potu levari credantur, et Mauri ex Africa valetudinis cauſa ad eum magna frequentia olim accederent. Alhambra capta et tormentis quae in ea erant, convenerat, ut ad primam diſploſionem, qui ex vicinis montibus profecti extra urbem ſignum exſpectabant, ad portas ſtatim accurrerent; iiſque perruptis, ignem altera, altera ferrum manu tenentes, per vias diſcurrerent, nemini obvio parcentes, et ubique in domos ad terrorem defenſoribus incutiendum incendia jacientes. Miſſi interim ad [m] Algeriae proſultanum et [n] Feſſae regem nec non et Conſtantinopolim legati auxilia communi cauſae poſcentes: reliquum tempus exercendae juventuti, annonae per tuguria ſepoſita in montibus recondendae, fabricandis armis novis, aliis quae diu occultaverant detergendis, loco caſtris deligendo, munitionibus deſignandis impenſum. Quo tempore et iterum primarii ex Albaicino [o] Churrianam extra urbem convenerunt, de eadem re amplius conſultaturi. Magnoque tunc errore a moderatoribus civitatis peccatum fuiſſe aiunt, quod, cum ſevere omnia, quae conventiculorum ſuſpicionem facere poterant, Mauriſcis interdixiſſent, tamen iiſdem permiſerant, ut ptochotrophium in gratiam novorum Chriſtianorum Reſurrectionis titulo nuper inſtitutum ad pietatis officia exercenda et eleemoſynas colligendas frequentarent, ubi religionis ſpecie quotidie convenientes pernicioſa conſilia agitabant; neque jam de colligendis eleemoſynis cogitantes, ſed

de

INTERPR. [a] *Leon & Galice* [b] *les Almohades.* [c] *Alhamar, ſeigneur d'Ariona.* [d] *Grenade.* [e] *Bulbar.* [f] *l'Albayſin.* [g] *la Torre de Comares.* [h] *Baça.* [i] *Darro.* [k] *Antequeruela.* [l] *Xenil r.* [m] *le Dey d'Alger.* [n] *Fez.* [o] *Churriana.*

de pecuniae in id bellum collatione aliiſque apparatibus faciendis inter ſe diſſerebant: quod tamen non tam ſecreto inter eos agi potuit, quin vel ex indiciis vel ſuſpicione aliquid ad regios praefectos emanaverit. Verum illi ob contentionem de auctoritate jam pridem inter ſe diſſidentes, dum alter in alterius juriſdictionem invadit, aut aemulatione vel invidia cuncta ſocii acta reſcindit, vel apud principem elevat et calumniatur, aut durius quam per leges licebat in ſuſpectos animadvertebant, aut omnino ſegniter in eo negotio verſabantur. Praeerat cum ſupremo militari imperio [a] Inicus Lupus Mendoza Mondejaris marchio cum filio [b] Tendillae comite, a cognomine Mendoza I Tendillae comite genus trahens, qui poſt Granatenſe regnum Mauris ademptum primus provinciae a Ferdinando et Iſabella impoſitus res in ea ſumma prudentiae et moderationis laude ordinaverat, conſilio praecipue uſus Ferdinandi Talaverae, qui primus in ea civitate archiepiſcopus creatus fuit. Praetoris juridici officio in eadem urbe hujus motus tempore ſungebatur Petrus [c] Deça, quem vulgo cancellariae praeſidem vocant; vir cunctis vitae togatae gradibus laudabiliter decurſis clarus, et qui [d] Guerterio archiepiſcopo aliiſque Inquiſitionis miniſtris exactam villicationis ſuae rationem ſemper reddiderat. Ii communi conſilio, quantum per diſſidium inter eos aſſidue recurrens licebat, omnem operam dabant, ut conjurationem, de qua in ſuſpicionem venerant, detectam opprimerent. Dumque Deça in ea certius indaganda laborat, Mondejar in aulam excurrit, et ſupplementum militare a Philippo petit: quod, occulto adhuc motu, aegre illi conceſſum, cum aulici, viribus regiis longe occupatis, inutili nec neceſſario ſumptu aerarium onerandum negarent, et ad famam pertinere dicerent, ne rex eo tempore bellum in Hiſpaniae viſceribus habere videretur. Accedebant et Deçae et archiepiſcopi ad regem in arcano perſcriptae rationes, qui privata ambitione incenſi via juris potius quam militari vi, quae penes Mendozas patrem filiumque erat, Mauriſcorum audaciam refraenari debere contendebant. Itaque perexiguae illi attributae copiae, quod maturandae potius quam diſturbandae conjurationi cauſam praebuit; quippe cum conſcii tam debileis vireis ſibi minime pares exiſtimarent, et vererentur, ne diuturniore morâ relangueſcentibus ſuorum animis res tandem detegeretur. Secundum haec [e] Monſies, qui in montibus vicinis jam copias ſuas per legiones et cohortes diſtribuerant, huc illuc diſcurrentes ad arma ſine dilatione capienda ſedulo hortabantur, miſſis in [f] Africam nunciis, qui de die capiendis armis deſtinato foederatos certiores facerent; monerentque eos, ut auxilia accelerarent; [g] Caeſarienſeis quidem, ut ad [h] Charidemi promontorium, hodie Gatae vocant, Almerienſibus et Alpuxarrae populis praeſto futuri, claſſem appellerent; [i] Tituanos, ut ad [k] Marabellae litus curſum dirigerent, [l] Malacenſibus et conſciis, qui in [m] Rondae montibus habitabant, praeſentia ſua animos facturi. Fruſtra ſolicitati qui in proximo Valentiae regno ex peſtiferae ſectae reliquiis ſuperabant; quippe de exitu veriti, et nondum temere inceptae temporibus Caroli V in [n] Spadenſibus montibus conjurationis depoſita memoria. Itaque eventum motus operiri ſtatuerunt, antequam huic militiae nomen darent, ex tempeſtivo auxiliorum, quae a Caeſarienſibus et Tituanis exſpectabantur, adventu conſilium rebus ſuis capturi. Interea celebratus inter conſcios ſolemnis conventus V Kal. Oct. in [o] Albaicino in aedibus [p] Zinzani; cui interfuit [q] Al-Partal, qui Narillae habitabat, haud longe a [r] Cadiaro, homo praedives et inſigni ſolertia praeditus, qui, poſtea ad ſolicitanda auxilia in Africam ſemel atque iterum miſſus, altera legatione, male de Maurorum in Hiſpania rebus ominatus, mature res omneis ſuas ac familiam et duos fratres [s] Caeſaream ſecum abduxit. Is et Xenis, qui poſtea proditione

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Inigo Lopez de Mendoça, marquis de Mondejar.* [b] *Tendilla* [c] *Deça, preſidente de la chancilleria* [d] *Guerrero.* [e] *Monſiez.* [f] *Barbarie.* [g] *ceux d'Alger.* [h] *Cabo de Gata.* [i] *ceux de Tetuan.* [k] *Marbella.* [l] *ceux de Malaga.* [m] *Sierra de Ronda.* [n] *Sierra de Eſpadan.* [o] *l'Albayzin.* [p] *Zinzan.* [q] *Al-Partal de Narilla.* [r] *Cadiar.* [s] *Alger.*

proditione [a] Aben-Abum alterum Mautiſcorum regem creatum ſuſtulit, Alpuxartenſium nomine delegati deliberationi intervenerunt; non tam ut ſe illi ſummitterent, quippe regem, qui a Caeſarea mitteretur, expectare certi, quam ut conſilia ſociarent, et pro communi libertate idem cum aliis ſentire ſe oſtenderent. Ubi [b] Ferdinandus, Valorius a proximo cognomine vico dictus, ac vulgo [c] Caguer, quaſi minor, alio nomine Abenjahuar vocatus, ſumma vir dignitate et prudentia inter Mauriſcos excellere creditus, cum videret, fluctuare conſilia, nutare voluntates, animos pleriſque in dies refrigeſcere, et in tam confuſa multitudine quot capita tot ſenſus exiſtere, gravi ac vehementi oratione regis creandi auctor fuit: et, Quouſque nobis, inquit, amici, contubernales ac commilitones, per ignaviam noſtram illudi patiemur? Quouſque nobis, perinde ac ſi conditionis ſervilis ſimus, tanquam viliſſimis mancipiis homines infeſtiſſimi abutentur? Uxores, liberos, res noſtras in poteſtate ſua obtinent; nec poſt tot ſaecula, poſt duriſſimam ſervitutem tamdiu ſervitam ſpes ulla libertatis affulget. Nova onera, novas pecuniarum collationes, nova tributa quotidie imponunt. Quot in civitate inquilini ſunt, tot crudeliſſimos tyrannos cervicibus noſtris impoſitos experimur. Aſyla nobis adempta, ad quae fortuiti criminis reis aut privatae ultionis cauſa, quod ſaepius excuſatur, graſſantibus tutum ſemper perfugium patuit. Negatus et ad templa receptus; quo alioqui ire ad ſacra quotidiana audienda ſevere compellimur: ni facimus, grandi pecunia ad ſacerdotum explendam avaritiam mulctamur. Nobis, pro dolor! cum Deo et hominibus interdictum commercium: quippe inter Chriſtianos quaſi Mautiſci, hoc eſt, abominandae ſectae homines reputamur; inter Mauros, quaſi Chriſtiani, ſuſpecti habemur, ita ut nos illi neque verbo dignentur, neque opibus ſuis juvent, aut commercium nobiſcum exerceant. Nos ergo, quia fidem ſervamus ſcilicet et vili obſequio miſeram vitam redimimus, undique miſeri ſumus, aeque his et illis inviſi ac ſuſpecti. Et, ne quid intactum illi relinquant, nos Caſtellenſi lingua, quam neſcimus, loqui jubent: ſi recuſamus aut ignorantiam praeteximus, id protinus in malam partem interpretantur, quaſi vel Caſtellenſis lingua a Mahometana lege aliena ſit, vel lingua Mauriſca Jeſu Chriſti legem amplecti non poſſimus. Praeterea liberos noſtros ad conventus ſuos citant; et eas artes, quas majores noſtri ſemper exhorruerunt, cogunt perdiſcere. Vix vacuus a minis tranſit dies, liberos a gremio ac complexu matrum, a patrum conſpectu in terras longinquas ſe abducturos, ut matres, quae ipſos pepererunt, oblivisci diſcant, odia contra parentes, qui eoſdem genuerunt, exerceant. Quid ſaevius, quid inhumanius? Veſtitum antiquum prohibent, et Caſtellenſe induere jubent; nec multum curant, quis antiquum, quando ita volunt, exoletum emet, unde novus paretur: aut, ſi emptor deſit, quis ad novum, qui, quia in uſu eſt, pluris conſtat, emendum pecuniam commodabit. At homines, nulla re magis quam odio validi, veſtimento religionem non intimo cordis affectu aeſtimant; idque agunt, ut nos, qui nihil in terra Caſtella poſſidemus, ad extremam inopiam redigant, dum nos, alias egenteis, Caſtellenſium exemplo novas ſubinde in dies veſteis mutare cogunt, ut, cum ad mendicitatem pervenerimus, nemo nos ſtipe juvet. Quid plura? [d] Aethiopum mancipiorum uſum prohibent: atqui candidos, quod ejuſdem nobiſcum ſunt nationis, habere ſervos nobis minime licet: nunc eos, quos educavimus, ad uſum ac mores noſtros aſſuevimus, adimunt, ne, qui filios non habent, aut liberos homines ad ſervitium alere ob facultatum tenuitatem non poſſunt, habeant unde in morbis, in aetate decrepita, ſibi ſubveniant. Uxoribus, ac virginibus, filiabus velum pudicitiae inſigne detrahunt: et januas aperire mandant, ut, domibus, quae cuique tutiſſimum perfugium ſunt, apertis, ad adulterorum, graſſatorum, furum injurias pateamus. Nec ſatis illis ad odium exſatiandum fuit,

INTERPR. [a] *Aben Abu.* [b] *Hernando de Valor.* [c] *el Zaguer* [d] *Negres.*

fuit, miſeros homines omnibus vitae commoditatibus privaſſe, niſi oblectamenta publica et domeſticae hilaritatis inſtrumenta nobis invideant. Muſicae inter nos uſitatae, cantionum, ſaltationum et chorearum uſum interdicunt. Balneis domi ad munditiem ac curationem corporis foeminas uti vetant. At quouſque patientiam noſtram tentari, quouſque injurias ſemper recenteis ad veteres addi feremus? Quid adeo nos terret? Aſpicite orbem Chriſtianum perplexis et contrariis de religione opinionibus ubique ſectum: Belgii turbas conſiderate: quid in Francia, quid in Germania agatur, in mentem revocate; et metuite principem, cujus aerarium pecunia exhauſtum, claſſes disjectae, remigium ex liberis hominibus conſtans, claſſiarii duces quaſi captivi et male animati potius ad defectionem quam ad obſequium ſpectant. Hoc rerum ſtatu nihil dubium eſt, quin primo impetu non ſolum Granatam occupare, ſed totam Andaluziam a majoribus veſtris olim poſſeſſam reciperare exiguo negotio poſſitis. Si juſta deſideria anguſtioribus finibus circumſcribitis, quis vos ex circumpoſitis montibus undique praeruptis et aſperis, in quibus valles naturali ſitu munitorum caſtrorum ſpeciem prae ſe ferunt, deturbare poterit? vos, inquam, frigus, inediam, aeſtum, ſitim ferre aſſuetos, in eadem diſciplina praeterea educatos, qua ii ſunt qui vos oppugnaturi ſunt? At arma deſunt. Vobis ex ſuperiore loco pugnantibus et locorum gnaris contra eniteneis ex imo et in anguſtiis per avia ſubeunteis ad eos dejiciendos ſaxa et ſilices affatim natura ſubminiſtrabit. Tam laudabile facinus auſuri ſperate propitium Numen. Id et aſtra et vaticinia certa, in quibus patres noſtri ſemper ſummam fiduciam poſuerunt, vobis pollicentur; et prodigia tot ubique conſpecta adverſam adverſariis fortunam ſpondent. Acies in coelo noctu nuper ad [a] Nivoſi montis crepidines viſae concurrere, tot ignotae aves Granatam ſupervolitantes, tot monſtroſi partus, ſolis denique, cujus benignus aut triſtis aſpectus ad Chriſtianos pertinet, nuper deliquium gravis damna hoſtibus portendunt: lunae, cujus in tutela nos noſtraque ſumus, ſemper amicum lumen experti ſumus. Quid igitur moramur? An ut conſilium per ſe glorioſum, ex neceſſitate juſtum, conatu non adeo periculoſum, ſi differatur, evaneſcat, et, quod pro communi ſalute ſuſceptum eſt, in ſingulorum perniciem vertat? Ita res habet: conſilium, quod nunc capimus, nos ejuſdem criminis reos facit; ſi votis reſponderit, decus, honorem, opes, et quicquid per libertatem optatur, ex aequo daturum. Sed ad illud perficiendum celeritate, ferro, concordia, ſecreto opus eſt, et, qui haec omnia unus ſuppleat, generoſo duce. Hunc vobis impraeſentiarum eligendum ſuadeo; ſive ſummus armorum imperator videtur ſatis eſſe, quomodo [b] Xeques majores veſtri ſibi multoties delegerunt; ſive cum regiis inſignibus, ad majorem dignitatem conciliandam, et renovandam priſcorum regum, qui tantum ſui terrorem in Hiſpania reliquerunt, memoriam, ornatum vultis. Non erit deliberandi, cenſendi, decernendi ac decreta retractandi finis, donec unus cum ſumma poteſtate variantibus tot conſultorum ſententiis modum faciat. Verborum admodum ſatis, nunc facto opus eſt, commilitones; et rege ſeu duce, qui bellum tanto animo, quam juſte decretum eſt, capeſſat, et feliciter adminiſtret. Deſinentem Ferdinandum clamor aſſentientium et ad libertatem proclamantium ſecutus; ſed eligendi regis, quod et ipſum placuit, ob exortas difficultates, et quod legatos in Africam miſſos prius exſpectandos quidam dicerent, in commodius tempus dilata deliberatio.

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

III. CUM vero jam ante ipſo Paraſceves die et poſtea Septembri menſe in eo fuiſſent ut arma caperent, tandem praecipui conjurationis incentores aliique cum XXVI delectis ex Alpuxarrae montanis ad [c] Michaelis fanum in aedibus [d] Hardonis hominis manu prompti, quem Lud. Chriſtophorus [e] Pontius Legionenſis Aracoſiae dux poſtea ſupplicio

INTERPR. [a] *Sierra Nevada.* [b] *Xequer.* [c] *San Miguel.* [d] *Hardon.* [e] *Ponce de Leon, duc d'Arcos.*

ſupplicio affici juſſit, tertio convenere. Ibi ſummo omnium conſenſu electus Ferdinandus [a] Valorius, a vico cognomine, in qno in Alpuxarrae montibus habitabat, dictus, Ferdinandi, qui bellum ſuaſerat, ſobrinus, et opibus ac nobilitate inter eos excellere creditus, juvenis XXV annorum, de cetero natura ferox, neqne tam moribus quam audacia tantae dignitati par. Res ſolemni inter ſuperſtitioſos populos ritu peracta. Stabant vidui ſeorſim a maritatis, et qui nondum nxores duxerant ab utriſqne ſeparati: Monſics in alia parte ſedebant. Tum ab impiae legis ſacerdote lectum ex vaticinio fictitio carmen ad praeſentem rerum ſtatum accommodatum; quo ab Hegira Mahometis, hoc eſt, a fuga damnandi praeſtigiatoris ex [b] Mecha, qui mos numerandi annos inter Saracenos obtinet, putato tempore ad hunc annum, fore dicebatur, ut juvenis ex gente Mahometis, licet Chriſtianorum lavacro ablutus legi ſuae renunciaſſe videretur, ſtato tempore ſuſcitaretur, qui poſt longam ſervitutem libertatem ſuis reſtitueret. Idque in Ferdinandi genus, aetatem et tempus quadrabat. Quo facto, purpuram juveni induunt, collo et humeris inſignia colorata faſciae ſpecie circumdant; humique quatuor vexilla quaſi ad quatuor mundi partes directa inter ſe decuſſata deſtituunt. Ipſe cernua facie ſuper incubuit, et orationem ſecretam habuit: et verbis conceptis juravit, legem ſe ſuam eique addictos populos ſibi commiſſos ſervaturum ac defenſurum. Tum ſurgens pedem porrexit: moxque [c] Farax Aben-Faraxii in obedientiae ſignum cunctorum aſtantium nomine ſe proſtravit, et ſolo, quod Ferdinandus veſtigiis preſſerat, oſculum infixit. Poſtremo in humeros ſublatum cuncti regem ſalutant, hac acclamatione addita, DEUS EXALTET [d] MAHOMETEM ABEN-HUMEIAM GRANATAE ET CORDUBAE REGEM: qui ritus in priſcis Andaluziae regibus inaugurandis ſervabatur. Secundum haec cum in eo conventu munia inter praefectos tam praeſenteis quam abſenteis diderentur, et cuncta ad bellum magno aſſenſu pararent, unus in tanta multitndine repertus eſt Cardenas nomine, ſartoris filius, homo dives ac valde ſagax, qui contradicere auſus eſt, et charitate potius quam metu communis criminis reus eſſe noluit. Is multis verbis diſſeruit, ut oſtenderet, virium Philippi et Maurorum comparatione facta, et excuſata ſeu regiorum mandatorum ſive judicum ac praefectorum ſeveritate, non niſi ſumma cum temeritate et ſcelere rem adeo periculoſam tentari poſſe; et ſatius eſſe ſervitutem vel diriſſimam ſervire, quam intempeſtiva libertatis ſpe cum certa totius gentis pernicie, quam patientia vitatam oportuit, rempublicam arbitrio paucorum committere. Dicentem increpuit Ferdinandus [e] Caguer, jam ſummus novi regis vicarius deſignatus; et contraria oratione ſaniora ſuadentis rationes refutavit, apud ultione ardenteis jnvenes pronioribus auribus acceptus. Inde ſummo ſilentio cuncti digreſſi. Nam in ea conjuratione admirandum fuit, quod nnllus transfuga, nullus index ſecreti fuit.

IV. CAGUER, qui deinceps [f] Aben-jahuar dicetur, [g] Cadiarum, ubi domicilium habebat, reverſus, quo municipes ſuos ſcelere ad inceptum perſequendum obligaret, auctor fuit, ut Erreram tribunum et XL milites, qui [h] Abderam cum eo proficiſcebantut, illuc pernoctanteis in hoſpitiis ſuis interficerent. Et hoc motus initium fuit; quo capiendorum armorum neceſſitas Mauriſcis impoſita eſt. Selimus magnus Turcorum imperator, ad quem [α] rei nondum fama pervenerat, tunc grandi claſſe inſtructa de expeditione contra Chriſtianos tanto apparatu digna ſerio conſultabat; et, ut ſecurior ab omni parte eſſet, cum Perſarum rege de Armeniae finibus ad tempus convenerat; ut Syriam pacatam haberet, per Sinanem purpuratum Arabum tumultuantium et ad praedas diſcurrentium motus pacaverat; de bello contra Venetos et [i] Tunetanum regem transferendo cogitans. Cum vero per [k] Algeriae

proſultanum

VAR. LECT. [α] hujus motus nondum inchoati fama *D. f.*

INTERPR. [a] *de Valor.* [b] *la Mecque* [c] *Farax Aben Farax.* [d] *Muley-Mahomet Aben Humeia.* [e] *el Zaguer.* [f] *Aben Xahuar.* [g] *Cadiar.* [h] *Adra.* [i] *le roy de Tunis.* [k] *le dey d'Alger.*

ꟾprofultanum de Maurorum in [a] Baetica conſilio cognoviſſet, mandaverat, quo Philippus vireis diverſis locis diſtractas habere cogeretur, ut Mauriſcis ſpem de auxiliis faceret, perſuaderetque miſeris hominibus, ſi prima initia proſpere cederent, fore, ut Turci omne belli robur in Hiſpaniam verterent. Cum igitur Mauriſci ad proſultanum miſiſſent, ille magna ſpe eos implevit: ceterum de claſſe, quam penes ſe ad expeditionem Tunetanam habebat, mittenda ſe excuſavit, quouſque ampliora mandata a Porta accepiſſet: idque agebat, ut vel cum Baeticorum Maurorum periculo tunc decretam pro Tunete et Biſerta reciperandis expeditionem facilliorem redderet, Philippi viribus domi occupatis. Cum Feſſano rege et actum; qui, inita ſerio ratione virium Mauriſcorum et auxiliarium cum Philippicis, cum eas longe inferiores adverſus tam potentem regem comperiſſet, non deſiit tamen eos hortari, ut in laudabili libertatis reciperandae propoſito perſeverarent, et ſuppetias ſe miſſurum in tempore recepit. Tandem paulo poſt mactatos Aben-jahuaris ſuaſu Cadiari hoſpites conſcii facinore jam efferati per Alpuxarram et circa Almeriam Mauriſcos ad arma aperte capienda incitant: et [b] Faraxius, qui primus obedientiam novo regi juraverat, et ab eo ſummus magiſtratus ad jus inter eos populos reddendum conſtitutus fuerat, cum CL delectis diſcurrens ad VI CIↃ hominum fere ſine armis, ceterum ad pugnam et diſciplinam paratorum, ſecum traxit; cum iiſque ad Granatam die condicta vim facere ſtatuit. Secure agebatur in urbe: et [c] Mondejar, qui exiguas circa ſe copias habebat, nihil magni adverſus ſuſpectos moliri audebat; tantumque ad omneis caſus fortuitos intentus erat, ex iis conſilium capturus; ne, ſi antevertiſſet, motus potius ciendi quam impediendi occaſionem quaeſiviſſe diceretur. Deça contra Mondejari ob acreis de juriſdictione contentiones infeſtus, quanquam in re conjuncta, omnino ſeparata ab eo conſilia habebat, et raris congreſſibus id agebat, ut ex aemuli negligentia ejus apud regem exagitandi occaſionem captaret. Eo ſtatu cum res Granatae eſſent, caſus intervenit, qui fere conjuratorum conſilia diſturbavit. Ea nocte, quae Domini natalem praeceſſit, nix ſolito copioſior in [d] Solario monte proximo, per quem Alpuxarra ad urbem venientibus iter erat, ob id alias [e] Nivoſo dicto, ſe effuderat et vias confuderat, oppletis ubique confragoſis locis, in quae miles praecipitabat, et plerumque obruebatur. Nihilominus dulce inexpertis bellum: et animus a Faraxio ſuis additus periculum et difficultates illas ſuperavit: et ipſe cum CL delectis, quos penes ſe habebat, per [f] portam Guadianam, tympana, citharas, aliaque inter Mauros ad horrorem cieri ſolita inſtrumenta pulſans, et populum ad libertatem vocans, ad [g] Albaicinum contendit. Tum ad minas, ſi qui reſiſterent, preces et promiſſa addita: ad ſtipendium ſuppetere pecuniam; [h] Feſſani regis et Algeriae proſultani claſſeis in propinquo eſſe; nihilque in miſera ſervitute degentibus ſupereſſe, quam ut liberi eſſe velint. His vocibus ingens Chriſtianis in urbe timor additus, reputantibus ſub tanto rege, tot nuper in Belgio adoreis macto, tot viribus terra marique ſubnixo, domi et in media pace non niſi periculoſiſſimo exitu motus intervenire poſſe. [i] Tagaris et Monfarris, per ſingulas noctes antea vagis circa [k] Helenae fanum impreſſionibus diſcurrentes, pridie ſub urbis portas venerant, de die incerti, allatis ſecum ſcalis, ut vim ad [l] Alhambram facerent: ſed, cum nuſquam Faraxius compareret, ad ſua redierunt, abſconditis in proximo cavo ſcalis. Poſtridie, cum ob adverſam tempeſtatem minime venturos ſocios putarent, ſe domi continuerunt; quod maxime res eorum labefactavit. Nam magnum in iis ad Alhambram vim facturis momentum erat. Itaque, cum ad Albaicinum Mauriſci poſticum aperiri juberent, unus ex ſenioribus per feneſtram rogavit, quot eſſent: cumque conſcii reſponderent, ſex millia adeſſe, ille ſubjecit, Pauci eſtis, et cito veniſtis.

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

Quo

INTERPR. [a] *Andalouſie.* [b] *Farax Aben Farax.* [c] *le marquis de Mondejar.* [d] Antiquis *Solarius*, Mauris *Solaya.* [e] *Sierra Nevada.* [f] *puerta de Guadix.* [g] *l'Albayzin.* [h] *le roy de Fez, & le dey d'Alger.* [i] *Tagaris y Monfarrix.* [k] *Santa Helena.* [l] *la Albambra.*

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

Quo dicto ad Alhambram principium fieri debuiſſe ſignificabat; et, niſi ea capta, fruſtra ſperari, ut Albaicinenſes arma caperent. Inter Chriſtianos, diſſidentibus praefectis regiis, tamen, quanquam in nocte, non ita confuſe adminiſtrata res. Nam ſinguli regionum duces protinus ad ſuas quiſque ſtationes conceſſerunt. Mondejar, etſi ſuis praedixerat, ſi quid motus interveniret, ut diſploſione terna tormentorum audita ex Alhambra ad ſigna convenirent, quod idem ſignum, Mondejare inſcio, conjurati iis, qui campeſtria circum habitant, dederant, tamen omnem in tenebris motum periculoſum veritus a ſigno dando abſtinuit; ſatiſque habuit, delectos mittere, qui Alhambram diligenter tuerentur, quouſque dilueeſceret. Interim ad Albaicinum ire pergit: et oppidanorum primarios allocutus hortatur, ut fidem ſervarent, neque turbulentis conſiliis ſe temere immiſcendo ſceleris paucorum univerſam civitatem ream facerent. Illi, qui de exitu diffiderent, poenitentium potius quam in propoſito obſtinatorum ſpecie, fidam operam neque ſe ab obſequio ſolito diſceſſuros ſpondent. Reſponſoque contentus Mondejar, quando aliud pro tempore non poterat, quippe de viribus hoſtium incertus, ad civitatem redit: cognitoque eos ad [a] domum Gallinarum, quae [b] Genillio amni imminet, et vulgo ab indigenis [c] Daralquid vocatur, fluvio tranſmiſſo, in proximum montem evadere, inſeſſis delecto milite aditibus, et dato negotio Tendillae comiti filio, ut cum equitatu praeſidiario civitatem ſervaret, ipſe ubi diluxit ad perſequendos hoſteis cum delecta manu pergit; eumque cum ſuis ſecutus eſt Petrus [d] Zunica Mirandae comes primariae dignitatis et potentiae illis locis vir. Cum Albaicini incolae non moverentur, Alhambra in poteſtate regiorum manente, et qui campeſtria habitant, non dato ex Alhambra ſigno, minime in urbem accurrerent, Faraxius mature de receptu cogitavit ſub horam octavam matutinam; et [e] Niguelam verſus cum ſuis ordine incedentibus iter intendit, et, quanquam Mondejare inſequente, ſine jactura in tutum ſe recepit. Laborabatur in urbe ſtipendii penuria; ideoque infrequentiores ad ſigna conveniebant milites: et equitatus fere ex volonibus non ita diſciplinam ſervabat. Ob id veritus Mondejar, ne ſe abſente Albaicinenſes cum iis, qui campeſtria habitant, vireis ſociarent, et periculoſiore motu res in urbe turbarent, ſubito Granatam revolat, ut cuncta ad bellum neceſſaria coram pararet, dum rex de re omni certior fieret. Interea tota urbe trepidabatur: ſacerdotes et coenobitae circa templa in orationibus, nec non mulieres, pueri et imbellis ſexus aſſidui: alii in rebus convaſandis intenti dubio eventu ſuſpendebantur. [f] Loxa et Alcala vicinis praeſidiis evocatus a Mondejare miles; datumque negotium, ut [g] Reſtavale, quo ituros primum hoſteis apparebat, Chriſtiani in urbem deducerentur. [h] Durcali II cohortes impoſitae; quae Mauriſeis Granatam venientibus a tergo eſſent. [i] Tablatae pontibus cuſtodiendis [k] Didaeus [α] Quixada cum II ſignis, altero peditum, altero equitum, praeficitur, ut Alpuxarra ad urbem iter intercluderet.

V. Deça jam metu liberatus, non magis de urbis ſecuritate, quam de ſimultatibus, quas cum Mondejare exercebat, ſolicitus, ut aemulo moleſtiam faceſſeret, ad Ludovicum [l] [β] Faſſardum Veleſii marchionem Murciae regni praeſidem et Carthaginenſis provinciae praefectum ſcripſit, ut ex ſuis praeſidiis ac clientibus et amicis quas poſſet copias colligeret, et ad Granatenſeis res firmandas quam primum Almeriam veniret: ſummo in periculo provinciam verſari. Erant ab antiquo occultae a patribus coeptae Faſſardo cum Mendoza ſimultates. Faſſardus Tunetano bello et ſuſcepta in Provinciam noſtram expeditione Carolo V operam navaverat: Mendoza ad Algeriam militaverat: et uterque regionis ſuae peritia pollebat, morumque et ingenii

VAR. LECT. [α] Quexada *D. f.* [β] Fajardum *ubique* *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *caſa de las Gallinas.* [b] *Xenil.* [c] *Darallaid.* [d] *de Zuniga, comte de Miranda.* [e] *Niguelas.* [f] *Loxa & Alcala.* [g] *Reſtaval.* [h] *Durcal.* [i] *Tablate.* [k] *don Diego de Queſada.* [l] *Fajardo, marcheſe de Velez, adelantado del reyno de Murcia, y capitan general en la provincia de Cartagena.*

ingenii eorum, cum quibus res illis erat. Faſſardus ſubito, acceptis Deçae literis, CIƆIƆLXX.
ad profectionem ſe comparat, amicis undique evocatis. At Aben-humeia, qui huc CAROLUS IX.
uſque de Albaicinum et campeſtria habitantibus bene ſperaverat, et eventum opperiens in urbe latuerat, ubi ex voto rem non ſuccedere vidit, ſolus obſoleto habitu Granata exit; et, conſcenſo equo ad id parato, [a] Lanjarone vitato, quo tendebat, [b] Valorium ſuperius contendit. Mauriſci duas in partes in receptu copias diviſerant: pars ad [c] Orgivam iter habuit, municipium ex ditione olim Ferdinandi [d] Conſalvi Cordubenſis, magni Ducis cognominati, et nunc ipſius nepotis [e] Sueſſae ducis, portu commodum inter Granatam, quam ad ſeptentrionem reſpicit, et Alpuxarrae fauces; Almeriam ad ortum, ad occaſum [f] Salobrenam haber. Heic collocati bis mille homines in XX ſigna diſtributi, quibus praeerat [g] Mecinae praefectus et Corcenlus. Gaſpar Saravia, qui turrem praeſidio Sueſſani nomine tenebat, CLX circiter Chriſtianos, qui ſupererant, ad ſe recipit. Id indignati Mauriſci ex adverſa templi turre crebris ſcloppetorum ictibus obſeſſos infeſtant; unde a Chriſtianis erumpentibus dejecti ſunt: mox cum ad muri ſuffoſſionem ventum eſſet, conatus quoque fruſtra fuit. Nequicquam ſolicitati obſeſſi ut ſe dederent, precibus et minis additis: Granatam et Alhambram jam in poteſtate Maurorum eſſe; proinde ſe reſpicerent, et Aben-humeiae regis arbitrio ſe permitterent. Tum alta voce, nam inter Mahometanos tintinnabulorum uſus non eſt, ad orationem ſe parare omnes juſſi. Dum in eo ſunt, altera Mauriſcorum pars ad Faraxium excipiendum deſtinata Aben-humejam regem Valorium deduxit, ubi eodem ritu quo prius rex ſalutatus eſt. Heic [h] Aben-jahuar regis ſobrinus rurſus ſummus imperator dictus, et ſecundae ab eo Faraxio attributae ſunt, [i] Alguaſilum vulgo vocant: rex treis uxores ſibi ſumpſit; principalem, quam ſecum ſemper ducebat; alteram ex [k] Amenzora; tertiam ex [l] Tabernis, qua re ſibi provinciam illam devinxiſſe videbatur: aliam jam in matrimonio habebat; cujus pater [m] Roias, cum generum ſequi nollet, cum aliquot ejus cognatis juſſu novi regis interfectus eſt. Eam ille poſtea dimiſit, et ſocrui in gratiam filiae pepercit. Inde quaſi victores ad rapinas et crudelitates verſi; quas nullo diſcrimine in Chriſtianos per Alpuxarrenum et Almerienſe territorium exercuerunt, profanatis paſſim templis, et monachis vario diriſſimorum tormentorum genere affectis. [n] Quecifiari, ubi Auguſtinianum coenobium erat, cum illi ad turrem ſe collegiſſent, incendio locum conſumpſerunt; miſeros homines captivos in oleum fervens, cujus abundantia illis locis eſt, conjecerunt. Plebanum [o] Torquenſem, ut erat veſtitus, pulvere tormentario impleverunt, et igne immiſſo crudeliter cremarunt: ejus vicarium in terram vivum defoderunt umbilico tenus, ſagittas in os tanquam in ſcopum per ludibrium dirigentes. Alios ita defoſſos ad mortem uſque reliquerunt, crudeliore mortis genere, quippe fame et vermibus toto corpore ſuccreſcentibus enectos. Quoſdam membris mutilarunt, et mulieribus infeſtiſſimis acuum ictibus interimendos tradiderunt. Nonnullos et ad Chriſtiani nominis opprobrium cruci affixerunt; ſummamque in iis conſtantiam experti ſunt, quippe qui nullis poenis adduci potuerunt, ut fidei verae ejeratione vitam redimerent. Aben-jahuar contra in ſpeciem obnitebatur; et blanditiis potius graſſandum ſuadebat. Aben-humeia vero affectata clementiae laude ſummopere ſe ab hujuſmodi crudelitatibus alienum ferebat, edicto propoſito, ne quis in pueros decem annis minores, in mulieres item alioſve homines ſine cauſae cognitione ſaeviret. Interim in [p] Africam fratrem juniorem Abdalam tunc dictum miſerat cum mancipiis aliquot, ut ea dono [q] Algeriae proſultano offerret:
et,

INTERPR. [a] *Lanjaron.* [b] *Valor.* [c] *Orgiva* ou *Orgiba.* [d] *Gonçales de Cordoue,* ſurnommé *le grand capitaine* [e] *Seſſa.* [f] *Salobrena.* [g] *l'alcayde de Mezuna & Corceni.* [h] *Aben-Xabur.* [i] *Alguazil-mayor.* [k] *Almançora.* [l] *Tavernas.* [m] *Miguel de Rojas.* [n] *Guecija.* [o] *de Terques.* [p] *Barbarie.* [q] *le dey d'Alger.*

et, jurata Selimo obedientia, auxilia promiſſa urgeret. Proſultanus Abdalam perhonorifice, ut regis fratrem decuit, excepit; et ſericis veſtibus donatum ad Portam cum commendatitiis literis miſit. Rebellionum graſſante per totum Almerienſe territorium exemplo, [a] Ramis, qui CIↃ CCCC ducebat, [b] Chitem Almeriae vicum occupat, ratus fore, ut qui in urbe Mauriſci erant, tam vicinis ſociis, arma caperent. Erat in urbe vir primariae auctoritatis et opibus potens [c] Alſonſus Vanegas nomine, a Joſepho Aben-Alma Granatae olim rege genus trahens, cui delatus per literas Almeriae principatus, ſi Aben-humeiae militare vellet: quas ille cum aliquandiu ſervaſſet, et poſtea non reſeratas ad magiſtratum attuliſſet, ab eo acerbe increpitus, Neſcitis, amici, inquit, ſpes regni quam potens ſit ad emovendam mentis conſtantiam machina. Quo dicto cum ſe ſatis excuſatum putaret, et ſemper egregiam operam poſtea Philippo navaſſet, tamen, quod propterea ſe ſuſpectum videret, ex animi moerore deceſſit. Garſias [d] Villaroelius Almeriae praefectus cum milite, quem penes ſe habebat, et oppidanis, quibus fidebat, ſub auroram in palanteis invectus eos magna clade affecit. Ramis, cum iis qui ſuperfuerunt, aſſumpto ſecum recenti ſubſidio, [e] Caſtrum-Ferreum occupavit, quod eſt Sueſſani ditionis, loco a [f] Machino prodito; occiſique, excepto eo, omnes municipes. Inde [g] Morrilium ducit; et partem inquilinorum incendio cum loco conſumpſit, abductis Mauriſcis, ne de iis Chriſtiani ſupervenientes ultionem ſumerent. Parte alia, [h] Didacus Gaſca poſt [i] Errerae mortem [k] Abderae ad mare ſitae praepoſitus fuerat, quam Petrus [l] Verdugus mature poſt rebellionem milite et annona muniverat: nam mox eo hoſtes duxerunt: eumque Gaſca cum delectis C ſcloppetariis et L equitibus erupiſſet, et de pugna minime cogitans tubicinem, cui [α] Sanjacobo nomen, alta voce, ut ad ſe veniret, juſſiſſet, illi [m] Sanjacobi nomine, quod Hiſpanis in uſu eſt, ſignum pugnae dari putantes, non expectato dum acies ordinaretur, ſolutis ordinibus manus conſerunt, et poſt exiguum certamen confuſi ab inſtructis in fugam, amiſſis C ex ſuis, conjecti ſunt.

VI. INTEREA, dum res ad Orgivam geritur, crebreſcentibus ſemper rumoribus quaſi auxilia ex Africa ſperata in propinquo eſſent, Aben-humeia cum [β] Quixada conflixit; eumque, [n] Tablatae relicto ponte, retro [o] Durcalem ſe cum damno recipere coegit. Quo cognito, Mondejar, etſi impar viribus, tamen, dum majores copiae convenirent, ad famam pertinere ratus, quas habebat educit III Non. Febr. [γ] anno CIↃ IↃ LXIX, relicto Granatae filio Tendillae comite, et Alhambra validiore praeſidio firmata; et Orgivae ſuppetias laturus [p] Alhendim venit cum IↃ CCC peditibus et CC equitibus, et, per [q] Al-Padulem facto itinere, ad Durcalem novis copiis ex [r] Baetica venientibus locum condixit; et inde profectus ad Tablatam cum hoſtibus conflixit, qui ter mille et IↃ erant, partim ſcloppetis, partim balliſtis et fundis armati: eumque, rupta pontis parte, ſolutis ordinibus ſenſim ſe reciperent, impreſſione facta Mondejar eos in montem proximum compulit; et refectum ex tabulis et aſſeribus tumultuaria opera pontem praeſidio valido firmavit, eique [s] Valdivium cum ſua cohorte impoſuit, ut ſecurum iter Granata Alpuxarram tendentibus redderet. Inde Orgivam verſus progreditur, Franciſco filio per montana ſubſequi et latus tegere juſſo. Hoſtes, accenſis ignibus, inter muſicas cantiones noctem inquietam more ſuo agebant, quaſi ad pugnam parati: ſed poſtridie, conſpectis regiis, vaſa conclamarunt. Mondejar urbem ad extrema jam redactam et oppugnationibus aliquoties tentatam praeſentia ſua recreavit, et annona ac recenti milite firmavit: cumque aliquot copias [ſ] Corduba ſummiſſas accepiſſet, [t] Poqueram, ubi Aben-humeiam aciem inſtruxiſſe allatum erat, iter pronunciat. Rivus intercedit Orgiva Poqueram tendentibus,

VAR. LECT. [α] Santjago D. f. [β] Quexada D. f. [γ] anno CIↃ IↃ LXIX deſunt D. f. o.

INTERPR. [a] *Ramix.* [b] *Chite.* [c] *Alfonſo Habis de Vanegas.* [d] *de Villaroel.* [e] *Caſtel de ferro.* [f] *Machin.* [g] *Motril.* [h] *Diego de la Gaſca.* [i] *de Errera.* [k] *Adra.* [l] *Verdugo.* [m] *Santjago.* [n] *Tablate.* [o] *Durcal.* [p] *Albendin.* [q] *Padul.* [r] *Andalouſie.* [s] *capitan Valdivia.* [ſ] *Cordoua.* [t] *Poqueyra.*

dentibus, qnem hinc inde inſedere utrique exercitus ad [a] Alfaxalarium vicum. In hoſtium caſtris erant IIII CIƆ bellatorum. Ex iis conſtabat quadratum agmen per latera decuſſatum; in cujus dextra Aben-humeia IƆ delectos ſcloppetarios ſeu balliſtarios in inſidiis locaverat, [α] nec minorem numerum in ima convalle abdiderat. Mondejar non plus III CIƆ peditum et CCCC equites ſecum trahebat; ex quibus agmen in latum porrexit, ad latera delectis ſcloppetariis firmatum; equitatum in ultimo agmine ſtatuit, et delecto itidem peditatu firmavit, quatenus per anguſta incedentibus ordines ſervari poterant. Tum Franciſcum filium cum II ſignis peditum et C equitibus ſeorſim a ſe praeire jubet, nt imis montium inſeſſis in ſumma evaſuris Mauriſcis aditum intercluderet. Ita inſtructa acie ad rivum deſcendit. Heic cum aliquandiu velitationibus certatum eſſet, hoſtes, rati regios jam feſſos, a fronte et per latus erumpentibus inſidiis, in ultimo agmine pugnam acrem cient; et horam fere ancipiti marte praeliatum eſt: parumque a periculo Chriſtiani abfuerunt, ſcloppetariis jam recedentibus et inclinato equitatu: ſed, reſtituto a Mondejare huc illuc diſcurrente certamine, cum hoſtes aſtum non ſucceſſiſſe cernerent, protinus de receptu in montes proximos cogitare coeperunt; quos acri impreſſione facta Mondejar recedenteis ſolvit, et mediam leucam inſecutus ad [b] Zubienam uſque fere IƆ ex iis cecidit, non plus X ex ſuis deſideratis. Franciſcus Mendoza, qui recipientibus iter incluſerat, magnum periculum adivit, ſede excuſſus; vixque per medios fortiter pugnans evaſit. Alfonſus Portocarrerus ſagittis infectis ictus et ipſe obſtinate pugnavit, donec pervadente veneno concidit.

VII. MORIS erat Hiſpanis, cum ante ſcloppetorum uſum balliſtis tanquam potioribus armis uterentur, ſagittas inficere praeparato ad id veneno. [c] Oroſpeda et Dubeda Caſtellae montes id toxicum ſumminiſtrant; in quibus helleborus niger freqnens, qui, coctus ac diſſolutus, dein ad ſolem denſatur, colore obſcuro et ſubrubido, odore acri et tamen ſuavi. Reperitur et in [d] Nivoſo monte juxta Granatam, [e] Reialgar Mauri vocant, herba balliſtaria propterea dicta; quae, quod lupos enecare creditur, lycoctonos Graecis dicitur; et aconitum eſſe putatur: color ei niger et odor gravior: utrique idem effectus; rigor et torpor, caligo oculorum, ventriculi ſubverſio, labra ſpumantia, et virium proſtratio, ita ut ea peſte infecti omnino concidant. Hoc venenum ſanguineam maſſam praecipue corrumpit; et, licet extracta ſagitta, per venas ad cor pervadit. Suctu plagam, ſi cito id fiat, curari, ſicuti Pſyllos olim in Aegypto in ſerpentum morſibus adhibitos, vulgo perſuaſum eſt. Nunc adverſus peſtiferum malum utuntur ſucco cotonei mali, et geniſtae; cujus foliis maſticatis tanta vis ineſt, ut venenum intus conceptum per plagam foras educant. Conjectis in fugam hoſtibus, [f] Poquera victori patuit, locus alioqui [β] munitiſſimus; in quem Mauriſci uxores, liberos, pretioſioraque omtuia ſua incluſerant. Nullo non genere crudelitatis ac libidinis in eo ſaevitum, exaſperatis regiis et ultionem quaerentibus: qui ſuperfuere, in miſeram captivitatem rapti ſunt. Praeda majorem partem, et locus ipſe, ne ab ipſis inſtaurari poſſet, incendio conſumptus. Poſtridie [g] Pitras itum: cognitoque Aben-humeiam ad Jubilem locum ad mare portu commodum cum novis copiis caſtra muniviſſe, acceptis denuo Corduba II equitum vexillis et I peditum, ad hoſtem ducitur; qui, non expectato Chriſtianorum adventu, eſptata occaſione ex coelo tunc nebuloſo, ſub horam prandii tribus partibus acriter impetum fecere; et, ſtationibus primis dejectis, vix tandem repulſi ſunt. Recreato milite, Mondejar iter perſequitur; quoque magis falleret, per [h] Trevelem via aſpera et impedita inceſſit, totamque noctem inter nives adhuc eo tempore praealtas exegit.

Sparſa

VAR. LECT. [α] et majorem item *D. f.* [β] munitiſſimus, diffugientibus pavore defenſoribus; in quem *D. f.*

INTERPR. [a] *Alfaxarali.* [b] *Rubien.* [c] *montagnes de Beja & Guadarrama.* [d] *Sierra Nevada.* [e] *Realejo* [f] *Poquejra.* [g] *Pitras.* [h] *Trevel ou Teruel.*

CIↃIↃLXX. CAROLUS IX. Sparſa fama erat, quaſi in caſtris hoſtium grande diſſidium eſſet, et Aben-jahuar in ſuſpicionem veniſſet initi de ſe interficiendo ab Aben-humeia conſilii, ideoque pacis occaſionem quaereret. Dum in itinere eſt Mondejar, praemiſſo [a] Jubilem verſus [b] Tello Aquilare cum ſua equitum ala, venerat a Jubile Chriſtianus unus cum III Mauriſcis, qui arcis praeſidiarios et oppidanos imperata facere paratos eſſe dicebant. Ii in fidem accepti: quae minime iis ſervata fuit, mulieribus, pueriſque ac dedititiis immaniter ſtupratis aut occiſis, quod, nocte interveniente, a ducibus prohiberi non potuit. Occaſio ex eo ſumpta, quod, cum miles mulieri vim inferre vellet, a Mauriſco dedititio prohibitus, et, ſicuti ab iis qui factum excuſant proditum eſt, occiſus fuit. Sub id [c] Giron et Maços ſtrenui duces ex [d] Abunuela et Niguela cum IↃ delectis in Aben-humeiae caſtra venerunt, et praeſidium, ad cuſtodiam pontis [e] Tablatae relictum, expugnandum ſuſcepere, ut annonae a tergo in caſtra regia illac comportari ſolitae via intercluſa militem a ſignis diſcedere cogerent. Nec caruit ſucceſſu conatus. Nam poſt aliquod certamen regii loco dejecti; et, cum ſe ad proximum templum recepiſſent, incenſo templo una et ipſi perierunt. Sed mox, Alvaro [f] Mantiee ſuperveniente cum CCC peditibus et XXC equitibus ex marchionis [g] Pliegi legione, a Tendillae comite accito, et traditis ei [a] CCCC delectis peditibus et CXX equitibus, pons receptus. Jubile digreſſus Mondejar [h] Uxixaram venit; et in itinere aliquot Mauriſcos, qui cum uxoribus et liberis in ſpelunca ſe defendebant, fumo et igne potius quam vi armata expugnatos in poteſtatem redegit. Aben-humeia [i] Paternae tunc caſtra muniverat; et inde legatos de pace ad Mondejarem miſerat: quos ille penes ſe retinuit, nec iter coeptum intermiſit, donec cum prima acie in hoſteis impetum fecit, qui adhuc tunc IIII CIↃ in armis erant; acrique conſerto juxta [k] Ynicam certamine, Alfonſo Cardena cum equitatu ſtrenue rem gerente, hoſtes in montes proximos cum damno compulſi. Nocte ingruente, regii ne ulterius fugienteis inſequerentur prohibiti ſunt. Mondejar poſtridie Paternam venit, militi in praedam datam; ubi non minore libidine et avaritia quam [l] Poquerae ſaevitum fuit, nec minor parta praeda. Id ultimum Aben-humeiae conſertis ordinibus cum Mondejare certamen fuit; ab eoque tempore Mauriſci ſe in montes receperunt, ſitu potius, propter inacceſſa et avia locorum, quam propria vi tuti.

VIII. Gasca, qui [m] Abderae erat, cum ſibi a [n] Toronenſibus vicinis timeret; quod Mauriſcos receptare intellexiſſet, eo profectus, ac nemine obvio reperto, dum hoſteis veſtigandi ſpecie res abditas ſerutatur, mortem, quam minime quaerebat, invenit, a Mauro, literas fictitias porrigente, dum illas aperit, in ventre acinace ictus. Moriens praedam ingentem, quam ex miſera gente fecerat, inter milites dividi juſſit, quaſi mortis ſuae cauſam deteſtatus. Poſt Poquerae, Jubilis et Paternae ſucceſſus, cum res in Alpuxarra quietiores putarentur, ſubito novi motus ad [o] Guajarras orti ſunt. Tres pagi ſunt ad occaſum inter [p] Almuneçarem et Lecrinae vallem ad montium radices, quibus ad [q] Herraduranm portum itur; et XXIII triremium olim caſu, et Joannis Mendoſae, ſummi maris praefecti, fortiſſimi viri, nec Bernardino patre, ſive induſtriam ſive animos ſpectes, inferioris, morte funeſtum. Origo a regiorum intemperie fuit. Nam unius ex illis pagi dominus cum miſeros ruſticos quaſi de peſte Mahumetana ſuſpectos, occupatis eorum bonis, in captivitatem vellet abducere, et libertatem ſtupri militi faceret, illi ex deſperatione conſilium cepere: et, cum aliquandiu vim minantibus reſtitiſſent, nocte jam obſcura, cum minime putabat, certamen redintegrant; et inopinato oppugnatores aggreſſi eos in vicinum templum compellunt, et igne mox accenſo in eo cremant. Loci dominus extra

VAR. LECT. [a] CCCCC *D. f.*
INTERPR [a] *Jubiles.* [b] *Tello de Aguilar.* [c] *Giron & Maços.* [d] *Abunuelas & Neguelos.* [e] *Tablate.* [f] *Manrique.* [g] *de Pliego.* [h] *Uxixar.* La Carte met *Oxixar.* [i] *Paterna.* [k] *Ynox.* [l] *Poqueyra.* [m] *Adra.* [n] *ceux de Turon.* [o] *las Guajarras.* [p] *Almuneçar & Val de Lecrin* al *Lechin* [q] *puerto de la Herradura.*

extra pugnando oeciſus eſt. Succeſſu non tam inflati quam efferati ruſtici, nam potius neceſſitate quam conſilio factum, protinus, quae ira miniſtrabat, arma ſumentes, fundas, balliſtas, galeas, confluenre ad communem uitionem confuſa multitudine, duo iliis locis podia occupant, et tumultuariis operibus muniunt. Giron, Maços et Comat, ab Aben-humeia ſummiſſi, illis ſe duces praebuerunt. Id ubi reſcivit Mondejar, qui interim [a] Andaraxlum venerat, et, [b] Chele monte capto, et libertate pleriſqne Chriſtianis, quos Granatam miſerat, reſtituta, [c] Ohanem venerat, relicto idoneis locis praeſidio, protinus ad Guajaras cum II CIƆ peditum et CC equitibus contendir, eodem paene tempore, quo [d] Veleſii marchio a Deça praeſide aemulo per literas ſaepius repetiras accitus cum bis mille circiter peditibus et CCC equiribus in Almerienſe territorium deſcenderat, et jam aliqnot loca ceperat, non minore ſaevitia in milites et imbellem ſexnm dedititioſqne graſſatus. Sub id et Petrus Mendoza, ab aula ob varia, qnae ob praefectorum contentiones ſubinde de rebus Granatenſium afferebantur, miſſus, venit in caſtra, ut coram res propius inſpiceret, et certiora ad regem perferret. Mondejar ambitione potius quam conſilio hanc expedirionem ſuſcepiſſe creditur, ne Veleſius cum recenti milite veniens rei confectae gloriam ipſi praeriperet. Itaque a filio, qui Granatae erat, quique potius expeditioni praefici debuir, ſummiſſis aliquot copiis ſubnixus, quas Portocarrerus ex venenatae ſagittae ictibus jam recreatus ducebat, eae omnino erant CIƆ pedites, et II alia ſigna peditum cum CL equitibus delectis, et comitis [e] Sanſtephani, qui ex clientibus ipſius et amicis ſub id venit, praeſentia confirmatus, Guajaras venit; ſubitoque caſtris munitis, hoſteis per podia a ſe munita commeanteis et ex inferiore cum foeminis et imbelli ſexu in ſuperius ſubeunteis animadvertens, id metus indicium accepit. Erat cum Mondejare Joannes [f] Villaroelius Garſiae [g] Caçorlae praefecti, qui proxima cognatione cardinalem [h] Ximenem archiepiſcopum olim Toletanum et Hiſpaniarum proregem attinere dicebatur, filius, jam aetate provectus et longo rerum uſu expertus; diuque exercituum curator, crebris contra tribunos et belli duces accuſationibus, famam incorrupti animi promeritus Almeriae praefectus fuerar; ceterum inquieti animi, et qui periculoſiora ſemper ſectabatur. Is a Mondejare importunis flagitationibus impetravit, ut cum L delectis ad perluſtrandum hoſtilis propugnaculi ſitum mitteretur: nam ex caſtris id commode cognoſci non poſſe: quod ea lege ei permiſſum, ne plus L ſecum duceret, neve inferius hoſtile podium praetergrederetur. Sed neutrum, accepta ſemel venia, ſervavit. Nam et limitem praeſcriptum, quanquam ſaepius a Mondejare revocatus, exceſſit, et, cum IƆ CCC amplius, ſeu virtutis oſtentandae ſtudio ſeu praedae ſpe, ſequerentur, eis potius audendi quam parendi in exemplum fuit. Initio [α] reſtitare hoſtes, et huc uſque victi victores expaveſcere: verum, ubi confuſos ruere et incerto imperio, nam fere volones erant, et ſibl quiſque dux potius quam miles eſſe videbatur, qua pedes ferebant, incedere viderent, ex pavore ſenſim animos collegerunt; et, ubi, vix medio colle ſuperato, poſt irritos ſcloppetorum ictus relangueſcere regiorum vim et pulverem alta voce inter jam ſpiritu deficientes peti intellexerunt, paucos primo emittunt, plures duce [i] Camare, qui regios ſolutos et anima linquente debileis e ſuperiore loco incumbentes ſaxis dejectos facile pepulerunt. In eo conflictu periere Villaroelius ipſe; qui alios inculpare ſolitus, ne cum pudore errorem poenitentia emendare cogeretur, mortem optavit; Ludovicus [k] Pontius Legionenſis Ludovici filius, Joannes [l] Roquillius cohottium Granatenſium curator; et Ferdinandi [m] Orugnae tribuni

uuicus

VAR. LECT. [α] timeſcere *D. f.*

INTERPR. [a] *Andarax.* [b] *Chele.* [c] *Obane.* [d] *le marquis de los Velez.* [e] *de San Eſtevan.* [f] *de Villaroel.* [g] *adelantado de Caçorla.* [h] *Ximenez, archevêque de Tolede.* [i] *Zamar.* [k] *Ponce de Leon.* [l] *Ronquillo, veedor de las companias de Grenada.* [m] *Oruna, maeſtro de campo.*

unicus filius in conſpectu patris, dum ſtrenue pugnam capeſſit, occiſus: multi praeterea milites caeſi aut rivo ſubjecto merſi. Hier. Padilla [a] Gurerii Lupi filius graviter vulneratus a ſervo domeſtico averſis veſtigiis retractus eſt, quem mox ille libertate donavit. Mondejar, qui temeritate ſuorum hoſti animos creſcere indignaretur, Alfonſo [b] Cardenae negotium dat, ut eum delecto equitatu effundenteis ſe in planitiem Mauriſcos reprimeret, et intra montium clauſtra retro compelleret. Quod cum ille haud ſegniter feciſſet, injecto rurſus inſoleſcenti hoſti terrore, poſtridie majore mole oppugnatio tentata per eam partem, qua calle ſecundum montem porrecto aditus in podium patet: nam aliis duabus partibus locus erat inacceſſus. Locati in inſidiis delecti, qua Mauriſci in montana aufugituri erant; cauteque a Mondejare ſervatum, ne id obſeſſi cognoſcerent. Quippe ſic eſt Maurorum ingenium, ut, cum ſe undique nulla effugii ſpe cinctos vident, animos in pugna ad perniciem obfirment; ſi exitus pateat, mature fuga ſibi conſulant. Cum fortiter utrinque ad veſperam uſque pugnatum eſſet, receptui cani juſſit Mondejar, hoſpitio in proximo ab oppugnatoribus firmato. Quo conſpecto, cum inter obſeſſos diſſidium eſſet, pleriſque extrema, aliis ſaniora ſuadentibus, Camar aliique ex eo genere Monſies cum uxoribus liberiſque gnari locorum per avia noctis obſcuro defenſi aufugerunt. Nihilominus die ſequenti cum iis, qui remanſerant, rurſus obſtinare certatum, foeminis viros ad defenſionem hortantibus, et ipſis pugnam fortiter capeſſentibus. Tandem locus vi captus. Nulli, ſic mandaverat Mondejar, ſexui aut aetati parcitum. Foeminae ſtupratae prius, et mox crudeliter trucidatae. Cetera praeda militi ceſſit. Giron captus, ex ictu ſcloppeti in femore accepto debilitatus. Camar ex fuga retractus, dum filiae chariſſimae, quae viae laborem ferre non poterat, periculum potius quam ſuum reſpicit; et Granatam a Tendillae comite ductus publice forcipibus ardentibus concerptus eſt. Inde Mondejar, praemiſſo [c] Sanſtephani comite cum exercitu, qui ipſum [d] Veleſii Benaudallae expectaret, [e] Almuneçaram, Salobrenam et [f] Motrilium luſtravit, aliaque loca ad mare poſita; quibus praeſidio firmatis, et [g] Rondam uſque pacata circum regione, in caſtra rediit, et loco Villaroelii Franciſcum filium curatorem conſtituit: qua re rurſus calumniandi ſe occaſionem aemulis praebuit. Veleſio dein Orgivam divertit, ubi pleroſque deditirios in fidem accepit, dubia ſpe libertatis, et tamen regis nomine vitae gratia facta. 12 circiter mulieres in poteſtate parentum, fratrum aut proximorum non ſuſpectorum depoſitae; et mox, ne inutili ſumptu provinciam exhaurirent, ſuis redditae. Ad praedas dein licenter diſcurſatum per totam Alpuxarram: veſtigatae domus; et tormentis adacti ad indicandum quae pretioſiora recondiderant. Poſt bellum confectum ſeverius cum ſuſpectis actum; qui Inquiſitionis arcano fere diſſipati perditique ſunt, novis ex aliis Hiſpaniae provinciis in eas regiones deductis coloniis.

IX. Ubi a Mauriſcis paulum metus conquievit, renovatae inter Mondejarem et [h] Deçam apertae ſimultates: et Deçae aſtu in alterius invidiam in majus Veleſii evecta fides, diligentia, ſolertia, virtus. Contra, Mondejari vitio datum, quod ingenio ſuo plus juſto tribueret, res omnis ex patris filiique arbitrio penderet, nullam ſecreti praeſidi aut magiſtratibus partem faceret, plura, quam par aut aequum eſſet, miniſtris militaribus permitteret, erga militem eſſet indulgentior, annonam male adminiſtraret, provinciae denique gravis eſſet, poenas pro arbitrio, quod ad magiſtratum pertinebat, in deditirios ſtatueret. Nec ex adverſo tacebatur praeſidis diligentia et in hoſtium conſiliis indagandis ſolertia, et in tanto periculo auxiliarium undique acerſendorum cura. Contra, Mondejarem alii excuſabant; rem militarem non ut cetera munia adminiſtrari: ſummum imperium penes eum eſſe, qui conſilia quidem cum tribunis ac ceteris belli ducibus communicare, ceterum ſecreti neminem participem

INTERPR. [a] *Guthiere Lopez.* [b] *de Cardenas* [c] *de San Eſtevan.* [d] *Velez de Benaudalla.* [e] *Almuneçar.* [f] *Motril.* [g] *Ronda.* [h] *Deça.*

participem facere teneatur: ſine ſtipendio aegre militem ſub ſignis retineri, ſine pecunia annonam inter milites dividi non poſſe; cum utrunique defuerit, mirum non eſſe, ſi in militem interdum indulgentior, provinciae gravior in convehenda ex civitatibus annona fuerit, nec utrobique tam exacte diſciplina ſervata ſit: ſuas res, ſuum ſibi ſecretum habeant praeſes et magiſtratus; ſciantque homini armato et inter pericula verſanti durum eſſe, ut a togatis et ſecure per urbes ſpatiantibus legem accipiat. Nihilominus praevaluere adverſus Mondejarem in aula calumniae; ab eoque tempore, Deça inſtante et [a] Veleſium ſemper ingerente, quaeſita occaſio, qua honeſte vir dignitate et meritis praecipuus ex provincia revocaretur. Pacatis utcunque circa Granatam rebus, bellum in Almerienſi territorio, ubi rem Veleſius gerebat, recruduit. Nam [b] Tacalis ex omni gente huc illuc ſparſa ad CIↃ ſecum receptaverat, et ad [c] Ohanem in montis radicibus caſtra muniverat. Veleſius ſemel atque iterum conſertis manibus numero potior hoſtem fudit: CC in poſtremo certamine deſiderati, et Tacalis ipſe, qui uxorem, filios teſque ſuas in eo loco habebat. Nuſquam magis libidine et ſaevitia graſſatum a voluntario milite; idque immanitatis inauditae ultione excuſatum, quod paulo ante Maoriſci XX virgines Chriſtianas ex voto mactaſſent, quarum capita ſparſis capillis pro valvis templi adhuc proſtabant, totidemque idolorum cultores, ita ſacerdotes noſtros, quod ante Imagines procidant, vocant, ſe ſacrificaturos proximo conventu juraſſent. Idem et ab Hariadeno [d] Ahenobarbo ſactitatum tunc memorabant, qui Carolo V militaverant, cum ad [e] Tunetis expeditionem proficiſceretur: nam in Chriſtianae claſſis conſpectu quinque pueros ab illo ob eandem cauſam quaſi totidem victimas mactatos. Sub id a Philippo miſſi Jo. Mendoza et Antonius Luna Alvari filius, qui Tendillae comiti per patris abſentiam a conſiliis eſſent, haud dubia jam tum regis a patre ac filio animi alienati ſignificatione. Joannes civitatis curam habere juſſus, quam Tendillae comes antea habuerat, parte peditatus attributa. Antonius circumpoſitae regioni praepoſitus eſt; eique CC equites adjuncti cum delecta peditum manu. CIↃIↃLXX. CAROLUS IX.

X. MONDEJAR, qui in recipiendis in fidem ſine conditione populis interea occupabatur, cum reſciviſſet [f] Aben-humeiam cum XXX equitibus diſcurrentem [g] Valorii in aedibus paternis et [h] Mecinae receptum habere, mittit qui loca ſerutarentur; qui, nemine reperto, pagos jam deditos crudeliter diripuerunt, et ruſticos captivos fecerunt: ſed mox libertas miſeris hominibus Mondejaris fidem appellantibus reddita. Iterum eodem miſſi exploratores, lingua Arabica Adalides vulgo dicti, homines expedita celeritate, et in fugitivorum veſtigiis indagandis ſagacitate, cum mandatis, ut vivum mortuumve Aben-humeiam, ſicubi nanciſcerentur, ſiſterent. Ii cum muſices Mauriſcae concentum eminus ſe auribus percepiſſe renunciarent, datum protinus Antonio [i] Avilae et Alvaro [k] Floro negotium, ut cum CCC ſcloppetariis eo, unde fragor exaudiebatur, Valorium profecti rectores pagorum officii admonerent, et ſuſpectos coram Mondejare ſiſterent, de cetero ab omni in ruſticos injuria abſtinerent. Erant rari in caſtris milites, poſt tot direptiones injuſſu Mondejaris in domos ſuas dilapſi; quippe quibus ſtipendia minime ex aerario procedebant; ſed pro honorario, ex quo viverent, praeda, pro duce, cui parerent, cupiditas erat. Verum illi, ſi quid licentioſius ageretur, id militum culpae non ſibi imputatum iri confiſi, imperium neglexerunt, et Valorio aliiſque locis accitos rectores indicta cauſa interfecerunt, et inde capta occaſione pagos crudeliter diripuerunt, IↃ CCC captivos abduxerunt cum armentis et gregibus; quod rurſus novae rebellioni cauſam praebuit. Nam Mauriſci facto irritati, mox fumo crebris locis excitato, id inter eos ſignum erat, ſocios per montana et in ſpeluncis deliteſcenteis ad arma capienda vocant. [l] Abuçeva primarius Aben-humeiae dux cum CCC recedenteis regios et cum praeda

Orgivam

INTERPR. [a] *le marquis de los Velez.* [b] *Tacali.* [c] *Obane.* [d] *Barbaroſſa.* [e] *Tunis* [f] *Aben Humeia.* [g] *Valor.* [h] *Mecina.* [i] *d'Avila* [k] *Flores.* [l] *Albuçeva, alias Abençava.*

Orgivam tendenteis nactus amice rogat, captivos dimitterent; reliquam praedam ſibi haberent. Nutantibus regiorum, qui ſe circumventos videbant, animis, centurio inter eos vocem ſuſtulit, Siccine quod cum vitae periculo quaeſivimus periculi metu per ſummam ignaviam amittemus? Tanti certe mihi ſanguis meus eſt, cujus effuſione has ſervas comparavi, ut non minore pretio eas vendere paratus ſim. Ubi victus fuero, quo me lytro redimam? Quid, me mortuo, majus hoſtis ſperare poteſt? Eone deventum, ut belli finis antevertendus, et hoſti, antequam vicerit, victoria tradenda ſit? Quod tantum quaeſo periculum exhorreſcitis? Quid ab latronibus toties victis metuitis? An, ſi nos vincendi ſpem haberent, tanta eos modeſtia eſſe putetis, ut praeda recepta pro omni victoriae praemio contenti eſſent? Si audiantur, ex ignavia noſtra animos ſument, et, receptis foeminis captivis, etiam impedimenta et vitam a nobis repoſcent. Quaenam in fide Punica fiducia? Pro parandis opibus certanti ſtultitia eſt, ne certet, jam partas hoſti relinquere. Antea pro vita defendenda manus conſerebamus, nunc pro vita et praeda parta. Stat opibus quaeſitis vivere, aut cum iis mori. Quod adverſus nos vireis hoſti faceret, hoc cupio ut mihi commodo ſit, ſi vinco, aut, ſi vincar, praemio ejus cedat, qui me terrae mandabit. Militi praedae avido facile perſuaſum eſt, ne praedam dimitteret. Cum igitur non audiretur Abuçeva, hoſtiliter cum regiis agere coepit, donec ſemper progrediendo ex inſidiis eruperunt CC delecti, qui ad mulieres jocoſe converſi, Par non eſt, inquiunt, ut cum perdita gente tam familiariter incedatis. Quibus dictis, [a] Partal Narillae municeps, qui quatuor fratres inſigni virtute praeditos cognomines habebat, ultimum [b] agmen Florianorum acri impreſſione carpit; qui, de praeda magis quam de pugna capeſſenda ſoliciti, facile ab incumbentibus funduntur caeduntur que, nulli vitae facta gratia, ardentibus quippe ultione animis et recenti injuriae ſenſu. Ex bis mille vix XL ſuperfuerunt. Recepta omnis praeda. Id etſi initio Mauriſci apud Mondejarem conarentur excuſare, quaſi culpa Florianorum, non ſua, qui injuriam coacti propulſaſſent, accidiſſet, tamen, cum viderent eo majores paratus contra ſe fieri, inde belli redintegrati omen accepere: et ex eo Aben-humeia, qui, regis nomine contentus, obſoleto plerumque habitu tanquam factionis dux hunc illuc cum ſuis Nomadum more curſitans, per montana et in ſpelaeis latebat, jam regali pompa prodire coepit, ſtipatoribus CCCC inſtructis, et militibus, quos penes ſe habebat, in cohortes et legiones diſtributis, tribunis creatis, quibus ſolis nec aliis jus eſſet ſigna erigere. Ipſe principale vexillum purpureo colore exemplo ultimorum regum ſibi ſumpſit, cum inſignibus Caſtellae et duobus ſerpentium capitibus; quod a S. Ferdinando fluxit, qui Mahometem Alhamarem expeditionis contra [c] Hiſpalim ſuſceptae comitem, capta Hiſpali, et equitem creavit, et vexillo cum illis inſignibus donavit, quae Granatae reges deinceps ſervarunt. Nam antea claveis cyaneas in argenteo ſcuto reges Andaluziae pro inſignibus geſtabant; eaque re ſignificabant, ſe [d] Gadium et tractus maritimi potenteis quaſi claveis propagandi per occaſum imperii in poteſtate habere. Itaque montem Tarteſſum in ea inſula [e] clavium montem lingua Arabica vocabant: et hujuſmodi inſignia adhuc hodie pro Alhambrae porta conſpiciuntur. Praeterea ad cultum regium additum, ut non vagis ſed certis locis ſedem deinceps haberet, ſicuti [f] Valorii et Poquerae, et in aſperis Alpuxarrae locis: tantuſque erat ſuorum fervor, ut ſponte decimas fructuum et praedae quintam partem ad ſuſtinenda imperii onera penderent, viliorque inter eos annona, quam inter regios, eſſet. Caſum acerrime tulit Mondejar; qui, cum bellum confectum putaret, ex cauſa, quae ipſi invidiam apud regem crearet, inopinato recruduiſſe cernens, protinus ad Antonium Lunam ſcribit; et cum CIↃ delectis peditibus et C equitibus [g] Alanjaronam venire jubet: et, loco firmato, ac centurioni primario loci commiſſa cuſtodia,

INTERPR. [a] *Partal de Narilla.* [b] *les Soldats du capitaine Flores.* [c] *Seville.* [d] *Cadix.* [e] *el Monte de la llave.* [f] *Valor & Poqueyra.* [g] *Lanjaron.*

cuſtodia, protinus Granatam repetit, et Alhambram novo praeſidio firmat. Orgivam et novas copias mittit. Tum ad regem ſcribit: et, [a] Valorianae cladis culpa in militem defectu ſtipendii licentioſum rejecta, in poſterum potioribus praeſidiis rem egere demonſtrat, nec principia licet levia negligi debere, tam vicinis Afris, qui Hiſpaniae jampridem imminent, praeſertim in tanto Turcicae claſſis, incertum ad quam expeditionem deſtinatae, apparatu. CIↃIↃLXX. CAROLUS IX.

XI. PHILIPPUS inde occaſione captata, ut diſſidia praefectorum componeret, [b] Veleſio, ut circa Almeriam rem gereret, plenam poteſtatem fecit; Mondejari reliquam regni Granatenſis curam permiſit; ſummae belli [c] Joannem Auſtrium fratrem naturalem praepoſuit, cui parere neutri non ſumme honorificum erat. Deça, qui novae ordinationis auctor erat, ne interim in urbe verbis inutiliter tempus terere aut non Mauriſcorum internecioni participare videretur, rumorem media nocte ſpargit, quaſi CL Mauriſci minus bello habiles et ditiores, qui carcere attinebantur, contra civitatem conjuraſſent, et, refractis clauſtris diſcurrenteis circum ſocios ex Alpuxarra intus admiſſuri, Albaicinum ad ſeditionem concitaturi, et Alhambram occupaturi eſſent; quod vix ſoluti ac ſtrenui cum armis aggredi aut auſi eſſent aut potuiſſent: tamen ab inſana plebe rumori fides addita; et confectis ea de re in tumultu probationibus, ut etiam in deſtinato ſcelere juris forma ſervaretur, protinus furenti plebi a Deçae emiſſariis injecti ſtimuli, et concurſu facto in miſeros homines promiſcue ſaevitum, tabulis, vaſis, ſaxis et hujuſmodi, quae neceſſitas ſuggerit, armis ſe nequicquam defendenteis. Id cum, omni gratiae ſpe praeciſa, ad ſummam deſperationem non ſolum eos qui jam aperte rebellaverant, ſed ſuſpectos adegiſſet, plures ad ſigna circa Aben-humeiam conveniunt; et de Almeria in poteſtatem redigenda ante omnia conſultant, ea loco commodo haud longe a [d] Charidemi promontorio, excipiendis ex [e] Africa auxiliaribus opportuna, Mauriſca gente frequens, in fertili territorio, ſalubribus aquis, fructibus oleoque abundanti ſita ad caeciam Granatam reſpicit, Almançoram et Baçam ad caurum, ad ortum [f] Carthaginem ad [g] Murgim poſitam, ac denique [h] Almuneçaram ad occaſum et [i] Veleſium-Malacae habet. Coloniis [k] Corduba miſſis habitata urbs creditur; quae poſtea, Saracenis rerum potientibus, in tantam magnitudinem crevit, ut etiam Aben-hut regem habuerit. Ab Alfonſo Hiſpaniarum imperatore dein deſtructa eſt, [l] Barcinonenſi comite operam ei in eo bello navante, qui cum LX triremibus et CLXIIII navibus Genuenſium, ducibus Balduino et [m] Anſaldo Auriis, venerat anno Chriſti CIↃ CXLVII. Addunt, qui haec ſcribunt, catinum ſmaragdinum, quod tanta cum admiratione hodie in majore [n] Genuae templo aſſervatur, pro ſtipendio Auriis ab Alfonſo donatum: quanquam annales Genuenſium conſtanter affirmant, vas illud, capta Caeſarea Palaeſtinae, ſive pro parte praedae ſive pro praemio Gulielmo [o] Embriaco, qui magnam fortitudinis laudem in ea expeditione meruerat, aliquot ante annis ceſſiſſe. Almeriae praeerat Garſias [p] Villaroclius, homo ſtrenuus: ſed, cognito hoſtium conſilio, cum Philippus potioris dignitatis viro opus eſſe intelligeret, Franciſco Cordubenſi, Martini [q] Alcaudeti comitis et ſororis Bernardini Mendozae, qui claſſi regiae olim ſumma cum laude praefuerat, filio, domi in otio jam dudum degenti, mandavit, ut eo ſe conferret; Aegidiumque Andradam cum triremibus, quas penes ſe habebat, ei praeſto eſſe juſſit. Ibi in commune, quid facto opus eſſet, conſultatum. Et, quoniam allatum erat, Mauriſcos conſertos ad [r] Gadoram montem, mulieribus ac familia omni in locum munitum deductis, cum XXX circiter Turcis [s] Alcudiae convenire,

INTERPR. [a] *Deffatte-de-Valor, lieu ainſi nommé.* [b] *le marquis de los Velez.* [c] *Don Juan d'Autriche.* [d] *Cabo de Gata.* [e] *Barbarie.* [f] *Cartagene.* [g] *rio de Moxacar.* [h] *Almuneçar.* [i] *Velez-Malaga.* [k] *Cordoue.* [l] *le comte de Barcelone.* [m] *Anſaldo Doria.* [n] *Genes.* [o] *Embriaco.* [p] *de Villaroel.* [q] *de Alcaudete.* [r] *Gador.* [s] *Alcudia.*

CIↃIↃLXX. CAROLUS IX. convenire, placuit, antequam majores vireis colligerent, eos aggredi. Aſperitate tempeſtatis initio dilata res: poſt triduum, poſitis ventis, tentata oppugnatio duabus partibus: magnaque obſeſſorum virtus ſive pertinacia fuit, foeminis ipſis nullo non virilis animi ſpecimine edito ad defenſionem ſe obfirmantibus. Tandem locus expugnatus, et CIↃ circiter capita ſub jugum miſſa; ex quibus remigium in triremibus ſuppletum: cetera praeda inter milites diviſa. [a] Curius Dalienſis, qui obſeſſis praeerat, fuga elapſus, vitam ad aliquot menſeis miſere produxit: nam circa Veram captus et [b] Abderae, oculis prius occaecatis, cum laqueo ad collum juncto ſtrangulandus juventuti datus eſt, homo latrociniis infamis, et qui piraticam in illo maritimo tractu diu exercuerat. Et haec toto Februario acta. [c] Cordubenſis Veleſium cum ſummo imperio praepoſitum mox indignatus, petito a rege commeatu, domum, unde venerat, revertitur. Creſcebat ubique interim militum regiorum licentia; nulloque imperio, nulla reverentia ducum, nulla vi coerceri poterat, togatis praefectis militiae duces apud regem incuſantibus, cum illi contra defectu ſtipendii militem diſciplina contineri non poſſe dicerent. Ea re fiebat, ut cuncta toto regno Granatenſi, tam in montibus quam per urbes ac municipia, ad defectionem ſpectarent. Nec Aben-humeia majores uſque ſpes animo concipiens ceſſabat, miſſis qui nutanteis incitarent, et ſpe auxiliorum jam propenſos confirmarent, et blanditias et promiſſa, et certam libertatis ſpem, quae validiſſima rebellionis illex eſt, ad preces adderent. Sed res ſub id moleſtiſſima intervenit; [d] Aben-jahuaris ſobrini inopinata ex morbo ſeu moerore mors. Quanquam multi ſic exiſtimant: cum novo regi in ſuſpicionem veniſſe, quaſi, ſubſtracto militi ſtipendio, de ſucceſſu deſperans de transferenda in [e] Africam familia cogitaret: illum vero jam valde ſenem et meritorum fiducia meliora de ſobrino ſperantem, qui auctor rebellionis et creandi regis fuiſſet, dignitatemque ſupremam, quam ſibi ſumere poterat, in eum ultro contuliſſet, tantum animo cepiſſe dolorem, ut mortem pro ſolatio acceperit; ſuoque exemplo comprobaſſe, quod dici ſolet etiam inter legitimos principes locum habere, merita, quouſque praemium non exceſſerint, grata accipientibus eſſe, ubi ſuperaverint, injuriam pro benefactis reddi.

XII. Tandem Joannes [f] Auſtrius a Philippo Granatam venit, omni honoris ſpecie a regiis miniſtris acceptus, exceptis iis ceremoniis quae in regum ingreſſu peculiariter adhiberi ſolent, attributo etiam celſitudinis titulo; quanquam, ut excellentiae ſolo contentus eſſet, in arcano praeſcriptum fuiſſet: quod illi jam tum invidiam in aula ſuſpicionibus plena, poſtea etiam periculum apud Philippum creaſſe creditur. Auſtrio Ludovicus Requeſenes, magnus Alcantarenſis ordinis magiſter et Italicarum triremium praefectus, qui tunc oratoris regii munere apud pontificem fungebatur, praeſto eſſe juſſus cum copiis, quibus Petrus Padilla tribunus praeerat: inſuper mandatum, ut iis Hiſpanae triremes, quas [g] Sanctius Leva Sanctii Martini filius et Antonii ſobrinus ducebat, ſe conjungerent, et auxiliareis ex Africa venturos intercluderent, annonamque in caſtra regia commodius comportarent. Mondejarem omni a praefectura removere jampridem decretum erat: ſed, ut honeſtius id fieret, ei, dum Orgivae eſſet, imperatum, ut aut circa Orgivam bellum gereret, neque tamen quidquam temere tentaret, aut, Antonio Levae, ſeu Jo. Mendozae gentili ſuo, utri eorum melius videretur, traditis copiis, Granatam ad Auſtrium excipiendum contenderet. His acceptis mandatis, Mondejar, relicto Orgivae Jo. Mendoza, ad urbem venit; quo et eodem tempore ſe regis juſſu contulit Conſalvus Ferdinandus [h] [α] Sueſſae dux, qui nuper [i] Mediolanenſium principatui ſumma prudentiae

VAR. LECT. [α] Conſalvi, qui magni exercituum imperatoris olim nomen meruit, nepos, Sueſſae dux *D. f.*

INTERPR. [a] *Coreux de Daliaz.* [b] *Adra.* [c] *Fr. de Cardoue.* [d] *Aben Xahuar.* [e] *Barbarie.* [f] *Don Juan d'Autriche.* [g] *Sancho de Leyva.* [h] *de Seſſa.* [i] *le duché de Milan.*

dentiae et moderationis laude praeſuerat, et tunc longe a publica adminiſtratione aemulorum invidiam non ferens ſponte ſe in otium abdiderat. Prima conſultatio fuit de ſecuritate civitatis procuranda, ne vel foris ab hoſte vel intus motu novo exorto periclitaretur; de Albaicino amplius a ſuſpectis repurgando, luſtranda diligenter ipſa urbe, et campeſtri circumpoſita regione, praeſertim maritimo tractu ſtationibus et praeſidiis firmando: quod curioſius quam pro neceſſitate factum. Cum Auſtrio venerat [a] Ludovicus Quixada, qui olim ab inſtitutione Sueſſano fuerat, ſub Carolo V legionis tribunus, magnae apud Philippum auctoritatis; homo natura auſterus, et qui in diſciplina educatus licentiam, cui vel ſtipendii defectu vel ducum connivantia miles hoc bello inſueverat, impatientiſſime ferebat, et plus in militia ordinanda quam in conſiliis contra hoſtem capiendis attentus erat. Auſtrius, et patris nomine et fratris potentia elatus, naturaque gloriae cupidus, ceterum bellicae adhuc rei inexpertus, laudis ubique materiam quaerebat: et, quanquam cum ſumma poteſtate nullis finibus circumſcripta in provinciam veniſſet, tamen ſic ei in arcano praeſcriptum erat, ut nihil niſi ex belli ducum ſententia, quos illi rex attribuerat, poſſet ſtatuere. Dum expectantur majores copiae, per excurſiones a ſpeculatoribus, eos vulgo atalayados vocant, ad id delectis crebro cognoſcebatur: cumque eos Orgivae, quam feſtinatis operibus muniebat Joannes Mendoza, imminere nunciaretur, placuit locum novo milite et annona firmari. Id faciendum ſuſcepit initio Joannes [b] Chaves Orellana, qui [c] Truxilli delectus ſecum trahebat: verum morbo praepeditus centurioni primario id faciendum commiſit. [d] Moris, id centurioni nomen, cum CCC profectus, in inſidias a [e] Macoxio in itinere inter collem et rivum ſubjectum paratas imprudenter praecipitavit, et ad internecionem caeſus eſt, annona et impedimentis omnibus amiſſis: duoque tantum omni ex numero periculum evaſerunt: hodieque oſſa interfectorum eminus candicantia a viatoribus conſpiciuntur. Macoxius haud diu poſt in Ferdinandi Mendozae manus devenit; et ab [f] Aracoſio duce Granatam miſſus ſummo ſupplicio affectus eſt. Strage ſuorum indoluit ſumme Auſtrius: et, quia pleroſque Mauriſcos pacis conſilia ſectanteis, qui Albunuelas incolebant, (locus eſt ad montium radices in [g] Lecrinae vallis faucibus, quaſi totius regionis horreum, V a Granata leucis) cum Macoxio eſſe intelligeret, ad famam pertinere exiſtimans, ne injuriam primis praefecturae ſuae auſpiciis acceptam inultam fineret, eam contra homines facti innocenteis vindicare ſtatuit; et Antonio Lunae negotium dedit, ut cum V ſignis peditum et CC equitibus eo duceret, et, iis, qui reſiſterent, trucidatis, ceteris ſub jugum miſſis, locum diriperet, incenderet, deſolaret. Verum Antonius, vir moderatus ac prudens, ſive innata tarditate ſive ut miſeris non tam poenitendi quam rebus ſuis conſulendi ſpatium concederet, ſerius acceſſit: paucique tantum, qui tardius incedebant, ceteris in montana proxima elapſis, in ultimo agmine caeſi. Fugatis hominibus, loco parcitum; quo mox poſt Lunae diſceſſum illi reverſi ſunt, et meſſem per otium collegerunt, aliaque opera ruſtica ut antea fecerunt.

XIII. AUSTRIUS interim Granatae ſedebat, in explicandis potius conſiliis quam in re gerenda occupatus. Is cum, Deça ſuggerente, praeteriti temporis incuriam repetitis ſaepius literis apud regem ſugillaret, fruſtra in eo bello laborari oſtendebat, quamdiu rebellibus ſpes eſſet Granatae potiundae: tamdiu autem ea ſpe homines novarum rerum cupidos ſe ſuſtentaturos, quamdiu parenteis, fratres, amicos, ejuſdem ſectae ac conſilii neceſſitate ſecum conjunctos, ac denique totas familias in ea haberent: hinc enim in horas, quid contra ſe agatur, certiores fieri; et, ſi quid ſiniſtri accidat, certo credere, fore, ut, qui Albaicini et in reliqua civitate ſuperant, protinus, occaſione data, arma capiant. Id facile perſuaſum regi; qui ſtatim

INTERPR. [a] *Don Luis de Quexada.* [b] *Chaves Orellana.* [c] *Truxillo.* [d] *Moris.* [e] *Macox.* [f] *le duc d'Arcos.* [g] *Val de Lecrin.*

CIƆIƆLXX. CAROLUS IX. ſtatim Auſtrio mandavit, ut ſuſpectos omnes, indagatione prius ac deſcriptione diligenter facta, cum uxoribus liberiſque urbe faceſſere juberet, in tutum deducendos, et locis per Caſtellam et Andaluziam aſſignatis diſpertiendos. Id actum VIII Kal. Quintil. cunctis praeſidiis vicinis in urbem ad majorem ſecuritatem evocatis. Mauriſci omnes in templa ſuae cujuſque parocciae concedere juſſi. Tum Mondejar ad [a] Albaicinum profectus cunctos itidem pacate ad noſocomium proximum extra urbem convenire jubet. Quid de ſe ſtatueretur miſeri homines incerti potius triſtitiam quam poenitentiam ore praeferebant, defixis in terram oculis: neque tamen omnino priſtinos animos depoſuerunt; unuſque inter eos extitit, qui, ſive indignatione ſive effugium malis per mortem provocatam quaerens, militem, a quo injurioſe pulſatus fuerat, audacter ſauciavit. Quidam addunt, et in Auſtrium ipſum, qui aderat, et diſpoſitis in aciem copiis ſtabat, ictum directum; moxque percuſſorem a circumfuſo milite innumeris ictibus confoſſum. Bini manibus ſune vinctis incedebant, deducente eos hinc inde delecto peditatu, et parte equitatus praemiſſa, parte ultimum agmen claudente; miſerabili utique ſpectaculo, cum non alio quam ad certam perniciem rapi viderentur, relictis laribus et oblectamentis domeſticis, quibus vitae alioqui in arcto poſitae incommoda ſolabantur. Numerati ſunt omnino viri ter mille et quingenti; nam multi caſum veriti in montes proximos diffugerant: multo plures foeminae; quibus ad colligendas ſarcinas aliquot dierum ſpatium conceſſum. Cuſtodibus enixe mandatum erat, ut exulanteis ab injuria defenderent: ſed nemo erat qui cuſtodes cuſtodiret. Itaque plerique fame, aeſtu, viae labore, antequam in tutum deducerentur, perierunt: reliqui ſpoliati, venditi et in miſeram captivitatem ab iis ipſis, quorum curae commiſſi erant, abducti ſunt. Hoc metu ſoluta civitate, aliud grave incommodum ſucceſſit, quod militi, cui ſtipendia minime procedebant, hoſpitia cum ſupellectile inſtructa, et multa ad victum neceſſaria, quae a Mauriſcis ob commune odium ad omnem patientiam obfirmatis impune capiebant, omnino deerant; et, ſi eadem ab aliis oppidanis parcius ſumebant, id magno cum univerſae civitatis fremitu fiebat. Itaque et infrequentior in urbe nondum ſecura miles, et in agro ad praedas vagus aeque ſuis ac hoſti gravis erat. Itaque [b] dardanarii et alii annonae flagellatores in ſubſidium adhibiti, qui militi etiam graves eſſe coeperunt. Inter haec, partim ex ipſa deſperatione, partim ex rerum regiarum confuſo ordine et praefectorum inter ſe diſſidio, creverunt hoſtibus animi. Cumque Velcſius marchio, qui maritimi tractus in Almerienſi territorio curam habebat, a [c] Larraguae portu, per quam Alpuxarra tendentibus iter eſt [d] Guadim, olim Accim dictam, ut putat Ambroſius Morales, ſibi timeret, Conſalvo [e] Ferdinando veterano militi et in Orani praeſidio inter Aſtorum arma diu exercitato negotium dedit, ut locum, dejectis inde Mauris, occuparet. ꟾꟾ ſecum habebat; qui, non exploratis aditibus, cum oppoſitum montem audacter ſuperaſſent, erumpentibus ex ſummo et imo inſidiatoribus undique circumventi, poſt aliquod certamen tandem caeſi ſunt, amiſſa annona, quae eo comportabatur. Qui ex ſtrage evaſere, abjectis armis, huc illuc diffugerunt: ipſe Ferdinandus cum paucis incolumis ad Guadim ſe recepit. Eo caſu territus Auſtrius, cum Guadi ipſi timeret, Franciſcum [f] Molinam bellis Germanicis ſub Carolo V exercitatum miſit, ut locum tuendum ſuſciperet. Sub id Mauriſci in territorio Veleſienſi per [1] Illipulae montem ſe effudere, et [g] Frexillianam, olim Sexifirmum Julium dictam, in eo munire coeperunt. Aben-humeia, ut moderationis ſpecimen daret, et odium ob licentiam per Alpuxarram nuper tumultuantium in ſe concitatum mitigaret, edictum propoſuerat, quo vetabat, ne quis quempiam Chriſtianum occideret, aut captivum faceret, neu quis templa incenderet,

INTERPR. [a] *l'Albayſin.* [b] *Daciers.* [c] *Larragua* [d] *Guadix.* [e] *Hernandez.* [f] *de Molina.* [g] *fuerte de Frexillana.*

NOT. [1] c'eſt où eſt ſis aujourd'hui un lieu nommé Penaflor. Vide Ortelium.

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

incenderet, aut bona Chriſtiani cujuſquam raperet. Eam moderationem cum ſuſpectam haberet Auſtrius, vereretur que, ne hoſtes eo facto pleroſque dura regionum imperia exoſos ſpe libertatis ad ſuas partes pertraherent, facile ſibi perſuaderi paſſus eſt ab [a] Arravalo Cuaçone, Malacae et Veleſii praetore, ut initiis occurreret, et Mauriſcos ex Frexilliana Veleſio imminenteis, antequam majores vireis colligerent, ex nova munitione deturbaret. Malacae validum praeſidium erat, et oppidani bene ad defenſionem animati. Veleſii plus periculi erat. Eo Arravalus cum cccc peditibus et XL equitibus veniens ex munitione oppidanos educit, et militem novum imponit, et [b] Canillas [c] Didaci Cordubenſis Commarenſium comitis viri illis locis primarii arcem non ſine occulta illius injuria ſuppetiis firmat. Inde Veleſium reverſus cum CIƆ peditibus et equitatu, quem penes ſe habebat, ad hoſtem vadere conſtituit, poſitum munitionis et caſtrorum formam melius e propinquo cogniturus. Frexillianae cum ſummo imperio praeerat [d] Garral ab [e] Aben-hagacile impoſitus. Superato monte, Arravalus, cum oſtentare tantum arma decreviſſet, et poſt luſtratum locum ſine proelio ſe recipere, ſuos dicto audienteis minime expertus eſt; quippe qui, Mauriſcos retro pedem ferre conſpicati et intra munitionem ſe abdere, praedae avidi impetum temere in eos fecerunt; et acriter repulſi, vixque ab Arravalo revocati, magno cum damno a pugna receſſerunt. Plerique caeſi: pauciores vulnerati. Succeſſu elati Frexilliani eo diligentius locum muniebant, in opere aſſidui, cum Ludovicus Requeſenes cum XXIIII triremium claſſe, acceptis [f] Carthagine [g] Sanctii Levae triremibus, Malacam appulit. Is, cum ex Italia ſolveret, Alvaro [h] Baſſano XIIII triremium Neapolitanarum praefecto negotium dederat, ut ſecundum inſularum litora navigatione inſtituta a piratarum incurſionibus mare defenderet. Ipſe, ad [i] Centumcellas cum aquam ſumpſiſſet, acceptis a Coſmo magno Etruriae duce IX triremibus et una biremi, in [k] Maſſiliae conſpectum venit, mari admodum tranquillo, quod mox a Narbonae partibus vento incumbente adeo turbavit, ut claſſis totum triduum jactata parum ab pernicie abfuerit. Nam, praetoria excepta, quae tandem ad [l] Gymneſiam minorem incolumis pervenit, cunctae triremes disjectae, velis, malis, temone ac remis fractis; ita ut Turci remiges, feſſum labore et vigiliis militem cernentes, clamore ſublato, de libertate per defectionem cogitarent; quorum quidam ad ceterorum terrorem morte affecti. IIII triremes omnino perierunt; IX praetoriam ſecutae ſunt. Baſſanus ad Sardiniam curſum direxit, Hiſpanas cohortes huic bello deſtinatas portans. Inde ad Italiae litora tuenda remiſſus Baſſanus. Ipſe Requeſenes de periculo, quod provinciae impendebat, ſi res hoſtium diuturniore patientia in vicinia confirmarentur, a Cuaçone certior factus, eum cum Michaele Mendoza ad Auſtrium mittit: et, mandato ab eo de expeditione ſuſcipienda accepto, cum CIƆ peditibus veteranis ſub X ſignis, et IƆ, qui in triremibus militabant, et acceptis a Cuaçone et Petro Verdugo III CIƆ peditum ex Malacae, Veleſii et [m] Antiquerae praeſidiis, [n] Turroxium venit; et inde Martinum Padillam Adelantadi Caſtellae filium cum delecta peditum manu praemittit, ut de hoſtium ad Frexillianam haerentium rebus certiora cognoſceret. Tum munia inter tribunos diſtribuit, ita inſtructo ordine, ut Petrus Padilla cum parte ſuorum aliiſque ei attributis, qui CIƆ pedites efficiebant, in prima acie conſiſteret, Joannes Cardenas comitis Mirandae filius cum cccc volonibus ac delectis Italis ſequeretur; a maritimo tractu Martinus Padilla cum ccc peditibus ex iis qui in triremibus militabant, aliiſque ex Malacae et Veleſii praeſidiariis ſubiret. Cuaço cum aliis

INTERPR. [a] *Arrevalo de Zuaço, corregidor de Malaga y Velez.* [b] *Canillas.* [c] *Don Diego de Cordona, conde de Comares.* [d] *Garral.* [e] *Aben-Hagazil.* [f] *Cartagena.* [g] *Sancho de Leyva.* [h] *de Baçan, marquis de Santa Cruz.* [i] *Civita Vecchia.* [k] *Marſeille.* [l] *Minorque.* [m] *Antequera.* [n] *Torrox.*

aliis copiis per latera, qua mons aſcenſu difficilior, ideoque rarioribus ſtationibus defendebatur, vim facere juſſus. Univerſis praeceptum, tempus ita inter ſe metirentur, ut eodem tempore oppugnationem tentarent. Verum Petrus Padilla, quanquam ſub Carolo v in Germania et Belgio diſciplinae innutritus, imperatoris juſſa inſuper habuit, et, ſive hoſtium deſpectu ſive vanae laudis affectatione, non exſpectatis ſociis, recta impreſſione hoſtem aggreditur; diſturbatiſque e vallo rtanſverſo ſeloppetariis, jam fariſſis cum defenſoribus cominus rem gerebat, eum ſocii vix medium collem ſuperaſſenr. Indignatus [a] Requeſenes imperia ſua ſperni, er de exitu veritus, Turcum e remigio proſtitutae audaciae ſibi notum ſolvit, et libertatis ac praemii facta ſpe tanquam transfugam in hoſtium munitionem perrumpere jubet, certiora ad ſe mox relaturum. Ex eo poſtea cognoſcit, fruſtra ad eam partem, qua Petrus pugnabat, vim fieri; et, ſi ratio pugnae mutetur, faciliorem oppugnationem fore. Itaque ex compacto obliquata Petri acie, et Cardena conſimiliter in latus incumbente, redinregraium certamen ranto impetn, ut obſeſſi de ſucceſſu deſperare coeperint, conſiliumque inauditae ſeu pictaris ſeu prudentiae inter ſe diu, ut aiunt, praemeditatum inierint, ut juvenes robuſtiores, qnorum opera in hoc bello utilis eſſe poterat, eruptione facta ſibi conſulcrent, ſenes et bello inhabilis aetas ac ſexus extremam neceſſitatem experirentut. Bis mille delecti aufugerunt; cum iiſque Garral et [b] Melieus primarii duces; et ad [c] Valorium receptum habuerunt, ab Aben-humeia cum gratulatione accepti: eoque minore negotio locus expugnatus, undique irrumpentibus regiis. IↃ ex hoſtibus inrta munitionem deſiderati; in eruptione CIↃ CCC: ſauciati IↃ. Poſtea ſub jugum miſſi omnis ſexus II CIↃ. Ex regiis CCC circiter ſive in veſtigio occiſi ſive ex vulneribus in pugna acceptis poſtea perierunt, in iiſque Petrus [d] Sandobal epiſcopi Oſmenſis ſobrinus. Cardenas ictu ſagirtae graviter ſauciatus eſt. Praeda omnis Requeſenae juſſu Malacae vendira et inter milires diviſa, quinra parte, quam jam a temporibus Pelagii Hiſpaniae regibus capere jus eſt, reſervata.

XIV. Hoc facto, dein aliquandiu ceſſatum, ſciſſis procerum animis in Auſtrii comitatu. [e] Veleſio cum [f] Sueſſano haud bene conveniebat, licet arcta cognatione inter ſe conjnngerentur. Cum Mondejare eidem Sueſſano aemulatio intercedebat, a patribus aviſque coepta, quanquam in ſpeciem amiciriae officia colerent. Apertas ſimultates Mondejar er Veleſius inrer ſe exercebant, a patribus irem coeptas, et propter acerbas de juriſdictionis et munerum praerogativa contentiones ſaepius repetitas. Jam Deça et voce et ſcriptis Mondejarem palam oppugnabat. Quixada occulto livore Veleſium proſequebatur; a Mondejare ſe injuria affectum ob repulſam reputabat, et arctam cum Eraſto, qui Philippo a ſecreris epiſtolis erat, et apud cum plurimum poterat, aliiſque Mondejaris familiae capitalibus inimicis colebat. Feriae dux palam ſe Mondejaris inimicum profitebatur, jam a Bernardini Mendozae temporibus; et rurſus illum odio proſequebatur Bernardinus Mendoza, [g] Corunae comitis filius, qui aderat. Sueſſanus et Quixada conſiliorum et voluntatum ſecreto tam conjuncti eranr, ut in Auſtrii conſilio adverſus urrumque marchionem auctoritate ſe ſuperiores exiſtimarent. Quidam ſe medios interponebant; et, excuſato Mondejare et Veleſio, culpam infelicium aut minus procedentium ſucceſſuum in minores belli duces, ad licentiam militum conniventeis, alioſque militarium munerum er annonae officialeis rejiciebant. Auſtrius, neutris addictus, ex aequo erga omneis comis, gravitatem in conſiliis, in decretis conſtantiam ſervabat. Cum vero ſub id inde [h] Guadim verſus [i] Beluduenſes, inde juxta Granatam [k] Quejarenſes rebellaſſent, Philippus, Deça inſtante, ſummum armorum imperium, antea inter ntrumque marchionem

INTERPR. [a] *de Requeſenes.* [b] *Melique.* [c] *Valor.* [d] *Saudoval, couſin germain de l'evêque d'Oſma.* [e] *le marquis de Velez.* [f] *le duc de Seſſa.* [g] *de Coruna.* [h] *Guadix.* [i] *ceux de Beluduy.* [k] *ceux de Guejar.*

marchionem diviſum, Veleſio uni attribuit, et poſtea literis amice ſcriptis Mondejarem in aulam vocavit. Cum difficilia ille et periculoſa ab initio omnia fingeret, et novas copias ac pecuniam importune flagitaret, aulicis moleſtus eſſe coeperat. Contra, cum Veleſius ultro a Deça rogatus cum ſuis in [a] Baeticam deſcendiſſet, et rem initio ſuis ſumptibus geſſiſſet, etiam bellum non ita formidoloſum oſtendebat; idque ſuo periculo ſe confecturum audacter affirmabat, ſi V CIↃ peditum et CCC equites cum idoneo ſtipendio ſibi attribuerentur.

XV. EODEM tempore comitia provinciae ad [b] Cordubam indicuntur; quo rex ipſe venturus erat, ut majorem rebus in iis decretis auctoritatem conciliaret, et ex propinquo praefectis ſuis animos, hoſtibus terrorem injiceret; in primis Africanos, Mauros ac Turcos a ferendis ſuppetiis fama de praeſentia ſua ſparſa revocaret. Nam ſub id longe ampliſſimas copias [c] Algeriae proſultanus ſub ſignis habere dicebatur; quas mox contra Tunetanum regem vertit. Veleſius principium bello facturus [d] Terca profectus eſt, ut militi ex [e] Africa venienti et annonam cum armis in Alpuxarram comportanti aditum intercluderet; atque inde [f] Bergim venit. Quo cognito, Aben-humeia ex Almeria, Alpuxarra, Beludui et Almançora, quo CCC Turci ſeu Afri ad eum venerant, copias evocat; et, antequam regii majores vireis colligiſſent, Veleſium opprimere ſtatuit. Habebat omnino in caſtris III CIↃ, partim ſcloppetariorum partim balliſtariorum; quorum CIↃ armis egregie inſtructi erant. Moxaxar, qui Aben-humeiae ab epiſtolis fuerat, praecurſores ducere juſſus, cum CCC delectis noctu in Veleſii hoſpitium impetum fecit. Id praeſenſerat Veleſius; paratiſque contrariis inſidiis, Didaco Faiardo filio negotium dederat, ut, in platea ſcloppetariis collocatis, et ad portas idoneo numero, ipſe ſigno dato ad excipiendos hoſteis cum equitatu paratus eſſet. Moxaxar, ſtatione dejecta, locum intrat et ad plateam penetrat; ubi mox non locum praeſidio vacuum, ſicuti ſibi perſuaſerat, aut ſtationes ſomno ſepultas, ſed in armis, reperit; ac diſpoſitis hinc inde ſcloppetariis graviter infeſtatus tamen pugnam fortiter capeſſiit: demum in receptu majus ſibi negotium eſſe ſenſit. Nam in recedenteis ſubito invectus Veleſius cum filio et Joanne fratre, cum Bernardino Mendoza, Didaco Leva Antonii filio naturali, aliiſque delectis eos poſtremo poſt aliquod certamen in fugam vertit. IↃ ex hoſtibus deſiderati: qui ſuperfuerunt ſe ad Aben-humeiam in proximum montem receperunt: Veleſius de re ad Bergim geſta ſtatim regem certiorem fecit; ſerius ad Auſtrium ſcripſit, ad pugnam ſe quam ad ſcribendum expeditiorem ſignificans. Auſtrius, ſicuti a rege jubebatur, novo milite Veleſium firmare inſtitit; et bis mille pedites in caſtra ejus miſit: Rodericum [g] Benavidem [h] Guadi impoſuit: Otgivae F. Molinam cum V ſignis praefecit, Joanne Mendoza, qui locum tuebatur, cum IIII CIↃ peditum et circiter CL equitibus cum Veleſio ſe conjungere juſſo. Suppletae et Petri Padillae cohortes, quas Requeſenes ſecum adduxerat, Frexilliana expeditione valde imminutae; et [i] Abderam miſſae. Adducti et a Sanctio Leva CIↃ Catalani equites, ex eo numero, qui aut proſcripti, aut ob crimina exulantes in Pyrenaeo cum Vandalicis reliquiis vagantur, ſcloppetis grandioribus, quorum iis locis uſus eſt, armati. Iis regi militaturis delictorum gratia facta. Venit et in caſtra Laurentius [k] Telles Silva, Favarae marchio, eques Luſitanus, cum IↃC circa Granatam ſcriptis; qui per mediam Alpuxarram iter habuit, tam ut de hoſtium rebus ac receptu melius coram cognoſceret, quam ut tantiſper eos diſtineret, dum omnes copiae in Veleſii caſtra conveniſſent, et interim Tablara, Durcalis et Padul, quibus Mauriſci imminere dicebantur, validioribus praeſidiis firmarentur. Ad eos diſturbandos, ac illos praeſertim qui ad [l] Albunuelas redierant, frequenteſque circa Granatam

INTERPR. [a] *Andalouſie.* [b] *Cordoua.* [c] *le dey d'Alger.* [d] *Terque.* [e] *Barbarie.* [f] *Berja.* [g] *de Benavides.* [h] *Guadix.* [i] *Adra.* [k] *Tellez de Silva, marquis de la Favara.* [l] *las Albunuelas.*

CIƆIƆLXX. Carolus IX.

Granatam excurſiones reſtraenandas, iterum ab [a] Auſtrio miſſus Antonius Luna cum CIƆ peditibus et CC eqnitibus, qui loca Albunnelis circumpoſita, ne ad ea hoſtes receptum haberent, vaſtaret, incenderet, celeritate majore uſus haud meliorem fortunam expertus eſt. Nam in armis Mauriſcos nactus, jam ſoeminis, liberis et gregibus ſine tumulru in tutum receptis, non de praeda, ſed de pugna ſibi cogitandum intellexit. [b] Randate et Lopes homines manu prompti heic praeerant, qui gnari locorum et ſitu defenſi erebris aſſultibus regios a fronte et in latus et interdum a tergo infeſtabant, ita nt Garſias [c] Manriees Aquilarae marchionis filius et Lazarus [d] Eredia plerumque nltimum agmen ad primam aciem flectere et mutato ordine hoſtium inſtar frontem obvertere cogerentur. Tandem regii in campos ſubjectos repulſi, [e] Ceſpede ſtrenuo ordinum ductore, qui longe anfractuoſis in convallibus a Luna pugnabat, a Randate, cum ad manus cum ipſo veniſſet, occiſo cum XX circiter e ſuis: LX praeterea in fuga ex eadem cohorte deſiderati, quibus ſocii propter impedita loca praeſto eſſe non potuerunt. Non caruit invidia factum, cum ultionis de Ceſpede, quem ex antiquo oderat, capiendae occaſionem a Luna captatam quidem dicerent: nam alioqui ab initio recentibus laboranti ſummiſſis periculo praeverti potuiſſe. His ſucceſſibus inflati hoſtes cum ſub Granatae uſque portas excurrendo greges et armenta quotidie abigerent, Ludovico Cordubenſi cum CC equitibus negotinm darum, ut, gregibus in tutum reductis et a tergo relictis, ipſe contrariis excurſionibus hoſtem prohiberet. Veleſius interim [f] Abdetae haerebat; et, cum initio XII CIƆ peditum et IƆ CC equites in caſtris haberet, nullo operae pretio facto, annonae penuria a IIII Eid. Jun. ad V Kal. Sextil. ſedebat, non ſine omnium aperto murmure, ac praecipue Granatenſium, qui, invidia contra Mondejarem ab adminiſtratione remotum ſeneſcente, jam Veleſium, quem nuper miris in coelum laudibus tollebant, obtrectationibus inceſſebant; duci bellum magnatum libidine; unde illis decus et compendium militi, inde vaſtationem provinciae et populis exitium importari. Ubi nunc egregia illa promiſſa, cum V peditum CIƆ et CCC equitibus brevi bellum confectum dari poſſe? An ſegnitiae Mondejarem inſimulandum fuiſſe, qui cum voluntario milite ſine ſtipendio belli onus huc uſque ſuſtinuit, ut alius gloriae ejus aemulus cum majoribus quam putabat copiis provinciae gravior imponeretur? Interim non ſolum armis ſed numero hoſteis creſcere; ut non jam Hiſpaniam ſed Africam atque adeo totas orientis vireis exhorreſcant. Senſit Veleſius; et, quanquam meritis confiſus et natura adverſus rumores contumax, invidiae obviam ſibi eundum duxit: et, cum videret quotidie milites a ſignis diſcedere, ad Auſtrium, quod raro faciebat, ſcribit; petitque, ut annonam ad Calahorram mature comportandam curet. Ipſe, imminuto jam bis mille peditibus exercitu, caſtra movet, et octo dierum viatica quemque ſecum ferre jubet. Joannes Mendoza primam aciem, Petrus Padilla ultimam ducebat: equitatus pars impedimentis cuſtodiendis deſtinata. Ubi [g] Bergim praetervectus eſt, Aben-humeiam obvium habuit cum III CIƆ ſeloppetariorum et paucis balliſtariis incedentem; qui ſtatim in montana, regiis propinquantibus, conceſſit, et in conſpectu noſtrorum foeminas liberoſqne in rutum ſubduxit. Alteris caſtris rurſus commiſſae acies. Aben-humeia VI CIƆ armatorum ſecum habebat: et ipſe in medio vexillo, purpureo paludamento amictus, inter alios alcaidas, ita tribunos vocant, conſpiciebatur, ſuos ad pugnam fortiter capeſſendam incitans: ſed non obſtinate propterea pugnatum. Nam poſt aliquod certamen, in quo praecipua marchionis Favatae virtus fuit, ſolutis ordinibus more ſuo Mauri confeſtim in montes ſe receperunt, XV tantum ex ſuis amiſſis. Neque id tam metu quam conſilio factum prudentiores arbitrabantur; quippe cum nova auxilia quotidie ex [h] Africa exſpectarentur, et ex intimis Aben-humeiae auditum conſtabat, ipſum,

INTERPR. [a] *Don Juan.* [b] *Rendati.* [c] *Manrique, fils du marquis d'Aguilar.* [d] *de Heredia.* [e] *Ceſpedex.* [f] *Adra.* [g] *Berja.* [h] *Barbarie.*

CIↃIↃLXX.
Carolus IX.

ipſum, claſſe auxiliari adveniente, integris viribus et regio nomine ſervato, in Africam, antequam in Hiſpania debellatum eſſet, trajicere apud animum ſuum conſtituiſſe. Veleſius, hoſtem diſſipaſſe contentus, rem proelii aleae amplius committere noluit: itaque nec ulterius ſequi inſtitit: ſed, cum Calahorrae annonam paratam minime reperiſſet, Valorium verſus iter intendit. Cognito poſtea annonam in claſſe eſſe, nec diu tardaturam claſſem, Calahorram rediit [a] Cenetenſis marchionis arcem, et quae olim Juliani comitis, qui Baeticam Saracenis prodidit, fuiſſe creditur. Tum maritimo tractu relicto, cui tuendo claſſem regiam parem futuram rebatur, quod is omnino vaſtatus militi alendo non ſufficeret, Granatam verſus caſtra movet, ut [b] Guadim, Baçam, Almançotam et Filabram firmaret, quae ad defectionem ſpectare dicebantur. Sed, cum iis locis magna omnium rerum penuria eſſet, rurſus ſenſim dilabi a ſignis miles, et poſt murmura in apertas ſeditiones erumpere. Nam, ſpretis ducum et tribunorum imperiis, uno impetu cccc ſervatis ordinibus cum ſcloppetis ac funibus accenſis media in luce a caſtris diſceſſerunt; quos inſecutus Didacus [c] Faiardus Veleſii filius parum a pernicie abfuit, in manu ictu ſcloppeti accepto. Tandem annona parce, ſed cum aequitate, inter milites diſtributa, violentiae modus aliquatenus factus; ita tamen, ut omnis equitatus ad cc et peditatus ad CIↃ IↃ redactus eſſet, et victoria, quae penes regios erat, ad victos ſine certamine inclinaſſe videretur. His acceſſit, ut eodem tempore [d] Padulis oppidani, ex infirmitate regiorum animos ſumentes, praeſidium, quod grave illis admodum impoſitum erat, deprecati cum minime eo levarentur, vireis cum Mauriſceis montanis conjungerent et hoſtiliter cum praeſidiariis agentes, xxx ex illis occiſis, pluribus vulneratis, jugum excuſſerunt. Cum Veleſius ſemper apud Auſtrium de annona expoſtularet, et ejus penuria exercitum diſſipatum conquereretur, quod et regi ſignificandum per amicos curaverat, ne quid ex ea occaſione detrimenti majoris accideret, ex concilii ſententia Antonius Luna cum CIↃ militibus et cc equitibus Baçam miſſus, et cum eo Garſias Manrices, qui a medio Sextili uſque ad medium Novembrem nihil memorabile in ea regione geſſit. Auſtrius, qui Veleſii querelas in ſuam invidiam recaſuras metueret, appulſa tandem claſſe, largam annonam, jam diſſipato exercitu, in caſtra ſedulo comportandam curavit, extremam penuriam tanta copia ſubſecuta, ut e panis librae duodecima vix aurei parte venirent. Nec propterea miles ad ſigna frequentior veniebat: et novae in dies locorum defectiones nunciabantur. Veleſius, ne nihil interim ageret, cum iis, quae ſupererant, copiis Calahorra profectus contra [e] Beleduenſeis duxit; et in itinere cum hoſtibus conflixit, pejore ſua quam hoſtium conditione. Inde cum Beçam ire pergeret, Antonius Luna, qui Auſtrio quam Veleſio parere mallet, imperium ejus cauſatus, traditis quas habebat copiis, Granatam revertitur.

XVI. Discessu Veleſii Aben-humeia metu vacuus cum VII CIↃ armatorum, IↃ Turcis ſive Africanis, quos circa ſe habebat, [f] Abderam tentat. Cum fruſtra fuiſſet, ad [g] Bergim caſtra admovet, locumque duobus minoribus tormentis pulſat; nam majora non habebat. Cum nec ea ſatis eſſent; ab obſidione diſcedens [h] Cuevas vaſtat, hortos incendit, ſtagna ac viridaria deſtruit, aliaque longa pace ad oblectamentum otii ornamenta a marchionibus Veleſii parata. Tum [i] Andaraxium redit; et quaſi ſecurus cuncta regie facere coepit, avaritiam et libidinem, quae in adverſitatibus et privata fortuna minime ſe prodebant, renudante principali dignitate. In ejus caput, ut moris eſt inter Hiſpanos contra exules et publicos graſſatores, propoſitum fuerat initio a Mondejare ingens pretium et impunitas conſciis: ſed, praevalente ſeu libertatis dulcedine ſive perſequentium odio, ſumma huc uſque

inter

INTERPR. [a] *de Cenete* ou *Zenete.* [b] *Guadix, Baça, Almançora, & Filabra.* [c] *Fajardo.* [d] *Padul.* [e] *ceux de Beleduy.* [f] *Adra.* [g] *Berja.* [h] *las Cuevas.* [i] *Andarax.*

CIↃIↃLXX. CAROLUS IX.

inter ſuos et concordia et fides fuerat; et, cum de regiorum rebus nuncii certiſſimi ad eos in horas emanarent, rariſſime per traosfugas de illis a regiis cognoſcebatur. Tandem repertus eſt inter eos unus [a] Didacus Alquacil nomioe, qui, non tam praemio corruptus, quam in amore illuſtris foemioae regem rivalem non ferens, et re patrata impunitatem ſperans, oovum principem de medio tollere in animum induxit. Aben-humeia Turcos cccc ſtipendiarios habebat, quibus multum fidebat: eos ut magis ſibi conciliaret, [b] Motrilium, quod a praeſidio regio tenebatur, et libertatem auxiliaribus excurrendi ac praedas in regia ditione agendi prohibebat, capere et incodio abolere conſtituerat: et, ut commodius illis hoſpitium per Lecrinenſem vallem omoi re abundantem aſſignaretur, Abdalac Aben-habo Mecinenſi, is princeps Alcaidarum et veneratione originis, nam ad veteres Grauatae reges geous referebat, et moderatione [α] ac virtute inter ſuos excellebat, in arcano mandaverat, ut, accepto cootrario mandato, mox cccc Turcos et cc Africanos, quibus tunc [c] Haſcenes et Carabaxius praeerant, ſubito reduceret. Paulo ante edicto ſanxerat, ne quis Mauriſca pro concubina ſed pro legitima uxore uteretur; idque religioſe inter ſuos ſervari curabat. Erat inter mulieres quaedam vidua, cui Vincentius [d] Rojas pater, alterius ejuſdem oominis, qui primae Aben-humeiae uxoris parens fuerat, ſobrinus, praeſtanti forma et iogenio, quae citharam ſcite tangere et canere ſupra pudicis inſitam modeſtiam callebat; et Didacum Alquacilem, mariti, dum viveret, intimum, efflictim deperibat. Ardebat ejuſdem impoteoti amore Aben-humeia, apud quem Didacus honorificum locum teoebat; eique perſuadere voluit, quo foeminam in comitatu retineret, ut eam ſibi uxorem ſumeret: quod ille, qui contuberoium quam conjugium mallet, cum facere recuſaſſet, tyrannus deſiderii impotens eam apud ſe tanquam depoſitam habuit, ac tandem ſeu vi ſeu promiſſis expugnatam vitiavit. Injuriam ſpe matrimonii initio diſſimulaverat foemina: verum, ut ſe pro concubina haberi ſpemque de uxoria dignitate vanam eſſe vidit, animi amens ad Alquacilem ex occaſione ab Aben-humeia ad ſe ablegatum ſecretas dat literas; hominemque proprio periculo ad ultionem incendit: non quieturum tyrannum natura ſuſpicioſum, qui ſciat ipſum impenſe a ſe diligi, donec aemulum ſuſtulerit: non aliam ſalutis expediendae rationem eſſe, quam ſi prior ipſe occupet, et diis hominibuſque inviſum caput merita poena affecerit. Alquacil et amore et periculo incenſus facile ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut facinus ſuſciperet: eo denique aſtu uſus eſt, quo Julianum comitem, cum [e] Septae eſſet, Roderico regi illuſiſſe Hiſpani annales memorant. Nuncium ſecretum ab Aben-humeia ad Abdalam, qui [f] Cadiari erat, ſicuti inter eos convenerat, miſſum Didacus cum intercepiſſet, cognitoque ex eo Turcos a rege revocari, interfecto ſtatim nuncio, literas reſerat, aliaſque a ſobrino quodam ſuo, qui aliquando Aben-humeiae literarum ignaro ab epiſtolis fuerat, nec minus Alquacile, cum quo tunc erat, tyrannum oderat, confingendas curat; quibus mandabatur Abdalac, ut Turcos ea nocte Mecinam reduceret, et Alquacilem, qui et ipſe c delectos ſecum adduceret; tum ope Mecinenſium, et eorum quos Alquacil adduxiſſet, Turcos, quos ſibi inſidiari ſciat, de via ſeſſos et ſomno ſtratos ad unum omneis trucidaret; reque patrata, ipſum Alquacilem interficeret, multis de cauſis aliunde ſuſpectum. Literas ita confictas homini fido ad Abdálam perferendas dat, condicta hora, ut eodem tempore, quo Abdalac literas traderet, ipſe Cadiarum accederet. Abdalam literis acceptis ſtupefactum et confuſum ſtatim coovenit Alquacil; et ſibi mandata crudelitatis plena ab Aben-humeia data dicit, quae exequi nolit: cur enim auxiliareis ex locis looginquis ab Algeriae proſultano et Marochi rege miſſos ad deteſtaodam carnificinam prodi? hanccine aequum eſſe mercedem bene meritis

VAR. LECT. [α] prudentia ac *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Diego Alguazil* ou *Aguazil.* [b] *Motril.* [c] *Haſcens & Carabazi.* [d] *Rojas* [e] *Ceuta.* [f] *Cadier.*

meritis rependi? quam melioris conditionis, quam denique libertatis, pro qua bellum ſuſceptum eſt, reciperandae ſpem eſſe, ſi arma contra hoſteis ſumpta in amicos vertantur? ſibi potius eſſe in veſtigio mori, et quoſlibet diriſſimos cruciatus ab infeſtiſſimis hominibus ſubire, quam innocentium ſanguine pollutis manibus ſempiterna apud poſteros infamia nomen ſuum traducere. Haec compoſito ad ſerium dolorem vultu cum diceret Alquacil, extremi mandati de ipſo interficiendo, quod literis ad Abdalam continebatur, ſe ignarum fingebat, quo magis animi anxium hominem ſuſpenderet; qui, praeter facinus contra Turcos decretum, etiam peculiaribus ad ſe directis mandatis Alquacilem ipſum ad necem deſtinari indigniſſime ferebat, et id ipſum exſequi ſine Alquacilis ope, qui factum deteſtabatur, non poſſe ſe videbat. Itaque veritus, ſi literas ſupprimeret, ne res per Alquacilem ad Turcos emanaret, quos et ipſos, ſicuti mandabatur, perdi ſummae perfidioſum exiſtimabat, conſultum ſibi et reipublicae duxit, ſi literas Haſceni et Carabaxio oſtenderet; ex iiſque cum ipſis, Alquacile ipſo adhibito, conſilium caperet. His lectis, Alquacil, qui dolum ſtruxerat, mirari, Turci ingratitudinem exhorreſcere; univerſi periculum ſuum expaveſcere: tandem inter eos convenit, non aliud effugium tantis malis eſſe, quam ſi homo ad ſingulos perdendos ac rempublicam ipſam evertendam natus communi conſilio perderetur. Alquacil bene animatum Abdalam cernens, quo dolum a ſe ſtructum induſtria adjuvaret, ingentis praedae, quae Turcis pro ſubſtracto ſtipendio cederet, ſpem fecit; et poculum paratum conſciis miſcuit, ex opio et cannabis ſemine confectum, quo barbari manus conſerturi uti ſolent. Quo facto, et duce expeditionis Abdala conſtituto, cui et in occulto ſucceſſionis in regnum novum ſpes facta, ſummo ſilentio Andaraxium profunda nocte proficiſcuntur. Alquacil, quo facilius aſtus procederet, per fidos a ſe praemiſſos ſtationes monuerat, ſine tumultu Turcos admitterent: nam eos ab Aben-humeia accitos; idque ipſum, qui ſtationibus praeerat, non ignorare. Itaque ſine ſtrepitu ad aedeis ipſius adeunt; eas poſt ingreſſum, obſeratis portis, ſtatione valida firmant; cubiculumque miſeri tyranni, ſecure inter duas ſive uxores ſive concubinas jacentis, vixque ſe lecto inter familiarium juxta dormientium gregem molientis, ingreſſi, protinus eum inſperato ſpectaculo territum, nemine reſiſtente, ad poſtem alligant; et, ut ſe conjurationis initae infamia conſcii liberarent, cum eo tanquam cum reo jure agere decreverunt. Quo major audentium temeritas, eo patientior familiarium et ſtipatorum, qui per otium a Turcis exarmati ſunt, ignavia fuit. Tandem productae literae ab Alquacile confictae coram Haſcene et Carabaxio; quas ubi reus inſpexit, protinus falſas et ab homine ſibi infeſto et Alquacilis ſobrino ſcriptas arguit, nullas adverſum ſe ſtatuendi partes Turcis eſſe clamitans. Tum, nomine Mahometis magnique Turcorum imperatoris et [a] Algeriae proſultani ſaepius appellato, regiam purpuram fruſtra obtendens, poſtremo a conjuratis gratiae loco petiit, ſe captivum detinerent, ſuique purgandi more in judiciis legitimis uſurpari ſolito copiam facerent. Sed nihil poſt tantam injuriam apud infenſos regii nominis reverentia, nihil preces ac querimoniae juſtae valuere. Nam poſtridie domum diripiunt, omnem gazam, pecuniam, gynaeceum inter ſe diſtribuunt, Abdalam regem pronunciant; qui initio valde ſe excuſavit. Aben-humeia, ubi ſerio ſecum agi vidit, de calumnia ante omnia proteſtatus, coram aſtantibus, nunquam ſibi in mentem veniſſe, declaravit, ut Maurorum ſectam amplecteretur, tantum in regium nomen conſenſiſſe, ut de injuriis ſibi patrique a Philippico magiſtratu factis ultionem ſumeret. Adempta arma priſcae nobilitatis inſignia, quomodo tot regum, tot belli ducum nepos aequo animo tuliſſet? nunc abunde de iniquis judicibus ſibi ſatisfactum: ipſi ſuam ſive auri ſive ſanguinis ſitim explerent: non quidem dolere, quod Abdalam ſuas vices functurum elegerunt;

INTERPR. [a] *le dey d'Alger.*

CIↃIↃLXX. CAROLUS IX. elegerunt; nam futurum providere, ut brevi eundem ſecum exitum habeat: ceterum cunctis teſtatum velle, in fide Chriſtiana, ut antea vixerit, ſic porro vivere, ſi per meliorem ſuam ſortem licuiſſet, et nunc mori decreviſſe. Haec dicenti, poſtquam veſtem compoſuit et faciem velavit, compreſſae laqueo injecto fauces, ipſo lentius aſtringenteis adjuvante; majoremque conſtantiae in morte quam fortitudinis dum viveret laudem meruit, quippe qui neque ut rex hominibus imperare, neque ut homo ſe ab injuria defendere potuiſſet. Abdalae ſeu metu ſeu modeſtia ſe excuſanti magno Alcaidarum conſenſu attributum in treis menſeis imperium, dum amplior regii nominis confirmatio ab [a] Algeriae proſultano veniret: quae poſtquam allata eſt, protinus rex Granatae et Andaluſiae ſalutatur, et, tradito principali vexillo ac enſe ſtricto, purpura induitur, et in humeros ſublatus populis oſtenditur. Dein ab univerſis obedientia delata, paucis exceptis. Tum inter Alcaidas munia dedita. In primis ſtipatum et ſtationes cautius ordinavit novus rex, periculo deceſſoris ſui edoctus, ne tam facile ad hoſpitium ab hoſte ſeu conjuratis perrumpi poſſet. Recenſita in exercitu VIII CIↃ ſeu ſcloppetariorum ſeu balliſtariorum: et Turcis in ſingulos menſeis VIII aurei pro ſtipendio numerabantur; Mauriſeis ex annona ſatisfiebat, quae ſumma cura adminiſtrabatur.

XVII. EA mutatione, cum praeter [b] Auſtrii et procerum ſpem accidiſſet, ut nihil res hoſtium perturbarentur, juſſus Petrus Mendoza Orgivam ire, nam tunc [c] Molina ex morbo decumbebat, ut animos praeſidiariorum ad ſeditionem ſpectanteis componeret. Parum res a motu abfuit; ſolusque ex omni numero Gabriel [d] Montalbus cum ſua cohorte in officio ſe continuit: nec aliter quam Mendozae diſceſſu placari miles potuit. Poſtea, ne otio diutius marceſcerent, Molinae, qui interim convaluerat, juſſu in proxima montana contra hoſtem miſſi praeſidiarii ad unum fere ab hoſte caeſi ſunt. Eodemque tempore Abdala [e] Caſtrum ferreum armis et annona firmavit, L Turcis introductis, quibus ducem nomine [f] Leandrum impoſuit. Exſpectabatur in dies [g] Carabaxius cum auxiliaribus Afris, poſt Abeu-humeiae caedem ſtatim Algeriam miſſus. Ipſe Orgivam, ubi tumultuare oppidanos intellexerat, praeſidiariorum injuriam deprecanteis, profectus eſt: et aliquoties velitationibus inter eos initio pugnatum, donec Molina exitum veritus ad Auſtrium ſcripſit, et [h] Sueſſanum primariae auctoritatis virum cum auxiliaribus mitti poſtulavit. Is cum VI CIↃ peditum fere tironum et CCC equitibus miſſus cum aliquandiu arthritide morbo ſibi familiari retardatus eſſet, [i] Quixada eandem expeditionem ambitioſe affectante, ſtatim atque convaluit, ineunte Novembri in viam ſe dedit, ut laborantibus et ad extremam inopiam redactis praeſto eſſet. Ubi propinquavit; [k] Bielchem hominem locorum gnarum et virtutis expertae cum IↃ CCC ſcloppetariis praemittit; et, relicto ad dextram [l] Alanjarone, per montana deſueto ob aſperitatem itinere tendere jubet, quouſque ad eas anguſtias veniſſet, quae Orgivam ducunt: ibi ut ſubſiſteret, et adventum ſuum Molinae ſignificaret, inſuper mandatum. Mox ſummiſſi totidem, qui a tergo et latere eum tegerent. Ipſe cum reliquo exercitu ſubſecutus eſt. Hoſtes, re per exploratores cognita, copias dividunt; et partem ad obſidionem relinquunt, partem contra Sueſſanum ducunt. Halis et Haſecnes Turci in armis primi ſe oſtenderunt, dum [m] Randate cum CCCC in confragoſa convalle, qua Bielches venturus erat, et [n] Macoxius cum CC a tergo juxta [o] Calathajaram, in inſidiis ſe abderet. Inter rara aſtus militaris exempla, neque huc uſque cognita, hoc fuit, ut inter pugnandum inſidiae ſtructae a nemine praecedentium aut inſequentium detectae ſint. Erumpentibus prioribus, regii, qui jam nocte proxima longe a ſuis aberant, Hali medio cum Sueſſano pugnante, ad podium vicinum circa arenarias

ſe

INTERPR. [a] *le dey d'Alger.* [b] *Don Juan d'Autriche.* [c] *de Molinas.* [d] *de Montalvo.* [e] *Caſtel di Ferro.* [f] *Leandro.* [g] *Carabaxi.* [h] *le duc de Seſſa.* [i] *de Queſada.* [k] *Belchez* ou *Velchez* [l] *Lanjaron.* [m] *Rendati.* [n] *Macox.* [o] *Calat el Habajar.*

ſe contraxerunt; ſed non ſine aliqua jactura; quippe [a] Perca, cum iis qui eum ſequebantur, caeſus. Reliqui, alteris erumpentibus inſidiis gravi quoque damno affecti, tandem ad Sueſſanum ſe receperunt, qui eos protexit; et, incumbente tota hoſtium mole, cum aliquandiu cum Gabriele [b] Cordubenſi, Jo. Mendoza, Ludovico Cordubenſi aliiſque primariis viris impetum ſuſtinuiſſet, ſubortis tenebris, incertus viae, ad locum, ex quo profectus fuerat, ſervatis ordinibus ſe recepit, magnam prudentiae ſimul ac fortitudinis laudem eo facto conſecutus; quippe qui, viae impeditae et inſidiis opportunae difficultatibus ſuperatis, et militis dictis ducum minime parentis temeritatem et tribunorum incogitantiam unus virtute ſua eo die ſuppleverit. Sane conſtans fama eſt, ſi, quam initio acriter, tam pertinaciter ad finem uſque pugnae inſtitiſſet hoſtis, magnam victoriam de regiis reportari potuiſſe; ex quibus CCCC in conflictu perierunt: amiſſa inſuper magna armorum vis, quod Mauris magnam partem inermibus magno adjumento fuit. Poſtridie per Sueſſanum Molinae ſignificatum fuit, ut, ſi annonae et aquae penuria loco tuendo par non eſſet, mature ſibi conſuleret, et, Alanjarone vitato, quem locum hoſtes inſederant, per [c] Motrilium, qua iter ſecurum erat, in tutum ſe reciperet. Molina, cui ab Auſtrio idem imperatum erat, tormentis, quae ſecum abducere non poterat, clavis confixis et defoſſis, aegros et ſauciatos cum impedimentis in medio locat; et per Motrilium iter ingreſſus ſine damno incolumis cum ſuis eo pervenit. Capta, direpta et incendio vaſtata a Mauriſcis Orgiva, II tormentis abductis. Inde per [d] Quejarem et Puntalem in campeſtria deſcenderunt, greges abegerunt, et [e] Amaracenem ſemileuca a Granata diſtantem incenderunt. Interea Sueſſanus per [f] Albunuelas exercitum deduxit, et ad Auſtrium contendit, relicto in caſtris Petro Mendoza, et Ludovico Cordubenſi dato negotio, ut [g] Reſtubalem, Belexium, Conchas aliaque loca in valle ſubjecta, quae Antonius Luna minime exuſſerat, ne hoſti receptando eſſent, incendio perderet. Dum Auſtrius poſt tot adverſa, quae potius militis ſui licentiae aſſueti culpae quam virtuti hoſtium tribuebat, in diſciplina conſtituenda ex belli ducum conſilio et ſupplendis cohortibus, novis ducibus imponendis conſultat, [h] Galeria in [i] Bacenſi territorio in via qua [k] Carthaginem itur, [l] Malequio auctore, rebellavit, magno circumpoſitorum locorum incommodo. Itaque [m] Queſcarienſes, qui proximi erant, minime periculum negligendum rati, e veſtigio tanquam ad incendium eo accurrerunt; et totum triduum cum CIↃ CC armatis circum Galeriam morati nullum operae pretium fecere. Tantum XL circiter Chriſtianos, qui in templum confugerant, ſecum abduxere, jam Abdalae juſſu e Turcis ſcloppetariis duce [n] Caracajale in oppidum introductis, qui Queſcarienſeis recedenteis inſecuti abactos greges receperunt, et quoſdam ex Chriſtianis ceciderunt. Qua re irritati, ubi domum redierunt, ſuſpectos in ſuis domibus interfecerunt, quoſdam, qui ad praefecti aedeis confugerant, inde abreptos trucidarunt, loca, ad quae ſe receperant, incenderunt. Idem factitatum a municipibus Queſcaris, cognominis loci in Murciae et Granatae regnorum finibus; quod cum olim regiae coronae patrimoniale eſſet, Ferdinandus [o] Arragonius Friderico [p] Toletano Albae duci, qui ejus auſpiciis regnum Navarrae occupaverat, compenſationis et praemii titulo attribuit. Mox et [q] Oreche itidem rebellavit, [r] Urcos dixere veteres, non plus leucae ſpatio a Galeria diſſitus pagus: ad quem vaſtandum cum Queſcarienſes rurſus accurrerent, novi Chriſtiani, qui circum habitant, id non ferentes, Malequio monito, Turcos auxilia poſcunt; qui advenientes cum Queſcarienſibus acriter pugnarunt, ſed

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *le capitaine Perea.* [b] *de Cordoue.* [c] *Motril.* [d] *Guejar y Puntal a la Vega.* [e] *Maracena.* [f] *las Albunuelas.* [g] *Reſtuval, Belexix, & Concha.* [h] *Galera.* [i] *de Baça.* [k] *Cartagena.* [l] *Maleque.* [m] *ceux de Gueſcar.* [n] *Caracajal.* [o] *d'Arragon.* [p] *de Tolede, duc d'Albe.* [q] *Orcho al. Orce.* [r] *Urcos.*

ſed deteriore Mauriſcorum conditione, qui ad bis mille convenerant, et inſidias ſtruxerant. Nam, iis detectis, fruſtra conatus fuit. Ex iis ad IƆ occubuere: panci ex Queſcarienſibus. Jamque totus Almançorae circumpoſitus tractus, [a] Illipula magna, [b] Filabrac, [c] Bacenſis ager in Abdalae verba juraverant. Tantum [d] Serona et Tixola reſtabant, marchionis [e] Villenae municipia: quarum haec ſitu inexpugnabilis credebatur, ſed aquae penuria laborabat; Serona a Mauriſcis tentata, commeante hinc inde praeſecto et tandem capto, in poteſtatem Abdalae venit. Repertae in ea XI machinae aeneae et magna annonae vis. Seronae exemplum mox ſecuta Tixola. Inde graſſante exemplo [f] Foſſa Malacae et Montana Rondae defecere.

XVIII. [g] VELESIUS, qui Baçae erat, dum Philippus majoribus copiis ſummittendis intentus erat, primariis viris ex aula quotidie juſſu ejus convenientibus, cum IIII CIƆ peditum et CCCL equitibus [h] Galeriam ducit; cujus adventu Malaqnius filiuſque ejus territi locum deſerunt. Biduo poſt Caraeajal vocato populo auctor fuit, ut, re ſalva, ſibi conſulerent. Verum, cum illi vitam potius quam domos relinquere ſe paratos oſtenderent, ipſe, qui pertinaciam vicanorum ſuis exitioſam eſſe nollet, eruptione noctu facta, ſine damno ad Abdalam ſe contulit, et [i] Quejarim ejus mandato muniendam ac defendendam ſuſcepit. Jam Mauriſci vallum in eo duxerant, et muro ex lapidibus ſine caemento ducto montes oppoſitos conjunxerant. In eo belli robur collocaverat Abdala; et praecipuos belli duces Caracajali attribuerat, Petrum Mendozam, qui, quod ex illuſtriſſimae familiae clientibus eſſet, hoc nomen ſibi ſumpſerat, loci municipem, [k] Hoccim, Chocon, Joaibem, Macoxium, Moxaxarem, Randatem, Partalem, alios. Inde cum gravia damna Granatenſibus inferrentur, [l] Antiqueram miſſum validius praeſidium ad refraenandas excurſiones; et [m] Fidei fano Hier. Padilla impoſitus cum ala equitum; et in civitate ipſa diſpoſitae frequentiores ſtationes. Interea Veleſius, admotis ad Galeriam tormentis VI aeneis et III ferreis, locum pulſat haud magno profectu, crebro erumpentibus municipibus, nec ſine Veleſii jactura, qui poſtremo hyeme adeo infeſta, amiſſo Leone ordinum ductore, et paene occupato vallo, quaſi obſidione relicta, Queſcarim ad novas vireis colligendas concedere coactus eſt. Auſtrius otii impatiens, qui huc uſque rebus ordinandis Granatae praepoſitus ad exercitum eundi facultatem a rege impetrare non potuerat, tandem enixis apud eum precibus tenuit, ut duabus partibus hoſtes oppugnarentur; per Almençoram cum uno exercitu, cui ipſe praeeſſet, attributis ſibi Veleſio marchione, Requeſene et Ludovico Quixada; cum altero per Alpuxarram, quem Sueſſanus duceret. Dein mutatum conſilium: et, antequam hoſtis majores vireis colligeret, et vicinum Valentiae regnum ad ſeditionem commoveret, placuit, ut cum omnibus viribus, dum Veleſius ad Galeriam haerebat, Quejarim belli arcem adorirentur. Ad locum luſtrandum, ſtationum ordinem, vigilias obſervandas miſſi Garſias [n] Manrices et Tellus Aquilar, bellicae rei experti. Cum diverſa de numero militum per exploratores nunciarentur, et alii IIII CIƆ, alii majorem numerum ederent, amplius per indicia quaeſitum; cognitoque et vallum incurioſe ſervari, raras noctu excubias, raros igneis conſpici, expeditio majore paratu ſuſcepta quam conatu. Nam ex urbis Granatae cohortibus IX CIƆ peditum et IƆ C equitum lecti, duce Joan. Roderico [o] Villa-forrio, quanquam Tendillae comes hanc ſibi tanquam urbis gubernator provinciam depoſceret; et X Kalend. Januar. cum VIII campeſtribus tormentis ad valli munitiones diruendas iter ingreditur. Duae Granata Quejarim tendentibus viae ſunt; altera ad laevam per [p] Guadim, altera per montana. Primam aciem ducebat Ludovicus Quixada cum bis mille peditibus: Garſias Manrices equitatui

tatui

INTERPR. [a] *Purchena.* [b] *Filabres.* [c] *de Baça.* [d] *Seron & Tijola.* [e] *Villena.* [f] *le hoya de Malaga, & Serrania de Ronda.* [g] *le marquis de Velez.* [h] *Galera.* [i] *Guejar.* [k] *Hoccin, Chochon, Xoaibi, Macox, Moxaxar, Rendati, Partal.* [l] *Antequera.* [m] *Santa Fé* [n] *Manrique & Tello d'Aguilar.* [o] *de Villa fuerte.* [p] *Guadix.*

tatui praeerat: ultimum agmen ducebant [a] P. Lupus Meſa et Franciſcus Solis, homines pacis quam belli magis experti. [b] Sueſſanus cum IIII CIↃ peditum et CCC equitibus viam ſecundum fluvium tenuit. Didacus Quixada ſtipatoribus [c] Auſtrii praeerat, locorum gnarus creditus. Rem praeſenſerant Mauriſci. Itaque, cum nocte proxima vim facturus eſſet Auſtrius, mulieribus, liberis et impedimentis in tutum reductis, Turci, qui in oppido erant, mature ſe ad Alpuxarram receperunt, cum pridie Garſias et Tellus ad locum contemplandum acceſſiſſent. Ubi vero Auſtrius venit, CCCC, qui ex omni numero ſuperabant, Randate, Macoxio, Partale ducibus, facto circuitu in campos ſe effuderunt, regios a tergo adorituri, et praedas late abegerunt. Pauci in vallo reperti ſenes et inutilis ſexus, qui mortem quam fugam maluerant. Non plus ex hoſtibus XL; ex regiis pauciores deſiderati, qui, dum fugienteis per montana inſequerentur, a gnaris locorum per latus et a tergo periti perierunt. Nam Mauros caliendra mulierum capitibus geſtanteis mulieres rati dum incautius ſequuntur, cum viris ſibi rem eſſe ſenſerunt; et inter eos Quixada ordinum ductor a muliere ex ſuperiore loco petra demiſſa obrutus. Joannes Mendoza Quejari cum valido praeſidio impoſitus, et paucis poſt diebus in ejus locum Jo. [d] Alarco cum ſuis cohortibus. Poſtea vis omnis contra Galeriam verſa; quo proceres undique et ex vicinis civitatibus certatim innumerae copiae miſſae ſunt, ex adoleſcentis praeſtanti indole praediti, in quo maximi patris memoria colebatur, fortuna ad rem feliciter gerendam omen captantes. Nam, cum huc uſque, ſive hoſtium, cum quibus res erat, contemptu, ſive rebus male ad bellum praeparatis, et diſſidentibus ob aemulationes ducibus, ſucceſſus anceps fuiſſet, tunc primum auſpiciis novi imperatoris ſumma de Mauriſcis victoria parta credebatur, muniriſſimo eorum propugnaculo citra certamen in poteſtatem redacto. CXX ſigna omnino numerata ſunt auxilio miſſa; ex quibus Auſtrius partem ad Veleſium circa Guadim haerentem miſit, partem penes ſe retinuit, et, partitis cum Sueſſano copiis, qui Orgivam ire juſſus eſt, rem in Alpuxarra geſturus, ipſe eodem tempore Galeriam contendit. Inter haec Abdala Quejarim amiſſam dolens, ut damnum acceptum aliquo operae pretio penſaret, [e] Almunecaram, olim Menaeam dictam, nocturno dolo tentat: ſed [f] Lupi Valencuelae prudentia ac virtute repulſus fruſtra fuit, et, relictis ſcalis, ad vicinos montes ſe recepit. Nec felicior ad Salobrenam, cui Didaeus Ramires praeerat, conatus fuit. Sueſſanus, relicto Granatae III CIↃ praeſidio, IX Kalend. Mart. Padulem venit; et, annona in Auſtrii caſtra copioſe miſſa, in [g] Albunuelis et Gajaris muniriones loco idoneo ſtruxit, eaſque praeſidio firmavit, ut a tergo ſecurus eſſet. Inde cum VIII CIↃ peditum, et CCCL equitibus, pleriſque ex Andaluſiae nobilitate, Orgivam tendit. [h] Andaraxii Abdala erat; qui liberum ad Alpuxarram aditum regiis reliquit, eo conſilio, ut Sueſſani ultimum agmen in anguſtiis carperet. Nihil tamen inter eos actum, quod Turci jam tum, ſicuti multis perſuaſum fuit, cum Auſtrio agerent, ut, ſecuritate accepta, in Africam trajicerent, eandemque ſibi ſecuritatem et ſuis Abdala ipſe meditaretur. Tantum, cum Sueſſanus Orgiva [i] Poqueram tenderet, et Andreas Meſa cum CCCC delectis in itinere occurriſſet, aliquandiu pugnatum, haud magno regiorum damno, quod in lixas, annonarios aliaque exercitus impedimenta incubuit. Petrus [k] Velaſcus a rege, ut certius de rebus, de quibus alia atque alia ſubinde referebantur, cognoſceret, miſſus, ſuffoſſo equo, periclitatus eſt. Facto dein inter [l] Ferreram et Cadiarum itinere, cum in eo eſſet Sueſſanus, jam obſcura nocte, ut interquieſceret, [m] Joaibes cum IↃ delectis ſclopetariis adortus feſſos ex iis quoſdam cecidit, majorem caedem editurus, ſi acriore vi incubuiſſet, quippe novo milite ad nocturnum tumultum palante, et de fuga magis

INTERPR. [a] *Pedro Lopez de Meza & F. de Solis.* [b] *le duc de Seſſa.* [c] *Don Juan.* [d] *Alarcon.* [e] *Almuneçar.* [f] *Lopez de Valençuela.* [g] *Albunuelas & Guajar.* [h] *Andarax.* [i] *Poqueyra.* [k] *de Velaſco.* [l] *Fereyra & Cadiar.* [m] *Xoaibe.*

CIↃIↃLXX. Carolus IX.

magis quam de pugna cogitante: ſed neutris animus erat quidquam martis aleae committere: et cunctatione finiri bellum tutius regiis videbatur, et Abdala, antequam majores ex [a] Africa vireis collegiſſet, quidquam magnae molis tentare temerarium arbitrabatur. Igitur Sueſſanus [b] Jubilem venit; ubi arcem vacuam nactus dum ei diligentius muniendae attendit, Lodovico [c] Cordubenſi gentili et Ludovico Cardonae negotium dat, ut ſinguli cum CIↃ peditibus et CL equitibus per montana vicina diſcurrerent. Ipſe [d] Bergim et inde Cadiarum venit, in Alpuxarrae viſceribus loca poſita. Contra, Abdala, ut eum revocaret, IↃ CCC inter Orgivam et Sueſſanum medios diſpoſuit, ut annonae ex Granata importationem impediret. Tum Moxaxarem cum CIↃ ſcloppetariis Gadoram verſus Andaraxium, [e] Abderam, aliaque circum Almeriam loca, [f] Garralem ac Bentomim, quo jam Antonius Luna iverat, praemiſit; et, [g] Compitis, id pago nomen, annona et praeſidio firmatis, ut Veleſienſe territorium infeſtaret, partem copiarum uſque ſub Granatae portas excurrere juſſit: IIII CIↃ partim ſcloppetariorum partim balliſtariorum penes ſe retinuit; et cum II millibus Sueſſanum continuis aſſultibus fatigabat, cum inedia et aliis incommoditatibus ob interclusum annonariis Granata venientibus aditum conflictantem. Nam toto eo tempore uvis paſſis aliiſque fructibus ſole duratis, piſcatu et olivis militem aluit, exiguo inſuper commeatu, qui a Petro Verdugo [h] Malacae praefecto ſummittebatur. Tandem, cum infeſſas undique vias ab hoſte cerneret, Favarae marchioni negotium dat, ut cum CIↃ peditibus, C equitibus et magno jumentorum numero per [i] Raguae portum iter flectens Calahorra annonam adveheret. Ei attributae Hiſpalenſes cohortes, ex advenis hominibuſque plerumque perditae vitae, qui magno numero ad urbem toto occidente florentiſſimam confluxerant, conflatae, quas LX equites claudebant. Ipſe cum CCC peditibus et XL equitibus in fronte incedebat, jumentis, aegrotis et captivis in medio diſpoſitis. Dum ſolutius incedunt, et jumenta primam aciem non adſequuntur, ac rurſus laxiores in ultimo agmine ordines longo ſpatio medios ſequuntur, [k] Abdala Harabio, qui [l] Cenetenſi territorio praeerat, negotium dat, ut in latus palanteis aggrederetur cum L delectis; ipſe C ſibi ſumit, et in medios vim facit; [m] Haſcenes Bergienſis cum CC per frontem ultimum agmen impetere, [n] Marcepel Cenetenſis primam aciem a tergo invadere jubetur. Id, captato tempore, factum, cum jam prima acies, in qua Favarae marchio erat, praetergreſſa eſſet, et in rapiendis vaccis et aliquot mulieribus, quas Mauriſci in via de induſtria reliquerant, regii occuparentur. Tum, erumpente ex inſidiis milite, tribus partibus circumfuſi ſolvuntur; et, cum primi ſe in tutum recepiſſent, ultimi pugnando quanquam ſolutis ordinibus reſiſterent, impedimenta omnia capta ac diſſipata, et circiter CIↃ ſeu lixae ſeu aegroti interfecti. LX captivae Mauriſcae receptae: aliquot item in captivitatem abducti: CCC vaccae captae. Id incidit in XVI Kal. Maias. Ex ſtrage ſuperſtites ad Favarae marchionem ſe Calahorrae contraxerunt; et inde [o] Guadim perrexerunt, ubi jam Auſtrius erat. Sueſſanus, ubi de ſucceſſu cognovit, ſpe annonae ex mediterraneis comportandae amiſſa, neque ſatis auxiliaribus urbanis fidens, ad maritimum tractum juxta Malacam deflexit, eo conſilio, ut per circumpoſitos agros meſſem, in qua ſpes omnis hoſtium erat, corrumperet, libere in Africam tranſeundi facultate Mauriſcis facta. Igitur, Alpuxarra et [p] Dalienſi agro vaſtatis, Bergim venit, in municipii ingreſſu cum hoſte levi conſerta pugna, in qua pauci utrinque ceciderunt. Heic rurſus dilabi a ſignis miles: et, quanquam Sueſſanus ſumma omnia faceret, et verbo factoque abeunteis prenſaret, nullo regii nominis, nullo Auſtrii aliorumque belli ducum reſpectu, domum quiſque diſceſſit. Qui remanſerunt, turbas excitavere querimoniis ac libellis per caſtra ſparſis, praecipue contra

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *Jubiles.* [c] *de Cordove.* [d] *Berja.* [e] *Adra.* [f] *Garral & Bentomi.* [g] *fuerte de Competo.* [h] *Malaga.* [i] *la Ragua.* [k] *Abdala Halarabi.* [l] *de Zenete.* [m] *Haſceni de Berja.* [n] *Marcepel de Zenete.* [o] *Guadix.* [p] *campo de Dalias.*

CIϽIϽLXX. CAROLUS IX.

contra Joannem Mendozam, ob ſeverius ſumptum de milite ſupplicium. Inter haec ccc ſcloppetarii [a] Abdera, ubi erat [b] Sueſſanus, injuſſu imperatoris profecti dum palantes vagantur, ab inſidioſis Mauriſcis, [c] Harabio duce, caeſi licentiae effraenis poenas luerunt. Capti et Itali Hiſpanique mercatores, dum Salobrenam tenderent, cum omni pecunia quam ſecum vehebant. Didacus Oſorius, ab Auſtrio miſſus cum literis ad Sueſſanum de conditionibus, quibus cum Turcis et Mauriſcis, qui ſponte ſe dederent, agi placebat, in eo conflictu, amiſſis xx ex ſuis, vix poſt multa vulnera accepta e manibus inſequentium evaſit. Jam Philippus [d] Cordubam venerat: et varii ſermones de componendis his motibus jactabantur; cum alii in tanto Turcorum apparatu quavis conditione haerentem intra viſcera peſtem extinguendam cenſerent; alii ad famam pertinere dicerent, ut vi debellaretur, periculumque majus eſſe in praecipitando negotio, quam ſi diuturniore mora res finiretur. Igitur, dum de conditionibus agitur, ſevere cum reliquiis nequiſſimae ſectae actum, ſuſpectis in Caſtellam et longinquiores provincias non citra violentiam et injuriam abductis. Augebat ſuſpicionem Alfonſi [e] Vanegae, quem a conjuratis ſolicitatum diximus, ut Almeriae regium nomen capeſſeret, inter eos populos gratia; qui, licet nihil non poſtea feciſſet, ut regi fidem ſuam approbaret, nihilominus ab iiſdem, ſi occaſio ſe offerret, tanquam coeptae rebellioni idoneus dux ſepoſitus credebatur. Nec deerant, qui, ſuſpicionibus regis procerumque animis impletis, novamque turbis materiam quaerentes, arma domi retineri quam bellum longius transferri mallent. Sueſſanus inter haec, per nuncios certior factus, Turcos in Africa de ſuppetiis Abdalae ferendis cogitare, et per [f] Caſtrum-ferreum in [g] Baeticam exſcenſionem facere decreviſſe, locum quamprimum in poteſtatem redigendum cenſuit; et, tormentis per mare Almeria advectis, acceitiſque Malaca triremibus, Favarae marchioni negotium dedit, ut ex triremibus, ad avertenda quae ex [h] Algeria ſperabantur auxilia, pulſationem dirigeret: terreſtris eodem tempore verberatio directa, qua dejectis turribus oppoſitis et aperto muro, etiam aliquot defenſores interfecti ſunt, in iiſque [i] Leander arcis praefectus. Itaque Turci, qui L circiter in ea erant, omni ſpe auxiliorum amiſſa, cum XIIII biremeis Libycas in conſpectum veniſſe et audito tormentorum fragore retro ceſſiſſe intellexiſſent, nocte intempeſta per ruinam egreſſi in tutum evaſerunt, paucis relictis ſeu ſenibus ſeu mulieribus. Joannes Mendoza et Favarae marchio juſſu Sueſſani arcem ingreſſi praeter captivos bis mille libras bucellati nautici et aliquot machinas in ea repererunt. Magnum is ſucceſſus momentum ad pacandam circum regionem habuit. Eodem tempore Auſtrius Antonium Lunam miſit cum CIϽ IϽ peditibus, alis equitum Sueſſani et Alcalae ducis, Joannis item Guſmani [k] Sidoniae et Ludovici Chriſtophori [l] Pontii Legionenſis Aracoſiae ducum, ut Veleſienſem agrum contra excurrenteis ex Frexilliana Mauriſcos defenderent. Luna [m] Antiquera ad montana venit; et in [n] Compitis, id loco nomen, quod priſcis temporibus tanquam ad compitalia feſta ex circumpoſita regione ruſtici ad eum convenirent, ut ex ruderibus et maceriis quae ſuperſunt adhuc conjectare licet, munitionem erexit, et alteram in faucibus montium, miſſis CIϽ delectis qui circa [o] Chilarem ad prohibendas hoſtium populationes excurrerent: id exiguo cum certamine actum, paucique ex regiis deſiderati. Sueſſanus cum CIϽ IϽ, qui de toto exercitu ſupererant, Abderam conceſſit: ibique motus bonis conditionibus per Harabii interventum componendi occaſionem opperiri ſtatuit, copioſa a [p] Verdngo Malacae praefecto annona ſummiſſa.

XIX. PHILIPPUS, Cordubae peractis comitiis, et ultima definitione [q] Madritum cum illinc rediiſſet remiſſa, per [r] Jaenam, Ubedam et Baçam facto itinere Hiſpalim

INTERPR. [a] *Adra.* [b] *le duc de Seſſa.* [c] *Halarabi* [d] *Cordoue.* [e] *de Venegas.* [f] *Caſtel de ferro.* [g] *Andalouſie* [h] *Alger.* [i] *Leandro* [k] *le duc de Medina Sidonia.* [l] *Ponce de Leon, duc d'Arcos.* [m] *Antequera.* [n] *Competu* [o] *Chillar.* [p] *Verdugo.* [q] *Madrid.* [r] *Jaen, Ubeda, & Baça*

[a] Hiſpalim venit, ut ex propinquo exorientibus oovis per Rondae montana tumultibus in tempore praeverteret. Conſultanti optimum factu viſum, ut Mauriſci, ſicuti ex Granata aliiſque locis, ita Ronda deducti io longinquiores et ab [b] Africa remotiores provincias ſpargerentur. Id [c] Auſtrio ſignificatum, ut per Aotonium Lunam hominem tractandorum ingeniorum inſita ſolertia peritum exequeretur, et blanditiis atque amico ſi poſſet colloquio citra armorum violentiam a populis iis impetraret. Acceptis ab Auſtrio mandatis, Luna XIII Kalend. Junias [d] Antiquera profectus cum bis mille IↃ peditibus et LX equitibus Roodam, cui Petrus Bermudes praeerat, venit; ubi ex oppidanis CIↃ IↃ pedites et L equites nactus, Bermudi negotium dat, ut cum IↃ [e] Rubricam profectus, municipium ſitu opportunum, a tergo comitaretur eos qui Mauriſcos deducereot. Delectis ducibus per alia loca, idem ut eodem tempore facerent, mandatum. Octava hora matutina rei exſequendae dicta, praeſenſere Mauriſci, ſive mooiti ſive ſuſpectantes; ac protinus, relictis uxoribus, ſenibus liberiſque, arma rapiunt, et in mootana conſugiunt. Domos viris vacuas nacti regii, imperia Lunae ſpernentes, ſtatim ad praedas more ſuo vertuntur, et in mulieres injurioſe, io ſenes pueroſque ſaeve graſſantur: quod Mauriſci conſpicari in palanteis ruunt, multoſque ex iis interficiunt. Bermudes ad templum captivos contraxerat; qoi, majus periculum veritus, extra Rubricam locum ſitu firmum delegit, in eoque adverſus Mauriſcos ſe defendere ſtatuit. Illi ſtatim ad templum vim faciunt, animoſe ut pro uxoribus liberiſque ac ſenioribus recipiendis pugnantes. Tandem, receptis captivis, templum et cum eo praeſidiarios incendetunt, eodemque impetu cum Bermude conflixere. Periere ex regiis circiter XL: multi utrinque ſauciati. Luna, qui nullum licentiae modum videret, et militem de praeda non de decore aut diſciplina ſolicitum a ſigois diſcedere, cum CIↃ CC ad Roodam ſe recepit, mulierum et parvulorum gregibus tanquam in bello captis paſſim ſub haſta proſtantibus; quod prohibere cum ſibi non iotegrum eſſe cerneret, Hiſpalim, ubi rex erat, contendit, de ſucceſſu ſe apnd eum excuſaturus. Miſeri Mauriſci, et qui eorum innocentiae in aula patrocinabantur, ſive io Luoae iovidiam, ſive aliorum belli ducum, rem io majus exacerbabant: fidem regis, quam illi inviolabilem credebant, obligatam, nec niſi ſummo cum famae diſpendio et piaculo ſolvi potuiſſe; nuoc et eos dictis audienteis ſe praebere, atque, quocunque rex juſſerit, ire paratos, ſi libertas, ſi uxores et liberi, ſi quicquid contra regis mandata injurioſe illis ereptum eſt booa fide reſtituatur. Et rex belli domeſtici pertaeſus id pronis auribus accipiebat: ſed ad plures, oon ſolum ex militari ordine ſed etiam ex ipſa nobilitate, malum licentiae pervaſerat, quam ut aequo jure cum hominibus licet de confeſſa injuria expoſtulantibus agi poſſet. Itaque, ne ſuos non placatos haberet, ſupplices pro hoſtibus reputare prudentiſſimus alioqui princeps coactus eſt, ſtupentibus pleriſque, qui in florentiſſimis exercitibus per Germaniam et Belgium ſub Carolo V, ad [f] Durlanium non ita pridem ſub Philippo ipſo diſciplioam tam religioſe ab Hiſpanis ſervatam meminerant. Igitur rex, qui videret nullum rapiois modum fieri, oulloque militem reſpectu contineri, metueretque ne corruptae domi diſciplinae paulatim exemplum ad externos exercitus tranſiret, nullas conditiones non aequas cenſuit, quibus pernicioſi hi motus amice componi poſſent.

XX. DUAE ſunt io [g] Baetica praepotentes ſamiliae, meritis ob res beoe contra Saracenos olim per Aodaluziam geſtas inſignes, quae inter ſe aemulae Hiſpali domicilium habent; altera [h] Guſmaoorum, altera [i] Pootiorum Legiooenſium; qui ex Caſtella et Legionenſi regno oriundi inter Hiſpaniae grandeis, quos vulgo vocant, recenſentur; quorum praerogativa haec eſt, ut coram rege caput tegant, et uxores ipſorum a regina honorifice ſalutentur, et juxta ſe ſedere in pulvillis jubeantur.

Guſmaoorum

INTERPR. [a] *Seville.* [b] *Barbarie.* [c] *Don Juan.* [d] *Antequera.* [e] *Rubriquc.* [f] *Dourlens.* [g] *Andalouſie.* [h] *Guzman.* [i] *Ponce de Leon.*

[a] Guſmanorum tunc princeps erat Ludovicus Medinae Sidoniae dux, magnae indolis adoleſcens; Pontiorum Ludovicus [b] Aracoſiae dux, qui ante XII annos Philippo, cum in Belgio eſſet, militaverat, et circa Rondam ampliſſimas ditiones poſſidebat, iniquae compenſationis titulo pro [c] Gaditana inſula, quam majores ipſius habuerant, tutoribus ſeu conniventibus ſive obſequioſe patientibus, olim a regibus Hiſpaniae acceptas. Huic poteſtas a rege cum ampliſſimis mandatis ſacta, ut cum ſuis populis ageret, apud quos et gratia et auctoritate plurimum valere credebatur. Igitur poſt aliquot altercationes perſcriptae conditiones, pro Manriſcis [d] Harabio et Taiſare, praecipuae inter eos dignitatis viris, fidem interponentibus. Tum, ut majorem de ſe fiduciam ſuſpicacibus ingeniis faceret, Aracoſius ipſe exiguo admodum comitatu ad eos venit; hortatuſque ad obedientiam regi praeſtandam, de elementia ipſius bene ipſos in poſterum ſperare juſſit. Sed dum in conditionibus ratis habendis plus juſto rex cunctatur, et interim bellicis apparatibus cuncta perſtreperent, Aracoſio cum armata manu ad inſpiciendas propius hoſtium in montanis munitiones et loca majorum ſuorum adhuc inſepultorum reliquiis funeſta profecto, quidam Melicus nomine homo facinoroſus, qui nuper horrendo Inquiſitionis fulmine afflatus fuerat, eoque irritatior cuncta miſcendi occaſionem quaerebat, tanquam leo e cavea prorupit, dolos, fraudes, inſidias a regiis innocuae multitudini per pacem ſtrui vociferans: internuncios de pace ab Aracoſio grandi pecunia corruptos, ut communem cauſam proderent: jam Requeſenem cum claſſe ad [e] Gadeis appulſum cum laqueis ac catenis, et partem furcae, partem remigio addictam: mulieres et parvulos ad pejores morte injurias ſeponi, ut poſt ſtupra et probra fame et frigore miſerabiliter pereant. Haec ſubinde iterans poſtremo pervicit, ut inter arma mori quam per pacem inſidioſam ludibrio hoſtinm exponi optabilius ducerent. Tantam populorum inconſtantiam perfidia regiorum cumulavit. Ex illis ſiquidem permulti, ſpretis Melici vociferationibus ac minis, a quietis conſiliis minime abhorrebant; et ab Aracoſio perſuaſi ad regem legaverant Alboracem quendam e ſuo numero alioſque legatos, veniam pro univerſis ſupplicibus petituros. Aracoſius conſilii auctor [f] Montis-majoris praeſidiariis mandaverat, ut legatos ducerent reducerentque et ab omni injuria defenderent. Verum illi, qui longa licentia ducum imperia ſpernere didicerant, eos contra ducum fidem in via ſpoliatos trucidant. Impatientiſſime tulit Aracoſius non ſolum ſuam fidem violari, ſed negotium pacis omnino interturbari; ſummaque ſeveritate erga complices uſus eſt, aliis in furcam actis, aliis ad triremeis damnatis. Verum nullae excuſationes poſt tantam injuriam admitti valuere: populique, a quibus legati miſſi fuerant, ſuorum caede exaſperati, deſperata protinus regis gratia et omiſſa pacis mentione, conſilia cum Melico ſociant; qui ex eo occaſionem captans, ut jam furenteis neceſſitate belli impoſita magis accenderet, ſeditione excitata pacis internuncios interfecit, ne qui ejus mentionem deinceps reponere auderet. Aracoſius, abrupto pacis negotio, vim adhiberi tempeſtivum ratus, ſtatim Rondam reverſus cum IIII CIƆ peditum et CL equitibus contra hoſteis ducit, terrore, ni priora conſilia reſumerent, oſtentato. Verum, incendio ſeu fortuito ſive ab hoſte in caſtris excitato, vixque Aracoſii diligentia reſtincto, impetus aliquot dies retardatus. Inde ad [g] Arbotam montem, in cujus fronte Mauriſci munitionem ſtruxerant, exercitus ducitur, erumpentibus crebro praeſidiariis: ſed vicina jam nocte a pugna temperatum, dum [h] Arravalus Cuaço cum Malacenſi militia exſpectatur. Praeſidium in Arbota loco idoneo diſpoſitum haud citra certamen. Tres horas continuas velitatum utrinque fuit. Tandem hoſtes, veriti ne a tergo circumvenirentur, ad munitionem ſuam ſe contraxerunt. Erant IƆ CCC egregie armis inſtructi. Ubi Cuaço cum bis mille peditibus et C equitibus appetente jam nocte venit, propugnaculi

hoſtilis

INTERPR. [a] *Guzman.* [b] *d'Arcos.* [c] *l'iſle de Cadiz.* [d] *Halarabi & Taiſar.* [e] *Cadiz.* [f] *Monte major.* [g] *Arbota.* [h] *Arrevalo de Zuazo.*

hoſtilis oppugnatio decernitur in ſequentem diem, ita compoſito ordine; ut Petrus Bermudes a ſeptentrionali parte, quae difficili minus aſcenſu erat, cum CL delectis in montem ad dextram eniteretur; Petrus Mendoza cum totidem et aliquot foſſoribus, qui viam ad inducendum equitem complanarent, ad laevam incederet, relicto inter ſe medio montis ſpatio, quod hoſtes incendio deſtruxerant, quo facilius ſaxa, nullo obice, in regios eniteneis provolvi poſſent. Cuaço cum ſuis copiis ad latus Mendozae ire juſſus, et rurſus infra Cuaçonem Ludovicus [a] Pontius Leginenſis [b] Aracoſii gentilis cum IↃ ſcloppetariis. Aracoſius, qui turmenia et equitum alam ducebat, inter Mendozam et Cuaçonem medius cum CIↃ IↃ peditibus incedebat. Undique cincta Arbota; et, copiis eodem tempore vim facere juſſis, reſtabat ea pars quae [c] Iſtanam montem reſpicit, ſaxo praerupto inacceſſa. In Mendozam longius a ſuppetiis propter aſperitatem loci poſitum vis tota hoſtium incubuit: nec ipſe ſe deſeruit. Sed, cum in veſtigio poſſet citra periculum conſiſtere, calidius pugnam capeſſivit, in qua, diſſiparis ſuis, cum longius provectus receptui locum non videret, propere ad Aracoſium mittit; qui ſubito advolavit: cumque ad ejus conſpectum, inclinato jam ſole, hoſtes ſe reciperent, ex Mendozianorum errore conſilium cepit, et cum recentibus, quas penes ſe habebat, copiis aliiſque poſt adverſam pugnam ad ſigna revocatis impetum totis viribus ad propugnaculum fecit. Haud diu nec obſtinate pugnatum, Mauriſcis per avia montium huc illuc ſtatim dilapſis. Pars [d] Rivum-viridem, olim [e] Berbeſulam cum cognomine urbe, quae nunc [f] Mervelia eſt, dictum, pars [g] Blancillam montem, pars Iſtanam, pars denique Mundam petiit, quod municipium hodie eſt III leucis a veteri [h] Munda, ad quam Caeſar cum Cn. Pompeii filiis de ſumma rerum conflixit, cujus et rudera et pleraque antiqua monumenta viſuntur, II a Ronda veteri: ſed, ea deſtructa, oppidani, inſito Africanis more, cum commodiore loco ſedem fixiſſent, nomen quoque antiquae patriae ei impoſuerunt. CCC circiter mulieres cum inutili ſexu et gravioribus impedimentis relictae, quae in praedam militi avido ceſſere. His iiſdem in locis adhuc conſtans memoria erat, Alfonſum [i] Aquilarem et Alfonſum [k] Ureniae comitem, hunc abavum uxoris Aracoſii, illum ipſius Aracoſii avum maternum, magna cum Chriſtianorum ſtrage caeſos, quorum adhuc albicantia oſſa eminus viſuntur; ob idque ſibi perſuaſerant Mauriſci Aracoſium vitando infauſto ſuis loco nihil temere tentaturum. Verum is omne augurium, quod pro patria et principis auſpiciis capitur, optimum ratus, eo libentius expeditionem ſuſcepit; ut et ſuorum manibus parentaret, et tam praeclara occaſione oblata ultionem caedis eorum ſumeret. Tum dimiſſi Malacenſes: mandatumque Cuaçoni, ut per vicinam regionem excurreret, ac, ne ſparſi tot ſtragibus hoſtes rurſus coirent, impediret: Aracoſius cum reliquo exercitu Iſtanam contendit, miſſis ad excurſiones IIII ſignis; quorum is ſucceſſus fuit, ut III ex iis naveis duas grandeis a Mauriſcis fabricatas, ut in [l] Africam tranſmitterent, incendio conſumpſerint: quartum, dum licentioſe ad praedas vagatur, ad [m] Albornum pagum haud longe a Munda cum duce ſuo [n] Morillo caeſum eſt, fruſtra ſuppetias ferente P. Mendoza, qui ex propinquo Aracoſii juſſu acceptas ſtragis reliquias in tutum reduxit. Inde victis animi cum rediiſſent, eodem impetu Mundae praefectum et [o] Aſcanium nobilem ordinum ductorem cum CL equitibus, ignaro Aracoſio, diſcurſanteis, et Granata venienteis annonarios cum C item equitibus oppreſſere. Itaque Aracoſius, qui, tot inciſis rebellantis hydrae capitibus, nova in dies renaſci ſine fine cerneret, copiis ſine ſtipendio militantibus et ex rapto viventibus improſpere rem geri, [p] Cuaçonem Mundam revocat, et a Sanctio Leva IↃ CCC ſcloppetarios, ex iis qui in triremibus merebant, ſummitti petit, quos protinus Alfonſus ejus filius adduxit.

INTERPR. [a] *Ponce de Leon.* [b] *le duc d'Arcos.* [c] *Iſtan.* [d] *Rio verde.* [e] *Berbezula.* [f] *Marbella.* [g] *Blanquilla* ou *Sierra Blanq* [h] *Monda.* [i] *d'Agular.* [k] *Urena.* [l] *Barbarie.* [m] *Alborno.* [n] *le capitaine Morillo.* [o] *le capitaine Aſcanio.* [p] *Zuaçon.*

adduxit. Tum [a] Bermudi mandat, ut cum Rondae praeſidiariis ſibi praeſto eſſet. Ipſe cum clientibus ſuis, quos permultos virtute praeſtanteis circa ſe habebat, praemiſſo Bermude cum CIƆ ad laevam et Alſonſo Leva cum ſuis ad dextram, qui Orgivam per [b] Nigrum-montem tenderent, medius verſus [c] Cornacium, locum ſitu aſperrimum, iter ingreditur: ſed nullos hoſteis utrobique obvios habuit; qui more ſuo vagi per montana, cognito ejus adventu, aufugerant. Itaque Alſonſus cum ſuis ad triremeis remiſſus, et Cuaço [d] Malacam redire juſſus, dato negotio, ut late per circumpoſitam regionem excurreret. Omnis ex eo inter miſeros homines non tam de pugna quam de occurſu regiorum vitando cura, diſpoſitis per idonea loca ſpeculatoribus. Tum mulieres et imbellem ſexum locis inaceeſſis abdebant: pars in [e] Africam quotidie furtim evadebat.

XXI. INTER haec Melicus animi amens, qui nullum gratiae locum apud regem ſupereſſe ſciret, alios in eandem deſperationem inducere omni ratione ſatagebat. Cumque in arcano Philippus cunctos Andaluſiae Mauriſcos ad Caſtellam et longinquiores Hiſpaniae provincias diſpergere decreviſſet, ſicut jam de Granatenſibus fecerat, re evulgata, ſocios ad ultimum periculum faciendum hortatur: quippe morte duriorem, quam rex proponat, conditionem eſſe. Toties deceptis hominibus perfacile fuit, ut animos ad extrema obfirmarent; praeſertim ineunte jam Novembri, cum torrentes per montana minime vadoſi et glacies niveſque continuae per hyemem loca illa militi inaceeſſa reddunt: aſperam hyemem pro tutiſſima atque adeo inexpugnabili munitione futuram, in qua auxiliares copiae ex Africa atque ab ipſa Othomana porta venturae per otium expectari poſſint. Non latuit [f] Aracoſium Melici conſilium; qui, ſpretis illis reliquiis, veritus ne novo bello principium anno inſequenti daretur, antequam ſaevior hyems ingrueret et annus currens exiret, omnino debellandum cenſuit. Itaque, revocatis, quas diviſerat, copiis, cum CIƆ IƆ ſcloppetariis, CIƆ clientibus et equitum manu, Ronda progreditur: cognitoque Melicum adhuc bis mille IƆ circiter ſub ſignis habere, et, diſpoſitis per aditus ſpeculatoribus, vias grandibus ſaxis et arboribus tranſverſis muniviſſe, Petro Mendozae, ut ad [g] Berbeſulam cum IƆ C delectis recta tendat, ad montium pedem incedens, [h] Lupo Caparae, ut cum totidem ad [i] Mundae vineas ſe muniat, imperat: ipſe medius cum pedite et equitatu reliquo ſubſequitur. Bermudes et Carolus [k] Villegas, qui in [l] Iſtanae praeſidio erat, juſſi ſummum montis cacumen ſuperare quiſque cum ſua cohorte et equitibus, ut hoſtem a tergo adorirentur: et accitus Malaca Cuaço cum CIƆ CC peditibus et L equitibus, ut ad Mundam praeſto eſſet. Nocte iter ingrediuntur, ut albeſcente die ſimul eodem tempore impetum facerent. Sed ſcloppeti diſploſione certiores de regiorum adventu Mauriſci facti protinus ſtationes muniunt; et, cum univerſis regiis confligere impares, omne robur armorum in Petrum Mendozam vertunt. Senſit aſtum Aracoſius; et, mutata pariter pugnae ratione, ſubito ad Mendozam fortiter pugnantem, in tempore, cum jam ejus acies inclinaret, accurrit, ac, reſtituto certamine, hoſteis in montana avertit. C ex iis interfecti, et in iis Melicus, privata injuria motus renovandi, cum compoſitus crederetur, auctor. Signo dato, Aracoſius Ludovicum filium undecennem monuiſſe dicitur, ut juxta ſe pugnaret, familiari gentis Pontiorum more, in qua filii vel in imbelli aetate belli adverſus Saracenos olim gerendi patribus monſtrantibus tirocinium faciunt. Melici morte bello Granatenſi finis impoſitus, quod a conjuratione palam facta integrum biennium duravit, a Mondejare et Veleſio marchionibus inter ſe aemulis coeptum, dein, ſuperveniente Joanne Auſtrio, a Sueſſae duce affectum, ac dein ab Aracoſiae duce omnino confectum. In quo mirari ſubit, pervicacem populorum,

INTERPR. [a] *Bermudes.* [b] *Monte-nigral.* [c] *Cornachon.* [d] *Malaga.* [e] *Barbarie.* [f] *le duc d'Arcos.* [g] *Marbella.* [h] *Lope Zapata.* [i] *Monda.* [k] *Villegas.* [l] *Iſtan.*

pulotum, non tam pro religiooe quam pro libertate, ad perniciem uſque conſtantiam, et veluti in conſpectu tanti principis tot adoreis macti, tot regnorum provinciarumque, non ſolum in Hiſpania, ſed etiam in Italia, Gallia et Germania, opibus ſubnixi, ad haec tot exercituum, tot claſſium per Indias et Africam potentis, creatos duos reges, iiſque obſequium tam prona voluntate delatum, fidemque ſincere ſervatam, cujus ſe magis memores quam uxorum aliarumque charitatum Mauriſci toto eo bello oſtenderunt, poſt tot ſtrageis toties inſtaurata proelia, et ſparſos potius hoſteis et in Africam pulſos quam plenam de iis reportatam victoriam: contra, ioter regios livorem, pravas aemulationes, invidiam, obtrectationes, privata odia, in milite voluntario ſolutam diſciplinam, nullam fidei aur decoris curam, ſaevitiae, libidinis, avaritiae horrenda exempla: ut ex eo appareat, Hiſpanis, quorum virtus militaris et exacta extra fineis patrios diſciplina a ceteris orbis nationibus praecipue praedicatur, nullum majus periculum impendere poſſe, quam ſi bellum domi ex quacunque occaſione habere cogantur. Sed in Mauriſcis fatalis error fuit ab initio, cum feſtinata per Granatam curſitatione animos ſine ſucceſſu renudarunt: nam, Alhambra non capta, neque proinde ex ea dato ſigno, ſocios ex montanis proximis minime praeſto fuiſſe, neque qui [a] Albaicini erant ſe commoviſſe, atque ita conſilium de [b] Granata occupanda, quod ad famam rebus oovis conciliandam maxime neceſſarium erat, evanuiſſe; neque Turcos in Africa aut in porta Othomana purpuratos tantum motu illo operae pretium factum eoſuiſſe, ut, omiſſa Cypro, quae illis ſub manum erat, in Hiſpaniam loogius poſitam et undique mari, niſi qua Pyrenaeo a Gallis diſpellitur, cinctam arma inferre debueriut. Et tamen ſic prudentiores exiſtimant, res Philippi nunquam tanto in diſcrimine fuiſſe: nam ſi Mauriſci propriis viribus, ſine belli ducibus, ſine milite externo ac ſtipendio, nullis urbibus aut locis munitis defeoſi, totum biennium adverſus totius Hiſpaniae robur ſe tam vario eventu defenderunt, quid futurum fuiſſe, ſi Selimus Aſiae et Africae vireis ad eos juvandos convertiſſet? ſiquidem annonam, quam portabat Muſtafas, et copioſiorem ex Africa vicina ſuffecturam; qua re praecipue io ipſis regiorum caſtris laborabatur; et multas urbes in [c] Baetica, quae nutabaot, ad tanti auxilii conſpectum, totumque adeo Valentiae regnum procul dubio rebellaturum fuiſſe. Sed Deo omnium rerum ordinatori aliter viſum, qui Selimo, cum bellum Granatenſe ei ſuaderet [d] Mechemetes purpuratorum princeps, hanc mentem non dedit, et Hiſpaoiam, cujus majorem partem per ꟾↃ cc aonos Saraceni occupaverant, ſub idem jugum redire noluit; cui propterea, non ſolum ab Hiſpanis ſed ab univerſis Chriſtianis, immortales gratiae ſunt habendae.

INTERPR. [a] *l'Albayſin.* [b] *Grenade.* [c] *Andalouſie.* [d] *Mehemet viſir.*

FINIS TOMI SECUNDI.

LONDINI, Imprimebat SAMUEL RICHARDSON.

KALENDARIVM ROMANVM.

Omnes, quibus hoc Kalendarium in uſu erat, ſtylum Julianum uſque ad menſem Octobrem A. C. MIↃLXXXII *ubique obſervarunt.*

IANVARIVS.	FEBRVARIVS.	MARTIVS.
1. *Kalendae* Januariae	1. *Kalendae* Februariae	1. *Kalendae* Martiae
2. IV. Nonas	2 IV. Nonas	2. VI. Nonas
3. III. Nonas	3. III. Nonas	3. V. Nonas
4. pridie Nonas	4. pridie Nonas	4. IV. Nonas
5. *Nonae* Januariae	5. *Nonae* Februariae	5. III. Nonas
6. VIII. Idus	6. VIII. Idus	6. pridie Nonas
7. VII. Idus	7. VII. Idus	7. *Nonae* Martiae
8. VI. Idus	8. VI. Idus	8. VIII. Idus
9. V. Idus	9. V. Idus	9. VII. Idus
10. IV. Idus	10. IV. Idus	10. VI. Idus
11. III. Idus	11. III. Idus	11. V. Idus
12. pridie Idus	12. pridie Idus	12. IV. Idus
13. *Idus* Januariae	13. *Idus* Februariae	13. III. Idus
14. XIX. Kalendas Februarias	14. XVI. Kal Mart.	14. pridie Idus
15. XVIII. Kal Febr.	15. XV. Kalendas Martias	15. *Idus* Martiae
16. XVII. Kal. Febr.	16. XIV. Kal. Mart.	16. XVII. Kalendas Apriles
17. XVI. Kal. Febr.	17. XIII. Kal. Mart.	17. XVI Kal. April.
18. XV. Kal Febr.	18 XII. Kal Mart.	18. XV. Kal. April.
19. XIV Kal. Febr.	19. XI Kal Mart.	19. XIV. Kal. April.
20. XIII. Kal Febr.	20. X. Kal Mart.	20. XIII. Kal. April.
21. XII. Kal. Febr.	21. IX. Kal. Mart.	21. XII. Kal. April.
22. XI. Kal. Febr.	22. VIII. Kal Mart.	22. XI. Kal April.
23. X Kal. Febr.	23. VII. Kal. Mart.	23. X. Kal. April.
24. IX. Kal Febr.	24. VI Kal. Mart.	24. IX. Kal. April.
25. VIII. Kal Febr.	*Ann. communi,*	25. VIII Kal. April.
26. VII. Kal. Febr.	25. V. Kal. Mart.	26. VII. Kal. April.
27. VI. Kal. Febr.	26. IV. Kal. Mart.	27. VI. Kal. April.
28. V. Kal Febr.	27. III. Kal Mart.	28. V. Kal. April
29. IV. Kal Febr.	28. pridie Kal. Mart.	29. IV. Kal. April.
30. III. Kal. Febr.	*Ann. biſſextili,*	30. III. Kal. April.
31. pridie Kal. Febr.	25. *bis* VI. Kal. Mart.	31. pridie Kal. April.
	26. V. Kal. Mart.	
	27. IV. Kal. Mart.	
	28. III. Kal. Mart.	
	29. pridie Kal. Mart.	

APRILIS.	MAIVS.	IVNIVS.
1. *Kalendae* Apriles	1. *Kalendae* Maiae	1. *Kalendae* Juniae
2. IV Nonas	2. VI. Nonas	2. IV. Nonas
3. III. Nonas	3. V. Nonas	3. III. Nonas
4. pridie Nonas	4. IV. Nonas	4. pridie Nonas
5. *Nonae* Apriles	5. III. Nonas	5. *Nonae* Juniae
6 VIII Idus	6. pridie Nonas	6. VIII. Idus
7. VII. Idus	7. *Nonae* Maiae	7. VII. Idus
8 VI. Idus	8. VIII. Idus	8. VI. Idus
9. V. Idus	9. VII Idus	9. V. Idus
10. IV. Idus	10. VI. Idus	10. IV. Idus
11. III Idus	11. V. Idus	11. III. Idus
12. pridie Idus	12. IV. Idus	12. pridie Idus
13. *Idus* Apriles	13. III. Idus	13. *Idus* Juniae
14. XVIII. Kalendas Maias	14. pridie Idus	14. XVIII. Kal. Quint. *ſive* Jul.
15. XVII. Kal. Mai.	15. *Idus* Maiae	15. XVII. Kal. Jul.
16. XVI. Kal. Mai.	16. XVII Kalendas Junias	16. XVI. Kal. Jul.
17. XV. Kal. Mai.	17. XVI. Kal. Jun.	17. XV. Kal. Jul.
18 XIV. Kal. Mai	18. XV. Kal. Jun.	18. XIV. Kal Jul.
19. XIII. Kal Mai.	19. XIV. Kal. Jun	19. XIII. Kal. Jul.
20. XII. Kal. Mai.	20. XIII. Kal. Jun.	20. XII. Kal. Jul.
21. XI. Kal. Mai.	21. XII. Kal. Jun.	21. XI. Kal Jul.
22. X. Kal. Mai.	22. XI. Kal. Jun.	22. X. Kal. Jul.
23. IX. Kal. Mai.	23. X. Kal. Jun.	23. IX Kal. Jul.
24. VIII. Kal. Mai.	24. IX. Kal. Jun.	24. VIII Kal Jul.
25. VII Kal. Mai.	25. VIII. Kal. Jun.	25. VII. Kal. Jul.
26. VI. Kal. Mai.	26. VII Kal. Jun.	26. VI. Kal. Jul.
27. V. Kal. Mai.	27. VI. Kal. Jun.	27. V Kal Jul.
28. IV. Kal. Mai.	28. V. Kal. Jun.	28. IV. Kal. Jul.
29. III. Kal. Mai.	29. IV. Kal. Jun.	29. III. Kal. Jul.
30. pridie Kal. Mai.	30. III. Kal. Jun.	30. pridie Kal. Jul.
	31. pridie Kal. Jun.	

Kalendarium Romanum.

Quintilis, *qui et* Iulius.	Sextilis, *qui et* Augustus.	September.
1. *Kalendae* Quint. *ſive* Jul.	1. *Kalendae* Sext. *ſive* Aug	1. *Kalendae* Septembres
2. VI. Nonas	2. IV. Nonas	2. IV. Nonas
3. V. Nonas	3. III. Nonas	3. III. Nonas
4. IV. Nonas	4. pridie Nonas	4. pridie Nonas
5. III. Nonas	5. *Nonae* Sext *ſive* Aug.	5. *Nonae* Septembres
6. pridie Nonas	6. VIII. Idus	6. VIII. Idus
7. *Nonae* Quint. *ſive* Jul	7. VII. Idus	7. VII. Idus
8. VIII. Idus	8. VI. Idus	8. VI. Idus
9. VII. Idus	9. V. Idus	9. V. Idus
10. VI. Idus	10. IV. Idus	10. IV Idus
11. V. Idus	11. III. Idus	11. III. Idus
12 IV. Idus	12. pridie Idus	12. pridie Idus
13. III Idus	13. *Idus* Sext *ſive* Aug.	13. *Idus* Septembres
14. pridie Idus	14. XIX. Kal. Septembres	14. XVIII. Kal. Octobres
15. *Idus* Quint. *ſive* Jul.	15. XVIII. Kal. Sept.	15. XVII. Kal. Oct.
16. XVII. Kal Sext. *ſive* Aug.	16 XVII. Kal Sept.	16. XVI. Kal. Oct.
17. XVI. Kal. Aug.	17. XVI. Kal. Sept.	17. XV. Kal. Oct.
18. XV. Kal Aug.	18. XV Kal Sept.	18. XIV. Kal. Oct.
19. XIV. Kal. Aug.	19. XIV. Kal. Sept.	19. XIII. Kal. Oct.
20. XIII. Kal. Aug.	20. XIII Kal Sept.	20. XII. Kal. Oct.
21. XII. Kal. Aug.	21. XII. Kal. Sept.	21. XI Kal. Oct.
22. XI. Kal. Aug.	22. XI Kal. Sept	22. X. Kal. Oct.
23. X. Kal. Aug.	23. X. Kal. Sept.	23. IX. Kal. Oct.
24. IX Kal Aug.	24 IX. Kal Sept.	24. VIII. Kal. Oct.
25. VIII. Kal. Aug.	25. VIII. Kal. Sept.	25. VII. Kal Oct.
26. VII. Kal. Aug.	26 VII Kal. Sept.	26. VI. Kal. Oct.
27 VI. Kal. Aug.	27. VI. Kal. Sept.	27. V. Kal. Oct.
28 V. Kal. Aug.	28. V Kal. Sept.	28. IV. Kal. Oct.
29. IV Kal. Aug.	29. IV. Kal Sept.	29. III Kal. Oct.
30. III. Kal. Aug.	30. III Kal Sept.	30. pridie Kal. Oct.
31. pridie Kal Aug.	31. pridie Kal Sept.	

October.	November	December.
1. *Kalendae* Octobres	1. *Kalendae* Novembres	1. *Kalendae* Decembres
2. VI. Nonas	2. IV. Nonas	2. IV. Nonas
3. V Nonas	3. III. Nonas	3. III. Nonas
4. IV. Nonas	4. pridie Nonas	4. pridie Nonas
5. III. Nonas	5. *Nonae* Novembres	5. *Nonae* Decembres
6. pridie Nonas	6. VIII. Idus	6. VIII. Idus
7. *Nonae* Octobres	7. VII Idus	7. VII. Idus
8. VIII. Idus	8. VI. Idus	8. VI. Idus
9. VII. Idus	9 V. Idus	9. V. Idus
10. VI. Idus	10. IV. Idus	10. IV Idus
11. V. Idus	11. III. Idus	11. III. Idus
12. IV. Idus	12. pridie Idus	12. pridie Idus
13. III. Idus	13. *Idus* Novembres	13. *Idus* Decembres
14 pridie Idus	14. XVIII. Kal. Decembres	14. XIX. Kal. Januarias
15. *Idus* Octobres	15. XVII. Kal. Dec.	15. XVIII Kal. Jan.
16. XVII. Kal. Novembres	16. XVI. Kal Dec.	16. XVII. Kal. Jan.
17. XVI. Kal. Nov.	17. XV Kal. Dec	17. XVI. Kal. Jan.
18. XV. Kal. Nov.	18. XIV. Kal Dec.	18. XV. Kal. Jan.
19. XIV. Kal Nov.	19. XIII Kal Dec.	19. XIV. Kal Jan.
20. XIII. Kal. Nov.	20. XII. Kal. Dec.	20. XIII Kal. Jan.
21. XII Kal Nov.	21. XI Kal Dec.	21. XII. Kal. Jan
22. XI. Kal. Nov.	22. X Kal. Dec.	22 XI Kal Jan.
23. X. Kal. Nov.	23. IX Kal. Dec.	23. X. Kal. Jan
24 IX. Kal. Nov.	24 VIII Kal. Dec.	24. IX. Kal. Jan.
25. VIII Kal Nov.	25. VII. Kal. Dec.	25. VIII. Kal. Jan.
26. VII Kal. Nov.	26. VI. Kal. Dec.	26 VII. Kal. Jan.
27. VI. Kal Nov.	27. V Kal. Dec.	27. VI. Kal. Jan.
28. V. Kal. Nov.	28 IV Kal Dec.	28. V. Kal. Jan.
29 IV. Kal. Nov.	29. III. Kal Dec	29 IV Kal Jan.
30. III. Kal. Nov.	30. pridie Kal Dec.	30. III. Kal Jan.
31. pridie Kal. Nov.		31. pridie Kal Jan.

Aa 14654,C